


BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLVII
F
7
NAPOLI

R. P. NATALIS
ALEXANDRI
ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,
IN SACRA FACULTATE PARISIENSI DOCTORIS, ET EMERITI PROFESSORIS

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS
NOVIQUE TESTAMENTI

Ab orbe condito ad Annum post Christum natum millesimum sexcentesimum: Et in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ.

EDITIO OMNIUM NOVISSIMA

Notis & Animadversionibus, quoad Historiam & Dissertationes novi Testamenti, aucta ad castigationem & illustrationem opinionum quarumdam Authoris,

OPERA ET STUDIO

CONSTANTINI RONCAGLIA
Lucensis, Congregationis Matris Dei.

Editio secunda Lucensis, animadversionibus quibusdam novis aucta & illustrata a P. Jo. Dominico Mansi Congregationis ejusdem.

Tomus Septimus.
Sæculum Undecimum, & Duodecimum continens.

Inscriptus Bibliothecæ Soc. Jesu



Catalogo Collegii Magni anno 1759.

LUCÆ

Typis Leonardi Venturini.

MDCCLI.

DE SUPERIORUM LICENTIA.



INDEX
CAPITUM, ARTICULORUM,

Paragraphorum, Dissertationum, Quæstionum, Propositionum, & Assertionum Voluminis VII. Historiam Ecclesiasticam Novi Testamenti XI. & XII. Sæculorum continentis.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
SÆCULI XI. & XII.
SYNOPSIS.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM XI. ET XII. SAECULI DISSERTATIONES SELECTAE.

INDEX

Art.

PANOPLIA


ADVERSUS HÆRESES

XI. & XII. SÆCULI.

Art.

INDEX

HISTORIÆ



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SÆCULI XI. ET XII. SYNOPSIS.

CAPUT PRIMUM.

De Pontificibus Maximis, qui Ecclesiam Romanam & universalem rexerunt XI. Seculo, & Conciliis Romæ vel alibi, ab ipsis celebratis.

ARTICULUS I.

De Joanne XVII. & XVIII.

Joannes XVII. OANNES XVII. cui cognomen *Sicco*, patria Romanus, defuncto *Silvestro* II. Tusculanorum Comitum factione creatus est Pontifex VII. Idus Junii anni MIII. & Menses dumtaxat quinque sedit, nulla re gesta celebris, nec aliunde notus quam ex Indicibus Vaticanis. Obiit Romæ pridie Kalendas Novembris anno MIII.

Joannes XVIII. II. Ejus in locum eadem factione suffectus est *Joannes XVIII.* cognomento Fasanus. Is Legatum Apostolicum in Germaniam misit, ad Magdeburgensis Episcopi consecrationem, *Ditmaro* teste lib. 5. Privilegio namque ab *Ottone Magno* illi Ecclesiæ collato cautum erat, ne ab alio quam a Romano Pontifice illius Antistites consecrarentur. Bambergensem Episcopatum in Synodo Francofordiensi, agente *Henrico* Germaniæ Rege Sanctissimo erectum, idem Pontifex confirmavit, ut constat ex ejus Diplomate edito a *Jacobo Gretsero* S. J. in Vita S. Henrici. S. *Elphegum* Cantuariensem Archiepiscopum, Romam profectum, Pallio donavit, ut *Osbernus* in ejusdem Sancti Archipræsulis Vita refert. *S. Brunonem* ad Russos Apostolum destinavit, qui martyrii coronam capite truncatus a Barbaris, consecutus est. Hunc *Ditmarus* ejus consanguineus & condiscipulus commendat lib. 6. Martyrium ejus anno octavo supra millesimum consignant *Marianus Scotus* & *Abbas Urspergensis*. In eadem regione Ecclesiam propagavit *S. Bonifacius*, a Sede Apostolica pariter missus, martyrii gloria pariter insignis, a *B. Petro Damiani* celebratus in Vita *S. Romualdi*, capp. 29. & 30. Constantinopolitanæ Ecclesiæ cum Romana communionem Joannes XVIII. procuravit ac fovit, ut ejus Epitaphium, & *Petri* Antiocheni Patriarchæ ad *Michaelem Cerularium* Literæ testantur. Sedit annos quinque, menses septem, dies octo & viginti. *Gregorium* SS. Cosmæ & Damiani ad Micam Auream Abbatem sanctissimum episcopum Cardinalem Ostiensem & S. R. E. Bibliothecarium creavit, ut observat *Ferdinandus Ughellus* in Additionibus ad *Ciaconium*.

Ad Bellilocensis Ecclesiæ consecrationem Legatum in Gallias non misit Joannes XVIII. sed ejus Successor. *Petrum* Romanæ Ecclesiæ Cardinalem in Gallias dicitur misisse *Joannes XVIII.* Apostolica Legatione ornatum, rogante *Fulcone* Andegavorum Comite, ut Ecclesiam Bellilocensis Monasterii ab ipso conditi consecraret: quod consecrationis ritum celebrare Turonensis Archiepiscopus recusasset, in cujus Diœcesi Monasterium illud situm est prope Castrum Lucacense: quia *Fulconis* votum Deo gratum esse non posse contestabatur, nisi prædia & mancipia Ecclesiæ Turonicæ surrepta prius restitueret. Id Glaber lib. 11. Historiæ cap. 4. commemorat: qui & addit Galliarum Episcopos istud facinus execratos esse: *Quoniam nimium indecens videbatur, ut is, qui Apostolicam regebat Sedem, Apostolicum primitus ac Canonicum transgrediebatur tenorem. Cum insuper multiplici sit antiquitus authoritate roboratum, ut non quispiam Episcoporum in alterius Diœcesi istud præsumat exercere, nisi Præsule, cujus fuerit, compellente, seu permittente.* Narrat ibidem, Ecclesiam illam ipso consecrationis die, miraculo corruisse, ut documento esset, Romanum Pontificem contra Canones id suscepisse. *Licet namque*, inquit, *Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem Apostolicæ Sedis cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo Canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque Orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex ac sponsus propriæ Sedis uniformiter gerit speciem Salvatoris, ita generaliter nulli convenit quippiam in alterius procaciter patrare Episcopi Diœcesi.* *Glaber Monachus refellitur.*

Bellus locus, vulgo Beaulieu, O. B. in Diœcesi Turonensi prope Castrum Lucacense, vulgo Loches. Verum rem aliter gestam esse quam narret *Glaber*, nec Pontificem aliquid tentasse contra Canones, nec Turonensi Archiepiscopo repugnante factam esse Bellilocensis Ecclesiæ consecrationem, docent ipsius *Joannis XVIII. & Sergii IV.* Diplomata ex Chartophylacio ejusdem Abbatiæ descripta, & edita a Clarissimis Sammarthanis fratribus Tomo IV. Galliæ Christianæ, pag. 150. & 151. Ex iis, inquam, discimus, *Joannem* oblatum a *Fulcone* Comite Monasterium *Belliloci*, Sanctæ Trinitati, & SS. Cherubim

bim

Privilegium Bellilocensi Cœnobio a Joanne 18. concessum.

bim atque Seraphim memoriæ devotum, sub tuitione Romanæ Ecclesiæ suscepisse, interdixisseque omnibus Episcopis, ne quam ibi jurisdictionem exercerent. *Ipsum Locum*, inquit Joannes XVIII. *sub tuitione & defensione SS. Apostolorum Petri & Pauli successorumque nostrorum hujus Sanctæ Sedis Pontificum, humiliter deprecando & commendando posuit, ut nullius dominatio Regis & Principis, seu Archiepiscopi, Episcopi, aut cujuscumque dignitatis persona, præfatum Monasterium inquietare, vel disturbare, seu minuere audeat ...... Statuimus autem eidem Monasterio Apostolicæ Authoritatis privilegium, ut nullo modo ab ullo Archiepiscopo, vel Episcopo, sententiam excommunicationis sustineat, neque pro aliquo jure, nec Ordinatione, quamcumque molestiam ab eisdem Episcopis cogatur sustinere, ut sit quietus idem locus sub jure & defensione BB. Apostolorum Petri & Pauli, & Pontificum suæ Sedis hujus in perpetuum. Quod si aliquis rebellis contra hanc nostram Authoritatem, scilicet Archiepiscopus, vel Episcopus quicumque ipsum locum excommunicare voluerit, ipse sit excommunicatus, & locus iste absolutus in æternum.*

Sergius IV. misit Legatum in Gallias ad illius Ecclesiæ consecrationem.

„ Privilegii illius insoliti Rescriptum *Hugonem* Archiepiscopum Turonensem commovit. Qui Romam „ accedens, summissis precibus a *Sergio IV.* Joannis „ Successore contendit, ut Monasterii consecrationem „ sibi juxta Canones & Justinianam Legem, per„ mitteret. Sed repulsus fuit, hac exceptione quod „ *Fulconi* liberum fuerit in fundo suo, propriaque „ hereditate, Monasteriom construenti, Monasterium „ ipsiusque consecrationem Romanæ Ecclesiæ confer„ re, quia *Cujus est hereditas, ipsius & consecratio.* „ Quare *Hugo* accepta e manibus *Gregorii* Silvæ Can„ didæ Episcopi virgula, jus omne quod sibi com„ petebat, in Romanam Ecclesiam transtulit. *Sergius* „ vero *Petrum* Viterbiensis Ecclesiæ Episcopum in Gal„ lias direxit, Ecclesiam illam vice sua consecraturum. Verba sunt Illustrissimi & doctissimi Archipræsulis *Petri de Marca*, hanc Historiam ex veteribus Tabulis Monasterii Belliloci referentis, lib. IV. *De Concordia Sacerdotii, & Imperii*, cap. 8. num. 11. Ita vero *Sergius IV.* in suo Diplomate: *Quidam Comes nomine Fulco construxit quoddam Monasterium in suo proprio alodio quod & S. Petro Apostolorum Principi tradidit, ac nostræ dominationi, Successorumque nostrorum in perpetuo jure submisit: quem locum ego per memetipsum sacrare non valens, quemdam nostrum Suffraganeum Episcopum illuc direxi, ut ipsum Monasterium vice S. Petri, ac nostra sacraret, ac benediceret.* Ita consecratio peracta est anno MX. ut testatur Chronicon Turonense. Ex quibus Monumentis emendandi sunt doctissimi Cardinalis *Baronii* Annales historiam illam, quam ex solo *Glabro* memorat, ad *Joannem* illum Pseudo-pontificem referentis, qui per factionem *Crescentii* Schismate excitato adversus *Gregorium V.* Romanam Sedem invasit anno 996. Sed corrigendus præcipue *Glaber* qui se Juris ac vere Theologiæ haud satis peritum ostendit, eum Romanum Episcopum in aliorum Præsulum Diœcesibus munia Episcopalia exercere non posse asserit, nisi ipsis permittentibus. Longe aliter & verius sensit S. *Bernardus* ad Eugenium scribens: *Tu potestate Petrus, unctione Christus ..... Sunt & alii gregum Pastores ..... Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Pasce oves meas, inquit, Quas? Illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi Regni? Cui non planum est non designasse aliquas, sed designasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Si quas tamen exercet in aliorum Episcoporum, jure divino etiam institutorum, Diœcesibus functiones, secundum Canones obire debet. Nam, *Si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debet ordo, confundatur?* (inquiebat S. Gregorius.) *Glabro* Monacho multa alia apponi possent, quæ non sunt hujus loci: satis erit addere *Joannis Gersonii* Academiæ Parisiensis Cancellarii verba, in ipso opusculo quod inscripsit, *De Auferibilitate Papæ*, Consideratione VIII. *Nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter Monarchicam & quodammodo Regalem, nisi Ecclesiam. Et oppositum sentientes de Ecclesia, quod fas est esse plures Papas, aut quod quilibet Episcopus est in sua Diœcesi Papa, vel Pastor supremus æqualis Papæ Romano, errant in fide & unitate Ecclesiæ contra Articulum illum: Et unam Sanctam &c. Et si pertinaces maneant, judicandi sunt Hæretici, sicut Marsilius de Padua, & quidam aliorum.* Hæc obiter dixisse sufficit, ne ultra Historiæ metas divagemur.

Romanus Pontifex in aliorum Episcoporum Diœcesibus munia Episcopalia ubique Christianarum gentium exercere potest.

Lib. II. de Consider.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 6. Edit. primæ Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Papa potest munia Episcopalia exercere in aliena Diœcesi, cum limitatione tantum, nempe juxta Canones.*

R. Meam erga Sedem Apostolicam observantiam & de Romani Pontificis Primatu integerrimam fidem eo loci demonstro. *Corrigendus* (inquam) *præcipue Glaber, qui se juris ac veræ Theologiæ haud satis peritum ostendit, eum Romanum Episcopum in aliorum Præsulum Diœcesibus munia Episcopalia exercere non posse asserit, nisi ipsis permittentibus. Longe aliter & verius sensit S. Bernardus ad Eugenium scribens*, &c. Recte autem addidi, quod argumenti necessitas postulabat: *Si quas tamen exercet in aliorum Episcoporum, jure etiam divino institutorum, Diœcesibus functiones, secundum Canones obire debet. Nam* SI SUA UNICUIQUE EPISCOPO JURISDICTIO NON SERVATUR, QUID ALIUD AGITUR NISI UT PER NOS, PER QUOS ECCLESIASTICUS CUSTODIRI DEBET ORDO, CONFUNDATUR? (inquiebat S. Gregorius.) Amplissimæ Romanorum Pontificum potestati & Authoritati nullos alios limites præfigo, quam quos ipsi Pontifices Sanctissimi præfixerunt.

Nota.

QUam mereatur fidem Glaber quoad ea, quæ supra ex ipsius testimonio refert P. Natalis, adnotavi tom. 4. pag. 482.

Quomodo debeat se sacris canonibus conformem reddere, dixi tom. 3. p. 110. & 111.

ARTICULUS II.

De Sergio IV. & Benedicto VIII.

Sergius IV.

Sergius IV. nomen mutat.

JOanni XVIII. post unius mensis & dierum tredecim Interpontificium, legitimis suffragiis suffectus est *Petrus* Bucca Porci cognominatus, pridie Kalendas Septemb. anno nono supra millesimum. Ob Principis Apostolorum reverentiam, potius quam ob cognominis fœditatem, quod nonnullis visum est, nomen mutavit, ac *Sergium IV.* appellari se voluit. Litem inter *Libentium* Hamaburgensem Archiepiscopum, & *Bernarium* Episcopum Verdensem, de finibus Diœceseon, secundum *Libentium* judicavit, ut scribit *Adam* Bremensis Canonicus lib. 1. Historiæ cap. 23. & lib. 2. cap. 32. Sub ejus pontificatum Romæ in quadam Ecclesia oleum miraculo scaturiisse, ex quo vas impletum ad Henricum Germaniæ Regem missum est, testatur *Ditmarus* lib. 8. Obiit optimus Pontifex anno duodecimo supra millesimum ineunte, cum annos duos, menses octo, & dies tredecim sedisset, ut constat ex ejus Epitaphio, quod *Baronius Cardinalis* descripsit. Ordinis Benedictini Monachum fuisse scribit Ciaconius noster.

Benedictus VIII.

Schisma.

II. *Sergio IV.* canonica electione successit *Benedictus VIII.* adversus quem *Gregorius* quidam in Sedem Apostolicam intrusus legitimum Pontificem expulit. Ad *Henricum* Germaniæ Regem confugit *Benedictus*. Religiosissimus Princeps collecto exercitu Romam properavit præmisso ante se, cum numeroso & honorifico comitatu, Pontifice. Imminente Regis adventu territus Antipapa, ex Urbe aufugit, *Benedictus* receptus in Sedem est. Is *Henrico* Regi cum omnibus Urbis Ordinibus processit obviam, eique globum aureum gemmis distinctum, Crucis figura desuper ornatum

tum novum Imperii insigne obtulit, quod Principi documento esset, non aliter eum imperare debere, quam ut Crucis vexillo protegi dignus haberetur. Augustum munus ad Monasterium Cluniacense in Gallias misit pius Princeps, ab illis asservari volens, *qui pompis mundi calcatis, Crucem expeditius sequebantur Salvatoris*: ut refert *Glaber* ad finem lib. 1. Historiæ anno MXIII. Anno sequenti, 6. Kalendas Martii, Dominica die, *Henricum* Regem a Senatoribus Romanis XII. in Basilicam S. Petri deductum, *Benedictus VIII.* Imperatorem inauguravit, cum antea fidem suam ad Ecclesiæ Romanæ defensionem obstrinxisset, ut testatur *Ditmarus*, Chronici Lib. 7. *Antequam*, inquit, *introduceretur, ab eodem interrogatus, si fidelis vellet Romanæ Patronus esse & Defensor Ecclesiæ; sibi autem suisque Successoribus per omnia fidelis, devota professione respondit*. Coronavit una Pontifex *Cunegundem* Henrici castissimam conjugem. Saracenos, Status Ecclesiastici litora infestantes, indicto bello fugavit Pontifex magnanimus. Græcos qui in Apulia grassabantur, misso contra illos *Rodulpho* Normanno, debellavit Anno MXVIII. De præclaris Normannorum in Italia facinoribus ad Ecclesiæ Imperiique defensionem legantur *Glaber* lib. 3. Historiæ cap. 1. *Leo Ostiensis* lib. II. Chronici Cassinensis cap. 38. *Gaufredus Malaterra*, & *Alexander* Celesinus Abbas.

Benedictus VIII. Henricum Pium Germaniæ Regem Imperatorem coronat.

In Germaniam profectus *Benedictus VIII.* ut Henricum Imperatorem ad ferendas contra Græcos suppetias hortaretur, varias ibi consecravit Ecclesias, ac Bambergensem Episcopatum confirmavit. Imperator, in grati animi vicem, Bambergam Romanæ Ecclesiæ cum omnibus juribus contulit: quam a *Leone IX.* redemit Henricus III. dato pro ipsa Benevento, ut *Leo Ostiensis* lib. 2. cap. 47. commemorat. Judæos qui Christi Salvatoris imaginem die Parasceves deluserant, capite plecti jussit, ut iratum Numen sacrilegorum supplicio placaret. Sanctissimos viros *Odilonem & Romualdum* in primis coluit. Henrico Imperatore suadente, Symbolum in sacris Missarum solemniis in Romana Ecclesia cani jussit, quod antea factum non fuerat. Cur ea consuetudo Romæ instituta non esset, rationem reddiderunt Imperatori Cleri nobilissimi Principes: quod Romana Ecclesia nulla umquam hæresi fœdata fuisset, sicut aliæ, quibus propterea necesse fuerat Fidei Symbolum sæpius cantando frequentare. Ita refert *Berno* Augiensis Abbas Lib. de Rebus ad Missam spectantibus cap. 2. *Guidonem Aretinum*, Monachum, Musicæ peritissimum, qui novam edifcendi cantus methodum per notas, *Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La*, invenit, librumque de Musica edidit, quem inscripsit *Micrologum*, Romam vocavit *Benedictus VIII.* ut Clerum facilem cantus rationem edoceret. Hujus rei testis ipse *Guido* in Epistola ad Michaelem Monachum, quam *Baronius* ad annum 1022. exhibet. Robertum Regem Christianissimum ad limina *S. Petri* voti causa profectum, congruo tantæ Majestati honore suscepit; ab eoque & Aulæ ipsius Proceribus, necnon a Monachis quos miserat *Odilo* sanctus Cluniacensium Abbas de invasionibus & deprædationibus bonorum Cluniacensis Cœnobii certior factus, invasores nominatim diris devovit, eorumque excommunicationem a Galliarum Episcopis confirmari jussit, atque promulgari: declarans Cluniacense Monasterium, agente *Willelmo* Aquitanorum Duce cum Romano Pontifice, cum Imperatore, & Regibus Francorum atque Burgundionum, ita ab omni subjectione cujuslibet personæ, sive Regis sive Episcopi, sive Comitis, liberum factum esse, *Ut nulli aliquid debeat, nisi Deo, & Sancto Petro, & Sedis Apostolicæ Summo Præsuli*. Ista constant ex Epistola *Benedicti VIII.* ad Episcopos Burgundiæ, Aquitaniæ, & Provinciæ. Romæ Concilium habuit anno 1015. e cujus Actis unum superest Privilegium Cœnobio Fructuariensi collatum, quod exhibet *Ferdinandus Ughellus* Tomo II. Italiæ Sacræ p. 996.

Symbolum in Missa cani jussit in Ecclesia Romana.

Nova cantum edifcendi methodus.

Robertus Rex Christianissimus a Benedicto VIII. Romæ susceptus.

Cœnobii Cluniacensis immunitas.

Concilium Romanum.

Aliud Ticini celebravit; quo anno, incertum: in quo adversus Clericos incontinentes, eorumque concubinas, & filios, Leges latæ. Ecclesiæ dedecus, & bonorum Ecclesiasticorum secutam ex Clericorum libidine dilapidationem, gravi ac luculenta oratione Pontifex exposuit. Tum Canones septem promulgavit. Primo sanxit, ne quis e Clero uxorem aut concubinam admitteret sub pœna depositionis. Secundo, ne Episcopus cum aliqua fœmina habitet, alioqui concordantibus Ecclesiasticis mundanisque Legibus, exauthoretur. Tertio, ut filii Clericorum ex quacumque muliere quomodocumque ipsis conjuncta geniti cum omnibus bonis per manus cujuscumque acquisitis, Ecclesiæ in perpetuum servi sint. Quarto, ut nullus Judex ipsos in libertatem asserat, sub pœna anathematis. Quinto, ne servi Ecclesiæ aliquid per manus, aut nomen alicujus liberi hominis acquirant, sub pœna verberum & carceris, donec Ecclesia Instrumenta & Contractus receperit. Sexto, ut ille qui nomen suum Ecclesiæ servo commodavit, seu per cujus manus Ecclesiæ servus quidpiam acquisivit, aut Ecclesiam indemnem præstet, aut furum & sacrilegorum maledictionem pœnasque subeat. Septimo Judices, aut Tabelliones, qui Chartas & Instrumenta scripserint acquisitionis a servis Ecclesiæ factæ sub alieno nomine, anathemate plectit. Subscripsere Synodo, post Summum Pontificem, Archiepiscopus Mediolanensis, & alii quinque Episcopi. His Canonibus vim & Authoritatem publicæ Legis per omnes ditiones suas addidit rogatus a Pontifice & Synodo *Henricus* Imperator.

Concilium Ticinense.

Summa Canonum.

Pontium Arvernensem Comitem, a *Stephano* Arvernensi Episcopo excommunicatum, cum absolvisset *Benedictus VIII.* apud ipsum ea de re Episcopus conquestus est. Respondit Pontifex, Excommunicationem illam sibi ignotam fuisse, de qua si certior ab ipso factus fuisset, non solum Comitem repulisset, sed etiam Episcopi ipsius authoritatem firmando, excommunicationem aggravasset. Ideo absolutionem fraude extortam in irritum misit, sic ad Stephanum scribens: *Debueras mihi, antequam illa morbida ovis Romam veniret, ejus causam tuis innotescere apicibus: & ego eam omni modo abjicerem, tuamque firmando authoritatem, eam Anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus Consacerdotibus meis ubique terrarum, adjutorem me & consolatorem potius esse, quam contradictorem. Absit enim Schisma a me & a Coepiscopis meis. Itaque illam pœnitentiam & absolutionem quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio & cassam, ut de illa nihil aliud speret quam maledictionem, quoad satisfactum tu juste absolvas*. Hæc Epistola inserta est Actis Concilii Lemovicensis II. anno MXXXI. celebrati.

Absolutionem ab Excommunicatione fraude a se extortam Benedictus VIII. irritam declarat.

Coepiscoporum adjutorem & consolatorem ubique terrarum se fore profitetur.

Obiit *Benedictus VIII.* tertio Kalendas Martii anno MXXIV. cum annos duodecim Ecclesiam optime rexisset. Ad S. Petri sepultus est. Pœnis Purgatorii expiatum, & *S. Odilonis* Cluniacensis Abbatis intercessione, germanique fratris in Sede Apostolica Successoris eleemosynis liberatum *B. Petrus Damiani* in Vita *S. Odilonis*, & in Epistola ad *Nicolaum II.* Pontificem Maximum memoriæ prodidit.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

BEnedictus VIII. Pontifex plus aliquid egit, quam hic a P. Alexandro scribitur. Romæ Concilium non unicum, sed duplex habuit; alterum hic indicatum anno 1015. coactum, alterum vero quo anno Henricus I. Imperator Romam venit, ut insignia imperialia obtineret anno scilicet 1014. Posterioris hujus meminit Annalista Saxo ab Eccardo vulgatus in Corp. hist. To. I. narrans Pontificem *in Ravenna duos, & Roma totidem synodali judicio damnasse*. Eo forte in Concilio damnatum ab ipso credo æmulum suum Gregorium in schismate electum; sicuti & damnatos scimus geminos episcopos ab Archiepiscopo Ravennatensi Leone olim *mutuo consecratos*; quæ verba sunt Annalistæ Saxonis Eccardiani. Quid vero illud *mutuo* consecratos nec ipse in sua, nec Rubeus in histor. Ravennatensi docuit.

Præter Romanas duas synodos aliam pariter habuit Benedictus Ravennæ anno 1014. in qua Henricus Rex in Italiam tendens antequam Romam imperii coronam assumpturus pervenisset, id egit apud

Benedictum Pontificem ut frater suus Arnoldus jam olim Episcopus renuntiatus, nec potiri Episcopatu suo Ravennatensi permissus ab æmulo Adalberto sedi illi restitueretur. Narrat hæc Annalista Saxo Eccardi. Altera vero Ravennæ synodus convenit anno Henrici Imperantis III. nempe 1016. (non vero 14. ut mendose in actis legitur) ibique non Benedictus quidem Pontifex, ut in priori, sed Arnoldus jam pacificus cathedræ illius possessor præfuit. Tribus sessionibus res tota peracta est. In priori vitiosæ illæ ordinationes, quæ post Giberti, & Friderici Archiepiscoporum obitum in eam regionem inundaverant: omnes, inquam, ordinationes illæ suspensionis censura puniuntur. Altera sessio statuit, profanas habendas ecclesias ab Adalberto Archiepiscopo invasore consecratas. Tertia synodalis actio mandat, ut juxta canonicas sanctiones, & Romanas leges res a Petro clerico interfecto relictæ, quas ipse ex bonis ecclesiæ Ravennatensis sibi comparaverat, ecclesiæ illi restitui. Tum etiam Episcopi mutuo se anathematis vinculo obligant, ne deinceps vendant chrisma, aut *commendationes animarum, & sepulturas mortuorum*, nempe ex funeribus proventus. Denique cavent ne Archipresbyteri populo benedicant, confirment chrismate, sive illud conficiant. Accepta synodus illa ex Ughellio.

Veronæ pariter synodum habitam a Benedicto, ego in meo Conciliorum supplemento admonui edoctus ex verbis Concilii Romani anni 1027. Dies eo dicta est Gradensi, & Aquilejensi patriarchis, qui de juribus utrique suis inter se disceptabant. Reliqua concilii hujus acta ignorantur. Annus habitæ hujus synodi est idem qui, & superiorum nempe 1014.

Denique in sua illa ad Germanos profectione, quam & P. Alexander tangit, synodum, quo loco in Germania, ignotum, celebravit, in qua *multa utilia, multa honesta decreta sunt* ait scriptor ille, qui Ruperti Abbatis historiam monasterii S. Laurentii Leodiensis in epitomen redegit legendam apud PP. Martene, & Durand Vet. Mon. To. I. Col. 1013.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 11. Edit. primæ Religiosi Censores hanc notam appingunt: *Refert Pontificem ex errore solum excommunicatum ab Episcopo absolvisse, quod ubi Pontifex didicit, se excusavit, quia id nesciebat.* „ Hinc, inquiunt Censores, inferre intendit
„ Alexander, quod non potest nec debet absolvere
„ excommunicatum ab Episcopo in sua Diœcesi, quia
„ hoc esset facere Schisma?

„ R. Pontium Arvernensem Comitem a Stephano
„ Arvernensi Episcopo excommunicatum, cum ab-
„ solvisset Benedictus VIII. apud ipsum ea de re con
„ questum esse Episcopum observavi. Respondisse ve-
„ ro Summum Pontificem, excommunicationem il-
„ lam sibi ignotam fuisse, de qua si certior ab illo
„ factus fuisset, non solum Comitem repulisset, sed
„ etiam Episcopi Authoritatem firmando, Excom-
„ municationem aggravasset. Ideo Absolutionem
„ fraude extortam in irritum misit. His conce-
„ pta verbis est observatio mea. Historiæ caput est, quod probo ex ipsa Benedicti VIII. Epistola ad Stephanum Arvernensem Episcopum. Hinc non infero, nec inferre intendo, quod inferre me velle divinant Religiosi Censores, sed rem gestam simpliciter enarro.

ARTICULUS III.

De Joanne XIX.

BEnedicto VIII. statim suffectus est *Joannes XIX.* germanus ejus frater, Anno MXXIV. pridie kalendas Martii, Tusculanorum Comitum factione, cum laicus esset, ut *Glaber* scribit lib. 4. cap. 1. Unde falsus est *Ciaconius*, qui ipsum ex Episcopo Portuensi creatum Pontificem ait. Ipsum largitione pecuniæ in Sedem Apostolicam adrepsisse, fama fuit, ut ex eodem *Glabro* constat. Græci missa ad ipsum Legatione Constantinopolitanam Ecclesiam *Universalem*, assentiente Romana, dici contenderunt. Quibus cum id concedere moliretur, Literis Gallicanorum Præsulum, ac præcipue *Willelmi* Abbatis S. Benigni *Divionensis*, & *Richardi* Abbatis S. *Wintoni* Virdunensis, deterritus est. Literas *Willelmi*, quibus & ad Ecclesiasticæ Disciplinæ acrius studium Pontificem hortatur, describit *Glaber Rodulfus* lib. 4. Historiæ, cap. 1. Has ceu gloriosum Ecclesiæ Gallicanæ monumentum exhibeo.

Gallicani Præsules & Abbates Joannem XIX. deterrent, ne Constantinop. Episcopo titulum Universalis concedat.

Gratia Dei & reverentia Beati Apostolorum Principis Petri, Sedium in orbe terrarum excellentissimo, indepto Papæ Joanni, Willelmus Crucis Christi Servus, Sedem Judicii cum Apostolis, & Regni coronam.

Magistri gentium dictis instruimur, seniorem non increpandum. Idem tamen aleae dicit: „ Factus sum „ insipiens, vos me coegistis. *Idcirco igitur filiatione dilizentia hortamur communem vestram Paternitatem, qualiter in uno imitemini cogitationes hominum providentem Dominum Salvatorem, ne dicatis ad aliquem vobis unanimem, quemadmodum ipse Petro* „ Quid dicunt „ homines de me? *Si vero responsum illius ex fide fuerit, animadvertite qualiter sonuerit. Si autem clare, custodite, ne obfuscetur. Si vero obscure, Lux mundi oranda est, qualiter ita fulgeatis, ut universis in gremio Ecclesiæ constitutis ad vitam mandatorum Dei gradiendam lumen prabeatis. Sed est fama rei, qua nuper erga nos accidit, de qua quis audiens non scandalizatur, noverit se longe ab amore superno disparari. Quoniam licet potestas Romani Imperii, quæ olim in orbe terrarum Monarches viguit, nunc per diversa terrarum innumeris regatur Sceptris: Ligandi solvendique in terra & in cælo potestas, donec inviolabile incumbit Magisterio Petri. Atque ista idcirco diximus, ut animadvertatis, non aliter Græcis quam cenodoxia hujusce quam audivimus, apud vos requirere impetravisse. De cætero quoque optamus, uti Universalem decet Antistitem, vos acrius in correctione ac Disciplina Sanctæ & Apostolica Ecclesia vigere, æterneque ac fæliciter valere.* De eadem Legatione legendum Hugonis Flaviniacensis Chronicon ad annum MXXIV.

Ad hunc Pontificem scripsit *Fulbertus* sanctissimus Carnotensium Episcopus Epistolam 22. adversus *Rodulfum* Comitem, qui res Ecclesiæ Carnotensis invaserat, & Clericum interfecerat: Quamobrem fuerat a *Fulberto* excommunicatus. Romam vero contendebat ut communioni a Summo Pontifice restitueretur, nulla exhibita satisfactione. Quod ut impediret Sanctus Antistes, & Ecclesiasticæ Disciplinæ studiosissimus ad *Joannem XIX.* hanc Epistolam dedit. *Conradum* Imperatorem post mortem *S. Henrici* electum, Romæ coronavit, cum ei Comum usque magnifico apparatu occurrisset. Id factum anno 1026. ipsa die Dominicæ Resurrectionis, testantur *Glaber Rodulfus* in Præfatione lib. 4. Historiæ, & Author Vitæ *S. Gothardi* Hildesciminensis Episcopi apud *Surium, & Bollandi* Continuatores ad diem 4. Maji. *S. Martialis* Apostolatum asseruit, Ecclesiæque Lemovicensis traditionem de illius a *S. Petro* missione approbavit, data ad *Jordanum* Lemovicensem, cæterosque Galliarum Episcopos Epistola. Obiit 6. Idus Novembris anni Domini MXXXIII. cum annos novem & menses octo sedisset.

Conradi Imperatoris coronatio.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 12. Edit. primæ, Religiosi Censores has velut meas Propositiones notant. *Joannes Decimusnonus pecunia Pontificatum acquisivit... Deinde volens dare Ecclesia Constantinopolitana titulum Ecclesia universalis, a Gallis deterretur, a quibus etiam monetur ut sit observator* Canonum.

R. Joannem Decimumnonum pecunia Pontificatum acquisivisse non scripsi, sed hujus rei famam increbuisse, ut refert Glaber. Si mendacem hanc famam fuisse aliquo argumento probare potuissem, illud non prætermisissem. Cum nullum suppeteret, rem in ancipiti reliqui. Addidi aliud observatione dignius. Hunc Pontificem Literis Gallicanorum Præsulum, ac præcipue *Willelmi* Abbatis S. Benigni Divionensis, & *Richardi* Abbatis S. Wintoni Virdunensis

ſis deterritum fuiſſe, ne Conſtantinopolitanam Eccleſiam *Univerſalem* appellari permitteret, quod Græcorum ambitioſæ petitioni jam erat conceſſurus. Res eſt meri facti & hiſtoriæ. Facti veritas conſtat ex *Glabro Rodulfo*, qui & *Willelmi* Abbatis literas refert lib. IV. hiſtoriæ, cap. I. Has fideliter deſcripſi; rem geſtam narravi, memoriaque dignam; nihil finxi: quorſum ergo animadverſione Cenſoria me vexant Religioſi Viri?

Nota.

FRanciſcus Pagi in Vita Jo. XIX. opinatur ideo pervulgatum fuiſſe hunc Pontificem pecuniæ largitione ſibi ad Pontificatum viam paraſſe, quia exemplo ad ea uſque tempora inaudito ex laico Pontifex creatus eſt. Animadvertit inſuper neque Glabrum, neque Hugonem Flaviniacenſem ſcripſiſſe Joannem putaſſe adnuendum Græcis expoſtulantibus Eccleſiam Conſtantinopolitanam univerſalem appellari, ſed ſolum Græcos ad id obtinendum, Pontificem, alioſque, qui Curiæ præerant, non modicum tentaſſe. Cum vero omnem moverent lapidem, ut ſuorum votorum compotes fierent, facillime per Italiam Galliaſque falſus prævaluit rumor Joannem erga Græcos nimis eſſe propenſum; unde fieri potuit multos, ſive voce, ſive epiſtolis hac de re Pontificem fuiſſe alloquutos.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

JOannes XIX. concilia Romæ celebravit plura, vel ſaltem duo. Ex his alterum anno 1027. coactum eſt ad ventilandam cauſam jurium patriarchalium inter Gradenſem & Aquilejenſem patriarchas; & pro Aquilejenſi deciſum, jus ſcilicet Metropoliticum obtinere ſedem illam ſupra Gradenſem. Acta hujus vulgavit Cl. P. de Rubeis in Monum. Eccl. Aquilejenſis To. I. pag. 553. ſignanturque anno Conradi imperatoris I. indict. X. die VIII. Id. Auguſti; quibus annus 1027. conficitur. Alterius Romanæ ſynodi acta ſeſe offerunt legenda apud Ughellium Ital. Sac. To. V. pag. 1110. novæ edit. in quibus Gradenſis præſul ab omni in patriarcham Aquilejenſem ſubjectionem exemptus declaratur. At commentium ſcriptum illud prodit & mendoſa indictionis nota cum anno Incarnationis conjuncta, & quod plus eſt, Joannes pontifex in Synodica poſterioris hujus Concilii queritur deceptum ſe a Poppone Aquilejenſi patriarcha, cui antea faverat; cautum ſe tamen in diplomate illi olim conceſſo reddidiſſe affirmat, verba quædam, quæ ibidem recitat, opponendo. Hæc tamen verba in actis concilii a P. de Rubeis vulgati nequaquam leguntur.

Alteram pariter Synodum indixit Joannes pontifex, ut Epiſcopatum Citicenſem Naumburgum transferret, ſeu potius jam tranſlatum authoritate concilii Romani illius forte, cujus ſupra memini, confirmaret. Utrumque enim, & tranſlationem, & tranſlationis jam abſolutæ confirmationem in cœtu epiſcoporum dediſſe ſe Joannes ipſe in bulla ejoſdem confirmationis affirmat. Hanc bullam ego in meo Conciliorum ſupplemento ex Spicilegio Eccleſiaſtico Lunigii depromptam retuli.

ARTICULUS IV.

De Benedicto IX. Et Gregorio VI.

Benedictus IX. pravus Pontifex.

I. JOanni XIX. anno MXXXIII. ſubſtitutus eſt ejus nepos *Benedictus IX.* Alberici Tuſculani Comitis filius, decem annorum adoleſcens, pravæ indolis, & ſtatim atque pubertatem attigit, in libidines effuſus; non legitimis comitiis, ſed patris factione, tyrannide, & pecunia, ut *Glaber* lib. 4. Hiſtoriæ, cap. 5. ſcribit. Monſtrum iſtud, & alia quædam, paſſa Eccleſia eſt gemens & oppreſſa, & Pontificem ſolo nomine *Benedictum* coluit, ut majus malum, ſcilicet ſchiſma vitaret. *S. Odilonem*, Clero & Plebe poſtulante, Lugdunenſem Archiepiſcopum creavit, miſitque ad eum Pallium & annulum: ſed ampliſſimam Dignitatem conſtantiſſime recuſavit Abbas ſanctiſſimus, teſte *Glabro Rodulfo* lib. 5. cap. 4. Mediolanenſem Archiepiſcopum, adverſus Imperatorem perduellem excommunicavit. (Ex *Ottone Friſingenſi* lib. 6. cap. 31.) *Simeonem* Anachoretam apud Treviros incluſum, eodem, quo e vita migravit, anno in Sanctorum numerum retulit, anno MXXXVII. ut aſſerit *Trithemius* in Chronico Hirſaugienſi. Vitam *S. Simeonis* ab *Evervino* Abbate ſcriptam apud *Surium* ad diem 1. Junii legere eſt. Apud *Benedictum IX.* Eccleſia Polonica per Legatos conqueſta eſt de *Buzetiſlai* Bohemorum Ducis ſacrilegio, qui Gneſnenſem Eccleſiam fuerat deprædatus, ſacra vaſa jure belli ſibi vendicans, *Severo* Pragenſium Archiepiſcopo approbante. Cardinales quidam muneribus corrupti Pontificem a ferendo in ſacrilegos prædones anathemate deterruere, Bohemorum Legatis reſtitutionem Ducis & Epiſcopi nomine promittentibus, ut *Longinus* Hiſtoriæ Polonorum Scriptor commemorat. Afflictis & pene deſperatis Poloniæ rebus, cum nullus præſto eſſet, qui labentem Rempublicam ſuſtineret, Regni Ordines Legationem ad Sedem Apoſtolicam decrevere, ut *Caſimirum* principem, Regni legitimum hæredem, qui Vitam Monaſticam apud Cluniacenſes profeſſus fuerat, jamque Diaconus erat ordinatus, Profeſſionis Monaſticæ vinculis ſolutum, Regem impetrarent. Eorum votis annuit *Benedictus IX.* *Caſimirum* a votis abſolvit, eique ducendæ uxoris fecit poteſtatem; ea conditione ut ad perennem beneficii a Sede Apoſtolica accepti memoriam, Poloni Nobiles uſualem nummum Sedi Apoſtolicæ quotannis viritim ſolverent; caput Monachorum inſtar tonderent, & in præcipuis Chriſti & Virginis Deiparæ Solemnitatibus panno lineo albo in Stolæ modum pendente, cervicem exornarent. Teſtis eſt hujus facti *Longinus*, Rerum Polonicarum Scriptor accuratus.

Benedictus IX. Caſimirum Poloniæ Principem Cluniacenſem Monachum, a votis abſolvit.

Schiſma.

Annos decem & amplius ſederat *Benedictus IX.* cum Romani vitam ejus diſſolutam averſati, *Ptolomæi* favore Conſulis, ipſum ejecerunt, ac *Joannem* Sabinenſem Epiſcopum in Cathedram Apoſtolicam intruſere, qui malis artibus & pecunia ſibi ad ſummam Dignitatem aditum aperuit. Nomen ſibi ſumpſit, *Silveſter III.* Antipapam poſt tres menſes *Benedictus IX.* Tuſculanorum Comitum auxilio depulit. Interim Pontificatus inſignia uſurpavit tertius quidam, *Joannes* Archipreſbyter Romanus, ut *Leo Oſtienſis* lib. 2. Chronici Caſſinenſis cap. 80. ſcribit.

Gratianus Presbyter tribus Pontificatum gerentibus ceſſionem pacta pecunia perſuadet.

II. Schiſma ſedavit *Gratianus* religioſus Presbyter, ceſſionem tribus Pontificatum gerentibus pacta pecunia perſuadens. *Benedicto* Angliæ reditus relicti, qui ut genio liberius indulgeret, in paternas ædes ſe recepit, ut ex *Leone Oſtienſi*, & *Ottone Friſingenſi* conſtat lib. 6. cap. 32. ita ſeribente: *Circa idem tempus pudenda confuſio Eccleſiæ Dei in urbe Roma fuit, tribus ibi Invaſoribus, quorum unus Benedictus dicebatur, Sedem illam ſimul occupantibus, atque ad majoris miſeriæ cumulum diviſis ſimul cum reditibus Patriarchiis, uno ad S. Petrum, altero ad Sanctam Mariam Majorem, tertio, id eſt, Benedicto, in Palatio Lateranenſi ſedente, flagitioſam & turpem vitam, ut egomet in Urbe, Romanis tradentibus audivi, ducere. Hunc miſerrimum ſtatum Eccleſiæ religioſus quidam Presbyter Gratianus nomine videns, zeloque pietatis Matris ſuæ compatiendo, animadvertens, præfatos viros adiit, eiſque a Sede Sancta cedere pecunia perſuaſit, Benedicto reditibus Angliæ, quia majoris videbatur Authoritatis eſſe, relictis.* Sed & *Bartholomæum* Abbatem Cryptæ Ferratæ ſanctiſſimum *Benedicto* ceſſionem perſuaſiſſe, eique pœnitentiæ agendæ fuiſſe authorem, Acta ejus teſtantur: ſed pœnitentiam ipſum non egiſſe ex eo compertum eſt, quod Sedem Apoſtolicam mortuis *Clemente II.* & *Damaſo II.* rurſus invaſerit; ejuſque æterna damnatio ſupernis viſionibus ſit revelata, ut refert *B. Petrus Damiani* coævus Author Opuſculo XIX. cap. III.

Gregorius VI.

II. Depulſis Pſeudopontificibus, Romanus Clerus *Gratianum* Presbyterum, tamquam *Eccleſiæ Liberatorem*, in Summum Pontificem elegit; qui nomen ſibi

sibi sumpsit, *Gregorius VI.* ut refert *Otto Frisingensis* loco supra laudato. Statum Ecclesiæ reformavit: Sicarios ac prædones, qui Romæ & in vicinis regionibus circumquaque grassabantur, utroque gladio coercuit, Ecclesiæque possessiones recuperavit. Ejus religionem ac severitatem *Glaber* loco laudato, & *Willelmus Malmesburiensis* lib. 2. de Gestis Regum Anglorum, cap. 13. commendant. Hunc *Virum religiosissimum ac sanctitate præcipuum* Glaber vocat: *Cujus videlicet bona fama, quidquid prior fœdaverat, reformavit.* Annos duos & menses octo sedit *Gregorius VI.* plurimis contra ejus electionem velut simoniacam mussitantibus, quod ad quietem Ecclesiæ redimendam certos reditus Pseudopontificibus assignasset, ut dignitate cederent: Ad quorum cessionem hoc medio procuratam ejus electio fuerat consecuta. Anno autem Christi MXLVI. *Henricus III.* Germaniæ Rex in Italiam venit: cui obviam profectus *Gregorius*, ab ipso primum honorifice susceptus est. Sed paulo post Synodo apud Sutrium coacta circa Natale Domini, *Gregorio* suasit *Henricus* ut se Pontificatu abdicaret ob Simoniæ suspicionem. *Apud Sutrium Synodo acta*, inquit *Hermannus* coævus Author, *causaque erroneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam convictum Baculo Pastorali privavit.* Revera tamen *Gregorium*, nec lata sententia exauthoratum fuisse, nec eo repugnante fuisse habitam Sutrinam Synodum, sed illi præfuisse, tandemque ipsum causa ventilata sponte se abdicasse, *Leo Ostiensis* testatur lib. II. Chronici Cassinensis, cap. LXXX. ubi de *Henrico* Rege ita scribit: *Cupiens Sedem Apostolicam hujusmodi purgare maculis, Sutrii restitit: & super tali tantoque negotio deliberaturus, universale ibi Episcoporum Concilium fieri flamit. Igitur ad ejus Imperium congregata illic Episcoporum, Abbatum, Religiosorumque Virorum grandi multitudine, Romanum quoque Pontificem, qui Concilio præesset, invitat. Quid multa? Concilio habito, Synodicis Canonibus atque Sententiis Gregorius simoniacus probatus, sponte sua desiliens, Pontificalibus se Infulis exuit; & humi prostratus, temeratæ dignitatis veniam sibi humiliter petiit... Hoc facto Imperator exultans, Romam cum omnibus ipsius Concilii Episcopis venit: & in Ecclesia B. Petri Apostoli congregato Clero Populoque Romano, quid Sutrii gestum esset, exponit. Dehinc de ordinando Pontifice Romanæ Ecclesiæ tractare communiter cœpit.* Favet etiam *Otto Frisingensis* lib. 6. cap. 32. *Collecto*, inquit, *Episcoporum Conventu, a Pontificatu pro nota Simoniæ cedere persuasit.* Clemens II. ejus successor, in Literis ad Ecclesiam Bambergensem, scribit, Henricum Imperatorem, *explosis tribus illis, quibus idem nomen Papatus rapina dederat* (quorum unus erat Gregorius) suam mediocritatem eligi voluisse. Ipsum tamen Ecclesia secutis temporibus, inter legitimos Pontifices numeravit, Sutrina Synodo insuperhabita; ejusque Discipulus *Hildebrandus* sanctissimus Pontifex, *Gregorius VII.* appellari voluit, ut hac appellatione sua illius Pontificatum ceu legitimum approbaret. Qua de re ita scribit *Otto Frisingensis* loco laudato: *Hunc Gratianum Alpes transcendentem, secutum fuisse tradunt Hildebrandum, qui postmodum Summus Pontifex factus, ob ejus amorem, quia de catalogo Pontificum remotus fuerat, se Gregorium VII. vocari voluit: & sicut in Lucano habes:*

Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni:

Ita & huic Hildebrando, qui semper in Ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista, in qua sententia Principis & Episcoporum prævaluit, semper displicuit.

Gregorii VI. electio in Simoniæ suspicionem venit.

Sutrina Synodus illo consentiente & præside celebrata.

Sutrium, *vulgo* Sutry, *Episcopatus in Etruria sub Romana Metropoli.*

Gregorius VI. Pontificatu sponte cessit.

Gregorium VI. Pontificem legitimum fuisse agnovit Ecclesia, quamvis ejus electio Sutrina Synodo vitiosa visa esset.

In Germaniam ductus est ab *Henrico III. Gregorius* exauthoratus Pontifex, ne ipso præsente, aliquid novandi Romanis daretur occasio, ut testatur *Gregorius VII.* in Synodo Romana anni MLXXX. Unde veniunt in suspicionem falsitatis, quæ de ejus obitu, & de Januis *S. Petri* Romæ sponte reseratis, ut dignus Pontificum sepultura probaretur, narrat *Willelmus Malmesburiensis* lib. II. De Gestis Regum Anglorum, cap. 13. & post eum *Platina* & *Ciaconius*; quorum postremus *Leonem Marsicanum* in Chronico Cassinensi, hujus miraculi testem falso appellat. Duæ leguntur *B. Petri Damiani* ad *Gregorium VI.* Epistolæ. Ex altera discimus, quam depravati essent tunc temporis mores Clericorum. Siquidem illos ad Episcopatum promovere necesse erat, non qui absolute digni essent, sed qui minus indigni. *Noverit Beatitudo vestra*, inquit, *quia pro peccatis nostris Clerici digni Episcopatus Officio in nostris partibus non inveniuntur: Omnes enim quærunt quæ sua sunt, & non quæ Jesu Christi. Avaritiæ quippe & elationis igne succensi, ambiunt quidem ad Sacerdotium promoveri, sed non student digni Sacerdotio fieri. Præesse inhiant, prodesse non curant. Verumtamen pro qualitate temporis & penuria personarum videtur mihi hic Archipresbyter posse ad Episcopatus apicem provehi, si vestræ Sanctitatis id decernat Authoritas: excepto, quod avaritia honoris æstuat, conscendere ad Pastoralis officii culmen anhelat. Hoc autem vestro relinquatur judicio. Sed, si hoc non obsit, cum Semproniensis Ecclesiæ Clericalis Ordo in mea mente revolvitur, hic aliquanto cæteris quasi meliusculus invenitur.*

Minus indignos ad Episcopatum promovere his temporibus necesse fuit, quibus non reperiebantur absolute digni.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

NUllam a Benedicto IX. Synodum habitam P. Alexander hic inducit, cum tamen plus vice simplici Romani Patres coiverint. Semel quidem anno 1037. cum Andreas Perusinus episcopus reus usurpatæ in cœnobio quædam diœcesis suæ authoritatis coactus est male rapta jura Pontifici Romano restituere, ita jubente Concilio, cujus acta ex Ughellio Ital. Sac. Tom. IX. Labbeus offert. Iterum pariter itum est Romam ad concilium anno 1039. Hanc Synodi habendæ causam affert Annalista Saxo Eccardi. Bracislaus Bohemiæ dux jure victoris in Polonorum regione utens Gnesnensem urbem depopulatus est; male habuit cives, neque a clericis, sacrisque virginibus manus abstinuit. Tum in patriam reversurus inter cætera devicti Regni Spolia sacra etiam Lipsana SS. Adalberti martyris, & fratris ejus Gaudentii Pragam asportavit. Sacrilegam rapinam ulturus Benedictus Pontifex concilium habuit Romæ, quo & Bohemorum legati ducem suum excusaturi venerunt, retuleruntque præsto se illum offerre ad omnia in pœnam sceleris. Pontifex exaggerare crimen, juris usurpationem exprobrare; *nam*, ait, *nulli licet sine nostra permissione de loco ad locum transferre sacrum corpus*, juxta canonicas patrum sanctiones. Tum vero indulgere se tantum crimen adjecit facto & ignorationem juris hujus causanti; mandare tandem ut Dux idem & episcopus cœnobium condant, ubi Clerici officia *servorum Dei* persolvant. Id mandati legati illi nomine principis sui exceperunt & princeps ipse dein executus est. Hæc omnia ex Annalista Saxone Eccardi accepta demonstrant Benedictum haud ita molliter Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem cum Bracilao relaxasse ac narrat Longinus Polonorum historicus. Non enim ab inurendo anathemate ducem temere Benedictus abstinuit; sed in resipiscentem mitius jure meritoque animadvertit.

Jus etiam Gradensis Metropolis in concilio a Benedicto confirmatur an. 1044. ut ex Ughellio To. V. nov. edit. pag. 113. constat.

In concilio etiam causa Ariberti Mediolanensis episcopi perduellionis rei cognita, & punita est, ut idem Annalista Saxo Eccardi testatur.

Nota.

MErito Baronius dubitat Benedictum IX. ætatis annorum decem, vel duodecim pontificatum quamvis malis artibus adeptum esse. Mendum esse apud Glabrum eum eodem alii opinantur, & ubi narrat annorum fuisse *circiter duodecim*, legendum putant *circiter duodeviginti*, & ubi dicit *decennis*, legendum *vicennis*. In hanc abierunt opinionem quia testatur S. Petrus Damiani, nec ipse Glaber diffitetur, *ab exordio sua ereptionis usque ad finem semper luxuriis inquinatum fuisse*, quod de puero decenni dici nequit.

AR-

ARTICULUS V.

De Clemente II. & Damaso II.

Clemens Secundus.

I. CUm *Gregorius VI.* in Sotrina Synodo se Pontificatu abdicasset, *Suidgerus* Bambergensis Episcopus, opera studioque *Henrici III.* Germaniæ Regis, summo Romani Cleri consenso creatus est Pontifex in Dominicæ Nativitatis Pervigilio, anno MXLVI. & in ipsis diei sacratissimæ solemniis consecratus, *Clemens II.* appellatus est. *Henricum* Regem statim Imperatorem coronavit, & Agnetem Reginam ejus conjugem Augustam dixit. *Joannem* Pestanum Episcopum ad Salernitanum Archiepiscopatum transtulit, ut constat ex Diplomate ea de re dato 22. Kalendas Martii anni Domini MXLVII. cujus Diplomatis ea notanda sententia est, a Summis Pontificibus in Translationibus Episcoporum religiose observanda: *Quoties ita contingit, ut exigente necessitate, & maxima utilitate, transmutandus est quisquam Episcopus de propria Sede ad aliam: diligentissime perquirenda est persona, utrum necessario sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major Sedes assumitur.* Ad Clementem II. scripsit *B. Petrus Damiani*, cum ab Imperatore mandatum accepisset ut adiret Romanum Pontificem, ipsique statum Ecclesiarum Italiæ exponeret, & quid in iis pro Disciplinæ restauratione agendum esset, ejus suggereret Sanctitati. Romæ synodum habuit, in qua adversus Simoniacos actum est, sancitumque inter alia, *Ut quicumque a Simoniaco consecratus esset, in ipso Ordinationis sua tempore non ignorans Simoniacum, cui se obtulerat promovendum, quadraginta nunc dierum Pœnitentiam ageret, & sic in accepti Ordinis officio ministraret.* Id refert B. Petrus Damiani in libro qui inscribitur, *Gratissimus*, cap. 35. Ravennati Archiepiscopo secundum a Pontifice Romano locum in Conciliis, absente Imperatore, tribuit, ut constat ex ejus Diplomate, apud Ughellum in *Italia Sacra*. Obiit *Clemens II.* tertio Idus Octobris MXLVII. cum sedisset menses novem. Ejus corpus in Bambergensem Ecclesiam translatum est, teste *Hermanno Contracto*. Post *Clementis II.* obitum Romanam Sedem rursus invasit *Benedictus IX.* jamdudum exauthoratus, eamque octo menses occupavit.

Regula in Translationibus Episcoporum servanda.

Romana Synodus contra Simoniacos.

Damasus secundus.

II. Mense tandem Julio anni MXLVIII. pax Ecclesiæ reddita est, cum *Poppo* Brixiensis Episcopus, *Henrici* Imperatoris nutu, creatus est Pontifex, qui nomen sibi sumpsit, *Damasus II.* Dies dumtaxat viginti tres sedit, Preneste defunctus, ut *Leo Ostiensis* scribit lib. 2. cap. 82.

ARTICULUS VI.

De S. Leone IX.

DAmaso II. successit *S. Leo IX.* ante Pontificatum *Bruno* appellatus. Ex nobilissima Dapsburgensi in Alsatia familia prognatus, in *Bertoldi* Episcopi Tullensis, ac deinde *Herimanni* illius successoris disciplinam a parentibus traditus est. Inde ad Aulam *Conradi* Imperatoris translatus, & Diaconus ordinatus, anno MXXV. *Herimanni* Tollensis Episcopi vice militares copias in Longobardiam duxit. Anno sequente, absens in Episcopum Tollensem electus est, & die 9. Septembris consecratus. Cordis compunctione, humilitate & patientia, pietate in pauperes, beneficentia in Monachos & Sanctimoniales, morum comitate conspicuum se præbuit. Pacem inter *Conradum* Imperatorem, & *Robertum* Regem Christianissimum conciliavit. Quotannis Romam adibat, ut suam erga *S. Petrum* & Summum Pontificem devotionem testaretur. His virtutibus ad supremam Ecclesiæ Dignitatem sibi gradum fecit. Defuncto namque *Damaso II.* ab *Henrico* Imperatore, id Authoritatis pessimis illis temporibus sibi tribuente, in Conventu Wormatiensi anno MXLVIII. Romanus Pontifex designatus est. Imperatoris designationi ea conditione consensit, *si audiret totius Cleri ac Romani populi communem esse sine dissidio consensum:* inquit, *Wibertus* ejus Archidiaconus in ipsius Vita: Idemque testatur *S. Bruno* Episcopus Signiensis. Romam peregrini habitu profectus, dum iter ageret, apud Augustam urbem Angelico concentu recreatus est. Romam nudis pedibus ingressus, Summo Cleri Populique consensu electus est die 11. Februarii, anno MXLIX. & 12. ejusdem mensis, quæ prima erat Quadragesimæ Dominica, ritu solemni coronatus, ac *Leo IX.* appellatus. *Hildebrandum* Cluniacensem Monachum Wormatia, ubi aderat cum designatus est Pontifex, Romam secum adduxit, eumque inter Ecclesiæ Romanæ Cardinales conscripsit, ob sanctimoniæ, doctrinæ prudentiæque meritum singularis. *Udalricum* Abbatem Augiensem VII. Kalendas Aprilis Romæ consecravit, & hebdomade post Dominicam in Albis, Romæ Synodum habuit contra Simoniacos, cum Italiæ & Galliæ Episcopis, ut colligitur ex *Hermanno Contracto*, & ex Chronico S. Benigni Divionensis simul collatis. In hac Synodo, *Clementis II.* Decretum, de pœnitentia eorum qui a Simoniacis fuerant ordinati, œconomia quadam confirmatum est, ne Ecclesiæ Ministris omnino destituerentur, si Canonum summa in ipsos exerceretur severitas. Pauci enim erant hujus labis puri. Id constat ex *B. Petro Damiani* in lib. qui inscribitur *Gratissimus*, cap. 35. Hujus Concilii Acta strictim commemorat *Wibertus* Archidiaconus in Leonis IX. Vita Cap. III. his verbis: *Quantam autem solertiam in Catholica Lege conservanda adhibuerit in primo Romano Concilio, quod multis Episcopis considentibus habuit, demonstravit: ubi Statuta quatuor Synodorum Principalium viva voce corroboravit: Decretaque omnium Antecessorum suorum Pontificum tenenda confirmavit: Simoniacam etiam hæresim damnavit, qua jam nonnullas mundi partes invaserat; & in eodem Concilio quosdam deposuit Episcopos, quos prædicta hæresis nævo sua nequitia maculaverat. In quo Concilio quid contigerit, non congruit reticere, ubi Christus Authoritatem ejus sua dignatus est gratia roborare. Nam Episcopus de Sutrio reus ejusdem culpæ accusatus, voluit injuste se excusare, falsis prolatis testibus; Sed peracturus jusjurandum, repente est divinitus percussus; & inter manus exportatus non longo post tempore humanis rebus est exemptus ..... Decimas quoque a cunctis dandas Christianis, quarum nec mentio erat apud Apuliam, & per quosdam orbis fines, Ecclesiis restituit. Venditiones Altarium sub anathemate prohibuit; sed constituit ut partes decimarum ad Episcopum pertinentes, aut quisque præsul sibi teneret, aut cuicumque vellet, tribueret: partem autem ad Altare pertinentem proprio Pastori Ecclesiæ gratis concederet. Incestas consanguineorum nuptias in multis orbis partibus indiscrete habitas discidit; pluresque Nobilium hoc turpi devinctos nexu, separavit. Alia quoque perplura Canonum capita studuit renovare, quæ ne fastidium gignant, hic supersedimus recitare.*

I. Synodus Romana Leonis IX.

Simoniaca Hæresis damnata.

II. Hac celebrata Synodo, transmontanum iter suscepit *Leo IX.* Concilium habuit Papiæ hebdomade Pentecostes, teste *Hermanno Contracto*. Inde Alpes prætergressus, Imperatorem adiit in Saxonia: simulque cum ejus Majestate Coloniam Agrippinam se contulit: *Herimanno* istius Sedis Archiepiscopo insignia contulit Privilegia. Hinc Tullum petiit, Synodumque indixit Remis mense Octobri celebrandam. Remos pervenit die vigesima-nona Septembris. Die trigesima, in Ecclesia *Sanctæ Mariæ* Sacris operatus est. Prima octobris Corpus *S. Remigii* transtulit. Die sequenti, Ecclesiam consecravit. Die tertia Synodum inchoavit.

Concilium Ticini habitum a Leone IX.

III. Adfuere huic Synodo viginti Episcopi, Abbates pene quinquaginta, aliique Ecclesiastici Ordinis quamplurimi. Præfuit Summus ipse Pontifex. Locus Conventus fuit Basilica Deiparæ Virginis sacra. *Petrus* Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis os Concilii fuit, exponens capita de quibus deliberandum esset; „ de Simoniaca scilicet Hæresi; de Ministeriis „ Ecclesiasticis & Altaribus, quæ a Laicis tenebantur; „ de incestis conjugiis; & de iis qui legitimas re„ linquentes uxores, adulterinis iterum nuptiis impli-

Concilium Remense.

Ejus Acta.

ca-

„ esabantur ; de Monachis & Clericis a sancto pro-„ posito & habitu recedentibus ; item de Clericis „ mundiali militiæ studentibus ; de rapinis, pauperumque injustis captionibus ; de Sodomitico vitio, „ & quibusdam hæresibus, quæ in eisdem pullulaverant partibus. Tum Sermone ad Episcopos & „ Abbates converso, commonuit illos sub anathemate Apostolicæ Authoritatis, ut si quis eorum ad sacros Ordines per Simoniacam hæresim pervenisset, „ vel præmio quemlibet ad eamdem dignitatem promovisset, publica confessione patefaceret. Alii se ab hujusmodi labe purgarunt, alii inducias petiere ; quidam silentio & pudore crimen prodiderunt. Pultariensis Abbas, qui libidini serviebat, qui Romanæ Ecclesiæ debitum censum quotannis persolvere detrectaverat ; & has ob causas ab Episcopo Lingonensi excommunicatus, Missarum Sacramenta celebrare præsumpserat, dignitate dejectus est. Lectis sententiis Patrum, declaratum est, *Solum Romanæ Sedis Pontificem Universalis Ecclesiæ Primatem esse & Apostolicum*. Summus Pontifex sub pœna excommunicationis prohibuit, ne quis absque licentia recederet ante finem Concilii. Hæc gesta sunt Sessione I.

Solus Romanus Pontifex Universalis Ecclesiæ Primas & Apostolicus.

De Simoniacis Episcopis habita quæstio.

Sequenti die, Remensis Archiepiscopus qui inducias impetraverat ut Simoniæ suspicionem elueret, rationem reddere, ac de objectis se purgare criminibus jussus est. Petiit ille facultatem causæ suæ arcana cum selectis Episcopis communicandi : quod ipsi a Pontifice concessum. Silvanectensis illorum unus, ipsum Simoniæ reum non esse, palam contestatus est. Jussit Pontifex, siquidem res ita se haberet, ut sacramento se purgaret. Petiit ille canonicas inducias, seque satisfacturum spopondit. Causa ejus ad Synodum mense Aprili proximo Romæ celebrandam remissa, cui se sistere jussus est. Ad eamdem vocatus est Dolensis Britanniæ Episcopus, qui se cum septem Suffraganeis a Turonensi Metropolitano jam olim subtraxerat, sibique Archiepiscopi nomen arrogabat. Lingonensis deinde Episcopus Simoniæ, homicidii, tyrannidis, adulterii, accusatus, & convictus est, Vesontionensi Episcopo, qui defensionem ejus susceperat, divinitus ndempto linguæ motu, tandem se sacros Ordines vendidisse confessus est : criminum vero se reum esse negavit cæterorum. Jussit Pontifex Decretum Synodi Chalcedonensis contra Simoniacos legi ; sicque finis impositus est Sessioni secundæ.

Sessione tertia, de causa Lingonensis Episcopi actum, qui cum se judicio Synodi subduxisset, excommunicationis sententia damnatus est. Interea Nivernensis Episcopus confessus est procuratum sibi Episcopatum data a suis parentibus pecunia, se tamen ignorante : unde divini Judicii metu cedere se Dignitate significavit, pedumque Pastorale ad pedes Summi Pontificis deposuit. Ejus vero pœnitentia & humilitate motus Pontifex, jussit eum comprobare sacramento, quod absque suo consensu data esset pecunia ; illumque de Synodi sententia, redditis Insignibus pristinæ restituit Dignitati. Constantiensis Episcopus emptum sibi a fratre suo Episcopatum, se ignorante, confessus est, quod cum rescivisset, ac voluisset aufugere, ne illicitam Ordinationem susciperet, se ab eo vi captum, invitum consecratum esse. Id Sacramento comprobare jussus, a Simoniæ crimine immunis judicatus est. Nannetensis Antistes, qui patri suo in Episcopatum, largitione pecuniæ successerat depositus. Controversia de Abbatia Dervensi inter Episcopum Tullensem, & Remensem Archiepiscopum, secundum Remensem finita. In Episcopos a Synodo, absque causa legitima absentes, & qui ad Regiam expeditionem, profecti erant ut Synodum declinarent, lata excommunicationis sententia ; nec non in Archiepiscopum Gallicienscm, qui sibi nomen Apostolici culminis arrogabat. Damnati novi heretici, qui in Gallicanis partibus emerserant, Sacramentarii nimirum. Damnatæ etiam libidinum furiæ contra naturam, quæ non tam crimina sunt, quam monstra. Viri quidam nobiles & potentes, propter incestum, adulterium, aut tyrannidem, excommunicati. Demum duodecim promulgati Canones.

Remensis Concilii Canones.

Primo vetitum est, ne quis sine Cleri populique electione ad regimen Ecclesiasticum provehatur. Secundo, ne quis sacros Ordines, aut Ministeria Ecclesiastica, vel Altaria, emat aut vendat. Tertio, ne quis Laicorum Ecclesiastica Ministeria vel Altaria teneat. Quarto, ne quis in atriis Ecclesiarum, præter Episcopum & ejus Ministrum, qualibet consuetudines exigere præsumat. Quinto, ne quis pro Baptismo, pro Eucharistia, pro visitatione infirmorum, pro sepulturis, quidquam exigat. Sexto, ne Clerici arma gerant. Septimo, usurarii ; Octavo, Monachi & Clerici apostatæ damnantur. Nonus, Clericorum itinerantium ; Decimus, pauperum vexationes, & rapinas quaslibet, prohibent. Undecimus, incestuosa matrimonia damnat. Duodecimus, legitimi solutionem matrimonii, & alterius uxoris superductionem vetat, priori superstite. Hæc gesta sunt Sessione III. Demum Pontifex scripta ad universos Regni Francorum Catholicos homines Epistola, ipsos hortatus est, ut Festum S. Remigii Kalendis Octobris celebrarent : *Quia*, inquit, *etsi aliis non est Apostolus, tamen vobis est. Nam primitiæ ejus vos estis in Domino*. Ista constant ex Itinerario *Leonis IX.* quod scripsit *Anselmus* Remensis Monachus, seu ex Actis Concilii Remensis.

S. Remigii Galliarum Apostoli dies festus.

IV. Remis profectus Metas Sanctissimus Pontifex, Basilicam *S. Arnulfi* consecravit, & Responsoria de *S. Gorgonio* Martyre edidit. Inde perrexit Moguntiam, ubi celebravit Concilium, cui XL. Episcopi adfuere, ut testatur *Hermannus Contractus*. Ibi Simoniaca Hæresis, & nefanda Sacerdotum conjugia damnata sunt, inquit *Adamus Bremensis* lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 31. In ea Synodo *Sibicho* Spirensis Præsul gravissimo crimine accusatus, purgare se voluit Sacramento Dominici Corporis : sed, ut fertur, maxilla ejus, quamdiu vixit, paralysi contorta mansit in sacrilegii pœnam, inquit *Wibertus* in Actis *S. Leonis IX.* lib. 1. cap. 3. Moguntia profectus Augiam Sanctus Pontifex, Ecclesiam in honorem vivificæ Crucis ibi dedicavit, & dæmoniacum liberavit.

Moguntinum Concilium Leonis IX.

Sacrilegium a Deo punitum.

V. Anno Christi ML. Romam reversus *Leo IX.* Apuliam petiit, Clinicam Beneventi sanavit : Synodum Siponti prope montem Garganum celebravit, in qua duos Archiepiscopos Simoniacos deposuit, *Wiberto* teste. Inde Montem Garganum petiit orationis gratia. Romam redux Cassinensibus Monachis Privilegia concessit amplissima. *Gerardum* Tullensium olim Episcopum in album Sanctorum retulit. *Berengarium* Hæreticum anathemate damnavit. Sub id tempus scripsit ad Britanniæ Principes, illiusque regionis Episcopos excommunicatos denuntiavit propter Simoniacam Hæresim, & contumacem præsumptionem, qua Turonensi Metropolitano subjici renuebant. Beneventanos perduelles sub idem tempus excommunicavit, teste *Hermanno Contracto*. Archiepiscopum Ravennatem, qui res Ecclesiæ Romanæ pervaserat, a communione removit. Mense Septembri Concilium Vercellis celebravit, in quo Berengarianam damnavit hæresim. Inde Tullum antiquam Sedem profectus, corpus *S. Gerardi* Tullensis Episcopi transtulit. Tunc ex Cœnobio *S. Mansueti* apud Tullenses assumpsit *Humbertum* Monachum pium & eruditum, quem ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiscopum ordinavit, & postea S. R. E. creavit Cardinalem. Eodem anno varias in Germania consecravit Ecclesias, *Trithemio* teste in Chronico Hirsaugiensi.

Sipontina Synodus Leonis IX.

Siponto *urbs Regni Neapolitani, cujus Archiepiscop. Manfredonium translatus.*

Epist. xxi.

Concilium Vercellense.

VI. Anno MLI. Augustæ Vindelicorum Conventum habuit, Quarto Nonas Februarii, in quo *Hunfridum* Archiepiscopum, quem a sacris Ministeriis suspenderat, absolvit, teste *Hermanno Contracto*.

Post Pascha, Romæ Synodum celebravit in causa *Gregorii* Vercellensis Episcopi, de adulterio & perjurio accusati ; quem absentem & nescientem excommunicavit, sed non multo post Romam venientem, & satisfactionem promittentem, Officio restituit. Ad eamdem Synodum refertur Decretum de meretricibus Presbyterorum expellendis, & servitiui addicendis : de quo *B. Petrus Damiani*, Opusculo XVIII. Cap. VII. *In plenaria*, inquit, *Synodo sanctæ memoriæ Leo Papa constituit, ut quæcumque damnabiles feminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris prostitutæ, ex tunc & deinceps Lateranensi Palatio adjudicarentur ancillæ*.

II. Synodus Romana Leonis IX.

VII. Anno MLII. Capua, Benevento, & Saleno

no lustratis, in Germaniam profectus est, cum ut *Henricum* Imperatorem, & *Andream* Hungariæ Regem dissidentes reconciliaret, tum ut auxilium ab Imperatore contra Normannos obtineret, ut ex *Wiberto*, *Sigeberto*, & *Leone Ostiensi* lib. II. cap. 48. colligitur. Illo in itinere *Wolfangum* & *Erhardum* Episcopos Ratisponenses in numerum Sanctorum retulit, ut *Wigulejus Hundius* lib. 2. Metropolis Salisburgensis, in *Gebhardo*, & *Andreas Brunerus*, Parte II. Annalium Bojorum, commemorant. Ratisponæ Nonis Octobris dedisse fertur Diploma de corpore *S. Dionysii* Areopagitæ ibidem existentis: Regi Francorum, & ejusdem Regni Prælatis & subditis inscriptum. Sed istud Diploma pseudepigraphum est. Prima ratio falsi petitur ex inscriptione, quæ sic habet: *In Salvatoris nostri Jesu Christi nomine, Amen. Leo Episcopus servus servorum Dei, Charissimo filio, inclyto Regi Francorum &c.* Ubi regem Galliæ nullo modo nominat, contra quam in cæteris omnibus Diplomatibus factum est.

Diploma de corpore S. Dionysii Areopagitæ Ratisponæ existente, pseudepigraphum, & Leoni IX. perperam adscriptum.

Secunda petitur ex his verbis: *Quatenus litem, inter vos & urbem prædictam super sacrosanctis ossibus B. Dionysii Areopagitæ diutissime ventilatam, veritate discussa dirimere curaremus.* At hujus litis apud coævos vel suppares Authores nulla mentio.

Tertia ex his verbis: *Tam Imperialibus, quam Papalibus Antecessorum nostrorum Literis sufficienter instructi.* At nullæ proferri possunt ea de re Literæ, sive Pontificiæ, sive Imperatoriæ, ante spurium istud *Leonis IX.* Diploma. Taceo quod præponitur Imperator Papæ contra stylum Diplomatum.

Quarto, miracula vocat *Portenta* insolenti & profano loquendi genere.

Quinto, rem factam ait, petentibus Regis Christianissimi Legatis. At constat ex *Rigordo* Chronographo Regio in Vita Philippi Augusti Francorum Regis, apud *Duchesnium* Tom. V. pag. 18. anno MLIII. tempore *Leonis IX.* Pontificis Maximi sacra lipsana S. Dionysii & Sociorum Martyrum in Galliis detecta fuisse ac reserata, ibique inventa illorum corpora, præsentibus *Henrici* Imperatoris Oratoribus, quem *Henricus* Rex Francorum rogaverat, ut diem elevationis illius Corporis Sancti protelaret, quod in monasterio *S. Emmerani* conditum, Germani corpus esse S. Dionysii Areopagitæ prædicabant, donec inquisitio fieret diligentior, an sacrum illius Martyris corpus in Abbatia, quam *Dagobertus* Rex Christianissimus prope Lutetiam Parisiorum ædificaverat, reperiretur. Annum ML. *Rigordus* adscribit, sed hac in re falsus est. *Helinandus* enim Laudunensis Episcopus, qui huic reserationi aderat, teste Anonymo, quem *Duchesnius* edidit Tom. IV. pag. 157. anno tantum MLII. Episcopus creatus est.

Sexta ratio falsi petitur ex his verbis: *Nec Majestas Imperialis, nec Regia Celsitudo, pii furis hic notam aut nomen erubuit in Arnulfo, dummodo beati corporis opibus, vel doli, vel furti, vel sacrilegii modo sacrari atque ditescere mereretur.* Quis vero sanctum Pontificem ita locutum esse sibi persuadeat? Tandem V. perperam notatur Indictio: sexta enim labi incipiebat a Kalendis Septembribus.

In Monasterio quidem *S. Emmeranni* Monumentum extat cum hac inscriptione: *Dionysius Areopagita hic requiescit. Sub Arnulfo Imperatore, & Othone Rege, sub Eubulone Abbate S. Dionysii, Gisalbertus furatus est V. Nonas Julii. Furto sublatus huc venit pridie Nonas Decembris, tempore Tutonis Episcopi.* Sed hæc Inscriptio convincitur falsitatis. Prima ratio falsi est, quod inter Galliæ Reges nullus *Otho* memoretur. Secunda quod inter Abbates S. Dionysii nullus *Eubulo* occurrat. Tertio, si Odonem, seu Eudonem intellexerint illius inscriptionis authores, qui an. 892. nomine Caroli Simplicis adhuc Regnum administrabat; nullus tunc Regularis Abbas Sandionysiano præerat Cœnobio; Sed Robertus Comes Parisiensis, tamquam ipse Abbas, Monasterii reditus amplissimos percipiebat. Quarto, supponit hæc narratio ducentos Monachos regularis cumprimis vitæ, vino immersos, & sopore obrutos, *Gisalbertum* non audivisse portas effringentem, irrumpentem adyta, capsas reserantem, quod sane incredibile est. Quinto, nec verisimile est post prædonem illum non diligentissime decursum; nihil renuntiatum civibus, nihil Regi, nihil inquisitum postea de sacrilego illo *Gisalberto*. Sexto, verisimile non est, quod iter quindecim dierum *Gisalbertus* nihil sibi metuens a Gallis periculi, quinque mensibus confecerit. Hæc occasione Diplomatis *Leoni IX.* suppositi obiter dicta.

Mantuana Synodus.

VIII. Anno Domini MLIII. in Italiam remeans exeunte Februario Synodum Mantuæ habere decreverat, sed quorumdam Episcoporum severitatem ejus metuentium factione prohibitus est, ut refert *Wibertus* in ejus Vita lib. II. cap. IV.

III. Synodus Romana Leonis IX.

Romæ post Pascha iterum celebratam a *Leone IX.* Synodum, testis est *Hermannus Contractus*. Quid in ea gestum sit, non ita certum. Verisimile est damnatam fuisse tunc exortam Fermentaceorum hæresim, & a *Michaele Cerulario*, ac *Leone Acridano*, scriptis assertam, quæ Latinam Ecclesiam in azymis vivificum Sacrificium Deo offerentem sugillabat, verumque Sacrificium esse negabat, nisi ex pane fermentato efferretur. Tunc *Leonem* contra Schismaticos illos libellum scripsisse luculentissimum ait *Wibertus*, quæ est Epistola I. in XLI. Capita distincta. Direxit etiam Constantinopolim Apocrisiarios ad causam Ecclesiæ tuendam, *Humbertum* Silvæ-Candidæ Episcopum & Cardinalem, *Petrum* Amalphitanorum Episcopum & *Fredericum* Diaconum & Cancellarium. L. 2. c. 5.

Expeditio contra Normannos.

Postea contra Normannos in Apulia insolenter se gerentes duxit exercitum, Pontificis copias cæcidere Normanni. Victoribus leges dedit victus ipse, ac religione mitigavit, quos armis domare non poterat. Sanctissimo Pontifici ad nutum obtemperarunt, cæsorum sepelivere corpora, & super eorum tumulos Basilicam opere magnifico erexerunt: cæsi a Normannis Martyres sunt habiti, & miraculis claruere, si *Wiberto* fides. Post hanc cladem *Leo* Beneventum profectus est, *Hunfrido* Comite, aliisque Nobilibus Normannis ipsum honorifice stipantibus, eique ministrantibus, ut *Wibertus* & *Hermannus Contractus* testantur. Venetiarum & Istriæ Episcopis præcepit, ut Gradensi Patriarchæ parerent. Epist. 2. Data ad Thomam Africanum Episcopum Epistola, Carthaginensis Archiepiscopi Primatum in universam Africam confirmavit: Epist. 3. finitiva sententia deponi Episcopos non posse, inconsulta sede Apostolica, declaravit: quod eæ sint majores causæ ad eam secundum Canones referendæ. *Hoc autem*, inquit, *nolo vos lateat, non debere præter Sententiam Romani Pontificis Universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi: quia etsi licet vobis aliquos Episcopos examinare, diffinitivam tamen Sententiam absque consultu Romani Pontificis non licet dare: quod in sanctis Canonibus statutum, si quæritis, potestis invenire.... Scilicet quia omnium Ecclesiarum majores & difficiliores causæ, per Sanctam & principalem B. Petri Sedem a Successoribus ejus sunt definiendæ.* Ne post Episcoporum obitum domus Episcopales diriperentur, vetuit data ad Aximanos Epistola. Ecclesiæ Salernitanæ Metropolitica jura confirmavit. *Joannis* Tuscanensis Episcopi translationem ad Portuensem Episcopatum confirmavit ex sententia Synodi, cum probatum esset, illam tam *necessitatis*, quam *utilitatis causa* factam esse: ut constat ex Epistola 14. Labbeanæ Conciliorum Editionis, ex Tomo I. Italiæ Sacræ *Ferdinandi Ughellii* transcripta. Privilegia Cluniacensis & Corbejensis Cœnobiorum confirmavit, necnon Cœnobii *Sanctæ Sophiæ* Beneventi. Ad eum scripsit *B. Petrus Damiani*, ut malevolorum quorumdam obtrectationes adversus se ad ejus Sanctitatem delatas dissiparet.

Varia Decreta.

Episcopi definitiva sententia non damnandi inconsulta Sede Apostolica.

Majores causæ ad eam referendæ.

Epist. 11.

Epist. 4. Lib. 1.

Ejusdem Beati Viri librum *Gomorrhianum*, contra nefandum vitium, quo Clerici plerique in Italia polluti erant, conscriptum, sibique dicatum approbavit; Decretumque edidit, ut Clericos tam fœde peccantes coerceret.

Leonis IX. sanctitas.

IX. Eximia fuit *Leonis IX.* sanctitas. Psalterium diebus singulis recitabat, Missæque Sacrificium offerebat. Quamdiu Romæ versatus est, tribus per Hebdomadam diebus, a Lateranensi Ecclesia ad S. Petri, privato habitu nudisque pedibus, cum duobus aut tribus clericis, psallendo & orando pergebat. Humi cubabat, cilicio ad carnem indutus. Caritate fuit in pauperes incredibili. Leprosum in angulo Palatii inventum propriis sublatum humeris in lecto suo col-

Ex Wiberto in Actis.

locavit, quem deinde requisitum cum non invenisset, ostiis licet omnibus obseratis, agnovit se Christum sub hac forma suscepisse. Quamvis esset eruditissimus, sacra studia jugiter colebat, nec Græcam Linguam addiscere prope quinquagenarius dedignatus est, ut Scripturam Sacram Græce legere ac intelligere posset. Obitus sui die prænuntiato, Extrema Unctione & Dominici Corporis & Sanguinis Communione munitus, ferventissimis pro Ecclesia fusis precibus, ad vitam migravit immortalem, anno Christi MLIV. ætatis L. Pontificatus VI. Annis scilicet quinque, duobus mensibus & novem diebus sedit. Obiit die XIX. Aprilis, in Basilica Vaticana sepultus. Multis post obitum miraculis clarus, sacris Ecclesiæ Fastis adscriptus est. Ejus Vita a *Wiberto* ejus apud Tullenses Archidiacono duobus libris scripta, extat inter Acta Sanctorum mensis Aprilis a viris eruditis *Henschenio & Papebrochio* S J. collecta & variis observationibus illustrata.

Obitus.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

S. LEo Papa IX. Synodos plures Romam coegit. In priori anno 1049. habita totius Galliæ Belgicæ primam sedem Trevirensem agnovit, & declaravit expedita bulla, quam ex Luoigio Spicil. Eccl. ego in meo conciliorum Supplem. dedi. Ita & vita S. Deodati ex Niverensi Episcopo abbas vallis Galliæ in Vosago, quam exhibent Bollandistæ ad diem 19. Junii pag. 883. in pleno illo patrum consessu lecta & approbata est. Denique *jejunium banni* in ea pariter Synodo stabilitum affirmat Engelhusius in chron. Jejunium vero illud magnum erat & integrum jejunium ad iram Dei averruncandam, ac tandem permissum est Turonensibus S. Martini clericis ut cum vicinæ Ecclesiæ cessarent a divinis ipsi nequaquam vacarent. Docet hoc charta a Sammarthanis Gall. Christ. To. I. pag. 763. relata.

In synodo altera anni 1050. honores religiosi decreti sunt S. Gerardo Tullensi Episcopo, acclamantibus & subscriptione sua confirmantibus concilii illius patribus universis, quorum nomina in bulla Leonis ea de re expedita leguntur. Vide illam in meo Conciliorum suppl. Ea etiam occasione Guido Mediolanensis Archiepiscopus de impactis sibi criminibus coram patribus purgavit; & lis de ordine sedendi inter Archiepiscopum Mediolanensem, & Ravennatensem excitata est.

Synodus alia agente S. Leone Romæ convenit anno 1055. apud quam suas in monachos Farfensis abbatiæ querimonias detulit Joannes Sabinensis Episcopus; dolens a monachis rerum ad se pertinentium jura quædam usurpari. Lis in favorem monachorum decisa.

ARTICULUS VII.

De Victore II.

POst obitum *S. Leonis IX.* Clerus Romanus Legationem misit ad *Henricum III.* Imperatorem, ut *Gebehardum* Eystetensem Episcopum Romam mitti obtineret in Summum Pontificem eligendum. Eam Legationem obiit *Hildebrandus* Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus. Aliunde petere Pontificem opus fuit, quia in Romana Ecclesia nemo satis idoneus videbatur ad tantam Dignitatem sustinendam. Magna autem de *Gebeharde* erat expectatio ob exquisitam ipsius prudentiam, & peritiam regiminis; nec non ob authoritatem opibus æque ac meritis fultam. Ægre virum suis rebus utilissimum sibi eripi passus est Imperator; ægre consensit Antistes ipse, ut *scribit Leo Ostiensis* lib. 2. cap. 90. Romam profectus, maxima Cleri populique lætitia susceptus est, & die Cœnæ Domini consecratus, anno MLV. teste *Hermanno Contracto*. Paulo post inaugurationem suam Synodum Florentiæ celebravit *Henrico* Imperatore præsente: in qua *Berengarii* damnavit hæresim, ut colligitur ex *Lanfranco*: & bonorum Ecclesiasticorum distractionem & alienationem sub pœna excommunicationis prohibuit, ut refert *B. Petrus Damiani* Epistola XII. Libri IV. ad V. Episcopum. *Hildebrandum* R. E. Cardinalem Legatum a Latere in Gallias misit: qui indicto in Gallia Lugdunensi Concilio, ad Simoniam aliaque vitia, quæ tum in hoc Regno grassabantur averruncanda, Episcopum Simoniacum ad criminis Confessionem miraculo adegit, dum jussus recitare Hymnum Glorificationis, hæc verba, *Et Spiritui Sancto*, proferre non posset; ut *Desiderius* Cassinensis Abbas, *Willelmus Malmesburiensis*, lib. II. de Gestis Regum Anglorum, & *B. Petrus Damiani* Opusculo XIX. cap. VI. commemorant. Turonense quoque Concilium, cujus *Lanfrancus*, & *Guimundus* meminere idem Legatus contra *Berengarium* Victoris II. authoritate congregavit eodem anno MLV. Ejusdem mandato Pontificis Tolosana Synodus anno MLVI. celebrata est, de qua inferius agemus. Aliam Synodum Romæ habuit Victor anno MLVII. in qua Marsorum Episcopatus antea divisus, in unam redintegratus Diœcesim est, ut discimus ex Epistola II. *Stephani IX.* Anno Pontificatus altero, in Germaniam ab *Henrico III.* invitatus, eum ex hac vita migrantem Apostolica benedictione prosecutus est, & filium ejus, tunc solum quinquennem, in successionem Imperii a Principibus quoque electum, in suam & Romanæ Ecclesiæ tutelam suscepit, teste *Mariano Scoto*, & *Gregorio VII. Epistola XIX. lib. I.* Hostes nonnullos *Victori II.* fecit studium disciplinæ severioris, & decretorum *Leonis IX.* Decessoris sui observantia. Venenum in Sacro Calice ipsi propinavit Subdiaconus quidam anno primo Pontificatus, sed ab eo discrimine miraculo duplici ereptus est. Calix namque ita gravis & ponderosus evasit, illum ut attollere non posset: sacrilegusque subdiaconus a dæmone arreptus est, ut refert *Lambertus Schafnaburgensis*. Patientissime tulit adversa, illaque sibi a Deo immitti existimavit, quia *Leoni* Decessori suo molestiam creaverat, auxiliares avertendo copias, quæ ipsi contra Normannos destinabantur. *Merito*, inquiebat, *hæc patior, quia peccavi in Dominum meum. Dignum est ut quod fecit Saulus, patiatur Paulus; quod egit lupus, sustineat agnus.* Ita refert *Leo Ostiensis* in Chronico Cassinensi cap. XCI. lib. II.

Synodus Florentina.

Simoniacus miraculo ad Criminis Confessionem compulsus.

Aliæ Synodi.

Victor secundus miraculo duplici a veneno ipsi propinato liberatus.

Ad *Victorem* II. gravissimam scripsit Epistolam *B. Petrus Damiani*, cum ipso expostulans quod *Henricum* quemdam illustrem virum qui spretis rebus terrenis ad Christi militiam confugerat, a quibusdam injuste vexari & opprimi sineret, pro quo etiam Christum loquentem inducit; monetque Pontificem ut videat etiam, atque etiam ne illi de se conquerenti, quid possit respondere non habeat. *Quid enim*, inquit, *si ipse te Salvator suis conveniat verbis, & has effundat improperando querelas? Ego te*, inquit, *de communi Clericorum grege ad Sacerdotale fastigium extuli, & de clientela Episcopi ad obtinenda Episcopalis Officii jura promovi. Ego te quasi Patrem Imperatoris esse constitui, & cor illius ad gratiam tui præ cunctis pene mortalibus inclinavi. Ego claves totius universalis Ecclesiæ meæ tuis manibus tradidi, & super eam te mihi Vicarium posui quam proprii sanguinis effusione redemi. Et si pauca sunt ista, etiam Monarchias addidi: immo sublato Rege de medio, totius Romani Imperii vacantis tibi jura permisi. Ego itaque qui tibi talia & tanta præstiti, legem sive justitiam in tuo examine non invenio; atque a tuis tribunalibus despectus & incultus abscedo. Si ergo te, Piissime Domine, is qui judicaturus est vivos & mortuos, his verbis impeteret, quid ad hæc tua Sanctitas excusationis opponeret?* Fredericum Gozzelonis Lotharingiæ Ducis filium, Abbatem Cassinensem Cardinalem *Victor II.* creavit. Obiit Florentiæ die vigesima-octava Julii ann. MLVII. cum annos duos & sex menses sedisset.

Petri Damiani gravis ad illum Epistola.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

VIctor Papa II. Concilium Romæ habuit, ut ex literis Stephani IX. Papæ Labbeus novit, & admonuit. In eo Marsorum episcopatus gemini in-

inter Episcopos scissus sub uno eodemque Episcopo ut redigeretur provisum est; quamquam ejus rei executio nonnisi alterius concilii Romani sub Stephano IX. habiti celebratione impetrata sit. Ibi pariter jus metropoliticum assertum credo Winimanno Eboracensi Archiepiscopo quantum ex bulla in meo supplemento recitata conjectura non inani assequimur.

ARTICULUS VIII.

De S. Stephano IX.

VIctore II. ad Superos translato, *Fredericus*, Ducis Lotharingiæ filius a Leone IX. R. E. Cancellarius creatus, & Legatus Constantinopolim cum *Humberto* Silvæ-Candidæ Episcopo, & *Petro Amalfitano*, deinde Vitam Monasticam Cassini professus, & Abbas electus, novissime a *Victore II.* creatus Cardinalis, ipsi uno consilio & concordi voluntate in Sede Apostolica substitutus est, die secunda Augusti anni MLVII. & *Stephanus* appellatus. In Disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem, morumque emendationem statim incubuit, crebris Synodis Romæ habitis, in quibus de conjugiis Clericorum, & Sacerdotum, nec non de consanguineorum nuptiis, quæ duo mala tunc Ecclesiæ faciem fœdabant, prohibendis & tollendis actum est, ut *Leo Cassinensis* in Chronico lib. 11. cap. 98. testatur. Circa Festum Sanctæ Andreæ, Cassinum se contulit, ubi vitium proprietatis, quod sensim irrepserat, radicitus evelli jussit: Cantum etiam Ambrosianum in ea Ecclesia prohibuit; Abbatem denique eligi curavit. Fratrum vota in *Desiderii* Monachi probatissimi ac meritissimi electionem conspirarunt; quam Pontifex laudavit & confirmavit, teste *Leone Ostiensi*. Zelum Phinees contra Clericos incontinentes æmulatus est, ut prædicat *B. Petrus Damiani* in Epistola ad *Canibertum* Taurinensem Episcopum, Opusculo ipsius XVIII. inserta. *Alio quoque tempore*, inquit, *cum Papa Stephanus, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes Clericos Romæ, qui post interdictum Papæ Leonis incontinentes extiterant, de Conventu Clericorum, & Choro Ecclesiæ præcepisset exire; at quamquam relictis fœminis, per Pœnitentiæ se lamenta corrigerent, tamen quia Sancto Viro inobedientes fuerant, & de Sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ Missæ licentiam de cætero non sperarent: juxta Canonicam B. Cæciliæ trans Tyberim constitutam Presbyter habitabat, quod nec fœminam ullo modo adquiescebat abjicere, nec umquam poterat hæc statuta nisi vana prorsus & frivola judicare. Quadam itaque die, dum incolumis, vegetus, ac robustus existeret, vespertinis horis ad quiescendum se in lecto composuit; Sed repentina divinæ ultionis animadversione percussus, mane repertus est cadaver exanime.*

Synodi a Stephano Nono celebratæ.

Cœnobii Cassinensis Visitatio.

Stephani Noni Zelus contra Clericos incontinentes.

B. Petrum Damiani Cardinalem creat.

Petrum Damiani Monachum sanctissimum, doctissimum, & Ecclesiasticæ studiosissimum Disciplinæ, Cardinalem Episcopum Ostiensem creavit *Stephanus IX.* Quam ille Dignitatem cum invicta humilitate recusaret, ipsum ad suscipiendas Infulas Apostolico mandato adegit. Quamobrem illum persecutorem suum appellare solebat Vir Sanctus, ut constat ex ejus Opusculo XIX. ad *Nicolaum II.* Pontificem Maximum de Abdicatione Episcopatus. *Sacrarium*, inquit, *Spiritus Sancti vestrum pectus agnoscit, quia nisi me tunc necessitas Apostolicæ Sedis impelleret, & antiqua, quam jamdudum circa vos habueram, caritas invitaret, post Sanctæ memoriæ Domini Stephani vestri quidem decessoris, mei autem persecutoris, obitum, ego a me protinus Episcopatum non canonice traditum, sed violenter injectum, funditus abscidissem.*

Legatos mittit Constantinopolim.

Legationem Constantinopolim decrevit *Stephanus IX.* ut Ecclesiæ Græcæ cum latina unionem procuraret, cujus onus & honorem imposuit *Stephano* Cardinali, *Mainardo* Silvæ-Candidæ postea Episcopo, & *Desiderio* Abbati Cassinensi. *Godefridum* Lotharingiæ Ducem fratrem suum Imperatorem renunciare, ejusque auxilio Normannos sibi invisos ex Italia pellere decreverat *Stephanus IX.* ob idque Thesaurum Cassinensem ad se afferri jusserat; sed inspirante & terrente Numine ab eo abstinuit: quin etiam magnificis muneribus idem Cœnobium donavit, teste *Leone Ostiensi*, lib. 11. cap. 100. & 103. Ista secundum hominem cogitasse, zelum habentem, sed ea non fuisse secundum divinum consilium, recte observat Cardinalis Baronius: quia *Deus* (ut exitus declaravit) *Normannos illic voluit Sedes figere pro Ecclesiæ Romanæ subsidio adversus Schismaticos Principes*. Hildebrando Romanæ Ecclesiæ Subdiacono misso ad Agnetem Augustam pro negotiis Ecclesiæ Legato, communi consilio statuit, ut si ante ejus reditum Sedes Apostolica per suum obitum vacaret, suspenderetur Pontificis electio, donec esset a Legatione redux. (Ex Leone Ostiensi lib. 11. cap. 101.) Mortis præsensionem quamdam habuisse visus est *Stephanus IX.* Antequam enim e portu solverent Hildebrandus & Socii Constantinopolim navigaturi, obiit Florentiæ, quo se contulerat, *S. Hugone* Cluniacensi Abbate illi in extremis adsistente 4. Idus Aprilis, anni MLVIII. In eadem sepultum urbe, miraculis post obitum claruisse, *Leo Ostiensis*, lib. 11. cap. 101. *Petrus Diaconus* lib. de Viris Illustribus Cœnobii Cassinensis referunt. Virum eruditissimum fuisse, & cum *Humberto* Silvæ-Candidæ Episcopo Librum de Corpore Domini adversus Michaelem Græcorum Patriarcham, & alterum adversus Nicetam Pectoratum scripsisse, Petrus testatur.

Normanni Ecclesiæ Romanæ athlet.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

QUamvis P. Alexander concilia multa a Stephano IX. coacta scribit quod ex fide Leonis Ostiensis in Chronico Cassinensi se tenere affirmat, nullum tamen sub eo Pontifice ab ipso indictum affert Labbeus, nec Leo quidquam habet de synodis ab hoc Pontifice celebratis. Ego unicam reperi agnitam ex Chronico Vulturnensi publici juris facto a Cl. Muratorio Rer. Ital. To. IV. ubi de Landone, qui data Capuanis pecunia ecclesiam quamdam Monachis præreptam sibi comparaverat. Qua de re dicta illi dies est a *Domino Papa* ad synodum; & cum parere recusavisset anathemate una cum Capuanis civibus punitus fuit. Eo pariter retuli decretum ejusdem Pontificis, aliorumque Episcoporum illi adsidentium pro immunitate clericorum Lucensium; quorum advocato, vel solo juranti fidem præstari mandat.

ARTICULUS IX.

De Nicolao II.

Schisma.

STephano IX. ad meliorem vitam translato, *Gregorii* Lateranensis & Tusculanensis Comitis, necnon *Gerardi* Galesensis & potentum aliquot Romanorum factione & armis in Sedem Apostolicam intrusus est *Joannes Mincius* Velitrensis Episcopus, & *Benedictus X.* appellatus, *Petro Damiani* cum cæteris Cardinalibus frustra reclamante; & Antipapam diris devovente. Cardinales fugere coacti. Missa ab iis est ad Agnetem Imperatricem Legatio, ejusque assensu *Gerardus* Florentinus Episcopus Senis Pontifex electus est. Antipapæ violentam ac simoniacam intrusionem, electi vero Pontificis optimas dotes describit *Petrus Damiani* Epist. 14. ad Archiepiscopum Ravennatem (Ad *Nicolaum* nempe 11. & *Joannem Mincium* Antipapam hæc Epistola referenda est, non ad *Alexandrum II.* & *Caduloum*, ut retulit Constantinus Cajetanus, Operum S. Petri Damiani editor.) Sic porro de *Mincio* Antipapa scribit: *Ille absque ulla excusatione Simoniacus est, quia nobis omnibus ejusdem Urbis Cardinalibus Episcopis reclamantibus, obsistentibus, & terribiliter anathematizantibus, nocturno tempore cum armatorum turbis undique tumultuantibus, & furentibus inthronizatus est. Deinde ad marsupiorum patrocinia funesta concurrit. Pecunia per regiones, andronas, vel angiportas in populos erogatur, B. Petri venerabilis arca pervaditur, sicque per totam*

urbem velut officinam male fabricantis Simonis factam, vix aliud quam [ut ita loquar] malleorum, atque incudum tinnitus auditur. Ea, o scelus & ferale prodigium! Petrus cogitur nundinas Simonis ex sua quouritate persolvere, qui Simonem cum omni suo commercio cognoscitur perpetua maledictione damnasse. Quod autem ille crimen hoc palliat, & tractum se atque coactum, quibus potest verbis, excusat, hoc ego licet ad liquidum nesciam; tamen & ipse non usquequaque diffiteor. Ita quippe est homo stolidus, deses ac nullius ingenii, ut credi possit nescisse pro se talia machinari; veruntamen in hoc reus est, quia in eam voraginem, in quam semel est violenter injectus, volutatur ultroneus, & in adulterio, quod nolens ante commiserat, delectabiliter perseverat. Ut autem & de ipsa ejus promotione lacrymosa verba non protraham; nobis Episcopis per diversa latibula fugientibus Presbyter Ostiensis Ecclesiæ, qui utinam syllabatim nosset vel unam paginam rite percurrere! ut cum ad Apostolatus culmen proveheret, raptus a satellitibus Satanæ, & violenter attractus est. Et ecce, ut vos Canonicæ Sanctionis Decreta non latent, si cuncta etiam, quæ sibi opponi possunt objectionum capitula supprimantur, hoc solum tale est, ut ex eo se nullatenus valeat expedire. Nam si Presbyter proculdubio deponendus est, quia sui sibimet privilegium Pontificis usurpavit; quo pacto poterit is qui ordinatus est stare, propter quem solum Ordinator ejus judicatus est a sua dignitate corruere? Hoc accedit, quia piæ memoriæ Stephanus Papa, congregatis intra Ecclesiam Episcopis, civibusque Romanis, Clero & Populo, hoc sub districti anathematis excommunicatione statuerat, ut si eum de hoc sæculo migrare contingeret, antequam Hildebrandus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, qui cum communi omnium consilio mittebatur, ab Imperatrice rediret, Papam nullus eligeret, sed Sedes Apostolica, usque ad illius reditum intacta vacaret. Tum subdit de *Gerardi* electi Pontificis dotibus: *De electo hoc mihi videtur, quia bene literatus est & vivacis ingenii, sine suspicione castus, in erogandis eleemosynis pius. His ultra non addo ne non videar universitatis amator, sed singularitatis assertor.* Antipapæ vero imperitiam ita sugillat: *Ille autem e contra, si unum non dicam Psalmi, sed vel Homiliæ quidem versiculum plene mihi valeat exponere, mutum adversus eum ultra non facio, manus do, plantas osculor & non jam Apostolicum, sed Apostolum, si jubetis, appello.*

Anno Christi MLIX. mense Januario, *Gerardus* Pontifex electus, ab *Hildebrando* Cardinali & *Godefrido* Florentiæ Duce Romam ductus, a Clero Populoque Romano in Sede Apostolica constitutus est, nomenque sibi sumpsit *Nicolaus II.* moxque *Mincium* Antipapam, cum ejus fautoribus, anathemate confixit. Quem tamen haud haud multo post Communioni restituit, Sacerdotali gradu dejectum, ut *Leo Ostiensis* lib. 3. cap. 12. commemorat. *Desiderium* Cassinensem Abbatem ob eximia merita S. R. E. Cardinalem creavit (Ex *Leone Ostiensi* ibidem.) Romæ Concilium habuit anno MLIX. cui CXIII. Episcopi interfuere. Huic sistere se jussus Berengarius Hæresiarcha, Fidem Catholicam de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia profiteri compulsus est, secundum formulam ab *Humberto* Cardinali Silvæ Candidæ Episcopo conscriptam, & librum *Joannis Scoti Erigenæ*, quo ad suum propugnandum errorem plurimum utebatur, igni tradere. A *Nicolao* Pontifice Maximo & Patribus reliquis damnata Sacramentaria hæresis. (Ex Lantfranco, Guitmundo, & Algero, in Lib. *De Corpore & Sanguine Domini*.)

Concilium Romanum.

Acta contra Simoniacam Hæresim.

In eodem Concilio Simoniaca Hæresis damnata est: statuit Pontifex Simoniacos absque misericordia deponendos, *juxta Canonum Sanctiones, & Decreta SS. Patrum.* Eos autem qui a Simoniacis gratis fuerant ordinati, quoniam ingens erat eorum multitudo, in acceptis Ordinibus manere permisit, *Non tam censura justitiæ, quam intuitu misericordiæ.* Cavit nihilominus ne Successorum aliquis hanc dispensationem suam in exemplum traheret: *Quia hoc non authoritas antiquorum Patrum jubendo aut concedendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendum extorsit.* Si quis vero deinceps a Simoniaco se consecrari permitteret, & Consecrator, & Consecratus, privati Sacra Dignitate, Pœnitentiæ subjicerentur. Ista constant ex Actis Synodi, & ex *B. Petro Damiani*, Opusculo 30. cap. 1.

Decretum de Romani Pontificis electione.

Eadem Synodus, authore Pontifice Maximo, frequentibus Schismatibus prohibendis Decretum de Romani Pontificis electione edidit, statuens ut vacante Sede Cardinales Episcopi convenirent, de electione tractaturi, assumptisque secum Clericis Cardinalibus, communibus suffragiis Pontificem eligerent ex Ecclesiæ Romanæ gremio, si reperiretur idoneus, accedente reliqui Cleri populique consensu, *Salvo debito honore & reverentia Henrici* Germaniæ *Regis*, & futuri, ut sperabatur, Imperatoris; cui *Nicolaus* ipse Privilegium confirmavit, ejus Patri ab Apostolica Sede collatum, ut absque ipsius assensu Romani Pontificis electio rata non esset. Id constat ex Actis Concilii, ex Disceptatione Regii Advocati cum Romanæ Ecclesiæ Defensore, apud B. Petrum Damiani, ex Anselmo Lucensi Episcopo Lib. 11. contra Guibertum Antipapam, & ex Chronico Virdunensi Hugonis Flaviniacensis. Extat ea Constitutio, apud Gratianum Distinct. 23. Cap. *In nomine.* Clericorum incontinentiam in eadem Synodo coercuit *Nicolaus II.* edito Decreto: *Ne quis concubinarii Presbyteri, aut subintroductam mulierem habentis, Missam audiret:* & Sacerdotibus, Diaconis, Subdiaconis incontinentibus, sacris ministeriis interdixit. Zelum ipsius contra hanc pestem excitavit *B. Petrus Damiani*, Opusculo 17. *De Cœlibatu Sacerdotum*, ipsi nuncupato.

Privilegium Imperatoris confirmatum.

Clericorum incontinentia castigata.

Summa Canonum Concilii Romani sub Nicolao secundo.

Aliis Canonibus Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurationi in hac Synodo Pontifex optimus prospexit. Pessima invaluerat consuetudo, ut Romani Pontificis, aliorumque Episcoporum morientium bona diriperentur. Id Canone secundo prohibitum est, jussumque ut Successoribus integra servarentur. Quartus Canon Clericis qui *Leonis IX.* parentes Decreto castitatem servaverant, præcepit ut juxta Ecclesias, quibus erant ordinati, in communi viverent. Quintus decimas, primitias, oblationes Ecclesiis reddi fideliter a laicis, & in dispositione Episcoporum esse jubet. Quas qui retinuerint, a Communione removentor. Sextus vetat ne Presbyteri & quivis Clerici, Ecclesiam seu Beneficium authoritate Laicorum obtineant. Septimus prohibet ne quis spe Abbatiæ habitum Monachi suscipiat. Octavus, ne quis duas Ecclesias, sive duo Beneficia simul obtineat. Nonus decernit ut per Simoniacam Hæresim nemo ordinetur vel promoveatur ad quodlibet Ecclesiasticum Officium. Decimus cujuslibet Ordinis Clericos a Laicis judicari vetat. Undecimus Matrimonia, inter consanguineos ad septimam usque generationem prohibet. Duodecimus laicos, qui cum uxore concubinam habent, a communione repellit. Decimus-tertius cavet ne laicus ullus ad quemlibet gradum Ecclesiasticum repente promoveatur, nisi mutato habitu seculari, diuturna conversatione fuerit inter Clericos comprobatus. Contra Clericos etiam & Monachos Apostatas districtum anathema in eadem Synodo, *Nicolaus II.* Epistola 8. ad Episcopos Galliæ testatur.

Pluralitas Beneficiorum vetita, & Monasticum habitum suscipere spe Abbatiæ.

Istius tempore Synodi, *Aldredus* Eboracensis Episcopus, qui accipiendi Pallii causa Romam venerat, Simoniæ convictus, a *Nicolao II.* depositus est. Verum cum ipse, & duo Episcopi, Comesque Northombrorum, itineris socii, a prædonibus exspoliati essent redeundo in patriam, hæc calamitas *Aldredo* recuperandi honoris occasio fuit. Comes enimvero verbis durioribus Pontificem convenit, *Parum metuendam a longinquis gentibus ejus excommunicationem esse* dicens, *quam propinqui latrunculi deriderent: aut sua sibi per ejus authoritatem reddenda, aut futurum ut hæc Rex Anglorum audiens, Tributum S. Petri* Romanæ Ecclesiæ *subtraheret*. His minis territi Romani, *Nicolaum II.* flexerunt ut *Aldredum* pristinæ restitueret Dignitati, ne honore simul & secularibus spoliatus in patriam rediret. Ista refert *Willelmus Malmesburiensis* lib. III. *De Gestis Pontificum Anglorum.* In *Gerardum* Comitem Galeriæ, prædonum ducem, injuriam Anglis illatam anathemate ultus est Pontifex Maximus, in Plenaria sua Synodo, ut refert B. *Petrus Damiani*, in Disceptatione Synodali Regii Advocati cum Ecclesiæ Romanæ Defensore.

Ut vero quod sanctissime statutum erat, diligenter executioni mandaretur, Legatos Mediolanum misit

Ni-

Novi Nicolaitæ in Provincia Mediolanensi damnati a Nicolai Secundi Legatis.

Nicolaus II. viros sanctissimos & doctissimos, *Petrum Damiani* Cardinalem Episcopum Ostiensem, & *Anselmum* Lucensem Antistitem, ad illius Ecclesiæ statum reformandum, maximeque ad Simoniacam hæresim, & hæresim alteram Nicolaitarum extirpandas. Nicolaitæ vocabantur Clerici mulierosi, qui incontinentiam, suam fœdique commercii copulas velut ex authoritate defendebant. *Vitium quippe in hæresim vertitur, cum perversi dogmatis assertione firmatur*; (inquit Petrus Damiani.) Legatione sibi imposita strenue functi sunt viri sanctissimi. Ecclesiæ Romanæ jura & sacrum Principatum contra Mediolanenses Clericos e suggestu propugnavit, populumque suas in partes, immo Justitiæ, & Ecclesiasticæ Disciplinæ traxit Petrus. Tum animadvertens malum longe lateque serpsisse, vixque ullum io Clero absque pretio ordinatum reperiri, expensis Pontificum & Conciliorum ea de re Decretis, Canonum severitatem eo in negotio censuit esse temperandam, nec summo jure contra reos agendum: Sed perversæ consuetudini finem imponendum, ac gratuitæ promotionis ordini futuris temporibus providendum. Promissionem itaque propriæ manus subscriptione, & juramento super Sancta Evangelia firmatam ab Archiepiscopo, Clero, & Populo Mediolanensi exegit Cardinalis Legatus, quo Simoniacam & Nicolaitarum hæresim execrati, studium omne ad utriusque extirpationem se adhibituros polliciti sunt: ipsisque imposita pœnitentia est, Clericique inter Missarum solemnia reconciliari ab Episcopo fuere, ornamentis de ejus manibus recipientes. Archiepiscopo centum annorum pœnitentia præfixa, cujus annos singulos certa pecuniæ quantitate redimere posset. Clericis, qui nefaria consuetudine statutam pecuniam pro Ordinationibus solverant, ita ut nonnulli eorum vix peccatum hoc esse cognoscerent, quinque annorum pœnitentia injuncta est, hoc modo ut duabus anni Quadragesimis, Natale videlicet & Sanctum Pascha præcedentibus, tres dies per hebdomadam in pane & aqua jejunarent, reliquo vero anni tempore duos dies. Iis vero qui plus dederant quam sacrilega consuetudine receptum esset, septennis est imposita Pœnitentia, cum iisdem jejuniis; additumque sextæ feriæ jejunium toto vitæ decursu observandum. Iis tamen qui facile jejunare non possent, concessa facultas est diem unum singulis hebdomadibus redimendi unius recitatione Psalterii, aut medii cum quinquaginta metaneis, aut unius pauperis refectione, & lotis ipsi pedibus, nummi erogatione. Spopondit insuper Archiepiscopus, se omnes orationis causa procul directurum, Romam videlicet, aut Turonum ad Sepulchrum Sancti Martini; se vero in Hispaniam ad Sancti Jacobi profecturum. Decrevit denique sanctissimus Legatus, ut non mox passim omnibus redderetur Officium; sed his dumtaxat qui & literis eruditi, & casti, & morum gravitate viderentur honesti, cæteris autem Communionis gratia sufficeret. Ista constant ex ipso B. Petro Damiani. Acta Legationis suæ *Nicolao II.* exponente, Opusculo V. quod inscribitur: *Actus Mediolanenses*. Porro Acta illa sua Pontificis, cujus Legatione functus erat, judicio humiliter subjecit. *Nos enim*, inquit, *si quid erravimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter assedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc est enim illa, ut ita loquar, officina fabrilis, cui nimirum is qui Fabri dicebatur Filius, præsidet: ad cujus regulam omnis merita moneta reducitur; cujus rectitudinis lineam, quidquid uspiam depravatum fuerit, reformatur*,

Simoniaca Hæresis extirpata.

Pœnitentia reis imposita.

B. Petrus Damiani Acta Legationis suæ Summi Pontificis judicio humiliter subjicit.

Concilium Amalphitanum.

Amalphis vulgo Amalphi, *urbs Agri Picentini in Regno Neapolis. Archiepiscop.*

Eidem Pontifici Libellum obtulit B. Petrus Damiani *De abdicatione Episcopatus*, quod Opusculum est XIX. Pro Anconitanorum, quos ob defectionem excommunicarat, reconciliatione apud eumdem intercessit, Epist. 7. Lib. 1. Concilium Amalphiæ in Apulia celebravit *Nicolaus II.* eodem anno MLIX. in quo Tranensem Episcopum ob causas Canonicas deposuit, teste B. Petro Damiani Opusculo XXXI. cap. VI. In eadem Synodo Normannos Principes *Richardum*, & *Robertum Guiscardum*, in gratiam Sedis Apostolicæ receptos, & *Richardo* Capuanum Principatum, *Roberto* Apuliæ, Calabriæ atque Siciliæ Ducatum a *Nicolao II.* confirmatum fuisse verisimile est, cum fidelitatis Sacramentum ipsis & Successoribus præstitissent, annuumque censum denariorum duodecim per juga boum singula, Sedi Apostolicæ, in recognitionem Beneficii, se persoluturos jurassent, ut refert *Leo Ostiensis* in Cassinensi Chronico lib. 3. cap. 15. Normanni tanto beneficio devincti, Summo Pontifici & Ecclesiæ Romanæ grati animi vicem rependerunt. Eorum virtute Prænestini, Tusculani, & Nomentani perduelles castigati, & Papæ Domino suo subditi, Tyranni expugnati, exterminati prædones, qui ditione tota Romani Pontificis grassabantur; Gerardi Galeriæ Comitis destructa Præsidia, Castellaque complanata; libertas, pax, securitas Urbi, totique Ditioni Ecclesiasticæ restituta est, ut Acta antiqua Romanorum Pontificum a Nicolao Aragonio Cardinali edita & illustrata, & ab Eminentissimo *Baronio* laudata testantur.

Richardi & Roberti Guiscardi Normannorum Principum virtus.

Anno 1059.

Concil. Turonense.

Restaurandæ gratia disciplinæ, *Stephanum* Cardinalem Legatum Apostolicum in Gallias direxit *Nicolaus II.* qui Pontificis authoritate & mandatis Synodum Turonis celebravit, kal. Martii, anno Christi MLX. in qua simonia, pluralitas beneficiorum, rerum Ecclesiasticarum alienatio, beneficiorum acceptio a laicis, incestæ nuptiæ, quæ vitia tunc in Gallijs grassabantur, damnata ac prohibita sunt. Mulierosis etiam & incontinentibus clericis, qui post *Nicolai II.* Decretum, aut mulieres, aut ministerium Ecclesiæ cum Beneficio non statim deseruissent, spes omnis restitutionis adempta est. Monachi Apostatæ excommunicati; item Abbates, & Abbatissæ, quæ Apostatas pœnitentes recipere nollent. Laici denique, aliquid de oblationibus, eleemosynis, decimis, vel sepulturis Ecclesiæ sibi vindicantes, aut vendere, vel alieni in beneficium dare præsumentes, anathemate confixi. Concilii istius Canones a Domno *Luca Dacherio*, Congregationis S. Mauri O. B. erudito monacho, editi sunt in notis ad vitam Lanfranci, indeque transcripti Tomo IX. Conciliorum Labbeanæ Editionis.

Summa Canonum.

Eduardo Regi Sancto tuitionem omnium Angliæ Ecclesiarum Nicolaus II. concedit.

S. Eduardi Magnæ Britanniæ Regis, Legationem *Nicolaus II.* eodem anno suscepit, confirmavitque commutationem a Decessore suo factam voti, quod nuncupaverat eundi Romam, cum ædificatione Cœnobii in honorem *S. Petri*: quod Cœnobium amplissima donavit Immunitate. Regi vero tuitionem ejusdem Monasterii, & omnium Angliæ Ecclesiarum commisit, ut constat ex Epistola ejusdem Pontificis, quam *Ealredus* in Vita Eduardi Regis refert. *Vobis vero*, inquit, *& posteris vestris Regibus committimus advocationem & tuitionem ejusdem loci, & omnium Angliæ Ecclesiarum, ut vice nostra, cum consilio Episcoporum & Abbatum, constituatis ubique quæ justa sunt.* Amplissimum Privilegium! Quo utinam Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex in communione Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ semper frui malit, quam se Ecclesiæ Anglicanæ Caput in Schismate & Hæresi nuncupare!

Nicolaus II. Ordinis Monastici studiosissimus

Ordinis monastici amantissimus *Nicolaus II.* Cassinenses monachos ad primarias Ecclesiæ dignitates provexit. Nam præter *Desiderium* Cassinensem Abbatem, quem initio Pontificatus Cardinalem creaverat, *Oderisium* Comitis Marsorum filium, ejusdem Cœnobii alumnum, Cardinalitiis Infulis etiam exornavit. Domnum *Martinum* ex eodem Monasterio ad Aquinatem Episcopatum, *Angelo* Episcopo exauthorato, *Petrum* ad Venafranam & Iserniensem Sedem assumpsit, teste *Leone Ostiensi* lib. 3. Chronici Cassinensis, cap. 14. Monasterio *Sanctæ Felicitatis* juxta Florentiam, privilegium indulsit. Præerat Sanctimonialibus *Teitberga* Abbatissa.

Ejus in Regem Christianissimum caritas.

Quatuor Epistolas ad *Gervasium* Remensem Archiepiscopum dedit *Nicolaus II.* quarum prima ipsum hortatur ut *Henricum I.* Regem Christianissimum admoneat, ne pravis credens consiliis, Sacris Canonibus resisteret, ac Summum Pontificem contra se commoveret. *Proinde*, inquit, *agere stude quod de te speravit Apostolica Sedes: & vestrum Regem gloriosum castiga, precare, admone, ne pravo utatur pessimorum consilio, qui nostra discordia putant se Apostolicam censuram evadere. Caveatque sacris Canonibus, immo B. Petro resistere, nosque, qui eum sicut pupillam volumus amare oculi, contra se movere. Satis enim mirari potest, si pro aliquo stulto, sicut est, quem voluit ordinare, Matisconensis Episcopus, vult* De-

Dominum & S. Petram affendere, vastram Caritatem atque fiuceram dilectionem erea se parvipendere. An putat aliquis membrorum Antichristi, quod plus non possit ei prodesse gratia B. Petri, quam amnium impiorum perfida fidelitas? Agat itaque gloriosus Rex, ut libet, cantra nos, quamvis pro illa, ejusque exercitu Deum semper pretari parati sumus.

Nullus *Nicolao II.* præteribat dies, quo duodecim pauperum pedes non ablueret, teste *B. Petro Damiani* Opusculo IX. quod *De eleemosyna* inscribitur, cap. 7. Obiit Optimus Pontifex anno Christi MLXI. mense Junii, cum annos duos & sex menses sedisset.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

ROmani Concilii canones, quos singulos hic P. Alexander percenset, aliquanto variant in MS. Codice Pistonensi ex quo ego novam eorum editionem curavi. Ita Canon V. primitias, & oblationes Episcoporum dispositioni permittens in nostro codice fert distribui illas ab Episcopis oportere *secundum Canones*. Can. X. ferens *ut cujuslibet ordinis clericos laici non judicent*, in nostro cum hoc additamento comparet: *nec de ecclesiis ejiciant*. Subscripti concilio patres a Labbeo afferuntur ex Vaticano codice; sed multo auctiorem catalogum ex Florentiensi altero codice produxit P. Martene Vet. Monum. T. 7. pag. 60.

Post concilium istud alterum pariter Nicolaus coegit non quidem Amalphi, ut per errorem scripsit P. Alexander, sed Melphi quæ nomina sunt urbium plane inter se discretarum; nam Melphis urbs est in Apulia, Amalphis vero in principatu citeriore. Extat apud P. Gattolam in hist. Casin. To. 2. pag. 161. & ex eo in meo Conc. Suppl. diploma Richardi Capuani principis in ea synodo datum, quo Cœnobio Casinensi abbatiam S. Mariæ in Calena largitur.

Alteram etiam Romanam synodum an. 1061. habuisse Nicolaum discimus ex Aldredo in vita S. Eduardi Regis. Eo venit Aldredus Eboracensis Archiepiscopus cum geminis ex Anglia Episcopis electis, sed nondum consecratis, quam consecrationem in concilio dein a Pontifice obtinuerunt. Confirmata tunc constat jura Regum Angliæ petente per literas eodem Rege Eduardo. Extra communionem pariter declaratur Gerardus Comes cum sociis prædonibus, qui venientem ad Urbem Aldredum deprædaverant. Auditi etiam sunt Vindocinenses Monachi de juribus nonnullis cum Monachis S. Albini disceptantes, ut ex actis Concilii Burdegalensis anni 1068. discimus.

ARTICULUS X.

De S. Alexandro II.

I. NIcolao II. vita functo, Procerum quorumdam factio, *Galeriani* præcipue Comitis, & Longobardorum quorumdam Episcoporum, simoniæ & incontinentiæ vitiis infamium, favente *Guiberto Corrigia* Parmensi, Aulæ Cæsareæ Cancellario, in Schisma erupit obstinatissimum. Nonnullis enim Germaniæ Episcopis tractis in partes, habito Basileæ Conciliabulo, *Nicolai II.* Pontificis Optimi Maximi Acta omnia rescindere & abrogare præsumpserunt. Facinoris insolentia Cardinales movit ut Ecclesiæ cito prospicerent. Legationem ad *Henricum* Germaniæ Regem adhuc puerum decreverunt, quam *Stephano* Cardinali Presbytero ex Monasterio Cluniacensi assumpto imposuere, ut Pseudosynodum Edicto Regio irritam dici obtineret, eligendique Pontificis libertatem Cardinalibus impetraret. Malis Aulicorum artibus repulsa Legatio, Stephanoque negata audientia est, qui rebus infectis Romam rediit. Summum Ecclesiæ periculum Cardinales impulit ad Pontificis electionem maturandam. Eum autem elegere, quem vitæ sanctimonia, eruditio insignis, & regiminis Ecclesiastici peritia, tantæ Dignitati parem dudum fecerant, & cujus electionem *Henrico* Regi non ingratam fore confidebant, qui ipsi familiaris erat. *Alexandri II. electio.* Suffragia in *Anselmum de Badagio*, Mediolanensem tunc Lucensem Episcopum concurrerunt. Luca Romam accitus, Kalendis Octobris ejusdem anni MLXI. inauguratus est, & *Alexander II.* appellatus. Ita constant ex Disceptatione Synodali inter Advocatum Regium & Romanæ Ecclesiæ Defensorem, apud *B. Petrum Damiani*; Electionis Pontificiæ Nuntio ad Aulam Regiam perlato, Guibertus Cancellarius, aliique adulatores, in Regis contemptum ac injuriam factam conclamarunt, & *Cadalaum Palavicinum*, Parmensem Episcopum, ab Episcopis Vercellensi & Placentino, *Cadalous Antipapa.* hominibus nequissimis eligi curarunt Antipapam. Qui Pontificatus insignia mox usurpavit, sibique nomen sumpsit *Honorius II.* Pecunia & armis Romanos sibi subjicere conatus est, Urbem non semel aggressus, magnaque edita strage. Prævaluere tandem Alexandrini, & repulsus est Pseudopontifex, *Gottefredo* Tuscorum Duce suppetias ferente. In Papiensi, Florentino, Osboriensi, & Mantuano Conciliis damnatus est. *Frequentibus Synodis damnatus.*

II. Tria commemorat B. Petrus Damiani Epistola XX. lib. 1. ad ipsum Cadaloum data: *In tribus*, inquit, *Conciliis Synodalibus, Papiensi scilicet, Mantuano, & Florentino, perspicua damnationis in te sententia claruit*. Osboriense curis & authoritate *Annonis* Coloniensis Archiepiscopi sanctissimi coactum est, qui condolens malis, quæ *Agnetis* Imperatricis, *Concilium Osboriense in Germania authoritate S. Annonis Coloniensis Archiep. congregatum.* & *Guiberti* Cancellarii pessima administratio Ecclesiæ & Imperio inferebat, juvenem Regem a tutela matris abstraxit, & paulo post habitis Comitiis, Regni administrationem suscepit, deferentibus Ordinibus, *Guiberto* Cancellario privatam ad sortem redacto. Ipsi facinus egregium gratulatus est Beatus *Petrus Damiani*, Epistola 6. lib. 3. eumque hortatus est ut Concilium ad extinctionem schismatis celebrari curaret. *Servasti*, inquit, *venerabilis Pater, relictam tuis manibus Puerum, firmasti Regnum, restituisti pupillo paterni juris Imperium. Ad Sacerdotium quoque manum tua prudentia protinus extendisti, dum & Parmensis bestiæ squammea colla Evangelici mucronis vigore præcidere, & Apostolicæ Sedis Antistitem in sua Dignitatis elaborasti solium reformare. Sed cœpto operi nisi postrema manus accedat, Sanctam vestri operis ædificium minatur ut corruat. Cadulous enim ille Sanctæ perturbator Ecclesiæ, eversor Apostolicæ Disciplinæ, inimicus salutis humanæ: ille, inquam, radix peccati, præco diaboli, Apostolus Antichristi, sagitta nimirum producta de pharetra Satanæ, virga Assur, filius Belial, filius perditionis, velut draco teterrimus adhuc sufflat, adhuc fœtore venenatæ pecuniæ nares hominum fœdat, fidemque multorum vento perfidiæ vacillantem novus Hæresiarcha perturbat*, &c. *Quamobrem, venerabilis Pater, ut sanctus studii tui labor ad effectum omnino perveniat....... necesse est ut vestra prudentia totis nisibus elaboret, quatenus Generale Concilium quantocyus fiat, & perniciosi hujus erroris spinas, in quo miser mundus versatur, evellat*. Ad Concilium Osboriense pertinet Disceptatio Synodalis inter Advocatum Regium & Romanæ Ecclesiæ *Osborium ignotus in Germania locus.* Defensorem a *B. Petro Damiani* adornata, quæ Opusculum IV. ipsius est. Inter alia, hac in Disceptatione ostendit, Romanam Ecclesiam *Henrici* Regis Privilegium non violasse, quamvis ejus assensu non expectato, Pontificem elegerit. Sic enim eleganter ac luculenter Romanæ Ecclesiæ Defensor: *Privilegium invictissimo Regi nostro ipsi quoque defendimus, & ut semper plenum, illibatumque possideat, vehementer optamus. Porro autem Romana Ecclesia multo nobilius atque sublimius, quam mater carnis, mater est Regis: Illa siquidem peperit, ut per ejus traducem revertatur in pulverem; ista genuit ut Christi sine fine regnantis efficiat cohæredem. Et cuncti liquido novimus, quia Rex, licet egregiæ indolis, tamen adhuc puer est. Quid ergo mali Romana fecit Ecclesia, si filio suo, cum adhuc impubis esset, cum adhuc tutoris egeret, ipsa tutoris Officium subiit, & jus quod illi competebat, implevit? Quis enim nesciat quia Sacerdotem eligere puer ignorat? Sæpe mater Judicis tribunal irrumpit, testes adsciscit, Notarios convocat, sicque per adstipulationes & rata, insuper & apicum monumenta, omnia bonorum suorum jura filio dele-*

delegit: Interim tamen asque dum ille ad juvenilis ætatis incrementa perveniat, & rationis capax fiat, illa tuacta dispensat, omnia ordinat: sicque quod jam alieni juris est patrimonium, ad propriæ disponit provisionis arbitrium. Namquid ob hoc dicenda est mulier illa filio suo concessa subtrahere? Immo vero perhibetur pietatis studio deservire: Quia quæ rudis adhuc filius dilapidare ac prodigere poterat, hæc illa sibimet apte disposita, caute retenta, & rationabiliter ordinata conservat. Carnalis ergo mater adjuvat filium in rebus terrenis; & mater Ecclesia filio suo Regi prabere non debet auxilium in spiritualibus donis?... Huc accedit, quia nonnunquam ob varietatem temporum sæpe mutandus est ordo causarum. Tunc enim quando Pontificem Romana sibi præfecit Ecclesia, tanta simultatis fomes in seditionem cives accenderat, tantus livor & odium tumultuantis populi corda turbaverat, ut de tam longinquis terrarum spatiis nequaquam Regia clementia præstolari possemus oraculum. Nisi enim quantocyus ordinaretur Antistes, perniciosus in populo gladius mutuis vulneribus desæviret, & non parva Romanorum strages fieret.

B. Petri Damiani graves ad Cadaloum *Antipapam litera.*

III. ad *Cadaloum* Antipapam gravissimas duas Epistolas scripsit *B. Petrus Damiani*, ut ei sceleris magnitudinem ob oculos poneret, eumque ad insignia usurpatæ Dignitatis deponenda adduceret. De cjus Electoribus & fautoribus ita scribit: *Multum sane lætificat, quod hujusmodi te Pontifices elegerunt, Placentinus videlicet & Vercellinus, qui nimirum multum petulci ac prolectarii, sicut norunt disputare de specie fœminarum, sic etiam potuissent in eligendo Pontifice perspicax habere judicium...... Salva plane digna reverentia Regibus nostris, quibus utique sive pro sexus, sive pro ætatis infirmitute subripi potuit: præter illos, quicumque te ad hoc flagitium impulerunt, filii Caiphæ, primogeniti dicendi sunt Satanæ, adjutores Antichristi, adversarii veritatis. O tragœdia omnibus ante nos sæculis inaudita! at alienus Episcopus propria Sede contempta, ignorante Deo, nesciente Petro, nesciente Romana Ecclesia, fater Romanam constituatur Ecclesiam: & quod non fert Ecclesia cujuslibet infimæ dignitatis, perferat illa quæ Mater est & Magistra totius Ecclesiasticæ rationis.*

Ordo in Romani Pontificis electione servari solitus.

IV. Ex eadem Epistola discimus ordine his temporibus in Romanorum Pontificum electione observari solitum. *Nimirum*, inquit, *cum electio illa per Episcoporum Cardinalium fieri debeat principale judicium, secundo loco jure præbeat Clerus assensum, tertio popularis favor attollat applausum: sicque suspendenda est causa, usque dum Regiæ Celsitudinis consulatur Authoritas, nisi sicut nuper contigit, periculum fortassis immineat, quod rem quantocyus accelerare compellat.*

B. Petri Damiani ad Alexandrum II. *Epist.*

V. Ad *Alexandrum II.* plures variis de causis & argumentis Epistolas dedit *B. Petrus Damiani*, ipsique Apologeticum pro dimisso Episcopatu nuncupavit, quod Opusculum est XX. Illi suasit ut duas, quæ tunc temporis inoleverant, pravas consuetudines aboleret. Prima crat, quod cunctis fere Constitutionibus Apostolicis Anathematis pœna subjungeretur: altera, quod Episcopi a Presbyteris apud Metropolitanum & Primatem accusari non possent. Primam periculosam esse, & in perniciem animarum vergere ostendit: *Notandum*, inquit, *quam lubrica, quam præceps subito ruendi procuretur occasio, at unusquis in æterna mortis baratrum corruat, quam se vel leviter impegisse cognoscat: & substrata quodammodo tendicula jam pes ejus innectitur, dum se liberis adhuc incedere gressibus arbitratur. Delinquit itaque quisquis ille est in illud Apostolicæ Constitutionis Edictum, & aliquando levi quadam ac perexigua offensione transgreditur; & continuo, velut Hæreticus, & tamquam cunctis criminibus teneatur obnoxius, anathematis sententia condemnatur. Et cum dictante justitia, alia sit ultione plectendus qui plus delinquit, alia qui minus excedit: Hic graviter, leviterque peccantibus æqua cunctis & indifferens pœna, solius scilicet anathematis irrogatur. Non tribunalium more, vel forensis examinis, aut libertas ceditur, aut possessio confiscatur, nec pecuniaria multa reus addicitur, sed Deo potius omnium bonorum author privatur. Hanc itaque homo de homine pœnam sumit, quam de sui transgressione mandati ipse quoque Deus omnipotens non præsumit.* „Qui amat, „ *inquit*, patrem aut matrem plusquam me, *non contenuo addidit, sit anathematizatus, vel maledictus, sed tantum ait*, Non est me dignus ..... *Porro nec B. Papa Gregorius, vel cæteri Patres qui diversis temporibus in Apostolicæ Sedis regimine floruerunt, hunc morem in suis reperiuntur observasse Decretis, & vix eorum aliquando Statutis anathema subnectitur, nisi cum Catholicæ Fidei clausula terminatur. Quamobrem, si Sanctæ Prudentiæ vestræ placet, hunc morem de cætero a Decretalibus Paginis amoveri præcipiat, & vel damni pecuniæ, vel alterius cujuslibet ultionis calculum in eorum transgressione præfigat; ne quod aliis est ad tuitionis munimenta provisum, aliis ad perniciem proveniat animarum.* Alteram consuetudinem tollendam suadet quod criminum impunitatem foveat.

Ipsi author est ne pœnam anathematis Diplomatibus Apostolicis facile adjungat.

Ab eodem Legatus mittitur in Gallias.

VI. *B. Petrum Damiani* Legatum in Gallias misit *Alexander II.* rogante *Hugone* Cluniacensium Abbate Sanctissimo, ut de Cluniacensis Monasterii causis cognosceret, cjusque jura & privilegia contra *Gaufredum* Comitem Andegavensem, & *Drogonem* Episcopum Matisconensem Authoritate Apostolica tueretur. A Legato Apostolico Synodus Cabiloni celebrata est, tredecim considentibus Episcopis. Decretis saluberrimis ad Ecclesiasticæ restaurationem Disciplinæ conditis, Cluniacensia Privilegia recensita & confirmata sunt, Episcopo ipso Matisconensi approbante, qui præstito Sacramento, satisfacere coactus est, veniam petere a Legato & Patribus, ac Pœnitentiam accipere. Formula Sacramenti hæc fuit: *Audiat Dominus Petrus Ostiensis Episcopus, & omnis Sancta Synodus, quia eo die quo Cluniacum commotus adveni, non in contemptu, sive despectu Sedis Apostolicæ, vel Domini Alexandri Romani Pontificis hoc egi: & Privilegiorum tenorem ac seriem, quæ modo in nostris auribus lecta sunt, tunc ad liquidum non cognovi. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.* Hujus Legationis suæ meminit Petrus Damiani lib. 4. Epistola V. ad Monachos Cluniacenses. De ea scripsit *Alexander* ad Archiepiscopos Galliarum Epistola 21. His verbis: *Talem vobis virum destinare curavimus, qui & noster est oculus, & Apostolicæ Sedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem nostram pleno jure commisimus: ut quidquid in illis partibus statuerit, ita ratum teneatur & firmum, ac si speciali nostri examinis fuerit sententia promulgatum.*

Anno 1063.

Concilium Cabilonense a Sanctissimo Legato celebratum.

Tria Concilia ab Alexandro II. Romæ celebrata.

VII. Tria Romæ Concilia celebravit idem Pontifex. Primum anno 1063. cui Episcopi centum & amplius interfuere. In eo duodecim condit Canones, quibus Leonis IX. & Nicolai II. Decreta contra Simoniacos renovantur & confirmantur, vita communis Clericorum sancitur, Beneficiorum pluralitas prohibetur, consanguineorum nuptiæ, ad septimam usque generationem vetantur, repentina Laicorum Ordinatio interdicitur, & ne quis spe Abbatiæ Monachus fiat. In eadem Synodo Petrus Florentinus Episcopus, Simoniæ convictus, depositus est, ut constat ex Actis *S. Joannis Gualberti*.

In altero Concilio anno 1065. Incestuosorum Hæresis damnata est. Sic appellatus est Jurisperitorum quorumdam error pertinax, qui Authoritate *Justiniani* Imperatoris freti, gradus consanguinitatis numerandos eadem ratione ab Ecclesia esse docebant, qua in successionibus numerantur; atque matrimonia inter cognatos esse licita propugnabant.

Incestuosorum hæresis ab Alexand. II. in Synodis damnata, sive Jureconsultorum error, consanguinitatis gradus perperam numerantium.

Ad hanc Synodum pertinet Epistola 28. Alexandri II. ad Episcopos, Clericos, & Judices Italiæ data, cujus hæc sunt verba: *Ad Sedem Apostolicam perlata est quæstio noviter exorta de gradibus consanguinitatis: quam quidam Legum & Canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra Sacros Canones, & Ecclesiasticum morem numerare nituntur, novo & inaudito errore affirmantes, quod germani fratres vel sorores inter se sint in secunda generatione; filii eorum, vel filiæ in quarta; nepotes vel neptes eorum in sexta. Talique modo progeniem computantes, & in hujusmodi sexto eam gradu terminantes, dicunt, deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia jura contrahere. Et ad hujusmodi profanum errorem confirmandum, in argumentum assumunt sæculares Leges, quas Justinianus Imperator promulgavit de Successionibus*

bus consanguineorum. Quibus confisi, ostendere moliuntur, fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in sexto. Sic seriem genealogiæ terminantes, numerationem SS. Patrum, & antiquam Ecclesiæ computationem ad nos usque perductam, perversa quadam calliditate disturbare nituntur. Nos vero, Deo annuente, hanc quæstionem discutere curavimus in Synodo habita in Lateranensi Consistorio, convocatis ad hoc opus Episcopis & Clericis, atque Judicibus diversarum Provinciarum. Denique diu ventilatis Legibus & sacris Canonibus, distincte invenimus ob aliam causam, alteram Legum fieri, alteram Canonum computationem. In Legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur usque ad quartam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum. In Legibus distincte non numerantur gradus, nisi usque ad sextam: in Canonibus autem usque ad septimam distinguuntur generationem. Hac igitur de causa, quia hereditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam: idcirco curavit Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ sine duobus non valent fieri personis, ideo Sacri Canones duas in uno gradu constituere personas. Utramque tamen computationem, si attente ac subtiliter perspecta fuerit, ad eumdem terminum convenire, manifestum erit. Justinianus namque usque ad quem gradum consanguinitas ipsa perduret, in suis Legibus non definivit. Canones vero ultra septimam, nullam numeravere generationem. Sexta quippe gradu determinato, in ipsis Legibus subintulit Imperator: „ Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum ulteriores quoque gradus numerare debeamus. Generata quippe persona semper gradum adjicit. *Ecce in iis brevibus verbis aperte ostenditur, tales gradus, quales isti computant, non tantum usque ad sextum, verum etiam ultra numerari debere: quippe cum ultra sextum ulteriores gradus numerandos esse decernat. Ubi enim ulteriores nominet gradus, aperte indicat non sex tantummodo esse gradus, sed sex finitis, adhuc alios numerandos. Cum enim decimam nominat, non esse tantummodo sex, luce clarius consistitur. Hi ergo evigilent, & aciem mentis, si possunt, intendant, quas hactenus istiusmodi pervasit error. Enimvero ubi secundum Leges inter agnatos vel cognatos defertur successio, consanguineos esse non dubium est. Neque enim sibi succederent, nisi inter se parentela vinculo tenerentur. Succedunt autem inter se, teste Justiniano, in decimo gradu: consanguinei igitur sibi sunt, qui sibi succedunt. Quod si in decimo gradu consanguinei sibi existunt, non est terminata consanguinitas, ut isti fatentur, in sexto tantummodo gradu............ Taliter igitur determinatis gradibus consanguinitatis, Apostolica vos Authoritate monemus, fratres & filii, ut omnibus sic seriem genealogiæ computandam esse intimetis, quemadmodum SS. Patres numerandum esse sanxerunt, & antiquus mos Sanctæ & Universalis Ecclesiæ per longa tempora olim computasse monstratur. Nam si quis perversa & obstinata mente a recto tramite Apostolicæ Sedis deviare voluerit, & aliter quam nos in nuptiis celebrandis gradus parentelæ numerare contenderit; primum pro sua temeritate cælesti pœna plectetur, postmodum vero gladio perpetui Anathematis se noverit jugulandum.* Hoc Decretum Collectioni suæ inseruit *Gratianus* Causa 35. Quæst. 4. Cap. *Ad sedem Apostolicam.*

In tertia Synodo Romana eodem anno 1056. omnes incestuosi, juxta Canonum Decreta, Ecclesiastica sunt communione privati, teste *B. Petro Damiani* in Apologetico *De contemptu sæculi* quod est Opusculum 12. cap. 29.

Varia Alexandri II. Acta.

VIII. Cum *Richardus* Normannorum Princeps Aquinum usque victor pervenisset, jamque Urbi immineret, ut a Summo Pontifice Imperii insignia consequeretur, *Alexander II.* Godefridum Tusciæ Marchionem in eos immisit, cujus virtute ipsorum cohibitus est impetus. (Ex Leone Ostiensi lib. 3. cap. 23.) Id factum anno 1066. Ad *Willelmum* Normanniæ Ducem, quem *S. Eduardus* Angliæ Rex successorem supremis tabulis constituerat, vexillum misit, ut *Haroldum* Tytannum, qui defuncto Edoardo Regnum invaserat, justo bello expelleret. (Ex Ingulpho, & Matthæo Westmonasteriensi.) Id factum eodem anno 1066. Anno sequenti, Legationem ad Mediolanenses imposuit *Mainardo* Cardinali, Sylvæ-Candidæ Episcopo, & *Joanni* Presbytero Cardinali ut Simoniacam & Nicolaitarum Hæresim, quæ in Clero illius Ecclesiæ adhuc grassabatur, penitus extirparent. Quod pro sua virili præstiterunt, edita Constitutione, quæ Leges Mediolanensibus ad hunc finem tunc præscriptas complectitur, die prima Augusti. Extat inter Epistolas VI. & VII. Alexandri II. Tomo IX. Conciliorum Labbeanæ Editionis. *Adalberto* Hamaburgensi Archiepiscopo vices in Dania suas demandavit, ejusque Synodo sistere se jussit *Edbertum* Farienfem Episcopum. (Ex Epistola VII. Alexandri II. Adamo Bremensi lib. 4. cap. 42. & sequentibus.) *Haraldum* Norvegiæ Regem per literas hortatus est, ut Hamaburgensem Archipræsulem, Sedis Apostolicæ Vicarium coleret, eique obedientiam a Regni sui Episcopis exhiberi juberet. [*Epist. II.*] A *Willelmo* Rege Anglorum Denarium Sancti Petri: a *Suenone* Rege Danorum, censum quem eius Majores Ecclesiæ Romanæ pendere consueverant, exegit. [*Epist. VIII. & III.*] Usum Mithræ, Laicis hactenus inconcessum, *Vratislao* Bohemorum Duci roganti concessit. (Ex Gregorio VII. lib. 1. Epistola 38.) *B. Petrum Damiani* Legatum a latere misit in Germaniam, ut Henricum Regem a repudio coniugis Authoritate Apostolica prohiberet. (Ex Lamberto Scafnaburgensi ad annum 1069.)

Gesta adversus Episcopos Simoniacos.

IX. Archiepiscopos Moguntinum, Coloniensem, & Bambergensem, Simoniæ accusatos, Romam, ad dicendam causam vocavit, quos graviter objurgatos, & jurejurando de vitanda Simonia obstrictos remisit. (Ex eodem Authore.) *Gervasio* Remensi Archiepiscopo prohibuit ne *Jossellinum*, Suessionensem Episcopum designatum Simoniæ convictum, consecraret. (Epist. 18.) Eidem gratulatus est ejectionem Simoniaci Invasoris Carnotensis Ecclesiæ, quodque Regi Christianissimo *Philippo* author fuisset ut alter dignus & idoneus eidem Ecclesiæ substitueretur. Eum quoque adhortatus est, ut Aurelianensem Episcopum, pariter Simoniacum, ab Archiepiscopo Senonensi deponi curaret. (Epist. 23) Ejusdem Pontificis mandato Synodus Moguntina a *Sigefrido* ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo convocata & celebrata est in causa *Caroli* Constantiensis Episcopi designati, Simoniæ, aliorumque criminum accusati, anno 1071. Causa ipsius *Caroli* confessione & cessione finita est, ut Acta Concilii primum a *Tegnagello*, deinde a *P. G. Gassartio S. J.* Tom. 9. Conciliorum edita testantur, & *Lambertus Scafnaburgensis* in chronico.

Legatio ab Alexandro II. missa in Angliam.

Concilia, Wintoniense, & Vindesorense ab Alexandri II. Legatis celebrata.

Stigandus Cantuar. Archiepisc. depositus.

X. Legatos in Angliam misit *Alexander II. Hermenfredum* Episcopum Sedunensem, *Joannem & Petrum* S. R. E. Presbyteros Cardinales, Anglicanæ Ecclesiæ statum ordinaturos, qui Synodo Wintoniensi a *Willemo* Rege convocatæ præsidentes, Stigandum Archiepiscopum Cantuariensem, qui vivente *Roberto* legitimo Archipræsule, Sedem invaserat, & a *Benedicto* Pseudo-Pontifice Pallium acceperat, & Wintoniensem Episcopatum cum Cantuariensi Archiepiscopatu simul occupabat, exauthorarunt. *Agelmarum* quoque Estanglorum Antistitem, & Abbates nonnullos deposuere. Politicis *Willelmi* Regis Consiliis, merisque suspicionibus, nulla causæ æquitate factum, *Rogerius de Hoveden* ad annum 1070. scribit. Quod minus probabile est, cum a tribus Legatis Apostolicis, & frequenti Concilio latæ sint sententiæ, nec id credi sinat *Willelmi* Regis ab *Alexandro II.* laudata virtus, quia ita ad ejus Majestatem scribit Epistola X. *Inter mundi Principes & Rectores egregiam vestræ Religionis famam intelligimus, & quantum honoris Sanctæ Ecclesiæ, tum Simoniacæ heresis vires opprimendo, tum Catholicæ libertatis usus & officia confirmando, vestra virtus impendat, non dubia relatione cognoscimus.* Litiseldensem quoque Episcopum, incontinentiæ, aliorumque criminum accusatum, & Synodo sistere se renuentem, iidem Legati excommunicarunt, Regique substituendi Successorem licentiam dederunt, ut testatur *Lanfrancus* ad Alexandrum II. scribens.

Re-

Windsor. urbs Angliæ ad Tamesim.

Reversis aliis Legatis, *Hermenfredus* Sedunensis Episcopus Synodum habuit alteram Windleshoræ, in qua *Agelricum* Sudsaxonum Episcopum, pluresque Abbates deposuit. Id præter jus factum scribit *Rogerius de Hoveden*, in gratiam scilicet Regis, qui Normannos suos Episcopatibus & Abbatiis præficere volebat, ut Regnum sibi firmaret. Contra vero *Ordericus Vitalis* lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ, & Vita *Lanfranci* ab Authore coævo scripta, & cum ejus Operibus a Domno *Luca Dacherio* edita, id jure factum significant.

Lanfrancus substitutus, & Alexandri II. mandato Archiepiscopatum suscipere compulsus.

XI. Exauthorato *Stigando*, Cantuariensis Archiepiscopus a *Willelmo* Rege nominatus est *Lanfrancus* quem *Alexandri II.* Legati *Hermenfredus* Sedunensis Episcopus, & *Hubertus* S. R. E. Cardinalis, in Normanniam ea de causa profecti, excusatione incognitæ linguæ, gentiumque Barbararum, qua impositum onus declinare nitebatur, insuperhabita, ad suscipiendum Archiepiscopatum Authoritate Apostolica compulerunt, ut ipsemet *Lanfrancus* testatur in Epistola ad *Alexandrum II.* qua missionem ab Archiepiscopatu petiit.

Lanfranco Pallium duplex tribuit Alexander II.

Anno 1071. Romam profectus *Lanfrancus*, Pallium duplex ab *Alexandro II.* accepit. Non enim illud solum, quod omnibus Archiepiscopis tribui consueverat, ex Altari ipsi exhibuit, sed & illud quo sua Sanctitas exornata Missas celebrabat, ipsi impendis, in amoris significationem singularis: ut testatur *Lanfrancus* ipse in Epistola ad eumdem Pontificem de his quæ in Synodo Anglicana gesta erant in causa Thomæ Eboracensis Archiepiscopi, & *Willelmus Malmesburiensis*, lib. De Gestis Pontificum Anglorum. *Lanfranci* in Romana peregrinatione comes fuit Eboracensis Archiepiscopus, qui Pallio etiam a Pontifice donatus est.

Ejus authoritate finitur controversia de Primatu inter Cantuariensem & Eboracensem Ecclesiam.

Ortam inter utrumque de Primatu controversiam, contendente *Thoma*, Eboracensem & Cantuariensem Ecclesias dignitate & honore pares esse, secundum *S. Gregorii* Decreta, ab utroque appellatus *Alexander II.* in Anglia, totius Regni Episcoporum & Abbatum testimonio, finiendam decrevit. Anno MLXXII. ex mandato *Alexandri II.* habita est Synodus in Anglia, cui *Hubertus* Sedis Apostolicæ Legatus præfuit. Causa coram Episcopis & Abbatibus, & Rege Serenissimo disceptata: Ecclesiæ Cantuariensis Primatum supra cæteras Angliæ Ecclesias, ipsamque Eboracensem, ex Historia Ecclesiastica Venerabilis Bedæ, ex variis Angliæ Conciliis, ex Ordinationibus Episcoporum, & Professionibus Obedientiæ ab iis factis Cantuariensi Archiepiscopo, ex Romanorum Pontificum Rescriptis, *Lanfrancus* vindicavit, *Thomæ* Objectiones facile diluit. Cantuariensis Archiepiscopi Primatus confirmatus est. Ista constant ex Relatione Gestorum Synodalium, quam ad *Alexandrum II.* misit *Lanfrancus*, & ex *Willelmo* Malmesburiensi lib. 1. De gestis Pontificum Anglorum.

Scribit ad Willelmum Anglorum Regem.

XII. Scripsit *Alexander II.* ad *Willelmum* Regem Anglorum, eumque ad Regias Virtutes constanter colendas hortatus est, utque consiliis sanctissimis *Lanfranci* Cantuariensis Archiepiscopi lubenter uteretur: *Excellentiam vestram*, inquit, *plena dilectione monemus, ut in studio Christianissimæ devotionis vestra persistatis: Et primo quidem Ecclesias Christi, quæ in Regno vestro sunt, religioso cultu, & justis dispositionibus exornetis, commissa vobis Regni gubernacula ita justitiam tenendo tractetis, ut ex operum rectitudine, quod scriptum est*, Cor Regis in manu Dei, *vobis manifeste congruat. Rogamus etiam Dilectionem vestram, ut Ecclesiasticas personas ab injuria defendatis: viduas, & orphanos, & oppressos misericorditer relevando protegatis. Quoniam licet ille Rex Regum & supernus arbiter totius Regni, quod vobis tradidit, rationem a vobis exigat: pro his tamen districtius appellabis, quibus non fuerunt vires & arma nisi vestra potentia. Ad hæc igitur perficienda, & aliarum virtutum incrementa percipienda, fratris nostri Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi monitis & consiliis hortamur gloriam vestram acquiescere: quem carissimum membrum, & unum ex primis Romanæ Ecclesiæ filiis, lateri nostro assidue non adjunctum esse dolemus; sed ex fructu quem Ecclesiæ in Regno vestro tribuit, consolationem ejus absentiæ sumimus*: (Epist. X.)

Lanfranci commendatio

Studium Alexandri secundi in viros literatos.

XIII. Viros Literatos & Religiosos maximi fecit coluitque *Alexander II.* Hujus rei argumentum est, quod refert *Willelmus Malmesburiensis* lib. I. de Gestis Pontificum Anglorum. *Erat*, inquit, *Lanfrancus tunc temporis in doctrina & mundi sapientia famosissimus & quem venerabiliter susciperet Alexander Apostolicus. Honoris maximum fuit indicium, cum Romam venienti, sequestrato illo Romani supercilii fastu, dignanter assurgeret, professus hanc venerationem non se illius Archiepiscopatui, sed Magisterio literarum deferre. Quapropter se fecisse quod esset honoris: illum debere facere quod esset justitiæ, ut pro more omnium Archiepiscoporum, Sancti Petri Vicarii vestigiis advolveretur.* Eumdem arbitrum fecit restitutionis *Thomæ* Archiepiscopi Eboracensis, & *Remigii* Linconiensis Antistitis in sacrum Officium, a quo exciderant; prior quidem quod filius esset Presbyteri; alter quod pro auxiliis *Willelmo* Angliæ Regnum adeunti præstitis factus esset Episcopus, *Divinum munus bellicosis laboribus nundinatus*, inquit Willelmus Malmesburiensis.

Honorem exhibuimus, *inquit*, non quem Archiepiscopatui tuo, sed quem Magistro, cujus studio sumus in illis quæ scimus imbuti, debuimus. *Ita refert Eadmerus lib. 1. Histor. Novorum.*

XIV. *B. Petrum Damiani* Apostolica Legatione ornatum * Ravennam misit Aleaander II. anno MLXXII. ut Ravennates ab excommunicatione absolveret, quam incurrerant ob communionem cum Archiepiscopo hujus Urbis excommunicato, contumace & in anathemate defuncto, ut testatur Joannes Monachus in Petri Damiani Vita.

XV. *Alexandri II.* studium in Monachos præter ea quæ jam dicta sunt, testantur Immunitatis Privilegia Monasterio Sigebergensi in Germania; Corbejensi, Sandionysiano, Cluniacensi, in Galliis concessa vel confirmata, & contra Episcopos vindicata (Epist 9. 19. 20. & 43.) Decretum in gratiam Monachorum, quos Clerici Ordinis istius hostes, invocato Laicorum auxilio, ex Ecclesiis Cathedralibus ejicere nitebantur. (Epist. 39. ad Lanfrancum) & Privilegium amplissimum *Odrico* Abbati Vindocinensi, & ejus successoribus concessum, quo Romana *B. Priscæ* Ecclesia, ejusdemque Ecclesiæ Cardinalitia Dignitas hujus Cœnobii Abbatibus conceditur. (Epist. 40.)

**B. Petrus Damiani Ravennam Legatus.*

**Studium Alexand. secundi in Monachos.*

Legatio in Gallias altera.

XVI. Ad Gallicanam Ecclesiam reformandam *Geraldum* Ostiensem Episcopum in Gallias Legatum misit, qui habito Cabiloni Concilio, in urbem Diensem divertens, *Lancelinum* Episcopum Simoniacum deposuit, & *Hugonem* Lugdunensem Camerarium eligi curavit, anno MLXXIV. ut refert *Hugo Flaviniacensis* in Chronico Virdunensi.

Varia Alexandri secundi Decreta de Pœnitentiis & Remissionibus.

XVII. Varia *Alexandri II.* Decreta in Pannormiam suam transfudit *Yvo Carnotensis* Episcopus, quæ vota, pœnitentias, & remissiones spectant. *Landulphum*, qui in infirmitate positus, votum continentiæ, inconsulta uxore, emiserat & Monasticam Vitam amplexus fuerat, absque consensu uxoris votum imprudens & re ipsa irritum esse qui non posse declaravit. *Cosaldo* Presbytero, qui in morbo Monachatum voverat, & Beneficiis se abdicaverat, nec tamen Monasterio se tradiderat, vel Professionem emiserat, Beneficia restitui jussit. (Epist. 26.) Presbyterum alterius Presbyteri occisorem, quatuordecim annorum pœnitentia, in Monasterio peragenda, damnavit. (Epist. 29.) Cuidam, qui Presbyterum armatum in se irruentem, ictumque inferentem interfecerat, decennem pœnitentiam injunxit. (Epist. 30.) Cuidam Abbati Sacerdoti, cujus servus, ira stimulante, ab ipso uno fustis ictu in dorso percussus, post sex menses obierat, & quem propterea *Rumoldus* Constantiensis Episcopus gradu & dignitate velut homicidam privaverat, pœnam remisit, temperavitque sententiam duriorem. Jussit nimirum ut ipsi restitueretur Abbatia, & si jam annus Pœnitentiæ translactus esset, sacris etiam Altaribus ministrare & Sacerdotio fungi sineretur. (Epist. 31.) Cuidam, qui fraternæ cædis causa fuerat, licet præter voluntatem, imperavit secessum in Monasterium per annum, septennem Pœnitentiam, interdicto per illud tempus conjugii usu, & armorum gestatione toto vitæ decursu prohibita: utque patrimonium pro fratris animæque suæ remedio pauperibus erogaret, medietatis tantum usufructu sibi reservato. Cujus tamen pœnitentiæ moderandæ potestatem Petracoricensi & Tolosano Episcopis, & *Hugoni* Abbati fecit. (Epist. 33.) *Theoderico*, qui fili-

filium non sponte occiderat, septennium Pœnitentiæ indixit. (Epist. 37.) Ipsi & alia Decreta ab *Ivone* & *Gratiano* tribuuntur.

Alexander Secundus Henricum Germaniæ Regem ad dicendam causam Romam vocavit.

XVIII. *Henrico* Regi, Simoniæ, aliorumque criminum a Saxonibus accusato, diem dixit *Alexander II.* ipsamque Romam vocavit, ut Deo & Ecclesiæ satisfaceret, anno MLXXIII. ut *Otto* Frisingensis, lib. 6. cap. 34. & Abbas Uspergensis testantur. Huic Pontifici elogium istud tribuit *Otto*, quod *Ecclesiam jamdiu ancillatam in pristinam eduxerit libertatem*. Ipsi Opusculum 23. *De Brevitate vitæ Romanorum Pontificum*, & 24. *Contra Clericos Regulares proprietarios* dicavit B. Petrus Damiani.

Alexandri Secundi Elogium.

XIX. Obiit Pontifex vitæ sanctimonia & miraculis clarus, decimo Kalendas Maji anni 1073. cum annos 11. menses 6. dies 22. Ecclesiam rexisset. Ipsum hoc elogio Guillelmus Pictavensis ornat in Gestis Guillelmi I. Ducis Normannorum & Regis Anglorum: *Tempore eodem sedebat in Cathedra S. Petri Romæ Papa Alexander, dignissimus cui obediret, quemque consuleret Ecclesia universa. Responsa etenim edebat justa salutariaque. Is Præsul Lucensis, cum altiorem gradum nullatenus appeteret, violento plurimorum consensu, quorum apud Romanos tunc praecellebat authoritas, ingenti Concilio assentiente, in eo locatus est Primatu, quo Præsulum orbis terræ caput existeret atque Magister. Allectionem hanc sanctitate meruerat atque doctrina. Per eadem post ad ortum Solis & occasum effulgebat .... ubicumque per mundum potuit iniquum corrigens, nulli concedens.*

Nota.

SAnctus Pontifex Alexander II. eo prosequebatur affectu Lucensem Civitatem patriam meam, ut non solum multis privilegiis decoraverit, sed etiam voluerit usque ad mortem episcopatum in ea retinere. Observat proinde noster celeberrimus Florentinius in Commentariis rerum Mathildis Comitissæ hujus Pontificis rescripta his constasse verbis: *Ego Alexander sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Præsul, & Lucensis Episcopus.* Videatur etiam Ptolemæus Lucensis in Chronico, quod inchoat ab Alexandro II.

ARTICULUS XI.

De S. Gregorio VII.

ALexandro II. ad Superos translato, *Hildebrandus* natione Etruscus, patria Soanensis, *Bonicii* filius, ex Monacho Cloniacensi S. R. E. Cardinalis sub Summis Pontificibus Leone IX. Victore II. Stephano IX. Nicolao II. & Alexandro II. præcipuis muneribus & Legationibus perfunctus, vir ingenii vehementis, eruditionis exquisitæ, severæ sanctimoniæ. studii in Disciplinam Ecclesiasticam incredibilis, animi intrepidi, quem *sanctissimi ac purissimi consilii virum* B. Petrus Damiani ad Nicolaum II. scribens prædicat, conspirantibus Cardinalium suffragiis, Cleri totius summo consensu, omnium Ordinum applausu, electus est Pontifex. X. Kalendas Maii, quo sepultus est Alexander II. an. Christi 1073. ut constat ex Decreto electionis ipsius, in quo & hoc elogio exornatur: *Eligimus nobis in Pastorem & Summum Pontificem, virum religiosum, gemina scientiæ prudentia pollentem, æquitatis & justitiæ præstantissimum amatorem, in adversis fortem, in prosperis temperatum, & juxta Apostoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem, in gremio hujus matris Ecclesiæ a pueritia satis nobiliter educatum & doctum, atque pro vitæ merito in Archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum, Hildebrandum, quem amodo usque in sempiternum & esse & dici Gregorium Papam & Apostolicum volumus & approbamus.* Invitum ad supremæ fastigium Dignitatis evectum fuisse, constat ex illius ad *Desiderium* Abbatem Cassinensem Epistola, statim post electionem data. Henrici Germaniæ Regis consensus accessit, teste Lamberto Scafnaburgensi. Dum Missarum solemnia perageret, visa est a viris piis columba e cœlo delapsa humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare, quo significatum est Spiritus Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine, ut *Paulus Bernriedensis* in ejus Vita commemorat.

Gregorii Septimi electio.

Ejus præclaræ dotes & virtutes.

Cœleste visum, quo ejus regimen a Deo probari significatur.

Simoniacos, & incontinentes Clericos coercet.

II. In id præcipue *Gregorius VII.* incubuit, ut Simoniacam hæresim, quæ in Germania, Italia, & Galliis impune grassabatur, extirparet, necnon hæresim Nicolaitarum, sive pertinacem errorem incontinentium Clericorum, qui licitum sibi concubinarum consortium propugnabant, nec a fœda libidine ullis Ecclesiæ Decretis avocabantur. Id constat ex eodem Authore, & ex plerisque Gregorii Conciliis ac Epistolis. Anno tertio Pontificatus, insidias passus est a *Cincio* Romanæ Urbis Præfecto, quem ob tyrannidem excommunicaverat. Ipsa nempe nocte Dominicæ Natalis, dum Sacris operaretur, a nefario homine cum armatorum manu in ecclesiam irruente appetitus, contumeliis & verberibus affectus, & in turrim captivus abductus est, ex qua a Populo Romano liberatus, insigne Christianæ moderationis specimen dedit, seditionis Authori sacrilego ignoscens, modo sacrilegium Hierosolymitana peregrinatione expiaret. Ita refert *Paulus Bernriedensis*: ejusdem seditionis *Lambertus Scafnaburgensis* meminit.

Ipsi structæ insidiæ.

Christianæ moderationis exemplum.

Berengarium damnat.

A calumnia vindicatur.

III. *Berengarii* Hæresim in duplici Synodo Romana annis MLXXVIII. & MLXXIX. damnavit *Gregorius VII.* ipsumque compulit ad hæresim ejurandam, & ad duplicem fidei professionem edendam, de quibus Synodis & Professionibus in Dissertatione de causa *Berengarii* agemus. Unde quorumdam Calvinistarum calumniæ contra *Gregorium VII.* diffluorum, qui ipsum de transsubstantiatione dubitasse scripturierunt, quod *Benno* Pseudo-Cardinalis Schismaticus asserat ipsum dubium fuisse in fide, quia nimirum signum a Deo postularit, quo restaretur quænam sententia verior esset, an Romanæ Ecclesiæ, an *Berengarii*. Quod etsi fabulosum sit, non probaret tamen *Gregorium* de veritate realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia, aut Transsubstantiationis dubitasse; sicut nec *Elias* dubitavit an Deus Israel verus Deus esset, quia ut Prophetas Baal confunderet, ac populum ab Idololatria revocaret, miraculum ignis cœlitus super holocausta delapsi a Deo postulavit & impetravit ut ipsum unum verum Deum esse confirmaret, dicens: *Invocate nomina Deorum vestrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.*

Ejus cum Henrico quarto Germaniæ Rege dissidium.

IV. *Gregorio VII.* diuturnum fuit ac pene perpetuum adversus *Henricum IV.* Germaniæ Regem certamen, ut Ecclesiam in libertatem assereret. Simoniæ cum investituris conjuncta præcipua ratio fuit, quæ Pontificis Sanctissimi zelum adversus *Henricum* excitavit. Legationibus frustra conventum, admonitum, increpitum, a communione primum removit, deinde Regno privavit subditis a Sacramento fidelitatis absolutis, missaque ad *Rodulphum* Sueviæ Ducem, quem Saxones Regem elegerant, corona. *Gregorii* severitas impium *Henricum* ut alterum Pharaonem induravit, & ad nefarium Schisma compulit. Coactis enim Ultrajectino & Moguntino Conciliabulis, multis calumniis in Sanctum Pontificem adornatis, ipsius depositionem de sententia conjuratorum Episcoporum decrevit. quam in Brixinensi Conventiculo executus est, *Guiberto* Ravennate quondam Episcopo Antipapa creato. De Gregorii VII. & Henrici IV. dissidio Dissertationem Historicam inferius dabimus. Romanam Ecclesiam & Gregorium VII. viriliter juverunt fœminæ Principes & comprimis religiosæ, *Agnes* Augusta Regis Henrici mater, *Beatrix* Godefridi Lotharingiæ & Tusciæ Ducis uxor, quæ defuncto marito Tusciæ Ducatum non minori prudentia & integritate quam pietate moderabatur; & Mathildis Comitissa ejus filia, quæ consiliis, opibus, copiis, Ecclesiæ causam contra Schismaticos defendit, ac Liguriam, Tusciamque Provincias Romanæ Ecclesiæ donavit, Henrico Rege, consobrino suo, posthabito, anno MLXXVII. Quæ Donatio Henrici invidiam & odium in Pontificem incendit magis (*Ex Leone Ostiensi* lib. 3. cap. 48. & *Donnizone* Presbytero in Vita Mathildis, quam carmine edidit.)

Mathildem Comitissam ad Christianam perfectionem instituit.

V. *Mathildis* Gregorium VII. Christianæ perfectionis Magistrum sibi delegerat, qui eam *Anselmo* Lucensi Episcopo viro sanctissimo dirigendam commenda-

davit, ut Vitæ *Anselmi* coævus Author commemorat. Plures ad illam Epistolas dedit *Gregorius*, quas inter observatione singulari digna est 47. Libri primi, qua ipsi duo armorum genera contra mundi principem subministrat, frequentem scilicet Communionem & pietatem erga Virginem Deiparam. Sanctissimi Pontificis verba præclaras & omnino sequendas Christianæ pietatis, ac sinceræ devotionis Regulas exponentia subjicio.

Ad frequentem Communionem, & pietatem erga Virginem Deiparam ipsam hortatur.

Inter cætera, inquit, *quæ tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potissimum est, ut corpus Dominicæ frequenter acciperes, indicavi: & ut certa fiducia Matris Domini te omnino committeres, præcepi. Quid inde B. Ambrosius, videlicet de sumendo Corpore Domini senserit, hic Literis intimavi. Ait enim in Lib. IV. De Sacramentis inter cætera:* Si mor-
„ tem Domini annuntiamus, annuntiamus remissio-
„ nem peccatorum. Si quotiescumque effunditur Sanguis
„ Domini, in remissionem peccatorum funditur, de-
„ beo illum semper accipere, ut semper mihi pecca-
„ ta dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo
„ habere medicinam. *Item ipse Ambrosius in lib. 5. de*
„ *Sacramentis:* Si quotidianus est panis, cur post
„ annum illum sumas, quemadmodum Græci in O-
„ riente consuevere facere? Accipe quotidie quod
„ quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merea-
„ ris accipere. Qui non meretur quotidie accipere,
„ non meretur post annum accipere: quomodo Job
„ Sanctus pro filiis suis offerebat quotidie Sacrificium,
„ ne forte aliquid vel in corde, vel in sermone pec-
„ cassent. Ergo tu audis, quod quotiescumque of-
„ fertur Sacrificium, mors Domini, resurrectio Do-
„ mini significetur, & remissio peccatorum; & pa-
„ nem istum vitæ quotidianum non assumis? Qui
„ vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est,
„ quia sub peccato sumus: Medicina est cœleste
„ venerabile Sacramentum. *Item Gregorius Papa*
„ *in lib. 4. Dialogorum:* Debemus itaque præsens sæ-
„ culum, vel quia jam conspicimus defluxisse, tota
„ mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum
„ sacrificia, quotidianas Carnis ejus & Sanguinis Ho-
„ stias immolare. Hæc namque singulariter victima
„ ab æterno interitu animam salvat, quæ illam no-
„ bis mortem Unigeniti per mysterium reparat. Quod
„ licet surgens a mortuis jam non moritur, & mors
„ ei ultra non dominabitur, tamen in seipso immor-
„ taliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis i-
„ terum in hoc Mysterio sacræ Oblationis immola-
„ tur. Ejus quippe ibi Corpus sumitur, ejus caro
„ in populi salute partitur, ejus Sanguis non jam
„ in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.
„ Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc Sa-
„ crificium, quod pro absolutione nostra Passionem
„ unigeniti Filii semper imitatur. Quis enim Fide-
„ lium habere dubium possit in ipsa immolationis ho-
„ ra ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu
„ Christi Mysterio Angelorum choros adesse, sum-
„ mis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum
„ quid ex visibilibus & invisibilibus fieri? *Item Jo-*
„ *annes Chrysostomus ad Neophytos:* Videre quemad-
„ modum sponsam sibi Christus conjunxit. Videte
„ quo nos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantia est atque nutrimentum. *Debemus, o Filia, ad hoc singulare confugere Sacramentum, singulare appetere medicamentum. Hæc ideo, carissima Beati Petri filia, procuravi, ut fides ac fiducia in accipiendo Corpus Domini major accrescat. Talem quidem Thesaurum, aliaque dona non aurum, non lapides pretiosos amore Patris tui, cælorum videlicet Principis, a me tua requirit anima, licet ab aliis Sacerdotibus longe meliora pro meritis accipere possis. De Matre vero Domini, cui te principaliter commisi & committo, & nunquam committere, quousque illam videamus, ut cupimus, omittam, quid tibi dicam quam cœlum & terra laudare, licet ut meretur, nequeunt, non cessant; Hoc tamen procul dubio teneas, quia quanto altior & melior ac sanctior est omni matre, tanto clementior & dulcior circa conversos peccatores & Peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa, ex corde contrito & humiliato lacrymas effunde. Invenies illam, indubitanter promitto, promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione.*

Frequens Communio & pietas erga Deiparam Virginem, duo sinceræ devotionis characteres.

Virgo Deipara patrocinium suum illis tantum impendit, qui finem ponunt voluntati peccandi.

Sacra necessitudo quæ Gregorio VII. cum *Mathilde* intercessit, ansam dedit Sanctissimi Pontificis hostibus, præcipue Clericis, quibus uxorum alium, aut concubinarum consortium severissimis Decretis prohibebat, præclaram ejus famam atrocissimis calumniis proscindendi, quasi furtivis Mathildis amoribus frueretur. Verum inculpata ipsius vita, & utriusque nota castitas fecere nullam ut fidem apud viros prudentes tam putidæ obtrectationes ac mendaciorum portenta invenirent, ut scribit *Lambertus Scafnaburgensis* ad *annum* 1077. *Sed*, inquit, *apud omnes sanum aliquid sapientes luce clarius constabat, falsa esse quæ dicebantur. Nam & Papa tam eximie tamque Apostolice vitam instituebat, ut nec minimam sinistri rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret, & illa in Urbe celeberrima, atque in tanta obsequentium frequentia, obscœnum aliquid perpetrans, latere nequaquam potuisset. Signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentius fiebant & zelus ejus ferventissimus pro Deo & Ecclesiasticis Legibus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebat.*

Gregorius Septimus vindicatur a calumnia.

VI. Unionis Ecclesiæ Græcæ cum Romana redintegrandæ studiosissimus fuit, ut probat ejus Epistola ad *Michaelem* Imperatorem XVIII. libri primi. Statuerat etiam pacatis Ecclesiæ rebus, in Orientem proficisci, ut Græcos & Armenos ad veram fidem, & Catholicam unitatem revocaret; Christianosque sub Saracenorum tyrannide gementis numeroso præmisso exercitu liberaret, ut constat ex ipsius Epistola ad *Henricum* Regem Romanorum, 30. libri secundi. *Michaeli Parapinacio* Græcorum Imperatori, qui injuste fuerat depositus, auxiliares copias suppeditare decrevit ad recuperandum Imperium, ut constat ex Epistola ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ, 6. lib. octavi.

Ejus gesta pro Ecclesia & Imperio Orientis.

VII. *Vratislao* Bohemorum Duci indultum ab *Alexandro II.* Mitræ usum confirmavit, Epistola 38. libri primi. Legatos Apostolicos ad eumdem misit, causas Apostolicas in illius ditionibus finituros; & *Jeromirum* Pragensem Episcopum, necnon *Joannem* Moravensem, Romam vocavit, ut controversiam inter eos ortam judicaret; jussitque Duci ut dicto *Jeromiro* Præsuli fratri suo manu captos Episcopatus reditus restitueret. (Epistola 44. & 45. lib. primi.) Hunc vero de objectis criminibus purgatum in Sedem restituit. (Epistola 78.) Jubente Pontifice, Dux cum fratre Episcopo pacem iniit, & census nomine centum marchas argenti Sedi Apostolicæ obtulit. (Epist. 7. lib. secundi). Divinum Officium lingua Sclavonica celebrari vetuit, quamvis id enixe postulasset; quia *Omnipotenti Deo placuit Scripturam sacram quibusdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, & subjaceret despectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret. Neque enim ad excusationem juvat, quod quidam religiosi viri hoc quod simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ a sanctis Patribus postmodum firmata Christianitate, & religione crescente, subtili examinatione correcta sunt. Unde ne id fiat quod a vestris imprudenter exposcitur, Authoritate Beati Petri inhibemus, Teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus.*

Gesta pro Ecclesia, & Duce Bohemorum.

Divinum Officium lingua Sclavonica celebrari vetat.

VIII. *Salomonem* Hungarorum Regem increpuit, quod Regni Hungarici investituram ab *Henrico* Germaniæ accepisset, quam a Romano Pontifice accipere debuerat, cum Ecclesiæ Romanæ Beneficiarium sit, utpote ipsi a *Stephano I.* Rege cum omni jure & potestate sua quondam oblatum & addictum. Quare jussit, ut Sceptrum quod tenebat, Apostolicæ, non Regiæ Majestatis Beneficium esse cognosceret. (Epist. 13. lib. 11.) Ad *Suenum* Danorum Regem amicissimas literas scripsit, quibus ipsum ad rectam Regni administrationem vehementer hortatus est, utque unum e filiis suis Apostolicæ Aulæ militaturum daret, seu *Ducem ac Principem, & Defensorem Christianitatis*, contra quosdam hæreticos qui in Italiæ Provincia quadam grassabantur. (Epist 51. lib. 11.) Ipsi etiam observantiam erga Sedem Apostolicam gratulatus est, & propensissimam in ejus utilitates voluntatem significavit, Epistola 75. qua & de cæteris

Gesta cum Regibus Hungarorum, Danorum, Suecorum, Norvegorum.

pene Principibus graviter conqueritur. *Apud Antecessores nostros*, inquit, *juris & consuetudinis erat caritativis Legationibus docere viam Domini, universas nationes corripere, in his quæ arguenda erant, omnes Reges & Principes, & ad æternam Beatitudinem cunctos invitare legalibus disciplinis. Plus enim terrarum Lex Romanorum Pontificum quam Imperatorum obtinuit.... Nunc vero Reges & Præsides terræ contemptores facti Ecclesiasticæ Legis, qui amplius justitiam servare & eam defendere debuerant ad tot irrogandas Ecclesiæ contumelias convenerunt, atque ad tantam inobedientiam, quæ secundum Samuelem, similis est Idololatriæ devoluti sunt, ut fere jam quiescentibus Legationibus nostris, quoniam pene sine fructu videmur, verba nostra tantummodo convertamus ad Dominum Regum, & Deum ultionum.*

Aconum Suenis Regis filium & in Daniæ Regno successorem, ad paternarum æmulationem virtutum, & ad parem Apostolicæ Sedis observantiam hortatus est Epistola 21. lib. 6. *Inter cæteras ergo virtutes*, inquit, *Ecclesiarum defensionem in mente tua volumus eminere, Sacerdotalis Ordinis reverentiam proximum locum tenere, ac deinde justitiam & misericordiam in cunctis te judiciis discrete servare.*

Gallicana Ecclesia doctrinam ex thesauris Romanæ Ecclesiæ Matris suæ acceptam Suecis tradit.

Regi Suecorum gratulatus est, quod sacri verbi Ministros ex Ecclesia Gallicana suscepisset, qui salutarem doctrinam & ex Romanæ Ecclesiæ thesauris acceptam, ejus subditis tradiderant. *Gallicana siquidem Ecclesia*, inquit, *non vos alienis documentis instruxit, sed quod de thesauris matris suæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ accepit, salubri vobis eruditione contradidit*. Atque ut uberiorem religionis & doctrinæ gratiam obtinerent, jussit ab ejus Majestate ad Sedem Apostolicam Episcoporum aliquem, vel idoneum Clericum dirigi, qui gentis mores exponeret, & sacra mandata inde ferret. (Epist. 11. lib. 8.)

Scripsit ad *Olavum* Norvegiæ Regem, ipsum in fide confirmans, & optare se vehementer significavit, ut e junioribus & Nobilibus Regni sui aliquos ad Apostolicam Aulam mitteret, qui divinis legibus diligenter edocti, Apostolicæ Sedis mandata in patriam referrent, & quæ Christianæ Religionis ordo postularet, prædicarent & excolerent: Ipsum etiam admonuit, ne fratres Regis Danorum, qui Regem fratrem armata manu cogere volebant, ut Regnum cum ipsis divideret, adversus ipsum juvaret: immo potius auctoritate sua efficeret, ut Rex fratres suos in Regnum cum caritate susciperet, & ita eis de reliquis honoribus & bonis divideret, ut nec illos premeret necessitas, nec Regni status labefactaretur, aut dignitas. (Ep. 13. lib. 6.)

Necem S. Stanislao illatam ulciscitur.

Necem S. *Stanislao*, Cracoviensium Episcopo & Martyri, jussu *Boleslai* Polonorum Regis illatam, ultus est *Gregorius VII. Petro* Gnesnensium Archiepiscopo, cæterisque Poloniæ Præsulibus dans in mandatis, ut in istius facinoris execrationem, Provinciæ Gnesnensi sacris omnibus interdicerent; *Boleslaum*, & Poloniæ Regnum, omni honore & dignitate Regali privarent, & omnes subditos ab ejus obedientia absolverent; Filiis denique militum, qui huic facinori, auxilio, consilio, vel assensu, essent cooperati, aditum ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica, usque ad quartam generationem, interclusum esse denuntiarent. (Ex Longino Rerum Polonicarum Scriptore.)

Gesta cum Hispaniæ Regibus.

IX. *Alfonsum* Castellæ, & *Sancium* Aragoniæ Reges hortatus est *Gregorius VII.* ad Romanæ Ecclesiæ Ordinem, Officiumque recipiendum, Gothicis Ritibus dimissis. (Epist. LXIV. lib. I.) Qua de re & mandata dedit *Simeoni* Episcopo, Epist. XVIII. lib. III. Id ab *Alphonso* Castellæ Rege impetratum, ipsi gratulatus est, eumque monuit ne Judæos Christianis dominari suis in ditionibus pateretur. (Epist. 11. lib. 9.) Ingentem *Gregorii VII.* animum & Apostolicam virtutem probant hæc istius Epistolæ verba:

Numquam melius aliquis Episcopus nominatur, quam cum persecutionem propter justitiam patitur.

Nos ex hujus vitæ termino, & temporalium commodorum qualitate perpendentes, numquam melius quemquam posse Episcopum nominari, quam cum persecutionem patitur propter justitiam, decrevimus potius divinis mandatis obtemperando, pravorum inimicitias incurrere, quam illis male placendo, iram Dei provocare.

Eumdem Regem *Alfonsum*, qui connubium alterum cum uxoris suæ consanguinea contraxerat, id rescindere jussit, ac incestam mulierem abjicere, ne gloriam suam macularet, posteritatemque suam inutilem ac reprobam faceret. Alioqui se Beati Petri gladium in ipsum districturum. Monuit ut a se quantocyus removeret *Consiliarios falsitatis*, & Sedis Apostolicæ Legato *Richardo* Massiliensi Abbati acquiesceret. *Robertum* autem Monachum, Regis seductorem, communione privavit, & in Cœnobium Cluniacense ad agendam pœnitentiam detrudi jussit. (Epist. 3. lib. 8.) Comiti *de Roccjo* Hispaniæ partem concessit, quam e Saracenorum manibus eriperet, ea ratione fultus, quod Hispaniæ Regnum ab antiquo juris esset Sancti Petri. (Epist. 6. lib. 1. & Epist. 28. lib. 4.)

Gregorius septimus Canonum custos diligentissimus.

Sacrorum Canonum ita studiosus observator fuit, ut de iis dispensare noluerit, etiam rogantibus Regibus, cum dispensationes illas pravo exemplo Successoribus suis esse posse prævidit, nec Ecclesiæ honori & utilitati congruas. Sic rejecit commendationem & preces *Sancii* Aragoniæ Regis, postulantis, ut Clericus de concubina natus ad Episcopatum Aragoniæ promoveretur. *Et quia*, inquit, *venerandi Canones ad Sacerdotii gradum provehi tales contradicunt, probare eos non satis cautum fore putavimus, ne quidquam a nobis contrarium Sanctis Patribus, in exemplum & auctoritatem relinquatur. Solet enim Sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed numquam in suis Decretis & Constitutionibus a concordia Canonicæ Traditionis discedere.* (Lib. II. Epist. L. ad *Sancium* Aragoniæ Regem.)

X. Cum *Landalpho* Beneventano Principe pactum iniit Pontificatus anno 1. cujus tenorem lib. 1. Regesti ipsius post Epistolam 18. videre est. *Robertum Guiscardum* Normannorum Principem, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæque Ducem, fines suos excurrentem, & Ecclesiæ juribus infestum excommunicavit. (Ex Leone Ostiensi lib. 3. cap. 44.) Guillelmum Burgundiæ Comitem rogavit ut Ecclesiæ Romanæ succurreret, copiasque in Italiam trajiceret, ut Normanni certaminis aleam cum ingenti exercitu veriti, justitiæ facilius subderentur, paceque ipsis imperata, Constantinopolim in auxilium Christianorum properaret. (Epist. 46. lib. 1.) Ducem *Robertum* in communionem & gratiam Sedis Apostolicæ recepit *Gregorius VII.* qui juramentum fidelitatis Pontifici præstitit, seque ad censum duodecim denariorum Papiensis monetæ quotannis persolvendum obstrinxit. Investituram porro Ducatuum Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ, ipsi concessit Pontifex, sicut ejus Decessores Alexander II. & Nicolaus II. concesserant. Quas autem injuste occupabat ditiones, Salernum scilicet, Amalphiam, & Marchiæ Firmanæ partem, ipsum tenere patienter sustinuit. Ista erga *Robertum* Gregorii VII. moderatio, illum Ecclesiæ Romanæ ac Pontificis defensioni penitus addixit. Urbe namque ab *Henrico* Rege obsessa, *Robertus* ex Oriente, ubi adversus *Alexium Comnenum* bellum gerebat, in Italiam advolans, Urbem ac Pontificem, fugato *Henrico*, liberavit, ut *Domnizo* Presbyter in vita Mathildis, & *Leo Ostiensis* lib. 3. cap. 57. testantur.

Robertum Guiscardum Principem Normannum beneficiis suis addicit Eccles. Romanæ defensioni Gregorius VII.

Canonica de Episcopis Judicia.

XI. *Rogerio* Catalaunensi Episcopo diem dixit *Gregorius VII.* ut ad Apostolicum tribunal, ad querimonias Ecclesiæ suæ responderet. (Epist. 56. lib. 1.) *Isembertum* Pictavensem Episcopum, qui *Gozelino* Burdigalensi Archiepiscopo Metropolitano suo injuriam irrogaverat, Romam pariter vocavit causam dicturum; jussitque Metropolitanum per se vel per Procuratores adesse, qui dictum Episcopum reum probarent. (Epist. 4. lib. 11.) Sententiam Interdicti contra *Isembertum* a Legato Apostolico latam non solum confirmavit, verumetiam illum communione privavit, donec Romam Synodi judicium subiturus venisset. Si vero maneret adversus Apostolica mandata contumax, ipsi velut Episcopo jam exauthorato negaretur obedientia, & Metropolitanus res Ecclesiasticas Pictavensis Diœceseos; *Guillelmus* vero Dux Aquitaniæ justitiæ administrationem curaret. (Epist. 23. & 24. lib. 11.) Bambergensem Episcopum Simoniæ convictum in Synodo deposuit, ut ipse testatur Epistola 76. lib. 11. & Epistolis 1. 2. & 3. lib. 3. *Rainerium* Aurelianensem sistere se jussit Romanæ Synodo rationem gestorum redditurum: Quem, si Literas quibus ipsum

jam

jam convenerat, acceperit, ab omni Episcopali Officio, & Communione Corporis Domini suspendit. (Epist. 9. lib. 4.) Causam Dolensis Episcopi, propter crimina exauthorati, rogante Anglorum Rege *Willelmo*, coram Legatis suis retractari jussit in partibus. (Epist. 17. ejusdem libri.) Plurimorum Franciæ & Burgundiæ Episcoporum, quos *Hugo* Diensis Episcopus Sedis Apostolicæ Legatus suspenderat, seu damnaverat, causas œconomia prudenti finivit, rigore Canonum temperato, secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ *tolerare plurima*, nonnulla etiam *dissimulare* solita est. Inter cæteros, *Manassen* Remensem Archiepiscopum, qui se a Synodis ab Apostolico Legato coactis subtraxerat, ob idque fuerat ab ipso suspensus, in proprium gradum officiumque restituit, postquam juramentum obedientiæ supra corpus *S. Petri* præstitit: quia sententia in eum lata *non Romanæ Ecclesiæ gravitate, & solita mansuetudine* videbatur. (Epist. 17. lib. 5.) Depositionis sententiam in eumdem Archiepiscopum postea latam ab eodem Legato in Concilio Lugdunensi confirmavit Pontifex, datis ipsi induciis ut Romam se purgaturus accederet: ita tamen ut cederet interim sacro regimine, & *Cluniacum* vel *Casam Dei* secederet, humilitatem probaturus. (Epist. 20. lib. 7. Epistolis 17. 18. 19. & 20. lib. 8. ad Clerum & populum Remensem, ad *Hebolum* Comitem, ad Suffraganeos Ecclesiæ Remensis, & ad *Philippum* Francorum Regem; quibus sententiam a Concilio Lugdunensi latam & a se confirmatam, executioni mandari, & Archiepiscopum in locum *Manassæ* eligi jubet.) In his causis judicandis religiose observavit, quod ad *Manassen* ipsum scripsit Epistola 58. lib. 11. *Ecclesiasticas causas non potentiæ magnitudine, sed justitiæ censura finiri oportere.*

Ecclesia Romana tolerat plurima, nonnulla dissimulat.

Ecclesiasticæ causæ qua ratione finiendæ?

Quam tenax esset Canonum, ostendunt hæc ejus verba in Epistola ad Aquilejenses 5. lib. 5. *Cæterum quod ad servitium, & debitam fidelitatem Regis pertinet, nequaquam contradicere aut impedire volumus. Et ideo nihil novi, nihil nostris adinventionibus superinducere conamur, sed illud solummodo quærimus, quod & omnium salus postulat & necessitas, ut in Ordinatione Episcoporum, secundum communem SS. Patrum intelligentiam & approbationem, primo omnium Evangelica & Canonica servetur authoritas... In hujusmodi causa non secundum arbitrium nostrum, sed per viam & Doctrinam Orthodoxorum Patrum incedere cupimus.*

Canonum observantiam procurat Gregorius Septimus.

XII. Ecclesiæ Lugdunensi Primatum super quatuor Provincias, Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem confirmavit *Gregorius VII.* quo tamen iis dumtaxat Lugdunenses Archiepiscopi fruerentur, qui nullo interveniente munere, a manu, ab obsequio, vel a lingua electi & consecrati fuissent. (Epistola 34. ad *Gebuinum* Archiepiscopum Lugdunensem, & Epistola 35. ad Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem Archiepiscopos.)

Ecclesiæ Lugdunensi Primatialem Dignitatem confirmat.

XIII. *Hugoni* Diensi Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato, qui Normannos Antistites propter absentiam a Synodo deposuerat, jussit ut eos restitueret, ac mitius cum eis ageret; ne Regem Angliæ Sedi Apostolicæ devotissimum exasperaret. *Rex Anglorum*, inquit, *licet in quibusdam non ita religiose, sicut optamus, se habeat, tamen in hoc quod Ecclesias Dei non destruit, neque vendit, & pacem justitiamque in subditis suis moderari procurat; & quia contra Apostolicam Sedem, rogatus a quibusdam inimicis crucis Christi pactum inire, consentire noluit; Presbyteros uxores, Laicos decimas, quas detinebant, etiam juramento dimittere compulit; cæteris Regibus se satis probabiliorem ac magis honorandum ostendit. Unde non indignum debet existimari Potestatem illius mitius esse tractandam, atque respectu probitatis ipsius, subditorum, & eorum quos diligit, negligentias ex parte fore portandas..... Quare volumus ut Fraternitas vestra supra memoratis Episcopis & Abbatibus, non prætermisso Calturensi Abbate, quos suspendistis, per præsentium portitorem restitutionis literas mittat; & præfatum Regem in talibus ulterius sine assensu nostro non exasperes. Videtur enim nobis multo melius atque facilius lenitatis dulcedine ac rationis ostensione, quam austeritate vel rigore justitiæ, illum Deo lucrari, & ad perpetuum B. Petri amorem posse provocari.* Hæc ille, Epistola 5. lib. 9. Sic agendum esse cum Regibus religionis & justitiæ studio conspicuis, & Sedi Apostolicæ devotis, Optimus Pontifex intellexit; & in eorum gratiam aliquid interdum de severiori disciplina remittendum.

Ejus mansuetudo erga Normannos Episcopos, ne Rex Anglorum offenderetur.

XIV. Sacrarum electionum libertatem in Galliis vindicavit *Gregorius VII.* minis anathematis *Philippo* Regi intentatis, nisi Episcopos Cleri populique suffragiis, ac suæ Majestatis assensu electos, Episcopatu dono concesso, Ecclesiæ præfici pateretur. (Epist. 35. ad *Roclenum* Cabilonensem Episcopum, & 36. ad *Humbertum* Lugdunensem Archiepiscopum, lib. 1.) Missis ad Summum Pontificem Legatis, spopondit Rex Christianissimus emendaturum se quæ in Ecclesiam peccaverat, & in his quæ Religionem & Ordinationem Ecclesiarum spectarent, se monitis Apostolicis obtemperaturum, ut ipse *Gregorius* testatur Epistola 75. lib. 1. Ea in Epistola, Regni Francorum splendorem auctum esse scribit, cum Reges Ecclesiis amplificandis & tuendis studuerint: imminutum vero cum divina & humana jura temerarunt. Idque se frequenter ejus Majestati aspero etiam sermone, si necesse sit, inculcare debere. *Attendere te nobiscum*, inquit, *& diligenter considerare volumus, in quanta dilectione Sedis Apostolicæ, quantaque gloria & laudibus fere per orbem terrarum Antecessores tui Reges clarissimi & famosissimi habiti sunt, dum illorum Regia Majestas in amplificandis & defendendis Ecclesiis pia ac devota constitit, in tenendo justitiam libera ac districta permansit. Postquam vero divina & humana jura subvertendo tanta virtus in posterioribus cœpit hebescere, totius Regni gloria, decus & honor, & potentia, cum perversis moribus immutata sunt, & nobilissima fama & Status Regni, a culmine suæ claritatis inclinata sunt. Hæc quidem, & alia talia frequenter, & si oportet, aspero etiam sermone Tibi inculcare, suscepti nos Officii cura compellit.*

Gregorii septimi Gesta cum Philippo Rege Francorum.

Gallicanorum Antistitum zelum ad crimina, quæ hoc in Regno grassabantur, & Regis præcipue, corrigenda excitavit *Gregorius VII.* utque ipsum ad restituendam pecuniam mercatoribus ad forum quoddam Franciæ pergentibus ereptam, etiam negatione obedientiæ, & generali totius Galliæ interdicto cogerent. Quem si hujusmodi severitas minime emendaverit, se Regnum ipsi erepturum comminatur. Si vero ipsum foveant, illos Episcopali Officio privandos. Gregorius exauthorationis minas Regi Francorum intentans, non ex traditionis doctrina, & Ecclesiæ sententia, sed ex privata opinione locutus est. Ejusdem est argumenti Epistola XVIII. ad *Guillelmum* Comitem Pictavensem, Lib. II. & XXXIII. ad *Manassen*.

His Epistolis in Regem invehitur, ipsi Ecclesiarum dispersionem & destructiones varias, rapinas nefandissimas, adulteria, perjuria, multimodam fraudem, prædonum morem, deprædationes exprobrat, falsis, ut credere par est, delationibus occupatus ac deceptus. Nam de hujusmodi *Philippi I.* criminibus altum est apud Historicos silentium. Obreptum fuisse *Gregorio* probant, quæ ad Pictavensem Comitem scribit, *Diu se Regis iniquitatem portavisse, Ecclesiarum injuriam dissimulavisse*, &c. At unam duntaxat vel alteram corripiendi Regis occasionem habuerat, primo quod Matisconensis Episcopi, cujus electioni præbuerat assensum, consecrationem impediret: Secundo, quod exteros quosdam mercatores, sive mulctæ, ob violatas Regni consuetudines, nomine, sive alio, grandi pecuniæ summa spoliasset. An sæpe redarguisse dici potest, qui semel, aut bis tantum redarguit? Quomodo qui vix per sesquiannum Pontificatum tenuerat, nec ante assectum annum de Rege questus erat, decimo post mense diu se iniquitates ejus portasse ac dissimulasse dici potest? Sed quascumque in Philippum I. invehendi causas habuerit *Gregorius VII.* novum, inauditum, ipsoque jure nullum fuit, quod eripiendum ipsi quomodocumque affecto Regnum, & sequestrandos, quicumque ipsi Regalem honorem vel obedientiam exhiberent, scripserit. Hæc certe animo agitans, ac scribens, *Nicolaum II.* Decessorem suum non imitabatur, qui *Henricum* Regem *Philippi* Patrem, in Matisconensis Electi causa adversarium passus, nihil simile comminatus fuerat, sed solas preces ejus conatibus se oppositurum professus erat, ad *Gre-*

Gregorio septimo contra Philippum I. Regem Christianissimum obreptum.

Apud Duchesnium *Tom. IV. pag.* 198.

vasium Remensem Archipræsulem ita scribens: *Vestrum Regem gloriosum castiga, precare, admone, ne pervertatur pessimorum consilio, qui nostra discordia putant se Apostolicam censuram evadere &c. Agat itaque gloriosus Rex ut libet contra nos, quia nos pro illo, ejusque exercitu, Deum semper precari parati sumus.*

Studia Gregorii Septimi erga Monasticum Ordinem.

XV. *Gregorii VII.* de Ordine monastico solicitudinem studiumque in monachos probant Epistola 13. Lib. 1. ad *Manassen* Remensem Archiepiscopum data in gratiam monachorum *S. Remigii*; Epistola 31. ad *Lanfrancum* Cantuariensem Archiepiscopum, in gratiam Abbatiæ *S. Eadmundi*, cui *Arfastus* quidam molestus erat; Epistola 30. ad Fratres Monasterii *B. Mariæ* in Episcopatu Dordonensi, quibus iniquum Privilegium negavit, ac veteris, quod *Alexandri II.* nomine inscriptum erat confirmationem, quia illud pseudepigraphum esse comperit, tum ex corrupta Latinitate, tum ex dissensione a Canonibus. Privilegium tamen Canonica authoritate suffultum, de consensu Episcopi, ipsis concessurum se spondet: Epistola 62. ad *Hugonem* Cluniacensem Abbatem sibi amicissimum: Epistola 68. ad *Froterium* Nemausensem Episcopum, qui Monasterii *S. Ægidii* Privilegia violaverat; Epistola 81. ad *Udonem* Trevirensem Archiepiscopum, cui dat in mandatis, ut *Theodericum* Virdunensem Episcopum increpet ob violata Cœnobii *S. Michaelis* Privilegia, illudque Cœnobium ab interdicti sententia in illud lata ipsum absolvere jubeat; aut si renuerit, absolvat ipse Archipræsul Trevirensis ejus Metropolitanus. Epistola 82. universos qui bona Augiensis monasterii detinerent, excommunicatos denuntiavit. Epistola 15. lib. 11. jubet Lugdunensi Archiepiscopo, & Episcopis Augustodunensi, & Matisconensi, ut Lingonenses Clericos Pultariensi Abbatiæ molestos coerceant, & pro damnis illatis satisfacere cogant. Epistola 49. miserrimum Ecclesiæ statum, angustiasque suas exponit *Hugoni* Cluniacensi Abbati, monachorum precibus se commendat, jubetque ut Sanctus Abbas manum præbeat Ecclesiæ, Fideles monendo, rogando, exhortando, ut Sancto *Petro* cariores non habeant sæculares Principes. Epistola 59. *Romanensem* Abbatiam in clientelam Sedis Apostolicæ recipit, Canonicum Abbatem creari vetat, nisi se regulariter victurum professus fuerit, quoslibet Ecclesiasticæ dispensationi Administros communi Fratrum electione præfici jubet. Epistola 69. *Cunibertum* Episcopum Taurinensem increpat, quod monachis *S. Michaelis* molestiam crearit, jubet ut vel pacem ineat cum Abbate, vel litem ad Apostolicum Tribunal dirimendam deferat. Interim vero neque vocando ad Synodum, nec aliquo interdicto, neque exactione, monachos vexet; absolvatque quantocyus quos excommunicavit. Si potestate sua abuti pergat, minatur se monasterio Immunitatem ab illius jurisdictione concessurum, ut aliis Cœnobiis propter infestationem Præsidentium, concessere plerumque SS. Patres. *Hugonem* Cluniacensem Abbatem *Hugoni* Diensi Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato, adjunxit ad causas Remensis Archiepiscopi, & Dolensis, aliorumque Episcoporum cognoscendas & finiendas, ut constat ex Epistola 22. lib. 5. *Bernardi* Massiliensis Abbatis industria & opera in Legationibus difficillimis usus est, in Germanica præcipue & Hispaniensi. Ad Massilienses monachos Epistolam scripsit 25. lib. 6. qua eos de laudati Abbatis absentia peramanter solatus est, eorumque Cœnobium Sedi Apostolicæ unire se velle, Cluniacensis instar, significavit. Viros sanctissimos & doctissimos ex Cœnobiis ad Ecclesiasticas dignitates assumpsit, ac inter alios *Petrum Aldobrandinum*, Vallis Umbrosæ monachum, *S. Joannis Gualberti* discipulum, qui ignis judicio in quo stetit illæsus, unde *Igneus* appellatus est, *Petrum* Florentinum Episcopum Simoniacum esse probavit, post multas inter illum Antistitem & monachos sub *Alexandri secundi* Pontificatu contentiones, de quibus legenda Vita *S. Joannis Gualberti* a *S. Athone* Pistoriensi Episcopo scripta. Iisdem exornavit Infulis *Gebizzonem* Monachum & Abbatem Cœnobii *SS. Bonifacii & Alexii* in monte Aventino, *Othonem de Castilione* monachum Cluniacensem, qui postea fuit Summus Pontifex *Urbanus Secundus & Joannem* monachum & Abbatem Sublacensem.

Inter Cardinales *Gregorii VII.* eruditione eximius fuit *Deusdedit*, qui Canonum Collectionem edidit, aliudque doctissimum Opus *Victori III.* nuncupavit, cujus argumentum est: *Non licere Laicis in Sacerdotiorum collationibus, quæ Cleri & Monachorum jure sunt, authoritatem suam interponere.* In quo Henricum Germaniæ Regem, & *Guitbertum* Antipapam graviter perstrinxit.

Gregorii Septimi Concilia

XVI. Undecim Concilia Romæ celebravit Sanctus Pontifex *Gregorius VII.* Primum anno 1074. prima Dominica Quadragesimæ. Adfuere L. Episcopi, & Abbatum atque Clericorum multitudo, ut *Hugo Flaviniacensis* Abbas testatur in Chronico Virdunensi. In eo decrevit Pontifex de sententia Patrum, *Ut qui per Simoniacam hæresim, hoc est, interventu pretii ad aliquem Sacrum Ordinum gradum & officium promoti sunt, nullum in Sancta Ecclesia ulterius ministrandi locum habeant. Qui vero Ecclesias datione pecuniæ obtinent, omnino eas perdant.* Id constat ex ipsomet *Gregorio* in Epistola ad *Ottonem* Constantiensem Episcopum, ex Apologista Decretorum *Gregorii VII.* & ex *Mariano Scoto* ad eum annum. Secundo, Sacerdotibus uxoriis & incontinentibus Missarum celebratione; Diaconis & Subdiaconis Altaris ministerio interdixit. Testis est Gregorius VII. in laudata Epistola. Hoc Decretum ejus Apologista defendit cap. XII. & sequentibus.

I. Concilium contra Simoniacos, & incontinentes Clericos.

Hujus occasione Decreti, cujus executionem infracto animo urgebat Sanctissimus Pontifex, Clericorum conjugatorum factio gravissimos in Germania tumultus excitavit, *Gregorium Hæreticum, & vesani dogmatis* esse clamitans qui *oblitus sermonis Domini, quo ait*, Non omnes capiunt verbum hoc, *violenta exactione homines vivere cogeret vita Angelorum, & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei fræna laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se Sacerdotium, quam conjugium deserere: & tunc visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus Angelos comparaturus esset.* Ita refert *Lambertus Scafnaburgensis* ad hunc annum.

Decretum pro Ecclesia Pictavensi.

In eadem Synodo decrevit *Gregorius*, ut Clerici Regulares *S. Hilarii* Pictavensis Matricis Ecclesiæ Canonicos ad Ecclesiam suam ritu solemni procedentes in Festivitate omnium Sanctorum, & *S. Hilarii*, honorifice susciperent, & Missam ab Episcopo, vel eo absente a Decano, aut aliquo ex majoribus Canonicis ejusdem Ecclesiæ Cathedralis, celebrari paterentur. Id constat ex Epistola *Gregorii VII.* LIV. Lib. 1.

II. Concilium.

XVII. Altera Synodus a *Gregorio VII.* anno 1075. Romæ VI. Kalendas Martii celebrata est in qua decrevit rursus Pontifex, de sententia Patrum, ne quis Christianorum *Missam conjugati Presbyteri audiret*, ut testatur, qui tum scribebat *Marianus Scotus* ad hunc annum. Imprudenter & temere Decretum istud *Gregorii VII.* & Romanæ Synodi, *Novo exemplo, & considerato præjudicio* editum scribit, *contra Sanctorum Patrum sententiam, qui scripserunt; quod Sacramenta quæ in Ecclesia fiunt, Baptismus scilicet, Chrisma, Corpus & Sanguis Christi, Spiritu Sancto latenter operante eorum effectum, seu per bonos, seu per malos intra Ecclesiam Dei dispensentur.* Calumniatur & *Sigebertus* Author in Gregorium VII. iniquissimus, & Henricianis partibus addictissimus, cum Pontificis ac Synodi Decretum in eum sensum torquet, quod nulla sint per incontinentes Sacerdotes confecta Sacramenta. Non enim id innuit *Gregorius*, sed in pœnam & confusionem illorum statuit, ne Christiani Missas ipsorum audiant, & publico contemptu & infamia, ad uxores dimittendas, & ad cœlibem vitam agendam compellantur. *Sigebertum* falsi convincunt ipsius *Gregorii* verba in Epistola ad *Ottonem* Constantiensem Episcopum: *Statuimus etiam*, inquit, *ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, immo SS. Patrum Constitutionum, populus nullo modo eorum Officia recipiat, ut qui pro amore Dei, & officii dignitate non corriguntur, verecundia sæculi, & objurgatione populi resipiscant.* Hoc *Gregorii VII.* Decretum tuetur ejus Apologista a Capite 16. ad 20. De hoc quoque exequendo Decreto Epistolam dedit *Gregorius VII.* ad *S. Annonem* Coloniensem Archiepiscopum 67. lib. 2.

Gregorii VII. in isto Concilio Decretum Marsanus Scotus temere reprehendit.

Gregorius VII. a calumnia Sigeberti *vindicatur.*

Non

Non minus invidiose scripta sunt, quæ apud *Sigebertum* leguntur: *Porro continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modo causam quæstus ac jactantiæ simulantibus, multis incontinentiam perjurio, aut multipliciori adulterio cumulantibus, ad hoc hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros Ordines, & se ab omni Ecclesiastica subjectione excutientibus, Laici Sacra Mysteria temerant & de his disputant, infantes baptizant, sordido humore aurium pro sacro oleo & Chrismate utentes, in extremo vitæ Viaticum Dominicum & usitatum Ecclesiæ obsequium sepulturæ a Presbyteris conjugatis accipere parvipendunt, decimas Presbyteris deputatas igne cremant, & ut in uno cætera perpendas, Laici Corpus Domini a Presbyteris conjugatis consecratum, sæpe pedibus conculcaverunt, & Sanguinem Domini voluntarie effuderunt, & multa alia contra jus & fas gesta in Ecclesia sunt: & hac occasione multi Pseudo-magistri exurgentes in Ecclesia profanis novitatibus plebem ab Ecclesiastica Disciplina avertunt.* Hæc a *Sigeberto* conficta vel exaggerata nemo non videt, ut sanctissima illa *Gregorii VII.* Decreta odiosa redderet. Quæ tamen veterum Pontificum Decretis, & Canonibus Conciliorum omnino congruebant, ut ejus Apologista luculenter probat.

Errat quoque *Sigebertus*, cum Decretum, de quo agimus, tribuit primæ *Gregorii VII.* Synodo, anno 1074. celebratæ: ad secundam namque pertinere testantur *Marianus Scotus*, cui *Rogerius de Hoveden*, *Simeon Dunelmensis* & *Joannis Brompton* consentiunt.

Legatio in Germaniam missa.

Ad hujus executionem Decreti, missa est in Germaniam Legatio, de sententia Synodi, quam obiit Coriensis Episcopus. Concilium Moguntiæ celebratum. Apostolica mandata *Sigefrido* Archiepiscopo tradita, ut universos Diœceseos suæ Clericos *cogeret, aut impræsentiarum conjugibus renuntiare, aut in perpetuum Sacri Altaris ministerio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes qui undique assidebant Clerici, ita eum verbis confutabant, & manibus & totius corporis gestu in eum debacchabantur, ut se, vita comite, inde exiturum desperaret. Sic tandem rei difficultate superatus, statuit sibi deinceps, tali quæstioni supersedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut causam quam ipse toties inutiliter proposuisset, ille per semetipsum, quando vellet, & quomodo vellet, peroraret.* Ita refert *Lambertus Scafnaburgensis*, ad annum MLXXV.

In eadem Synodo, prioris Concilii Decreta contra Simoniacam Hæresim confirmata sunt, ut ipse *Gregorius* testatur Epistola ad *Annonem* Coloniensem Archiepiscopum LXVII. lib. II. Nonnulli *Henrici* Germaniæ Regis Proceres perversique Consiliarii, quod sacrilegis beneficiorum ordinationibus interventores, atque etiam authores fuissent, Communione privati sunt. De his intelligendum videtur quod *Lambertus* Scafnaburgensis ad annum sequentem scribit: *Ottonem Ratisponensem Episcopum, & Ottonem Constantiensem Episcopum, & Burchardum Lausanensem Episcopum, Eberardum Comitem, Udalricum, & alios nonnullos, quibus Rex potissimum Consiliariis utebatur, jam pridem Gregorius Pontifex excommunicaverat.* Privatorum præterea causæ quædam hac in Synodo examinatæ sunt. Editum in ea Synodo celebre contra Investituras Decretum, ut colligitur ex Epistola *Gregorii VII.* ad *Henricum* Regem X. lib. III. quamquam *Hugo Flaviniacensis* in Chronico Virdunensi, & Conciliorum Collectores, illud ad primam Synodum referant.

Decretum contra Investituras.

XVIII. Tertiam Romæ Synodum habuit *Gregorius VII.* anno MLXXVI. in qua *Henricus* Rex Germaniæ, *Sigefridus* Moguntinus, *Willelmus* Trajectensis, & Robertus Bambergensis, Episcopi Schismatis incentores, excommunicati sunt, ut constat ex Actis, ex *Lamberto Scafnaburgensi*, ad hunc annum, ex Vita *S. Anselmi Lucensis*, ab Authore coævo scripta, & ex *Domnizone* Presbytero in Vita *Mathildis*. Hujus Concilii historiam fusius exponam in Dissertatione Historica de dissidio *Gregorii VII.* & *Henrici* Germaniæ Regis.

Tertium Gregorii Septimi Concilium.

XIX. Quartam Romæ Synodum habuit *Gregorius VII.* anno 1078. cui centum pene Episcopi, præter Abbates, & Clericos interfuere. In ea *Thebaldus* Mediolanensis, & *Guibertus* Ravennas, Archiepiscopi, qui *Henricum* Regem, post speciem pœnitentis Canusii exhibitam, ad faciendum Schisma incitarant, ab omni Sacerdotali Officio suspensi sunt, latumque jam olim in ipsos anathema confirmatum. *Arnulphus* in Sedem Cremonensem simoniace intrusus, absque spe restitutionis ulla, dejectus est, & usque ad satisfactionem Communione privatus. *Rolandus* Tarvisiensis Episcopus ab *Henrico* Rege designatus, fax altera belli, quod adversus Summum Pontificem & unitatem Ecclesiæ moliebatur, spe Consecrationis Episcopalis omnino excidit Synodico Decreto, & perpetuo anathemate alligatus est, nisi resipisceret ac satisfaceret. *Hugo Blancus*, Cardinalitia Dignitate jam pridem ob Schisma privatus, Officio Sacerdotali dejectus, & Ecclesiæ aditu usque ad satisfactionem prohibitus est. *Gaufredus* Archiepiscopus Narbonensis eamdem sententiam subiit. Legatis a Pontifice missis in Germaniam, ut pacem Regni componerent, Germani in duas factiones divisi, aliis ab *Henrico*, aliis a *Rodulpho* stantibus, pars utraque parere jussa: Diris Christiano ritu devoti, qui Legationis effectum malis artibus prohiberent. In eadem Synodo Naufragorum bonis ac libertati condito Canone provisum est, ac præceptum, *Ut quicumque Naufragum quemlibet & illius bona invenerit, secure tam eum, quam omnia sua dimittat.* Jam olim naufragorum deprædatio Lege lata ab Imperatoribus prohibita fuerat, ut constat ex *Justiniani* Codice Tit. V. ubi *Constantinus Magnus*, vel, ut *Cujacius* & alii viri Juris peritissimi volunt, *Antoninus Pius* ita edicit: *Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad litus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat, Fiscus meus se non interponat. Quod enim jus habet Fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?* Lege Digestum, *de Lege Rhodia*.

Tertium Gregorii Septimi Concilium.

Quartum Gregorii Septimi Concilium.

Naufragorum deprædatio prohibita.

Altero illius Synodi Canone, Ordinationes ab excommunicatis celebratas Pontifex de sententia Patrum, irritas dixit, quoad executionem utique, non quoad substantiam & characterem, ut Theologi de Schola loquuntur.

Ordinationes ab Excommunicatis celebratæ, quo sensu irritæ?

Canone III. qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, ab his vinculis absolvuntur, ne scilicet ipsis communicare teneantur, & eorum criminibus connivere, aut favere consiliis suis vel obsequiis, non ita tamen absolvuntur ut alios Dominos agnoscere possint, & ab illis deficere.

Canone IV. excipiuntur a sententia anathematis lata in eos, qui cum excommunicatis communicant, uxores, liberi, servi, ancillæ, necnon rustici & servientes & omnes alii *qui non adeo Curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur.* Excipiuntur & illi qui ex ignorantia cum excommunicatis communicant. Et qui communicant cum illis, qui excommunicatorum communione fœdantur. Oratoribus etiam peregrinis, viatoribus permittit, ut ab excommunicatis emant vel accipiant necessaria, si aliunde comparare non possint. *Gregorii* moderationem probat hic Canon ab *Hugone Flaviniacensi* plurimum laudatus, a *Bennone* Pseudo-Cardinali schismatico perperam accusatus. De eodem Canone *Bertoldus* Constantiensis Presbyter ad annum MLXXVIII. scribit: *Gregorius Papa facto Concilio mense Martio in quo Concilio factu est exceptio quorumdam personarum de Henriciana excommunicatione, & hoc utique ad tempus, idest uxorum, filiorum, servorum, & reliquorum, qui non scienter, vel saltem non libenter, excommunicatis sociantur, idoneos Legatos iterum destinavit, &c.*

Quinam cum excommunicatis communicantes, a Censura sunt immunes?

XX. Quintam Romæ Synodum III. Kalendas Decembris ejusdem anni MLXXVIII. celebravit *Gregorius VII.* in qua Græcorum Imperator, & alii nonnulli anathemate plexi sunt: *Henrici & Rodulphi* Regum Oratores jurarunt eorum nomine, nullis se malis artibus Colloquium Legatorum Sedis Apostolicæ, in Germania, de causa Regni, habendum prohibituros: Plurimi Canones ad sanciendam Disciplinam conditi, ex quibus selectos duodecim Chronico suo Virdunensi inseruit *Hugo Flaviniacensis*.

Decreta Quinti Concilii Gregorii VII.

Primus Canon præsidia Ecclesiastica a quocumque suscepta vel occupata, etiam de consensu Rectorum Ecclesiis restitui jubet, sub pœna excommunicationis. *Secundus* Investituras damnat. *Tertius* Præbendas,

Ar-

Archidiaconatus, Præposituras, aliaque Ecclesiastica Officia vendi vetat ab Episcopis, sub pœna suspensionis ab officio. *Quartus*, irritas dicit Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio alicujus personæ ea intentione impenso; vel quæ non communi consensu Cleri & populi, secundum Canonicas sanctiones fiunt, & ab his, ad quos consecratio pertinet, non comprobantur. *Quintus* falsas Pœnitentias execratur, easque describit verbis sane luculentis, & quæ memoriæ commendare Sacerdotes omnes qui confessiones audiunt, & Concionatores populis inculcare, operæ pretium est, ut quod miseris hisce temporibus tam late adhuc grassatur, falsæ Pœnitentiæ malum ab Ecclesia eliminetur. *Falsas*, inquit, *Pœnitentias dicimus, quæ non secundum authoritatem Sanctorum Patrum, pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccata exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus, ad pœnitentiam venerit; vel qui bona alterius injuste detinet; vel qui odium in corde gerit, recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi arma deponat, ulteriusque non ferat nisi consilio religiosorum Episcoporum, pro defendenda justitia; vel negotiam derelinquat, vel officium deserat, & odiam ex corde dimittat, bonaque quæ injuste abstulit, restituat. Ne tamen desperet; interim quidquid boni facere poterit, hortamur ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.* Ad veram pœnitentiam tres imprimis conditiones exigit *Gregorius VII.* 1. ut affectus peccandi deponatur, 2. ut occasiones proximæ deserantur, 3. ut aliena, cum fieri potest, restituantur. Hæc moralis Christianæ certissima principia, quæ absque hæreseos nota, nemo, ut arbitror, negaverit. Ad eamdam falsæ Pœnitentiæ consuetudinem eradicandam, Synodum in Britannia minori celebrari jussit *Gregorius VII.* præside *Amata* Olcronensi Episcopo, S. R. E. Legato Apostolico, ut constat ex illius Epistola 10. lib. 7.

Decretum salaberrimam contra falsas pœnitentias.

Tres ad veram pœnitentiam conditiones requiris Gregorius VII.

Canon Sextus decimas in usum pietatis concessas possideri prohibet a Laicis, sive ab Episcopis, sive a Regibus, vel quibuslibet aliis personis eas acceperint, & nisi eas Ecclesiæ restituant, sacrilegii reos esse docet. At circa hujus Caoonis executionem dissimulandum fuit, perturbatis Ecclesiæ temporibus, erga Nobiles, qui ad Presbyteros fornicarios & Simoniacos coercendos operam Ecclesiæ commodarant. Hos cum excommunicasset *Huga* Diensis Episcopus, nisi Decimas Ecclesiæ dimitterent, nimiam severitatem *Gregorius VII.* Prudentissimus Pontifex improbavit, lib. 9. Epistola 5. *Innotuit nobis*, inquit, *quod multos Milites, qui prius ad Presbyteros fornicarios, & Simoniacos coercendos favorem & auxilium vobis impenderant, propterea quod decimas dimittere nolebant, excommunicando turbaveritis: Quales nos adhuc anathematis vinculis alligare Synodali Judicio per discretionem distulimur. Super his igitur consulimus, atque hortamur, ut nunc pro tempore Canonicum rigorem Sapientia vestra temperet, atque hac turbationis tempestate quædam parcenda, nonnulla dissimulando, ita studeat moderari, ut non severitate justitiæ deteriorando occasionem fumant: sed suspensa nunc judicio, spatium recognoscendi æquitatem habentes, postmodum facilius adquiescant: ut demum in eos tranquillitatis tempore, quod, Deo annuente, cito futurum speramus, id quod nunc Apostolicæ Sedis discretio patienter differt, justitia dirimens ad statum suum restauret.*

Decimas a Laicis possideri prohibet.

Hugonis Diensis nimiam, severitatem in hujus executione Canonis improbat.

Canon septimus admonet, ut *Quicumque se Christianæ Religionis participem esse desiderat, ab esu carnium die Sabbati, nisi majori Festivitate interveniente, vel infirmitate impediente, abstineat.* Nondum lege sancita erat Sabbati abstinentia; hanc introducere Disciplinam in honorem sepulturæ Dominicæ voluit *Gregorius VII.* sed admonitione sola, non præcepto usus est. Quamobrem nec diu postea universalis fuit illa observantia. Duas exceptiones addidit Pontifex, infirmitatis, quam augere vel fovere posset abstinentia; & majoris Festivitatis intervenientis, puta Natalis Domini vel Epiphaniæ.

Abstinentia Sabbati.

Canon octavus, decimas & primitias, & reliqua, quæ secundum statuta Canonum ad Episcopos pertinent, sine Romani Pontificis authoritate, vel Episcopi consensu, a Monachis & Abbatibus detineri vetat.

Canon nonus, prohibet ne Episcopi onera, servitia, census, contra Ecclesiasticam normam Abbatibus & Clericis imponant: & ne interdictum Sacerdotale Officium pretio restituant, sub periculo gradus.

Canon decimus invasores patrimonii *S. Petri*, aut invasionis conscios, nec eam revelaores, velut sacrilegos damnat, restitutionem imperat, & pœnam quadrupli de propriis bonis persolvendi infligit.

Canon undecimus, suspensione ab Officio castigandum Episcopum edicit, qui Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum fornicationes, vel crimen incestus, in sua Diœcesi, precibus, vel pretio interveniente permiserit, vel cognitis impunitatem concesserit. Hunc Canonem *Ottonis* Constantiensis, & aliorum plerorumque Germaniæ Episcoporum pudenda erga Clericos conjugatos conniventia & negligentia necessarium fecit, ut constat ex Epistolis *Gregorii VII.* ad eumdem *Ottonem*, ad Constantiensis Ecclesiæ Clerum, & ad omnem Clerum & populum Imperii.

Canon duodecimus, Fidelibus Oblationes ad Missarum solemnia imperat, secundum usum SS. Patrum, & revocare jubet in memoriam quod Deus per Moysen dixit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

Oblationes ad Missarum solemnia Fidelibus imperata.

His Decretis Gregorii VII. & Synodi Romanæ V. descriptis, subdit *Hugo Flaviniacensis* in Chronico: *Hæc sunt Beatissimi Papæ Synodalia Decreta, moribus corrigendis idonea, SS. Patrum Decretis consona, cœlo rorante stillata, universis Fidelibus inculcanda, amplectenda, atque tenenda, justitia dictante prolata, fortitudine roborata, prudentia promulgata, temperantia virtute prædita.*

XXI. Sextam Romæ Synodum habuit *Gregorius VII.* anno MLXXIX. mense Februario, in qua Berengariana hæresis proscripta est, quam ejurare rursus compulsus est relapsus Author, & Fidem Catholicam tertia Professione testari. Qua de re uberius agemus in Dissertatione *De causa Berengarii*. In eadem Synodo, *Henrici* & *Rodalphi* Regum Oratores, Dominorum suorum nomine, liberum in Germania Conventum promisere, ad quem dicti Reges convenirent per se vel per Legatos, Summi Pontificis, vel Legatorum ejus sententiam de causa Regni inter eos controversa, subituri.

Sextum Gregorii 7. Concilium.

XXII. Septimam Romæ Synodum habuit *Gregorius septimus* anno MLXXX. in qua hæc promulgavit Decreta. Primo damnatæ Investituræ: Inter Episcopos vel Abbates sedere prohibiti, qui Episcopatum vel Abbatiam de manu Laicæ personæ suscepissent, iisque aditu Ecclesiæ interdictum, donec beneficio cessérint. Eadem sententia in sæculares Potestates lata, quæ Investituram dare præsumpserint. Deinde Normannis invasio Patrimonii *S. Petri* sub excommunicationis pœna prohibetur. Ipsis tamen concedit Pontifex, ut si adversus incolas terrarum illarum justam causam quis habuerit, prius apud Apostolicam Sedem, vel Rectores & Ministros ibi constitutos, de injuria expostulet: ac nisi jus ipsi dixerint, *pro recuperatione suarum rerum de terra illa accipiat, non tamen ultra modum, nec more prædonum, sed ut decet Christianum, & eum qui sua magis quærit accipere, quam aliena diripere.* Denegata justitia, præmissisque violentæ cactionis minis, bellum etiam privatum ad cepetendum sua non injustum eo sæculo censebatur.

Septimum Concil.

Investitura Damnata.

Quarto Fideles omnes admoniti, ut a falsis sibi caveant pœnitentiis. Falsam autem illius pœnitentiam esse docet, qui peccandi affectum non deponit aut proximas occasiones peccari non relinquit, vel aliena non restituit, cum potest. *Ita se unusquisque ad Dominum convertat, ut relictis omnibus iniquitatibus suis, deinde in fructibus bonæ operationis permaneat. Sic enim Dominus per Prophetam docet:* „Si „conversus fuerit impius ab omnibus iniquitatibus „suis, & custodierit universa mandata mea, vita „vivet, & non morietur. *In quibus verbis manifeste datur intelligi quoniam qui aliena bona diripuit, & ea cum possit, reddere, vel emendare noluerit, vel qui arma contra justitiam portaverit, aut odiam in corde retinet: vel qui hujusmodi negotiationibus aut officiis* im-

Falsæ Pœnitentiæ cavendæ.

Ezech. 18. & 33.

implicatus fuerit, quæ sine fraude, sine falsitate, sine invidia, sine deceptione fratrum, exercere non possit, nec ad Dominum conversus, nec de perpetratis facinoribus veram pœnitentiam facere credendus est. Addit Sanctissimus Pontifex cum sua Synodo, Sacerdotes vita & doctrina probatissimos in accipiendis Pœnitentiis eligendos esse. Scientiam autem postulat, non recentiorum dumtaxat Authorum, sed Divinarum Scripturarum. *Inter omnia vos hortamur*, inquit, *atque monemus, ut in accipiendis Pœnitentiis non ad illos curratis, in quibus nec religiosa vita, nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum, quam ad salutem ducunt, teste Veritate, quæ ait:* „ Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt; *Sed ad eos qui religione & Scripturarum doctrina instructi, viam veritatis & salutis vobis ostendere valeant.*

Confessarii eligendi Religione & Scripturarum doctrina instructi.

Matt. 13. 14.

Quinto, de sacris Episcoporum electionibus statuit Synodus, ut Ecclesia vacante, cura Visitatoris Episcopi, ab Apostolica vel Metropolitana Sede directi, Clerus & populus, remota omni sæculari ambitione, timore, atque gratia, Apostolicæ Sedis, vel Metropolitani sui consensu, Pastorem sibi secundum Deum eligat. Si vitiosa fuerit electio, jus ad Metropolitanum, vel ad Summum Pontificem devolutum esto. Denique *Gregorius septimus* de Synodi sententia, *Henricum* Germaniæ Regem rursus excommunicavit, & Regno Teutonicorum & Italiæ privavit. *Rodulphi* vero electionem confirmavit.

Sacræ Electiones Episcoporum.

Henrici Germaniæ Regis excommunicatio & exauthoratio.

Octavum Concilium.

XXIII. Octavam Romæ Synodum celebravit *Gregorius septimus* anno MLXXXI. In qua *Henrici* Regis & omnium ejus fautorum confirmata excommunicatio est, Arelatensis & Narbonensis Archiepiscopi depositi; *Ildimundus* & *Landus*, Campaniæ Tyranni, anathemate confixi, ut hujus Synodi Acta testantur.

Nonum.

XXIV. Nonam celebravit an. Domini MLXXXIII. duodecimo Kalendas Decembris, cum triennio toto solita Concilia Bellum Henricianum, & Urbis obsidio prohibuisset. Hanc ideo congregavit *Gregorius*, ut Ecclesiæ, Imperiique paci consuleret. A Romanis quippe diuturna & gravi obsidione fatigatis, exoratus, ut *Henrici* causam, & suas in eum Sententias retractari Synodaliter permitteret, ac restituto, si fieri posset, *Henrico*, Reipublicæ tot malis attritæ mederetur. Ab his pacis consiliis non alienum fuisse Pontificem, probat ejus Epistola ad *Altmannum* Passaviensem Episcopum, tertia libri noni, & vigesima-octava ejusdem libri *Ad universos Fideles* inscripta. Sed *Henrici* nequitia Sanctissimi Pontificis vota pro Ecclesiæ Imperiique pace, & bonorum omnium expectatio, frustrata sunt. Qua de re uberius agemus in Dissertatione de dissidio *Gregorii VII.* & *Henrici* Germaniæ Regis. In ea Synodo de fidei forma, & Christianæ Religionis conversatione, necnon de animi constantia ad præsentem pressuram necessaria Pontifex egregie peroravit, ut Acta testantur.

Decimum & Undecimum.

XXV. Decimam & undecimam Synodum Romæ celebravit *Gregorius VII.* anno MLXXXIV. In quibus *Guitbertus* Antipapa, & *Henricus* Rex iterato Anathemate confixi sunt, ut *Bertholdus* Constantiensis ad hunc annum, & *Leo Ostiensis* lib. 3. cap. 53. commemorant.

Concilium Quintilinoburgense.

Henriciana & Vveciliana Hæresis damnatæ.

XXVI. Ejusdem authoritate Pontificis Concilium *Quintilinoburgi* anno MLXXXV. celebratum est, cui per Legatum præfuit, in quo Henriciana, & Weciliana hæresis damnatæ sunt. Henriciani summam authoritatem Imperatori in electionibus Episcoporum, & ipsius Romani Pontificis, vindicabant, & Pontificem negabant esse legitimum, quem Imperator, seu Rex Germaniæ non nominasset, ac latæ in Regem excommunicationis nullam habendam esse rationem contendebant, quod injusta esset. Weciliani a *Wecilone* Moguntinæ Sedis invasore nuncupati, sæculares suis rebus expoliatos, Ecclesiastico non subjacere judicio asserebant. *Wecilonis* & aliorum Schismaticorum Ordinationes irritæ declaratæ sunt. In *Guitbertum* Antipapam & Schismatis ejus fautores, repetita anathematis sententia. *Gebehardi* Constantiensis Episcopi confirmata Ordinatio. Quæstio de consanguinitate Regis *Hermanni*, & uxoris ipsius ventilata est, qui Patrum judicio se pariturum spopondit. Septem editi canones: Primo statutum est, ut quicumque ab Episcopo suo, nec Officio, nec Communione privato, excommunicatus esset, *etsi injuste, nullatenus reciperetur ad Communionem, nisi absolutus Ecclesiastico more.* Canon alter excommunicatos pro sacrilegio vetat absolvi, nisi restitutione prævia. *Tertius*, legem de Presbyterorum & Sacrorum Ministrorum cœlibatu confirmat. *Quartus* Laicis prohibet, ne vasa sacra & pallas altaris contingant. *Quintus*, ne decimas in proprietatem, vel etiam beneficium sibi vendicent, nisi concessione legitimorum possessorum. *Sextus*, stata esse jubet verni & æstivi Jejunii tempora, ut illud quidem prima hebdomada Quadragesimæ, istud vero in Pentecoste celebretur. *Septimus*, ovorum, & casei esu in Quadragesima interdicit.

Summa Canonum.

XXVII. Imparem numerum signorum crucis super sacram Oblationem observandam *Gregorius VII.* edixit, ob mysticam utique rationem, ut Author *Micrologi* testatur, cap. 14. *De signis*, inquit, *quæ super Oblationem a diversis diverse fiunt, nos ab Apostolica Sede formam sumere præsertim decrevimus, unde totius Christianæ Religionis ordinem, & originem suscepimus. Nam & illi Sedi nostro tempore talem Deus Gubernatorem, reverendæ, inquam, memoriæ Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis Antecessoribus a puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apostolicas Traditiones diligentissime investigavit, & investigatas studiosissime in actum referre curavit. Hunc ergo Doctorem religione & authoritate præcipuum, immo Apostolicam Traditionem per ipsum in consecrandis Mysteriis potissimum imitari decrevimus. Sicut nos ipsi per ipsum & per Episcopos qui ipsum imitati sunt, accepimus, imparem numerum semper in dispensatione signorum super Oblationem observamus: videlicet unam crucem, vel tres, vel quinque faciendo. Et hoc utique non sine causa mysterii. Nam in una & tribus, unum & trinum Deum intimamus: in quinque autem, quinquepartitam Domini Passionem significamus. Merito autem impar numerus in Ecclesiasticis Officiis frequentatur, quia numquam in duo æqualia, unitate impediente, dividitur; sicut unitas sanctæ Ecclesiæ nullatenus eam in duo secari patitur.*

Ecclesiastici Ritus a Gregorio VII. instituti.

XXVIII. *Gregorio VII.* Pontifice Maximo, corpus *S. Matthæi* Apostoli Salerni inventum, anno 1080. ac de tanti revelatione thesauri *Alphano* Salernitano Episcopo Sanctus Pontifex gratulatus est, Epistola VIII. libri 8.

Inventio Corporis S. Matthæi.

XXIX. Eam in urbem confugit *Gregorius*, postquam a furore *Henrici* Regis, Castrum *S. Angeli*, in quod se receperat obsidentis, *Roberti* Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ Ducis virtute & industria ereptus est, anno 1084. Anno sequenti, præscito mortis die, cum Cardinalibus, Episcopis, virisque religiosis omnium Ordinum, qui ultimum agonem agenti aderant, præcepisset, ut neminem ceu Romanum Pontificem haberent ac venerarentur, nisi canonice electum & ordinatum, & de Successore designando rogatus, trium dedisset optionem, quos regendæ ac tuendæ Ecclesiæ pares censebat, scilicet *Desiderii* Cardinalis & Abbatis Cœnobii Cassinensis, *Ottonis* Ostiensis Episcopi, & *Hugonis* Archiepiscopi Lugdunensis; præ cæteris tamen in *Desiderium* utpote viciniorem inclinans, obiit die 25. Maji anni 1085. cum sedisset annis duodecim mense uno, diebus tribus. Suprema ejus verba hæc fuere: *Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Salerni in templo *S. Matthæi* Evangelistæ sepultus est. Miraculis ante & post obitum ejus sanctitas comprobata, quorum unum *Paulus Benridensis* in ejus Vita, & *S. Anselmi* Lucensis Episcopi pœnitentiarius in ejus Actis, referunt. *Olim* (inquit Paulus) *Elias ex mortalium cohabitatione transiturus, dimisit Helisæo pallium suum, Prophetici muneris instrumentum: Similiter & Gregorius ex hac mortali vita migraturus, transmisit Anselmo Pontificalis insigne potestatis, videlicet mitram capitis sui, hoc nimirum Deo cooperante, ut, sicut ille Prophetiæ per pallium hæreditavit prærogativam, ita & iste Sacerdotalem per mitram obtineret eminentiam. Nempe eo usque processit similitudo, ut sicut Helisæus per pallium Eliæ virtutum signa demon-*

Gregorii VII. Obitus.

Postrema verba.

Miracula.

ſtraverat, ita & Anſelmus per mitram Gregorii quædam magnalia exhibuerit. Nam, ut de pluribus unum magis divulgatum proferamus, Reverendus Mantuanæ Præſul Eccleſiæ Ubaldus, multis jam annis graviſſime ſpleneticus, toto corpore ulceratus, præſertim in cruribus, ſic ut vix quomodolibet ſtare poſſet, vix etiam *Sanctitas.* *jacere, vel ſedere, qui & multa in medicos erogaverat, nihilque profecerat, appoſita eadem mitra ubi major ingruerat dolor, priſtinæ redditus eſt ſanitati.* Sacris Eccleſiæ Faſtis poſt obitum adſcriptus eſt *Gregorius VII.* & in Martyrologio Romano *Eccleſiaſticæ libertatis propugnator ac defenſor acerrimus* prædicatur. De ejus obitu legendus & Leo Oſtienſis lib. 3. Chronici Caſſinenſis, cap. LXIV. Ipſi hoc Elogium *Elogium.* ſcribit *Trithemius* Abbas lib. 4. de Viris Illuſtribus Ordinis S. Benedicti, cap. 11. *Vir fuit multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, juſtitiæ, conſtantiæ, & religionis, qui multa pro Eccleſiæ defenſione & peregit, & ſuſtinuit.*

SCHOLION I.

Huic Articulo, pag. 74. Edit. primæ, Religioſi Cenſores hanc notam appingunt: *Gregorium VII. appellat Virum ingenii vehementis & ſeveræ ſanctimoniæ.*

R. Hic Gregorii VII. Character. Addidi, *Eruditionis exquiſitæ ſtudio in diſciplinam Eccleſiaſticam incredibilis, animi intrepidi, quem ſanctiſſimi ac puriſſimi conſilii virum B. Petrus Damiani ad Nicolaum II. ſcribens prædicat.* Alia ad ejus commendationem congeſſi, ne ejus effigiem ex parte tantum delineaſſe viderer.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 77. Edit. primæ, Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Gregorii VII. ſeveritas impium Henricum ut alterum Pharaonem induravit, & ad impium Schiſma compulit.*

R. Nemo id neſcit, qui hujus Pontificatus hiſtoriam, & Henrici IV. Imperatoris Vitam legit. Cæterum Gregorii VII. ſanctitatem eo in Articulo prædico, miracula commemoro, elogia paſſim velut floſculos ſpargo, illum a calumnia vindico, ſanctiſſima ejus decreta refero, nullum ex præclare geſtis diſſimulo, ut quid ergo vapulo?

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 86. Edit. primæ, hanc velut meam propoſitionem Religioſi Cenſores reprehendunt: *Gregorius VII. diſpenſare noluit de Canonibus, quia id providit pravi exempli futurum Succeſſoribus.*

R. Non dixi, Ipſum diſpenſare noluiſſe de Canonibus, quia id prævidit pravi exempli futurum; ſed quando id prævidit, *Sacrorum Canonum* (inquam) *ita ſtudioſus obſervator fuit, ut de iis diſpenſare noluerit, etiam rogantibus Regibus, cum diſpenſationes illas pravo exemplo ſucceſſoribus ſuis eſſe poſſe prævidit, nec Eccleſiæ honori & utilitati congruas. Sic rejecit commendationem & preces Sancii Aragoniæ Regis, poſtulantis ut Clericus de concubina natus ad Epiſcopatum Aragoniæ promoveretur.* Quod in magna Gregorii VII. laude ponendum eſt, eoque nomine a me refertur, & obſervatur, id Religioſi Cenſores reprehendunt.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, pag. 92. Edit. primæ, Religioſi Cenſores hanc velut meam Propoſitionem notant: *Gregorius VII. minatur Excommunicationem Regi Galliæ, & negationem obedientiæ a ſubditis non ex Traditionis doctrina, ſed ex privata opinione.*

R. Prima Pars Propoſitionis non eſt mea; de minis Excommunicationis non loquor; Reges ipſos juſtis de cauſis, & ſervato ordine Canonibus præſcripto, excommunicari poſſe a Summis Pontificibus non diffiteor: Sed de minis exauthorationis, ſeu negationis obedientiæ a ſubditis, ut Cenſores loquuntur, ita ſcripſi: *Gregorius exauthorationis minas Regi Francorum Philippo I. intentans, non ex Traditionis doctrina & Eccleſiæ Sententia ſed ex privata opinione locutus eſt.* Ita cenſet Sacra Facultas Pariſienſis & Eccleſia Gallicana. Id vero Sedi Apoſtolicæ & Sancto Pontifici Gregorio VII. minime injurioſum eſt: Siquidem Romanos Pontifices ut Doctores privatos errare poſſe fatentur Cardinales Bellarminus, A Turrecremata, Theologique omnes.

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 93. Edit. primæ, Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Novum, inauditum, & ipſo jure nullum, velle Reges Galliæ privare Regno.* Sibi contradicit (inquiunt) quia id factum dicit cum Rege Poloniæ, pag. 84. & cum Henrico pag. 76.

R. Scripſi revera: *Quaſcumque in Philippum I. invehendi cauſas habuerit Gregorius VII. novum, inauditum, ipſoque jure nullum fuit, quod eripiendum ipſi quomodocumque affecto Regnum, & ſequeſtrandos quicumque ipſi Regalem honorem vel obedientiam exhiberent, ſcripſerit.* Ex Sacræ Facultatis Pariſienſis & Eccleſiæ Gallicanæ Sententia id me dixiſſe fateor. Nec pugnantia ſcripſi, ut mihi RR. Cenſores improperant, quia quod in Poloniæ Regem & Henricum Imperatorem a Gregorio VII. tentatum eſt, ut eos Regnis privaret, æque novum, inauditum ipſoque jure nullum fuiſſe cenſui ſecundum Sacræ Facultatis Pariſienſis & Eccleſiæ Gallicanæ doctrinam. De minis a Gregorio VII. Philippo I. Regi Chriſtianiſſimo intentatis ſcribit Magiſter *Franciſcus Feu* Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor & SS. Gervaſii & Protaſii in hac Regia Urbe Parochus, in Tractatu *De Legibus*, Quæſt. IV. Art. IV. pag. 142. *A Gregorio VII. excommunicationis comminationem fuiſſe adhibitam ut in officio contineretur juvenis Princeps annos 21. nondum natus: Quamquam prius monendus fuiſſet juxta Evangelii legem. Undenam autem Gregorio VII. pietatis & eruditionis ſpectatæ viro, quæ hic objiciuntur exciderint, & quomodo? Me neſcire profiteor. Hinc Epiſcopi qui tunc temporis regebant Eccleſias, licet Apoſtolicæ Sedi eſſent addictiſſimi, has tamen Gregorii literas improbarunt; præſertim Manaſſes Remenſis. Eas quoque improbare viſus eſt ipſe Gregorius, qui poſtmodum Gervaſio Manaſſis Succeſſori ſignificavit Regem Philippum & illuſtrem & glorioſum eſſe; & ſe pro ipſo ſemper precatum fuiſſe.* Hæc Doctor Clariſſimus.

Nota.

Cum non defuerint qui nimis Henrico Imperatori addicti Sancti Gregorii VII. nomini moribusque detraxerint, juvat hic adnotare ipſius ſanctitatem non paucos poſterorum memoriæ tradidiſſe, quod nec præterit P. Natalis. Ab ipſa adoleſcentia ſanctitatis ſpecimen exhibuiſſe tradit Hugo Flaviniacenſis in Chronico his verbis: *Gregorius natus eſt in urbe Romana, parentibus civibus Romanis, & quod maximum eſt religioſis, adſcribendus civibus curiæ cœleſtis. Et ab ineunte ætate eccleſiaſticis mancipatus officiis, pueritiam ſuam non ſine certis, quæ eum illuſtrem futurum jam tum ſignarent, documentis, religioſis comitatus perſonis excoluit. Adoleſcentiam adſumpto ſanctitatis propoſito inter mundi contemptores non ſine magnis perfectionis indiciis edomuit. Juventutem nihilominus militiæ chriſtianæ dedicatam, ſicut ætate, ita ſana doctrina & firmamento veritatis roboratam, ſub præclaris totius chriſtiani nominis Tutoribus, & Præſulibus, publicis ſanctæ eccleſiæ mancipavit utilitatibus. Hic ob ſingularem excellentis ingenii prærogativam a Nicolao Papa in Archidiaconatum matris Eccleſiæ provectus, ſtrenuæ & laudabili hujus officii adminiſtratione in totius orbis notitiam & Religioſorum dilectionem brevi pervenit &c.* Deinde, ut paucis verbis ipſius laudes complecteretur, Confeſſorem & Martyrem ſcribit obiiſſe. Nil mirum proinde, ſi tot Scriptores incubuerint in eo a calumniis vindicando, & in ejus virtutibus celebrandis, adeout quinquaginta ipſorum recenſeat Gretzerus in Gregorii apologia. Inter ipſius defenſores emicuit S. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, qui ut publicam faceret ipſius innocentiam librum edidit con-

tra

tra Guibertum Antipapam. Ipsius laudes prosequutus est etiam Willelmus Abbas monasterii Metensis in ea epistola, quam publici juris fecit Mabillonius *tom. 1. Analect. p.* 247. Author ipsius vitæ, quæ extat in Actis Bollandianis ad diem 25. Maii, & in Actis SS. Ordinis S. Benedicti sæcul. VI. p. 2. est Paulus Benriedensis Canonicus Regularis, quam edidit circa annum 1131.

Presbyter S. Anselmi Pœnitentiarius in ejusdem S. Anselmi vita, ultra quam quod referat miraculum de Ubaldo Mantuano episcopo sanitati restituto per appositionem mitræ S. Gregorii, quod & describit Benriedensis apud Natalem n. 28. hæc addit: *Beatissimus itaque talis ac tantus magister miracula fecit multa & vivus & mortuus*. De eodem Gregorio legitur apud Bertholdum Constantiensem, quod cum Henricus cujusdam proditoris opera in Domum S. Petri ignem immisisset, ut ita facilius urbem in suam redigeret potestatem, derelinquentibus Romanis propugnacula, ut ad ignem extinguendum accurrerent, Gregorius facto signo Crucis incendium protinus compescuit. Lambertus Schafnaburgensis ad an. 1077. hæc habet: *Signa etiam & prodigia quæ per orationes Papæ, scilicet S. Gregorii frequentius fiebant, & zelus ejus frequentissimus pro Deo & pro ecclesiasticis legibus, satis cum contra venenatas detractorum linguas communiebant*. Ordericus Vitalis *lib.* 8. miracula ad ejus tumulum facta his verbis commemorat: *Meritis ejus fidei miraculorum copia divinitus ostensa est — Nam leprosi de aqua, unde corpus ejus ablutum fuerat petierunt, qua consecuta fideliter loti sunt, & opitulante Deo protinus mundati sunt*. Ita Deus ipse pluribus miraculis omnibus manifestam reddidit Gregorii sanctissimam vitam, mortemque pretiosissimam.

Quoad ea, quæ dicit Natalis adversus Principes schismaticos, Gregorium egisse, videnda quæ dicam post Dissertationem II. sæculi 11. & 12.

ARTICULUS XII.

De Victore III.

DEsiderius, Beneventi in Samnio, familia Principe natus, sponsam paris nobilitatis sibi a parentibus destinatam, domumque paternam, Spiritu Dei afflante deserens, clam eremum petiit, & *Hyacinto* Monacho sanctissimo favente, sæculares vestes cum Monasticis commutavit. A parentibus vi ex eremo abstractus, & sacro habitu cautus, in urbem, domumque reductus est, in qua sub vigili custodia annum pene transegit, propositi constantissime tenax. Tum Salernum fugiens, favente *Guaimario* Principe consanguineo suo, in Monasterio Cavensi *S. Trinitatis* vitam religiosam professus est. Inde in Monasteriis *S. Sophiæ* ad Beneventum, Tremitensi in Insula Maris Adriatici, & in Majellæ eremo, viris tunc sanctissimis referta, castissime vixit. Hinc *Leonis IX.* Pontificis Maximi authoritate Beneventum revocatus est. Hunc B. Petrus Damiani *Monachorum Archangelum* vocat lib. 11. Epistola 15. Anno MLVII. Cassinensis Abbas, *Stephano IX.* approbante, creatus, Legatusque Constantinopolim ab eodem designatus, a *Nicolao II.* ejus successore consecratus, & Cardinalitia Dignitate cum Titulo Sanctæ *Ceciliæ* auctus est, & Apostolica Legatione in Campania, Brutiis, & Apulia ornatus. Sub hoc Pontifice, & ejus successoribus *Alexandro II.* & *Gregorio VII.* strenuam Ecclesiæ operam navavit. Defuncto *Gregorio*, secundum ejus designationem Pontifex electus, & Insignibus per vim ornatus, *Victor III.* appellatus est. A Præfecto Imperatoris vexatus, Roma Terracinam, & depositis Insignibus Pontificatus, Cassinum perrexit, anno pene integro summam constanter recusans Dignitatem. Anno tandem sequenti 1087. in Synodo Capuana Cardinalium, Episcoporum, Principumque precibus ac rationibus victus, electionem de se factam consensu suo firmavit 12. Kalendas Aprilis, & Romam profectus, Dominica post Ascensionem Christi Ecclesiastico ritu consecratus est. Ista constant ex *Leone Ostiensi* lib. 3. Chronici Cassinensis, quo *Desiderii plane admirabilis & singularis Ordinis sui viri*, ut ipse vocat, res gestas complexus est.

Desiderii fluctuatio, & (ut multis videbatur) inconstantia, resumentis Insignia quæ deposuerat, nonnullis displicuit, imprimis *Hugoni* Lugdunensi Archiepiscopo, qui malam de illo opinionem imbiberat. Cujus rei testis est Epistola ejusdem Archipræsulis ad *Mathildem* Comitissam ita scribentis: *Electionem vero, Cassinensis Abbatis, antequam ego Romam venerim, factam sufficienter audistis; cui tam ego, quam & cæteri fratres mei S. Romanæ Ecclesiæ filii, diligentes magis gloriam hominum quam Dei, pro temporis infirmitate assensum præbuimus. Postquam autem ad Montem Cassinum pervenimus, ex ejusdem familiaribus nobiscum colloquiis, dum videlicet nefandissimos actus suos in auribus Episcoporum & Cardinalium jactanter recitare non erubesceret, copiosius necessario deprehendimus, quam intolerabiliter Deum in ipsius electione offenderimus. Quis enim nisi ex ipsius ore audisset, umquam crederet Henrico dicto Regi fidem eum dedisse, ut de abtinenda Romani Imperii corona fideliter eum adjuvaret? At cujus accusatio contra talem virum reciperetur, nisi ipse quasi ad cumulum gloriæ suæ adscribendo, nobis narrasset, prædictum Regem ad invadendas terras B. Petri, numquam nisi sua consilio & persuasione animaretur, Romam transisse? Numquid non delirans videretur, si quis Romanum electum, post absolutionem a Beatissimo Papa Gregorio susceptam, excommunicatum garriret, nisi ipse Attonem Cardinalem Mediolanensem electum, a prædicto Papa, eodem Abbate subscribente, excommunicatum, & sine pœnitentia defunctum, non solum beatum in communi nostra audientia prædicare præsumeret, verum etiam se ipsum non in alia, nisi in qua ipse est, gloria futurum oraret? In quibus omnibus dilectissimos fratres nostros H. & B. Cardinales testes advocamus, qui vel ipsi de ejus ore audierunt, vel a bonis viris, quibus indubitanter credunt, referentibus, se audisse dixerunt. Quoties Decreta Domini sui Papæ Gregorii, aliorumque SS. Patrum, non solum verbo aperte improbaverit, verum etiam manifestis operibus postea destruxerit: in quot & quibus locis electionem suam non secundum Deum, sed tumultuarie factam asseverans, publice refutaverit, & numquam se acquievisse, vel in perpetuum acquieturum sub terribili attestatione affirmaverit: Quasve personas, electionem reddendo Ecclesiæ, idoneas eligi in Romanum Pontificem dixerit, quoniam vobis magna ex parte manifesta sunt, & epistolarem modum excederent, ex ordine scribere omittimus. Nunc vero cum jam tandem post tantum laborem inaniter insumptum respirare videamur, & electionem toties refutatam & Ecclesiæ redditam, divina gratia & vestro fulti consilio & auxilio in proximo libere facere sperabamus, sub occasione eligendi Romanum Pontificem, Concilium in Capua, sicut illarum partium Vicarius Apostolicus congregavit... Cum ergo de proposita negotio tractare disponeremus, Abbas quibusdam mollibus & gelluasi repulsionibus fautores suos Episcopos, & Principem ad compellendum se provocare cœpit. Comperta autem versutia sua eum prædicti ad restitutionem sui quasi invitum eum compellerent, nos prænominati, cum Ostiensi Episcopo, & Witmundo Monacho, & quibusdam aliis, consilium habuimus, qualiter astutiæ illius contrairemus. Postquam ergo ipse jam paratus erat Insignia Pontificatus resumere, & electionem etiam in ipsa Conventu multoties refutatam iterum in se retorquere, prædictorum consilio, nos tantam hominis levitatem & propositi sui mutabilitatem improbantes, in audientia omnium nos nequaquam assensum præbituros diximus; nisi de quibusdam contra famam suam, & tanti Ordinis Dignitatem, quæ post electionem suam de eo nobis innotuerunt, primum examinatio fieret. Quod ipse indigne ferens, neque ad examinationem venturum, neque electionem umquam suscepturum se publice affirmavit. Sicque data nobis iterum licentia ab eo quem vellemus, eligere, excutiens brachia sua, cœpit a nobis recedere, cum Witmundus ex consilio Ostiensis Episcopi publice exclamavit, infamem personam non debere in Romanum Pontificem eligi, vel ordinari, cum constaret eum indubitanter infamiam incurrisse, quoniam quidem excommunicationem Domni Papæ Gregorii per annum integrum & continuum, & eo plus, sine canonica*

Victor III. a calumnia vindicatur.

nica pœnitentia sustinuisset. Taliter itaque dissoluto conventu, & quia nox imminebat, nobis recedentibus, remansit Dux cum eo, retento secum Ostiensi, cum cæteris R. Episcopis, & Cardinalibus. Ubi cum diu rogando Rex institisset, ut quemdam Alfanum in Salernitanum Episcopum consecraret, sed Ostiensi contradicente, Abbas voluntatem Ducis implere non auderet, quoniam de manifestissima ambitione Alfanus convictus fuerat, Dux graviter indignatus recessit ab eis. Abbas igitur gratia destitutus, quoniam sine eo ubi Romanum Pontificatum aspirare desperabat, profunda jam nocte, cunctis dormientibus, Legationem ad Ducem misit, sicque Duce ad Abbatem redeunte, & Abbas gratiam apud Ducem ut Papa fieret, & Dux, quod quærebat, obtinuit apud Abbatem, ut Alfanus consecraretur sequenti die... Eadem itaque die, cum post prandium Abbas Dux, & Princeps, uterque a somno meridiano surrexissent, sole declinante ad inferiora, sed vino obtinente superiora, heu, proh dolor! Abbas pro mercede nefandissimæ consecrationis, fultus authoritate Ducis pluvialem sibi ipse imposuit, Ostiensi, & nobis inconsultis, & prorsus ignorantibus. His ita gestis cum Episcopus nobiscum per omnia concurrisset, ut vidit, quod Abbas per potentiam Principis Jordani ad consecrandum se Romam ire intendebat; timens forte ne sua dignitate privaretur, si ab alio prima manus consecratio ei imponeretur, conversus est in die belli, & immemor sancti propositi, & factæ nobis sponsionis, quod dicere pudet, pacem cum Abbate faciens reverentiam ei per omnia sicut Papæ persolvit. Qualiter autem vel quomodo Romam ire disponat, quoniam præsentium lator, & peregrini, quidquid postquam a nobis recesserunt per Capuam transeuntes de hujusmodi apparatu fieri viderunt, vel aliis referentibus, didicerunt, plenius vobis referre poterunt.

Calumniis hæc *Hugonis* Archiepiscopi Epistola, ab *Hugone* Flaviniacensi in Chronico Virdunensi relata, tota scatet. Fictitia sunt crimina, quæ *Victori III.* objicit, a quibus ipsum satis superque purgat *Gregorii VII.* de ipso judicium, qui ipsum inter omnes Pontificatu dignissimum & Ecclesiæ utilissimum judicavit: ipsum purgat insignis ejus humilitas, qua tam constanter supremam Dignitatem recusavit, nec suscepit, nisi caritate Ecclesiæ compulsus. Promiserat quidem *Henrico* Regi suam apud *Gregorium VII.* intercessionem ut Imperator crearetur, sed optime noverat Pontificem Sanctissimum coronam Imperii ipsi non concessurum, nisi Pœnitentiam ageret, Ecclesiæque satisfaceret; eamque hypothesim involvebat *Desiderii* promissum. Cæterum quam esset Sedis Apostolicæ & Ecclesiasticæ Libertatis studiosus, demonstravit ea occasione. *Henricum* enim jam excommunicatum non adiit, nisi ut eum ad pacem hortaretur, & ab eversione Cassinensis Monasterii prohiberet. Cum Regis Cancellario, aliisque Ministris, quamvis amicis olim suis, excommunicatione pariter irretitis, comedere, bibere, orare noluit. Præcipienti *Henrico* ut sibi fidem juraret, ac Monasterium de manu sua susciperet, ac minas intentanti respondit „ Se non modo Monasterii causa, sed ne pro mundo quidem toto id facturum. Cumque ipsius rigidum animum Imperator & inflexibile propositum cerneret, iratus est valde: præcepitque Principi, ut acceptis secum nuntiis suis ad Monasterium pergeret, eisque ipsum ille assignaret. Sed cum Princeps multa illi bona sæpe de Desiderio locutus esset, eo tandem ad illum perducto ita mutatus est, ut ipse coram Principe amicum illum appellaverit, oraveritque ut de acquirenda Imperii corona, ipse sibi fautor existeret. E . facturum se pro viribus Principe abstante promisit; & cum exigeret ut Virgam Abbatiæ de manu sua susciperet, renuit dicens: Quando illi coronam Imperii collatam cerneret, tunc, si placeret, Abbatiam se ab eo percepturum; vel etiam, si illi ita visum esset, dimissurum... Interim quamdiu illic permansit Desiderius, sæpe diebus singulis cum Episcopis, qui cum Imperatore aderant, de Apostolicæ Sedis Dignitate contendit, præcipueque cum Ostiensi Episcopo, qui etiam Gregorio Papæ favere videbatur. Cum ille Privilegium Nicolai Papæ, quod cum Hildebrando Archidiacono, & Episcopis centum viginti quinque fecerat, proferret: quo scilicet statutum fuerat, ut numquam in Romana Ecclesia sine Imperatoris nutu Pontifex fieret; Quod si contingeret fieri, sciret se hujusmodi non pro Papa habendum, sed anathematizandum. Desiderius hujusmodi rationibus occurrit dicens: Neque Papam, neque Archidiaconum, neque Episcopum aliquem, seu Cardinalem, vel quemlibet omnino hominem licito facere id potuisse. Sedes enim, inquit, Apostolica domina est nostra, non ancilla; nec alicui subdita, sed omnibus prælata, & ideo nulla omnino ratione sub jugum a quoquam mitti potest. Quod si a Nicolao Papa factum est, injuste profecto ac temere præsumptum est. Non tamen cujusquam stultitia vel temeritate amittit Ecclesia dignitatem suam. Neque vos id assentiri ulla ratione debetis, neque favente Deo ultra continget, ut ex Alamanni Regis nutu Papa Romanis ordinetur. Ad hæc cum iratus Episcopus indignationem illi Regis, & omnium ultra montes habitantium, si ista præsentirent, minitaretur: Desiderius consueta constantia, Neque Regem ipsum, neque totum simul orbem si in unum convenirет, se ab hac depellere posse sententia asseveravit. Potest quidem, inquit, Imperator ad tempus vim libertati Ecclesiasticæ inferre; nostrum tamen ad hoc numquam poterit inclinare consensum. His & hujusmodi pluribus quotidie cum eis contendebat, justisque eos convincebat rationibus. Cum Archiepiscopo quoque Ravennate de eadem re sæpe contendit, & prædictum Privilegium juste confutavit, arguens cur se de Papatu præsumpsisset intromittere, idque severius. Ita refert *Leo Ostiensis* in Chronico, lib. III. cap. XLIX.

Sedes Apostolica sub jugum a nemine mitti potest.

Porro qui ita se gessit, ac libertate tanta Imperatorem, ejusque Ministros & Antipapam allocutus est, Imperatori non est adulatus, nec absque calumnia dici potest illum ad invadendum Patrimonium *S. Petri* excitasse: nec etiam verisimile est illum parvipendisse Pontificias excommunicationes, qui excommunicatos, etsi amicos suos, osculari noluit, nec orare cum eis, neque cum iis manducare aut bibere. quod laudatus Author testatur. Quanti vero fecerit *Gregorii VII.* Decessoris sui Decreta, Beneventana probat Synodus, in qua ipsa renovavit, præcipue quæ contra dantes & accipientes Investituras sanxerat.

Denique *Hugonem* ad maledicendum *Victori III.* ambitio & rivalitas impulere. *Gregorius VII.* de Successore rogatus, ipsum *Hugonem* e tribus unum proposuerat. Cæteris ob Religionem, prudentiam, & amicitiam Principum Italiæ antepositus est *Desiderius*. Hugo electionem se absente canonice factam approbavit, electumque ut legitimum Pontificem veneratus est. Sed cum in recusanda suprema Dignitate obfirmatum *Desiderii* animum videret, qui insignia deposuerat, Synodumque Capuanam ad novi Pontificis electionem convocatam, spes illius de obtinendo Pontificatu revixere. Verum cum *Desiderius* in Synodo, Cardinalium, Episcoporum, Principum rationibus precibusque victus tandem suscepisset Pontificatum, ac insignia resumpsisset; spes fallaces & cogitationes inanes suas videns Archiepiscopus Lugdunensis, in *Desiderium* seu *Victorem III.* blaterare cœpit ac pene usque ad Schisma furere, juncto secum *Richardo* Massiliensi Abbate, qui eodem spiritu ferebatur. Ob suas in Pontificem machinationes uterque in Beneventana Synodo a Communione suspensus est. *Victoris III.* hac in Synodo Constitutionem refert *Leo Ostiensis* in Chronico Cassinensi, lib. 3. cap. 71. in qua hæc Lugdunensis Archiepiscopi Hugonis, & Massiliensis Abbatis causam spectant: „ Nostis præterea, & bene nostis, quos dolos machinati sint, quantasque mihi pressuras intulerint Hugo Lugdunensis Archiepiscopus & Richardus Massiliensis Abbas, qui pro fastu & ambitione Sedis Apostolicæ, ad quam dudum clam inhiabant, ubi votis suis potiti non sunt, Schismata in Ecclesia Sancta fecerunt. Et Richardus quidem Romæ nostram electionem cum Cardinalibus & Episcopis egerat. Hugo autem ad nos post paululum veniens, affusus vestigiis, dum obsequium nobis Summo Pontifici debitum invitis ac reluctantibus exhiberet, Legationem a nobis in Partibus Galliarum postulaverat, & acceperat. Itaque

Victor III. Hugonem Lugdunensem Archiepisc. & Richardum Massiliensem Abbatem a Communione suspendit.

donec

„ donec Parvitatem nostram electioni factæ atque a „ se approbatæ repugnare conspexerant; ipsi modis o„ mnibus insistebant, ne onus pro utilitate Ecclesiæ no„ bis impositum abjiceremus. Ubi vero nos tandem „ credere prohibuerunt, conceptam diu flammam cliba„ nus exsaturatus evomuit. Quapropter cernentes „ sibi Fratrum omnium unanimitatem constanter ob„ luctari, ab eorum & nostra sunt continuo com„ munione sejuncti. Unde vobis Apostolica Autho„ ritate præcipimus, ut ab eis abstinere curetis, ne„ que illis omnino communicetis, quia Ecclesiæ Ro„ manæ communione sua se sponte privarunt. Nam „ ut B. scribit Ambrosius, Qui se a Romana Eccle„ sia segregat, vere est habendus hæreticus.

Hæreticus habendus, qui se ab Ecclesia Romana segregat.

Hugonis tamen turbas usque ad consummatum Schisma progressas non esse, probat ejus ad *Mathildem* Comitissam Epistola altera e Chartulario Cluniacensi edita in Spicilegio Dacheriano, & inde transcripta Tomo 10. Conciliorum Editionis Labbeanæ, in qua ita scribit: *Et nos quidem licet de recuperatione electionis Domini Abbatis Montis Cassini a quibusdam Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Episcopis & Cardinalibus Presbyteris dissenserimus: Unde aliquibus illorum, cur nobis aliter videretur, etiam apud Capuam palam rationes reddidimus: Tamen scire Vos volumus, ab unitate eorum, qua in corpore Sanctæ Ecclesiæ ad serviendum B. Petro divina dignatione compacti sumus, nec discessisse, nec in perpetuum, Deo miserante, discessuros; immo habere propositum Apostolicæ Sedis profectibus modis omnibus deservire.* Ibidem contra Cluniacenses Monachos expostulat, quod ipsum ab Ecclesiæ Romanæ Communione discessisse dicerent: *Inter alia autem*, inquit, *unum impudentissime mentiuntur, quia a Communione Romanæ Ecclesiæ nos sponte nostra sejunximus; cum testis nobis sit conscientia nostra & caritas qua in Domino copulamur, nos non solum Communionem eorum non cavisse, sed omnibus hoc persuadentibus restitisse.*

Sacra contra Saracenos expeditio.

Ab Antipapa *Guiberto* vexatus *Victor*, animum nihilosecius ad res Ecclesiæ & Reipublicæ promovendas adjecit. Ingentem ex omnibus pene Italiæ populis collectum exercitum contra Saracenos transmisit in Africam sub vexillo *S. Petri*; & omnes ad eam expeditionem pergentes, peccatorum omnium remissione, seu Plenaria Indulgentia donavit. Commisso prælio, centum millia Saracenorum cæsa, Urbs primaria capta & excisa est. Partæ miraculo victoriæ argumentum fuit, nuntius ipsa die, qua reportata est, de illa in Italia acceptus. (Ex Leone Ostiensi lib. 3. cap. 70)

Synodus Apuliæ. Apulia Italiæ regio Mari Adriatico, contermina, inter Dauniam & Calabriam.

Anno 1087. cum Apuliæ & Calabriæ Episcopis Synodum celebravit Augusto mense: in qua egregia & luculenta Oratione habita de præsentibus Ecclesiæ calamitatibus ac periculis, *Guibertum* Antipapam omni Sacerdotali Officio & honore privatum, & ab Ecclesiæ Communione segregatum renuntiavit. Ab eadem Communione suspendit *Hugonem* Lugdunensem, *Richardum* Massiliensem Abbatem, ob causam de qua superius diximus. Ibidem proscriptæ Investituræ, & tam dantibus, quam accipientibus, aditus Ecclesiæ interclusus est. Vetitum ne Pœnitentia & Communio ab Hæreticis, & a Simoniacis, qui in Hæreticorum censentur numero, suscipiatur. Quia, *Si nullus adsit Catholicus Presbyter, rectius est sine visibili Communione persistere, & invisibiliter Domino communicare, quam eam ab Hæretico sumendo a Deo separari.* „ Nulla enim conventio Christi ad Belial, neque pars aliqua fidei cum infideli. *Simoniacus vero, quia hæreticus, idcirco infidelis.*

Peracta Synodo, Pontifex infirmitate correptus, Cassinum rediit, ac ingravescente morbo, in Capitulum se deferri jussit, ubi se ad supremum diem Christiane & sancte obeundum comparavit. Tum quibusdam in gratiam Cassinensis Monasterii statutis, *Oderisium* S. R. E. Diaconum Cardinalem Abbatem præfecit.

Victoris Morbus & designatio Successoris.

Secundum hæc, Episcopis & Cardinalibus ad se convocatis, *monuit ac jussit, ut juxta Gregorii Papæ statutum, Ottonem Ostiensem Episcopum quamprimum eligerent, Pontificemque constituerent, quem quia præsens aderat manu apprehensum cæteris Episcopis tradidit dicens: Accipite eum, & in Romana Sede locate, meamque vicem in omnibus, quousque id facere possitis, habetote.* Id constat ex Actis Concilii descriptis a *Leone Ostiensi* lib. 3. Chronici Cassinensis c. 71. & 72. His ita dispositis sepulchrum sibi parari jussit in ipsa Capituli abside, obiitque post triduum, anno Domini 1087. 16. Kalendas Octobris, cum Ecclesiæ a Consecratione sua menses quatuor & dies septem præfuisset. Insidiis *Henrici* Imperatoris periisse, veneno in sacrum Calicem, dum celebraret, injecto, suspicio fuit, inquit *Trithemius* Lib. 4. de Viris Illustribus Ordinis Sancti Benedicti, cap. 13.

Ex Leonis Ostiensis Chronico ad obitum usque *Victoris III.* perducto, & a *Petro* Diacono Cassinensi deinceps continuato, refelluntur quæ de ejusdem Pontificis supremis scripsit *Hugo Flaviniacensis* in Chronico Virdunensi: *Hic igitur*, inquit, *consecratus ab Ostiensi Episcopo, cum Missas apud S. Petrum diceret, infra Actionem judicio Dei percussus est. Et quamvis tarde cognoscens se errasse, se ipse deposuit, & accitis Fratribus de Monte Cassino, qui secum aderant, præcepit se illo deferri, & in Capitulo non ut Papam, sed ut Abbatem sepeliri.* Falsis Rumoribus ab *Hugone* Lugdunensi Archiepiscopo, *Richardo* Massiliensi Abbate, aliisque *Victoris III.* æmulis jactatis nimium credidit *Hugo Flaviniacensis*. Calumnia est, quod errorem cognoscens, se Pontificatu abdicarit. Ad extremum enimvero spiritum Pontificium munus obiit, designato etiam Successore. Calumnia pariter est, quod Dei judicio sit percussus, quem potius Deo fuisse gratissimum sanctitas vitæ miraculis comprobata testatur. Ipsum *Compunctione timoris Dei plenum, castitate singularem, professione & opere Monachum*, Petrus Diaconus lib. de Viris Illustribus Cœnobii Cassinensis prædicat. In Martyrologio Benedictino XVI. Septemb. celebratur his verbis: *In Monasterio Cassinensi, obitus B. Victoris Papæ III. sanctitate vitæ & miraculorum gloria clarissimi.* Ad *Philippum* Regem Francorum, & ad *S. Hugonem* Cluniacensem Abbatem plures Epistolas dedit. Libros etiam quatuor *Dialogorum* de *S. Benedicti* & SS. Monachorum Cassinensium miraculis conscriptis, teste *Petro Cassinensi* in lib. supra laudato, Cap. 58.

Victor III. vindicatur a calumnia.

Ejus sanctitas.

Imperite & inepte omnino Anonymus in Compilatione Chronologica, quam inter Rerum Germanicarum Scriptores ex *Pistorii* Bibliotheca editos legere est, de *Victore III.* scripsit: *Victor Papa sedit menses quatuor. Iste in Schismate Schismaticus fuit.*

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 521. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Quod si a Nicolao Papa factum est, injuste profecto ac temere est præsumptum.*

R. Hæc verba mea non sunt, sed *Desiderii* Cassinensis Abbatis, qui postea fuit Summus Pontifex *Victor III.* Cum Henrico Imperatore contendebat Religiosissimus Abbas de Sedis Apostolicæ Dignitate, præsentibus Episcopis quamplurimis. Protulit *Henricus* Privilegium *Nicolai II.* quo cautum fuerat ut numquam in Romana Ecclesia sine Imperatoris nutu Pontifex fieret. Respondit *Desiderius* Abbas spectatæ pietatis & eruditionis: Nec Papam, nec quemlibet hominem Sedem Apostolicam quæ nemini homini subdita est; huic servituti subjicere potuisse. *QUOD SI A NICOLAO PAPA FACTUM EST* (inquit) *INIUSTE PROFECTO AC TEMERE PRÆSUMPTUM EST*, &c. Hæc Desiderii Abbatis verba, totamque Dialogi ejus cum Imperatore seriem descripsi ex Leone Ostiensi in Chronico Libro III. Cap. XLIX. Hæc autem Desiderii Abbatis Sententia & verba non prohibuerunt quin a Gregorio VII. dignissimus judicaretur qui ipsi in S. Petri Sede succederet; non prohibuerunt quin post ejus obitum Pontifex crearetur. Virum Sanctum, miraculis clarum, a B. Petro Damiani, a Leone Ostiensi, a Petro Diacono Cassinensi multis laudibus celebratum, Censores Religiosi revereantur, nec illius damnent Propositionem ac Sententiam, quam describere non affectavi, sed tamen supprimere non debui, sicut non suppressit Leo Ostiensis; nec potui, secundum Historiæ Leges.

AR-

ARTICULUS XIII.

De Urbano II.

OTto e Gallia oriundus, ex Oppido Remensis Diœceseos, cui *Castellioni* nomen, ad Matronam fluvium, Canonicus primum Regularis Ordinis S. Augustini, in Monasterio Lateranensi, deinde Ordinis *S. Benedicti* Monachus, a *Gregorio VII.* cum quo arctissimam in Cœnobio Cluniacensi amicitiam contraxerat, Ostiensis Episcopus & S. R. E. Cardinalis creatus est, ob vitæ sanctimoniam & doctrinam singularem. Multos pro Ecclesia Romana labores in *Gaiberti* Schismate passus est, multas ab *Henrico* Germaniæ Rege, ad quem Legatus a Gregorio VII. missus erat, contumelias, immo & carcerem. Ab ipso, & ab ejus Successore *Victore III.* dignus Summo Pontificatu judicatus, defuncto *Victore*, ad supremam Dignitatem assumptus est, *& Urbanus II.* appellatus, IV. Idus Martii, anno 1088. De cujus creatione legendus *Petrus Diaconus* lib. 4. Chronici Cassinensis, cap. 55. Cassini postea a gravissimo & inveterato lateris dolore, *S. Benedicti* intercessione sanatus est, ut idem refert cap. 5. Primatum Archiepiscopo Toletano in cæteras Hispaniarum Ecclesias concessit. Præerat tunc Ecclesiæ Toletanæ Sacris *Bernardus*. Legationem in Germaniam imposuit *Gebehardo* Constantiensi Episcopo ad confirmandam & promulgandam Anathematis sententiam in *Gaibertum* Antipapam, & *Henricum* Imperatorem a Decessoribus suis latam, & Schismaticorum Ordinationes reprobandas, teste *Bertholdo*, in Chronico, ad annum 1089. *Mathildem* Comitissam *Wuelphoni* Duci, filio *Wuelphonis* Bajoariæ Ducis Matrimonio conjunxit: Quæ has conciliante Pontifice pacta nuptias est, ut Romanæ Ecclesiæ facilius subvenire posset, ut idem *Bertholdus* testatur. Excommunicationem *Henrici* Imperatoris aggravavit, ob ejus erga uxorem *Praxedem* nefarium scelus, quam in carcerem detrusam, a plerisque violari jusserat, immo a proprio filio Conrado constuprari, quod renuens juvenis Princeps, & ipse immani injuria a patre affectus est, spurius nimirum declaratus. Quæ calumnia, visque illata castissimæ Reginæ matri, ipsum ad rebellandum Patri adegerunt, si *Dodechino* fides. *Gaufredo* Carnotensi Episcopo Simoniæ convicto & deposito, seu criminum conscientia cedente, & Episcopatum in manibus suis, absque ulla prorsus conditione dimittente, *Yvonem* Canonicorum Regularium S. Quintini Bellovacensis Præpositum, canonice electum, Romæ consecravit, ut ipse testatur Epistola 8. ad Clerum & plebem Carnotensem data: id fecit *Richerio* Senonensi Archiepiscopo injuste recusante & salva Obedientia, quam dicto Metropolitano suo debebat consecratus Episcopus, ut ipse ad *Richerium* scripsit Epistola 9. Daniam Hamaburgensis Metropolitani Jurisdictioni subtraxit, novamque Lundiæ erexit Metropolim rogante *Erico* Rege, ut tradit *Saxo Grammaticus* lib. 12. *Hugoni* Lugdunensi Archiepiscopo Legationem Sedis Apostolicæ in Galliis decrevit, qui congregata Synodo *Philippum* Francorum Regem excommunicavit, quod legitima dimissa uxore, alteram, & quidem cognatam *Fulconis* Andegavensis Comitis uxorem superduxisset, ut *Bertholdus* ad annum 1094. memorat. Concilium istud Augustoduni celebratum *Ostionem* vulgariter dici ait Bertoldus, *Ostaa* emferens, quod Gallice *Autan* dicimus. Ejusdem Concilii ab *Hugone* celebrati meminit *Hugo Flaviniacensis* in Chronico Virdunensi.

Urbanus II. Primatum Archiepiscopo Toletano in cæteras Hispaniarum Ecclesias confert.

Yvonem Carnotensem Episcopum Romæ consecrat.

Synodus Augustoduni ab Hugone Sedis Ap. Legato celebrata.

Urbanum II. Pontificem, non agnoscebat *Willelmus* Rex Anglorum, sed *Guiberto* adhærebat Antipapæ. Regi, proceribus, & adulatoribus Episcopis incredibili magnanimitate restitit *S. Anselmus* Cantuariensis Archiepiscopus propter hoc violatæ Regi fidei accusatus; quasi Pontificem venerari, quem Rex non agnosceret, nihil aliud esset, quam in Majestatem committere. Colloquium S. Anselmi cum Episcopis, Abbatibus, & Principibus ea de re Rochingamiæ anno 1094. habitum refert *Eadmerus* Historiæ Novorum lib. 1. Hæc verba Anselmo digna: *In quo terrenis Principibus subdi ac ministrare debeamus, docet & instruit Magni Consilii Angelus dicens:* „ Reddite quæ sunt „ Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Hæc verba, hæc consilia Dei sunt, hæc approbo, hæc suscipio, hæc nulla ratione exibo. Quare cunctis noveritis in communi, quod in his quæ Dei sunt, Vicario B. Petri obedientiam, & in his quæ terrenæ Domini mei Regis dignitati jure competunt, & fidele consilium & auxilium pro sensus mei capacitate impendam.* Vicit tandem *Anselmi* constantia: Cum enim paulo post Legatus Apostolicus ab *Urbano II.* advenisset *Anselmo* Pallium afferens, Pontificem in Legato Rex veneratus est, eique obedientiam præstitit.

Rogerio Comiti, *Roberti Guiscardi* filio, Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ Ducatum in feudum concessit, quas Provincias Pater ipsius possederat, indulsitque, ut nullum in suis ditionibus Sedis Apostolicæ Legatum recipere teneretur, qui præter voluntatem suam missus esset. Immo ut ipse Authoritate Apostolica, quæ per Legatum Sedis Apostolicæ cohibenda forent, cohiberet. Porro interpolatum *Urbani II.* Decretum contendit Annalium Ecclesiasticorum Parens, & Siculæ Monarchiæ nullatenus favere, Tom. 11. Annalium Ecclesiasticorum Romanæ & Coloniensis editionis ad annum millesimum nonagesimum septimum. *S. Brunonem* Instituti Carthusiensium authorem e Magna Carthusia Romam vocavit, ac solido biennio retinuit: ejus consiliis in Ecclesiæ regimine plurimum usus. Laicorum, vitæ communis Professionem sub obedientia Clericorum aut Monachorum, absque mutatione habitus ineuntium, pium Institutum approbavit, quod primitivæ Ecclesiæ formam gereret, ut constat ex ejus Rescripto, seu potius fragmento Rescripti, quod refert *Bertholdus* in Chronico, ad annum 1091. Sedente in Cathedra *S. Petri* Urbano II. *Berengarius Raymundi* Comes Barcinonensis Tarraconensem civitatem Romanæ Ecclesiæ donavit. Instrumentum Donationis extat inter Epistolas *Urbani II.* Tarraconensem Metropolim instauravit Pontifex, & *Berengarium* Ausonensem Episcopum ejus Urbis Archipræsulem constituit. [*Epist. VII.*] Barensem Archiepiscopum privilegiis ornavit, in honorem Sancti Confessoris Nicolai. [*Epist. V.*] Cavense Monasterium amplissimo Privilegio, & immunitate ab Episcopi Salernitani jurisdictione donavit. Attrebatensem Episcopatum restituit, temporum calamitate collapsum, & Remensi Archiepiscopo subjacere, prout ab initio subjacuerat, decrevit. Multos enim annos Episcopo destituta, & Cameracensi subdita fuerat Ecclesia Attrebatensis. Id constat ex pluribus *Urbani II.* Epistolis ad *Raynoldum* Remensem Archiepiscopum, & ad Clerum Attrebatensem. *Lambertum* Clerus Attrebatensis Episcopum elegit, quem Remensis Metropolitanus misit Romam a Summo Pontifice consecrandum.

Privilegium quod Rogerio Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ Duci concessisse fertur Urbanus secundus.

Plura celebravit Concilia, cum in Italia, tum in Galliis, quo se velut in asylum tutissimum receperat *Urbanus II.* Primum habuit *Troiæ* in Apulia, in quo de conjugiis consanguineorum dissolvendis Canon editus est, ab *Yvone* Carnotensi, & a *Gratiano*, Causa 35. Quæst. 5. Cap. 4. descriptus. Meminit illius Synodi *Petrus Diaconus* in Chronico Cassinensi lib. 4. cap. 8. Habita est an. 1089. aut 1093. Synodum Trojanam duplicem, absque fundamento, Annalium Ecclesiasticorum Parens distinxit.

Alteram Synodum Melphi in Apulia anno etiam 1089. habitam *Lupus Protospatha* in Chronico, & *Joannes* S. R. E. Cancellarius in Epistola ad Abbatem Molismensem, testantur. Ea in Synodo 16. conditi, ac promulgati Canones. *Primus* Episcopalem, cæterasque Ecclesiasticas Dignitates & Officia, gratis & absque munere a manu, a lingua, ab obsequio, dari statuit: alioqui dantes & accipientes proprii Ordinis dignitate priventur. *Secundus* Clericos, a suscepto Subdiaconatu, cœlibes esse jubet, secundum Canonum instituta. *Tertius* neminem ad Sacros Ordines admittit, nisi Virginem, aut probatæ castitatis Monogamum. *Quartus*, Subdiaconos ante decimum-quartum, Diaconos ante vigesimum-quartum, Presbyteros ante trigesimum ætatis annum ordinari vetat. *Quintus*, Ecclesias, decimas, & quidquid est Ecclesiastici juris, Monasteriis aut Canonicis, a Laicis offerri prohibet sine con-

Concilia. Trojanum Troja, in Apulia Daunia, seu ut vulgo dicitur Capitanata, in Regno Neapolitano, Episcopatus sub Manfredoniensi Archiepiscopo. Melphitanum. Melphis, vulgo Melfi, urbs Lucaniæ sive Basilicata Episcopatus sub Metropoli Manfredoniensi, uni tamen Romano Pontifici obnoxius. Summa Canonum. Ordinandorum ætas.

Pro ingressu Monasterii pretium exigere nefas. Sacrorum Ministrorum cœlibatus.

consensu Episcopi, vel Romani concessione Pontificis. *Sextus* Abbatibus, & Præpositis idipsum accipere sine concessione Episcopi. *Septimus*, ne abbas pretium ab iis exigat qui ad conversionem veniunt, seu Vitam Monasticam profitentur. *Octavus*, Investituras damnat. *Nonus* Clericos in Aula, & apud Proceres commemorari, virisque ac fœminis potentibus, ad sui Ordinis dedecus obsequi vetat. *Decimus*, Monachos vagos coercet. *Undecimus*, servilis conditionis, aut Curialium Officiorum homines repellit a Clero. Rationem assignat Synodus: *Ne gravamen aliquod*, inquit, *Sancta patiatur Ecclesia, nullum jus Laicis in Clericos esse volumus, & censemus.* *Duodecimus*, Subdiaconos rei uxoriæ operam dantes, ab Ordine, Officio & Beneficio removet. Principibus indulget ut eorum fœminas servituti mancipent. *Decimus-tertius*, sæculares vestes omnemque luxum Clericis prohibet, ne Laicis sint offensioni. *Decimus-quartus* Presbyterorum filios ab Altaris Ministeriis removet, nisi Monasticam aut Canonicam vitam professi fuerint ac religiose conversati probentur. *Decimus-quintus* interdicit ne a suis Episcopis excommunicati, ab aliis recipiantur. *Postremus* Sacerdotes admonet ut circa falsas Laicorum Pœnitentias invigilent, hancque tradit Moralis Christianæ Regulam, ab omnibus qui Confessiones excipiunt, studiose tenendam & observandam: *Sane quia inter cætera unum est quod Sanctam maxime perturbat Ecclesiam, falsæ videlicet Pœnitentiæ, confratres nostros Episcopos & Presbyteros admonemus, ne falsis Pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem Pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo peccato Pœnitentia agitur; aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio.... Falsa etiam fit Pœnitentia cum Pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quæ sine peccato agi nulla ratione prævalent: aut si odium in corde gestet; aut si offensis non indulgeat; aut si armis quis contra justitiam gerat.*

Falsa Pœnitentia damnatur. Quænam illa sit?

Tolosanum.

Tertiam Synodum anno millesimo nonagesimo *Tolosæ* celebravit per Legatos, in qua multa, quæ correctione indigebant, in causis Ecclesiasticis emendata sunt, & decreta in Hispanias Legatio, *Alphonso* Rege supplicante, ad Christianam Disciplinam in Toletana civitate restaurandam, ut *Bertholdus* in Chronico commemorat.

Beneventanum. Beneventum, *urbs Ditionis Pontificiæ in Regno Neapolit. Archiep.*

Quartam celebravit ipse *Beneventi*, anno millesimo nonagesimo primo, in qua sententiam Anathematis in *Guibertum* Antipapam & ejus fautores confirmavit, ut idem testatur *Bertholdus*.

Constantiense. Constantia, *urbs Germaniæ libera, Episcop. sub Metropoli Moguntina.*

Quintam celebravit *Constantiæ* per *Gebehardum* Episcopum, suum in Germania Legatum, anno millesimo nonagesimo quarto, in qua Presbyterorum incontinentia castigata, Simoniacorum violentia coercita est. (Ex *Bertholdo* Presbytero Constantiensi, in Chronico.)

Placentinum. Placentia, *vulgo* Piacenza, Plaisance, *caput Ducatus, Episcop. sub Metropoli Bononiensi.*

Sextam celebravit Placentiæ, anno millesimo nonagesimo-quarto. In ea *Praxedes* Imperatrix absoluta est a spurcitiis, quas invita pertulerat, vim ipsi inferri jubente *Henrico* marito nequissimo. *Philippi* Galliarum Regis suscepta Legatio, illique concessæ induciæ in causa repudii *Bertæ* Reginæ, & incestarum cum *Bertrada* nuptiarum. Auditi item Imperatoris Orientis Legati auxilium contra Paganos postulantes. Berengariana Hæresis damnata; *Guibertus* Antipapa, & fautores, diris Christiano ritu devoti. Simoniacæ Ordinationes missæ in irritum. Qui a Simoniacis, absque Simoniæ labe & Simoniacos esse nescientes, ordinati erant, in Clero misericorditer tolerati. Cum iis qui parentum cupiditate, per pecuniam, beneficia fuerant adepti, cum adhuc parvuli essent, si ea omnino dimitterent majores facti, dispensatum est ut in ea restituerentur, & ad sacros Ordines promoverentur. Ordinati a Schismaticis misericorditer in propriis ordinibus suscepti, si vita & scientia eos commendaret. Quam dispensationem frustra sperarent, qui ab iis in posterum ordinarentur. Cæterum hanc dispensationem in exemplum trahi Pontifex & Synodus vetant, Canonesque integros remanere decernunt. *Quamvis autem*, inquiunt, *misericordiæ intuitu, magnaque necessitate cogente hanc in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen præjudicium sacris Canonibus fieri volumus; sed obtineant proprium robur. Et cessante necessitate, illud quoque cesset quod factum est pro necessitate. Ubi enim multorum strages jacent, subtrahendum est aliquid severitati, ut demus amplius Charitati.* Prohibuit præterea hæc Synodus, ne pro Chrismate, Baptismo, & Sepultura quidquam exigatur. Jejunia denique Quatuor Temporum statis hebdomadibus observari jussit.

Ordinationes Simoniacæ vel a Simoniacis factæ.

Dispensationes summa cautione concedit Urbanus secundus.

Ubi multorum strages jacent subtrahendum aliquid severitati.

Septimam Synodum ad *Clarum Montem* celebravit *Urbanus II.* anno millesimo nonagesimo-quinto, cui tredecim Archiepiscopi ducenti & viginti-quinque Episcopi, ingensque Abbatum numerus adfuere. Pontifex cum de Sacrorum Locorum a Turcis infestatione, & de Christianorum in Oriente degentium calamitate vehementer perorasset, expeditionem Hierosolymitanam indixit, plena Pœnitentiarum relaxatione & Indulgentia iis facta, qui ad bellum sacrum proficiscerentur, impensa quoque illis bonorum tuitione, donec rediissent. Cujus tuitionis prætextu, si qua de rebus ad Cruce-signatos pertinentibus moveretur quæstio, Episcoporum erat cognitio, qui censuris invasores obstringebant, ut testatur *Yvo Carnotensis*, Epistola 173. Confirmata pax quotidiana Clericis, Monachis, fœminis, & earum sociis inermibus, agricolis, & mercatoribus, sancitæque certorum dierum induciæ Laicis sive feriatio a bellis privatis, quæ prava consuetudo invexerat, & quæ perversa hominum opinione legitima habebantur, si provocatio seu (ut vulgo loquebantur) diffidatio præcessisset. Sic privatarum injuriarum ultioni modus adhibitus; cum subito aboleri pravus, qui invaluerat usus, non posset. Induciæ autem indictæ sunt diebus Jovis, Veneris, Sabbati, & Dominica, quos Christus sub finem vitæ præcipuis salutis nostræ Mysteriis consecravit. Fractæ his diebus pacis rei pœnis Ecclesiasticis & civilibus mulctabantur. Hic primi Canonis sensus. Honestati Clericorum ab eadem Synodo consultum est, præscripta singulorum ad certum titulum Ordinatione; cœlibatu Clericis indicto, eorumque filiis ab omni Ordine & Honore Ecclesiastico depulsis, nisi Monachorum vel Canonicorum Institutum amplexi essent, vetitis Beneficiorum Ecclesiasticorum mercimoniis, Beneficiorum pluralitate prohibita, sive in duabus, sive in eadem Ecclesia. [*Canonibus VI. IX. X. XI. XII. XIII. & XIV.*]

Concilium Claromontanum.

Claromontium, *vulgo* Clermont en Auvergne, *Episcop. sub Metropoli Bituricensi.*

Expeditio Hierosolymitana decernitur.

Summa Canonum Concilii Claromontani.

Nonnullis etiam Canonibus asserta Ecclesiæ libertas; vetitæ scilicet Principibus Episcopatuum & Abbatiarum investituræ; prohibitum Episcopis, cæterisque Sacerdotibus ligiæ fidelitatis Sacramentum, quod antea Principibus præstabant. [*Canonibus XV. XVI. & XVII.*]

Facultates etiam Ecclesiæ dudum collapsas in integrum restituit adempta Laicis Altarium possessione, & decimarum, atque Beneficiorum Ecclesiasticorum usu. (Canonibus 19. & 20) In Christianæ tandem plebis emendationem Pontifex cum Synodo incubuit damnatis fictis Pœnitentiis, statisque Jejuniis constitutis. (*Canonibus XXII. XXIII. XXVI. & XXVII.*

Altarium redemptio vetita.

Eadem Synodus Altarium redemptiones prohibuit, Canone 7. Scilicet cum Laici plerique possessionem Ecclesiarum ac decimarum dimittere coacti, eas Capitulis, vel Monasteriis contulissent, nec tamen sine consensu Episcopi id fieri posset, nec Presbyteri ad regimen animarum, & sacra Ministeria obeunda, in iis constitui nisi ipsius authoritate. Inde turpis lucri occasionem quidam Præsules captarunt, permittentes Monachis ut Vicarium substituerent ad Altarium Ministeria peragenda; ipsi vero reditus Ecclesiarum perciperent, alimentis Vicario præstitis: ea tamen lege, ut nec Vicarium instituere, nec defuncto substituere alterum possent, nisi certa pecuniæ summa Episcopo soluta: quæ pecuniæ solutio, *Altarium redemptio* dicebatur. Hanc emtionem velut Simoniacam damnarunt *Urbanus II.* & Synodus Claromontana, teste *Goffrido* Vindocinensi Abbate, Epistola 12. lib. 3. Ipsa etiam Altaria, quæ per triginta aut quadraginta annos a Monasteriis possessa essent, ipsis in perpetuum attributa sunt & confirmata, ut testatur *Paschalis II.* in Epistola ad *Yvonem Carnotensem* & *Rainulphum Santonensem* Episcopos, quam refert *Sirmondus* in Notis ad Epistolas *Goffridi* Vindocinensis. Monachis etiam inhibitum, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenebant, absque Episcoporum consilio Presbyteros instituerent.

Ve-

Communionem sub utraque specie seorsim, nisi necessitas vel cautio aliud postulent, Synodus sumi decernit.

Vetuit etiam eadem Synodus, *Ne quis de Altari communicaret, nisi Corpus separatim, & Sanguinem sumeret, nisi per necessitatem, & per cautelam.* Abusus in Eucharistiæ administratione quibosdam in locis irrepserant, ut Corpus Domini Sanguine intinctum Fidelibus porrigeretur; ut ex Authore *Micrologi*, cap. 26. ex *Humberto* Cardinali in Disputatione cum *Niceta Pectorato*, & ex *Yvone Carnotensi* in Tractatu *de Divinis Officiis* constat. Illam communicandi formam *Urbanus II.* & Synodus Claromontana proscripsere hocce Canone, qui seorsim utramque speciem sumi statuit, excepto casu necessitatis, puta si ægris, vel pueris porrigenda esset Communio: tunc enim symbolum panis intingi poterat. Similiter si periculum esset, ne sanguis effunderetur, sub sola specie panis Laici communicabant. Hic istius exceptionis sensus est: *Nisi per necessitatem, & per cautelam.*

Vetuit præterea Synodus, ne morientium Episcoporum bona diriperentur, sub pœna excommunicationis, quæ ad pravam consuetudinem abolendam necessaria fuit: Jussitque Pontifex de sententia Patrum, ut per Archipresbyterorum, aut Archidiaconorum manus, aut secundum Antistitis defuncti supremam voluntatem, pro ipsius salute in eleemosynas erogarentur, aut futuro Successori reservarentur.

Lugdunensis Ecclesiæ Primatus.

Lugdunensis Ecclesiæ Primatus in quatuor Provincias, Lugdunensem scilicet, Rothomagensem, Senonensem, & Turonensem confirmatus est: causa cecidit, qui diu huic Primatui restiterat, *Richerius* Archiepiscopus Senonensis. Denique Pontifex Deiparæ Virginis devotissimus, ut ejus intercessione Dei auxilium in tantis Christianæ rei angustiis impetraret, ac tam generosum de sacra expeditione consilium ad optatum exitum perduceret ea favente, rogata Patrum sententia, decrevit ut horariæ illæ preces ac laudes, quas Beatæ Virginis Officium nuncupamus a Clericis persolverentur.

Officii B. Virginis Mariæ recitatio Clericis præscripta.

Quod & laici paulo religiosiores, tam viri, quam fœminæ, certatim deinceps frequentarunt. Exhinc Sabbatum B. Virginis cultu & Officio consecratum. Præfationis de Beata Virgine Author etiam creditur *Urbanus II.* ut docet inter alios eruditus Cardinalis *Bona* Rerum Liturgic. lib. 11. cap. 10. *Philippum* Galliarum Regem ob repudiatam uxorem, & superductam *Bertradam*, in eadem Synodo excommunicatum fuisse *Bertholdus*, *Sigebertus*, & *Willelmus Malmesburiensis* testantur.

Canonum Claromontanorum Breviarium ex Codice *Lamberti* Attrebatensis Episcopi, qui Concilio interfuit, a *Binio* editum est. Alia eorumdem Breviaria legere est apud *Ordericum Vitalem* lib. 9. Historiæ Ecclesiasticæ ad annum MXCV. apud *Willelmum Malmesburiensem* lib. 4. de Gestis Regum Anglorum ad eumdem annum; apud *Matthæum Parisium*; & apud *Belleforestium*, qui ex MS. Codice Abbatiæ *Sancti Dionysii* se descripsisse profitetur, lib. 4. Annalium Francorum: sed ut lingua vernacula scribebat, eos Gallice exhibet. Vetustam prærerea hujus Concilii Notitiam ex *Cencii Camerarii* Volumine MS. ediderunt Viri Eruditi, *Stephanus Baluzius* in Additionibus ad Caput 31. lib. 6. D. *de Marca*, *de Concordia Sacerdotii & Imperii*, & *Gabriel Gossartius* Tom. 10. Conciliorum. Quatuor Canones integros ea Notitia repræsentat. Illustrissimi Archipræsulis *Petri de Marca* Notas doctissimas ad Canones 1. 2. 7. & 28. Concilii Claromontani, magno fructu, & delectatione singulari nemo non leget.

Concilium Lemovicense, De Limoges.

Octavam Synodum *Lemovicis* habuit Urbanus II. anno millesimo nonagesimo-quinto exeunte, ubi Regalem *S. Martialis* Basilicam, ab *Ademaro* Abbate instauratam, solemni ritu dedicavit, de Hierosolymitana Expeditione cum Præsulibus contulit, *Humbaldum* Lemovicensem Episcopum, certis criminibus accusatum & convictum, exauthoravit. Ista constant ex Notitia istius Synodi, quam ex Tabulario Lemovicensi edidit *Joannes Beslyus* in Historia Comitum Pictavorum, & Ducum Aquitanorum; ex *Gaufredo* Priore Vosiensi, ad annum MXCV. & ex Chronico Malleacensi ad eumdem annum.

Turonense.

Nonam Synodum habuit *Turonis* anno MXCVI. in qua rursus de Hierosolymitana profectione, aliisque negotiis Ecclesiasticis actum est. Hujus Concilii meminere *Bertholdus*, & Chronica Turonense & Malleacense. In ea Synodo composuit etiam Pontifex Controversiam inter Canonicos *S. Martini*, & Monachos Cormeriacenses.* Sententia secundum Canonicos lata, qua statuit ut Abbates Cormeriacenses Baculum Pastoralem de Sepulchro *S. Martini*, communi Decani & Capituli jussu sumerent. Extat *Urbani II.* Diploma post Synodum Turonensem, Tomo 10. Conciliorum Labbeanæ Editionis. Monasterium Glanafoliense a subjectione Fossatensis in eadem Synodo absolvit. Qua de sententia Fossatenses * apud *Paschalem II.* Urbani II. Successorem conquesti sunt, *Urbano* a Glanafoliensibus obreptum fuisse causati. Causam vero ipsorum *Paschali* commendavit *Yvo* Carnotensis Episcopus Epistola 159.

* Cormery. *O. B. Diœc. Turon.*

* Glanfeuil. *O. B. Diœc. Andegav.*

* Saint Maur les Fossez.

Concilium Nemausense. Nemausus, *vulgo* Nismes, *in Occitania*, *Episcop. sub Metropoli Narbonensi. Summa Canonum.*

Decimam Synodum celebravit *Nemausi*, mense Julio ejusdem anni MXCVI. in qua *Philippum* Regem Francorum, dimissa *Bertrada* pellice, Pœnitentem ab excommunicatione absolvit. Sexdecim de Ecclesiastica Disciplina ibidem conditi Canones. *Primus* Claromontanos confirmat, quibus redemptio Altarium vetita, & Ecclesiæ ac decimæ ab annis triginta possessæ a Monachis perpetuo jure ipsis attributæ sunt; ea tamen lege ut Presbyteros absque Episcoporum authoritate in iis non collocent. *Secundus* quosdam stulti dogmatis homunciones perstringit, atque ab Episcopis reprimi jubet, qui Monachos a Sacerdotio, & Sacramentorum administratione arcendos esse effutiebant. *Tertius* Monachos, spectata professionis ipsorum sanctitate, dignius sacra ministeria obire docet, quam sæculares Presbyteros. Hæc Decreta Cap. de Politia Ecclesiastica XI. & XII. Sæculi uberius exponam, Canonesque integros repræsentabo.

Barense. Barum, *vulgo* Bari, *urbs Apuliæ Archiep. in Regno Neapolit.*

Undecimam Synodum *Bari* in Apulia celebravit *Urbanus II.* anno millesimo nonagesimo octavo, non septimo, ut Conciliorum Editores perperam notarunt. Sanctus enim *Anselmus*, qui hujus Concilii os ingeniumque fuit, anno MXCVII. feria 5. Idibus Octobris ab Aula discessit Willelmi Magnæ Britanniæ Regis, & die sequenti Romam profecturus, ad portum Dofris venit. Lugdoni moratus est usque ad feram tertiam ante Dominicam Palmarum, anni proinde MXCVIII. quo die Lugduno recessit, & post aliquot dies Romam pervenit, & propter calorem æstivum in Villam Schlaviam divertit: unde *Barum* cum *Urbano II.* petiit & Concilio adfuit, ut narrat *Eadmerus* lib. 11. *Historiæ Novorum*. Ex quibus recte colligit Domnus *Gerberonius* in Censura Operum *S. Anselmi*, quæ novæ Editionis honore donavit, Concilium Barense anno millesimo nonagesimo-octavo celebratum fuisse. In eo mota quæstio est de Processione Spiritus Sancti, quem a solo Patre procedere Græci pertinaciter contendebant. Quos divinis testimoniis, firmissimisque rationibus, *S. Anselmus*, jubente Papa, confutavit. Ibidem cum *Urbanus II.* de sententia Patrum, ad fulmen excommunicationis in Regem Anglorum vibrandum paratus esset, flexis genibus pro ipso supplicans *S. Anselmus*, cujus ob vexationem Summi Pontificis indignationem merito incurrerat, fulmen ab ejus cervicibus avertit, teste *Eadmero* mox laudato, & *Willelmo Malmesburiensi*.

Concilium Romanum.

Duodecimam Synodum Romæ celebravit anno millesimo nonagesimo nono, in qua Anglorum Regi *Willelmo* inducias ad causam dicendam roganti annuit *Urbanus II.* Decreta de Hierosolymitana expeditione confirmavit; Jejunium singulis feriis sextis per annum, ad divinam misericordiam pro præsentibus Ecclesiæ necessitatibus exorandam indixit, ut Chronicon Malleacense testatur: Investituras rursos proscripsit, & hominium quod Sacerdotes Laicis Principibus pro honoribus Ecclesiasticis exhibebant, prohibuit, ut *Rogerius de Hoveden* refert 1. Parte Annalium. Octodecim denique Canones promolgavit, quorum duodecim primi iidem sunt qui Synodi Placentinæ. Hæc Romana Synodus habita est 7. Kalendas Maii, ut habet Chronicon Malleacense, tertia hebdomada post Pascha, secundum *Rogerium de Hoveden*. Unde omnino eadem videtur cum illa in qua de causa Regis Anglorum actum est, ipsique concessæ induciæ; quam tertia pariter hebdomada post Pascha celebratam, Eadmerus in Vita *S. Anselmi* testatur. Perperam ergo Conciliorum Editores Synodum Romanam ab ista distinctam, in qua induciæ

Regi

Regi Anglorum concessæ sint, adscribunt anno 1098. quam post Concilium Barense constat celebratam, Eadmero teste. Illud vero post æstatem anni MXCVIII. celebratum observavimus. Constantiensi in Germania Episcopo concessit *Urbanus II.* ut Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, qui in aliquod crimen, sive secretum, sive publicum lapsi fuerant, suorum Ordinum functiones permitteret, *necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente*, modo tamen infamiæ notis non essent aspersi. Si quis vero, peremptorio quolibet eorum, quæ secundum sæculi Leges morte mulctantur, sive clam, sive palam occupatus crimine inveniretur, hunc ab omni Sacri Ministerii parte decrevit arcendum. *Sicut enim*, inquit, *Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum: ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci, vel Clerico ad altiores Ordines promoveri.*

Irregularitas infamiæ, & criminis capitalis.

Urbano II. quidam perperam tribuunt, quod Ordinationes ab Hæreticis & Excommunicatis celebratas, nullas esse, ac proinde iterandas judicaverit, ipseque, *Daibertum* a *Nezelone* Episc. Moguntino Schismatico, Hæretico, Simoniaco Diaconum ordinatum iterum ordinarit. Id vero colligunt ex ipsius Epistola ad *Petrum* Pistoriensem Episcopum & *Rusticum* Abbatem Vallis Umbrosæ, quod Decretum etiam a *Gratiano* refertur Causa 1. Quæst. 7. cap. 25. *Daibertum*, inquit, *a Nezelone, licet Simoniaco, non simoniace, ejusdem confessione reperimus in Diaconum ordinatum: & B. Innocentii Papæ sententia constat declaratum, quod Nezelon [quem constat ab Hæreticis ordinatum] quia nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Nos igitur tanti Pontificis Authoritate firmati, & Damasi Papæ testimonio roborati, qui ait* „ Reiterari „ oportet, quod male actum est; *Daibertum ab Hæreticis corpore & spiritu digressum, atque utilitatibus Ecclesiæ & pro viribus insudantem, ex integro, [Ecclesiæ necessitate ingruente] Diaconum constituimus. Quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram Diaconii dationem: quoniam ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit.* Verum nullam & irritam Ordinationem a Nezelone celebratam non pronuntiavit *Urbanus II.* quoad ipsam substantiam Ordinis, sed quoad sacri muneris executionem, locum, privilegia, quæ ex integro se conferre *Daiberto*, potius quam iterare profitetur. Non aliam fuisse *Urbani II.* doctrinam, colligitur ex ipsius Epistola ad *Lucium* Præpositum *S. Juventii* apud Ticinum. Inter cætera quæsierat Lucius, *Utrum sit utendum Ordinationibus & reliquis Sacramentis a criminosis exhibitis, ut ab adulteris, vel Sanctimonialium violatoribus &c.* Respondet Urbanus: *Si schismate vel hæresi ab Ecclesia non separantur, eorumdem Ordinationes & reliqua Sacramenta, sancta & veneranda non negamus, sequentes B. Augustinum, &c. .... Cæterum Schismaticorum & Hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, juxta SS. Patrum traditiones, scilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi, formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi, vel eorum Sacramentis initiati, per manus impositionem ad Catholicam redeunt unitatem.*

Quo sensu Ordinationes ab Hæreticis vel Simoniacis factas irritas dixerit Urbanus II.

Epist. 17.

Congregationem Vallis Umbrosæ Ordinis S. Benedicti, in tuitionem Sedis Apostolicæ suscepit, ac Privilegiis ornavit, ut constat ex Bulla, *Cum universis*, Tom. I. Bullarii Romani. Tria proferuntur Privilegia sub Urbani II. nomine in gratiam Turonensis Ecclesiæ Sancti Martini data, quæ Annalibus Ecclesiasticis inseruit Cardinalis Baronius; non in Regestis Vaticanis Pontificum, sive scriniis Ecclesiæ Romanæ inventa, sed ex Tabulario Sammartiniano descripta & ad ejus Eminentiam a Canonicis missa: quæ Privilegia postea edidit Radulfus Mosnyerus, in Vindiciis Privilegiorum ejusdem Ecclesiæ. Primum inscribitur *Universis Sanctæ Ecclesiæ filiis*; & incipit: *Notum fore volumus tam futuris quam præsentibus*. Id in suspicionem suppositionis venit apud severiores Criticos; ob ipsam inscriptionem, quod Universæ Ecclesiæ filios non spectarent Privilegia Sammartiniani Capituli. Quid enim hæc ad Orientalium Ecclesiarum Christianos? Quid ad Germanos, Hispanos, & divisos toto orbe Britannos? 2. Quod Pontificiorum Diplomatum stylum non sapiat exordium illud: *Notum fore volumus tam futuris quam præsentibus*. 3. Quod male consutæ sint phrases & barbara Latinitas. 4. Quod incredibile videatur Romanos Pontifices Privilegium concessisse Canonicis S. Martini, ne Legatis Apostolicis, Reginis & filiis Regum Processionis honorem exhiberent, id est, ne ipsis obviam irent, eosque exciperent solemni ritu, immo ne Turonensem quidem Archiepiscopum, nisi semel in vita sua, sed solum Pontificem Romanum & Regem. *Illis itaque humiliter nobis scripta Patrum nostrorum Romanorum Pontificum prætendentibus, diligenter attendimus eorum Privilegia, & quia præter Apostolicum, & Regem, & Turonensem Archiepiscopum semel in vita sua, neminem ad Processionem susceptionem admittebant..... Porro nos tanta authoritate refecti, eorum antiquam consuetudinem, eorum Scriptis suffragantes authoritate nostra corroboravimus.* Neque enuntiatur a quibus Pontificibus concessa sint ista Privilegia, neque ulla ex Capituli Sammartiniani Tabulario proferuntur. 5. Quia de Amato, Burdegalensi Archiepiscopo eo in instrumento dicitur: *Et quia filius noster Amatus Burdegalensis Archiepiscopus unus erat de Legatis Romanæ Ecclesiæ a Gregorio Septimo, Prædecessore nostro in Galliam destinatus, non ab hac Ecclesia Processionis solemnitate susceptus; unde etiam graviter contra eosdem Clericos commotus, eos in Exoldunensi Concilio excommunicatione perfoderat, eum in concordiam & pacem eorum confirmavimus.* At Amatus Burdegalensis Episcopus non erat, cum Apostolica Legatio a Gregorio VII. illi demandata est, sed Oleronensis Episcopus, ex qua Sede translatus non fuit ad Burdegalensem ante annum millesimum octogesimum-octavum, ut constat ex Chronico Malleacensi & ex Gallia Christiana, cum Gregorius VII. obierit anno millesimo octogesimo-quinto. 6. Decanus & Canonici Turonensis Ecclesiæ S. Martini ne semel quidem eo in instrumento nominantur. 7. Vetera Privilegia memorantur, quibus eis concessum sit proprium habere Episcopum, eoque suppresso, subjiciuntur immediate Romano Pontifici. *Quoniam in quibusdam suæ Ecclesiæ Privilegiis proprium eis habere Episcopum concessum est, ejus vice nos Romano eos sancimus specialiter adhærere Pontifici, & graviores eorum causas ejus pendere judicio.* At narratio illa fabulam olet, cum nulla Episcoporum propriorum Ecclesiæ S. Martini institutio, nulla successio ac series in antiquis Ecclesiæ Monumentis appareat. Atque hic usurpare liceat illud Tertulliani lib. *De Præscriptionibus Hæreticorum* cap. 32. *Evolvant Ordinem Episcoporum suorum per successiones ab initio decurrentem.* Decem Episcopos Sammartinianæ Ecclesiæ ex Chartis quibusdam admodum obscuris commemorat Radulphus Mosnyerus in libro, cui titulus est, *Ecclesiæ S. Martini jura propugnata*, scilicet Amaraldum circa annum Christi 700. vivente Berthone Turonensi Præsule; Nicentium circa annum 732. sub Gumtramno Turonensi Episcopo; Paternum circa annum 760. Benignum circa annum 800. Desiderium circa annum 821. Wichardum anno 852. Maximum circa annum 900. Junianum circa an. 954. Philippum & Lucianum sine temporis nota. Addit, seriem & gesta Episcoporum S. Martini combusta fuisse per Normannos, ad cujus rei fidem faciendam citat fragmentum antiqui Chronici ejusdem Basilicæ. Verum hæc severioribus criticis ad Sammartinianæ Basilicæ proprium Episcopatum probandum satis firma non videntur, cujus nec erectionis tempus notari, nec erectionis tabulæ proferri possunt, nulli antiquæ Historiæ Scriptores testes appellantur. Chorepiscopi forte quidam fuerint, seu Vicarii Turonensium Episcoporum in Pontificalibus, ab ipsis interdum ordinati: Episcopos fuisse propriam jurisdictionem a Turonensi Episcopo independentem exercentes, & Sancti Martini Ecclesiam velut singularem Diœcesim regentes, persuadere mihi non possum, & Romanos Pontifices Dignitatem & jura Ecclesiæ Metropolitanæ Turonensis imminuere, Sancti Martini Sedem deprimere voluisse, alteram Cathedram in eadem Urbe contra ipsam erigendo, obtentu honoris exhibendi memoriæ S. Martini. Nec nullius momenti est quod in primo illo Urbani II. nomine inscripto Privilegio, postremus Sancti Martini Episcopus sive tunc vivens, sive defunctus non nominetur, nec prohibentur in posterum electio & Ordi-

Dubia Privilegia Ecclesiæ S. Martini Turonensis, nomine Urbani Secundi suscripta.

dinatio proprii hujusmodi Episcopi. 8. Quis facile credat Urbanum II. pœnam exauthorationis intentasse Cardinalibus, Legatis Apostolicis, & Episcopis, qui Processionis honorem a Canonicis Sancti Martini exigerent? *Si quis Cardinalis, aut Legatus, aut Episcopus, aut quilibet a nostro Latere Missus, Processionem ab ipsa Sancti Confessoris Ecclesia expetierit, si commonitus non destiterit, Potestatis honorisque sui dignitate careat.* Denique falsa est temporis nota. Privilegium enim illud dicitur *Datum Turonis in Castello Sancti Martini per manum Joannis S. R. E. Diaconi Card. secundo Idus Martii, Indict. quarta, anno Dominicæ Incarnationis* 1097. *Pontificatus Domini Urbani II. Papæ nono.* At Urbanus II. in Gallia non erat anno 1097. sed in Italia, ut colligitur ex Chronico Malleacensi. Unde Exemplar ad se missum Baronius emendavit, & restituendum duxit 1096. loco 1097. quæ Doctissimi Cardinalis emendatio si consona sit autographo, bene est.

Privilegium alterum sub Urbani II. nomine profertur, inscriptum, *Dilectis filiis Ecclesiæ Beati Martini Canonicis tam præsentibus quam futuris in perpetuum.* Incipit: *Bonorum omnium largitori.* Illud ex Tabulario Sammartiniani Capituli ad se missum Annalibus Ecclesiasticis pariter inseruit Cardinalis Baronius. A severioribus Criticis in dubium etiam vocatur, tum ob alia momenta, tum ob falsam temporis notam. Datum dicitur *Pictavis per manum Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, quarto Kalendas Aprilis, Indictione quarta, anno Dominicæ Incarnationis MXCVII. Pontificatus autem Domini Urbani Secundi Papæ nono.* At anno millesimo nonagesimo septimo in Gallia non erat Urbanus II. sed in Italiam redierat. 2. Supponitur Urbanum II. jam tumulum Beati Martini devotionis causa visitasse, & Simoniacam pravitatem, qua illius Ecclesiæ Canonici execrandum in modum infecti erant, emendasse. At Cæsarodunum Turonum non adierat Urbanus, cum Pictavum venit ut ex Chronico Malleacensi discimus, cujus hæc sunt verba: *Anno MXCVI Urbanus Papa veniens ad festivitatem Sancti Hilarii fuit Pictavis, & benedixit Monasterium novum sexto Kalendas Februarii. Post hæc perrexit Andegavis, & benedixit Monasterium S. Nicolai. Inde abiens Turonis, Concilium tenuit in Monasterio S. Martini. Inde reversus est Sanctonas Civitatem, & celebravit ibi Sanctum Pascha, & in eundo remeavit Nemausum Civitatem, & ibi tenuit Concilium, & reconciliavit Philippum Regem Francorum.* 3. Eo in Instrumento hæc clausula ex primo Privilegio repetitur; *Et quia in quibusdam vestræ Ecclesiæ Privilegiis proprium habere Episcoporum concessum est, nos ejus vice Romano vos sancimus specialiter adhærere Pontifici & graviores vestri causas ex ejus pendere judicio.* Quorsum vero Pontifex novo Privilegio iterum concessisset eodem verborum tenore, quod ab uno vel altero mense jam concessisse supponitur? 4. Verisimile non est quod Canonicos Simoniaca peste dudum infectos & nundinationis reos amplissimis Privilegiis adauxisset Pontifex, qui nefarium illud crimen zelo plane Apostolico persequebatur, & secundum sacros Canones puniebat, ut ex ejus Epistolis ac Decretis, Conciliisque ab ipso habitis compertum est. Magnum satis Beneficium ipsis præstiterit, si pœnas canonicas remiserit pœnitentibus. Porro quam fœda esset Ecclesiæ S. Martini tunc temporis facies, secundum istud Privilegium describit his verbis; *Quia vero in ejusdem Beati Confessoris Ecclesia Consuetudo pravitatis hujusmodi inoleverat, ut Honores seu Præbendæ omnes pretio acquirerentur, Nos locum illum Sanctum emundare ab hac peste execrabili cupientes, religiosos viros ad præmonitionem nostram decrevimus præmittendos. Quibus estis fideliter Domino inspirante, polliciti, & præceptis nostris omnimodis obedire, & simoniacæ pravitatis inquinamenta deserere. Quod & præsentibus nobis per Dei gratiam perfecistis in nostra tamquam Petri manu firmantes, nihil vos ulterius Honorum, nihil Præbendarum vendituros, nec ut vendantur aut emandatur, aliquando consensuros.* 4. Urbanus II. Ecclesiam S. Martini a Jurisdictione & Diœcesana Lege Turonensis Archiepiscopi eximere volens, ac Romanæ Ecclesiæ sine medio subjicere, Concilii Chalcedonensis meminisset, ejusque Canonibus speciali clausula (ut loquuntur) seu disertis verbis derogasset, ne Privilegium per obreptionem impetratum censeretur. Canonibus siquidem Chalcedonensis Concilii 4. & 8. sancitum est; *Ut Monachi & Clerici sub Episcoporum qui in unaquaque Civitate sunt, secundum Sanctorum Patrum Traditiones, potestate permaneant.* Sane si quis literas vel Privilegia contra Concilii Generalis Decreta & Canones impetraverit, (quorum dispensationem ad Summum Pontificem pertinere pro Ecclesiæ necessitate vel utilitate ratione Primatus ipsi divino jure in Ecclesia universa competentis agnoscimus & fatemur) hujusmodi Rescripta merito veniunt in suspicionem falsitatis, secundum Canonicam Regulam, Cap. *Ex parte*, Extra *De Capellis Monachorum*, cujus hæc sunt verba. *Cum autem id obviet Lateranensi Concilio, de quo nulla mentio est in Literis antedictis: Fraternitati tuæ breviter respondemus, quod hujusmodi Literas ab Apostolica Sede non credimus emanasse. Quod si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto.* 5. Temporalia Regis Christianissimi jura supremaque in rebus mere civilibus potestatem non convulsisset Urbanus II. æquissimus Pontifex ut convellunt hæ suppositi privilegii sententiæ. *Eadem authoritate statuimus nullum Pontificum, nullum Regum, nullum cujusque Dignitatis aut Ordinis præter Præpositos vestros in Ecclesia vestra vel ejus pertinentiis potestatem aut dominium exercere.* Item: *Nullus in villis, aut mansionibus, sive Ecclesiis, aut pagis ad vestram Ecclesiam pertinentibus, invitis vobis judicia agere, ingenuos servosve sæculi potestate constringere, nec teloneum aut naulum præsumat exigere.* Noverat enim Urbanus II. duo esse quibus principaliter Mundus hic regitur, Authoritatem scilicet Pontificum, & Regalem Potestatem: Legibus Regum, ipsos quoque parere Antistites eorum Imperio subditos: Aliam esse rationem rerum sæcularium; aliam divinarum, ut S. Leo & Gelasius I. loquuntur. 6. Privilegium istud, qualecumque sit Sancti Martini Canonicos ab Archiepiscopi Turonensis jurisdictione non absolvit, aut immunes liberosque declarat in iis quæ hierarchicas & spirituales functiones spectant, sed contra injurias dumtaxat & gravamina ipsos munit Sedis Apostolicæ præsidio, ut hæc verba probant. *Episcopus autem in cujus Diœcesi sunt eadem possessiones ordinandorum Clericorum tantum curam gerat, nihil de cætero gravaminis Clericis inferat*, &c. Et *Romanæ Ecclesiæ libertate perpetua gaudeatis, salvo nimirum jure seu consuetudine, quam hactenus erga vos Turonensis noscitur Archiepiscopus habuisse.* 7. Turonenses S. Martini Canonicos secundum Prædecessorum suorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum Privilegia *in spirituales filios Apostolicæ Sedis se assumpsisse* testatur Author privilegii. Quæ verba singularem quidem Sedis Apostolicæ de insigni S. Martini Ecclesia curam, & præcipuum quoddam patrocinium eidem impensum a Romanis Pontificibus significant, non immunitatem & libertatem omnimodam a Jurisdictione Turonensis Archiepiscopi. Id probat exemplum Bambergensis Ecclesiæ, de qua Gregorius VII. scribit Epistola 76. libri 11. *Notum est pene omnibus in Teutonicis partibus habitantibus, quod Bambergensis Ecclesia speciali quodammodo filia adhæret Matri suæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo authore deservimus, licet indigni; ac proinde tanto sollicitius vigilantia nostra nos oportet sibi curam impendere, quanto familiarius Apostolicæ Sedis est munimine contuenda.* Sed quantumvis Bambergensis Ecclesia specialis filia esset Ecclesiæ Romanæ, Summi tamen Pontifices eam a Metropolitani subjectione non absolverunt. Cum enim Herimannus Bambergensis Episcopus in Concilio Romano sub Gregorio VII. depositus esset, Sanctus ille Pontifex Sigefrido Moguntino Archiepiscopo præcepit, ut secundum instituta Patrum Pastorem in Ecclesia Bambergensi ordinare curaret. Et Paschalis Secundus eum Othonem Bambergensem Episcopum electum Romæ secundum Cleri Bambergensis desiderium consecrasset, id se fecisse declaravit *salvo Metropolitani jure.* Sic & Urbanus Secundus Turonenses S. Martini Canonicos *in spirituales filios Apostolicæ Sedis assumpsisse* censendus est, salvo jure Turonensis Archiepiscopi.

Gregorius 7. Lib. 3. Epist. 2. Paschalis 2. Epist. ad Clerum & Populum Bamberg.

Secundum illud Urbani II. Privilegium Innocentio Quarto Pontifici Maximo Lugduni exhibuerunt, & ab

ab eo recognosci curarunt Turonenses Sancti Martini Canonici, quod *vetustate consumi jam inciperet* (si credere fas est.) Primum Privilegium non exhibuerunt, quod non minus vetustum esse debuit, adeoque non minus eguit recognitione ac renovatione Pontificia. Cæterum nihil novi contulit Ecclesiæ & Capitulo S. Martini, jus dumtaxat illi Ecclesiæ per ipsum Privilegium acquisitum illi futuris temporibus conservari edixit. Nullum autem jus per illud acquisitum fuerit, nisi genuinum sit, & canonicum, non suppositum, aut per obreptionem impetratum. Non enim *firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, ut habet Regula juris; & *Enuntiata, vel enuntiativa non probant*. Quamobrem si enuntiatum falsum sit, nihil confirmavit Innocentius Quartus. Citantur & aliorum Pontificum Literæ, scilicet Callisti II. Honorii II. Innocentii II. Alexandri III. Martini Quarti, in quibus enuntiatur *Ecclesiam B. Martini Turonensis ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ specialiter pertinere*. Sed omnimodam exemptionem seu immunitatem a Lege Diœcesana & Jurisdictione Turonensis Archiepiscopi hæc verba per se non probant, secundum Bonifacii VIII. declarationem Cap. *Si Papa*, Tit. *De Privilegiis*, in Sexto. *Si Papa in aliquo Privilegio vel scriptura non facta principaliter super Donatione vel Sententia exemptionis, seu etiam libertatis, aliquam Ecclesiam ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel consimilia verba narret, non propterea illius Ecclesiæ exemptio est probata, nisi de libertate aliter doceatur .... .. Si aliqui recipiantur in proprios & speciales subjectos, censentur exempti. Non sic si in proprios & speciales filios Romanæ Ecclesiæ sint suscepti: tales quippe exempti propterea non existunt*. Vox etiam *Patrocinii & Protectionis Sedis Apostolicæ*, qua insignem S. Martini Turonensis Ecclesiam muniunt nonnulli Pontifices, exemptionem a Jurisdictione Episcopi per se non significat, ut invicte probat Cap. *Ex parte*, Ext. *De Privilegiis*.

Cap. Quia intentionis, *Ext.* De Privilegiis.

Cæterum ultra facti quæstionem in istorum Privilegiorum examine non progredior (quod & de illis dictum sit quæ Hadriani I. & Adeodati nominibus inscribuntur). Nec insignis Ecclesiæ S. Martini, aut Metropolitanæ Turonensis ejusdem Sanctissimi Confessoris & Episcopi Sedis, legitimis Privilegiis & Juribus per ea quæ scripsi præjudicatum velim. Sua singulis Ecclesiis Privilegia serventur, quæ vera, sincera, & canonicæ authoritati convenientia probantur. Quædam enim rata non esse manifestis deprehenduntur indiciis, *corruptione* videlicet *Latinitatis, aut non diversitate canonicæ authoritatis*, ut loquitur Gregorius VII. * Literis Pontificium nomen præferentibus fidem adhiberi non vult Apostolica Sedes, si *manifestum* contineant *in constructione peccatum*. * Privilegia & consuetudines Ecclesiarum Sedes Apostolica tuetur & confirmat, *Quæ Sanctorum Patrum Regulis minime contradicant, & canonicis non obviant Institutis*; ut loquitur Gregorius IX. * *Neque enim credendum est Romanum Pontificem* [*qui jura tuetur*] *quod alias excogitatum est multis vigiliis & inventum, uno verbo subvertere voluisse*; ut ait idem Pontifex. * Pontifices Optimi Maximi cum Sancto Gregorio Magno dicunt: * *Si sua unicuique Episcopo Jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?* Intelligunt denique, *Privilegia & Exemptiones quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum Jurisdictione excitare, & Exemptis occasionem laxioris vitæ præbere*; ut ait Sacra Synodus Tridentina. * Et ex sacro illorum ore frequenter auditur Canonicum illud Oraculum: * *Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate*.

* Lib. 1. Epist. 33.
* *Cap.* Ad audientiam. *Ext.* De Rescriptis.
*Epist. ad Regem & Reginam Armeniæ.
* *Cap.* Ecclesia, *Ext.* De Electione.
* Lib. 9. Epist. 32.
* Sess. 24. de Reform. C. 11. *Secundum Cap.* Cum plantare, *Ext.* De Privilegiis.
* *Cap.* Tuarum, & *Cap.* Ut Privilegia, *ib.*

Obiit Urbanus II. sanctus, doctus, magnanimus Pontifex quarto Kalendas Augusti, anno 1099. cum annos undecim, menses quatuor, dies duodeviginti Ecclesiam gubernasset. Ejus memoria in Martyrologio Monastico, & apud *Philippum Ferrarium* in Catalogo Sanctorum, qui Martyrologio Romano non sunt adscripti, celebratur. Ejus Elogium inculta quidem, sed verace Musa cecinit *Domnizo* Presbyter in Vita *Mathildis*:

Urbani II. Sanctitas & elogium.

Non erat hic Rector tremulus quasi cannula vento,
Sed velati ferrum truncabat noxia verbo:
Ut cervum serpens, Hæresum sic turba timet quem,
Cuncta sibi prava subdantur dogmata falsa.
Nunquam decrevit libertas denique Sedis
Romanæ per eum, Sanctum peramat quia Petrum
Aureus Antistes, color optimus extitit ipse
Scilicet Urbanus, Sanctis merito sociatus.

Inter Cardinales ab *Urbano II.* creatos celebres fuere *Bernardus* Florentinus, ex nobili *Ubertorum* familia, Congregationis Vallis Umbrosæ Abbas Generalis, & Parmensis deinde Episcopus, Vir Sanctissimus, cujus memoria in Romano Martyrologio, die 4. Decembris celebratur. *Odo*, sive *Otho Castillonæus*, Urbani ipsius nepos, ex Monacho Cluniacensi ad Ostiensem Episcopatum a Patruo Pontifice evectus, *Baldricus* Burguliensis Abbatis carminibus commendatus, ob religionem, doctrinam, cæterasque dotes Summo etiam Pontificatu dignus: *Berardus*, sive *Bernardus*, Beneventanus, Sedis Apostolicæ Legatione in Oriente functus, Prænestinus Episcopus, ab *Alphano* Salernitano Archiepiscopo laudatus: *Robertus Carisaccus*, nobilis Romanus: *Leo Marsicanus*, ex Monasterio Cassinensi ad Eminentissimam assumptus Dignitatem: *Gregorius de Papa*, seu *de Paparefchis*, ex Canonico Regulari Lateranensi in Sacrum Collegium cooptatus, a *Gelasio II.* deinde in Gallias, a *Callisto II.* in Germaniam, Legatus Apostolicus missus, demum Summus Pontifex Innocentius II. *Goffridus* Vindocinensis Abbas, &c.

Cardinales mernissimi ab Urbano II. creati.

CAPUT II.

De Pontificibus qui Romanam & universalem Ecclesiam rexerunt XII. Sæculo; Et de Conciliis Romæ vel alibi ab ipsis celebratis.

ARTICULUS I.

De Paschali II.

R*Aynerius*, Romæ, ut Abbas Urspergensis docet, vel ut alii tradunt, Bledæ in Tuscia ortus, in Monasterio Cluniacensi, sub *Hugone* Abbate, Deo se devovit. Morum integritate, doctrina, solertia, prudentiaque in rebus gerendis singulari, tantam in Religiosa Congregatione de se opinionem excitavit, ut ad gerenda Ordinis negotia Romam missus sit anno ætatis vigesimo, ubi a *Gregorio VII.* Pontifice Maximo ob insignia merita Abbas Cœnobii *S. Laurentii* extra muros, via Tiburtina constitutus, & Cardinalis Presbyter Titulo *S. Clementis* creatus est. Defuncto *Urbano II.* sub quo Romanæ Ecclesiæ contra Schismaticos egregiam operam navarat, consentientibus Cleri suffragiis, omniumque Ordinum applausu, Pontifex electus est, Idibus Augusti, 1099. invitus, fugiensque celsissimam dignitatem, (quam tamen antea vir sanctus ipsi a Deo auguratus fuerat) conclamantibus universis: *Paschalem Papam S. Petrus elegit*. Paschalis itaque Secundus appellatus est. Exercitum contra *Guibertum* conscripsit, & ejus partiarios, qui Romanæ Ecclesiæ ditiones depopulabantur, suppetias ferente *Rogerio* Siciliæ Duce. Faustum Ecclesiæ annum centesimum supra millesimum *Guiberti* Antipapæ obitus, & trium, qui ipsi in Schismate successere, exitus infœlix; atque *Godefridi Bullionæi* in Regem Hierosolymorum inauguratio fecerunt. Multa fuere adversus Principes Paschali pro Dei causa, Ecclesiæque juribus difficillima negotia, & conflictus acerrimi. *Henricum IV.* Germaniæ Regem a Decessoribus suis, & frequentibus Synodi toties excommunicatum, non solum execratus est, & anathemate confixit in Synodo Lateranensi anno MCII. ut testatur Abbas Urspergensis; sed Christianos Principes ad ipsum justo bello lacessendum & comprimendum est adhortatus, & maxime *Robertum* Flandrensium Comitem, cujus etiam arma contra Leodienses Clericos in Schismate pertinaces excitavit. Quod illi ut audivere, Epistolam, seu potius Declamationem acerrimam contra *Paschalem II.* infrunito stylo scripsere. *Nos*, inquiunt, *attoniti hac novitate rerum*, qua-

Bellum contra Schismaticos indicit Paschalis II.

Leodiensium Schismaticorum contra Paschalem Secundum Epistola refellitur.

quærimus unde sit hoc novum exemplum, ut prædicator pacis suo ore & alterius manu inferat Ecclesiæ bellum. Contra Barbarorum, & inimicorum Dei assultus, concedunt Canones etiam Clericis arma ad defensionem Urbis & Ecclesiæ. Bella vero indici Ecclesiæ per authoritatem canonicam, nusquam Scripturarum legimus. Pacem Jesus, pacem Apostoli, pacem Apostolici Viri prædicant; peccantes arguunt, increpant, obsecrant in omni patientia & doctrina, &c. Sed facile erat Leodiensibus respondere, Paschalem Papam bellum Ecclesiæ non indicere, sed Schismaticis & Ecclesiæ hostibus, ut eos ad pacem & unitatem Ecclesiæ matris revocaret; nec sæculi Potestates novo exemplo provocare ad eos coercendos, qui Ecclesiæ perduelles essent. Sic enim contra Schismaticos Donatistas actum, teste *S. Augustino* Epist. 28. l. 1. contra Epistolam Parmeniani Cap. 7. & alibi: Et potestatem Principibus Christianis a Deo esse concessam, *Ut per eum Disciplinam Ecclesiasticam muniant*, & quod Ecclesia efficere non potest per doctrinæ sermonem, id ipsi obtineant per *Disciplinæ terrorem* ut ait *S. Isidorus*.

Se excommunicari non potuisse effutiunt, multominus bello impeti, quod *Heurico* Regi adhærerent, cum jubeat Deus, ut *Quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddamus*: Et *S. Paulus*, ut *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. At quæ *sunt Dei*, *Deo* reddenda; audienda Ecclesia, *quæ est columna & firmamentum veritatis*; Præpositis obediendum, quos *qui spernit, Christum ipsum spernit*: quod sane Leodiensis Ecclesiæ contumax Clerus non præstabat.

Mirari se scribunt, cur excommunicati dicantur, quia non sunt auditi, nec ab Episcopo, aut Metropolitano suo judicati, per quos Ecclesiastica Judicia tertio gradu ad Romanum Pontificem deferuntur appellatione legitima. *Quando*, inquit, *a quo & quare excommunicati sumus? Non ab Episcopo nostro, non ab Archiepiscopo, cui Episcopus noster suffragatur, nos excommunicatos esse scimus: sed nec a Papa Romano nos excommunicatos esse credimus, quia scimus eum non ignorare, quod ait Nicodemus*. Lex nostra non judicat quemquam, nisi audierit ab ipso prius. *Nec Sodomitas damnasset Deus nisi descendisset ad ipsos videre, utrum clamorem qui venerat ad eum opere complessent. Qui nihil a nobis audivit, quem non Episcopus, non Archiepiscopus aliquando contra nos interpellavit, quis crederet quod nos excommunicaverit? Per scalam ad cælos usque pertingentem videt Jacob ascendentes & descendentes Angelos. Et Jesus ait Discipulis*: „Amen, „amen, dico vobis, videbitis cœlum apertum & An„gelos Dei ascendentes & descendentes super Filium „hominis: *Nos filios hominis, id est Adæ, in sua exprimit persona. In aperto Ecclesia cælo & boni & mali intrant. Vos Præsules Ecclesiæ, qui estis Angeli Dei, gradatim ad nos ascendere debetis; gradatim & nos ad vos ascendere debemus. Quot gradibus ad vos ascendimus, tot ad nos ascendere debetis. Est primus gradus nobis ad Episcopum, secundus ad Archiepiscopum, per quos ascendere debemus ad gradum tertium, id est, ad Papam Romanum. Super filium hominis descendisis, cum humilibus compatiendo condescendistis. Super filium hominis ascendistis, cum verbo & exemplo humiles ad cælum sustollitis*.

At nescire non debebant Leodienses, cum agitur de hæresi vel schismate jam ab Ecclesia damnatis, nova audientia non esse opus, ut excommunicentur qui in castris Hæreticorum & Schismaticorum militant; satis esse evidentiam facti ut in illos spiritalis Ecclesiæ gladius, immo & materialis a Principibus distringatur. Cum itaque Leodienses non solum personæ & temporalibus juribus *Heurici* Regis faverent, sed Schismati; & a *Gregorii VII. Urbani II.* & ipsius *Paschalis* obedientia se palam subtraxissent, nova inquisitione non erat opus. Præterea, nosse debebant, Romanum Pontificem posse interdum primam cognitionem causæ suscipere, si nempe sit causa hæreseos, vel Schismatis, quibus Episcopus, Metropolitanus, & Antistites plerique omnes impliciti sint. Tunc enim jure suo & Judicis authoritate hac in causa excidunt, nec alius modus est consulendi integritati fidei, & Ecclesiæ unitati, quam si Romanus Pontifex, ad quem pertinet primario utriusque cura, & majorum cognitio causarum, Hæreticos & Schismaticos coerceat.

Nullum esse crimen suum ajunt, nisi quod Episcopo suo communicent, & ille Imperatori, *cui ex Regalibus ejus acceptis juravit fidelitatem*: Effluxisse tempus quo hæc consuetudo incœpit, sub qua migraverunt a sæculo Sancti Episcopi, reddentes Cæsari quæ erant Cæsaris, & Deo quæ erant Dei.

At fidelitas, quam Regi Episcopus juraverat, non excusabat ipsi in Schismate communicantem, & Ecclesiæ decreta spernentem, juriumque ipsius ac libertatis violationi, ac apertæ in omnium Fidelium Matrem & Magistram Romanam Ecclesiam, tyrannidi conniventem. De Regalibus quæstio non erat, ob quæ fidelitatem Principibus deberi fatebantur Pontifices, sed de servitute quam Ecclesiæ imponebat Imperator, canonicas electiones impediendo, sibi tribuendo authoritatem instituendi Episcopos, & spiritalis potestatis insignia ipsis tradendi, non solum ante consecrationem, verumetiam nulla omnino electione præmissa.

Denique Schismaticos satis se produnt Leodienses, cum in dubium revocant, an Reges & Imperatores possint excommunicari. *Si quis*, inquiunt, *vetus & novum Testamentum revolverit, patenter inveniet, quod aut minime, aut difficile possunt Reges & Imperatores excommunicari ... & adhuc sub judice lis est. Admoneri quidem possunt, increpari, argui a timoratis & discretis viris: quia quos Christus in terris Rex Regum vice sua constituit, damnandos & salvandos suo judicio reliquit*. Quasi vero Reges & Imperatores potestati ligandi, & solvendi, quam Christus *S. Petro* & cæteris Apostolis, ac *Petri* Successoribus Summis Pontificibus Apostolorumque Successoribus Episcopis reliquit dicens: *Quæcumque alligaveritis super terram*, &c. non subjaceant.

Pergunt Schismatici Leodienses: *Episcopum, Archiepiscopum nostrum Provincialem, & comprovincialem Synodum, ex antiqua traditione tenemus & quidquid ibi de Scripturis sanctis diffinitum fuerit, Romam non refertur usque ad graviora negotia, de quibus non invenitur in Scripturis sanctis authoritas. Illos vero Legatos a Latere Romani Episcopi exeuntes, & ad ditanda marsupia discurrentes, omnino refutamus, sicut temporibus Zosimi, Cælestini, Bonifacii, Concilia Africana probaverunt*.

Potestas mittendi Legatos a Latere per totum orbem Christianum, pro causis maxime fidei, & unitatis Ecclesiasticæ Romano Pontifici negari absque Schismatis nota non potest, eaque usos S. Petri Successores a primis Ecclesiæ sæculis Historiæ Ecclesiasticæ monumenta testantur. Idque maxime necessarium erat *Gregorii VII. Urbani II. & Paschalis II.* temporibus, ad Synodicorum & Pontificiorum Decretorum executionem urgendam, ad propugnandam Romanæ Sedis authoritatem & Ecclesiæ libertatem, ad Fideles in officio continendos. Hinc *Paschalis* varias Legationes decrevit, in Germaniam, in Galliam, in Poloniam. Germanicam *Gebehardo* Constantiensi Episcopo Apostolici pectoris viro credidit: Gallicanam *Joanni & Benedicto* S. R. E. Cardinalibus ac deinde *Richardo* Episcopo Albanensi: Polonicam *Guloni* Bellovacensium Episcopo.

Concilia a Paschali II. in causa Investiturarum celebrata.

Qui patri successit, *Henricus V.* Paschali II. & Ecclesiæ Romanæ molestissimus fuit. In Italiam quippe valido cum exercitu profectus, magnificis promissis coronam Imperii a Pontifice impetravit, obedientiam jurans, & Investiturarum cessionem, quas Paschalis in Synodo Guastallensi anno MCVI. & in Synodo Trecensi anno MCVII. quo in Gallias ad *Philippum primum & Ludovicum* ejus filium confugit; demum in Synodo Beneventana & Lateranensi annis MCVIII. & MCX. damnaverat. Sed ubi inauguratus fuit Imperator, fidem fefellit, Papam & Cardinales in castra captivos adduxit, ac Investiturarum concessionem a *Paschali* extorsit, anno 1111. Privilegium per vim extortum rescidit generosus Pontifex habita Romæ Synodo V. Kalendas Aprilis anno MCXII iterumque in Concilio Viennensi, cui anno sequenti præfuit per Legatum *Guidonem* Archiepiscopum Viennensem; & *Henricum* Imperatorem anathemate confixit; quod etiam in Bellovacensi anno MCXIV. in Remensi, Coloniensi, & Catalaunensi, an. MCXV. *Cono* Prænestinus Episcopus, ejus Legatus

tus promulgavit, ut testatur Codex MS. *Montis Dei* ab eruditio viro *P. G. Cossartio* S. J. laudatus Tomo X. Conciliorum Labbenæ, quam perfecit, Editionis. Aliud Romæ Concilium habuit *Paschalis II.* in Basilica Lateranensi, anno MCXVI. quo prioris Acta confirmata sunt, & Privilegii *Henrico* Imperatori per vim concessi iterum conclamata damnatio. Duo Beneventi Concilia celebravit idem Pontifex, quorum *Falco Beneventanus* in Chronico meminit, primum anno MCXIII. alterum anno MCXVII. Trojæ etiam Concilium habuit anno MCXV. ad *Treugam Dei* per triennium firmandam, ut idem *Falco* testatur.

Formula juramenti Metropolitanis a Paschali II. prescripta.

Formulam Anathematismi, & Juramentum fidelitatis ac obedientiæ Romano Pontifici præstandum, totius Ecclesiæ Occidentalis Metropolitanis de Synodi sententia præscripsit *Paschalis II.* Romæ anno MCII. cujus hic tenor; *Anathematizo omnem hæresim, & præcipue eam, quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet & adstruit. Anathema contemnendum & Ecclesiæ ligamenta spernenda esse. Promitto autem obedientiam Apostolicæ Sedis Pontifici Domino Paschali, ejusque Successoribus, sub testimonio Christi & Ecclesiæ affirmans quod affirmat, damnans quod damnat Sancta & universalis Ecclesia.*

Hujus exactio Juramenti Hungariæ Episcopos ac Principes commovit, qui juramentum a Christo prohibitum, & nullo exemplo id exigi, nullis Canonibus præscribi objiciebant, ut constat ex Epistolis *Paschalis II.* ad Archiepiscopum Coloniensem, cujus objectiones sic refellit, Formulamque suam vindicat: *Ajunt omne jusjurandum a Christo Deo in Evangelio esse prohibitum, nec ab ipsis Apostolis post Dominum, nec in Conciliis inveniri posse statutum. Quid est ergo quod idem Dominus ait:* Quod amplius est, a malo est? *Hoc enim amplius ut exigamus malum nos, illo permittente, compellit. Nonne malum est ab Ecclesiæ unitate, a Sedis Apostolicæ obedientia resilire? Nonne malum est contra sacrorum Canonum statuta prorumpere? Quam multi hoc, etiam post Sacramentum præsumpserunt? Nonne Prædecessor tuus, præter Romani Pontificis conscientiam, damnavit Episcopum? Quibus hoc Canonibus, quibus Conciliis legitur esse permissum? Quid super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos, non Authoritate Apostolica, sed nutu Regis præsumuntur? Propter hæc mala, & alia evitanda, hujusmodi juramentum exigitur .... Ajunt in Conciliis statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint: Cum omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ authoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum Statutis Romana patenter authoritas excipiatur.*

Romanæ Ecclesiæ authoritas in Conciliorum Decretis excepta, quæ per eam robur accipiunt.

Adversus *Willelmum II.* & *Henricum I.* Angliæ Reges Paschalis II. Ecclesiæ jura ac libertatem fortiter propugnavit, *S. Anselmo* Cantuariensi Archiepiscopo cooperante. Cantuariensis Ecclesiæ Primatum confirmavit. (Epistola 30. ad Episcopos & Regem Angliæ data.)

Concilia per Legatos a Paschali II. in Galliis celebrata.

Philippum Francorum Regem qui *Bertrada* consuetudinem, anno MXCVI. in Concilio Nemausensi dimissam, repetierat, per Legatos Apostolicos *Joannem* & *Benedictum* Cardinales, in Pictavensi Concilio, anno MC. cum pellice excommunicavit, ut referunt *Hugo Flaviniacensis* in Chronico, *Goffredus Grossus* in Vita *S. Bernardi* primi Abbatis Tironiensis, & Chronicon Malleacense. Alium postea Legatum in Gallias misit, *Richardum* S. R. E. Cardinalem, Albanensem Episcopum, qui Balgenciaci, quod Aurelianensis Diœceseos municipium est, Synodum celebravit, in qua de *Philippi* Regis & *Bertradæ* absolutione actum est, cum parati essent, tactis sacris Evangeliis, abjurare absolute omnem carnalis copulæ consuetudinem, insuper & mutuam collocutionem, nisi sub testimonio personarum minime suspectarum. Negotium tamen hac in Synodo finiri non potuit, orta inter Episcopos dissensione, ut docet *Yvo Carnotensis* Episcopus Epistola CXLIV. Tandem Paschalis II. Archiepiscopis & Episcopis Provinciarum Remensis, Senonensis, & Turonensis, una cum *Lamberto* Attrebatensi Episcopo, Regem, Bertradamque absolvendi potestatem fecit (Epist. 35.) Apud ipsum intercessit *Yvo Carnotensis* ne Legatos e Latere mitteret, in Gallias, sed potius alicui Episcopo Transalpino Legationem committeret, quod Ecclesiæ Gallicanæ rebus opportunius futurum erat. Hoc vero munere dignum esse imprimis suggessit *Hugonem* Lugdunensem Archiepiscopum, qui eo jam perfunctus erat sub *Gregorio VII.* & *Urbano II.* (Epist. CIX.) *Cum*, inquit, *a Latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros tamquam filios uterinos; quia in transitu apud nos sunt, non tantum non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere. Inde est quod multi Præpositorum sacta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt Sedem Apostolicam, non subditorum quærere sanitatem, sed suam, aut Lateralium suorum quærere commoditatem. Unde ergo & quidam conregionales nostri, hoc murmur non æquanimiter ferentes, utpote Romanæ Ecclesiæ filii unanimes, scribere decrevimus Sanctitati vestræ ut alicui Transalpino Legationem Sedis Apostolicæ injungatis, qui & vicinius subrepentia mala cognoscat, & ea vel per se, vel per relationem ad Sedem Apostolicam, maturius curare valeat. Cui solicitudini nullum magis cognovimus idoneum, quam Dominum Lugdunensem Archiepiscopum, qui & in eodem Officio jam diu ministravit & [ut experimento cognovimus] tam Romanæ Ecclesiæ quam Transalpinis Ecclesiis, mirabiliter profuit.* Pro *Hugone* exauditus non est *Yvo*, sed *Girardo* Engolismensi Episcopo Legationem per quinque Provincias *Paschalis* concessit, Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, Turonensem, atque Britannicam. (Epist. 37. Tom. 10. Concil. Labbeanæ Editionis.) Viennensis Metropoleos jura confirmavit, Pallium & Sedis Apostolicæ Legationem *Guidoni* Archiepiscopo concessit. (Epistolis 77. 79. & 80.) *Balduino* Hierosolymorum Regi annuit, ut Urbes quas subjecisset, Hierosolymitano Patriarchæ tamquam proprio Metropolitano subjacerent, salva tamen Antiochenæ Ecclesiæ dignitate. (Epistolis 18. 19. & 20. 28. & 29.) Tunc Hierosolymitanæ Ecclesiæ Sacris præerat *Gibelinus*, e Sede Arelatensi ad istam translatus. Parisiensem Episcopum Romæ consecravit, *salvo in omnibus Senonensis Ecclesiæ jure, & Daimberti Metropolitani reverentia.* (Epist. 33.) Parisiensi Episcopo concessit facultatem excomunicandi quemvis ex altera Diœcesi qui suæ Ecclesiæ bona retineret, si ejus Episcopus, vel nollet, vel cunctaretur eum ad satisfaciendum adigere. Pravam consuetudinem, qua majores Præbendarii a minoribus hominium in Ecclesia Parisiensi exigebant, aboleri jussit. *Galoni* Parisiensi Episcopo præcepit ut Monasterio *S. Eligii* provideret. *Galo* dissolutus Moniales eliminavit, & locum Fossatensibus Monachis tradidit. Nunc a Clericis Regularibus *S. Pauli* tenetur. *Cluniacense* Cœnobium, ac Vezeliacense, novis ornavit Privilegiis: *Besuense* & *S. Maxentii*, in tuitionem Sedis Apostolicæ suscepit. Cluniacensibus vetuit ne Corpus Christi intinctum porrigerent, sed seorsum utramque speciem, præterquam parvolis & infirmis: quem morem in universa Ecclesia jussit observari, Epistola 32. ad *Pontium* Cluniacensem Abatem. *Igitur*, inquit, *in sumendo Corpore & Sanguine Domini, juxta B. Cyprianum, dominica Traditio servetur, nec ab eo quod Christus Magister & præcepit & gessit, humana & novella Institutione discedatur. Novimus enim per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in Sancta Ecclesia conservandum docemus atque præcipimus præter in parvulis ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Causam Monachi, qui in Monasterium invitus intrusus fuerat a Rogerio Siciliæ Comite, ad se delatam, ad Cassinensis Abbatis judicium remisit Paschalis II. in Concilio apud *Cyperanum*; ut constat ex Chronico Cassinensi lib. 9.

Parisiensis Episcopus a Paschali II. Romæ consecratus, salvo Senonensis Ecclesiæ jure.

Communio sub utraque specie seorsum, exceptis parvulis & omnino infirmis.

Idem Pontifex *Petrum* Anagniæ Episcopum in Sanctorum album retulit. Lateranensis Ecclesiæ Parochiale regimen Canonicis Regularibus concessit, Constitutione, *Quanto Lateranensis Ecclesia*, Tom. 1. Bullarii Romani. Nucem ad Portam Flaminiam, sub qua *Neronis* Imperatoris cineres latitabant, antiquam dæmonum sedem, everti jussit ac eradicari, ibique Aram Deo in memoriam Deiparæ Virginis consecravit. Populus Romanus Basilicam a fundamentis erexit, quæ *Beata Maria de Populo* appellata est. Id ex *Jacobo Alberico* in Compendio Historiæ *S. Mariæ de Populo* refert *Andreas Victorellus* in Additionibus ad Cia-

Cyperano, *locus in Regno Neapolitano.*

Cardinales a Paschali Secundo creati.

Ciaconium. Inter Cardinales a *Paschali II.* creatos celebriores fuere, *Leo Marsicanus*, ex Cassinensis Monasterii Bibliothecario Episcopus Ostiensis, Chronici Cassinensis Author: *Anastasius Junior*, Romanus, Tituli S. Clementis Cardinalis Presbyter: *Petrus Gerardescus* ex Comitibus Donariticì de Natalico, nobilis Pisanus, pro cujus reconciliatione *S. Bernardus* ad *Innocentium II.* scripsit, contra quem Antipapæ *Anacleto* adhæserat: *Saxo* Comes Signiæ, Legatione Callisti II. ad Imperatorem perfunctus: *Joannes Cremensis*, Tituli *S. Chrysogoni* Cardinalis Presbyter, qui *Callisto II.* contra *Burdinum*, & *Innocentio II.* contra *Anacletum* Antipapam, egregiam navavit operam, & *Honorii II.* Legatione in Anglia, & Scotia perfunctus est. *Galo* ex Abbate *S. Quintini* Bellovacensis ejusdem Ecclesiæ Episcopus, ac deinde ad Parisiensem translatus, inter Paschalis II. Cardinales a *Ciaconio* recensetur, & Legatione Apostolica functus dicitur in Polonia, & in Gallia: ipsique tribuit Constitutiones, quæ in Bibliothecis Patrum, & Collectionibus Conciliorum extant; sed verisimilius est hunc *Galonem* Cardinalem non fuisse, cum nec in Tabulario Parisiensis Ecclesiæ, nec alibi monumentum ullum extet; quo Episcopo illi Parisiensi Cardinalis dignitas tribuatur.

Galo Parisiensis Episcopus inter Cardinales Paschalis II. non est numerandus.

Immo in Magno Pastorali ejusdem Ecclesiæ legitur *Paschalis II.* Epistola ad hunc *Galonem*, quem Parisiensem tantum Episcopum, non Cardinalem nominat. Legatione quidem functus est in Polonia, antequam Parisiensis Episcopus esset, sed non ideo Cardinalem fuisse certum est. Legationem vero in Gallia non obiit, nec id probat Epistola *Hildeberti* Cenomanensis Episcopi 58. (ut volunt) quæ non est inscripta *Galoni Legato*, sed *Engolismensi Episcopo*, id est, *Girardo*. *Legato*. Nec *Galonis* Parisiensis Episcopi sunt Constitutiones illæ, sed alterius *Galonis* Cardinalis Diaconi *S. Mariæ in Porticu*, quem *Innocentius III. Legatum* in Gallias misit, teste *Rigordo*: De quo intelligi debet quod legitur in Martyrologio S. Victoris Parisiensis: II. *Kalendas Janu obiit Dominus Galo Frater noster*; non de Parisiensi Episcopo, cujus obitus 7. Kalendas Martii notatur in Necrologio *S. Quintini* Bellovacensis, cujus Abbas fuit. Hæc dudum observarunt Sammarthani fratres in Gallia Christiana Tom. I. & P. G. *Gossartius* S. J. in Notis ad Constitutiones *Gallonis* quas ad annum MCCVIII. prudenter rejecit, Tomo XI. Concil. p. s. A *Paschali II.* ad Eminentissimam Dignitatem pariter assumpti sunt, *Petrus* Monachus Cassinensis, Tituli *S. Hadriani* Diaconus Cardinalis, R. E. Bibliothecarius, Author lib. 4. Chronici Cassinensis: *Oderisius de Sangro*, Monachus Cassinensis, Tituli *S. Agathæ* Diaconus Cardinalis: *Berardus*, *Berardi* Marsorum Comitis filius, Tituli S. Angeli Diaconus Cardinalis postea Marsorum Episcopus, quem inter Sanctos recenset *Philippus Ferrarius* in Catalogo Sanctorum qui Romano Martyrologio non sunt adscripti: *Dietericus*, qui Saxones Romanæ Ecclesiæ reconciliavit, dum Legatione Apostolica fungeretur, teste Abbate Uspergensi in Chronico: *Joannes* presbyter Cardinalis *Paschalis* ejusdem Legatione in Gallias functus, &c.

Nec ei tribuenda Constitutiones in Conciliorum Collectionibus edita.

Obiit Optimus Pontifex anno Christi millesimo centesimo decimo-octavo, cum annos duodecim, menses quinque, & dies quatuor Ecclesiam rexisset.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 149. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem damnant: *Excommunicatio debet a Papa fieri in tertia instantia, & reis auditis* „ Talem nihilominus ordinem negat „ esse servandum pag. 150. (inquiunt) dum agitur de „ Excommunicatione propter hæresim.

R. Neque farrago illa, & barbaræ voces, neque ipsa sententia, meæ sunt, sed Leodiensium Schismaticorum contra Paschalem II. Pontificem Maximum declamantium. En verba mea: *Mirari se scribunt, cur excommunicati dicantur, qui non sunt auditi, nec ab Episcopis aut Metropolitano suo judicati, per quos Ecclesiastica judicia tertio gradu ad Romanum Pontificem deferuntur appellatione legitima*. Nec solum Schismaticorum declamationem affingunt mihi Religiosi Censores, sed & mihi vitio vertunt, quod Schismaticos illos confutaverim his verbis: *At nescire non debebant Leodienses, cum agitur de heresi vel Schismate ab Ecclesia damnatis, nova audientia non esse opus, ut excommunicentur qui in castris Hereticorum vel Schismaticorum militant: satis esse evidentiam facti*, &c. *Præterea nosse debebant, Romanum Pontificem posse interdum primam cognitionem causæ suscipere, si nempe sit causa Heresis vel Schismatis, quibus Metropolitanus Episcopus & Antistites denique omnes impliciti sint*, &c. Qua ratione hæc reprehendunt RR. Censores? Volunt-ne Romanum Pontificem cujuscumque causæ primam cognitionem pro arbitrio suo ad se trahere posse, nulla habita ratione Canonum & Ecclesiasticæ Disciplinæ? Volunt ne illum inauditos damnare posse jure naturali insuperhabito? Id ipsi Pontifices Maximi nolunt.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, ad pag. 151. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *In quibus Episcopi non sint subditi Regibus*: Qua quidem nota indicant me Episcopos aliqua in re subjecisse Regibus, in qua subditi non sunt.

R. In spiritualibus, in iis quæ Sacramentorum administrationem, Ecclesiæ regimen, Jurisdictionem & Disciplinam Ecclesiasticam spectant, Episcopos Regibus subditos non esse censeo; sed in temporalibus dumtaxat, quorum ratione fidelitatem ipsis jurant. Ecce verba mea: *Fidelitas quam Regi Episcopus juraverat, non excusabat ipsi in Schismate communicantem, & Ecclesiæ Decreta spernentem*, ... *De Regalibus quæstio non erat, ob quæ fidelitatem Principibus deberi fatebantur Pontifices, sed de servitute quam Ecclesiæ imponebat Imperator, canonicas electiones impediendo, sibi tribuendo authoritatem instituendi Episcopos, & spiritualis potestatis insignia ipsi tradendi, non solum ante consecrationem, verumetiam nulla omnino electione præmissa*. Quid in hac observatione non Catholicum? Quid non Historiæ ac Theologiæ consonum?

Nota.

De cognitione causarum episcoporum jam plura adnotavi *tom. 3. pag. 117.*

De juramento vero fidelitatis, quod episcopi Regibus præstabant, commodius agam infra.

ARTICULUS II.

De Gelasio II.

Paschali II. in Sede Apostolica successit legitimis suffragiis electus 8. Kalendas Februarii anno millesimo centesimo duodevigesimo *Joannes* natione Campanus, patria Cajetanus, professione Monachus Cassinensis, a *Paschali II.* S. R. E. Diaconus Cardinalis & Cancellarius ob singularem pietatem & eximiam eruditionem creatus, qui *Gelasius II.* appellari voluit. A *Cencio* Frangipane, & *Henrico* Imperatore dire vexatus est, qui & *Mauritium Burdinum* patria Lemovicensem Archiepiscopum Bracarensem, excommunicatum, in Sedem *S. Petri* extulit Antipapam. Quamobrem Roma non absque magnis periculis ac laboribus secedere *Gelasius* coactus est. Interim Gallicanam Ecclesiam de Romanæ Ecclesiæ statu commonuit, & contra Pseudopontificem excitavit. (Epist. 1.) Ejusdem argumenti Epistolam dedit ad *Bernardum* Toletanum Archipræsulem. Celebrata Capuæ Synodo Antipapam & Imperatorem damnavit Anathemate, ut testatur Abbas Uspergensis ad annum MCXVIII. Schismatici Principis excommunicationem in Synodis Coloniensi & Frideslariensi promulgavit *Conon* Prænestinus Episcopus, *Gelasii II.* per Germaniam Legatus, ut idem Author commemorat. Eodem anno *Conradus* Gelasii Pontificis Legatus alter, ab Episcopis & Abbatibus Normanniæ in Synodo Rothomagensi congregatis, orationum & pecuniarum subsidium pro Ecclesia Romana & Pontifice Maximo rogavit, obtinuit. (Ex

Schisma.

Capuana Synodus. Capua, vulgo Capua, Capoue totius olim Campaniæ urbs præstantissima ad Vulturnum fluvium, in Regno Neapolit. Sedes Archiepis.

Or-

Frideslaria, vulgo Frislar in Hassia Principatu.

Sacra expeditio in Hispaniam adversus Saracenos.

Indulgentia a Gelasio II. concessa.

Orderico Vitali lib. 12. Historiæ Ecclesiasticæ, *Gualterum* Ravennatem Archiepiscopum, ejurato Schismate, confirmavit, pallioque donavit *Gelasius II.* Petrum Cæsaraugustanum, Episcopum consecravit. Christianis Cæsaraugustam a Saracenis occupatam obsidentibus, qui accepta de peccatis suis Pœnitentia, in hac Expeditione morerentur, Indulgentiam concessit: & omnibus ad eam aliquid conferentibus, & ad rei Christianæ in illo Urbe restaurationem, Pœnitentiarum remissionem ad Episcoporum arbitrium, secundum laborum suorum ac beneficiorum quantitatem, impartiendam constituit (Epist. 5.) Indulgentiam promulgarunt Cæsaraugustanus Episcopus Toletanus Archipræsul, aliique Antistites Hispaniæ, & *Bosa* Cardinalis Sedis Apostolicæ per Hispanias Legatus, *Divina Clementia, & Domini Gelasii Papæ authoritate freti*: ut testatur eorum Epistola, quam *Hieronymus Blanca* ex Tabulario Cæsaraugustano edidit, in Commentariis Rerum Aragonensium.

Gelasii II. in Gallias confugium.

Synodus Viennensis.

De sacra in Hispaniam Expeditione adversus Saracenos in Concilio Tolosæ celebrato eodem anno 1118. actum esse, Chronicon Malleacense testatur. In Galliam tamquam ad asilum tutissimum Romanorum Pontificum se contulit Gelasius, auxilium contra Antipapam & Schismaticum Imperatorem a Ludovico Grosso Rege Christianissimo rogaturus, teste *Sugerio* Abbate in Vita Ludovici Grossi. *Ad tutelam*, inquit, *& protectionem Serenissimi Regis Ludovici, & Gallicanæ Ecclesiæ compassionem sicut antiquitus consueverunt, confugit*. Magalonam applicuit, quo Rex Christianissimus *Sugerium* Abbatem, aliosque Viros Illustres misit, ejus Sanctitatem suo nomine salutaturos, & ad colloquium cum sua Majestate Vezeliaci habendum invitaturos. Interim Synodum Viennæ Pontifex celebravit, ut scribit Urspergensis Abbas ad annum 1119. Rerum in ea Synodo gestarum monumentum ad posteros nullum transmissum est. Matiscone gravi infirmitate correptus (Pleuritidem *Pandulphus*, & Epitaphium ejus Sepulchro inscriptum, podagram *Sugerius* dicit) Cluniacum delatus est, ibique perceptis Ecclesiæ Sacramentis, corpore in terra cinere conspersa, Monastico ritu jacente sanctam animam Deo reddidit, 4. Kalendas Februarii anno 1119. ab *Arnoldo Wion* in Martyrologio Monastico, a *Philippo Ferrario*, & aliis Sanctus prædicatur. Passionem *S. Erasmi* Episcopi & Martyris soluta oratione; Passiones item *SS. Erasmi, Anatoliæ*, & *Cæsarii*, Carmine Heroico scripsit, & *Paschalis II.* Regestum adornavit. Unicum Cardinalem Diaconum Titulo *Sanctæ Mariæ in Cosmedin* creavit *Petrum Ruffum* Nobilem Neapolitanum. Sedit *Gelasius II.* annum unum & dies quatuor.

ARTICULUS III.

De Callisto Secundo.

QUI *Gelasium II.* in Gallias venientem comitati fuerant Cardinales Episcopi, & Clerici Romani die post ejus obitum tertio Comitia pro Successoris electione in Cœnobio Cluniacensi habuerunt; in quibus electus est *Guido*, Guillelmi Magni Burgundiæ Comitis filius, Adelaidis Francorum Reginæ, Ludovici Crassi uxoris, avunculus. Henrico etiam Imperatori consanguinitate junctus, vir pietate, doctrina, industria, authoritate, Principum gratia spectatissimus, Viennensis Archiepiscopus, *Paschalis II.* per Gallias Apostolicus Legatus, qui, accedente Cardinalium Romæ degentium assensu, Insignia Pontificiæ Dignitatis accepit, & nomen sibi sumpsit *Callistus II.* Cum in Italiam venisset anno Pontificatus tertio, Antipapam *Burdinum* a Schismaticis *Gregorium VIII.* appellatum, juvantibus Normannis in civitate Sutrina obsedit, cepit, in Cœnobii Cavensis arce inclusit, ut ipse in Epistola ad Gallicanam Ecclesiam, & *Sugerius* in Vita *Ludovici Grossi* Regis, & *Petrus Diaconus* lib. 4. Chron. Cassin. cap. 70. testantur.

Vel Cassinensis, ut alii scribunt, & colligitur ex Cassinensi Chronico.

Duo in Galliis Concilia celebravit Callistus II. primum *Tolosa*, 7. Idus Junii anno 1119. *Remis* alterum 14. Calendas Novembris ejusdem anni. In Tolosano decem conditi Canones. *Primo* Simonia in Sacris Ordinationibus & Promotionibus Ecclesiasticis damnata. *Secundo* statutum ut Præpositi, Archidiaconi, Decani, ex Ordine tantum presbyterorum; Archidiaconi ex diaconorum numero duntaxat assumantur. *Tertio* Hæretici Petrobusiani anathemate damnati, & per exteras potestates coerceri jussi. *Quarto*, Primitiæ, decimæ, Oblationes, Cœmeteria, Bona morientium Episcoporum & Clericorum, Principibus & quibuslibet Laicis, qui ea usurpare solebant, sub pœna excommunicationis interdicta. *Quinto* vetitum ne liberi homines servituti addicantur. *Sexto*, ne clerici pro Ecclesiasticis Beneficiis servire laicis compellantur. *Septimo* statutum ut oblationum partem Episcopo debitam nemo auferat. *Octavo* ut nullus Ecclesiasticas dignitates & beneficia alteri quasi jure hæreditario derelinquat. *Nono* prohibita pretii exactio pro Oleo sacro, Chrismate, & Sepultura. *Decimo*, Clerici & monachi Apostatæ, aut qui comam, barbamque, tamquam laici nutriunt, Communione privantur, donec satisfecerint. In eodem Concilio disceptata lis est, quam Arelatensis Archiepiscopus & Monachi Casæ Dei intendebant Anianensi monasterio de Cella *S. M. de Gordiano*, & secundum Anianenses lata Sententia, ut constat ex Epistola Synodica.

Concilia a Callisto II. celebrata. Tolosanum.

Summa Canonum Concilii Tolosani.

Clerici & Monachi Apostatæ excommunicantur.

In Concilio *Remensi*, cui Archiepiscopi tredecim Episcopi ducenti, ingens Abbatum multitudo, & *Ludovicus Crassus* Rex Christianissimus aderant, quinque conditi Canones. *Primo* Simoniaca damnatur hæresis: vendentes & ementes res sacras Officio ac Beneficio privantur, & nisi resipuerint, Anathemate confodiuntur. *Secundo*, Investituræ Episcopatuum & Abbatiarum per manum laicam damnatæ. *Tertio*, possessionum Ecclesiasticarum conservationi provisum est, lato in earum invasores Anathemate. *Quarto*, vetitum ne quis Ecclesiasticas dignitates & Beneficia cuiquam velut hæreditario jure relinquat: & ne pro Baptismatis, Chrismatis, Olei sacri acceptione, infirmorum visitatione & Unctione, aut Sepultura pretium exigat. *Quinto*, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis concubinæ & uxores penitus interdictæ sub pœna privationis Officiorum & Beneficiorum; immo & excommunicationis, si in immunditia sua perseverent. Decretum præterea de *Treuga Domini*, seu de privatorum bellorum induciis edidit in ista Synodo *Callistus II.* Hasque inducias ab Adventu Domini usque ad Octavas Epiphaniæ, a Quinquagesima usque ad Octavas Pentecostes, in Jejuniis Quatuor Temporum, in Vigiliis Sanctorum jejunio consecratis, & in Festis eorumdem, in duabus Synodis a Dominica in Dominicam, in omnibus Festis Sanctæ Mariæ Virginis Deiparæ, & a suprema die Mercurii usque ad ortum Solis diei Lunæ qualibet hebdomada observari jussit. Pacem vero perpetuam habere sanxit monachos eorumque bona, mulieres & earum comitatum, mercatores, agricolas, peregrinos. Excommunicationis pœna in hujus Decreti violatores lata, & singulis diebus Dominicis per parochias promulgari jussa. In eadem Synodo *Ludovicus Crassus* Rex Christianissimus multa querelarum capita contra Regem Anglorum exposuit; cujus patrocinium palam suscepit *Goffredus* Rothomagensis Archiepiscopus, teste *Orderico Vitali* lib. 12. Historiæ Ecclesiasticæ, ubi & alias causas privatas in hac Synodo disceptatas commemorat.

Concilium Remense.

Summa Canonum

Simonia & investiturarum damnatio.

Decretum de Treuga Domini.

Romæ Concilium celebravit idem Pontifex anno millesimo centesimo vigesimo-secundo, in quo *Oderisius* Cassinensis Abbas inauguratus est, & libertas ejusdem Cœnobii ab Episcoporum jurisdictione confirmata, insuperhabitis Episcoporum querelis, ut testatur Cassinense Chronicon lib. 4. cap. 80.

Concilia Romana.

Celebravit etiam Romæ Concilium alterum multo frequentius, quod est Lateranense Primum, & nonum œcumenicum, anno millesimo centesimo vigesimo-tertio, in quo Investiturarum controversia feliciter composita est, Canones viginti duo editi, de quibus in Dissertationibus agemus.

Concilium Lateranense I.

Toletani Primatum Archiepiscopi in cæteros Hispaniæ Episcopos confirmavit. *Gerardum* Engolismensem

sem Episcopum Legatum instituit per quinque Provincias, Bituricensem, Burdigalensem, Auseitanam, Turonensem, & Britannicam. Viennensis Ecclesiæ antiqua innovavit, roboravitque Privilegia. Benriedensium Canonicorum Regularium Institutum approbavit. Cistercienses Constitutiones confirmavit. Cœnobia Cluniacense, Vindocinense, Trenorciense, Privilegiis ornavis. Litem Ecclesiarum Vesontionensium *S. Joannis* & *S. Stephani*, de Maternitate contendentium, judicavit secundum *S. Joannis* Canonicos, sicut ipse præjudicaverat in Concilio *Trenorciensi* anno MCXV. cum Legationem Sedis Apostolicæ obiret. Quam illius sententiam *Paschalis II.* evocata ad se causa resciderat, Primatum adjudicans Ecclesiæ *S. Stephani*. Sic tamen finitam non esse controversiam notat P. *Chiffletius* S. J. in Historia Trenorciensi, donec *Hugo de S. Caro* Cardinalis primus ex Ordine FF. Prædicatorum assumptus, per Germaniam Legatus Apostolicus, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo-tertio, utrisque consentientibus Canonicis, sic Ecclesias illas univit, ut una in posterum esset Ecclesia, unum ærarium, sigillumque unum cum hac Epigraphe, *Sigillum Ecclesiæ Bisontinæ*, iisdem horis, iisdemque ritibus divinum Officium perageretur, & in utraque suam Sedem haberet Episcopus.

Trenorium, vulgo Tournus, urbs & Abbatia in Burgundia, Diœcesis Cabilonensis.

Callisti secundi authoritate Evangelium Pomeranis prædicatum.

Hujus authoritate Pontificis Otto Bambergensis Episcopus vir sanctissimus, Pomeranorum gentem Christianis rudimentis imbuit. Inter præcepta ipsis tradita ista refert Uspergensis Abbas ad annum MCXXIV. *Injunxit etiam eis, ut dum sani sunt, veniant ad Sacerdotes Ecclesiæ, ut confiteantur peccata sua; in infirmitate autem sua vocent presbyteros ad se, ut confiteantur peccata sua, & Corpus Domini accipiant. Ut Solemnitates Sanctorum cum Vigiliis observent. Ut Sacrosanctam quadragesimam jejuniis, vigiliis, eleemosynis & orationibus, diligentissime observare studeant.* Videte Lutherani, & Calvinistæ, utrum hæc vestris pseudonominis Ecclesiis tradideritis, quæ, *secundum Sanctorum Patrum instituta*, Pomeranos servare docuit Sanctissimus Bambergensium Episcopus. Sed & illud animadversione dignum est, quod de Dominicæ diei observantia docet. *More Christianorum Dominica die vacent ab omni opere malo, & ad Ecclesiam divinum Officium audituri veniant, ibique orationibus studiose insistant.* Ad Dominicam diem Christiano ritu ac more (ut par est) celebrandam, haud satis est ab operibus manuum abstinere, quæ servilia vocantur; sed præsertim a peccato abstinendum est, quod opus est maxime servile: Qui enim facit peccatum, servus est peccati; & in laqueum ac servitutem diaboli incidit, a quo ducitur captivus ad ejus voluntatem. Nec Missam raptim audire diebus Dominicis ac Festis satis est, ut quis suo functus censeatur officio; nec audito sacro, die reliqua sæcularibus negotiis, vel otio, aut ludis, ac voluptati vacare licet, sed ad Ecclesiam conveniendum ut Officium Divinum audiatur, & Orationibus non cursim & perfunctorie, sed studiose insistendum est. Hæc sanctorum documenta Patrum.

Præcepta illis tradita ab Ottone Bambergensi Episcopo sanctissimo.

Qua ratione celebranda Dominica dies.

Callisti secundi sanctitas.

Obiit Callistus II. Romæ, anno salutis millesimo centesimo vigesimo-quarto, Idibus Decembris, cum annos quinque, menses decem, & dies tredecim Ecclesiam rexisset. In Martyrologio Gallicano Andreæ du Saussay his verbis celebratur. *Romæ, depositio Beatæ memoriæ Callisti Papæ II. ex Archiepiscopo Viennensi, qui pacem cum Henrico V. Imperatore Ecclesiæ infestissimo feliciter composuit, vir plane Apostolicus, virtutibus atque miraculorum signis enituit.*

Callisti secundi Cardinales.

Inter Cardinales a *Callisto II.* creatos celebres fuere, *Stephanus de Monte Beliard* ejus ex sorore nepos, ad Metensem etiam Episcopatum ab eodem promotus, *S. Bernardo* amicissimus, a quo Cisterciensium habitum, Cardinalis licet ac Episcopus, devotionis ergo suscepisse dicitur: *Haimericus*, e Gallia oriundus, e Castra Burgundiæ oppido, *Sanctæ Mariæ Novæ* Diaconus Cardinalis & S. R. E. Cancellarius, ad quem plures literas *S. Bernardus* scripsit, & Tractatum *De diligendo Deo* ipsi nuncupavit: *Guillelmus* natione Gallus, Episcopus Prænestinus: *Ægidius* Monachus Cluniacensis, Tusculanus Episcopus, Sedis Apostolicæ Legatione una cum *Willelmo* Tyrio Archiepiscopo in Syria functus sub *Honorii II.* Pontificatu: *Gerardus* Caccianimicus, Canonicus Regularis Monasterii *Sanctæ Crucis in Hierusalem*, ejusdemque Tituli Cardinalis, deinde Summus Pontifex *Lucius II.* &c.

ARTICULUS IV.

De Honorio II.

CAllisto II. ad superos translato, Comitia novo creando Pontifici congregata sunt, in quibus, divisis Cardinalium studiis, duo electi fuere Pontifices. Pars *Lambertum de Fagnano*, Ostiensem Episcopum; pars *Theobaldum* Titulo *Sanctæ Anastasiæ* presbyterum Cardinalem elegit: illum *Honorium II.* hunc *Cælestinum II.* appellarunt. Sed ne dissensio ista in Schisma erumperet, Dei providentia effecit: Nam *Theobaldus* insigni vir modestia, Dignitatem suscipere noluit haud canonice delatam. *Lambertus* post dies duodecim electionem suam pariter vitiosam esse intelligens, quod *Frangipanum* arte conciliata, non liberis suffragiis facta esset, Insignia deposuit coram Cardinalibus: qui ejus humilitatem laudantes, ipsum summo consensu Pontificem venerati sunt, ut *Pandulfus* Subdiaconus, & *Willelmus Tyrius* lib. 13. *de Bello Sacro*, referunt. Electus primo fuit 19. Kalendas Januarii anno 1124.

Honorii secundi humilitas.

Legati varias in regiones missi.

In varias orbis Christiani regiones Legatos Apostolicos misit pro urgentibus Ecclesiæ negotiis, *Ægidium* Episcopum Tusculanum in Orientem, *Gerardum* Cardinalem in Germaniam, *Humbertum* in Hispanias, *Joannem Cremensem* in Angliam & Scotiam, *Gregorium de Crescentio* in Daniam, *Mattheum* Albanensem Episcopum in Gallias. Joannes Cremensis *Honorii II.* in Angliam Legatus, ejus authoritate præfuit Londoniensi Concilio anno 1126.

Matthæus Albanensis Episcopus, ejusdem Pontificis in Gallias Legatus, Concilium Parisiis celebravit anno 1129. in quo Argentoliense Monasterium, ejectis haud integræ famæ Monialibus, *Sugerio* Abbati & Sandionysiano Cœnobio, cujus juris esse probabatur, restitutum est, annuente imprimis *Stephano* Parisiensi Episcopo. Synodale Decretum ab *Honorio II.* Summo pontifice confirmatum est, & Sacra Jussione Regis Christianissimi Ludovici, executioni mandatum. Trecis etiam Concilium habuit *Matthæus* Sedis Apostolicæ Legatus, in quo Templariorum Institutio confirmata est, Regulaque ipsis tradita.

Concilium Nannetense.

Decretorum Summa.

Nannetense Concilium ab *Hildeberto* Archiepiscopo Turonensi & Coepiscopis celebratum anno 1127. eodem per literas rogante, confirmavit: in quo incestuosa matrimonia damnata, contrahentes Anathemate percussi, filii inde nati spurii declarati sunt, & ad hereditatem adeundam inhabiles. Vetitum ne filii Sacerdotum ordinentur, nisi Canonici Regulares aut Monachi fiant, eisque spes adempta in Beneficia paterna succedendi. Pravæ consuetudines duæ damnatæ, favente Britanniæ Comite. Prima, qua decedente marito, vel uxore, bona eorum mobilia a Potestate sæculari diripiebantur; altera qua quidquid evadebat ex naufragio, totum sibi fiscus vendicabat lege patriæ; passosque naufragium miserabilius violentia Principis spoliabat, quam procella. Id constat ex Epistola *Hildeberti* ad *Honorium II.* & ex ipsius *Honorii* Rescripto ad Episcopos Provinciæ Turonensis. *Willelmum Tyrium* Archiepiscopum Pallio donavit Honorius II. *Oderisium* Juniorem Abbatem Cassinensem, ob spreta Pontificia Mandata, & contumaciam, exauthoravit, & excommunicavit, ut constat ex Chronico Cassinensi, lib. 4. *Pontium* Cluniacensem olim Abbatem, qui Monachorum querelis ad abdicandum ante triennium compulsus, Hierosolyma petierat, ac simulatione sanctitatis famam sibi pepererat tantam, ut etiam miraculorum patrator ab iis quibus illuserat, prædicaretur; & Hierosolymis reversus, Cluniacensem Abbatiam invaserat, turbarat, diripuerat; idem Pontifex ab omni Officio & honore Ecclesiastico deposuit; ut testatur *Petrus* Cluniacensis Abbas *lib.* 1. *Miraculorum*, cap. 12. *Rogerium* Siciliæ, Calabriæ, & Apuliæ Ducatu investivit, postquam sibi hominium præstitis ac fidelitatem juravit, ut *Falco* in Beneventano Chronico testatur. Misso Ravennam

Le-

Legato Apostolico *Petro*, tituli *Sanctæ Anastasiæ* Presbytero Cardinali, per ipsum Aquilejensem & Venetum Patriarchas deposuit, celebrata ibidem Synodo, ut ex veteri Pontificali refert Annalium Ecclesiasticorum Parens, ad annum 1128. Viros Sanctitate & doctrina hit temporibus præstantes, *Norbertum* Præmonstratensis Ordinis Conditorem, *Hugonem* Gratianopolitanum Episcopum, *Hildebertum* Turonensem Archiepiscopum, *Bernardum* Clarævallensem Abbatem, *Petrum* Cluniacensem, *Stephanum* Cisterciensem, *Hugonem a Sancto Victore*, singulari benevolentia complexus est Honorius II. *Hugoni* missionem ab Episcopatu roganti, recusavit, teste *Guidone* Carthusiæ Priore in ejus vita. Ad hunc Pontificem nonnullas pro variarum Ecclesiarum necessitatibus Epistolas dedit *S. Bernardus*. Scripsit præsertim pro Episcopo Parisiensi, quem Rex *Ludovicus* Crassus vexabat, etiam bonorum captione. *Henricus* Senonensis Archipræsul & ejus Suffraganei, eum Regem frustra monuissent ut Parisiensi Antistiti æquum se præberet, Urbem Parisiensem subjecerunt Interdicto. Rex Interdicti solutionem ab *Honorio* Summo Pontifice obtinuit, indeque ferocior quodammodo factus, quod Episcopis promiserat scilicet justitiam & pacem, bonorumque restitutionem Episcopo Parisiensi ablatorum, implere noluit. Quamobrem ad *Honorium* querimonias detulit *S. Bernardus*, suo & *Hugonis* Pontiniacensis nomine, Epistola 46. *Tristes*, inquiunt, *vidimus, tristes eloquimur, honorem Ecclesiæ Honorii tempore non minime læsum. Jam Regis flexerat iram humilitas vel potius constantia Episcoporum, cum ecce a Summo Pontifice summa superveniens authoritas, heu! dejecit constantiam, superbiam statuit. Scimus quidem id vobis per mendacium fuisse surreptum, quod ex vestris Literis palam datur adverti, ut everti tam justum, tam necessarium interdictum juberetis. Sed numquid non vel tandem deprehenso mendacio, mentitam se sentiet iniquitas sibi, & non tamen utique Majestati?* Ad eumdem scripsit una cum *Stephano* Cisterciensi, & *Hugone* Pontiniacensi, Abbatibus, Epistolam 49. pro *Henrico* Senonensi Archiepiscopo, cui Rex idem Ludovicus VI. molestus erat. *Degentes*, inquiunt, *in Monasteriis, ad quæ nos nostra peccata compulerunt, non cessamus orare pro vobis, & pro commissa vobis Ecclesia Dei, congaudentes & Sponsæ Domini super tam fido Custode, & sponsi amico super labore tam fructuoso. Fidenter proinde atque fideliter vestræ Paternitati suggerimus, quæ in Regno nostro eidem Matri nostræ dolentes cernimus adversari. Quantum quidem nos sentimus, qui vicini sumus, Rex Ludovicus non tam Episcopos, quam in ipsis justitiæ persequitur zelum, pietatis cultum, habitumque religionis. Quod vestra quoque prudentia Sanctitatis vel ex eo facile advertere potest, quod qui ante in habitu actuque sæculari honorati sunt sublimes, judicati fideles, habiti familiares, modo inimici facti sunt, digne Sacerdotio suo conversantes, & per omnia honorificantes ministerium suum. Hinc gravibus contumeliis & injuriis Episcopi Parisiensis innocentia pulsata est, sed non quassata, quia Dominus supposuit manum suam, cum vestram opposuit. Hic & nunc Domini hujus Senonensis constantiam concutere & labefactare conatur: ut Metropolitano [quod absit] ejecto, facile, prout voluerit, grassetur in Suffraganeos. Postremo quis ambigit non aliud eum quam oppugnare Religionem, quam aperte sui Regni destructionem, suæ coronæ pronuntiat inimicam? Et alter Herodes Christum jam non in cunabulis habet suspectum, sed in Ecclesiis invidet exaltatum. Nec aliud sane credimus eum habere adversus Archiepiscopum, nisi quod Spiritum in ipso, sicut in cæteris, laborat extinguere.* Acerbiores contra Regem Literas ad Summum Pontificem *Honorium* S. Bernardi zelus dictavit: in quo quidem Rege vehementer arguenda fuit durities in Episcopos, qui Aulam deserebant, ut Ecclesiæ se totos devoverent; nec ejus Majestati ignave poterant adulari, & Ecclesiæ jura, quæ Rex interdum usurpabat, prodere; sed tamen religiosissimus aliunde Princeps fuit, & Ecclesiæ defensor egregius, ac Romanorum Pontificum adversus Antipapas & Schismaticos Imperatores. Quæ ratio, ut existimo, *Honorium II.* movit, ut œconomia quadam erga ipsum uteretur, & Apostolica mansuetudine ipsum Episcopis reddere conaretur æquiorem.

S. Bernardi ad Honorium secundum Epistolæ.

Pro Episcopo Parisiensi.

Pro Senonensi Archiepiscopo.

Cœnobii Cluniacensis Privilegia confirmavit, auxitque *Honorius II.* Inter Cardinales ab ipso creatos præ cæteris celebres fuere *Matthæus* Gallus, ex Monacho & Priore Cluniacensi ad Ostiensem Episcopatum assumptus, vir sanctitate & doctrina eximius, Legatione Apostolica in Galliis functus, a *S. Bernardo*, & *Petro* Venerabili Abbate Cluniacensi egregie laudatus, & Martyrologio Benedictino, & Gallicano ad 8. Kalendas Januarii adscriptus: *Joannes* Camaldulensis Eremi Prior: *Udalricus Cibo*: *Anselmus* Cœnobii Papiensis *S. Petri in Cœlo Aurea* Monachus Benedictinus: *Guido de Castello*, ad quem *S. Bernardus* Epistolam centesimam nonagesimam secundam dedit de *Abaelardi* erroribus, & qui postea Summus Pontifex fuit *Cœlestinus II.* *Yvo* ex Regali Cœnobio *S. Victoris* Parisiensis, Ordinis Canonicorum Regularium *S. Augustini* assumptus, ad quem scripsit *S. Bernardus* Epistolam centesimam nonagesimam-tertiam ejusdem argumenti. Apostolicam Legationem in Galliis obiit *Innocentii II.* nomine, & excommunicationis sententiam tulit contra *Radulfum* Viromanduorum Comitem, qui uxore propria dimissa, alteram duxerat, & Episcopos *Bartholomæum* Laudunensem, *Simonem* Noviomensem, & *Petrum* Silvanectensem, qui divortium illud permiserant, ab officio suspendit. Obiit *Honorius II.* decimo-sexto Kalendas Martii, anno 1130. cum annos quinque, mensem unum, ac dies septemdecim Ecclesiam rexisset.

Honorii secundi Cardinales.

ARTICULUS V.

De Innocentio II.

DEfuncto *Honorio II.* eadem die a majori & saniori parte Cardinalium electus est *Gregorius de Paparescis*, quæ familia nunc *de Mattheis* appellatur, ex Canonico Regulari Lateranensi, titulo *S. Angeli* Cardinalis ab *Urbano II.* creatus. Contra ipsum a factiosis intrusus est Antipapa *Petrus Leonis* Cardinalis, qui domus suæ præcipua in Urbe authoritate, & muneribus, Senatum, Populumque Romanum facile traxit in partes, & nomen sibi sumens, *Anacletus II. Innocentium* legitimum Pontificem ut usurpatorem est insectatus. Qui in Gallias fugiens ab Ecclesia Gallicana & Christianissimo Rege *Ludovico* Crasso, in Concilio Stampensi, ceu legitimus Pontifex agnitus & susceptus est, agente *S. Bernardo*, qui ad Schisma extinguendum præcipuam *Innocentio II.* navavit operam. Concilium apud Claromontem eodem anno 1130. *Innocentius primus* celebravit, in quo Anathemate confixit Antipapam.

Schisma Petri Leonis.

Concilia in Galliis celebrata.

S. Bernardus pro Schismate extinguendo plurimum laborat.

Paulo post a Regibus Angliæ, Hispaniæ, Hierosolymorum, & Lothario Imperatore susceptus est. *Anacleti* Antipapæ partes in Italia sustentabat *Rogerius* Siciliæ Dux, ab eodem Regio Titulo donatus: in Galliis *Willelmus* Dux Aquitaniæ, & Comes Pictavensis, quem *Gerardus* Engolismensis Episcopus, & *Anacleti* Antipapæ Legatus in ejus partes traxerat, & quem demum *S. Bernardus* domita miraculo ejus contumacia ad *Innocentii II.* obedientiam, & Ecclesiæ unitatem revocavit.

Anno 1131. Festum Paschatis in Sandionysiano prope Parisios Cœnobio cum celebrasset *Innocentius II.* Remos perrexit, ibique Synodum habuit, cui *S. Norbertus* Magdeburgensis Archiepiscopus, & *S. Bernardus* Clarævallensis Abbas interfuerunt. In qua rursus damnavit Antipapam; Canones septemdecim condidit, qui postea in Lateranensi Concilio II. Œcumenico X. omnes iterum promulgati fuere; denique *Ludovicum Juniorem*, Rege *Ludovico Crasso* ejus patre rogante, in Francorum Regem unxit; ut *Sugerius* Abbas, *Robertus de Monte*, & Mauriniacensis Chronographus testantur. Ejusdem Concilii meminit Abbas Uspergensis. Post hæc, Leodium, comite *S. Bernardo* profectus *Innocentius*, Concilium ibi celebravit, in quo *Ottonem*, ex Halberstatensi Episcopatu depositum, in Sedem restituit, ut scribit Abbas Stadensis, *Anacletum* Antipapam iterùm damnavit. *Lotharium* Germaniæ Regem ad Ecclesiæ Romanæ defen-

Lothario Germaniæ Regi Investituras non restituit Innocentius secundus.

fensionem excitavit, promissa ipsi Imperiali Corona, ut *Otto Frisingensis* lib. 7. c. 118. & *Arnoldus* Abbas Bonævallis in Vita *S. Bernardi* lib. 11. cap. 1. testantur. Ibi *Lotharius* nactus opportunitatem, importune institit apud *Innocentium*, ut sibi restitueret Investituras Episcoporum. At S. Bernardus *audacter resistens Regi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira authoritate compescuit*; inquit Arnoldus Bonævallis in ejus Vita. Quo testimonio falsi convincitur *Petrus Diaconus* in Chronico Cassinensi, scribens Innocentium II. *Lothario* Regi *Virgam & Annulum ex antiquo more confirmasse*. Sed & *Otto Frisingensis* Cassinensis Chronici Continuatorem satis refellit, cum scribit lib. 7. cap. 18. *Lotharium* quidem exposuisse modeste, quantum dispendium Regnum passum sit, cedendo Investituris, non tamen earum restitutionem extorsisse. Leodio redux *Innocentius*, Claramvallem adiit, ac Monachorum gravitatem & modestiam miratus est, qui defixis in terram oculis, complosisque palpebris, nequidem, ut eos extollerent ad Summum Pontificem videndum, curiositate ducebantur. Inde cum *Lothario* Germaniæ Rege Romam profectus, Placentiæ Concilium habuit: inde ad Urbem veniens, *Lotharium* coronavit Imperatorem anno MCXXXIII. Sed cum adhuc *Petri Leonis* factio prævaleret, nec frangendis *Rogerii* Siciliæ Ducis viribus, qui ipsum tuebatur, *Lotharii* copiæ impræsentiarum satis essent, *Innocentius* Pisas secessit, ibique celebrata Synodo anno 1134. sacras execrationes in Antipapam & fautores ipsius iteravit, teste *Arnoldo* Abbate Bonævallis lib. 11. de Vita *S. Bernardi*, cap. 11. Ibidem, de sententia Patrum, *Hugonem* Gratianopolitanum Episcopum in album Sanctorum retulit anno post ejus obitum, & *Guigoni* Carthusiæ Priori jussit, ut Vitam ipsius scriberet, data ad eum Epistola. Tandem *Lotharii* Imperatoris armis, & *S. Bernardi* adhortationibus ac miraculis fractæ Schismaticorum vires. Cum *Anacleto* Antipapa Schisma pene extinctum, qui post duodecim annos tyrannidis, impœnitens obiit anno 1138. Cardinales Schismatici, favente *Rogerio* Siciliæ Duce, *Gregorium* Cardinalem Presbyterum, Pontificis ornatum insignibus, & *Victorem IV.* appellatum, *Innocentio II.* opposuere. Quod non tam ex pertinacia Schismatis fecere, quam ut aliqua temporis mora interposita pacem cum legitimo Pontifice commodius inirent. Hujus sequester fuit *S. Bernardus* qui *Victorem* Antipapam insignibus exutum mox ad *Innocentii* pedes supplicem abjecit. Cardinales quoque, & Clerici Schismatici, necnon filii *Leonis*, Antipapæ defuncti fratres, ipsi obedientiam & fidelitatem juraverunt, ut *Falco* Beneventanus in Chronico, *Arnoldus* Bonævallis Lib. 11. de Vita *S. Bernardi*, & Sanctus ipse Clarævallensis Abbas Epistola 320. ad *Godefridum* postea Lingonensem Episcopum, testantur.

Concilium Pisis celebrat.

Hugonis Episc. Gratianopolitani Canonizatio.

Novus Antipapa.

Extinctio Schismatis.

Synodus Oecumenica Lateranensis.

Rebus compositis, & reflorescente Romanæ Ecclesiæ statu, Synodum Generalem, quæ Lateranensis Secunda est, Romæ celebravit *Innocentius II.* qua de Synodo in Dissertationibus agemus. In sacro illo consessu *Rogerium* Siciliæ Ducem excommunicatum fuisse, Chronicon Beneventanum docet. Post Synodum, defuncto *Rainulpho* Duce, *Rogerius* Apuliam invasit. Ei cum copiis obviam progressus *Innocentius*, insidiose ac fraudulenter captus ab ipso est. Pontificem captivum *Rogerius* veneratur, eique supplicat pro pace; fidelitatem ipsi jurat, ab eoque Siciliæ Regnum in feudum accipit, ac investituram Ducatus Apuliæ, Calabriæ, & Principatus Capuæ, pro se, suisque heredibus. Prudenter cessit Pontifex potentissimo Principi, ut eum ejusque Filios Ecclesiæ Romanæ penitus devinciret, Normannorum Principum, quorum virtuti multum debebat Apostolica Sedes, merita in nepotibus muneraret: quod in suo Diplomate *Innocentius II.* non tacuit. *Manifestis*, inquit, *probatum est argumentis, quod egregiæ memoriæ strenuus & fidelis miles B. Petri Robertus Guiscardus Prædecessor tuus, Dux Apuliæ magnificus, & potens hostes Ecclesiæ viriliter expugnavit, & posteritati suæ dignum memoria nomen, & imitabile probitatis exemplum reliquit. Pater quoque tuus illustris recordationis Rogerius per bellicos sudores & militaria certamina inimicorum Christiani nominis intrepidus extirpator, & Christianæ Religionis diligens propagator, multimoda obsequia Matri suæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ impertivit. Unde & Prædecessor noster religiosus & prudens Papa Honorius Nobilitatem tuam de prædicta generositate descendentem intuitus, plurimum de te sperans, & prudentia ornatum, justitia munitum, atque ad regimen populi te idoneum esse credens, valde dilexit, & ad altiora provexit. Nos ergo ejus vestigiis inhærentes, & de potentia tua ad decorem & utilitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ spem atque fiduciam obtinentes, Regnum Siciliæ tibi ab eodem Antecessore nostro concessum, cum integritate honoris Regii, & dignitate Regibus pertinente, Excellentiæ tuæ concedimus, & Apostolica authoritate firmamus.*

Regnum Siciliæ Rogerio confirmatum.

Petrum Abælardum & Arnaldum de Brixia, eorumque errores Innocentius secundus damnat.

Petrum Abælardum, ejusque errores damnavit *Innocentius II.* secundum Relationem Gallicanorum Episcoporum & *S. Bernardi* anno 1140. *Arnaldum* etiam *de Brixia* Hæresiarcham in Synodo Œcumenica Lateranensi II. jam damnatum, & perversa dogmata in Galliis seminantem, ipsumque Abaelardum, in aliquo Monasterio recludi jussit, & libros eorum comburi, data ad Remensem & Senonensem Archiepiscopos, nec-non ad *S. Bernardum* Epistola. Varias variis temporibus Legationes decrevit. Sancto *Malachiæ* Hiberniæ Metropolitano Apostolatum pro fide propaganda confirmavit, eumque Pallio ornatum, & Apostolica Legatione, in regionem illam remisit anno 1137. *Albericum* Cardinalem Ostiensem destinavit in Angliam Legatum anno 1138. *Guidonem de Castello*, in Gallias anno 1140. *Yvonem* Cardinalem in idem Regnum pro causa *Radulphi* Viromanduorum Comitis, qui legitima uxore injuste repudiata, alteram duxerat: *Petrum* Lugdunensem Archiepiscopum, ac deinde *Albericum* Ostiensem Episcopum in Orientem, ubi Patriarcham Antiochenum, habita Synodo, exauthoravit, & in altero Concilio Hierosolymis celebrato, de corrigendis Armenorum erroribus cum eorum Catholico egit, anno 1142. ut *Willelmus Tyrius* lib. 15. cap. 15. prolixe refert.

Legati ab Innocentio secundo missi.

Innoc. II. erga Regem Anglorum œconomia.

Summa œconomia & mansuetudine erga Christianos & Catholicos Reges usus est *Innocentius II.* discordiam Sacerdotii & Imperii Ecclesiæ & Reipublicæ exitiosam esse ratus. *Hugo* Rothomagensis Archiepiscopus a quibusdam Abbatibus obedientiæ professionem exigebat, secundum *Innocentii* ipsius in Synodo Remensi Decretum. Vetabat *Henricus* Rex Angliæ & Dux Normanniæ, rem in suo Regno & Ducatu insolentem esse objiciens. Rex in magnum dissidium erupisset, nisi Summus Pontifex, de contentione certior factus, Archiepiscopo jussisset, ut voluntati Regis, studio caritatis & pacis, obsequeretur, ac de jure suo aliquid remitteret. *Quemadmodum*, inquit, *sit concedendum Regibus & terrarum Principibus, quorum potestate ac justitia Dei Ecclesia & Christianus populus protegatur, prout credimus, tua Fraternitas non ignorat. Cæterum clarissimus filius noster Rex Anglorum Henricus, prout accepimus, est adversum te graviter indignatus, quod contra consuetudinem suam & aliorum Ducum Normanniæ, a quibusdam Abbatibus Professionem & obedientiam suscepisti. Quod profecto quamvis justum fuerit, & a nobis in Concilio Remensi mandatum: pro ejus caritate a rigore justitiæ aliquando condescendere debemus, & pro tempore, ipsius voluntati assensum præbere .... Unde Fraternitatem tuam rogamus, & mandamus, quatenus de Abbatibus illis ejus voluntati consentias; & si quem de Abbatibus ligasti, absolvas.*

S. Bernardus & Petrus Cluniacensis Abbas, apud Innocentium II. pro Ludovico VII. Rege sequestres.

Cum *Ludovicus VII.* Rex Francorum *Petrum de Castra* Bituricensem Archiepiscopum absque assensu suo electum, & ab eodem Pontifice nihilominus Romæ consecratum, a possessione Archiepiscopatus adeunda prohiberet, maxime timebant viri quique religiosi & pii, ne Summus Pontifex Apostolicæ Sedis contemptum & violatam Ecclesiæ libertatem, anathemate in Regem lato ulcisceretur, indeque grave dissidium oriretur, in Schisma fortassis erupturum. Rex enim erat in proposito nimium constans, quod jurasset *Petrum*, se vivente, numquam futurum Episcopum, ut *Willelmus Nangius* in Chronico ad annum 1142. testatur. Ad quatuor Episcopos Cardinales scripsit *S. Bernardus*, ut apud *Innocentium II.* sequestres essent pro Rege, quem *ira*, *ætas*, *majestas* excusabant.

Epist.

(Epist. 219.) Ad *Innocentium* enim ipsum ita libere scribere deinceps non decreverat, qui ipsi erat suboffensus, & malevolorum calumniis occupatus ob Testamenti *Yvonis* Cardinalis in Galliis defuncti executionem. Ejusdem Pontificis benignitatem pro Rege pariter sollicitavit *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis, scriptis ad eum literis. *Pro Domino Rege Franciæ*, (inquit, Epistola 11. lib. 5.) *magno nobili, & speciali filio vestro, Benignitatem Apostolicam deprecor, ut quia non solum magnificus Rector Christiani populi est; sed etiam quia opus manuum vestrarum est, quem ad Regnum provexistis, quem sacris manibus vestris inunxistis, quem Gallis nostris potentiorem Partibus Regem designastis: si quid forte adhuc ut ætate juvenis inconsulte egit, ei condescendatis, & ejus forte errorem sapientia vestra velamine contegatis. Est enim patris ut filii, & maxime tanti, errorem emendet, & honorem conservet. Hoc pro dissidio, quod inter ipsum & Dominum Archiepiscopum Bituricensem est, dico. Est enim, sicut sensi, res non levis; & ne de gravi incepto graviorem vergat in exitum, multum cavenda. Spiritus autem consilii, qui spirat ubi vult, qui per vos Ecclesiæ suæ per totum orbem diffusæ assidue consulit, etiam nunc per vos Regno Franciæ, non vili portioni Ecclesiæ suæ consulat & tum de his, quam de omnibus, unctio plus cor vestrum edoceat.*

S. Bernardi *Epistolæ ad Innocentium secundum.*

Ad *Innocentium II.* plures variis de causis Epistolas dedit *S. Bernardus*. Inter eas memoranda est 158. de cæde Magistri *Thomæ* Prioris Sancti *Victoris*, quem *Theobaldi* Archidiaconi Parisiensis nepotes in *Stephani* Parisiensis Episcopi comitatu, ac pene in ejus sinu occiderunt, quod *Theobaldo* illicitis exactionibus Archidiaconatus occasione Presbyteros vexanti pro virili resisteret, solo Ecclesiasticæ Disciplinæ justitiæque studio incensus. Ad *Innocentium II. Stephanus* Parisiensis & *S. Bernardus* flebiles scripsere literas, ut ejus zelum ad vindicandum sanguinem Martyris excitarent. *Gaufridus* Carnotensium Episcopus, Sedis Apostolicæ Legatus, Synodum apud Jotrum ea de causa congregavit: in qua adversus Sancti Viri occisores, & eos quorum consilio & admonitione patratum erat facinus; necnon adversus omnes qui eos foverent, eisque communicarent, lata excommunicationis sententia est. Quam *Innocentius II.* confirmavit, & remissionem judicans aggravavit, Divinorum Officiorum celebratione interdicens in quibuscumque locis præsentes essent homicidæ illi sacrilegi. Extat *Innocentii* Rescripsum Tom. X. Concil. Edit. *P. Labbè*, sub titulo Concilii Jotrensis pag. 977. Necatus est *Magister Thomas* 13. Kalendas Septembris anno 1133. quo litera Dominicalis E. diei 13. ante Kalendas Septembris respondebat. Die enim Dominica occisum certum est.

Concilium Jotrense.

Jotrum, *vulgo*, Oüarre, *Abbatia Monialium O. B. Ad Matronam in Diœcesi Meldensi.*

Observandæ sunt etiam Epistolæ 178. & 179. pro *Adalberone* Trevirensi Archiepiscopo scriptæ, cujus jura in plerisque capitibus læsa erant, quia ipsum Pontifex a negotiis suæ Diœceseos terminandis, aut Provincialium Episcoporum causis cognoscendis, quasi suspectum aut minus expertum excluserat, & Abbati *S. Maximini* contra ipsum, per obreptionem, faverat. Exponit *Sanctus Bernardus* libertate maxima querimonias & murmura non prorsus injusta multorum adversus Romanam Curiam tunc temporis: quæ flagitiosos Clericos, Monachos, Laicos, ab Episcoporum sententiis & correctionibus canonicis appellantes, non solum ambabus ulnis passim recipiebat; sed etiam inauditis Episcopis quandoque absolvebat. Ostendit Vir Sanctus hac agendi ratione enervari disciplinam, Authoritatem Episcopalem vilescere, & vires ipsius Pontificiæ potestatis imminui. *Vox una omnium*, inquit, *qui fideli apud nos cura populis præsunt, justitiam in Ecclesia deperire, annullari Ecclesiæ claves, Episcopalem omnino vilescere authoritatem, dum nemo Episcoporum in promptu habeat ulcisci injurias Dei, nulli liceat illicita quævis ne in propria quidem Parœcia castigare. Causam referunt in Vos, Curiamque Romanam. Recte gesta ab ipsis, ut ajunt, destruitis, juste destructa statuitis. Quique flagitiosi & contentiosi de populo, sive de Clero, aut etiam ex Monasteriis, pulsati currunt ad vos, redeuntes jactant & gestiunt se abtinuisse tutores, quo magis ultores sensisse debuerant. Annon gladius Phinees promptissime atque justissime eductus fuerat ad condemnandum incestuosum concubitum Drogonis & Milis? Sed confusus atque retusus abiit retrorsum, scuto nimirum Apostolicæ defensionis opposito. Proh pudor! quos cachinnos res ista movit & movet Ecclesiæ inimicis, eisque etiam ipsis, quorum fortasse aut metu, aut favore, a recto tramite abducti sumus? Amici confunduntur, fidelibus insultatur, Episcopi ubique in opprobrium veniunt & contemptum, quorum dum recta judicia contemnuntur, vestræ quoque plurimum derogatur authoritati. Ipsi sunt enim qui honorem vestrum zelant, qui vestra pro pace & exaltatione laborant, fideliter quidem, sed vereor ne inefficaciter. Quid vobis vires minuitis? Quid robur vestrum deprimitis?* Non dubitat S. Bernardus quin ista contra jus & Disciplinam Ecclesiæ a Pontifice, per obreptionem impetrentur; sed quæ, sic impetrata sunt, revocanda esse scribit, secundum laudabilem perpetuumque morem Apostolicæ Sedis. *Hoc*, inquit, *solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate, & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud Sanctam & Summam Sedem.*

Pro Adalberone Trevirensi Archiepiscopo libertate maxima ad Innoc. II. scribit S. Bernardus.

Summos Pontifices revocare non piget quæ ab ipsis per obreptionem & fraudem sunt impetrata.

Cœnobium Cluniacense variis ornavit Privilegiis Innocentius II. quæ in Cluniacensi Bibliotheca legere est; & *SS. Facundi* & *Primitivi* Cœnobium in Hispania situm, rogante *Alfonso* Hispaniarum Rege eidem celeberrimæ Congregationi univit. Obiit octavo Kalendas Octobris anno 1143. cum annos quatuordecim, menses septem & dies octo sedisset; & in Titulo *Callisti* sepultus est, ut ejus Epitaphium probat. Inter Cardinales ab Innocentio II. creatos hi celeberrimi fuere: *Balduinus* patria Tuscus S. Bernardi Discipulus, primus ex Ordine Cistercienci ad Eminentissimam Dignitatem assumptus, Pisanus Archiepiscopus, vir sanctitate clarus: cæteroquin, Purgatoriis flammis, post obitum expiatus, quod civilibus discordiis se immiscens, Bello Pisanorum cum Lucensibus occasionem dedisset, ut habent Origines Cistercienses: *Lucas*, natione Gallus, ex Claravallensi Monasterio assumptus: *Martinus*, Italus, patria Genuensis, ex nobili *Ciborum* familia, Cisterciensis Monachus, Apostolica Legatione in Daniam functus, a *S. Bernardo* ob summam integritatem, & in respuendis muneribus constantiam commendatus lib. 4. de consideratione, cap. 7. *Guido de Vico*, Legati officio ad Mediolanenses, & Gallos functus, ad quem extat Epistola *S. Bernardi* CXCVI. *Drogo* Gallus, Ordinis Benedictini Monachus, doctrina, eloquentia, pietate insignis, S. Joannis Laudunensis primus Abbas, Author Ecclesiasticus: *Theodewinus*, Germanus, Portuensis & Silvæ-Candidæ Episcopus, Germanica Legatione functus, in qua *Conradum III.* Romanorum Regem coronavit; & altera Legatione in Syriam: *Lucius Boetius*, ex Vallis Umbrosæ Cœnobio assumptus: *Chrysogonus*, natione Gallus Claravallensis Monachus, quem propterea *S. Bernardus* Epistola CXLIV. *Fratrem uterinum* vocat: *Albericus*, natione Gallus, Bellovacensis, Cluniacensis Monachus, Pontificiis Legationibus ejusdem *Innocentii* in Oriente & Anglia, & *Eugenii III.* in Galliis functus, ad quem plures extant *S. Bernardi* Epistolæ, vir sanctitate conspicuus. *Stephanus de Cinlon*, patria Catalaunensis, ex Claravallensi Monacho ad Prænestinum Episcopatum evectus, quem *Arnoldus* Bonævallis Abbas in Vita S. Bernardi *totius gloriæ virum* appellat; cujus ut Sancti Festum in Ordine Cisterciensi die 13. Februarii celebratur. *Rainaldus Colimmianus* ex Marsorum Comitum domo, Cassinensis Abbas, vir pietate & doctrina insignis, cui *Petrus* Diaconus librum 4. Chronici Cassinensis nuncupavit. *Hubaldus*, Lucensis, Titulo *Sanctæ Praxedis* Cardinalis ab *Innocentio II.* Episcopus Ostiensis ab *Hadriano IV.* creatus, qui *S. Thomæ* Cantuariensi Archiepiscopo egregie patrocinatus est, rejectis *Henrici II.* Angliæ Regis muneribus, ut idem S. Archipræsul & Martyr in quadam Epistola testatur. Postea fuit Summus Pontifex *Lucius III. Hugo de Folieto*, Gallus, Corbejensis Ordinis Benedictini Monachus, Author librorum *de Claustro Animæ*, sub nomine *Hugonis de Sancto Victore* editorum. *Imarus* Gallus, ex Cluniacensi Monacho Episcopus Tusculanus, *Petrus de Paparescis*, germanus Innocen-

Cardinales ab Innocentio secundo creati.

centii frater, Episcopus Albanensis. *Huganem de Sancto Victore* inter Cardinales Innocentii II. perperam numerant *Ciaconius*, & *Ferdinandus Ughellus*, quem Cardinalem fuisse nulla monumenta testantur.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 179. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Prudenti Oeconomia cessit Pontifex potentissimo Principi, ut eum, ejusque filios Romana Ecclesia penitus, devinciret?*

R. Innocentii Secundi œconomiam prudentem erga Rogerium Siciliæ Ducem, quam ejusdem Pontificis Diploma testatur, commemorasse crimen est, Religiosorum Censorum judicio, qui Romanos Pontifices nulla œconomia cum Regibus agendo uti volunt? Ideo & hæc pag. 181. ejusdem Editionis notant? *Summa œconomia & mansuetudine erga Christianos & Catholicos Reges usus est Innocentius II. discordiam Sacerdotii & Imperii Ecclesiæ exitiosam esse ratus.*

SCHOLION II.

Ad ejusdem Articuli, pag. 185. Religiosi Censores hanc notant apponunt: „ *Quale murmur contra* „ *Ecclesiam Romanam, quæ usurpat Jurisdictionem* „ *Episcoporum cum eorum vilipendio?* Verba refert S. „ *Bernardi*, in fine paginæ: *Non dubitat S. Bernar-* „ *dus dicere id esse contra jus & Disciplinam Eccle-* „ *siasticam per obreptionem impetratam.*

R. De querelis & murmure contra Romanam Ecclesiam, ne verbum quidem ullum, nec Jurisdictionem Episcoporum a Romana Ecclesia usurpatam scribit S. Bernardus, cujus verba refero; sed de *Romana Curia* loquitur: nec barbara illa vox, *vilipendium*, ibi legitur. *Innocentii Secundi* gesta recensens, Epistolas commemoro quas ad illum dedit S. Bernardus præsertim 178. & 179. in quibus ejus Sanctitati libertate maxima exponit querimonias & *murmura non prorsus injusta multorum adversus* ROMANAM CURIAM TUNC TEMPORIS, *quæ flagitiosos Clericos Monachos, Laicos, ab Episcoporum Sententiis & correctionibus canonicis appellantes, non solum ambabus ulnis excipiebat; sed etiam inauditis Episcopis quandoque absolvebat. Ostendit Vir Sanctus hac agendi ratione enervari disciplinam, Authoritatem Episcopalem vilescere, & vires ipsius Pontificiæ Potestatis imminui.* Subdo S. Bernardi verba, quibus descriptis, ajo: *Non dubitat S. Bernardus quia ista contra jus & Disciplinam Ecclesiæ a Pontifice per obreptionem impetrentur.* Observatio Historica ex S. Bernardo sumpta Religiosis Censoribus non placet? Hujus sancti Patris verba describere piaculum est? Nihil contra jus & Disciplinam per obreptionem a Romanis Pontificibus impetrari potest, quidquid in contrarium S. Bernardus scripserit, quidquid ipsi Pontifices infirmitatis humanæ conscii senserint & sentiant?

Nota.

CUm Christus ideo Romanum Pontificem universalem Pastorem destinaverit, ut etiam omnium ecclesiarum paci, ac tranquillitati consuleret, credere quidem est ei obreptum fuisse, quoties cum earum dispendio in particularium ecclesiarum regimine se immiscuerit. Huc spectasse creditur S. Gregorius, dum œcumenici nomen repudiavit; quamvis etenim nullus Pontificum fortasse latius extenderit suam potestatem, quam S. Gregorius; nihilominus ab eo titulo abstinuit, ne videretur velle particularium Episcoporum jura pervadere, sciens sua amplissima potestate aliis ecclesiis deserviendum solum, dum ita ipsarum necessitas, vel utilitas exposcerent. Id innuere voluit S. Bernardus, nam *lib. 3. de Consid.* ad Eugenium inter alia ita habet: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Quid si forte nec licet? Erras, si ut summam, ita & solam institutam a Deo vestram apostolicam potestatem existimas.* Et tamen *ep.* 131. quæ est ad Mediolanenses, scripserat singularem esse Sedis Apostolicæ prærogativam super universas orbis Ecclesias potestatem exercere, cujus ratione novos posset creare Episcopatus, creatosque deprimere, & a finibus terræ quascumque ecclesiasticas personas ad suum tribunal evocare.

Nota.

DUm Natalis infra cap. 11. art. 4. Ramiri II. gesta refert, inter fabulas recensendam censet pontificiam dispensationem, qua dicitur Ramirum a monachorum votis solutum uxorem duxisse, atque ex ea filiam procreasse, quæ Raimundo Barcinonensi comiti nupsit, eique regnum Aragoniæ dotale attulit. Cum igitur hanc narrationem ut fabulosam habeat, nihil mirum si ne verbum quidem in superiori articulo de eadem dispensatione habeat, quæ dicitur ab Innocentio II. concessa. Juvat hic proinde hujus historiæ veritatem cum sapientioribus Criticis breviter vindicare atque omnia ex Innocentii II. dispensatione acta esse ostendere.

Ramirum ergo quamvis monachum ad Regnum Aragonense fuisse evectum scribit Ordericus Vitalis eidem Ramiro contemporaneus libro primo historiæ, quem dicit perduxisse usque ad annum quo *Remigius*, (lege Ramirus,) *Monachus Hispanis præerat*, unde scripsit ante an. 1137. Idem tradit Guillelmus Neubrigensis, qui in præfatione suorum librorum rerum Anglicanarum, dicit se natum anno I. Stephani Anglorum Regis, quapropter eo sæculo scripsit, quo regnavit Ramirus. Hic igitur *lib.* 2. *cap.* 10. narrat post Alphonsi IV. obitum Aragonenses Regis filium (Ordericus fratrem nominat) e claustro extraxisse, ac ad regnum evectum, ex ea quam in uxorem duxit, filiam procreasse, nec non ad claustrum rediisse, postquam eam nuptui tradidit Comitis Barcinonensis filio, cui & regnum detulit. Quod autem Romani Pontificis dispensatio accesserit, scripsit Robertus de Monte author contemporaneus in Chronico ad an. 1160. his verbis: *Remiliam* (legendum est Ramirum) *monachum etiam jam senem licentia Romani Pontificis a monasterio abstractum regem fecerunt, & ut heredem haberet, Mathildem Willelmi Vicecomitis Toarci illi associarunt, ex qua genuit unam filiam, quam Raimundus prædictus Comes duxit.* Nemo autem dixerit Pontificis dispensationem concessam fuisse ad extrahendum e monasterio, non ad matrimonium ineundum; cum etenim e monasterio abstraxerint, *ut heredem haberet*, seu *ad procreandos qui succederent liberos*, ut scribit Neubrigensis, ridiculum esset credere, expostulatam dispensationem pro egressu a Monasterio, non vero pro matrimonio contrahendo.

Porro hanc dispensationem concessisse Innocentium II. non vero ut quidam dixere Anacletum Antipapam, ex eo manifestum est, quod teste Chronographo Mauriniacensi, Reges Aragoniæ, Navarræ & Castellæ, missis per Episcopos suarum provinciarum epistolis Innocentio in Concilio Remensi obedientiam præstiterunt; quapropter non ab alio, quam ab eo, quem legitimum Pontificem credebant, dispensationem expostulasse dicendum est. Neque inusitatum erat eo tempore Pontificem super votis a Monachis emissis, ac super matrimonii impedimentis dispensare; ipse enim Natalis gesta recensens Benedicti IX. qui sæculo XI. Pontificatum gerebat, tradit hunc Pontificem Casimiro monacho Cluniacensi diacono concessisse, ut ad regnum Majorum suorum rediret, ac uxorem duceret. Non parum etiam Yvo Carnotensis, ut ex ipsius epistolis 144. & 190. aliique Galliarum Præsules institere; ut Paschalis II. dispensatione uteretur cum Philippo Franciæ Rege; qui Bertradam cognatam suam dimittere renuebat. Illud etiam animadvertendum quorumdam recentiorum testimonio deceptum Natalem asseruisse Ramirum ex Episcopatu ad regnum assumptum; ac nullum in tota ecclesiastica antiquitate tam insolens exemplum extare, ut Episcopo uxorem ducere indultum fuerit. Falso igitur id asseritur, nam supracitati Authores ipsi Ramiro Synchroni, eum tantum monachum & sacerdotem appellant, quibus consensit Rodericus Toletanus *lib.* 6. *cap.* 1. & Gaufredus prior Vosiensis illius sæculi author in Chronico *cap.* 48. Sed & ipse Zurita,

quem

quem refert Natalis, rem extra dubium ponit *lib.* 1. *Annal. cap.* 53. ubi refert se vidisse originala diploma ajusdem Ramiri, ubi ita subscriptus reperitur: *Rex & Sacerdos*. Cæteræ conjecturæ, quas Natalis perpendit, sane postponendæ tam apertis testimoniis Aushorum illius sæculi, qui tradunt Ramiri uxorem nomine Mathildem, sororem fuisse Comitis Pictaviensis eamque primis nuptiis junctam fuisse Aymerico Vicecomiti Taarcis, ut scribit Beslius *in Hist. Comit. Pictaviens. cap.* 34.

ARTICULUS VI.

De Cælestino II. & Lucio II.

Cælestinus II.

JUstis *Innocentio II.* persolutis, legitimis pacificisque Cardinalium suffragiis, Clero ac populo Romano acclamante, tertia die electus est Pontifex *Guido de Castello*, natione Tuscus, titulo *Sancti Marci* Presbyter Cardinalis, qui *Cælestinus II.* appellatus est. De sua electione Cluniacenses monachos statim certiores fecit, eorumque preces postulavit. Ipsi electionem pacificam, quæ ab *Alexandri II.* tempore visa non fuerat, gratulatus est *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis, Epistola 17. lib. 5. Ad eum scripsit *S. Bernardus* pro causa Eboracensis Ecclesiæ contra nequissimum ejus invasorem, qui ipsi Pontifici obrepserat, & ab eo fovebatur, quamvis ejus electio ab *Innocentio II.* in irritum missa esset. (Epistula 234.) *Henricum* Wintoniensem Episcopum Sedis Apostolicæ Legatione ornavit, qui Synodum celebravit Londoniæ præsente *Stephano* Rege, in qua excommunicationis sententia in eos lata est, qui Ecclesias aut cœmeteria violarent, aut manus violentas in clericos, vel monachos mitterent, absolutione uni Romano Pontifici reservata; ut *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis testatur. Obiit *Cælestinus II.* apud *Palladium*, *VIII.* Idus Martii anno MCXLIV. cum in *S. Petri* cathedra menses quinque & dies tredecim sedisset. Inter Cardinales ab ipso creatos celeberrimi fuere *Julius* titulo *S. Marcelli* presbyter Cardinalis, ab *Hadriano VI.* Prænestinus postmodum Episcopus renuntiatus, ejusque, & *Alexandri III.* Legationibus functos; *Joannes de Papiro*, seu *de Paparo S. Hadriani* diaconus Cardinalis in ordinem vero presbyterorum, & Titulum *SS. Laurentii & Damasi*, ab *Eugenio III.* assumptus, ab eoque Legatus in Hiberniam missus; *Hyacinthus*, *Petri Bobonis de Ursinis* filius, Hadriani IV. & Alexandri II. Legationibus ornatus, &c.

Concilium Londinense a Legato Cælestini secundi celebratum.

Casus Summo Pontifici reservatus.

Cardinales a Cælestino II. creati.

Lucius secundus.

II. *Cælestino II.* suffectus est *Geraldus*, Bononiæ, ex nobili Caccianimicorum gente ortus, Canonicus primum Regularis, Cardinalis *Sanctæ Crucis in Jerusalem a Calixto II.* creatus, ab *Innocentio II.* Sedis Apostolicæ Cancellarius, *Honorii II.* Legatione in Germania functus, qui nomen sibi sumpsit, *Lucius II.* & 7. Kalendas Aprilis anni 1144. coronatus est. Arnaldistas Romæ infestos habuit. Contra Romanorum tumultus, qui non solum priscam Senatorum dignitatem instaurare, verumetiam Patricium instituere ausi fuerant, & omnes Ecclesiæ Romanæ reditus ipsi attribuere nitebantur, instigantibus Arnaldistis, Pontificem, Cardinales, omnemque Clerum asserentes de decimis tantum & oblationibus vivere oportere, *Conradi* Romanorum Regis auxilium imploravit. (Epistola 51.) Induciis pactis cum *Rogerio* Siciliæ Rege, paulo post cum ipso plenam pacem composuit. Toletanæ Primatum confirmavit Ecclesiæ (Epistolis III. & IV.) Cluniacenses Privilegio donavit, ac tredecim ex eo Cœnobio, quod tunc *Religionis Monasticæ speculum, & in Galliarum partibus documentum erat* (ut ipse testatur) Monachos ad se mitti jussit, quos Romæ in celebri *S. Sabæ* Monasterio collocavit: Vezeliacenses contra Abbatem *S. Germani Autissiodorensis*, & contra Nivernensis Comitis injurias protexit; & *S. Bernardo* jussit ut Comitem Sedis Apostolicæ nomine commoneret, ne quid præter jus a Vezeliacensibus exigeret. Id constat ex *Lucii II.* Epist. Tom. III. Spicilegii Dacheriani, editis. Obiit V. Kal. Martii, an. 1145. cum menses undecim, & dies quatuordecim Ecclesiam rexisset. Ex ictu lapidis incerta manu in seditione jacti occubuisse, Vaticanus Codex a *Baronio* laudatus testatur. Inter Cardinales a *Lucio II.* creatos, celebres fuere *Robertus Pullus*, Anglus; *Hubaldus Caccianimicus* ejus propinquus, ex Canonicis Regularibus *Sanctæ Mariæ Rhenanæ* assumptus; *S. Guarinus* e nobili Fuscariorum familia, ut scribit *Ciaconius*, vel ex Guarinia Bononiensi gente, ut *Ferdinandus Ughellus* ex gentilitio stemmate colligit, ex Canonicorum Regularium Ordine ad Cardinalitiam Dignitatem, & Prænestinum Episcopatum assomptus, cujus memoria in Martyrologio Romano VIII. Idus Februarii celebratur, cujus Vita ab Augustino Ticinensi Canonico Regulari scripta legitur apud *Surium* Tomo VII. *Guido Clemens Cibo*, Genuensis, tituli S. Pudentianæ Cardinalis Presbyter, doctrina & vitæ castimonia præstans *Hadriani IV.* Legatione ad *Fridericum* Imperatorem postea perfunctus; *Nicolaus* Pontificiæ Bibliothecæ præfectus, vir Hebraicæ linguæ, & Doctrinæ sacræ peritissimus, qui de Scripturæ sacræ emendatione Opus eruditum edidit, a *Bessarione* laudatum in Opusculo de his Christi Verbis apud S. Joannem: *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Sub *Lucio II. Alfonsus* Portugalliæ Rex Provinciam suam Romanæ Ecclesiæ vectigalem annuo censu unciatum auri quatuor, singulari pietate constituit, ea conditione ut defensionem ac solatium Apostolicæ Sedis haberet, & nullam Potestatem alicujus Ecclesiastici sæcularisque Domini, nisi tantum Apostolicæ Sedis, vel ipsius Legatorum, in terra sua reciperet. *Innocentio II.* jam hominium fecerat *Alfonsus*, qui se Regem inscribit, sed a *Lucio II.* Dux tantum salutatur. *Alfonsi*, & Lucii Epistolas edidit clarissimus *Baluzius* lib. 11. Miscellaneorum, pag. 220. & 221.

Arnaldistarum seditiosa factio.

Lucii secundi in Cluniacenses Monachos benevolentia.

Lucio II. Pontif. Max. Alfonsus Lusitaniæ Rex ditionem suam Romanæ Ecclesiæ vectigalem fecit.

ARTICULUS VII.

De Eugenio III.

POst *Lucii II.* obitum, cum Senatus Populusque Romanus tumultuaretur, & ex eligendi mora Pontificis periculum certissimum Ecclesiæ immineret, Cardinales, contra morem Decreto Romanæ sub Stephano III. Synodi inductum, extra Collegium suum elegere *Petrum Bernardum*, Nationem Pisanum, Monachum Cisterciensem, *S. Bernardi* Claræ-vallensis Abbatis discipulum, Romani *SS. Vincentii & Anastasii* ad Aquas Salvias Monasterii Abbatem, qui sibi nomen sumpsit, *Eugenius Tertius*. De ejus electione cum ad ipsum, tum ad Cardinales, *S. Bernardus* praeclaras Literas dedit. In iis quas scripsit ad *Eugenium*, suspicere est sancti viri libertatem cum caritate conjunctam. *Altiorem*, inquit, *locum sortitus es, sed non tutiorem; sublimiorem, non securiorem. Terribilis profus, terribilis est locus iste. Locus, inquam, in quo stas, terra sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorum, ubi steterunt pedes ejus. Si forte declinaveris a via Domini, sepultus est in eodem loco, ut sit tibi contra te in testimonium .... Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum? Quam cupio illius te hereditare vocem, cujus adeptus es Sedem! Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem...... In omnibus operibus tuis memento te esse hominem ....Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te Prædecessores tui tua certissima & citissimæ decessionis admoneant; & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum annuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta memorare novissima tua, quia quibus successisti in Sedem, sine dubio sequeris ad mortem.*

S. Bernardi ad Eugenium tertium recens electum literæ libero stylo, sed caritatem spirante scripta.

Statim atque electus est *Eugenius*, fugam cum Cardinalibus capessere coactus est, ob seditionem ab Arnaldistis in Urbe excitatam. Viterbium secessit, ibique aliquandiu moram fecit, dum interim Arnaldistæ No-

Arnaldistarum Hæreticorum seditio in Urbe.

Nobiles quosque ac Populum Romanum ad *Jordanem* Patritium, sectæ suæ hominem, quem pulso Præfecto extulerant, accedere compellebant, & Cardinalium, Clericorum, illustriumque virorum Ecclesiæ & Patriæ amantium domos, ipsamque *B. Petri* Basilicam diripiebant, ut *Otto Frisingensis* lib. 7. Chronic. cap. 31. testatur. Romanos gravissimis literis increpuit istius temporis Elias alter *Bernardus* Claræ-vallensis; & *Conradum* Regem Romanorum ad Ecclesiæ defensionem adhortatus est, data ad ejus Majestatem Epistola; *Utramque interesse Cæsaris*, scribens, *& propriam tueri Coronam, & Ecclesiam defensare. Alterum Regi, alterum convenire Ecclesiæ Advocato*. Dum Viterbii ageret *Eugenius*, Legationem Armeniæ & Syriacæ Ecclesiæ suscepit. Legati ab Armenorum Catholico, cæterisque Episcopis missi, divina visione radii super caput Pontificis sacra Mysteria celebrantis immissi, & duarum columbarum ascendentium & descendentium, Romanum Divini Sacrificii Ritum sequendum esse sunt edocti, teste *Ottone Frisingensi*, qui tunc Viterbii præsens erat, lib. 7. Chronici cap. 32.

Armeni Romanum Sacrificii Ritum, sequendum, miracula docentur.

Expeditionem sacram contra Turcas indicit Eugenius III.

Expeditionis in Terram Sanctam procurandæ & promovendæ consilium iniit *Eugenius III.* cum Edessam ab Infidelibus captam audivisset, ac Antiochiæ & Hierosolymis periculum imminere: & ad Bellum sacrum *Ludovicum VII.* Regem Christianissimum, Principes, & universos Fideles in Galliis constitutos, Apostolicis Literis hortatus est: Cruce signatis Plenariam Indulgentiam concessit, eorum uxores, filios, & bona, sub Sedis Apostolicæ protectione suscepit, eos qui ære premebantur alieno, ab usuris de præterito pendendis absolvit; licentiamque dedit ut terras, cæterasque possessiones suas postquam commoniti propinqui aut domini, ad quorum feudum pertinebant, commodare pecuniam recusassent, Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, vel aliis quoque Fidelibus oppignerare possent. [*Epist. I.*] Romanos, confixo prius Anathemate Patritio *Jordane* Arnaldista, coercuit, ac in Urbem regressus est *Eugenius*, ibique pacatis rebus, Natale Domini celebravit anno 1145. Anni sequentis initio, de Expeditione sacra contra Turcas secundum *Eugenii* vota, in Galliis actum est, in Concilio apud Vezeliacum celebrato, cujus meminere Anonymus in Gestis *Ludovici VII.* Tom. 4. Historiæ Franciæ, Mauriniacense Chronicon, & *Ordo de Diogilo*, lib. 1. de Profectione Ludovici Regis in Orientem. De eadem Expeditione deliberatum est in Concilio Carnotensi, ad quod omnes Galliarum Antistites convenere. *S. Bernardus*, qui negotium istud Christi studiis omnibus promovebat, sacræ militiæ veluti Dux & Princeps delectus est, ut ipse testatur Epistola 236. ad Eugenium. Tandem postrema Hierosolymitanæ profectionis capta sunt consilia in Conventu Stampensi, Dominica Septuagesimæ, anno Christi 1147. Sacri Belli classicum in Germania quoque cecinit ferventissimus Prædicator *S. Bernardus*, & ad Crucem sumendam *Conradum* Regem, & plurimos Germaniæ Principes impulit, *Ottone Frisingensi* teste, lib. 1. *de Gestis Friderici Imperatoris*, cap. 39. Nec in Palæstinam solum adversus Turcas, verum etiam adversus Boreales Paganos, indicta ab *Eugenio III.* expeditio est, ad quam Saxones & Dani junctis viribus conspirarunt, ut *Otto Frisingensis* cap. 40. libri primi, & *Saxo Grammaticus* lib. 14. testatur. Duos a Latere Legatos S. R. E. Cardinales pro expeditione in Terram Sanctam decrevit Pontifex, *Guidonem* scilicet qui cum *Ludovico* Francorum Rege, & *Theodinum* Portuensem Episcopum, qui cum Germaniæ Rege *Conrado* proficisceretur.

Concilia Vezeliaci, Carnuti & Stampis celebrata.

Vezeliacum, *vulgo* Vezelay, *urbs & Abbatia O. B. in Diœcesi Augustodunensi.*

Carnutum, *sive* Autricum Carnutum, *vulgo* Chartres, *Episcop. sub Metropoli olim Senonensi, nunc sub Parisiensi.*

Stampa, *vulgo* Estampes, *oppidum* Belsiæ, Beausse, *ad Juinnam fluvium*, *La* Juine, *Diœcesis Senonensis*.

His ita dispositis, *Eugenius III.* tumultuantium semper Arnaldistarum persecutionem fugiens, in Gallias se contulit, ubi a *Lodovico VII.* Rege Christianissimo honorificentissime susceptus est, cui Vexillum, & Apostolicam Benedictionem ad sacram expeditionem dedit, ut *Odo de Diogilo* testatur. Parisiis Synodum habuit, in qua *Gilberti Porretani*, Pictavensis Episcopi, quibusdam erroribus accusati delatam ad se causam discussit, & ad frequentiorem Synodum judicandam remisit. Ea Remis celebrata est 11. Kalendas Aprilis anni 1148. *Eugenio* Præside damnati *Gilberti* errores, Pontificis Patrumque sententia: octodecim Canones conditi, quibus de Clericorum continentia, & modestia in tonsura & vestibus statutum est, & in contumaces Beneficiorum Ecclesiasticorum decreta privatio. Immo suspensionis sententia lata in Episcopos, qui hanc ipsis pœnam non infligerent: *Quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque Rectores*. Sanctimonialium Canonicarum statuta reformatio, cujus duo præcipue capita, Clausura & vita communis, pœna Interdicti, & privationis Christianæ Sepulturæ, decreta in eas quæ Pontificium & Synodicum mandatum non implerent. Ecclesiasticorum negotiorum judicium Laicis vetitum. Decimarum iisdem prohibita possessio. Jussum ut Archidiaconi ex Diaconorum vel Presbyterorum Ordine assumerentur. Conductitii Presbyteri ab Ecclesiis eliminati, sancitumque ut singulis proprius Sacerdos præficeretur; nullius, nisi Episcopi, aut Archidiaconi judicio depellendus. Treuga & Pax confirmatæ. Militum ad nundinas vel ferias pugnæ vetitæ. Clericorum, Monachorum percussores excommunicati, eorumque absolutio Romano Pontifici reservata. Ecclesiarum & Cœmeteriorum Immunitati provisum. Incendiarii Anathemate damnati. Pretii exactio pro Chrismatis, Olei sacri, & Sepulturæ acceptione prohibita. Ordinationes a Schismaticis & Hæreticis factæ, missæ in irritum. Decretum contra Hæreticos, qui in Vasconiæ aut Provinciæ partibus grassabantur, editum est; jussumque ne illos recipere aut fovere quisquam præsumeret, sua pœna Anathematis, & interdicti in eorum terras ferendi. Hæretici illi fuere, *Henricus*, *Apostolici*. & *Eudo*, sive *Eon*, de quibus cap. 4. agemus. *Albericum* Cardinalem, Episcopum Ostiensem, in Tolosanas partes adversus Hæreticos Legatum destinavit *Eugenius III.* Idem Pontifex Sanctæ *Hildegardis* Virginis, in *Monte S. Ruperti* Abbatissæ, spiritum probavit, inquisitione facta per viros graves, & in discretione spirituum perspicaces: eique dona Dei per literas Treviris anno 1148. datas gratulatus, facultatem concessit Revelationes suas proferendi ac scribendi, ut *Theodorus* Abbas in Vita ejusdem Sanctæ Virginis, apud *Surium* ad diem 17. Septembris, & *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi, ad annum MCL. testantur. Infœlicem Orientalis expeditionis exitum luxit *Eugenius III.* & Conradum Regem Romanorum, Hierosolymis reducem consolatus est. (Epist. 6.) *S. Bernardus* ob indictam, quæ tam infauste cesserat, expeditionem calumniam passus, Apologiam scripsit Capite I. libri secundi *De Consideratione* ad *Eugenium III.* Legationem in Germaniam decrevit idem Pontifex pro causa Moguntini Archiepiscopi *Henrici* cognoscenda. Depositum *Henricum* ob rerum Ecclesiasticarum distractionem, Otto Frisingensis lib. 11. de Gestis Friderici cap. 9. commemorat. Translationem Cicensis Episcopi ad Magdeburgensem Archiepiscopatum factam absque Sedis Apostolicæ Authoritate irritam dixit Epistola 8. Apostolico sane pectore digna Eugenii III. Sententia: *Contra Deum, & sacrorum Canonum Sanctiones, nulli omnino petitioni possumus præbere consensum*. Controversiam de Jure Metropolitico inter Cantuariensem Archiepiscopum, & *Bernardum* Episcopum *Sancti Davidis*, composuit *Eugenius III.* [*Epist. II.*] *Henricum I.* Imperatorem in Sanctorum numerum retulit, [*Epistola VII.*] Quartam partem oblationum Canonicis *S. Petri* Romæ concessit [*Epist. IX.*] Coloniensis Ecclesiæ Privilegia confirmavit [*Epist. X.*] Ejus Authoritate Canonicos Regulares Ordinis *S. Augustini* in Ecclesiam Parisiensem Sanctæ *Genovefæ* introduxit *Sugerius* Sandionysianus Abbas, Regni sub *Ludovico VII.* Rege Christianissimo Administer. Ex Regali *S. Victoris* ad muros Parisienses Abbatia duodecim Canonici ad *Sanctæ Genovefæ* translati, ejusdemque Cœnobii Prior *Odo*, primus Abbas institutus est. Testes sunt Literæ *Eugenii III.* ad *Sugerium*, & *Sugerii* ad *Eugenium*, & Acta *S. Willelmi*, apud *Surium*, & Bollandum, ad diem 6. Aprilis. Toletani Archiepiscopi Primatum in cæteras Hispaniæ confirmavit Ecclesias *Eugenius III.* ut constat ex ipsius Epistolis ad *Joannem* Toletanum Archipræsulem, ad *Alfonsum* Hispaniarum Regem, ad Bracarensem, Tarraconensem, cæterosque ejusdem Regni Archiepiscopos, & Episcopos. Prima-

tum

Eugenius III. in Gallias venit.

Concilia Parisiense, Remense.

Summa Canonum. Concilii Remensis Eugenio III. Præside celebrati.

Reformationis Monialium Præcipua capita duo, clausura, & vita communis.

Sancta Hildegardis spiritus Eugenio tertio probatus.

Eugenii tertii Sententia Apostolico pectore digna.

tum in Provincias Bituricensem & Burdigalensem *Petro* Bituricensi Archiepiscopo confirmavit. [*Epist.* 69.] Vezeliacensis Monasterii tuitionem contra Guillelmum Nivernensem Comitem Odonem Burgundiæ Ducem, & Eduensem Episcopum suscepit, ejusque defensionem *Ludovico* Regi Christianissimo commendavit: ut probant plures ejus Epistolæ in Historia Vezeliacensi descriptæ. Cisterciensis Ordinis Constitutiones confirmavit. [*Epist.* 71.] *Anselmum S. Vincentii* Laudunensis Abbatem, Ecclesiæ Tornacensi a longo tempore vacanti consecravit Episcopum: & ea de re ad *Ludovicum VII.* Regem Francorum, & ad Clerum, populumque Tornacensem literas dedit Tomo V. Dacheriani Spicilegii editas. *Tarracinam*, *Setiam*, *Narniam*, & *Arcem Fummonis*, a dominio *S. Petri* jamdiu alienatas recuperavit, ut Codex Vaticanus a *Baronio* laudatus testatur. Viros Religiosos & eruditos *Eugenius III.* dilexit, fovit, ornavit. *S. Bernardum* Claræ-vallensem Abbatem, Patrem suum ac Magistrum, & *Petrum Mauritium* Cluniacensem Abbatem, præ cæteris coluit. Quam honorifice, quam amanter ab ipso Romæ fuisset exceptus, scripsit Petrus Venerabilis ad S. Bernardum: *Numquam*, inquit, *amicum fideliorem, numquam fratrem sinceriorem, numquam Patrem puriorem expertus sum: auris patiens ad audiendum, lingua prompta & efficax ad respondendum; non ut major minori, sed ut aut par pari, aut quandoque ut inferior superiori. Nihil fastus, nihil dominium, nihil majestas, sed totum sibi hominem æquitas, totum humilitas, totum ratio vindicabant. Si quid ibi, vel alibi petii, aut indultum est, aut rationabiliter, ita ut queri non possem, negatum.* Ab avaritia muneribusque recipiendis alienus omnino fuit *Eugenius*, quod probarunt primarii duo Germaniæ Archipræsules, Moguntinus & Coloniensis, qui Romam causas suas acturi adierant, maximisque muneribus ab Eugenio seu gratiam, se justitiam obtinere se posse confidebant. Quæ munera constantissime repulit integerrimus Pontifex, propterea laudatus a *S. Bernardo* lib. III. De Consideratione, cap. III. *Quando*, inquit, *hactenus aurum Roma refudit? Et nunc Romanorum consilio id usurpatum non credimus. Duo venerunt, ambo locupletes, & ambo rei, si quidem unus Moguntinus, Coloniensis alter: Alteri gratia gratis reddita est; alter indignus credo cui gratia redderetur, audivit; Cum quali veste intrasti, cum tali egredieris. O vocem magnificam, vocem prorsus Apostolicæ libertatis! Quid minus ab illa hæc habuit,* Pecunia tua tecum sit in perditionem? *Nisi quod in illa plus zeli, in ista plus modestia sonuit.* Priori cuidam sibi marcam auri ante audientiam offerenti, magna severitate respondit: *Nondum domum ingressus es, & jam vis corrumpere Dominum?* Ita refert *Joannes Saresberiensis* lib 5. *Polycratici*, cap. 55. Humilitatem admirabilem cum Dignitatis excellsitate conjunxit, Vitæque Monasticæ asperitatem, quantum in illo fastigio licuit, sectatus est. Qua de re *Arnoldum* Bonævallis Abbatem lib. 55. de Vita *S. Bernardi*, cap. 8. audire juvat, ubi narrat, quomodo *Eugenius III.* Claræ-vallenses inviserit, antequam e Gallia discederet. *Claramvallem*, inquit, *humiliter visitat, & gloriam Pontificatus Romani pauperum præsentat aspectibus. Mirantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem, & in tam excellenti culmine propositi sancti permanere virtutem, ut altitudini sociata humilitas pro officio exterius splendeat, & pro virtute nequaquam interius innotescat. Adhærebat carni ejus lanea tunica, & diebus & nocti cuculla vestitus, sic cubabat. Intus Monachi habitum retinens, extra se Pontificem & moribus & vestibus exhibebat, rem difficilem agens, diversarum in uno homine proprietatem exprimens personarum. Segmentata ei circumferebantur pulvinaria. Lectus ei palliis opertus, cortina ambiebatur purpurea, sed si revolveres operimenta, invenires superjectis laneis complosa stramina, & paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde; ipse vero bona coram Deo & hominibus providebat. Alloquitur Fratres non sine lachrymis, miscens sermonibus avulsa e corde suspiria, hortatur & consolatur, & se inter eos Fratrem & Socium, non Dominum exhibet vel Magistrum.*

Eugenii III. virtutes.

Eugenii tertii Sanctitas.

Obiit *Eugenius III.* Tibure 7. Idus Julii anni 1153. cum annos octo, menses quatuor, & dies tredecim Ecclesiam rexisset. Ejus corpus in Basilica Vaticana conditum est. In Kalendario Cisterciensi ut Sanctus celebratur. Miraculis post obitum claruisse testatur Anonymus, sed coævus Author, in Tractatu de iis edito, quem Henriquez ex Codice MS. Dunensis Cœnobii publicavit; *Gaufridus* in Vita *S. Bernardi* lib. 5. cap. 11. Chronicon Autissiodorense, *Vincentius Bellovacensis* in speculo Historiali, Fasciculus temporum, & Chronicon Magnum Belgicum. Quibus addendus est Illustris Tullensium Antistes Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano.

Inter Cardinales ab Eugenio III. creatos celebres imprimis fuere *Bernardus*, ex Ordine Canonicorum Regularium ad Eminentissimam Dignitatem assumptus & ab *Hadriano IV.* Portuensis Episcopus renuntiatus, & utriusque Pontificis Legationibus ad *Fridericum* perfunctus. *Jordanus Ursinus*, qui ejusdem Eugenii Legationem obiit in Germania cum *Octaviano* Cardinali. Hunc rerum antiquarum studiosissimum fuisse, scribit *Sansovinus* in Historia Ursinæ Gentis. *Rolandus Bandinellus*, S. R. E. Cancellarius, & summus postea Pontifex Alexander III. *Nicolaus Brakspear*, Anglus, ex Abbate *S. Rufi* in Galliis ad Albanensis Ecclesiæ infulas ab *Eugenio* promotus, ac in Sueciam, Norvegiamque missus Legatus, ubi fidem propagavit, & *S. Henricum* Upsacensem Episcopum consecravit, *Olao* teste. Fuit postea Summus Pontifex Hadrianus IV. *Gerardus Cajetanus*, Pisanus, *Eugenii III.* affinis. *Joannes Sutrinus*, Alexandri III. Legationibus gravissimis postea functus. *Hugo*, Gallus, Monachus Cisterciensis, & Abbas *Trium Fontium* in Catalaunensi Diœcesi ad Ostiensem Episcopatum ab *Eugenio III.* assumptus, vir sanctitatis opinione insignis. *Henricus Moricotus* Pisanus Monachus Claræ-vallensis, Abbas deinde Monasterii *SS. Vincentii* & *Anastasii* extra Urbem ad Aquas Salvias, *Hadriani IV.* & *Alexandri III.* cui contra *Octavianum* Antipapam strenuam operam navavit, præcipuis Legationibus functus. *Hildebrandus* Bononiensis, ex nobili *Grassorum* gente, ex Canonico Regulari, & Rectore Ecclesiæ *S. Geminiani* apud Mutinenses Diaconus Cardinalis titulo S. Eustachii renuntiatus, ac deinde Mutinensis Episcopus ab *Anastasio IV.* creatus. Magister *Odo*, Italus, Brixiensis, qui *Hadriani IV.* Legationem ad Longobardos, & *Alexandri III.* ad Hispanos obiit, ejusdem *Alexandri* partes contra Schismaticos egregie tuitus. *Bernardus* Rechedonensis Pisanus, ex Monacho Claræ-vallensi Titulo *SS. Cosmæ* & *Damiani* Diaconus Cardinalis, vir sanctissimus, a Joanne Saresberiensi ob continentiam, pecuniæque contemptum, in Polycratico celebratus, *Jounet Gallus*, Cluniacensis Monachus, Cœnobii Dolensis in Bituricensi Provincia Abbas, vir eruditus, & in negotiis Ecclesiasticis tractandis strenuus, &c.

Cardinales ab Eugenio tertio creati.

ARTICULUS VIII.

De Anastasio IV. & Hadriano IV.

EUgenio III. successit *Conradus* de *Suburra* Canonicus olim Regularis, & Abbas *S. Rufi* Aurelianensis Diœceseos, in Galliis, ab *Honorio II.* Episcopus Cardinalis Sabinus creatus, ab *Innocentio II.* Pontificis Vicarius, *Homo veteranus & in consuetudine Curiæ exercitatus*, qui nomen sibi sumpsit, *Anastasius IV.* Gerhardum Cardinalem ad finiendam Magdeburgensis Electi Archiepiscopi causam in Germaniam Legatum misit, qui *Friderici* Regis offensionem incurrens, infecto negotio, reversus est, & præ mœrore in itinere decessit. Princeps missis ad *Anastasium* Oratoribus cum *Guicmano* Archipræsule designato non solum facti sui ratihabitionem, sed etiam Pallium pro ipso impetravit ut *Otto Frisingensis* lib. 2. cap. 10. commemorat. Grassante fame ingentes eleemosynas in pauperes profudit pius Pontifex. Vezeliacensis Abbatiæ Privilegia adversus Comitem Nivernensem, & Vezeliacenses oppidanos tuitus est, ut ejus Epistolæ testantur. Canonicos Regulares Lateranenses, & Equites *Sancti Joannis* Hiero-

Anastasius Quartus.

Otho Frising. l.2. c.10.

ro-

rosolymitani Privilegiis adauxit. Defunctus est 3. Nonas Decembris, anno 1154. cum annum unum, menses quatuor, & dies viginti-quatuor Ecclesiam pacifice rexisset. Unicum creavit Cardinalem Episcopum Sabinum, *Gregorium de Suburra*, nepotem ut scribit *Ughellus* in Italia Sacra.

Hadrianus quartus.

II. In locum *Anastasii* electus est *Nicolaus* Albanensis Episcopus. Ex Anglia oriundus erat, patre admodum paupere, qui relicto, cum sæculo, filio impubere, apud *Sanctum Albanum* Monachus factus est. Filius cui Nicolao nomen erat, adolescentiam ingressus, cum propter inopiam Scholis vacare non posset, idem Monasterium quotidianæ stipis gratia frequentabat. Unde pater erubuit, verbisque mordacibus socordiam ejus increpitans, omni solatio destitutum eum gravi indignatione abegit. Ille vero sibi relictus & sortis necessitate aliquid audere coactus, Gallicanas adiit regiones, ingenue erubescens in Anglia vel fodere, vel mendicare. Pervenit ad Monasterium Canonicorum Regularium *S. Rufi*, & quibus potuit obsequiis se ipsis commendare curavit. Et quoniam erat corpore elegans, vultu jucundus, prudens in verbis, ad injuncta impiger, placuit omnibus, ac in eorum consortium adlectus, multum in scientia & eloquentia progressum fecit. Abbate defuncto, ipse summo omnium consensu electus Abbas. Sed cum in exigenda regulari disciplina esset accuratissimus, brevi ipsos pœnituit quod hominem peregrinum sibi ipsis præfecissent, eique deinceps infidi & infesti fuere. Odiis igitur crudescentibus, quasdam contra ipsum querelas ad Sedem Apostolicam detulerunt. *Eugenius III.* pacem Abbatem inter & Canonicos composuit: At non diu quievit nescia quietis malitia, grandiusque intonuit rediviva tempestas. Interpellatus iterum est Summus Pontifex. Utrique ergo parti prospiciens, permisit Canonicis ut alterum Abbatem eligerent. *Nicolaum* vero Romæ retinuit, & Cardinalem Episcopum Albanensem creavit. Inde ad Dacos & Norvegos Legatus missus, eo munere cum laude maxima functus est. Mortuo tandem *Anastasio IV.* Summus Pontifex electus, nomen sibi sumpsit *Hadrianus IV.* Ejus fortunam discimus a *Guillelmo Neubrigensi*, lib. 2. *De Rebus Anglicis*, cap. 6. Pontificatus istius exordia *Arnaldus*, ejusque fautores, novis seditionibus turbarunt. *Gerardus* Presbyter Cardinalis vulneratus, & pene interemptus ab illis est. Pontifex hoc sacrilegium Interdicto ultus; a quo Urbem non absolvit, donec Senatores a Clero Populoque Romano compulsi, veniam a Christi Vicario exorarunt, & *Arnaldum* ejusque sectatores, se ex urbe, & ejus finibus expulsuros jurarunt, ut Acta *Hadriani* ab Annalium Ecclesiasticorum Parente ex Codice Vaticano laudata testantur. Fridericum I. Imperatorem Romæ coronavit *Hadrianus* anno MCLV. (ut refert Otto Frisingensis lib. 11. de Gestis Friderici, cap. 22.) *Willelmum* Siciliæ Regem, Ecclesiæ ditiones infestantem excommunicavit; nec prius absolvit, quam præstito hominio, ea quæ invaserat, Ecclesiæ Romanæ restituisset. Legatos misit Constantinopolim ad *Manuelem* Imperatorem, Literasque dedit ad *Basilium* Acridanum Thessalonicensem Archiepiscopum, de pace inter utramque Ecclesiam concilianda. Respondit *Basilius*, facile coalescere posse unitatem, siquidem nulla erat de summa Fidei dissensio. *Neque enim*, inquit, *aliud novimus fundamentum, quam quod substructum est; eademque tecum prædicamus, & docemus ego, itque omnes, qui ad magnam Apostolicamque Sedem Constantinopolitanam pertinemus. Et unus, qui in utrisque Ecclesiis personat sermo Fidei, idemque sacrificatur Agnus, qui tollit peccata mundi, Christus, inter Occidentales Antistites, qui sub tuum principale culmen agunt, & nos qui ab oriente sole sublimi Constantinopolitana Sede Sacerdotii accepimus splendorem: quamvis parva quædam offendicula in medio interjecta nos separarint, quæ tollere e medio, unitatemque Ecclesiarum sine offendiculo constituere, tuæ Sanctitatis erit, quæ Christi exemplo velut e cœlo prospiciens, distantia in unum congregare vult & potest.* Extant hæ Literæ in Codice Juris Occidentalis.

Legati ab Hadriano IV. missi Constantinopolim de pace inter Ecclesiam Orient. & Occident. conciliranda.

Dissidium inter Fridericum Imperatorem & Hadrianum IV.

Cum Londoniensem Episcopum ab Apostolorum Liminibus redeuntem *Friderici* Imperatoris milites spoliassent, vexassent, & etiamnum detinerent captivum, ut majorem ab ipso pecuniam emungerent, *Hadrianus IV.* Legatos ad Imperatorem misit, *Rolandum* & *Bernardum* S. R. E. Cardinales, qui ipsum circa tanti ultionem sceleris indormientem, & nescio quas ob causas dissimulantem, ad sacrilegos prædones plectendos, & Episcopum in libertatem asserendum excitarent. Bizuntii Comitia tum celebrabat *Fridericus*. Quo ipsum adiere Legati, ejusque Majestati Pontificias Epistolas tradidere, quæ gravi dissidio præbuerunt occasionem ac fomentum propter verba quædam ambigua, quibus Pontifex beneficia Sedis Apostolicæ Friderico in memoriam revocans, innuere videbatur ipsum sibi Imperium debere, ac velut feudum a Romana Ecclesia tenere. *Debes*, inquiebat, *ante oculos mentis reducere, quam gratanter & quam jucunde alio anno Mater tua Sacro-Sancta Romana Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectione tractaveris, quantam tibi Dignitatis plenitudinem contulerit & honoris; & qualiter Imperialis insigne Coronæ libentissime conferens benignissimo gremio suo tuæ Sublimitatis apicem studuerit confovere. Neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus implevisse; sed si majora Beneficia Excellentia tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesia Dei & nobis per te incrementa possint, & commoda provenire, non immerito gauderemus.* Hadriani Literæ gravem offensionem Imperatori & Principibus moverunt, non ignorantibus quosdam Romanorum palam asserere, *Imperium Urbis, & Regnum Italicum, donatione Pontificum, Germaniæ Reges hactenus possedisse, idque non solum dictis, sed & scriptis atque picturis repræsentare.* Unde *Lotharium II.* ad pedes Summi Pontificis *Innocentii II.* Vassalli specie depictum in Palatio Lateranensi videre erat, cum hac inscriptione:

Non patitur Fridericus ut Imperium Summi Pontificis Beneficium dicatur.

Rex venit ante fores, jurans prius Urbis honores:
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Quam picturam & inscriptionem se de medio ablaturum *Hadrianus* Imperatori promiserat; & nihilominus idem Literis suis asserere videbatur. Contentione Principes inter & Legatos orta, dixisse fertur Legatorum alter: *A quo ergo habet, si a Domino Papa non habet Imperium?* Quæ verba tantam offensionem concitarunt, ut *Otto* Palatinus Comes de Bajoaria, prope exerto gladio, mortem Legato Apostolico intentaret, nisi tumultum Authoritate sua compescuisset Imperator. Dimissi in crastinum rebus infectis Legati, cum mandatis ut recta in Urbem reverterentur. Ita refert *Radevicus* Canonicus Frisingensis lib. 1. di Gestis *Friderici I.* cap. 8. 9. & 10.

Remissis Cardinalibus Legatis, *Fridericus* Encyclicas Literas per universum Imperii ambitum scripsit, quibus de Pontificis Legatione & Literis conquerebatur, adversus quas supremam & a quovis Deo inferiore independentem Imperatoris potestatem asserebat. *Cumque*, inquit, *per electionem Principum, a solo Deo Regnum & Imperium nostrum sit, qui in Passione Christi Filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit: cumque Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit*; Deum timete, Regem honorificate: „ *Quicumque nos Imperialem Coronam pro Beneficio a Domino Papa suscepisse dixerit, divinæ institutioni, & doctrinæ Petri contrarius est & mendacii reus erit. Quia vero hactenus honorem ac libertatem Ecclesiarum a manu Ægyptiorum studuimus eripere, & omnia eis Dignitatum suarum jura conservare intendimus: universitatem vestram super tanta ignominia nobis & Imperio condolere rogamus, sperantes ne honorem Imperii qui a constitutione Urbis, & Christianæ Religionis institutione ad vestra usque tempora gloriosus & imminutus extitit, fidei vestræ indivisa sinceritas tam inaudita novitate, tam præsumptuosa elatione, imminui patiatur.* Hæc refert *Radevicus* cap. X. lib. I.

De injuria Legatis & in eorum persona Sedi Apostolicæ illata certior factus *Hadrianus IV.* ad Germaniæ Episcopos Literas dedit, quibus eos hortabatur ut Imperatorem ad officium & ad reverentiam erga Sedem Apostolicam revocarent, & ad satisfactionem

Rai-

Germanorum Episcoporum Consilium.

Rainaldo Cancellario & Palatino Comiti, qui Legatos male affecerant, imperandam urgerent. Responderunt Germani Antistites, se Pontificis Literas, quæ totum Imperium commoverat, approbare ac tueri non posse. Cæterum se admonuisse Principem, sicut jusserat sua Sanctitas, responsumque Catholico Rege dignum ab eo retulisse. *Duo sunt*, inquit, *quibus nostrum regi oportet Imperium, Leges sanctæ Imperatorum, & usus bonus Prædecessorum & Patrum nostrorum. Istos limites Ecclesiæ nec volumus præterire, nec possumus: Quidquid ab his discordat, non recipimus. Debitam Patri nostro reverentiam libenter exhibemus: liberam Imperii nostri Coronam divino tantum beneficio adscribimus ..... In capite orbis Deus per imperium exaltavit Ecclesiam: in capite orbis Ecclesia non per Deum [ut credimus] nunc demolitur imperium. A pictura cœpit, ad scripturam pictura processit, scriptura in Authoritatem prodire conatur: non patiemur, non sustinebimus: Coronam ante ponemus, quam imperii Coronam una nobiscum sic deponi consentiamus. Picturæ deleantur, scripturæ retractentur, ut inter Regnum & Sacerdotium æterna inimicitiarum monumenta non remaneant*. Denique Summum Pontificem orant supplices, ut Imperatoris animum suavioribus literis leniat ac demulceat. *Hadrianus IV.* & Germanorum Præsulum mutuas literas descripsit *Radevicus* coævus Author, lib. 1. de Gestis Friderici cap. 5. & 6.

Prudens Germanorum Episcoporum consilium sequutus *Hadrianus*, ad placandum Imperatorem animum adjecit, Legatosque misit *Henricum* & *Hyacinthum* Cardinales, ad Ecclesiastica & Curialia negotia tractanda aptissimos. Hi cum superatis itineris difficultatibus & periculis, ad *Fridericum* in campestribus Augustæ castrametatum pervenissent, Pontificis literas ejus Majestati reverenter ac modeste obtulerunt; quas *Ottoni Frisingensi* Episcopo legendas & interpretandas tradidit. Iis literis invidiosa priorum verba

Hadrianus Quartus ambigua & invidiosa priorum Literarum verba explicat & excusat.

purgabat *Hadrianus IV.* nec se eo sensu scripsisse profitebatur, *Insigne coronæ beneficium tibi contulimus*, quasi Imperium Sedis Apostolicæ feudum existimaret; sed Beneficii nomen pro bono facto accepisse, quod imponendo coronam capiti Principis ad Imperium electi, & præclaris dotibus tantæ dignitati pari, bene egisset. *Licet*, inquit, *hoc nomen, quod est Beneficium, apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habent, assumatur: tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum, & dicitur Beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in universo Sacra Scriptura corpore invenitur, ubi ex Beneficio Dei, non tamquam ex feudo, sed velut ex benedictione & bono facto ipsius gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidem Magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene & honorifice Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quod quidam verbum hoc, & illud scilicet*, Contulimus tibi insigne Imperialis coronæ, *a sensu suo nisi sunt ad alium retorquere; non ex merito caussa, sed de voluntate propria & illorum suggestione, qui pacem regni & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt; per hoc enim verbum*, Contulimus, *nil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est imposuimus.* Porro his placatus literis *Fridericus*, pacem & amicitiam *Hadriano* Papæ reddidit ut *Radevicus* testatur lib. 1. capp. 22. & 23.

Novum inter Pontificem & Imperatorem dissidium.

Sed brevis fuit de pace Regnum inter & Sacerdotium lætitia: Novi siquidem brevi sparsa fuere semina dissidii. Cum enim Imperatorem hominium ab Episcopis Longobardis ratione Regalium exegisse Pontifex accepisset, ipsum acrioribus literis commonuit, ne id sibi tribuere pergeret, ac ne controversiæ cujusdam, quæ Brixienses inter & Pergamenses intercedebat, judicium sibi sumeret. Quas Literas per vilem & indignum nuntium deferri jussit, qui statim illis oblatis, ab Imperatoris conspectu se subduxit. Prima hæc offensionis caussa; quam altera mox secuta est. Postulaverat *Fridericus* a Pontifice ut *Guidonem* Ecclesiæ Romanæ nobilem clericum, scientia & moribus insignem, Ravennatensis Ecclesiæ Archiepiscopum electum confirmaret. Recusavit Pontifex, quod Romanam Ecclesiam tam pretioso pignore privare nollet. Imperator ignominiæ loco repulsam ducens, vehementer commotus est, indignationemque suam solatus est insolentibus literis, quibus nomen Summi Pontificis postponi suo voluit, & singularis numeri dictionibus ipsum alloqui, contra morem illa ætate, reverentiæ ergo, introductum. Ea res vehementer Pontificem commovit; & periculum erat ne displosis in *Fridericum* Ecclesiæ fulminibus, levius illud dissidium in Schisma erumperet. Quamobrem *Henricus* Titulo *SS. Nerei & Achillei* presbyter Cardinalis *Eberardum* Bambergensem Episcopum per literas hortatus est, ut Ecclesiæ caussam apud Imperatorem ageret, ac sequester pacis inter ejus Majestatem & Sedem Apostolicam esse vellet. Rescripsit *Eberardus*, Imperatorem offensum fuisse Summi Pontificis Literis: caussas offensionis aperuit, *Hadrianum* Papam obviam malis imminentibus ire posse monuit, scribendo leniores literas, & legatos mittendo. Imperatorem diligentes se diligere, ab aliis esse alienum, quia inimicus etiam diligere nondum perfecte didicerat.

Eberardi Bambergensis Episcopi ad Hadrianum Litera de concordia Sacerdotii & Imperii.

Scripsit idem *Eberardus* pietate, doctrina, prudentia spectatissimus Præsul *ad Hadrianum quartum* eum commonens ut scintillas in magnum erupturas incendium extingueret scribendo placide, & benigne ad Imperatorem: eumque paterno affectu demulceret atque ad se revocaret. Præsulis sapientissimi verba præterire nefas arbitror. *Inter vos, Domine, & filium vestrum Dominum nostrum Imperatorem, verbo tenus adhuc aliquid perturbationis est. Timendum valde ne verba verbis obviantia, sua collisione flammam tandem excutiant, quæ se latius diffundat in Sacerdotio & Regno, quod Deus avertat. Ipse filius vester, sicut nostis, Dominus noster est; Vos autem, quomodo Christus, Magister & Dominus. Nemo nostrum audet dicere hinc vel inde, Cur hoc facitis, aut dicitis? Optamus tantum & rogamus ea quæ ad pacem sunt. Quod si liceret salva reverentia, verba singula trutinare & rationem singulorum exigere, non [ut arbitror] expediret: quia potius ignis sine mora discutiendus est, quam de igne, qua de parte venerit, disceptandum ... Omissis illis quæ aliter & aliter secundum varias auditorum & interpretum mentes possunt accipi, dignetur ex integro scribere vestra Paternitas placide & benigne filio vestro Domino Imperatori, & ad se paterno affectu eum revocare, promptum ad exhibendam vobis omnem reverentiam. Samuel David filium amplectatur, nec dimittat a se separari, ut nulla scissura chlamydis fiat*. Has Epistolas apud *Radevicum* lib. 1. cap. 19. legere est.

Gravamina hinc inde proposita, a Pontifice & Imperatore.

Legatos interim ad *Fridericum mittit Hadrianus IV. Octavianum, Henricum, Willelmum* & *Guidonem* S. R. E. Cardinales: qui Pontificis nomine quædam gravamina ejus proponunt Majestati, & sequentia Capitula ab ea firmari ac servari, eodem nomine postulant. Primo ne Imperator nuntios ad Urbem inconsulto Pontifice mitteret, cum omnis urbanus Magistratus, ac Regalia juris sint *B. Petri*. Secundo, ne de dominicalibus, sive de agris & locis ad Romani Pontificis dominium pertinentibus, fœnum & paleæ, aliaque ad equorum pabulum colligantur, nisi tempore Imperialis coronationis. Tertio ut Italiæ Episcopi Sacramentum dumtaxat fidelitatis, absque hominio, Imperatori præstent. Quarto, ne Imperatoris nuntii jus hospitii in Palatiis Episcoporum sibi vendicent. Quinto possessionum Ecclesiæ Romanæ, & tributorum Ferrariæ, Massæ, totius terræ Comitissæ Mathildis, territorii ab Aquapendente Romam usque interjacentis, Ducatus Spoletani, Insularum Sardiniæ & Corsicæ, restitutionem petunt. Sua vicissim contra Pontificem gravamina proponit Imperator, violata pacta de Græcis, de Siculis, de Romanis absque communi consensu non recipiendis. De Cardinalibus sine permissione Imperatoris libere per Regnum transeuntibus, & Regalia Episcoporum Palatia ingredientibus, & Ecclesias gravantibus. De injustis Appellationibus, &c. Ista constant ex Epistola *Eberardi* Bambergensis Episcopi ad Salizburgensem Archiepiscopum cognominem, apud *Radevicum*, lib. 2. cap. 30.

Ad Hadriani postulata respondit Imperator: *Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen*

men & eos de nostris Regalibus nihil delectat habere, qui si gratanter audierint a Romano Præsule, Quid tibi & Regi? Consequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire: Quid tibi & possessioni?

Nuncios nostros non esse recipiendos in Palatiis Episcoporum asserit. Concedo, si forte aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo, & non in nostro Palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt Palatia Episcoporum; cum profecto omne quod ædificatur, solo cedat, nostra sunt & Palatia. Injuria ergo esset, si quis Nuncios nostros a Regiis Palatiis prohiberet.

Legatos ab Imperatore ad Urbem non esse mittendos affirmat, cum omnis Magistratus inibi B. Petri sit, cum universis Regalibus. Hæc res, fateor, magna est & gravis, graviorique & maturiori egens consilio. Nam cum divina ordinatione Imperator & dicar, & sim, speciem tantum dominantis effingo, & inane utique porto nomen ac sine re, si Urbis Romæ de manu nostra potestas fuerit excussa.

Placuit Imperatori & principibus, ut sex Cardinales a Romano Pontifice, totidem Episcopi ab ipso Imperatore eligerentur, qui mutua querelarum capita discuterent, tantæque liti finem imponerent. Sed alias se nolle pacis conditiones *Hadrianus* significavit, præter illas quas ipse *Fridericus* cum *Eugenio III.* pepigerat. Hæc tandem controversia, quæ mutua conventione dirimi non potuit, Pontificis morte finita est. De his *Radevicus* cap. 30. libri secundi *de Gestis Friderici I. Imperatoris*.

Henrico II. Angliæ Regi, Hiberniam occupandi pro Christianæ Religionis propagatione, facultatem tribuit *Hadrianus IV.* Privilegium istud refert *Matthæus Paris* ad annum MCLV. *Ludovicum Septimum* Francorum Regem monuit ne sacram expeditionem in Hispaniam contra Saracenos susciperet, inconsultis illius terræ Principibus: alioqui periculum esse ne bellum absque maturo consilio susceptum infauste cederet. Ejusdem Regis Cancellarium *Henricum*, Parisiensis Ecclesiæ Canonicis commendavit, ut primam Dignitatem in ea vacantem, & domos in Claustro ejusdem Ecclesiæ ipsi concederent: annuitque ut Præbendæ suæ reditibus, etiam absens frueretur. Eidem Archidiaconatum Attrebatensis Ecclesiæ confirmavit, ut constat ex ejus Litteris a *Duchesnio* Tomo. IV. Historiæ Francorum insertis. Eidem Regi tutelam Cœnobii Vezeliacensis commendavit, jussitque Lingonensi, Eduensi, Nivernensi, & Autissiodorensi Episcopis, ut Nivernensem Comitem ob ejus vexatione revocarent, ac pertinacem excommunicarent. Ejus ea de re Epistolas exhibet *Historia Vezeliacensis*, Tomo 3. Spicilegii Dacheriani. Balmense Monasterium, in Diœcesi Bisuntina, Cluniaco subjecit. Extat ea de re Diploma *Hadriani IV.* in Bibliotheca Cluniacensi.

Toletanæ Primatum Ecclesiæ confirmavit, data ad *Joannem* Archiepiscopum Epistola, quam refert *Castejonus* in Opere de Primatu Toletano. *Henrico* Gradensi Patriarchæ Primatum tribuit super Jadertinum Archiepiscopum, & Episcopos ipsi subditos. Eidemque concessit ut Constantinopoli, & in aliis Urbibus Orientalis Imperii, in quibus Veneti plures tunc habebant Ecclesias, Episcopos consecrare posset. Id probant Diplomata descripta a *Ferdinando Ughello* Tom. V. *Italiæ Sacræ*. Vetuit ne defuncto Narbonensi Archiepiscopo illius Ecclesiæ bona quispiam diriperet, aut direpta retineret, sub poena excommunicationis, cujus absolutionem Romano Pontifici, vel ejus a Latere Legato, reservavit. (Epistola ad *Berengarium* Archiepiscopum & Clerum Narbonensem data, quam edidit *Baluzius*, ad calcem Capitis 18. libri 8. Domini *de Marca*, de *Concordia Sacerdotii & Imperii*.) Joannem Saresberiensem, gentilem suum, virum pietate juxta & eruditione conspicuum, maximo in pretio habuit *Hadrianus IV.* intimos animi sui affectus cum ipso communicavit; eique dixit aliquando, Neminem esse Romano Pontifice miseriorem. Se nunquam a natali solo Angliæ malle exiisse, aut in claustro *B. Rufi* perpetuo latuisse, quam tantas subiisse angustias. Cum e claustrali Clerico per omnes honorum gradus ad Sedem Pontificiam ascendisset, nihil umquam fœlicitatis aut quietis vitæ priori adjectum esse ob ascensu. Ita refert *Joannes Saresberiensis*, libro 8. *Polycratici*, cap. 23. Idem cum *Hadriano quarto* de vitiis quæ popularis fama Romanæ Curiæ affingebat, avaritia præsertim insatiabili, & animorum duplicitate, summa libertate disseruit, ut ipse refert lib. 6. *Polycratici*, cap. 24. Profitetur nihilominus, quod res est, nusquam honestiores Clericos se vidisse quam in Romana Ecclesia, aut qui magis avaritiam detestentur. Stupendum illud de *Hadriano quarto* narrat *Joannes Saresberiensis*, quod ita fuerit a bonis Ecclesiæ in propinquos profundendis alienus, ut nec ipsi matri senio confectæ & ad summam egestatem redactæ aliquid ad vitam sustentandam reliquerit. De qua *Alexander III.* ad *S. Thomam* Cantuariensem Archiepiscopum scribebat: *Quid fecit pro nobis Cantuariensis Ecclesiæ amator Hadrianus, cujus mater apud vos algore torquetur & inedia?*

Epist. 24. lib. 1. Quam ex Cod. Vatic. laudat Baronius ad ann. 1159.

Obiit *Hadrianus IV.* Anagniæ anno MCLIX. Kalendas Septembris. Ejus corpus Romam delatum, in Basilica *S. Petri* honorifice conditum est. Sedit annos quatuor, menses octo, dies viginti quatuor. Ipsum scripsisse Catecheses ad Populos Norvegiæ & Sueviæ, Homilias quasdam, librum de Legatione sua & & alterum de Conceptione Beatissimæ Virginis, ad Petrum Pontiniaci Abbatem, Nomenclator Cardinalium, *Ludovicus Jacobus a S. Carolo*, *Hippolytus Marracius* in Bibliotheca & in Pontificibus Marianis, & *Augustinus Oldoinus* in additionibus ad *Ciaconium* referunt.

Inter Cardinales ab *Hadriano IV.* creatos, celebres extitere, *Joannes Pizzutus*, Neapolitanus, ex Monasterio Canonicorum Regularium *S. Victoris* Parisiensis, ad Titulum *S. Mariæ Novæ* assumptus, deinde ad Titulum *S. Anastasiæ* translatus. *Alexandri III.* Legatione functus Constantinopoli, ubi Martyr occubuit, teste Roberto de Monte *Boso*, natione Anglus, ipsius *Hadriani IV.* nepos & Scriba, Monachus Benedictinus ex *S. Albani* Cœnobio vir pius, eruditus & in rebus gerendis strenuus, *Albertus Sartorii, de Morra*, ex ordine Cisterciensi, ut *Guido* Clarævallensis testatur in lib. de Viris Illustribus sui Ordinis, vir doctrina & facundia pollens, S. R. E. Cancellarius ab *Alexandro III.* renunciatus, ejusque Legationibus in in Anglia, & Lusitania functus, tandemque Romanus Pontifex Gregorius VIII. *Guillelmus Matengus* Papiensis, ex Monacho Cisterciensi in Cœnobio prope Mediolanum, ad Eminentissimam Dignitatem assumptus, *Hadriani IV.* & *Alexandri III.* præcipuis Legationibus persunctus est. *Cynthius Guidonis de Papa*, seu *de Paparefchis*, Romanus, *Innocentii II.* nepos. *Joannes ex* Comitibus Signiæ, qui plures Apostolicæ Sedis Legationes obiit, &c.

Cardinales ab Hadriano IV. *creati.*

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 206. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Magna contentio inter Papam & Imperatorem orta, quod palam diceretur Imperatorem a Papa suscepisse Imperium.*

Pagin. 207. *Imperator mittit encyclicas Epistolas per Imperium, ne id ullus amplius auderet asserere.*

Pag. 209. *Papa retractavit quod dixerat, & fatetur non esse Imperium Imperatori a Papa collatum tamquam beneficium*, &c. Uno verbo declarat, *Imperium non pendere a Papa donante.*

R. Dissidium inter *Fridericum* I. Imperatorem & Hadrianum exortum refero propter verba quædam ambigua, quibus Pontifex Beneficia Sedis Apostolicæ Friderico in memoriam revocans innuere videbatur ipsum sibi Imperium debere, ac velut Feudum a Romana Ecclesia tenere. Fridericus encyclicas literas per universum Imperii ambitum scripsit, quibus de Pontificis legatione & literis conquerebatur, adversus quas supremam & a quovis Deo inferiore independentem potestatem suam asserebat. Novis literis ad Imperatorem per Legatos missis invidiosa priorum verba mollivit & purgavit *Hadrianus Quartus*, nec se eo sensu scripsisse professus est, *Insigne coronæ beneficium tibi contulimus*, quasi Imperium Sedis Apostolicæ *Feudum* existimaret, sed *Beneficii* nomen pro *bono facto* accepisse, quod imponendo Coronam capiti Principis ad Imperium electi, & præclaris dotibus tantæ Digni-

gnitati pari, bene egisset. Hæc rei gestæ, narrationisque meæ summa. Meri facti & historiæ res est, ex Pontificis & Imperatoris literis, quarum verba descripsi, necnon ex *Radevico* Frisingensi Canonico & Scriptore coævo lib. 1. *De Gestis Friderici I.* probata. Displicet-ne Religiosis Censoribus quod Imperium Sedis Apostolicæ *feudum* non esse professus sit *Hadrianus Quartus*, idque ego fideliter & absque fuco & exaggeratione narraverim? Volunt ne Regna & Imperia sic *A Papa donante pendere*, ut nisi Papæ placuerit, nec Imperatores ut nec Reges sint, quibus Imperium & Regnum legitima electione vel successionis jure delatum est? Ab hac Sententia non sola Facultas Parisiensis & Ecclesia Gallicana sed Academiæ omnes Christianæ & Ecclesiæ omnes cum Romana communicantes, immo & ipsa Romana Ecclesia, abhorrent. *Bellarmini* quidem libros *de Romano Pontifice* sub Sixti V. Pontificatu proscriptos a Romanis Censoribus notum est, & in librorum prohibitorum Indicem relatos, quod indirectam dumtaxat potestatem summo Pontifici in temporalia Regum tribuisset; directam vero in eorum Regna authoritatem & dominium illi negasset. Sed post Sixti V. obitum nullam proscriptionis hujus habitam rationem, & Eminentissimos Dominos Cardinales tanti viri libros ex Indice librorum prohibitorum expunxisse certum est, ut referunt *P. Faligate & Silvester a Petra Sancta S. I.* in Vita Cardinalis *Bellarmini*.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, pag. 216. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam appingunt: *Dicit forte per ironiam quod Clerus Romanus nec est avarus, nec inhonestus*.

R. De *Joanne Saresberiensi*, qui maxima in gratia fuit apud *Hadrianum Quartum*, scripsi eo loci: *Profitetur nihilominus, quod res est, nusquam honestiores Clericos se vidisse quam in Romana Ecclesia, aut qui magis avaritiam detestentur*. Quod ad Romanæ Ecclesiæ laudem a me observatum est, id *forte per ironiam* a me dictum RR. Censores ariolantur. Qui me, indolemque meam ac mores, religionem ac devotionem in Romanam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam (quod Dei donum est) noverunt, id ab animo meo quam alienum sit, perspectum & exploratum habent. Tam per ironiam id a me dictum non est (Deus testis est) quam per ironiam scriptum non est a Joanne Saresberiensi pio & erudito Carnotensis Ecclesiæ Episcopo. Non de Verbia dumtaxat meis, sed de animo & intentione judicant RR. Censores, usurpato Dei jure qui renes & corda scrutatur. Cum verba sunt innoxia, Catholica, ad laudem florentissimi Romanæ Ecclesiæ Cleri scripta, illa *forte per ironiam dicta* male divinant; qui vel dubia, si quæ fuissent, secundum caritatis & justitiæ regulas debuissent in partem interpretari meliorem.

SCHOLION III.

Ibidem, hanc velut meam propositionem Religiosi Censores notant: *Stupendum quod Pontifex non ditet suos*.

R. Non sic ego; Observatio mea si verbis meis reddatur, innoxia apparebit. *Stupendum*, inquam, *illud de Hadriano Quarto narrat Joannes Saresberiensis, quod ita fuerit a bonis Ecclesiæ in propinquos profundendis alienus, ut nec ipsi Matri senio confectæ & ad summam egestatem redactæ aliquid ad vitam sustentandam reliquerit*. Factum testimonio Joannis Saresberiensis probatum ad laudem *Hadriani Quarti* a me observatum & commemoratum RR. Censores ægre ferunt: An Hadriani Quarti; Pii Quinti, Innocentii XI. Innocentii XII. & similia Sanctorum Pontificum exempla nonnullis ex Ecclesiæ bonis & ærario suos ditantibus proponi vetant?

ARTICULUS IX.

De Alexandro III.

HAdriano IV. Pontifice, duas in factiones Sacrum Cardinalium Collegium divisum erat. Prima numerosior ac potentior, Duce *Rolando* Titulo *S. Marci* Cardinali & R. E. Cancellario, partibus *Guilelmi* Siciliæ Regis contra Imperatorem palam aperteque favebat, & Hadrianum ad pacem cum illo ineundam impellebat, quem defensorem Apostolicæ Sedes haberet, si *Fridericum* infestum pateretur. Pars altera, duce *Octaviano* Titulo *Sanctæ Cæciliæ* Cardinali, *Friderico* Imperatori studebat. *Hadrianus IV.* majorem Cardinalium numerum sibi addictissimum hortatus est, ut eum Pontificem post obitum suum crearent, qui Ecclesiæ jura & libertatem fortiter contra Cæsarem tueretur: non vero *Octavianum*, aut aliquem ex ejus factione, quippe qui Imperatori fœda assentatione servirent, & Ecclesiæ causam proderent. Defuncto itaque *Hadriano*, Cardinales, qui tunc triginta omnino erant, diem tertium Comitiis præscribunt, Nonas Septembris. Quo die in Basilica Vaticana congregati, de Pontificis electione tractarunt. Quatuordecim *Rolandum* Patria Senensem, familia nobili *Bandinella*, quæ postea *Paparona* dicta est, ortum, ex Canonico Lateranensi, non ex Monacho Cisterciensi (ut vult *Henriquez*) ab *Eugenio III.* creatum Cardinalem, & R. E. Cancellarium, *Friderico* Imperatori, a quo fuerat in Legatione contumeliosa habitus, invisum, Pontificem prius elegere. Novem deinde Imperatoris partibus devoti, *Octavianum* earumdem partium in sacro Collegio antesignanum, Pontificem designarunt. Rolandus, *Alexander III.* Octavianus, *Victor IV.* appellatus est. Quinque Cardinales, reliqui, hæsitantes primum consiliisque suspensi, mox ad majorem partem se adjunxere, & suffragiorum numerum ad 19. auxere. Tum quinque ex iis qui *Victori* fuerant suffragati, ad Alexandrum etiam accessere: atque ita 23. Cardinales suffragatores habuit *Alexander*: Quinque tantum *Octavianus*. Hic nihilominus superbia & audacia incredibili, Pontificis vestimentis, quæ per vim eripuerat *Alexandro*, ornatus, faventibus Senatoribus & Nobilibus Romanis *Friderico* Imperatori addictis, Sedem Apostolicam invasit. *Alexander* vim metuens, cum suis Cardinalibus, in Molem *Hadriani* secessit, in qua ab adversa factione conclusi, diebus novem detenti sunt. Tandem populus veritate & æquitate cognita, duce *Hectore Frangipane*, & aliis Nobilibus Romanis Pontificem & Cardinales in libertatem asseruit. Nympham se contulit cum suis *Alexander*, ibique Dominica post festum *S. Matthæi*, ab Ostiensi Episcopo consecratus est. *Victor* vero Antipapa tardius inauguratus est scilicet Dominica 1. Octobris, quod unicum haberet a partibus suis Episcopum Cardinalem. *Alexander* Octavianum ejusque Consecratores Anathemate confixit. Legationes & Literæ ab utraque parte missæ ad Principes. *Fridericus* Imperator, Curiam in speciem Consilii Papiam convocavit, cui sistere se cum renuisset *Alexander*, quinquaginta Episcoporum, quos Imperatoris favor impellebat, sententia damnatus est: & *Octavianus* legitimus Pontifex sub *Victoris IV.* nomine declaratus, ut constat ex *Radevico* lib. 11. *de Gestis Friderici* cap. 64. & sequentibus, quæ varias Schismaticæ partis Epistolas exhibent. *Alexandrum III.* ceu legitimum Pontificem recepere, *Victorem IV.* ut Antipapam rejecere cum Anathemate, Orientales Episcopi in Concilio Nazareno anno 1160. Angli in Concilio apud Novum Mercatum Neustriæ Castrum: Gallicani in Bellovacensi, & Tolosano, anno 1161. celebratis. *Octaviani* intrusio in Laudensi Conciliabulo eodem anno confirmata. *Alexander Julio* Cardinali Vicario Romæ instituto, in Gallias confugit, ubi a *Ludovico VII.* Rege Christianissimo perhonorifice susceptus, apud Montempessulanum habito Concilio anno 1162. in *Victorem* Antipapam, & ejus sectatores, excommunicationis sententiam tulit. Anno sequenti frequentiorem Synodum habuit Turonis, in qua sacræ execrationes in Antipapam *Victorem* & ejus partiarios ac

Schisma Octaviani.

Alexander tertius in Gallias confugit.

Antipapam in Concilio Montispessulani damnat.

Concilium Turonis sub Alexandro Tertio celebratum.

fautores iteratæ sunt & confirmatæ. Canones decem editi. *Primus*, contra Præbendarum divisionem, & permutationem Dignitatum. *Secundus*, contra Clericorum usuras, qui commodata indigentibus pecunia, possessiones eorum accipiebant in pignus, & fructus percipiebant ultra sortem. *Tertius*, contra Laicos Ecclesiastica jura usurpantes; & contra Prælatos, qui ipsis Ecclesiæ decimas, oblationesve concedebant. *Quartus*, contra Albigenses Hæreticos, cum quibus commercium omne prohibet. *Quintus*, contra conductitios Sacerdotes, quos ad Ecclesiarum regimen sub annuo pretio constitui vetat. *Sextus*, contra Simoniam, & Clericorum avaritiam. *Septimus*, contra Episcopos, qui Decanos vel Archipresbyteros ad causarum Ecclesiasticarum judicium, sub annuo pretio constituebant, quod in Sacerdotum gravamen, & judiciorum subversionem redundabat. *Octavus*, Medicinæ praxim, & physicas confectiones, Legumque Civilium lectionem, Viris Religiosis prohibet, ne mundanis rursum actionibus involvantur, & in interioribus eo ipso deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus providere. *Nonus*, contra Schismaticorum Ordinationes. *Decimus* de rerum Ecclesiasticarum immunitate. Obiit *Octavianus* pseudopontifex anno Christi 1164. Ipsi substitutus est a Schismatica factione duorum ipsius Cardinalium superstitum alter, *Guido Cremensis* cui nomen inditum, *Paschalis III.* Anno 1165. a Romanis invitatus in Urbem rediit *Alexander*. Conciliabulum Herbipoli convocavit Imperator Fridericus, in quo *Guidonis* Antipapæ intrusio confirmata, anno 1166. *Alexander* habita Romæ Synodo in Basilica Lateranensi anno 1168. *Fridericum* Imperatorem Schismatis authorem ab Ecclesiæ communione ritu solemni removit, immo Imperio privare aggressus est. Interea *Manuel* Græcorum Imperator legationem misit ad *Alexandrum Tertium*, qua unionem cum Ecclesia Romana spondens, ejusque favorem ad Imperium quoque Occidentis consequendum rogans, non Romam tantum, sed universam Italiam, Sedi Apostolicæ subjugaturum se pollicebatur. Res difficilis *Alexandro* visa; qui tamen Legatos ad *Manuelem* direxit, de Ecclesiarum unitate tractaturos, ut ejus Acta testantur. Anno 1170. mortuo Paschali Pseudopontifice, *Fridericus* Imperator, cæterique Schismatici tertium Antipapam *Alexandro* opposuerunt, *Joannem* Abbatem Strumensem. Tandem Deus Optimus Maximus in cujus manu cor Regis est, *Friderici* Imperatoris animum ad pacem & legitimi Pontificis obedientiam inclinavit. Congressus est cum *Alexandro Tertio* Venetiis, jurataque pace, & Regalium *S. Petri* restitutione, ipse & Teutonici Principes ab excommunicatione sunt absoluti, eumque ut Imperatorem coluit *Alexander*, quemadmodum ipse *Alexandrum* ceu legitimum Pontificem veneratus est. Pax confecta anno Christi MCLXXVII. Pontificatus *Alexandri XVIII.* quo Venetum Concilium ab Annalium Ecclesiasticorum Parente, & Conciliorum Collectionibus consignatur. *Alexandrum tertium Friderici* Imperatoris ad pedes suos prostrati caput pede pressisse ipsique insultasse his verbis ex Psalmo petitis: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*: & læsum imperatorem in ipsum illud intorsisse, *Non tibi, sed Petro*; cui reposuerit Alexander, *Et mihi, & Petro*: putidissima fabula est Authoris coævi qui *Alexandri* Acta conscripsit, *Romualdi* Salernitani Archiepiscopi, qui Concilio Veneto & *Friderici* absolutioni intererat, *Matthæi Paris*, in Historia Anglica ad hunc annum, *Willelmi Tiris*, & *Rogerii de Hoveden* in Annalibus Angliæ, silentio convicta. Sed & *Alexandri* mansuetudo, qui *Joannem Strumensem*, Antipapam a suis *Callixtum tertium* nuncupatum, Schisma ejurantem, anno 1178. tanta benignitate suscepit, ut eum familiaritate sua & mensa dignaretur, teste *Romualdo Salernitano*, probat Pontificem illum alienum prorsus fuisse a fastu & arrogantia, qua *Friderico* Imperatori insultasse jactatur. Extincto schismate, Concilium Generale indixit *Alexander*, prohibendo in posterum schismati, damnandis hæresibus, restaurandæ disciplinæ. Romæ in Basilica Lateranensi celebratum est anno 1179. Inter Œcumenica Undecimum, & Lateranense tertium est. De quo in Dissertationibus. Ante istud Concilium Alexander III. jussit *Willelmo* Senonensi Archiepiscopo ut errorem quemdam *Petri Lombardi*, congregatis Parisios provinciæ suæ Episcopis, damnaret. *S. Thomam* Cantuariensem Archiepiscopum Pallio donavit, & privilegiis auxit *Alexander tertius*, eidemque pro libertate Ecclesiæ adversus *Henricum secundum* Angliæ Regem pugnanti favit. Consuetudines Anglicanas eidem libertati contrarias damnavit, necem Sancti Martyris excommunicatione in parricidas lata ultus est, eumque Sanctorum albo adscripsit anno 1173. Sed quæ S. Thomæ Cantuariensis causam spectant, in Dissertatione singulari exponemus. Inter Sanctos etiam retulit solemni Canonizationis ritu *Eduardum* Angliæ Regem, anno 1161. *Sanctum Bernardum* Clarevallensem Abbatem, *S. Helenam* viduam genere Wisigotham, *S. Canutum* Daniæ Regem, anno 1164.

Conductitios Sacerdotes ad regimen parochiarum assumi nefas.

Medicinæ Praxis, Physicæ confectiones, Legum civilium lectio, Viris Religiosis prohibitæ.

Concilium Romanum.

Fridericus I. Imp. excommunicatur.

Extinctio Schismatis, pax Sacerdotium inter & Imperium sancita.

Concilium Lateranense III.

Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo adversus Henricum III. Angliæ Regem pro Ecclesiæ libertate pugnanti favet Alexander III.

Accepta legatione a Soldano Iconii, Christianæ fidei ardore flagrante, Legatos ad ipsum misit, literasque Catecheticas, anno 1169. teste *Matthæo Paris*. Extant inter Opera *Petri Blesensis*, & inter Epistolas Alexandri XXII in Conciliis Editionis P. Labbè. Ad Æthiopum Regem literas dedit precibus *Philippi* medici sui, qui in illis regionibus peregrinatus, retulerat, Principem Fide Christianum, in aliquibus tamen a Romana Ecclesia dissidentem, optare in omnibus erudiri, & cum Ecclesia Romana consentire, & Ecclesiam Romæ habere pro suæ gentis hominibus; in qua de fide & ritibus Ecclesiæ Romanæ edocti, quæ ibi didicissent, postmodum in patria docerent. Altare quoque Hierosolymis ad S. Sepulchrum sibi concedi rogabat. Literas suas per eumdem medicum legatione ornatum misit *Alexander* anno 1177. Has refert *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis. Inscribuntur, *Illustri & magnifico Indorum Regi, Sacerdotum Sanctissimo*. Quo titulo Reges Abyssinorum gloriantur. Presbyterum Joannem vulgus Europæorum vocat, qui error inde natus, quod Rex Abyssinorum a Persis & Indis *Prester Cham*, id est, *Rex mancipiorum*, quorum magnus advehitur ex Æthiopia numerus, appelletur: Abyssini vero ipsum *Belul Giam*, id est *Gemmam pretiosam* appellant, a vocabulo nempe *Prester Cham*, vel *Giam*, nomen *Preste-Jean*, & *Presbyter Joannes*, interpolatum. *Laurentium*, Dublinensium Archiepiscopum sanctissimum Legatum Apostolicum in Hibernia constituit, ut constat ex illius Vita apud *Surium*, ad diem 14. Novembris, *Alphonsum I.* Portugalliæ Ducem Regio titulo adauxit anno Christi 1179. Cujus rei Diploma *Alexandri tertii* in Turri de Tombo asservatum, & Innocentii III. Literæ ex Codice Vaticano a *Baronio* laudatæ, fidem faciunt. Alexandriæ novæ in Longobardia civitati extructæ, ut contra schismaticos præsidium esset, ac de suo nomine appellatæ, sibique, oblatæ primum Episcopum dedit anno 1180. Legationem misit in Scotiam eodem anno, ad dissidium quod in electione Episcopi *S. Andreæ* ortum erat, componendum; de qua legendus *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis. Varias ad Christianos Principes & Episcopos pro subsidio Terræ Sanctæ literas dedit, quas idem Historicus exhibet. Decretalem Epistolam scripsit ad Episcopos Angliæ contra Investituras a laicis usurpatas seu contra collationes Beneficiorum pleno jure, & absque Episcoporum authoritate. Constitutiones a *Casimiro* Poloniæ Duce pro Ecclesiæ ac Reipublicæ bono editas confirmavit. Upsalensem Archiepiscopum, Regni Sueciæ Gothiæque Metropolitanum, per literas monuit, ut simoniam, plurimaque in disciplinam ecclesiasticam peccata emendari curaret. Epist. (XIX. inter eas quas dedit Sirmondus.) Cisterciensium Monachorum Institutiones confirmavit. (Epist. I. inter eas quas ex Tomo IV. Collectionis Duchesnianæ Francorum Historicorum exhibet Appendix II.) *Petrum* Titulo *S. Chrysogoni* Cardinalem in Gallias Legatum misit. Plures ad *Ludovicum Septimum* Regem Christianissimum scripsit literas, quibus ejus erga Sedem Apostolicam pietatem commendat, & de suo Ecclesiæque statu ejus Majestatem certiorem facit. Disciplinam Regularem in cœnobio *S. Victoris* ad muros Parisienses, restitui jussit, eamque Provinciam commisit *Guillelmo* Senonensi Archiepiscopo, Episcopo Meldensi, & Ab-

Epist. 48.

Epist. 27.

bati

bati Vallis Secretæ, rogavitque Regem Christianissimum *Ludovicum septimum* ut ipsis ad sancti operis executionem faveret. Metropolitanorum authoritati adeo consultum voluit, ut interdictum a Remensi Archiepiscopo latum, ipso inconsulto, relaxare noluerit, quamvis Rex Christianissimus vehementer rogaret. *Minus*, inquit, *honestum esset, ut Sententiam a tanto viro canonice promulgatam sine ejus conscientia facile solveremus*. (Epist. 59. Appendicis II.) Eumdem Principem rogavit ut *S. Thomæ* Cantuariensi Archiepiscopo Episcopatum aut Abbatiam in suo Regno, ad ipsius sustentationem, quamdiu exul esset, concederet. (Epist. 71. secundæ Appendicis.)

Interdictum a Remensi Archiepiscopo latum ipso inconsulto relaxare non vult Alexander III.

Cum *Nicolaus* quidam Turonensis, a Canonico Ecclesiæ *S. Martini* injuriam passus contra conventionem inter eos *Eugenii* III. mandato factam & juramento firmatam, apud Sedem Apostolicam expostulasset; idque ægre tulisset *Ludovicus Septimus* quasi contra Regia jura tentatum, factum *Nicolai* Pontifex excusavit. *Non eo*, inquit, *intuitu hoc fecit, quod crederet Magnificentiam Regiæ Sublimitatis offendere; sed ut de pace sibi temere violata, apud Romanam Ecclesiam, cujus authoritate facta fuerat, & Religione juramenti munita, plenam justitiam obtineret. Sic enim sacrorum Canonum sanxit authoritas, & Imperatores, qui antecessores tui fuerunt, & Reges Francorum, in suis Institutionibus hoc ipsum sanxerunt, quod hi quibus a Clericis injuria irrogatur, eos apud Ecclesiasticos Judices debeant solummodo convenire. Id ipsum præsertim super his, quorum injuriæ infra sacros Ordines peraguntur, de consuetudine Regni tui, usque ad hæc tempora, accepimus observatum. Inde utique fuit, quod prædictus Nicolaus non credens Excellentiam tuæ Celsitudinis minuere, nec juri vel consuetudini Regni tui in aliquo obviare, pro violatione pacis favore Apostolicæ Sedis firmata, nobis suam querimoniam præsentavit. Nos vero non attendentes hoc ad diminutionem honoris & exaltationis tuæ alia ratione accedere, nec credentes Dignitati & Magnificentiæ tuæ in aliquo derogare, qui volumus semper honorem & gloriam exaltationis tuæ augere multipliciter, & ardenti desiderio conservare: Causam ipsam Venerabili Fratri nostro Cenomanensi Episcopo, & illius Ecclesiæ Canonico commisimus terminandam.*

Epist. 78. Append. 2.

Gallicanam Ecclesiam sua disciplina, suisque moribus uti, & secundum illos judicare permisit prudentissimus & æquissimus Pontifex; etiamsi Romanorum Pontificum Decretis, & Ecclesiæ Romanæ disciplinæ ac moribus repugnarent. Id constat ex ejus Responso ad Ambianensem Episcopum, a quo fuerat interrogatus, quomodo gerere se deberet in causa mulieris, quæ a viro impotente & leproso, a quo nusquam cognita fuerat, separata, alteri nubere volebat. Sic autem respondet Alexander III. *Licet Ecclesia Romana non consueverit propter naturalem frigiditatem, nec propter alia maleficia, legitime conjunctos dividere; si tamen consuetudo generalis Gallicanæ Ecclesiæ habet, ut hujusmodi matrimonium dissolvatur, nos patienter tolerabimus, si secundum illam consuetudinem, eidem mulieri, cui voluerit, nubendi in Domino concesseris facultatem*. (Lib. IV. Antiquæ Collectionis Primæ Decretalium, ab *Antonio Augustino* editæ, Tit. XVI. *De Frigidis & Maleficiatis*, cap. *Quod Sedem Apostolicam*.)

Gallicanam Ecclesiam sua Disciplina & moribus uti permittit Alexander III.

Ordinem Militiæ S. Jacobi in Hispania approbavit *Alexander III.* Diplomate quod incipit *Benedictus Deus*. Ordinis Carthusiani domos sub Sedis Apostolicæ tuitione suscepit, & Privilegiis munivit, Diplomate ad *Guidonem* Priorem Carthusiæ dato, quod incidit: *Cum vos per Dei gratiam*. Statuta Præmonstratensis Ordinis confirmavit Diplomate quod incipit: *In Apostolicæ Sedis*, quod in Chronico Præmonstratensi refert Miræus. Decretales sui temporis Epistolas in unum volumen redactas, *Consulta Alexandri* inscribi voluit. Plures illius Decretales insertæ sunt libris Decretalium a *S. Raymundo* jussu *Gregorii Noni* adornatis. Prior inter antiquas Decretalium Collectiones, a *Bernardo* Papiensi Præposito compilata, quam *Antonius Augustinus* edidit, ex *Alexandri Tertii* & *Lucii Tertii* Constitutionibus maximam partem constat. Ex iis etiam magna ex parte confecta est Collectio illa, quæ Concilio Œcumenico Lateranensi III. Appendicis instar subjicitur ab Editoribus Conciliorum, quam *Alano* veteris Juris Canonici Doctori tribuit *Antonius Augustinus*. Obiit laudatissimus Pontifex 6. Kalendas Septembris, vel (ut alii volunt) 12. Kalendas Octobris, anno MCLXXXI. cum annos XXII. minus septem diebus, Ecclesiam rexisset. Quo post *S. Petrum* usque ad ipsius tempora, si *S. Silvestrum & Hadrianum primum* excipias, nemo diutius Pontificatum gessit.

Inter Cardinales ab Alexandro III. creatos celebres extitere, *Conradus de Wittelesbach* Comes Palatinus Rheni, Imperatoris *Friderici* consanguineus, Moguntinus, Sabinensis, Salizburgensis Episcopus, Titulo *S. Marcelli* Cardinalis. *Manfredus*, patria Senensis, ex ordine *S. Benedicti* assumptus, Episcopus Prænestinus. *Oderisius*, Crescentii Marsorum Comitis filius, vir pietate & doctrina insignis, ex eodem Ordine. *Berneredus* Cœnobii SS. Crispini & Crispiniani Diœcesis Suessionensis Abbas, O. B. ad Concilium Lateranense cum *Nevelone* Suessionensi Episcopo profectus, & Romæ Cardinalitiis Infulis & Episcopatu Prænestino a Summo Pontifice ornatus, ad quem una *Stephani* Tornacensis Episcopi, plures *Petri Cellensis* extant Epistulæ. Ejus Sanctitas miraculis comprobata est eodem *Petro Cellensi* teste in Epistola ad Episcopum Tusculanum. *S. Galdinus*, Mediolanensis, ex *Sala* familia, Cardinalis, Archiepiscop. Mediolanensis, & in Gallia Cisalpina Sedis Apostolicæ Legatus, qui multam *Alexandro III.* contra Shismaticos operam navavit; cujus memoria in Martyrologio Romano 14. Kalendas Maii celebratur. *Theoduinus*, ex Mantoano Cœnobio Ordinis Benedictini ad Titulum *S. Victoris*, mox ad Portuensem Episcopatum assumptus, & *Alexandri III.* Legatione in Angliam functus, ut *Henricum II.* Regem a culpa necis *S. Thomæ* absolveret, eique pœnitentiam injungeret. *Petrus de Bona*, Veronensis, ex Canonico Regulari *S. Mariæ de Rheno*, Presbyter Cardinalis Titulo *S. Susannæ*, unus ex septem patribus, coram quibus *Fridericus* Imperator Schisma ejuravit. *Petrus*, Presbyter Cardinalis Titulo *S. Chrysogoni*, plurimis *Alexandri III.* Legationibus functus, sed præcipuam obiit in Galliis contra Hæreticos Albigenses, in qua *Guarinum* Bituricensem & *Petrum* Narbonensem, Archiepiscopos, necnon *Henricum* Abbatem Claravallensem, Collegas habuit. Scripsit egregiam contra Hæreticos illos Epistolam, quam *Rogerius de Hoveden* Annalibus suis Anglicanis inseruit. *Vivianus Thomasius*, Urbevetanus Archidiaconus, & Advocatione Romanæ Ecclesiæ bene administrata conspicuus, ut scribit *Joannes Saresberiensis* ad Episcopum Pictavensem, Titulo *S. Stephani in Cœlio Monte* Presbyter Cardinalis, Legatus in Angliam ab *Alexandro tertio* missus ad placandum *Henricum secundum* Regem *S. Thomæ* Cantuariensi Archiepiscopo infensum, & pacem Ecclesiæ procurandam. *Hugo*, Romanus, ex *Petri Leonis* familia, Diaconus Cardinalis Titulo *S. Angeli*, deinde Presbyter Titulo *S. Clementis*, Alexandri III. Legatus in Anglia, Scotia, & Gallia. *Magister Laborans*, vir Theologiæ & Juris Canonici peritissimus, qui Quadripartitum Opus *De Justi Justitiæque rationibus* ad *Majonem Bariensem* Magnum Siciliæ Ammiratum scripsit, teste *Antonio Beatillo*, in Historia BarICOSI. Edidit etiam Tripartitum Opus *De vera Libertate*, Epistolam *De Appellationibus*, ad *Vivianum* Cardinalem, & alteram contra Sabellianos reviviscentes: Canonum prætera Decretorumque Compilationem, ut Nomenclator Cardinalium & *Turrigius* testantur; Cardinalis primum *S. Mariæ in Porticu*, deinde *S. Mariæ Trans Tyberim*, ab *Alexandro tertio* creatus est, magnisque Sedis Apostolicæ Legationibus perfunctus. *Herebertus Boshan*, Anglus, Doctor Oxoniensis, Theologus & Jureconsultus insignis, *S. Thomæ* Cantuariensi Archiepiscopo ab Epistolis, de cujus Gestis librum edidit, ab *Alexandro tertio* Cardinalis, & a *Lucio tertio* Beneventanus Archiepiscopus creatus dicitur. De Cardinalitia ipsius Dignitate non adeo certa sunt monumenta. *Ciaconius* tamen, Nomenclator Cardinalium & Turrigius in lib. de Scriptoribus Cardinalibus ipsum in Ordine Eminentissimo collocant. *Petrus Papiensis*, ex Mantuano Ordinis Benedictini Cœnobio, ut *Arnoldus* Uvion probat, ad Tusculanas Cardinalitias infulas ab *Alexandro tertio* promotus; ad quem *Petrus Cellensis* plenas officii Literas dedit. *Arduinus*, ex Ordine Canonicorum Regu-

Cardinales ab Alexandro III. creati.

gularium vir doctissimus, ab *Alexandro III.* Presbyter Cardinalis *S. Crucis in Jerusalem* creatus. *Gratianus*, Pisanus, *Alexandri III.* Legationibus ad Regem Anglorum functus, in quibus integritatis, & Ecclesiasticæ fortitudinis specimen præbuit. *Henricus*, Gallus, Clarevallensis Abbas, vir eruditus & sanctus, Concionator serventissimus, *Petri* Cardinalis Sedis Apostolicæ Legati, & Archiepiscoporum Bituricensis & Narbonensis, in Albigensium expugnatione socius, ab *Alexandro III.* ad Lateranense Concilium vocatus, & Cardinalis Episcopus Albanensis ereatus multis Legationibus, & laboribus pro Ecclasia persunctus. *Gerardus*, Gallus, ex Archidiacono Eduensis Ecclesiæ, *S. Stephani in Cœlio Monte* Prebyter Cardinalis, in Hibernia, Scotia, & Norvegia anno 1176. Legatus, teste *Rogerio de Hoveden* in Annalibus Anglicanis. *S. Petrus de Ursinis*, Romanus, ea nobilissima Ursinorum familia. *Theobaldus*, Gallus, O. B. Congregationis Cluniacensis Monachus, & Abbas, quem sibi vindicant Cistercienses, ab *Alexandro III.* Presbyter Cardinalis Titulo *Sanctæ Crucis in Jerusalem*, a *Lucio III.* Episcopus Ostiensis renunciatus. *Guillelmus* Gallus, *Theobaldi* Magni, Campaniæ & Blesensium Comitis filius, Carnotensis primum Episcopus, deinde Senonensis, ac demum Remensis Archipræsul, Presbyter Cardinalis Titulo *S. Sabinæ*, qui nepotem Philippum Augustum Regem unxit, ac sub eo Regni fuit Administer; Sedis Apostolicæ Legationibus, in Germania, Anglia, & Gallia ornatus est &c. Ad Alexandri III. literaturam paucos ex ejus Prædecessoribus infra centum annos attigisse *Robertus de Monte* observat. *Fuit enim*, inquit, *in divina Pagina præceptor maximus, & in Decretis, & Canonibus, & Romanis Legibus præcipuus: Nam multas quæstiones difficillimas & graves in Decretis & Legibus absolvit & enucleavit.*

Alexandri III. eruditio.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 225. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Tentatum aliquid contra Jura Regia ægre tulit Rex Francorum: Factum excusat Papa.*

R. Alexandri III. gesta persequor hunc in modum: *Cum Nicolaus quidam Turonensis, a Canonico Ecclesiæ S. Martini injuriam passus, contra conventionem inter eos Eugenii III. mandato factam & juramento firmatam, apud Sedem Apostolicam expostulasset; idque ægre tulisset Ludovicus VII. quasi contra Regia Jura tentatum, factum Nicolai Pontifex excusavit.* Pontificis verba ex ejus Literis descripsi. Meri facti & Historiæ res est.

SCHOLION II.

Eidem Articulo, pag. 226. Edit. primæ, hanc notam appingunt Religiosi Censores: *Papa Gallicanæ Ecclesiæ concessit uti suis Juribus: Quamquam id factum sit contra consuetudinem Romanæ Ecclesiæ. Ad Gallicanos remittit solutionem cujusdam Matrimonii.*

R. Quod Censorii Indiculi Authores suis verbis notant, stylo meo sic expressi de eodem Pontifice loquens: *Gallicanam Ecclesiam sua Disciplina, suisque moribus uti, & secundum illos judicare permisit prudentissimus & æquissimus Pontifex, etiam si Romanorum Pontificum Decretis, & Ecclesiæ Romanæ Disciplinæ ac Moribus repugnarent. Id constat ex ejus Responso ad Ambianensem Episcopum a quo fuerat interrogatus quomodo se gerere deberet, in causa Mulieris, quæ a Viro impotente & leproso, a quo nusquam cognita fuerat, separata, alteri nubere volebat. Sic autem respondet*, &c. Pontificis verba fideliter refero. Mera Facti & Historiæ res est.

Nota.

Errasse Alexandrum III. non desinit Bossuet adnotare *in defens. Declarat. p. 2. l. 14. cap.* 40. & 41. quia scribendo Ubaldo episcopo Ostiensi, &c. ut *ex cap. cum esse de testam.* dixerit alienum esse a divina lege, & SS. PP. statutis ad testamenti valorem ultra duos vel tres testes exigere. Verum commode Alexander ab omni errore vindicatur dicendo, non quod voluerit lege divina sancitum non posse plus quam duos vel tres testes ad testamenti valorem adhiberi, sed solum ex eadem lege duos vel tres sufficere. Ex hoc movetur ad reprobandam consuetudinem in Ecclesia Vellitrensi receptam, qua rescindebantur testamenta, quæ non fuissent saltem quinque testium subscriptione roborata; cum enim ibidem, utpote quia etiam in temporalibus Romanæ Ecclesiæ subjecta esset, potissimum jus canonicum esset observandum, duorum vel trium testium præsentia sufficiens erat reputanda, cum nec major numerus desideraretur ex lege divina, ex qua in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, ex PP. statutis, & ex generali Ecclesiæ consuetudine.

Cæterum semper præter rem hujusmodi urget Bossuet adversus Pontificis definientis infallibilitatem; neque enim solemniter docere, seu definire dicimus Romanos Pontifices in suis epistolis decretalibus, ut in infra adnotabo.

Nota.

Non desiuit etiam Bossuet urgere Alexandrum III. *cap. licet præter solitum*, quorumdam suorum Prædecessorum errata adnotare. Postquam etenim ibidem respondit valere conjugium per verba de præsenti contractum, neque dissolvi per aliud postea initum, quamvis in hoc copula intercesserit, fatetur quosdam suos Prædecessores aliter judicasse, in quo certo a veritate deviarunt. At ubi Bossuet hujusmodi contra Pontificis solemniter definientis infallibilitatem opponit, oportebat primum demonstrare in his judiciis, Pontifices solemniter definire intellexisse. Agnoverat idem ex Nicolao nondum satis exploratum antea fuisse, an subsequens matrimonium consummatum antecedens solummodo ratum dissolveret; unde factum est diversos Antistites hac de re S. Sedem consuluisse. Quidam Alexandri Prædecessores pro parte affirmativa judicarunt, hoc est, opinati sunt, quod non est definire, sed mentem tantum suam ut privatum Doctorem exponere.

Ex eadem ratione quoad matrimonia eorum, qui impotentia, ac frigiditate laborabant, diversa erat consuetudo Romanæ Ecclesiæ ab ea, quæ in Gallia servabatur; unde quia nondum ex Ecclesiæ definitione quid agendum esset constaret, utraque Ecclesia ex probabilibus rationibus de validitate, seu invaliditate hujusmodi matrimonii judicare autumabat.

ARTICULUS X.

De Lucio III.

Celebratis *Alexandri III.* exequiis, *Hubaldus Allucingolus* patria Lucensis, Ostiensis Episcopus, & Sacri Collegii Decanus, vir ut ætate, sic prudentia gravis, & vitæ ante actæ innocentia conspicuus, mediocris licet literaturæ, Legationibus *Innocentii III.* in Galliis, *Eugenii III.* in Sicilia, *Alexandri III.* ad Fridericum Imperatorem, pro componenda pace, cum laude perfunctus secundum formam in Concilio Lateranensi III. præscriptam electus est Pontifex, & 3. Kalendas Septembris anni 1181. coronatus, nomenque sibi sumpsit *Lucius III.* Temporalem Romanorum Pontificum authoritatem a Senatus Populique Romani servitute vindicare meditabatur, cum excitata eam ob causam plebis seditione, ex Urbe secedere compulsus est. Veronæ cum Imperatore *Friderico I.* congressus, de Christianæ Reipublicæ rebus in Asia labefactatis, & de sacra Expeditione contra Turcas ducenda, qui *Saladino*, Rege Ægypti duce, Hierosolymorum fines & totam late Palæstinam populabantur, tractavit. *Henricum II.* Angliæ Regem ad arma pro eadem causa capessenda, ferendumque Christianis ibi gementibus præsidium, datis ad ejus Majestatem literis hortatus est. Veronam confluxerat ingens Clericorum numerus, qui Schismate fœdati

Lucii Tertii cum Friderico Imperatore Colloquium.

Epist. 2.

dati, absolutionem & in gradus Ecclesiasticos restitutionem a Summo Pontifice deprecabantur. Pro illis intercedebat Augustus, & ad gratiam ipsis faciendam Pontifex propendebat; sed mutato consilio respondit, se Venetianæ Synodi, in qua damnati fuerant, Decreta nisi de alterius Synodi sententia rescindere non posse, quam brevi se coacturum pollicitus est. Ita refert *Albertus Krantzius* lib. 6. *Saxoniæ*, cap. 47. De *Mathildis* Comitissæ patrimonio in illo etiam congressu actum est, quod *Fridericus* Imperio vindicabat. Causa diu ventilata, nihil concludi potuit (inquit idem Historicus.) Orta dissensione in electione Archiepiscopi Treverensis, cum *Rodulphum* a minori parte electum foveret Imperator, *Volmarus* a majori & saniori parte electus, ad Sedem Apostolicam appellavit. Augustus causam examinari voluit a quatuor viris Juris utriusque peritissimis. Sed eorum disputatione minime finita est. Pontifex erat in *Volmarum* propensior; at pertinax Imperatoris pro *Rodulpho* studium ipsum a ferenda sententia prohibuit, ne pax Imperium inter & Sacerdotium ea occasione dirimeretur, ut ibidem testatur *Krantzius* pag. 169. Missis deinde ad Pontificem Oratoribus, ejus Sanctitatem *Fridericus* rogavit, ut filium suum *Henricum*, se superstite, Imperatorem coronaret. Id vero Pontifex recusavit, monstrum fore dicens, si in eodem corpore, scilicet Imperio, duo capita constituerentur; teste eodem Krantzio. *Willelmum* Scotiæ Regem, olim a *Rogerio* Eboracensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato, excommunicatum absolvit, & Regnum ab interdicto relaxavit *Lucius III.* qua de re extat ejus Epistola ad Episcopos & Clericos Scotiæ data, quam describit *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis pag. 616. Plura *Lucii III.* Decreta in 1. & 2. Collectione antiqua Decretalium ab *Antonio Augustino* edita legere est, quorum aliqua, data occasione laudabimus, cum de Politia Ecclesiastica sermo erit. Ad *Lucium III.* scripsit *Philipphus Augustus* Rex Francorum, ipsumque rogavit ut *Willelmum a Campania*, Remensem Archiepiscopum, quem Romam ab ipso Pontifice vocatum retinuerat, ut suæ Majestati rebusque Gallicis maxime necessarium, in Regno manere permitteret. Extant ea de re *Philippi Augusti* Literæ inter Epistolas Stephani Tornacensis, quibus scribendis ipse *Stephanus* calamum & stylum commodavit, ad easque offerendas, missus ab ejus Majestate Romam fuit, cum adhuc Abbas esset *Sanctæ Genovefæ*.

Epist. CI. *Edit. P.* Du-Moulinet *Canonici Regularis.*

Recreduit *Lucio Tertio* Pontifice, controversia dudum exorta inter Archiepiscopum Turonensem, & Episcopum Dolensem, qui Archiepiscopum se inscribens, & Britanniæ minoris Metropolitanum, Turonensis Metropoleos jurisdictioni se cum totius Aremoricæ Episcopis subduxerat. *Lucius Tertius* in partes Dolensis Episcopi, quas Britanniæ Dux fovebat inclinare videbatur, & Archiepiscopum Turonensem Romam vocaverat ut jus suum tueretur.

Philippi Augusti Regis Christianissimi Literæ ad Lucium Tertium pro Juribus Ecclesiæ Turonensis.

Hunc vero *Philipphus Augustus* retinuit, & rationes exposuit Pontifici Maximo, datis ad ejus Sanctitatem Literis, eamque rogavit ne Turonensis Ecclesiæ, immo Regni Gallici dignitatem imminueret, vel imminui pateretur. Extant *Philippi Augusti* Literæ inter Epistolas *Stephani Tornacensis*, ab ipso tunc Abbate *S. Genofevæ* scriptæ. Incipiunt a commemoratione beneficiorum a Regibus & Regno Francorum in Ecclesiam Romanam collatorum. *Si oblivisci,* (inquit,) *potuerit Mater Filiorum uteri sui, & Ecclesia Romana Regni Francorum oblivionem assumet,*

Epist. CVII.

cum utrumque de jure sit impossibile, de natura difficile, de facto enorme. Quid enim ultra facere debuimus Matri nostræ, & non fecimus ei? Usque in hodiernos dies in Partibus nostris cum gaudente gavisi sumus, cum flente flevimus; utrumque calicem passionis & lætitiæ, sine simultatis dolo aut discordia combibentes, persecutiones ipsius, quæ frequentius acciderunt, Patres nostri Reges Francorum & robustis portabant humeris & extentis brachiis defendebant. Exempla proponere, retractare est beneficia, quorum debet is in quem collata sunt, non qui contulit, meminisse. Tum de causa Turonensis Metropolitani subdit: *Carissimum ac fidelem nostrum Turonensem Archiepiscopum, suggestione quorumdam & favore, ut dicitur, cujusdam infra brevissimi temporis angustias vocatis, ut de causa, quæ magis nostra est, quam sua respondeat, & statum coronæ in ancipiti statera ponat, periculosum sane & ignominiosum nobis & posteris qui succedent. Proinde Sanctitati vestræ preces ex toto corde prodeuntes fundimus, ut intuitu Dei, & pacis Regni Francorum, quæ in hoc articulo, si processerit, peritura est, a causa ista penitus desistatis. Sed sicut temporibus Antecessorum nostrorum Turonensis Ecclesia Metropolitanum suum in tota minori Britannia obtinuit, ita diebus nostris, quos perturbare nec debetis, nec vultis, obtineat & observet. Quod si forte, quod non credimus, inexorabilem vos invenerimus, usque ad congruum tempus, quo Dominus pacem & quietem Regno nostro dare voluerit, Archiepiscopo nostro Turonensi dilationes indulgeat benignitas vestra; quoniam propter necessarias Regno nostro causas eum retinuimus;*

Rex Turonensem Archiepiscopum a Lucio Tertio Romam vocatum retinet, ac Pontifici excusat.

Primo propter difficillimam quam cum Comite Flandriæ guerram habemus. Secundo propter motus plusquam civiles, qui in Provincia Britannia insurgunt inter Principes ejusdem Provinciæ, & Regis Anglorum Filios. Tertio propter proximum colloquii terminum, quod cum Imperatore, post Pascha, Deo volente, sumus habituri. In quibus omnibus ipsius Archiepiscopi præsentia, industria, consilio, & auxilio indigemus. Sciat autem Paternitas vestra, quoniam in generali Conventu nostro, quem initio Quadragesimæ, propter hanc causam, & alias Regni necessitates Parisiis convocavimus, consilio Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac Baronum nostrorum, prædictum Archiepiscopum ab incœpto itinere retinuimus; ut pernecessarium nobis, & utilem rebus incœptis, & per Dei gratiam ad honorem Regni nostri peragendis.

Cum vero Inducias concedere *Lucius Tertius* recusaret, ac propenderet in Britones, *Philippus Augustus* paulo amariores Literas ad ipsum scripsit, quarum hic erat tenor: *Clausa nobis & Regno Francorum, quod hactenus Ecclesiæ Romanæ fidelissimum extitit, paterna viscera vestra, saltem in dilatione quam pro Ecclesia Turonensi postulavimus, sentientes, & inexorabilem animum vestrum, non sine confusione nostra nunc experti. Cœlum & terram in testimonium vocamus, ut si quando Regias aures nostras vobis aut Fratribus vestris clauserimus, excusabiles valeamus apud Deum & homines apparere. Sustinemus pacem vestram, & ecce turbatio, & in læsione Turonensis Ecclesiæ, quæ tempore Patrum nostrorum integram Metropolitani jurisdictionem in tota minori Britannia obtinuit, Regnum nostrum turpiter imminuere ac mutilare contendit Ecclesia Romana, coronam de capite nostro dejicere, frangere & pedibus conculcare. Quid enim aliud est, Archiepiscopum in eadem Provincia contra Metropolitanum suum, & hereditatem Regni nostri erigere velle, quam ab hereditate Patrum nostrorum nos, tamquam imbecilles & resistere non valentes, ejicere & fugare? Videat Dominus & judicet, quod si processerit factum istud, minus amodo vos æstimabimus Patrem, quam Vitricum, minus sentietis nos Filium, quam Privignum. Usque ad animam nostram pertinget gladius iste, ut exheredati clamemus, plangamus nudati, contempti & abjecti a vobis ultionem quandoque Dei & hominum expectemus. Neque enim solummodo vulnerabit nos plaga ista, sed & omnes totius Regni Barones in compassionem accendet, ut de manu vestra requirat Dominus aliquando sanguinem qui propterea fundi potest.*

Apud Stephanum Tornacensem, Ep. 108.

Obiit *Lucius III.* Veronæ VII. Kalendas Decembris anno MCLXXXV. Pontificatus anno V. per menses duos & dies viginti-septem inchoato. Corpus ejus in Ecclesia Cathedrali Veronensi conditum est. Cui Poeta non ineptus hoc Epitaphium scripsit.

Luca dedit Lucem tibi, Luci, Pontificatum
Ostia: Papatum Roma: Verona mori.
Immo Verona dedit tibi Luci gaudia; Roma
Exilium: Curas Ostia: Luca mori.

Inter Cardinales a *Lucio III.* creatos celebrantur *Hubertus* & *Gerardus Allucingoli* ejus agnati, quorum posterior Legationibus *Lucii Tertii* ad Spoletinum Ducem absolvendum, in Umbria; *Cælestini Tertii* in Galliis, *Innocentii Tertii* in Sicilia functus est. Magister *Pandulphus Mosca* Pisanus, a *Callisto Secundo* Sacri Palatii Apostolici Subdiaconus ordinatus, vir eruditus, qui Vitas Romanorum Pontificum scripsit,

Cardinales a Lucio Tertio creati.

a *Lu-*

a *Lucio Tertio* ob egregia merita Cardinalis *Basilicæ SS. XII. Apostolorum* creatus, *Cœlestini Tertii & Innocentii Tertii* Legationibus functus. *Bobo de Ursinis*, Titulo *S. Angeli* primum Diaconus Cardinalis mox Titulo *S. Anastasiæ* Presbyter. *Octavianus*, Nobilis Romanus, Sedis Apostolicæ Legationibus plurimis perfunctus, a Clemenre III. ex Diacono Cardinalis *SS. Sergii & Bacchi* Episcopus Ostiensis ac Veliternensis renunciatus. Ad ipsum Legatione in Anglia & Scotia fungentem *Petrus Blesensis* Epistolam dedit 23. qua ipsum hortatus est, ut ambitione & simoniæ cauterium apponeret, eosque ordinari curaret Episcopos, *quos humilitas*, *quos innocentia*, *quos vita probatior & literatura* commendabat. Ad hunc etiam scripsit *Philippus Augustus* Rex Christianissimus pro jure Turonensis Archiepiscopi contra Dolensem Episcopum; Est inter Stephani Tornacensis Epistolas CIX. Magister *Galfredus*, seu (ut alii vocant) *Soffredus de Cajetanis*, nobilis Pisanus, a *Lucio Tertio* Cardinalis Diaconus *S. Mariæ* in Via Lata, a *Cœlestino Tertio* Presbyter Titulo *S. Priscæ* renunciatus, *Urbani Tertii* Legatione in Longobardia, *Innocentii Tertii* ad Venetos, & in Syria tempore Sacræ Expeditionis perfunctus est, ac Hierosolymitanus Patriarcha designatus; quam Dignitatem recusavit. Ipsum ceu *Virum nobilem & honestam, facundum & literatam, in temporalibus providam, in spiritualibus circumspectam* Innocentius III. prædicat. Magister *Albinus* Mediolanensis, Canonicus Regularis Monasterii *Sanctæ Mariæ de Crescentiaco*, primo Diaconus Cardinalis *Sanctæ Mariæ Novæ*, deinde Presbyter Cardinalis *S. Crucis in Jerusalem* a *Lucio Tertio*, demum a *Clemente* Episcopus Albanensis creatus, *Collectionem Canonum* condidit. Ad eum *Gaufridus* Clarevallensis Monachus de Actis Concilii Remensis scripsit. Ad ipsum Epistolam dedit 106. *Stephanus* Abbas S. Genovefæ, postea Tornacensis Episcopus, cum superpelliceo novo & talari, atque Sermone de mystica significatione Superpellicei, quem ad fratres habuerat. *Boso*, Gallus ad quem Epistolam scripsit Joannes Saresberiensis. Magister *Melior* Gallus Presbyter Cardinalis *SS. Joannis & Pauli*, Cœlestini III. Legatione ad Philippum Augustum Regem Christianissimum functus; ad quem extat Archiepiscopi Remensis Epistola Turonensis Ecclesiæ causam contra Dolensem Episcopum commendans, inter Epistolas Stephani Tornacensis 110. *Adelardus* seu *Alardus*, ex Canonico Veronensis Ecclesiæ, ad Cardinalitium *S. Marcelli* Titulum assumptus, Clementis III. Legatione in Oriente functus; Veronensis tandem Episcopus, ad quem extant plures Innocentii III. Epistolæ. *Rolandus*, Gallus, vir Religiosus & literatus ex Decano Abrincensis Ecclesiæ, Dolensis Episcopus, *Sanctæ Mariæ in porticu* Diaconus Cardinalis *Lucii III.* Legatione in Scotia, *Urbani III.* in Longobardia functus est. *Petrus*, Nobilis Placentinus, *S. Nicolai in carcere Tulliano* Diaconus Cardinalis, in Presbyterorum Ordinem Titulo *S. Cæciliæ a Clemente Tertio* translatus, *Cœlestini Tertii* in Sicilia, *Innocentii Tertii* in Germania Legatus. *Rodulphus de Nesle*, Gallus, quem *Robertus* Abbas *de Monte S. Michaelis*, Continuator Chronici Sigeberti, magnæ religionis & literaturæ hominem fuisse scribit, ejusque amicitia gloriatur; *S. Gregorii in Velabro* Diaconus Cardinalis, a *Clemente* vero *Tertio* inter Presbyteros conscriptus, &c.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 232. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant, *Papa ipse dicit, Acta in uno Concilio se dissolvere non posse, nisi congregato alio Concilio?*

R. *Lucii Tertii* Acta commemoro tum ex ejus Epistolis, tum ex probatis Authoribus, *Veronam* (in quam) *confluxerat ingens Clericorum numerus, qui Schismate fœdati, Absolutionem & in Gradus Ecclesiasticos restitutionem a Summo Pontifice deprecabantur. Pro illis intercedebat Augustus, & ad gratiam illis faciendam Pontifex propendebat; sed mutato consilio respondit, se Venetianæ Synodi, in qua damnati fuerant, Decreta, nisi de alterius Synodi sententia rescindere non posse, quam brevi se coacturum pollicitus est.* Ita refert *Albertus Krantzius*, lib. VI. *Saxoniæ*, Cap. XLVII. Mera historiæ res est: de Summi Pontificis Potestate eo loci non disputo, *Lucii Tertii* Responsum dumtaxat refero, Se non posse plerumque respondent Pontifices usitato loquendi modo, quod facere nolunt, aut salva Justitia, vel Ecclesiæ Disciplina non possunt, quod denique Ecclesiæ bono & ædificationi non expedit.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, ad pag. 234. Edit. primæ, hæc notant Religiosi Censores: *Res narrat Beneficia Romana Ecclesia a Gallis præstita: Rogat Papam ne Romam venire cogat quemdam Episcopum, ne Dignitas Regni Galliæ minuatur.*

R. Quæ ibi narro, ex *Philiphi Augusti* Literis inter Epistolas *Stephani Tornacensis* editis, perspecta sunt. Ipsa Regiarum Literarum verba exhibeo, de meo nihil addo. Quid igitur RR. Censores reprehendunt? Ipsis-ne displicet, quod Regum Regnique Francorum Beneficia in Sedem Apostolicam commemorentur; Mihi propterea minus succenseant quam Stephano Tornacensi. Immo succensere nullatenus debent, cum Beneficia Regno Regibusque Francorum a Sancta Romana Ecclesia & a Summis Pontificibus collata observare in hoc opere non prætermiserim, quoties in Historiæ Ecclesiasticæ serie occurrunt; sicut & Beneficia Romanæ Ecclesiæ a Regibus Christianissimis collata commemoravi.

Nota.

OPtime explicat Natalis Lucii responsum, non potuisse scilicet nisi in altera Synodo rescindere sententias latas in Synodo Venetiana, quia in hac damnatos æquum absolvere non putabat. Et quidem nemo nisi insipiens dixerit particularium Synodorum judicia non posse a Romano Pontifice revocari; ac proinde ubi Lucius non posse dixit, ferme significavit non expedire.

ARTICULUS XI.

De Urbano III.

LUcio III. summa Cardinalium concordia suffectus est in Sede Apostolica *Lambertus Cribellus*, patria Mediolanensis, ab *Alexandro III.* Cardinalis Presbyter, ac paulo post Mediolanensis Archiepiscopus creatus, qui sibi nomen sumpsit *Urbanus III.* Veronæ in Ecclesia Cathedrali coronatus est, die Natalis Domini, anni 1185. ibique mansit, cum Romæ turbatis adhuc rebus tuto commorari non posset. Statim atque creatus fuit, Encyclicas ad universos orbis Christiani Episcopos Literas de exaltatione sua dedit. Scripsit ad *Willelmum* Scotiæ Regem de causa Episcoporum *S. Andreæ* & Dunkeldensis. Scripsit etiam eadem de causa ad Glaseuensem Episcopum & quosdam Abbates. Balduino Cantuariensi Archiepiscopo Pallium misit, cui novus Archipræsul Assumptionem ad Pontificatum gratulatus est, & de munere gratias egit, stylum commodante *Petro Blesensi*, cujus inter Epistolas hæc extat 99. Ordinem Cruciferorum Hospitalis Bononiensis approbavit, Privilegiisque communivit. Ipsum cum *Friderico* Imperatore commisere negotia *Lucii III.* dissimulatione sopita, scilicet repetitio Patrimonii Comitissæ *Mathildis*, quod Augustus occupabat: Defunctorum Episcoporum Spolia, quæ redigebat in Fiscum: & Sanctimonialium dispersio e suis Monasteriis, specie Reformationis, quarum in locum alias ad honorem Dei & Religionis incrementum non substituerat, sed Parthenonum reditus percipiebat. Accessit nova dissensionis causa, *Volmari* in Trevirensem Archiepiscopum facta a Pontifice consecratio. Ad hæc Imperatoris filium, superstite patre, Imperatorem coronare Decessoris exemplo recusavit *Urbanus*; quæ repulsa Principis animum amplius commovit. Augustum de primis tribus articulis, scilicet de *Mathildis* patrimonio injuste detento; de

Urbani Tertii cum Friderico Imperatore dissidium.

mo-

morientium Episcoporum exuviis; de stipendiis Abbatissatum & Sanctimonialium sibi arrogatis, acriter arguit magnanimus Pontifex, eique, nisi Ecclesiæ faceret satis, excommunicationis minas intentavit. Quam ob causam a Germanis quibusdam ad Schismata propensissimis, *Turbanus* per contumeliam appellatus est, ut ex Abbate Uspergensi discimus, qui & ipse *Urbano* iniquissimum se præbuit. Adversus *Fridericum* Archiepiscopi Moguntinus & Trevirensis, cum duodecim Episcopis, pro Ecclesiæ causa stabant; Summique Pontificis, qui rem ipsorum agebat, æquissimas postulationes tuebantur. Vias omnes Alpium Augustus conclusit, ne ad Sedem Apostolicam pateret aditus. Deinde *Philippum* Coloniensem Archiepiscopum vocavit, animum ipsius super his causis exploraturus. Respondit Archipræsul, cæterorum Episcoporum nomine, Majestatem Imperialem devotiones & ad obsequia sua promptiores Præsules habituram, si paulo mitius cum ipsis agere, Cleroque Germanico impositum onus levare dignaretur. Nam, inquit, *Etsi non injuste, indecenter tamen gravati fumus. Unde etiam videtur Domno Apostolico, quod justam contra vos causam proponat, quod moriuit Episcopis confiscantur Ecclesia: ita ut ablatis omnibus mobilibus & stipendiis præsentis anni, Episcopus subintrans, omnia, exinanita, & evacuata inveniat. Si erga justitia obtentu, & nostri servitii intuitu, per Imperialem Clementiam super hoc nobis peperceritis, mediatores justitiæ inter vos & Dominum Papam humiliter erimus: sin autem, a veritatis via recedere nequaquam poterimus.* Reposuit Imperator se non permissurum ut *minima hæc scintilla juris* antiqui Investiturarum extingueretur: satis esse ut Episcoporum electiones Ecclesiæ permitteret, prout olim pactum erat. Deinde Conventum Episcoporum & Principum indicit *Fridericus*; suam in Sedem Apostolicam observantiam exponit, sed jura sua intrepide se defensurum profitetur. Romanum Pontificem Laicorum Dominorum jura turbare addit: siquidem prohibet ne Laicorum ullus Decimas possideat: cum tamen Viri Nobiles Decimas olim ab Ecclesiis ceu *Beneficium stabile* acceperint, ut eas tuerentur. Vetare insuper Dominum Papam, ne aliquis *in prædiis, seu hominibus Ecclesiarum*, Advocatiam sibi usurpet, ac decrevisse ut *res Ecclesiastica a Prælatis tantum libere dispensentur.* Jus quidem Prælatis favere videri: *Non tamen ita facile mutari posse, quæ ex longa antiquitate usu in consuetudinem vertit, immo ipsa consuetudo a progenie in progeniem descendens, quasi justa traditione roboravit.* Demum Præsulum rogavit sententiam, ipsosque hortatus est, ut quoniam scriptum est, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo; ita Domino Papæ, in vice Christi, debitam persolverent obedientiam, ut in parte altera a Deo constitutam non negligerent justitiam.* Moguntinus Archipræsul vir prudentissimus, sententiam hoc modo temperavit, ut nec Summo Pontifici nec Imperatori ingrata fore videretur. Author scilicet fuit, ut Episcopi inter Summum Pontificem & Imperatorem sequestres essent, datisque ad ejus Sanctitatem Literis, omnium subscriptione munitis, eam rogarent ut Imperatori jura sua servaret, pacemque foveret Sacerdotium inter & Imperium. *Casus iste*, inquit, *in quo laborare videmur, gravis est, nec nostrum inter vos tantas componere lites. Quia, sicut dixistis, ex una parte tenemur reddere Deo, quæ Dei sunt; ex altera parte, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Domino enim Papæ ut Patri spirituali, qui supra omnes est, justum est ad omnia promptissime obedire: Vobis autem cui hominium fecimus a quo temporalia possidemus, ad assequendas omnes justitias vestras jure tenemur assistere. Nunc ergo, sine præjudicio melioris consilii si placet, scribatur Domino Papæ ex persona Episcoporum, in quibus commoneatur ut ea quæ ad pacem sunt, vobiscum sentiat, & justitiam vobis faciat. Imperatori placuit Archipræsulis consilium. Scripta est ad Summum Pontificem Epistola, Præsulum omnium subscriptionibus & sigillis munita.* Hanc ubi accepit, legitque *Urbanus III. Obstupuit de immutatione Episcoporum, quia ipse causam pro eis videbatur sumpsisse.* Constans tamen in proposito fuit: & Imperatorem Ecclesiæ minime satisfacientem excommunicare decrevit, sed paulisper distulit sententiam, deprecantibus Veronensibus. Quod vero decreverat, morte præventus exequi non potuit. Hanc historiam discimus ex *Arnoldo* Abbate Lubecensi in Chronico Sclavorum lib. 3. cap. 16. 17. & 18. Nonnulla *Urbani* III. Decreta Collectionibus Decretalium inserta sunt. Ipsi Historiam suam nuncupavit *Gothfridus* Viterbiensis. De procuranda Christianorum Principum concordia, eorumque armis contra Infideles convertendis plurimum sollicitus fuit. Cum autem Venetias comparandæ classis gratia proficisceretur, Nuntium accepit Ferrariæ de captione Hierosymorum, & vivificæ Crucis, & Regis Hierosolymitani a *Saladino*. Quam ob cladem mœrore confectus, obiit Ferrariæ 13. Kalendas Novembris, anni MCLXXXVII. cum annum unum, menses decem, & dies viginti quinque Ecclesiam rexisset. In Cardinalium Ordinem adlegit *Henricum de Soliaco*, Gallum, virum genere, ingenio, scientia, & virtute clarissimum, Archiepiscopum Bituricensem; cui & Legationis Apostolicæ munus per Aquitaniam commisit. De quo legendum Patriarchium Bituricense editum a *P. Labbè* Tom. 11. Bibliothecæ Novæ Manuscriptor. Librorum, cap. 67. Hujus etiam cum laude meminit *Petrus Blesensis* Epistola 126. ut & fratris ipsius, *Odonis* Parisiensis Episcopi. Ex Ordine Cisterciensi ad Bituricensem Archiepiscopatum assumptus est.

Qua ratione in illo dissidio se gesserint Germaniæ Episcopi.

Henricus de Soliaco Cardinalis Urbani Tertii.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 242. Edit. primæ Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Imperator in Concilio determinat esse servanda Cæsari, quæ sunt Cæsaris.*

R. Non scripsi, *Imperatorem in Concilio determinasse* (ut loquuntur Indiculi Censorii Authores) sed in Comitiis hortatum fuisse Episcopos, ut quoniam scriptum est, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; ita Domino Papæ in vice Christi debitam persolverent obedientiam, ut in parte altera a Deo constitutam non negligerent Justitiam.* Ex Arnoldo Lubecensi Abbate, probatæ fidei Authore id refero. Quid in ea narratione censoria animadversione dignum? Absit ut expungenda videatur Christi Jesu Domini nostri Sententia: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

ARTICULUS XII.

De Gregorio VIII. & Clemente III.

I. Die post *Urbani III.* obitum altera, electus est Pontifex *Albertus* patria Beneventanus, ex Ordine *S. Benedicti* ab *Hadriano IV.* in Collegium Cardinalium adlectus, & Sedis Apostolicæ Cancellarius ab *Alexandro III.* creatus; qui sibi nomen sumpsit *Gregorius VIII.* Ut primum coronatus est, encyclicam ad Fideles universos Epistolam scripsit, ut eos ad Expeditionem Hierosolymitanam hortaretur, & ad pœnitentiam agendam: Siquidem iratus ob hominum peccata Deus præpotens, cladem illam Christianæ rei permiserat. Ad placandam autem divinam Justitiam, jejunium qualibet Sexta Feria, instar Quadragesimalis indixit; abstinentiam vero a carnibus, Feria Quarta & Sabbato, iis qui bene valerent. Sibi vero & Cardinalibus, ac eorum familiis, etiam Secunda Feria, nisi aut infirmitas, aut magna Solemnitas vel alia evidens causa impediret. Cardinalium animos sacer ardor invasit, hortatore *Gregorio*, & una promiserunt, se abjectis omnibus divitiis & deliciis, Crucem verbo & exemplo prædicaturos & Hierosolyma cæteris prituros. Inducias etiam Principibus Christianis bello se lacessentibus, ad septennium indixerunt. Denique promiserunt se non equitaturos, quamdiu terra vestigiis & Mysteriis Domini consecrata esset in potestate Infidelium; seque nulla munera ab iis qui causas in Curia haberent, accepturos. Ita refert *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis, pag. 636. Describit idem Author laudatas *Gregorii VIII.* Epistolas, necnon illam quam scripsit ad Ecclesiarum Prælatos de Jure juxta Literas & Mandata *Urbani III.* De-

Gregorius octavus.

Gregorii VIII. cura de Hierosolymitana Expeditione consilium.

cessoris sui reddendo. Hujus Epistolæ prima sententia observatione digna, qua se unum ex Episcopis profitetur. *Quoniam*, inquit, *ad Episcoporum maxime spectat officium afflictis & laborantibus subvenire, unumque illorum, licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit*, &c. Primam Gregorii VIII. Epistolam ad universos fideles datam descripsit quoque *Guillelmus Neubrigensis* lib. 3. *De Rebus Anglicis*, cap. 25. Pisas postmodum profectus est optimus Pontifex Pisanos & Januenses diu dissidentes conciliaturus, & ad Sacram expeditionem pariter suscipiendam fœderaturus. Ubi febre correptus, post aliquot dies e vita migravit, 7. Kalendas Januarii, anno 1187. cum duos tantum menses Ecclesiam rexisset. Nullos Cardinales creavit. Ipsum *Virum plane & sapientia, & vita sinceritate conspicuum, æmulationem Dei habentem in omnibus secundum scientiam, & superstitiosarum consuetudinum quarum in Ecclesia per quorumdam rusticorum simplicitatem multitudo inolevit, reprehensorem acerrimum* prædicat *Willelmus Neuburgensis* sive *Neubrigensis*.

Seanum ex Episcopis profitetur.

Gregorii octavi elogium.

II. Cum Sedes Apostolica post obitum *Gregorii septimi* diebus viginti vacasset, Pisis in Ecclesia Cathedrali legitimis Comitiis, electus est *Paulinus* Romanus, Episcopus Cardinalis Prænestinus ab *Alexandro tertio* creatus, sibique nomen sumpsit, *Clemens tertius*, octavo Idus Januarii anni 1188. Duo maximi momenti negotia confecit, nimirum pacem cum Senatu Populoque Romano, & Christianorum Principum fœdus ad Turcarum expugnationem, & recuperationem Terræ Sanctæ. Pacis conditiones fuere, 1. Ut Urbs in Romani Pontificis esset potestate. 2. Ut abrogato Patritio Præfectus restitueretur. 3. Ut Senatores annui, Pontificis Authoritate crearentur, qui fidelitatem, pacem, & subsidium, si opus esset, ipsi & Ecclesiæ Romanæ, jurarent. 4. Ut populus Basilicam Vaticanam, ejusque reditus, flagrante bello occupatos, integra restitueret. 5. Ut vectigalia & reditus publici essent in Pontificis potestate, ea lege ut tertia pars in usus populi dispensaretur. 6. Ut Senatus populusque Romanus Summi Pontificis coleret atque tueretur majestatem. 7. Ut Pontifex Senatoribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, & Senatus ministris consueta donativa tribueret. 8. Ut annuam pensionem pro mœniis Urbis restaurandis solveret. 9. Ut Tusculum solo æquaretur, agris & hominibus in Ecclesiæ potestate manentibus. Ista constant ex *Cencio Camerario* in libro Censuum Romanæ Ecclesiæ, qui extat in Bibliotheca Vaticana. His conditionibus in Urbem regressus est *Clemens III.* & maximo honore ac publica lætitia ab omnibus Ordinibus susceptus.

Clemens tertius.

Pacem facit cum Senatu Romano.

Quod negotium spectat alterum, sacræ scilicet contra Turcas expeditionis ad recuperandam Terram Sanctam, *Clemens III.* missis ad Christianos Principes Legatis, paceque inter *Philippum Augustum*, Francorum & Henricum II. Angliæ Reges conciliata, ipsos ad sacrum bellum fœderavit. Cæteris præivit Imperator *Fredericus I.* Secuti sunt Francorum, Anglorumque Reges. Publicas interim preces pro Christianorum exercitu indixit, earumque formam præscripsit pius Pontifex. *Hugonem* Sancti *Andreæ* in Scotia Episcopum, quem ad Tribunal Apostolicum *Urbanus III.* vocaverat, ut, quæ, inter eum & *Joannem* Episcopum intercedebat, controversia dirimeretur, ob contumaciam & contemptum Sedis Apostolicæ, deposuit, & *Joanni* Episcopatum confirmavit. Plures hac de causa scripsit Epistolas scilicet ad *Willelmum* Scotiæ, ad *Henricum* Angliæ Regem ad Clerum Episcopatus *S. Andreæ*, & ad omnes Scotiæ Episcopos, quibus præcipit, ut nisi Rex Judicio Sedis Apostolicæ pareat, in ejus regnum, personam, fautoresque omnes, Interdicti sententiam ferant; & eos qui *Hugoni*, post exauthorationem paruerunt, excommunicatos denuntient. Has Epistolas describit *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis, pag. 646. 647. & 648. Scoticanæ quoque Ecclesiæ libertates & Immunitates confirmavit idem Pontifex, novisque auxit privilegiis ut constat ex ejus Epistola ad *Willelmum* Regem quam exhibet idem *Rogerius* pag. 658. *Clementem III.* de pactis cum *Tancredo* Siciliæ Rege initis certiorem fecit *Richardus I.* Angliæ Rex, & dispensationem pro matrimonio inter ejus filiam & *Arthurum* Britanniæ Ducem nepotem suum, contrahendo, ab ejus Sanctitate postulavit. *Richardi* Regis Epistolam apud *Rogerium de Hoveden*, pag. 677. legere est. Incipit his verbis, quæ summam ejus devotionem erga Sedem Apostolicam testantur: *Jastiorem exitum facta Principum sortiantur, cum ab Sede Apostolica robur & favorem accipiunt, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ colloquio diriguntur.*

Christianos Principes ad Sacram Expeditionem contra Turcas fœderat.

Richardi Angliæ Regis preclara sententia.

S. Ottonem Bambergensem Episcopum, Pomeranorum Apostolum, in Sanctorum numerum idem Pontifex retulit. E vivis excessit 4. Idus Aprilis anno 1191. cum annos tres, menses totidem, & dies quatuor Ecclesiam rexisset; ac in Basilica Lateranensi sepultus est.

Inter Cardinales a *Clemente III.* creatos celebres fuere *Gregorius Galganus*, Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, deinde Presbyter Sanctæ *Anastasiæ*, Clementis ipsius, Cœlestini III. & Innocentii III. variis Legationibus functus. *Jordanus de Ceccano*, Campanus, monachus & Abbas Fossæ Novæ Ordinis Cisterciensis, Legatione Sedis Apostolicæ in Galliis & Germania nomine Clementis III. functus. *Bernardus* Canonicus Regularis Congregationis *S. Frigdiani* Lucensis. *Gregorius de Crescentio*, Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Aquiro*, deinde ad Ordinem Presbyterorum & titulum *S. Vitalis* ab Innocentio III. translatus, ab eoque Spoleto & Umbriæ Legatus & Rector præfectus, *Joannes*, natione Longobardus, presbyter Cardinalis S *Clementis*, Viterbiensis deinde, ac demum Albanensis Episcopus. *Petrus Gallocia*, Romanus ex Subdiacono Apostolico, Episcopus Cardinalis Portuensis, & Sanctæ Rufinæ. *Guido de Papa* seu *Paparescbus*, ex Innocentii II. familia Diaconus Cardinalis, deinde ab *Innocentio III.* Presbyter *Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim*, ac demum Episcopus Prænestinus creatus. *Gregorius*, Tuscus, de monte Carello, vir nobilitate & probitate insignis. *Lotharius Anagninus*, ex stirpe Comitum Signiæ, ob singularem eruditionem cum in Theologia, tum in Jure, & morum integritatem cum nobilitate conjunctam, Diaconus Cardinalis *SS. Sergii & Bacchi* creatus, postea Summus Pontifex Innocentius III. *Gregorius* Cardinalis *S. Angeli in Piscina*, qui *Cœlestini III.* Legationem in Hispania obiit. *Guido de Pore*, ex Abbate Cisterciensi Presbyter Cardinalis *S. Mariæ Trans-Tyberim*, deinde Prænestinus Episcopus ab *Innocentio tertio* renuntiatus, & in Germaniam & Galliam Legatus ad *Ottonis* electionem confirmandam. Pietatis erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum & Deiparam Virginem eximiæ, sive dum Religiosam Præfecturam gereret, sive dum Apostolicam Legationem obiret, egregia specimina dedit. *Meynardus*, monachus Cisterciensis, & Abbas Pontiniaci, vir omni disciplinarum genere excultus & in expediendis pro Ecclesia consiliis promptus & alacer, Episcopus Cardinalis Prænestinus.

Cardinales a Clemente Tertio creati.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 245. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Papa Sententia observatione digna, qua se unum ex Episcopis profitetur.*

R. Pœnitenda certe observatio! Scripsit *Gregorius Octavus* ad Ecclesiarum Prælatos: *Quoniam ad Episcoporum maxime spectat officium afflictis & laborantibus subvenire, unumque illorum, licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit*, &c. Papa vero *Unus Episcoporum* est, quamvis Episcopis cæteris jure divino superior, & non ovium solum, sed *Pastorum omnium unus sit Pastor*, ut probavi luculenter in Dissertatione *De Primatu S. Petri & Romani Pontificis*, Sæculo I. & quavis occasione data confirmo in hujus Operis serie.

ARTICULUS XIII.

De Cælestino III.

TRiduo post Clementis III. obitum, *Hyacinthus* Petri Bubonis *de Ursinis* filius Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Cosmedin* a Cœlestino II. creatus & maximis Sedis Apostolicæ Legationibus functus, annis sexaginta quinque in Ordino Eminantissimo numeratis, jamqua annum agens ætatis octogesimum quintum, electus est Pontifex, *&* *Cælestinus tertius* eppellatus. *Henricum V.* Imperatorem, & *Constantiam* ejus uxorem coronavit, cum jutium Ecclesiasticorum conservationem, & patrimonii *S. Petri* restitutionem integram jurasset. Pontificem Coronam Imperialem pede percussisse, ac dejecisse, ut significaret se Potestatem habere auuendi ipsum Imperio, si potestate sua contra Ecclesiam abuteretur, tradit *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis. At narratio ista quam *Baronius* Cardinalis approbat, apud me laborat suspitione falsitatis, propter aliorum Historicorum & maxime *Arnoldi* Lubecensis Abbatis, & *Gotfridi* Viterbiensis silentium; nec verisimile est Pontificem plusquam octogenarium, mansuetissimum, prudentissimum, ac modestissimum, Christiano Imperatori, in sacro Inaugurationis Ritu, palam insultare voluisse.

Fabulosa narratio.

Ad annum 1186. Num. 231.

Constantia Imperatrix Monialis non fuit.

Constantiam illam, *Rogerii* Siciliæ Regis filiam, in Monasterio Panormitano Monialem fuisse votis obstrictam, atque a *Cælestino*, ut *Henrico V.* Imperatori nuberet, a votis absolutam, recentiores nonnulli commenti sont: quos doctissimus Cardinalis *Baronius* luculenter refellit, Monialem numquam fuisse probans, ex Gothfridi Viterbiensis, Hugonis Falcandi, Arnoldi Lubecensis, Romualdi Salernitani Archiepiscopi, Guillelmi Neubrigensis, Rogerii de Hoveden, Rigordi, & Abbatis Uspergensis coævorum Scriptorum silentio. Epitaphia vero, ex quibus fidem huicce commento adstruere quidam nituntur, adscititia esse probat. Nec a *Cælestino Tertio* dispensata dici potest ut *Henrico* V. Imperatori nuberet, quæ anno 1186. eidem adhuc Germaniæ Regi nupserat. Urbano III. Pontifice, ut *Gotfridus Viterbiensis* restatur.

Cælestini Tertii Acta pro Ecclesia & Regno Angliæ.

Cum absente *Richardo I.* Anglorum Rege & in Palæstina contra nominis Christiani hostes pugnante, *Joannes* Comes Moretonii, & *Gaufredus* Eboracensis Archiepiscopus turbas in Angliæ Regno excitassent, ac *Willelmum* Elitnsem Episcopum, Regis Cancellarium, & supremum Regni Administrum, calumniis impetitum, quas Hugo Convetrensis Episcopus, illius juratus hostis, famoso libello vulgavit, deposuissent, Cœlestinus ac ejecissent III. Eliensis Episcopi ac Regni defensionem suscepit, datisque ad Anglicanos Episcopos Literis, jussit ut Comitem Moretonii, & alios, qui dicto Episcopo vim intulerant, aut aliquid in statu Regni a *Richardo* Rege ante discessum disposito, immutare ausi fuerant, excommunicatos denunciarent; & eorum terras Interdicto Ecclesiastico supponerent. *Cælestini* Literas describit *Rogerius de Hoveden* pag. 706. Sententiam excommunicationis ab Archiepiscopo Eboracensi in Dunelmensem Episcopum & quosdam alios promulgatam, causa per appellationem ad Sedem Apostolicam delata, misit in irritum idem Pontifex. Ejus Literas ea de re ad Lincolniensem & Roffensem Episcopos, & Abbatem *de Burgo* scriptas describit idem *Rogerius* pag. 713. Capitulum Eboracense, & Abbates plurimi *Gaufredum* Eboracensem Archiepiscopum apud *Cælestinum* III. accusarunt, quod venationi, & aucupio deditus, ac militaribus curis implicatus, Episcopale ministerium prorsus negligeret; quod excommunicandi potestata contra Clericos & Abbates imprudenter at immaniter abuteretor: quod Ecclesiæ suæ libertates & consuetudines everteret atque antiquaret: Quod appellationum ad Sedem Apostolicam nulla habita ratione, appellantes nihilominus excommunicasset, beneficiis privasset, in carcerem conjecisset: Quod Pontificia mandata non sineret executioni mandari: Quod vim Capitulo suo intulisset, bonaque Canonicorum & aliorum qui res suas in Ecclesia vel in Thesauraria deposuerant, curasset detineri: Quod Ecclesiis vacantibus, præsentatos sibi a Patronis Clericos idoneos non admitteret, sed eas aut pueris, aut minus honestis personis conferret: plerumque etiam illas diu vacare permitteret, ut earum fructus usucaperet: Quod beneficia conferens, ea scinderet per partes, contra statuta Ecclesiæ, ut in iis novam & indebitam retineret pensionem: Quod excommunicatos & suspensos pretio absolveret: Quod viros religiosos & honestos despiceret, viles & suspectas personas familiaritata & gratia sua honestaret. Has ob causas *Cælestinus Tertius* inquirendi in ejus facinora provinciam Lincolniensi Episcopo, & Archidiaconis de Northamtum, & Priori de Ponte-fracto commisit: Qui inquisitione facta diem ipsi dicerent, quo se coram Sede Apostolica sisteret, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ. *Cælestini Tertii* Literas ea de re datas ad Episcopum, Archidiaconos & Priorem laodatos, describit *Rogerius de Hoveden* pag. 749. Sedem Apostolicam, ante audientiam, appellavit Archipræsul Eboracensis. Tempus ipsi præfixere Commissarii Apostolici, infra quod Pontificio tribunali se sisteret. Inducias ampliavit Summus Pontifex. Tandem contumacem ab Officio sospendit, administratione Diœceseos ad *Simonem* Decanum Eboracensem, & Capitulum translata. *Cælestini* III. Literas ea de re datas describit *Rogerius de Hoveden*, pag. 760. *Huberto* Cantuariensi Archiepiscopo munus Apostolicæ Legationis per Angliam commisit, rogante *Richardo* Anglorum Rege. Literas ad *Hubertum* datas apud eumdem Authorem legere est, pag. 753. Item datas ad Episcopos, Abbates, cæterosque Prælatos Ecclesiarum per Regnum Angliæ constitutos, pag. 754. Ad præsules Anglicanos scripsit, de sacra contra Turcas expeditione promovenda, jussitque ut eos, qui privatis dissidiis belli sacri progressum impedirent, Censuris Ecclesiasticis cogerent ad observandas inducias Ecclesiæ Authoritate imperatas. Literas illas *Cælestini Tertii* describit *Rogerius de Hoveden*, pag. 722.

Cum *Richardus* Angliæ Rex ab Expeditione Hierosolymitana rediens, naufragiumque in mari Adriatico passus, a *Leopoldo* Austriæ Duce privatæ injuriæ memore, captus esset, atque Imperatori *Henrico V.* traditus, qui captivum ipsum detinuit, *Walterius* Archiepiscopus Rothomagensis, & cæteri Normanniæ præsules, ad *Cælestinum* III. scripsere, obsacrantes ut pro tanti Regis libertata, quem Ecclesia Romana in suam protectionem susceperat, ejus Sanctitas solicita esset, gladiumque *S. Petri* contra *Leopoldum* Ducem & *Henricum* Imperatorem captivitatis ejus authores, distringeret. Est inter Epistolas *Petri Blesensis* sexagesima quarta. *Sed & Aleonora* Regina mater ejusdem Regis, ad eumdem Pontificem semel iterumque scripsit Literas vehementes, quibus ejus Authoritatem pro filii sui liberatione imploravit. *Aleonora Reginæ ad Cælestinum. III.* Epistolæ sunt 144. 145. & 146. apud *Petrum Blesensem*. His Epistolis excitatus Pontifex, *Leopoldum* Austriæ Ducem, qui Regem Angliæ ceperat, Anathemata perculit, ac Imperatori, ejusque ditionibus, Censuras Ecclesiasticas etiam comminatus est, nisi eum liberum dimitteret: ut refert *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis.

Canonicos sæculares in Conventrensi Ecclesia, ejectis Monachis a Cicestrensi Episcopo institutos, secundum Mandata *Clementis III.* per obreptionem impetrata, expelli jussit, & Ordinis Benedictini Monachos restitui, datis ad Cantuariensem Archiepiscopum Literis, ad hujusce Decreti executionem, quia *Id in Monasticæ Religionis & totius Ecclesiasticæ Disciplinæ redundabat opprobrium*, & Clemens III. *tantæ irregularitati, nisi circumventus, authoritatem non præstiterat aut favorem*. Ecclesiæ Scotiæ libertates confirmavit, datis ad *Willelmum* Regem Literis.

Epist. 16.

Cum *Ingeburgem* Reginam, *Canuti* Danorum Regis sororem, quam uxorem duxerat *Philippus Augustus* repudiasset, & ratione consanguinitatis allegata, solutionem matrimonii, & facultatem alterius conjugii ineondi a Cœlestino III. per Oratores postulasset, Pontifex *delegavit Judices ex Regno postulantis, forti tamen mandato adstrictos uti in hoc negotio juxta integritatem Canonicæ procederent Sanctionis*. Verba sunt *Guillelmi Neubrigensis*, lib. 4. cap. 26. Consanguinitate probata, duorum Episcoporum, & Proce-

Acta Cælestini Tertii in causa Divortii Philippi Augusti, & Ingeburgis Reginæ.

rum quorumdam testimoniis, Remensis Archiepiscopus, Sedis Apostolicæ Legatus, cum aliquot Episcopis Gallicanis, divortium decrevit. Deinde Rex *Mu-vinm Agnetem* Ducis Moravorum filiam duxit. De injuria sorori illata apud *Cœlestinum III.* expostulavit Canutus Danorum Rex. Pontifex Legatos misit in Gallias, qui causam cognoscerent ac judicarent, *Meliorem* Presbyterum Cardinalem, & *Cencium* Subdiaconum, anno 1126. Illi Concilium Parisiis ad causæ hujus examen celebravere, cum Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus, nullo penitus fructu. Nam inquit Rigordus in Vita Philippi Augusti, *Quia facti sunt Canes muti non Valentes latrare, timentes etinm pelli sua, nihil ad perfectam deduxerunt.*

Castrum Miliacum, in agro Bellovacensi.

Cum *Philippus* Bellovacensis Episcopus, *Philippi Augusti* consanguineus, in bello quod Gallos inter & Anglos flagrabat, ad solvendam Castri Miliaci obsidionem ductis copiis, prælioque cum hostibus commisso, victus, captus, & vinctus esset, *Cœlestinum* III. Pontif. Maximum interpellavit ut de sua liberatione satageret. Cui respondit Pontifex, se Regi Angliæ opponune supplicaturum, non importune rogatotum, multo minus imperaturum, quoniam Præsulem pacificum exuens, militem induerat clypeum pro Infulis, gladium pro Stola, loricam pro Alba, galeam pro Mitra, lanceam pro Baculo Pastorali ferens. Epistolas *Philippi* Bellovacensis Episcopi ad *Cœlestinum*, & *Cœlestini* ad *Philippum*, describit Rogerius de Hoveden, pag. 770. & 775. Qua de re legendus etiam *Guillelmus Neubrigensis*, lib. 5. *De Rebus Anglicis*, cap. 30. *Adelfonso* Galleciæ Regi sacris interdixit *Cœlestinus* III. quod *Tarsiam* filiam *Sancii* Regis Lusitaniæ, patrui sui, tamquam uxorem contra Leges Ecclesiasticas, invicta contumacia retineret. *S. Ubaldum* Eugubinum Episcopum anno 1192. inter Cœlites adscripsit, Diplomate quod incipit *Benedictus Deus*, ejusque Festum quotannis celebrari statuit 17. Kalendas Junii. In album quoque Sanctorum retulit *B. Joannem Gualbertum* Abbatem, congregationis Vallis Umbrosæ O. B. Institutorem, Diplomate quod incipit, *Gloriosus Deus*. Ejus Festum celebratur die 12. Julii. Ordinem Militarem *S. Mariæ Teutonicorum* confirmavit, rogante Imperatore *Henrico*. Approbavit etiam Congregationem Monachorum *Montis Virginis* O. B. eamque Privilegiis ornavit, Diplomate quod incipit: *Religiosam vitam eligentibus*. Plurima *Cœlestini* III. Decreta in Libros Decretalium relata sunt. Christianam uxorem, cujus odio vir Christum negavit, sibique copulavit paganam, ipso superstite alteri nubere posse Catholico; atque hujusmodi & simili apostasia matrimonium dirimi, sensit *Cœlestinus* III. & Apostoli sententiam de his intellexit: *Si Infidelis discedit, discedat. Non enim frater aut soror subjectus est in hujusmodi servituti.* Decretum istud legere est cap. *Laudabilem, De conversione Infidelium*, lib. 3. antiquæ Collectionis 11. Decretalium, *ab Antonio Augustino* editæ, pag. 105. At ista *Cœlestini* III. opinio, Ecclesiæ consensu non est approbata, eamque emendavit *Innocentius* III. cap. *Quanto de divortiis*, & pars illa Capitis *Laudabilem*, Collectioni jussu *Gregorii IX.* a *S. Raymundo* adornatæ non est inserta: & Concilium Tridentinum Sessione 24. Canone V. Anathemate ferit eos qui dixerint *propter hæresim dissolvi posse matrimonii vinculum*. Obiit *Cœlestinus* III. sexto Idus Januarii, anno 1198. cum sex annos & menses novem Ecclesiam rexisset. Ipsum lethali ægritudine decumbentem jussisse Cardinalibus ut de Successoris electione tractarent, & abdicationem obtulisse, modo *Joannem de S. Paulo* Cardinalem Presbyterum *Sanctæ Priscæ* eligerent; Cardinales vero propositionem antea inauditam rejecisse, author est *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis, pag. 774.

Tom. I. Bullarii Romani, pag. 77.

Ibidem, pag. 76.

Celestinus Tertius Matrimonium apostasia dirimi sensit.

Ejus Decretalis ab Innocentio Tertio emendata.

Inter Cardinales a *Cœlestino* III. creatos, celebres fuere, *Hugutio de Thienis* patria Vicentinus, *SS. Sylvestri & Martini in Montibus* Presbyter Cardinalis vir juris peritissimus, cui *Cœlestinus* III. & *Innocentius* III. Pontifices Maximi causas pene omnes dirimendas committebant. *Joannes*, patria Salernitanus Monachus Cassinensis *S. Stephani in Cœlio Monte* Cardinalis, post obitum *Cœlestini* III. decem suffragiis ad Summum Pontificatum postulatus, ejusque & *Innocentii* III. Legationibus functus, in Germania, in Regnis Neapolitano & Siciliæ, in Anglia, Scotia, & Hibernia. *Rofredus*, Cassinensis Abbas, *SS. Marcellini & Petri* Presbyter Cardinalis, vir eximii consilii, sapientiæ, magnanimitatis. *Cynthius*, Romanus, *S. Laurentii in Lucina* Cardinalis Presbyter *Innocentii III.* Legationes in Piceno & in Sicilia obiit. *Joannes de Sancto Paulo* ex illustri Columnensium familia, *S. Priscæ* Cardinalis Presbyter, deinde ab *Innocentio* III. Sabinensis Episcopus creatus, ejusque Legationibus in agro Piceno, in Gallia & in Sicilia functus, qui nascentem *S. Francisci* Ordinem fovit ac protexit, & Seraphico Patriarchæ *S. Francisco* amicissimus fuit, pro cujus Regulæ confirmatione apud *Innocentium Tertium* & Cardinales peroravit dicens: *Si petitionem Pauperis hujus refellimus, cum petat sibi confirmari formam Evangelicæ vitæ, cavendum est nobis ne in Christi Evangelium offendamus.* Ita refert *S. Bonaventura*, qui eumdem Joannem *omnis sanctitatis amatorem, & adjutorem pauperum Christi* prædicat in Vita *S. Francisci*, cap. 3. *Petrus Capuanus*, Diaconus Cardinalis *S. Mariæ in Via Lata*, ad Ordinem Presbyterorum & Titulum *S. Marcelli ab Innocentio* III. translatus, ejusdem Legationes obiit in Galliis, & in Oriente. *Cencius Sabellus*, *S. Luciæ in Orthea* Diaconus Cardinalis, S. R. E. Camerarius ac Procancellarius, ab *Innocentio* III. ad Ordinem Presbyterorum, & Titulum *SS. Joannis & Pauli* assumptus, postea fuit Summus Pontifex Honorius III. *Albertus*, Gotfridi III. Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis, ex Margareta Limburgica filius, Episcopus Leodiensis, qui pro tuenda Ecclesiastica libertate Martyr occubuit Remis anno 1193. die 24. Novembris, quo in Romano Martyrologio ejus memoria celebratur. *Simon* Henrici Limburgensis Ducis filius, post *S. Albertum* Leodiensis Episcopus. *Nicolaus Bobo*, Cœlestini III. nepos, &c.

SCHOLION I.

Huic Articulo, pag. 250. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Notam appingunt: *Rejicit tamquam falsam narrationem de conculcata Corona Imperiali a Cœlestino Tertio ad significandum quod Papa potest Imperatorem deponere, contra Baronium.*

R. Mera facti quæstio. Conjecturas meas adversus narrationem illam proposui, admodum certe probabiles: opinionem amplexus sum, quæ & verisimilior & Cœlestino III. honorificentior visa est. Sed RR. Censoribus displicet quod a *Baronio* dissentiam.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 255. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa promittit se rogaturum Regem Angliæ, non coacturum, pro liberatione cujusdam Episcopi, qui armatus, in bello fuerat ab ipso captus.*

R. Historiæ res est. Facti testes sunt Literæ Cœlestini III. ad Philippum Bellovacensem Episcopum captum a Rege Angliæ: *Regi tamen Anglorum* (inquit) *pro te Literas dirigimus supplicatorias. Qualitate namque captionis tuæ medullitus inspecta, in tali casu non possumus, nec debemus imperare, sed tantum supplicare.... Nos autem pro te supplicamus, non importune, sed opportune.* Cœlestini III. literas refert *Rogerius de Hoveden* parte posteriori Annalium, in *Richardo I.* pag. 775. An Pontificiæ Majestati injuriam fieri putant Religiosi Censores, cum dicitur Pontificem Regibus supplicasse, non imperasse? sic tamen Cœlestinus III. locutus est.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 256. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa erravit circa dissolutionem Matrimonii, ejusque Decretum non fuit approbatum ab Ecclesia.* Hinc inferre intendit Alexander (inquiunt) quod Decreta Pontificum sine consensu Ecclesiæ sunt opiniones, & non Decreta infallibilia.

R.

R. Christianam uxorem cujus odio vir Christum negavit, sibique copulavit paganam, ipso superstite alteri nubere posse Catholico, atque hujusmodi & simili apostasia Matrimonium dirimi sensit *Cœlestinus III.* Decretum istud habetur cap. *Laudabilem*, Tit. *De Conversione Infidelium*, lib. 3. secundæ Collectionis Antiquæ Decretalium ab *Antonio Augustino* editæ. Illam *Cœlestini III.* opinionem Ecclesiæ consensu non esse approbatam observavi, ab *Innocentio III.* emendatam, cap. *Quanto*. Ext. *De Divortiis* : Partem illam capitis, *Laudabilem*, insertam non fuisse Collectioni novæ Decretalium jussu Gregorii Noni editæ: Concilium denique Tridentinum Sessione XXIV. Canone V. anathemate feriisse eos qui dixerint, propter Hæresim dissolvi posse Matrimonii vinculum. Hæc verba, *Papa erravit*, affingunt mihi RR. Censores, mea non sunt. Quamvis Cœlestinum III. in ea Decretali errasse verum sit. Ejus opinionem Ecclesiæ consensu non fuisse approbatam dixi, quod certissimum. De infallibilitate Summi Pontificis ne verbum quidem ullum habeo eo loci; nec id infero, quod me inferre voluisse RR. Censores in omnem eventum divinant; tametsi ea sit Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ Sententia. Sane aut Cœlestinus III. erravit, aut Innocentius III. qui Decretalem ejus correxit, cum eorum opiniones contrariæ sint, ut ipse Innocentius in Decretali sua notat : *Nos igitur consultationi tuæ respondentes, distinguimus, licet quidam Prædecessor noster sensisse aliter videatur*, &c. Non erravit *Innocentius Tertius*, cujus sententiam approbavit & amplexa est Ecclesia : Quid igitur de *Cœlestini* III. Sententia dicendum, nisi quod notat Glossa capitis, *Quanto*, mox laudati? PRÆDECESSOR, *scilicet Cœlestinus, dictam cujus habuisti olim in Decretali* S. De Convers. Infid. C. Laudabilem. *Et male dixit Cœlestinus*. Hæc Glossa, quæ in Scholis Juris Canonici toto orbe Christiano legitur. Longius progressus est *Alfonsus de Castro* Ordinis FF. Minorum vir eruditus, qui lib. 1. *De Hæresibus*, cap. 4. scribere non dubitavit *Cœlestinum III.* non posse excusari ab Hæresi, quod docuerit per hæresim ita Matrimonium solvi, ut liceat ei conjugium aliud inire, cujus prior conjux in hæresim lapsus sit. Ego vero ab Alfonso dissentio, & Cœlestinum III. excusari posse existimo ab hæresi, quia tunc temporis veritas non erat adhuc eliquata, sed illum ab errore excusare non valeo, quamvis *Decretum ejus plane Apostolicum & ex Cathedra non fuisse*, (ut ait *Bellarminus* lib. 4. *De Romano Pontifice*, cap. 14.) non diffitear. Explicari potest & in rectum sensum flecti Gregorii II. Responsum ad Bonifacii Moguntini Archiepiscopi Consulta, quod habetur 11. Parte Decreti, Causa 32. Quæst. 7. Cap. 18. *Quod proposuisti*, inquit, *si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis : Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret : Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis : Non tamen subsidii opem subtrahat ab illa quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit*. Quia tamen Responsum illud *Gregorii II.* in bonum sensum flecti non posse visum est *Gratiano*, hanc ille Notam apposuit, quam Romani Correctores ad collectionis ejus emendationem a *Gregorio XIII.* adhibiti expungendam non duxerunt. *Illud Gregorii, Sacris Canonibus, immo Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ penitus reperitur adversum*. Quamvis ergo *Cœlestinum III.* in Decretali, *Laudabilem*, errasse simpliciter dixissem, non essem propterea reprehendendus, sed mitius ac modestius locutus sum, dicendo : *Ista Cœlestini III. opinio Ecclesiæ consensu non est approbata*.

Nota.

QUod narrat Rogerius Hovedenus de Cœlestino pede suo coronam Imperatoris conculcante falsitatem redolet apud Natalem. Verum hanc historiam neutiquam rejiciendam putat Franciscus Pagi in vita Cœlestini, cum apud ipsum majoris roboris sit Rogerii asserentis testimonium ea ætate florentis, quam aliorum omnium silentium.

Nota.

ERravit Cœlestinus sentiendo matrimonii vinculum inter fideles solvi, si alter conjugum hæresim amplectatur, sed non definivit, ac suam opinionem dumtaxat exposuisse illa Innocentii verba manifestant : *Licet quidam Prædecessor noster aliter sensisse videatur*, porro *sentire* non est definire. At ut satis dignoscatur quam inaniter, objiciendo Pontificum lapsus in quibusdam Decretalibus pugnent Bossuet, aliique contra infallibilitatem Pontificis ut universalem ecclesiam docentis per suas definitiones, operæ pretium est hic animadvertere non omnes Pontificum epistolas Decretales solemnes rerum, super quibus consulebantur, continere definitiones.

Jam ergo adnotavi tunc Pontificem solemniter definire, seu ex Cathedra loqui, quando aliqua veritate mature examinata, ac specialibus orationibus Spiritus S. adsistentia invocata, aliquid tamquam Magister universalis definit, ac ad fidem pertinere universæ proponit ecclesiæ, adeout ostendat ut hæreticos habendos qui aliter, ac ipse definierit, sentiant; unde in eos solet anathema pronuntiare. Neque hic etiam prætereundum quod licet veritas ita definita ad fidem pertineat, in eaque definienda infallibilem Romanum Pontificem agnoscamus, non tamen est necesse eamdem infallibilitatem ad ea, quæ incidenter dicuntur, extendere, sive ad aliquas rationes, quæ forte afferantur, hæ etenim ex majori minorive doctrina Romanorum Pontificum derivant; & aliunde pro ecclesia instruenda sat est, si in suis definitionibus errori non sint obnoxii. Ubi vero est reperire Pontificum Decretales omnes epistolas ita esse ecclesiæ propositas, ut modo præfato articulum fidei continere dignoscamus? E contra vero scimus in iisdem decretalibus quædam tantum ut magis probabilia proponi, alia ut omnino quidem sequenda, sed non ita ut ad fidem pertineant, quamvis eisdem opposita omni postea practica probabilitate exuantur. Sed audiantur Walemburgenses *tom. 2. in reg. fid.* §. 4. *n.* 2. *Placet adhuc*, ajunt, *propius decretales illas evolvere. Maxima earum pars versatur in regulandis Officialis, seu Judicis in episcopali tribunali sedentis judiciis; varia in collatione beneficiorum observanda præscribunt, ex quibus Officiales debent litem terminare. Quid hæc ad articulos fidei? Non sunt hæc materia propria fidei. Pleraque etiam, & fere omnes responsa sunt particularibus data, non toti ecclesiæ, in quibus responsionibus particularibus concedunt omnes Papam posse errare, nec talia responsa fundandæ doctrinæ fidei, multo minus catholicæ esse sufficientia — Compendiosior via & regia reducendis ad castra catholica deviis est propalam inclamare, nihil horum esse de fide catholica, proinde nihil horum esse in professione fidei nostræ, quam subscribendam solum reducendis deviis proponimus*. Secum etiam sentire Bellarminum observant, cum etenim *l. 4. de Rom. Pontif. c. 2.* retulisset Magdeburgenses *centur.* 8. *cap.* 10. accusare Gregorium III. quasi viro permisisset aliam uxorem ducere, si ea quam habebat propter morbum debitum reddere conjugale non valeret, hanc etiam pro Gregorio vindicando affert responsionem : *Posset etiam dici Pontificem ex ignorantia lapsum esse, quod posse Pontificibus accidere non negamus, cum non definiunt aliquid tamquam de fide, sed solum opinionem suam aliis declarant, ut hoc loco videtur Gregorius fecisse*. Ita expresse Bellarminus fatetur in epistolis decretalibus errorem esse potuisse. Cæterum summo in pretio habendas esse demonstrat totius ecclesiæ consensus illas intuens, tamquam regulares a se observandas.

CAPUT III.

De cæteris Conciliis quibus sancita est variis in Ecclesiis Disciplina sæculis XI. & XII.

DE Conciliis a Romanis Pontificibus celebratis Romæ, & in aliis Italiæ civitatibus, apud Clarummontem, Nemausi, Remis, &c. cum egerimus

Ca-

Capitibus 1. & 2. quibus eorum Gesta exposuimus; de Conciliis contra Berengarium, & contra *Petrum Abaelardum* congregatis: de his quæ in causa Investiturarum, & in causa *S. Thomæ* Cantuariensis, habita fuere; necnon de tribus Œcumenicis Lateranensibus, simus in Dissertationibus acturi; pauca hic nobis supersunt percensenda, quæ compendio attingemus.

ARTICULUS I.

De Concilio Ænhamensi.

Ænhamum ignotus nobis Angliæ locus.

Summa Canonum.

Matrimonii impedimenta.

Jura sepulchralia Parochiæ solvenda, licet sepulturam alibi quis elegerit.

Præcepta jejunia.

Quibus temporibus nuptiæ & litium contestationes, prohibitæ in Ecclesia Anglicana.

NOno supra millesimum anno Ænhami in Anglia celebrata est Synodus jussu Regis *Æthelredi*, ad quam Angliæ Episcopi & Optimates universi convenere, ita ut Concilium Ecclesiasticum simul & Politicum esset, & Regni Comitia cum Synodo celebrarentur. Conventus agendi authores Regi fuere *Ælfagus* Cantuariensis & *Vulstanus* Eboracensis, Archipræsules. Canones conditi duo supra triginta. *Primus* Clericos, Abbates, Abbatissas, Monachos hortatur ut vitam professione sua dignam ducant, suisque, ut par est, Officiis fungantur, Christianos omnes ut Pœnitentiam agant. *Secundus*, de Sacerdotum, aliorumque Ministrorum sacrorum cœlibatu decernit. *Tertius*, de cultu & amore Dei. *Quartus* de sagis, incantatoribus, necromanticis, meretricibus exterminandis. *Quintus*, de justis Legibus ferendis, injustis abrogandis. *Sextus* prohibet ne Christiani Paganis vendantur. *Septimus*, Legum severitatem jubet temperari, ne pro delictis minus gravibus homines morte damnentur. *Octavus* statuit de Matrimonii impedimentis, illudque contrahi vetat cum consanguineis vel affinibus in quarto gradu, cum Sanctimoniali, cum susceptrice sua e sacro fonte. *Nonus*, Ecclesiæ paci & libertati prospicit. Aliquod onus imponi Ecclesiis; & Ministros, inconsultis Episcopis, ejici prohibet. *Decimus* de juribus Ecclesiæ seu decimis solvendis. *Undecimus* Denarium Sancti Petri: *Duodecimus* & *Decimus-tertius*, Luminarium censum, & pecuniam sepulchralem pendi jubent: quam pecuniam Parochiæ solvi, etiamsi sepulturam quis extra Parochiam elegerit, mandat Canon *Decimus-quartus*. Canones *Decimus-quintus*, *Decimus-sextus* & *Decimus-septimus*, de Festivitatum & jejuniorum observantia decernunt. Mercaturas & nundinas, venationem & mundana opera diebus sacris prohibent. Jejunium in Vigilia summi Festi *S. Mariæ*, id est, gloriosæ ipsius Assumptionis, & in Vigiliis singulorum Apostolorum præter quam *Philippi* & *Jacobi*, Quatuor statis Temporibus, & singulis sextis Feriis indicunt. *Decimus-octavus* litium contestationem, juramenti præstationem, nuptiarum celebrationem in Festis solemnibus & Jejuniis Quatuor Temporum prohibet. Item ab Adventu ad Octavas Epiphaniæ, & a Septuagesima ad quintam decimam noctem ultra Pascha. *Decimus-nonus* Viduas per annum post obitum viri innuptas manere jubet. *Vigesimus* Christianos ad Confessionem Sacramentalem & Eucharistiam frequentandam adhortatur, saltem ter in anno. *Vigesimus-primus* Christianæ plebis mores in verbis & operibus informat. *Vigesimus-secundus*, de pacis violatæ redintegratione, de numismatis emendatione, de justis ponderibus & mensuris, de pontibus instaurandis, & militari expeditione decernit. Hoc etiam spectant duo sequentes Canones. *Vigesimus-quintus*, *Vigesimus-sextus*, *Vigesimus-septimus*, & *Vigesimus-octavus* adversus homicidas, reos Majestatis, monialis aut viduæ constupratores conditi. *Vigesimus-nonus* incundum esse monet Consilium de religione promovenda. *Trigesimus* adhortationem ad utrumque Ordinem continet. *Trigesimus-primus* statuit ut mulctæ propter delicta in Deum & Ecclesiam patrata impositæ in pios usus convertantur. *Trigesimus-secundus*, Potentiores gravius mulctandos, & pœnam unicuique juxta conditionem suam & qualitatem criminis imponendam edicit.

ARTICULUS II.

De Concilio Salegunstadiensi.

Salegunstadium, vulgo Seligenstat, in Moguntina Diœcesi.

Summa Canonum.

Missæ votivæ.

Bannitum jejunium.

Carrina Pœnitentialis.

Lapsorum malæ artes & impœnitentia damnantur, qui Pœnitentiam a Sacerdotibus suis impositam adimplere nolentes, ad indulgentiam seu remissionem Pœnitentiæ a Summo Pontifice impetrandam Romam ibant.

ANno millesimo vigesimo-secundo, *Aribo* Moguntinus Archiepiscopus, cum quinque Coepiscopis, Salegunstadii, ad Mœnum, Synodum celebravit, *Henrici II.* Imperatoris anno sexto. Canones viginti condidit. *Primus* abstinentiam a carne & sanguine indicit quatuordecim diebus ante solemnitatem *S. Joannis Baptistæ*, & ante Nativitatem Domini, in Vigiliis Epiphaniæ, Assumptionis Beatæ Virginis, omnium Apostolorum, *S. Laurentii*, & omnium Sanctorum, & unicam dumtaxat refectionem his diebus permittit. *Secundus*, stata & fixa esse jubet Quatuor Temporum Jejunia. *Tertius*, nuptias celebrati vetat ab Adventu Domini usque ad Octavas Epiphaniæ, a Septuagesima ad Octavas Paschæ, & omnibus diebus jejunio consecratis, aut majoribus Solemnitatibus. *Quartus* presbyteris, qui post galli cantum biberint, ne sacrum faciant, interdicit. *Quintus* ne uno die plusquam tres Missas celebrent. Plurium Missarum celebrationem presbyteris qui plures parochias regebant, alias permittebat Ecclesia Moguntina; sed cavit ne trium numerum excederent. *Sextus*, corporale Domini corpore consecratum in ignem ad extinguendum incendium projici vetat. *Septimus* statuit ut cum duorum nomen de adulterio delatum est; qui negat, probabili judicio se expurget; confessus pœnitentiam subeat. *Octavus*, gladium, excepto Regali, in Ecclesia gestari vetat. *Nonus* colloquia in Ecclesiis vel in earum atriis misceri prohibet. *Decimus*, Missas votivas de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaele, & Evangelium *In Principio erat verbum*, pro Matronarum desiderio, quæ divinationis non devotionis causa illas audire volebant, celebrari vetat, ac recitari. Cæterum Missas votivas, si pro reverentia Sanctæ Trinitatis postulentur, Synodus non improbat. *Undecimus* a nepote, non a fratre & sorore, gradus consanguinitatis numerandos esse docet. *Duodecimus*, laicorum ædificia Ecclesiis contigua esse prohibet. *Decimus-tertius* vetat ne Patroni laici Ecclesias suas, inconsulto Episcopo, Presbyteris commendent. *Decimus-quartus*, statuit ut cum duo adulteri accusantur, & uterque negat, alteruter ambos divino purget judicio. *Decimus-quintus* bannitum jejunium religiose servari præcipit in Diœcesibus, in quibus indictum est. Bannitum jejunium vocabatur, quod ad bannum divinum, seu Dei indignationem & flagella avertenda indiceretur ab Episcopis, susciperetur a populis, qui se dignos judicabant propter peccata ut a Regno Dei bannirentur (sic loquebantur eo ævo) id est, exularent. Austerius solito erat jejunium illud, triduanum, octo rerum abstinentia celebre: si alicujus usum quis redimere vellet, pauperem reficeret, Salegunstadiensis jussit Synodus. *Decimus-sextus* vetat ne aliquis Romam petat absque licentia sui Episcopi, vel ejus Vicarii. *Decimus-septimus* sub anathemate prohibet, ne presbyteri carrinam pœnitentibus dividant, nisi sint infirmi. Erat autem carrina vel carena dierum quadraginta continuorum jejunium in pane & aqua, ut *Bucardus* lib. 19. cap. 5. exponit. *Canon decimus-octavus* statuit, ut iis qui Pœnitentiam a Sacerdotibus suis recipere nolunt, & ad Summum Pontificem confugiunt, ut indulgentiam obtineant, Indulgentia non prosit, nisi prius Pœnitentiam a Sacerdotibus suis indictam adimpleant. *Quia multi*, inquit, *tanta mentis suæ falluntur stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, Pœnitentiam a Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata: Sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, sed prius juxta modum delicti Pœnitentiam sibi datam a Sacerdotibus adimpleant: & tunc Romam ire, si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & literas ad Apostolicum de iisdem rebus deferendas accipiant.* Lapsorum malas artes & impœnitentiam, non Summam Romani Pontificis in tota Ecclesia authoritatem Synodus impugnat.

gnat. *Decimus-nonus* vetat ne pœnitens, dum carrinam suam jejunat, de loco in locum migret, sed ibi permaneat, ubi suam acceperit Pœnitentiam, ut proprius Sacerdos sibi præbeat testimonium. *Vigesimus* cavet ne presbyteri excommunicatos aut Pœnitentes, absque mandato Episcopi in Ecclesiam introducant vel absolvant.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 264. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant; *Concilium declarat absolutos a Papa, a Pœnitentia prius imposita non eximi*.

R. Synopsim Canonum Concilii Salegunstadiensis exhibens, Canone 18. statutum esse observo, *Ut iis qui pœnitentiam a Sacerdotibus suis recipere nolunt, & ad Summum Pontificem confugiunt, ut indulgentiam obtineant, indulgentia non prosit, nisi prius pœnitentiam a Sacerdotibus suis indictam adimpleant.* Tum Canonis verba describo, de meo nihil addo, nisi hanc observationem, quæ laudem meretur, non reprehensionem: *Lapsorum malas artes & impœnitentiam, non Summam Romani Pontificis in tota Ecclesia Authoritatem Synodus impugnat*. Ad hanc observationem non attenderunt, aut certe ipsam dissimularunt Religiosi Censores.

Nota.

PRofecto Concilium Salegunstadiense summam & immediatam Romani Pontificis authoritatem in universam ecclesiam non impugnavit, sed obviam ire voluit fraudibus impœnitentium. Ignorare haud poterant illi Antistites Sedem Apostolicam interdicta, suspensiones, excommunicationes, seu quaslibet sententias quando expedire credidit, semper & in quoscumque ubivis degentes pronunciasse, sicut etiam ab aliis inflictas revocasse. Quia tamen Romano Pontifici ad ipsum confugientes aliquando obrepserant, ideo illi Episcopi a Romanis peregrinationibus se alienos demonstrarunt. Id etiam palam faciunt quæ evenere inter Benedictum, & PP. Synodi Lemovicensis, cujus meminit Natalis articulo sequenti. Cum igitur Benedictus Arverniæ Comitem a suo Episcopo excommunicatione innodatum absolvisset, Stephanus episcopus Claromontanus in Pontificem querelas effudit, non tamen de usu indebitæ jurisdictionis condolens. Quia vero Pontifex ignoranter Comitem absolvisse respondit, & fraudulenter absolutionem obtinuisse, adeoque illam cassam irritamque facere, Præsules Concilii, Pontificis epistola perlecta, seipsos culpabiles fassi sunt, quia Pontifici non detulerint nomina & causas eorum, quos a se ligatos nollent Romanum Pontificem solvere; nec irritam Pontificis absolutionem dixere, nisi quia fraude ac dolo extortam agnoverunt. Ipsorum verba legenda apud Natalem articulo sequenti: ubi etiam apparet agnovisse, *judicium totius ecclesiæ maxime in Apostolica Romana Sede constare*. Quod si aliquando Episcopi de usu pontificiæ potestatis irrationabiliter conquesti sunt, non desierunt Romani Pontifices de suo errore illos commonere. Ita cum episcopus Leodicensis non ea, qua par erat, reverentia, scripsisset ad Gregorium VII. ob absolutionem uni ex suis Diœcesanis impertitam, Gregorius respondit Petro, ejusque Successoribus demandatam a Christo potestatem solvendi ligandive nullis, vel rerum, vel temporum, vel locorum finibus coarctatam; ac propterea olim errasse Orientales Episcopos, dum conquesti sunt de Julio Papa, quod Athanasium absque ipsorum consensu pristino honori restituisset. Demum ita subdit: *Mirati sumus non ea te, qua decuit ad Apostolicam Sedem reverentia, scripsisse, sed nos ob absolutionem illius parochiani tui, qui olim ad nos venit, mordaci invectione reprehendisse, tamquam Apostolicæ Sedis non esset authoritas quoscumque, & ubicumque vult ligare, & absolvere*.

ARTICULUS III.

De Conciliis Bituricensi, & Lemovicensi II.

§. I.

Summa Canonum Concilii Bituricensis.

ANNO Christi millesimo trigesimo-primo, Kalendis Novembris, *Aymo* Bituricensis Archiepiscopus, Concilium in Metropoli [illegible] cum quinque Provinciæ suæ Episcopis celebravit [illegible] quinque & viginti conditi Canones. *Primo* sancitum est ut in omnibus Aquitaniæ Primæ Diœcesibus, *S. Martialis* memoria, non inter Confessores, sed inter Apostolos proponatur ac celebretur, sicut a Romana Sede & a pluribus antiquis Patribus definitum est. *Secundo*, ut Hostiæ consecratæ diutius non serventur quam una hebdomade, sed singulis diebus Dominicis renoventur. *Tertio*, ut nec Episcopi, nec eorum Notarii, munus ab Ordinandis accipiant. *Quarto*, ut Archidiaconi minime fiant, qui Diaconi non fuerint. *Quinto*, ne Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi uxores aut concubinas habeant, sub pœna exauthorationis. *Sexto*, ut deinceps nemo Subdiaconus ordinetur, nisi qui Cœlibatum voverit. *Septimo*, ut Ecclesiastici Ministri Tonsuram Ecclesiasticam, coronam, & barbam rasam habeant. *Octavo*, ut filii Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum in sacris Ordinibus geniti, & nothi omnes, deinceps a Clero arceantur. *Nono*, ut servi & colliberti, ad Clerum non admittantur, nisi a suis dominis libertate donati sint. *Decimus*, Clericorum filios censendos non esse declarat, qui ab ipsis geniti sunt, postquam ad Laicorum statum reversi, legitimum iniere conjugium. *Undecimus*, ab Archidiacono deponendos edicit, qui ex servis, aut Clericorum filiis, deinceps in Clero conscripti, vel ad sacros Ordines promoti fuerint. *Duodecimus*, pro Baptismo, Pœnitentia, & Sepulturis aliquid accipi vetat præter spontaneas oblationes. *Decimus-tertius*, oblationes & luminaria quæ Presbyteris ad manus offeruntur, ipsis attribuit. *Decimus-quartus*, Pallia mortuorum feretris imposita super altare poni vetat. *Decimus-quintus*, vectigalia die Dominico fieri prohibet, nisi amore Dei, timore hostium, vel propter magnam necessitatem. *Decimus-sextus*, ne qui uxorem sine culpa fornicationis dimittit, aliam accipiat, illa superstite. Quatuor proxime sequentes Canones disciplinam spectant circa Matrimonia contrahenda: vetant connubia consanguineorum usque ad sextum vel septimum gradum, & affinium; & cum Clericis, vel eorum filiis; aut uxoribus, vel filiabus. *Vigesimus-primus* prohibet ne Laici Beneficia Ecclesiastica super Presbyteros habeant, quæ fevos seu feudos Presbyterales appellabant. *Vigesimus-secundus*, ne Patroni Laici Presbyteros Ecclesiis suis præficiant, sed Episcopo constituendos nominent. *Vigesimus-tertius*, Clericos militiæ sacræ desertores ab aliis separari jubet. *Vigesimus-quartus* Monachos Apostatas anathemate percellit. *Vigesimus-quintus*, Canonicis & Monachis prohibet, ne a propriis Monasteriis ad alia transeant, *propter adipiscendum aliquod ministerium, vel honorem, vel occupationem terrenam*; sed tantum *causa rationabilis necessitatis, vel ædificationis animæ, vel ordinem melius observandi*; idque cum Episcopi sui, vel Abbatis consensu. In eodem Concilio de compescendis privatis Bellis, & pace firmanda actum est; & anathemate percussi, qui pacem proterve recusarent, ut constat ex Concilio Lemovicensi II.

Irregularitas ex natalium defectu.

Impedimenta Matrimonii.

Canonicorum Regularium & Monachorum in propriis Ecclesiis stabilitas.

Canonibus adjunctum est *Aymonis* Archiepiscopi Bituricensis Edictum De *S. Martialis* memoria, sive in Litaniis, sive in cæteris Officiis inter Apostolos colenda, secundum Apostolicas *Joannis* Papæ XVIII. Literas. Quod ex Gestis *S. Martialis* ait *Aymo*, ipsum in Cœna Domini adfuisse, authoritate caret, ac Evangelio repugnat, quod duodecim dumtaxat Apostolos cum Christo discubuisse testatur, Matth. XXVI. Marci XIV. Lucæ XXII. Consignatum est istud *Aymonis* Edictum anno MXXXI. Indictione 14. quo refellitur *Baronius* illud ad annum MXXXIV. re-

S. Martialis memoria inter Apostolos.

referens. *Jordani* Lemovicensis Episcopi nomen inter Præsules, qui adfuisse Bituricensi Concilio memorantur in fine illius Edicti, Librariorum errore irrepsit: Se enim adfuisse ipse testatur Actione I. Concilii Lemovicensis II.

§. II.

Summa Decretorum Concilii Lemovicensis Secundi.

S. Martialis Apostolatus confirmatus.

Die post Bituricense Concilium XV. scilicet 14. Kalendas Decembris, altera Synodus Lemovicis habita est in Ecclesia Protomartyris Stephani. Variis documentis *Sancti Martialis* Apostolatus probatus est, ejusque memoriam Apostolorum ritu celebrandam, secundum Literas Romani Pontificis, & Bituricensis Decreta Synodi, sancitum est. Bituricensis Archiepiscopus sententiam dixit, & Comprovinciales Episcopos admonuit ut Romanæ Sedis Edicto parerent, alioqui ad obedientiam authoritate compellendi. *Veruntamen Comprovinciales nostros necesse est, nisi susceperint, admoneri obediant Romanæ Sedi Capiti suo severa authoritate nostra compulsi.* Mox ad Ecclesiam Præsules processere, Stationem festam acturi. Archipræsul Sacrum solemne celebravit, in quo hanc Orationem recitavit, a *Joanne* Papa ad Lemovicenses jamdudum directam: *Omnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Martialem Apostolum Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, quæsumus, nobis ejus suffragantibus meritis, pietatis tuæ gratiam largiaris.* Secundum hæc, Patres rito solemni excommunicarunt Milites Lemovicensis Diœceseos, qui pacem Episcopo suo, prout exigebat, firmare contumaciter renuebant. Et hæc quidem Sessione prima.

Renovatio Corporis Domini, sive Hostiarum consecratarum, præcepta.

Monachi a Synodo laudantur.

Sessione III. *S. Martialis* Apostolatus contra quosdam adversus priora Decreta murmurantes iterum confirmatus est. Deinde Bituricensis Concilii roborata Statuta præcipue quoad renovationem Corporis Domini in Ecclesiis, in quibus continuo custoditur, quam in anno duodenis vicibus fieri Patres decrevere, hujus vero & aliarum Regularum executionem, in Monasteriis, Abbatum arbitrio permittit Synodus Episc. Lemovicensi suggerente. *Monasteria vero Monachorum Regularia*, inquit, *quia diligentius, & nitidius omnia ad cultum Altaris procurant, in Abbatum suorum arbitrio de his, sicut de aliis Regulis permittimus. Illi enim nostris Legibus constringi non debent, qui ultra nos per arctam & angustam portam vitæ ingredi appetunt, qui voluntatem propriam frangunt, qui jugum ab adolescentia portant, qui Episcoporum jussis summopere in omnibus obediunt; Tales, inquam, Legibus non oportet subjici Conciliorum, nisi forte reprehensioni vel contemptui patuerint. Sic Apostolus ait:* Justo lex non est posita, &c. *Nam & Abbates Regulares non ideo ad Synodum venire cogo hujus Sedis, ut arguantur; sed ut mihi de rebus Ecclesiasticis moderandis consultam præbeant. Quatenus ipsi spirituales viri, dum mihi per diversas multorum curas disperso opem ferunt ad sublevandum onus, in retributione coronæ mecum participentur. De cultu enim Ecclesiastico & reverentia Corporis Domini probavi ipse oculis meis Regulares per Lemovicinum Monachos, Altaria & Codices, vestimenta, Calices, Linteamina,* & *cuncta quæ ad Altare pertinent, mundissima quotidie & cum reverentia servare.* Postea de Abbate Laico actum, qui Solemniacense Monasterium occupabat. Id emendari Synodi judicio ipse consensit. Dixerunt Patres: *Idoneum ex Regularibus Monachis aliquem adducito ante Dominum Jordanum, ut ipse eum regulariter ordinet Abbatem ad regendum ipsum locum: & tu extrinsecus non dissipator, sed Defensor & Provisor loci adesse memento.* Abbatis secundum Regulam ordinandi cura Lemovicensi Episcopo demandata est.

Abbatum erga Episcopos reverentia.

Actum est præterea de Abbate Usercensi, qui excommunicatum in suo Cœnobio sepelivisse dicebatur. Ille accusationem diluit dixitque: *Absit a me ut absque vestra licentia aliquando suscipiam excommunicatum. Ordo enim noster quanto sublimior est, tanto subjectior & promptior ad obediendum Episcopis ut sit necesse est. In Episcopis enim ipsum Deum honoramus, vel contemnimus, sicut ipse ait: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

Nonnullis aliis propositis ac solutis quæstionibus, conquesti sunt Patres de excommunicatis Aquitanis, qui ignorantibus Episcopis suis a Romano Pontifice Pœnitentiam & absolutionem accipiebant. *Hac enim de causa*, inquiebant, *pax & Concilium in Aquitania destruitur, dum quos isti, juste ligant, ille injuste absolvit.* Engelricus Sanctæ Mariæ Aniciensis Canonicus *Benedicti VIII.* literas ad *Stephanum* Avernensem Episcopum protulit, quibus absolutionem *Pontio* Comiti, quem a dicto Episcopo excommunicatum ignorabat, concessam, Pontifex irritam declaravit. Dixerunt Episcopi: *Frustra hac querela adversus nostrum mutire audet. Apostolicus enim absque culpa est & potius nos culpabiles sumus, nisi literis nostris ei notum faciamus, de quibus nolumus ut absolvantur. Cum ergo tales deceperint Apostolicum ut fraudulenter absolvantur ab eo, irrita est eis illa absolutio, ideoque nec ab eo, nec a nobis confirmanda.* Tunc de Engolismensi Episcopo in ipso Concilio sedente quispiam narravit, quod cum ex Diœcesanis ejus non nemo ab ipso excommunicatus, sine ejus licentia Pœnitentiæ legem a Romano Pontifice surripuisset, ejusque Literas Episcopo suo in Cœna Domini obtulisset, rogantes ut Pœnitentiam ipsi Romæ impositam approbaret, Episcopus obreptum esse Apostolicæ Sedi cognoscens hominem his verbis perstrinxit: *Versa vice, quod ego postulare debueram ab Apostolico, Apostolicus postulat a me. Non credere possum hoc mandatum ab eo extortum: Hoc tibi nihil utile est: & donec aut a me, aut ab hujus Sedis Archidiacono, me jubente, accipias Pœnitentiam, permane in excommunicatione. Et ejecit eum foras de Ecclesia.*

Irrita judicatur absolutio a Romano Pontifice per obreptionem impetrata.

Romani Pontificis Authoritas in imponendis, vel relaxandis per totam Ecclesiam Pœnitentiis.

Hac audita relatione, Episcopi dixere: *Hoc ab ipsis Apostolicis Romanis, & cæteris Patribus cautum tenemus: ut Parochiano suo Episcopus si Pœnitentiam imponit, eumque Papæ dirigit, ut judicet utrum sit an non Pœnitentia digna pro tali reatu, potest eam confirmare Authoritas Papæ, aut levigare, aut superadjicere. Judicium enim totius Ecclesiæ maxime in Apostolica Romana Sede constat. Item si Episcopus Parochianum suum cum testibus vel literis Apostolico ad Pœnitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro gravissimis reatibus fieri solet, in quibus Episcopi ad dignam hæsitant Pœnitentiam imponendam: hic talis licenter a Papa remedium sumere potest; nam inconsulto Episcopo suo ab Apostolico Pœnitentiam & Absolutionem nemini accipere licet.*

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 270. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam adscribunt: *Valde notanda quæ hic dicit de Authoritate Papæ circa Absolutionem ab Excommunicatione lata ab Episcopis in suis Diœcesibus.*

R. Ex Actis Synodi Lemovicensis secundæ, quorum verba profero, irritam ab istius Concilii Patribus judicari observo Absolutionem a Romano Pontifice per obreptionem impetratam. Summi tamen Pontificis Authoritatem in imponendis vel relaxandis per totam Ecclesiam Pœnitentiis, ex ipsius Synodi Lemovicensis Actis probo, cujus hæc verba non omitto: JUDICIUM ENIM TOTIUS ECCLESIÆ MAXIME IN APOSTOLICA ROMANA SEDE CONSTAT. Quid hic reprehensione dignum? Quod in Concilio gestum est, fideliter refero; quod ad commendationem Authoritatis Pontificiæ pertinet, diligenter observo.

ARTICULUS IV.

De Conciliis Rothomagi Undecimo Sæculo celebratis.

Rothomagus vulgo Rouen, *Sedes Archiepiscop. Normanniæ caput.*

ROthomagi, quæ Normanniæ Metropolis est, quatuor XI. Sæculo celebres habitæ sunt Synodi. Prima anno 1050. altera anno 1072. tertia anno 1074. quarta anno 1096. de quibus singillatim agendum.

§. I.

§. I.

Summa Canonum Concilii Rothomagensis anno 1050. celebrati.

Primæ Synodo præfuit Malgetius Archiepiscopus Rothomagensis, & Comprovincialibus Episcopis suffraganitibus, undeviginti condidit Canones. *Primus* est de Fidei Symbolo firmiter tenendo. *Secundus* Episcopatum muneribus Principi aut familiaribus ejus datis ambiri vetat. *Tertius*, ne Episcopi ad aliam Sedem *amplioris honoris causa*, transmigrent. *Quartus*, ne Monachi aditum ad honores pecunia sibi aperiant. *Quintus*, ne Episcopi vel Abbates se mutuo supplantent. *Sextus* Simoniam in sacris Ordinationibus damnat, uti & *Septimus*. *Octavus* ad sacros Ordines promoveri tantum eruditos, & legitima ætate, statuit. *Nonus*, alienos Clericos vetat ordinari. *Decimus* ne Clericorum stipendia Laicis tribuantur. *Undecimus* ne Archiadiaconus Archidiaconum; *Duodecimus*, ne Clericus Clericum supplantet. *Decimus-tertius*, ne Presbyter alterius Ecclesiam usurpet. *Decimus-quartus* ne Chrisma vendatur. *Decimus-quintus* ne pro Ecclesiarum Dedicatione: *Decimus-sextus*, ne pro Baptismatis administratione pecunia exigatur. *Decimus-septimus*, ut Baptizatorum in albis candela & chrismate dumtaxat donentur, nisi sponte aliud offerre Sacerdotibus voluerint. *Decimus-octavus* probibet, ne Pœnitentes per avaritiam graventur aut leventur, sed pro modo culpæ, & possibilitate naturæ, imponatur pœnitentia. Qui Sacerdotes hoc Decretum violaverint gradu suo privantor. *Decimus-nonus* Baptizatos in ipsa Ecclesia, in qua regenerationis gratiam acceperunt, per octo dies in albis repræsentari jubet.

Pœnitentia imponenda pro modo culpæ, & possibilitate naturæ.

§. II.

Summa Canonum Concilii Rothomagensis anno 1072. celebrati.

Alterum Concilium Rothomagense in Ecclesia Cathedrali Deiparæ Virgini sacra, a *Joanne* Archipræsule & ejus Suffraganeis habitum est. Canones viginti-quatuor conditi. *Primus*, Chrisma & Oleum ab Episcopo hora debita consecrari statuit, duodecimque Presbyteros vestibus sacris ornatos consecranti adsistere. *Secundus & tertius* de Chrismatis renovatione & distributione decernunt. *Quartus* ut Sacerdos Missam celebrans, Christi Corpus & Sanguinem sumat. *Quintus*, ut infantem, citra urgentem necessitatem, non baptizet, nisi jejunus, & Alba Stolaque indutus. *Sextus*, ut Viaticum & Aqua Benedicta ultro octo dies non serventur. *Septimus*, ut Confirmationem conferens & suscipiens jejuni sint, nec absque igne conferatur. *Octavus*, ut post diem Sabbati, vel die Dominica mane, sacri Ordines jejunis a jejunantibus conferantur. *Nonus*, religiosam Quatuor Temporum observantiam præcipit. *Decimus*, depositione mulctat eos qui inter Ordinandos irrepunt, & furtim ad Ordines provehuntur. *Undecimus*, Clericos erronas relinquentes, excommunicatione plectit: Clericos Ordinandos quinta feria Episcopo sistere se jubet. *Duodecimus* Monachos vagos & Sanctimoniales extra Monasteria discurrentes, compelli statuit ut ad illa redeant. *Decimus-tertius* Parochialium Ecclesiarum regimen vendi vetat. *Decimus-quartus*, Matrimonia clam contrahi prohibet, aut post prandium, & inter Consanguineos infra septimam generationem. *Decimus-quintus*, Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos continentiam non servantes arcet a sacris ministeriis & Beneficiorum fructibus privat. *Decimus-sextus* vetat ne quis Uxorem ducat qua-cum adulterii perpetrati, priori Uxore superstite, infamia flagravit. *Decimus-septimus* ne quis velata Uxore, aliam ducat, quandiu ipsa vixerit. *Decimus-octavus*, excommunicatam denuntiat mulierem, quæ viro absente, prius nupserit, quam de ipsius morte certis documentis fuerit edocta. *Decimus-nonus*, Clericos publicum in crimen lapsos sacris Ministeriis facile restitui prohibet. *Vigesimus* mandat ut Episcopus qui ad Presbyteri vel Diaconi lapsi depositionem vocatus, venire non potuerit, Vicarium mittat. *Vigesimus-primus* statuit: *Ut nullus in Quadragesima prandeat, antequam hora bona peracta, vespertina incipiat: Non enim jejunat, qui ante manducat*, (inquit Synodus.) *Vigesimus-secundus*, Sabbati Paschæ Officium ante horam nonam inchoari prohibet. *Vigesimus-tertius* Sanctorum Festivitatem, quæ ipsa die, in quam incidit, celebrari non potest, infra diem octavum celebrari mandat. *Vigesimus-quartus*, generale & solemne Baptisma non fieri statuit extra Sabbatum Paschatis & Pentecostes.

Baptismum & Confirmationem administrari decet a jejunis.

Matrimonii Impedimenta.

Refectionis hora diebus jejunii.

§. III.

Summa Canonum Concilii Rothomagensis an. 1074. celebrati.

Tertiam Synodum anno 1074. idem Archipræsul Rothomagensis *Joannes* in sua Metropoli, cum suis Suffraganeis, celebravit, cujus meminit Chronicon Rothomagense a Patre *Labbè*, S. J. excusum Tom. I. Bibliothecæ Novæ MSS. Librorum. Adfuit *Wilelmus* Rex Anglorum, & Normanniæ Dux. Canones decem & quatuor conditi. *Primus*, Simoniacam hæresim & sacrilegam Beneficiorum Ecclesiasticorum nundinationem damnat. *Secundus*, ordinari prohibet Abbatem, nisi qui prius diuturna conversatione vitæ Monasticæ disciplinam fuerit, assecutus. *Tertius*, Clericos suscipi vetat absque commendatitiis proprii Episcopi, literis. *Quartus*, interstitia Canonum authoritate præscripta in sacris Ordinationibus observari mandat. *Quintus*, Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros Parochianos ordinari prohibet, nisi legitimam Professionem coram Episcopo, & in omnium circumstantium audientia emittant. *Sextus*, Monachum vel Sanctimonialem in crimen corporale publice lapsum, ab Officiis arcet. *Septimus*, Regulam *S. Benedicti* ad amussim observari jubet a Monachis & Sanctimonialibus. *Octavus*, in MSS. & editis mutilus est. *Nonus* statuit, ne Christiana sepultura & exequiæ negentur illis qui nullo crimine mortali, publico scilicet contaminati, morte præoccupati fuerint. *Decimus*, viros qui se cum sororibus aut consanguineis uxorum suarum ante conjugium commixtos fuisse ajunt: quod mentiuntur interdum ut eas dimittant quæ sunt ipsius fastidio, non esse audiendos decemit, nisi id judicio probent. *Undecimus*, minime etiam audiendos statuit Clericos, qui sacris Ordinibus initiati, se omnes Ordines non recepisse mentiuntur, ut ab Ordine deponantur. *Duodecimus*, propter crimen depositos Sæculo militare vetat more Laicorum, quasi ab omni Clericatus obligatione liberi essent. *Decimus-tertius*, viros & mulieres, propter incestum Matrimonium separatos continere jubet, quoadusque legitime nupserint. *Decimus-quartus* vetat, ne Judæis Christiani serviant, aut Judæorum pueros Christianæ fœminæ nutriant, ut sacrorum Canonum & *Sancti Gregorii* authoritate dudum statutum est.

§. IV.

Summa Canonum.

Quartum Concilium Rothomagi celebratum est a *Guillelmo* Archiepiscopo, & ejus Suffraganeis anno 1096. mense Februario. Decreta Synodi Claromontanæ anno præcedenti ab Urbano II. celebratæ confirmarunt. Octo condidere Canones. Quatuor priores Treugam & pacem constituunt; eos qui ipsas jurare vel custodire neglexerint, necnon falsarios & raptores, anathemate percutiunt. *Quintus* Ecclesiis res suas & consuetudines sartas tectas servari jubet, Laicos a participatione decimarum & oblationum excludit. *Sextus* statuit, ut nullus Laicus det vel adimat Presbyterum Ecclesiam, sine consensu Præsulis, nec vendat. Prohibet etiam ne Christiani comam immodeste nutriant sub pœna excommunicationis. *Septimus* vetat ne Laicus consuetudines Episcopales sibi vindicet, vel justitiam quæ pertinet ad curam animarum. *Octavus* prohibet ne Presbyter hominium faciat Laico: Quia indignum est ut manus Deo consecratæ mittantur inter manus non consecratas, & plerumque cædibus aut impudicis actionibus, vel prædationibus pollutas: Sed si Feudum a Laico Sacerdos tenuerit, talem ipsi fidelitatem juret ut securus sit.

Comam immodeste nutrire Synodus vetat Christianis quibusvis hominibus.

ARTICULUS V.

De Synodo Coyacensi.

ANno Christi 1050. *Ferdinandus* Magnus Rex Castellæ Synodum ad restaurationem Ecclesiasticæ Disciplinæ congregavit in Castro Coyaco, Diœcesis

Oviedo.

Ovetensis. Adfuere novem Episcopi, Abbates plurimi, & Optimates. Capitula tredecim condita partim Ecclesiasticam, partim civilem Politiam spectantia. *Primum* statuit ut episcopi Ecclesiarum ministerium cum suis Clericis accurate exequantur. *Secundum*, ut Abbates & Abbatissæ Monasteria sua regant secundum Regulam *S. Benedicti, & cum suis Congregationibus obedientes & per omnia subditi sint Episcopis*. Tertium ut omnes Ecclesiæ & Clerici sint juris Episcoporum propriorum; ita ut Laici nullam in Ecclesias vel Clericos potestatem usurpent. Statuit præterea de ornamentis Altarium & vestibus Ministrorum, de materia Sacrificii, de honestate & modestia Clericorum. *Quartum*, ut omnes Archidiaconi & Presbyteri adulteros, incestuosos, & nefarii criminis reos, fures, homicidas, maleficos ad Pœnitentiam vocent, quam subire si noluerint, a Communione separentur. *Quintum*, decernit ut Archidiaconi tales Clericos statis temporibus ordinandos offerant, qui perfecte totum Psalterium, Hymnos & Cantica, Epistolas, Evangelia & Orationes sciant. Ut Presbyteri ad nuptias non eant, nisi causa benedicendi, non edendi. *Sextum* ut omnes Christiani die Sabbati advesperascente ad Ecclesiam concurrant, & Dominica matutina *Missas & omnes Horas audiant, opus servile non exerceant, nec sectentur itinera, nisi orationis causa, aut sepeliendi mortuos, aut visitandi infirmos, aut pro Regis secreto pro Saracenorum impetu*. Convictus etiam, & manducatio cum Judæis prohibetur. Hanc violantibus Constitutionem, Pœnitentiam septem dierum Patres imponunt. Pœnitere nolentes majores personas per annum a Communione suspendunt; inferiores eorum flagellis plectendos edicunt; *Septimo capitulo* Comites & Majorinos Regales admonent, ut justitiam recte administrent. Eodem spectat *Octavum* capitulum. *Nonum* diuturnam quamvis possessionem adversus Ecclesiam non præscribere declarat, secundum Canones, & Legem Gothicam. *Decimum*, ut qui vineas aut terras in contentione positas coluit, colligat fruges, quas, si causa ceciderit, reddet Domino hereditatis. *Undecimum*, singulis Feriis Sextis jejunium indicit. *Duodecimum*, vetat ne rei, qui ad Ecclesiam confugerint, per vim inde abstrahantur, nisi vitæ & membrorum data securitate, sub pœna Anathematis, & mulctæ mille solidorum purissimi argenti Episcopo persolvendorum. *Postremum* de fidelitate Regi servanda decernit.

Clericorum Ordinandorum qualitates.

Qua Religione observanda Dominica dies.

Nulla, quamvis diuturna possessio, adversus Ecclesiam præscribit.

Regula de Restitutione.

Sexta Feria jejunium.

ARTICULUS VI.

De Conciliis Narbonensi, & Tolosano.

Concilium Narbonense. Et apud S. Ægidium. Narbo, vulgo, Narbone caput Galliæ Narbonensis Sedes Archiepiscopalis. S. Ægidii villa, Saint Gilles, in Diœcesi Nemausensi. Summa Canonum Concilii Tolosani.

I. ANno Christi millesimo quinquagesimo quarto, octavo Kalendas Septembris Concilium Narbone celebratum est. Adfuere decem Episcopi, duorumque absentium Vicarii. Præfuit *Guifredus* Narbonensis Archiepiscopus. Abbatum, Clericorum, Optimatum ingens fuit numerus, *Petrus Raymundi*, Comes Barcinonensis, & *Berengarius* Vicecomes, operam Synodo navarunt. De Pace & Treuga actum, quæ Capitulis novem & viginti confirmata est. Pro eadem causa habita est altera Synodus apud *S. Ægidium* in Provincia Narbonensi anno circiter 156. cui Præsules Gallicani duo & viginti adfuere.

II. Anno Christi millesimo quinquagesimo-sexto, Idibus Septembris, *Victoris secundi* Papæ Mandato duodeviginti Episcopi Concilium Tolosæ celebrarunt. Præfuere *Rambalbus* Arelatensis, & *Pontius* Aquensis, Archipræsules, Sedis Apostolicæ Legati. Capitulis tredecim sancita Disciplina est. *Primum* Episcopos pecuniam ab Ordinandis exigentes, & Clericos per Simoniam ordinatos, a Dignitate & ordine dejicit. *Secundum* statuit ut Episcopi, Abbates, Presbyteri, ante annum ætatis trigesimum; Diaconi ante vigesimum quintum non ordinentur: nec Ordinatio fiat extra tempora secundum Canones statuta: alioquin irrita esto. *Tertium & quartum* Simoniam ab Ecclesiarum Dedicatione, & Beneficiorum collatione ac adeptione eliminant. *Quintum* Clericos obtinendæ Abbatiæ causa Monachos effectos, ab omni spe hujusmodi honoris in perpetuum tempus excludit: ambientes excommunicatione feriendos edicit. *Sexto Capitulo* Monastica Disciplina sancitur, jubeturque Abbatibus ne Monachis proprium habere permittant. *Septimum* Clericos incontinentes honore & Officio privat, & a propriis Episcopis excommunicari mandat. *Octavum* Laicos, res Ecclesiæ usurpantes, excommunicatione plectit. *Nonum* vetat ne quis res defunctorum suscipiat, nisi quæ adhibitis idoneis testibus, sibi suprema ipsorum voluntate relictæ sunt. *Decimum* statuit ut Ecclesiæ Diœceseos Episcopis & Clericis solitam decimarum oblationumque partem solvant. *Undecimum*, de Ecclesiis in alodiis Laicorum constitutis statuit, ut tertia pars decimarum, cum primitiis, & Presbyterio, & cæteris in potestate Presbyteri ad servitium ipsius Ecclesiæ, sub Episcopi, vel Cleri ditione permaneant. Qui autem allodia ad Collegia Canonicorum vel Monachorum pertinentia retinent, Anathemate feriuntor. *Duodecimum* adulteros, incestuosos, perjuros ad Pœnitentiam & satisfactionem hortatur. *Postremum* eos anathemate plectit, qui cum Hæreticis & Excommunicatis societatem & communionem habent.

Tolosa, vulgo Toulouse, caput Tectosagum, Sedes Archiepiscop. ex erectione Joannis XXII. cum antea simplex Episcopatus esset sub Metropoli Narbonensi.

Abbatiæ causa Monachum fieri non licet.

ARTICULUS VII.

De Duplici Concilio Pictavensi.

Pictavum, vulgo Poitiers, caput Pictonum, du Poitou, urbs Episcopalis sub Metropoli Bituricensi.

I. ANno Christi millesimo septuagesimo-octavo, Concilium in Urbe Pictavensi celebravit *Hugo* Diensis Episcopus & Sedis Apostolicæ Legatus in causa quorumdam Episcoporum Simoniacorum, de quibus ejus Epistola ad *Gregorium septimum* Pontificem Maximum legenda est, ab *Hugone Flaviniacensi* Abbate in Chronico Virdunensi descripta. Decem Canones in ista Synodo conditi sunt & promulgati, quos *Baronius* & *Binius* ad alterum Concilium Pictavense anno centesimo supra millesimum celebratum minus accurate referunt. *Primus* decernit ut nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel quilibet Clericus, donum Episcopatus vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ, vel rerum aliquarum Ecclesiasticarum, de manu Regis, vel Comitis, vel personæ cujusvis Laicæ accipiat; sed Episcopus a suo Metropolitano; Abbas, Presbyter, & ceteræ personæ inferiores, a proprio Episcopo: Laici Ecclesias violenter retinentes excommunicatione plectuntor. Ecclesiæ ipsæ interdicto subduntor. *Secundus Canon* Beneficiorum pluralitatem, Simoniamque damnat. *Tertius* vetat ne quis Ecclesiastica bona jure consanguinitatis sibi vendicet. *Quartus* ne pro sacris Ordinationibus aut Benedictionibus quibuslibet munus accipiatur. *Quintus* ne Abbates, Monachi vel alii Presbyteri, absque proprii Episcopi Mandato Pœnitentias injungant. *Sextus*, ne Abbates, & Monachi, novas Ecclesias sibi quovis modo vendicent, absque consensu Episcopi, in cujus Diœcesi sunt constitutæ. Statuit etiam ut Presbyter de cura animarum & de Christianitatis ministerio Episcopo rationem reddat. *Septimus*, ut Abbates & Decani qui Presbyteri non sunt, ad Sacerdotii Ordinem, Archidiaconi ad Diaconatum promoveantur, aut Dignitatibus excidant. *Octavus* filiis Presbyterorum & nothis cæteris, sacrorum Ordinum aditum intercludit, nisi Monachi aut Canonici Regulares fiant. A Prælationibus vero ipsos penitus excludit. *Nonus* Sacerdotum per Simoniam Ordinatorum, vel concubinas, aliasve fœminas malæ suspicioni obnoxias in domibus suis retinentium, Missas audientes, excommunicatione plectendos decernit. *Decimus* Clericos arma gestantes, & usurarios pari anathemate ferit.

Summa Canonum.

Jurisdictio Episcopalis.

Irregularitas ex Natalium defectu tollitur per vitæ Regularis vel Monasticæ Professionem.

II. Alterum Concilium in eadem urbe celebratum est anno Christi centesimo supra millesimum, 14. Kalendas Decembris. Præfuere *Joannes Benedictus* Cardinales, Sedis Apostolicæ Legati: adfuere Episcopi & Abbates octoginta. Qua in Synodo de *Norigaudi* Augustodunensis Episcopi causa paulo ante ab iisdem Legatis in Valentino Concilio tractari cœpta actum est. Adversus illum exauthorationis & excommunicationis lata sententia. Secundo, *Philippus*

Adulteri Regis excommunicatio.

lippus Rex Francorum, & *Bertrada*, *Fulconis* Andegavensis Comitis uxor, cujus ille consuetudinem anno millesimo nonagesimo sexto in Concilio Nemausensi dimissam repetierat, a Synodo sunt excommunicati. Aliæ etiam causæ privatæ ibidem disceptatæ. Canones sexdecim conditi. *Primus*, Tonsuram Ecclesiasticam a solis Episcopis conferri jubet. Abbatibus tamen permittit, ut eam suis Monachis conferant. *Secundus* vetat, ne quid pro hujusmodi Tonsura exigatur. *Tertius*, ne Clerici hominium Laico faciant, *aut a quolibet Laico Ecclesiasticum Beneficium accipiant*. Quartus statuit, ut nullus Sacerdotalia vestimenta, & Altaris utensilia, præter Episcopum, benedicere præsumat. *Quintus*, ut Monachi, nisi subdiaconi fuerint, Manipulis non utantur. *Sextus* ut Abbates Chirothecis, Sandaliis, Annulo non utantur, nisi quibus fuerit per Privilegium, a Romana Ecclesia concessum. *Septimus*, ut Præbendæ non vendantur, nec pastus seu convivia propter earum collationem exigantur, sub pœna excommunicationis. *Octavus*, ut Investituræ Præbendarum, Altarium, sive Prelationum, viventibus possessoribus, non fiant. *Nonus*, ut Clerici vel Monachi Altaria vel Decimas per pecuniam a Laicis non acquirant: alioquin excommunicatione feriuntor. *Decimus*, Clericis Regularibus permitti, ut propriu jubente Episcopo, baptizent, concionentur, Confessiones excipiant, mortuos sepeliant. *Undecimus* statuit, ut nullus Monachorum Parochialia Ministeria præsumat, nimirum baptizare, prædicare, Pœnitentiam dare. *Duodecimus*, ad prædicandum admitti prohibet eos, qui Sanctorum Reliquias, quæstus causa, circumferunt. *Decimus-tertius*, pro Episcopi vel Abbatis inauguratione aliquid exigi vetat. *Decimus-quartus*, ne Laici partem oblationum sibi vendicent, sub excommunicatione interdicit. *Decimus-quintus* sub eadem pœna cavet, ne quis res Episcopi sive superstitis, sive defuncti, invadat aut retineat. *Decimus-sextus*, Canones Claromontani Concilii *Urbano II.* Præside celebrati, observari jubet. De Concilio isto Pictavensi legendum *Hugonis Flaviniacensis* Chronicon, ad annum centesimum supra millesimum.

Summa Canonum.

Clerici ne Laicis hominium faciant.

Canonum Concilii Claromontani præcipitur observantia.

ARTICULUS VIII.

De Concilio Juliobonensi in Normannia.

Julibobona, *vulgo* l'Illebonne, au Païs de Caux.

Decretorum summa.

Ordo Judiciorum in Clericorum incontinentium causis constitutus in Provincia Rothomagensi.

ANNO Christi octogesimo supra millesimum, Concilium Juliobonæ, qui vicus est in Caletibus, Diœceseos Rothomagensis, celebratum est præsente *Willelmo* Anglorum Rege & Normanniæ Duce. Præfuit *Willelmus* Rothomagensis Archiepiscopus. Adfuere Normanniæ Proceres & Consules. Tredecim condita Decreta. *Primum* de Treuga & pace servanda. *Alterum* de his, qui consanguineas uxores ducunt, Episcoporum judicio puniendis. *Tertium*, de Judicio Clericorum, qui de vetito fœminarum contubernio accusantur, Statuit Rex ut si per Ministros Episcopi prius accusentur, in Curia Episcopi se purgent. Si a Parœcianis vel Dominis deferantur, inducias habeant, ut cum Episcopo loqui possint; & si purgare se voluerint, præsentibus Parochianis pluribus, ante Ministros Episcopi & eoram Judicio se purgent. Si vero infamiæ labem abstergere non potuerint, Beneficiis priventur. Hunc autem Judiciorum ordinem in Clericorum causis statuere se Rex profitetur, *Non perenniter Episcopis suis debitam auferendo justitiam. Sed quia eo tempore Episcopi minus quam convenisset, inde fecerant*, id est, in puniendis Clericis mulierosis fuerant negligentes) *donec ipse eorum videns emendationem, eis redderet pro Benefacto, quod tunc de manu eorum temporabiliter tulerat pro Commisso*. Quartum Capitulum statuit, ut Laici in partem redituum Ecclesiæ, oblationum, & decimarum non veniant. *Quintum*, ut Episcopi vel eorum Ministri a Presbyteris, præter justos redditus, nihil exigant, nec mulctam pecuniariam propter eorum fœminas imponant. *Sextum*, ut Archidiaconi quotannis Presbyterorum suorum vestes sacras, Calices & libros inspiciant. *Septimum*, ut si de delicto in forestis Regis vel Baronum ejus commisso satisfactionem fecerit Presbyter, pœnam Episcopus non imponat. *Octavum*, ut presbyteri quotannis circa Pentecostem cum Clericis & plebe ritu solemni supplicantes ad Matrem Ecclesiam procedant; & de singulis domibus ceræ denetatam Altari offerant. *Nonum*, ut Laicus Presbytero non det vel adimat Ecclesiam absque consensu Episcopi. *Decimum*, & *Undecimum*, statuunt de Juribus Episcoporum in Cœmeteriis. *Duodecimum*, ut cum Monachis donatur Ecclesia, Presbyter qui eam regit, iisdem juribus ac redditibus fruatur, quibus ante Monachorum ingressum fruebatur. Quo defuncto, Abbas idoneum Presbyterum Episcopo instituendum offerat. Qui si vivere cum Monachis noluerit, *Tantum ei debet Abbas de bonis Ecclesiæ, unde & bene vivere, & Ecclesiæ servitium convenienter valeat adimplere. Quod si Abbas facere noluerit, ab Episcopo cogatur ut faciat*. Id portionem Congruam vocant, Vicariis Perpetuis assignandam. Quod vero reliquum est redituum, in usus Monasterii cedit. Idem in Ecclesiis Canonicorum observator. *Postremum Capitulum* est de causis, quarum cognitio ad Curiam Episcopalem pertinet. Hujus Concilii Decreta refert *Ordericus Vitalis* lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ ad annum MLXXX.

Portio congrua Parochianorum Rectoribus assignanda.

ARTICULUS IX.

De Conciliis quinque Londoniensibus duodecimo Sæculo celebratis.

§. I.

Londinum, Londres, *urbs Regia Angliæ Sedes Episcop. sub Cantuariensi Metropoli.*

ANNO millesimo centesimo secundo, *S. Anselmus* Cantuariensis Archiepiscopus Londini Concilium celebravit, annuente *Henrico I.* Anglorum Rege. Adfuerunt cum *S. Anselmo* primate totius Angliæ & Concilii Præside, Archipræsul Eboracensis, & duodecim Episcopi, necnon Regni Proceres, ut quidquid ejusdem Concilii authoritate decerneretur, utriusque Ordinis concordi cura & solicitudine executioni mandaretur. Primo de Abbatibus quibusdam Simoniæ vel aliorum criminum reis habita quæstio, qui Concilii sententia sunt exauthorati. Secundo undetriginta conditi Canones, quorum Breviarium *Eadmerus* exhibet, lib. 3. *Historia Novorum*. *Primo* statutum, ut Episcopi Sæcularium Placitorum Officium non suscipiant, ut modestas vestes habeant ut semper & ubique honestas personas testes habeant conversationis suæ. *Secundo*, ne Archidiaconatus dentur ad firmam, seu conductitiis Clericis conferantur. *Tertio*, ut Archidiaconi e Diaconorum Ordine assumantur. *Quarto*, ut nullus Archidiaconus, Presbyter, Diaconus, Canonicus, Subdiaconus, uxorem ducat, aut ductam retineat. *Quinto*, ut Presbyter illicita mulieris conversatione contaminatus Missam non celebret; si celebravit, Sacrum ejus non audiatur. *Sexto*, ut nullus Subdiaconus ordinetur sine Professione castitatis. *Septimo*, ut filii Presbyterorum in Ecclesias patrum suorum non succedant. *Octavo*, ne Clerici procurationes suscipiant, aut judicia sanguinis exerceant. *Nono* ut Presbyteri popinas & compotationes non frequentent. *Decimo*, ut vestes Clericorum sint unius coloris, & calceamenta modesta. *Undecimo*, ut Clerici & Monachi Apostatæ ad Ecclesias suas & Monasteria, officiumque redeant, aut excommunicentur. *Duodecimus* ut Clerici patentes Coronas habeant. *Decimo-tertio*, ut Decimæ solis Ecclesiis dentur. *Decimo-quarto* ne Ecclesiæ aut Præbendæ emantur. *Decimo-quinto*, ne novæ Cappellæ, sine consensu Episcopi extruantur. *Decimo-sexto*, ne consecretur Ecclesia donec Presbytero & Ecclesiæ necessaria provideantur. *Decimo-septimo*, ne Abbates milites conferibant, utque in eadem domo cum Monachis suis manducent & dormiant. *Decimo-octavo*, ne Monachi Pœnitentiam cuivis injungant, seu Confessiones excipiant, absque consensu Abbatis: quam ille dare non potest; nisi de iis qui ipsius regimini subduntur. *Decimo-nono*, ne Monachi

Summa Canonum Concilii Londinensis anni 1102.

Sacrorum Ministrorum Cælibatus.

Filii Presbyterorum successio in Ecclesias Patrum vetita. Vita & honestas Clericorum.

Monastica Disciplina.

compatres, aut Moniales commattes fiant. *Vigesimo*, ne Monachi Villici fint. *Vigesimo-primo*, ne absque Episcoporum authoritate Ecclesias accipiant; nec sibi datarum redditus ita sibi vindicent, ut Presbyteri ibi servientes in his quæ sibi & Ecclesiæ necessaria sunt, penuriam patiantur. *Vigesimo-secundo*, ut fides inter virum & mulierem clam & sine testibus de conjugio data, si ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur. *Vigesimo-tertio*, ut criniti sic tondeantur, ut para aurium appareat, & oculi non tegantur. De Sæcularibus, qui comam puellarum instar nutriebant hic Canon intelligitur: qua de immodestia & vanitate, zeloque *S. Anselmi* in ea resecanda, scribit *Eadmerus* lib. 1. Historiæ Novorum. *Ea tempore*, inquit, *Curialis Juventus ferme tota crines suos Juvencularum more nutriebat, & quotidie pexa ac irreligiosis nutibus circumspectans, delicatis vestigiis, tenero incessu obambulare solita erat. De quibus cum in Capite Jejunii Sermonem in popula ad Missam suam & ad cineres confluente idem Pater habuisset, copiosam turbam ex illis in Pœnitentiam egit, & attonsis crinibus in virilem formam redegit. Illos autem, quos ab hac ignominia revocare nequivit, a Cinerum susceptione, & a sua Absolutionis benedictione suspendit.*

Damnata Sæcularium hominum vanitas, qui comam Puellarum instar nutriebant.

Vigesimo-quarta statutum est ne cognati usque ad septimam generationem copulentur, vel copulati simul permaneant. *Vigesimo-quinta*, ne corpora defunctorum extra Parochiam suam sepelienda portentur, ut presbyter Parochiæ juribus defraudetur suis. *Vigesimo-sexta*, ne quis corporibus mortuorum, sine authoritate Episcopi reverentiam sanctitatis exhibeat. *Vigesimo-septimo*, ne homines venundentur. *Vigesimo-octavo*, nefariæ nec nominandæ libidinis rei, anathemate damnati. Quorum crimen publicum fuerit, clerici deponuntor, & a superioribus gradibus excluduntor: Laici etiam civili dignitate in toto Regno Angliæ exuuntor. Hujus criminis absolutio Episcopis reservata. Postremo denique statutum est ut per Angliam universam singulis diebus Dominicis hæc excommunicatio renovetur. Quod tamen postea *S. Anselmus* ob delinquentium multitudinem, omitti concessit, *Eadmero* teste. De hujus Concilii Canonibus legenda Epistola *S. Anselmi* ad *Willemum* Archidiaconum 62. libri tertii.

Pœna in nefarii criminis reos constituta. Eorum Absolutionem Episcopis reservat Ecclesia Anglicana.

§. II.

Anno Christi millesimo centesimo vigesimo-quinto *Honorii secundi* Papæ anno I. *Henrici I.* Regis Anglorum anno vigesimo-quinto, die nona Septembris, Londini in Ecclesia *S. Petri* Apostolorum Principis, ultera Synodus celebrata est, Præside *Joanne de Crema* S. R. E. Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato. Adfuere præter *Willelmum* Cantuariensem, & Turstinum Eboracensem, Episcopi viginti, & Abbates circiter quadraginta. Septemdecim Canones conditi. Tres priores aliquod pretium aut munus exigi prohibent pro Sacris Ordinationibus, pro Chrismate, Oleo, Baptismate, Pœnitentia, Unctione infirmorum, Communione Corporis Christi, Sepultura; pro Consecrationibus Episcoporum, Benedictionibus Abbatum, Dedicationibus Ecclesiarum. *Quartus* Beneficia Ecclesiastica *de dono Laici, sine proprii Episcopi authoritate & assensu*, suscipi vetat. *Quod si præsumptum fuerit, irrita erit donatio ejusmodi, & ipse canonicæ ultioni subjacebit*. Quintus cavet ne quis Ecclesiam sibi paterna vindicet hæreditate, aut successorem sibi in Ecclesiastico Beneficio constituat. *Sextus*, ut Ecclesiis & Beneficiis priventur, qui ad Ordines promoveri nolunt, quo liberius vivant. *Septimus*, ut in Decanum, aut Priorem, nemo nisi Presbyter; in Archidiaconum, nisi diaconus promoveatur. *Octavus* ut nemo nisi ad certum Titulum ordinetur. *Nonus* ut nemo Clericum ex Beneficio suo ejiciat, absque proprii Episcopi judicio, sub pœna excommunicationis. *Decimus* ut nullus Episcopus alterius Diœcesanum ordinet aut judicet. *Undecimus*, ut excommunicatum ab alio nemo suscipiat; alioqui careat ipse communione. *Duodecimus*, uni Clerico plures honores Ecclesiasticos conferri prohibet. *Decimus-tertius*, mulierum contubernio Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis interdicit. *Decimus-quartus* usuras & turpe lucrum vetat clericis, sub periculo gradus. *Decimus-quintus* sortilegos, ariolos, & auguria quæque sectantes, eisque consentientes, excommunicatione plectit, & infamia notat. *Decimus-sextus* matrimonia inter consanguineos & affines, usque ad septimam generationem, contrahenda impedit, contracta dirimit. *Decimus-septimus* statuit ut viri propriis uxoribus consanguinitatem objicientes; quo eas dimittant, aliasque ducant, & testes quos proferunt, non suscipiantur; sed secundum Patrum decreta res examinetur ac judicetur. De hac Synodo legantur *Simeon Dunelmensis*, & alii Historiæ Anglicanæ Scriptores.

Summa Canonum Concilii Londinensis anni 1125.

§. III.

Anno Christi millesimo centesimo vigesimo-septimo, tertio Idus Maji & duobus diebus sequentibus, Generale Concilium totius Angliæ Londini celebratum est, Præside *Willelmo* Cantuariensi Archipræsule. Duodecim Canonibus Ecclesiastica disciplina sancita est. Tres priores pecuniam pro Beneficiorum collatione, pro Sacris ordinationibus, pro recipiendis monachis, Canonicis, & Sanctimonialibus, exigi vetant. *Quartus*, nullum Decanum nisi ex Presbyteris, nullum Archidiaconum nisi ex Diaconis constitui jubet. *Quintus*, contubernalia mulierum Sacris ministris & Canonicis interdicit. Qui concubinis vel conjugibus adhæserint, ordine, honore, beneficio privantor. *Sextus*, Archidiaconis, & aliis quibus incumbit, mandat ut omni studio hoc propudium ab Ecclesia amoveant. *Septimus*, Presbyterorum & Canonicorum concubinas extra Parochiam ejici præcipit; in crimen relapsas, a ministris Ecclesiæ capi, & Episcopali Judicio disciplinæ ecclesiasticæ atque Pœnitentiæ subjici vel servituti mancipari. *Octavus*, statuit ut nullus plures Archidiaconatus teneat. *Nonus*, ut Clerici villarum procuratores non fiant. *Decimus*, ut Decimæ ex integro reddantur. *Undecimus*, ut Ecclesiastica Beneficia & Decimas sine consensu & authoritate Episcopi nemo det, vel accipiat. *Duodecimus*, ut Abbatissæ & Sanctimoniales pretiosis non utantur indumentis, sed agninis vel cattinis. Concilii statutis Rex *Henricus* assensum præbuit. De his *Florentii Wigorniensis* Continuator in historia Anglicana.

Summa Canonum Concilii Londinensis anni 1127.

Aliud Concilium Londinense ad annum millesimum centesimum vigesimum nonum Synodorum Angliæ Collector ex *Matthæi Paris* Historia refert, in quo justitia de focariis Sacerdotum Regi permissa sit, quod etiam testatur *Henricus Huntidoniensis* antiquior Historicus. *Gabriel Cassartius* S. J. Theologus observat, unum Concilium anni millesimi centesimi vigesimi septimi ab Anglicano Collectore in duo distractum fuisse, quia *Henricus* Huntidoniensis ait morte prohibitos Dunelmensem & Wintoniensem Episcopos ne Concilio interessent: quod anno MCXXIX. convenire non potest; cum *Galfridus Rufus*, qui Dunelmi tum Episcopus erat, anno tantum MCXL. obierit: & qui Wintoniæ, *Henricus Blesensis*, anno MCLXXI. vivendi finem fecerit. Belle autem convenire anno MCXXVI. vir eruditus existimat; quia *Galfridi Dunelmensis* Decessor *Ranulfus*, cum ad Londinense Concilium eo anno tenderet, morbo est prohibitus, & Septembri deinde obiit. *Guillelmus* vero Dunelmensis, qui *Henricum* proxime antecessit vigesima-quinta Januarii, anno MCXXVII. sublatus est. Conveniunt quoque Londinensi Concilio anni MCXXVII. tum censuræ in focarias presbyterorum, tum Regni hæreditas *Mathildis* Henrici filiæ juramento asserta de qua *Joannes Bromton* in Chronico. At cum *Henrico Huntidoniensi* conciliari necdum ista possunt, quia non morbo, sed morte præpeditos fuisse scribit Dunelmensem & Wintoniensem Episcopos, ne Concilio Londinensi interessent. Præterea Concilium Londinense anni MCXXVII. non permisit Regi justitiam de focariis Presbyterorum, immo sub excommunicatione præcepit, ne ab aliqua potestate minore vel majore detinerentur, sed libere ministris Ecclesiæ traderentur, & Ecclesiasticæ Disciplinæ, vel servituti Judicio Episcopali manciparentur.

Synodorum Angliæ Collector emendatur.

§. IV.

§. IV.

Summa Canonum Concilii Londinensis anni 1138.

Anno Christi millesimo centesimo trigesimo-octavo, Pontificatus *Innocentii II.* nono, *Stephani* Regis Anglorm III. die 13. Decembris, Londini in Ecclesia *S. Petri* celebrata est Synodus, Præside *Alberico* Cardinali Episcopo Ostiensi, Sedis Apostolicæ Legato. Adfuere Episcopi ex diversis Provinciis octodecim, Abbates circiter triginta, Cleri populique ingens multitudo. Sub finem Concilii, vacanti Ecclesiæ Cantuariensi *Theobaldus* electus & consecratus est Archiepiscopus. Canones septemdecim conditi. *Primus* pro Sacramentis & rebus sacris pretium exigi vetat. *Secundus* statuit ut Hostiæ consecratæ ultra octo dies non serventur: ut Corpus Christi ad infirmos, nisi per Sacerdotem aut Diaconum, aut urgente necessitate per quemlibet cum summa reverentia deferatur. *Tertius* & *Quartus*, ut in consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Sacerdotum, & Dedicationibus Ecclesiarum nihil exigatur, præter procurationem Sacris Canonibus institutam. *Quintus* ut nullus de manu laici ecclesiastica beneficia accipiat. Cum autem investituram ab Episcopo accipit, juret super Evangelium, se nihil propter hoc, vel per se, vel per alium, alicui dedisse vel promisisse. *Sextus*, ne quis beneficia ecclesiastica paterna sibi vendicet hæreditate, aut successorem in iis sibi constituat.

Sine proprii Episcopi dimissoriis ordinatis suspensione mulctantur.

Septimus clericos ab alienis Episcopis, absque literis proprii Episcopi ordinatos, a susceptorum officiis Ordinum prohibet, eorumdem plenaria restitutione soli Romano Pontifici reservata, nisi Religionis habitum susceperint. *Octavus*, presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos incontinentes, Ecclesiasticis Officiis & Beneficiis privat, eorumque Missas audiri vetat. *Nonus* Clericos fœneratores, & turpia lucra sectantes, & publica sæcularium negotia procurantes ab Officio & Beneficio Ecclesiastico removet.

Clerici, Monachi, vel Monialis graviter percussa, cujus Romano Pontifici tum primum reservatur. Monialium in exteriori cultu modestia.

Decimus anathemate ferit eos, qui Clerico, monacho, vel Sanctimoniali violentas manus intulerint; & absolutionem ab hocce crimine, extra mortis urgens periculum, uni Romano Pontifici reservatam denuntiat. *Undecimus*, excommunicari mandat rerum Ecclesiasticarum invasores. *Duodecimus*, prohibet ne quis Ecclesiam, vel oratorium, absque licentia Episcopi, in sua possessione constituat. *Decimus-tertius* vetat, ne Clerici arma ferant, & sæculo militent. *Decimus-quartus* statuit, ut monachi ad Clericatum promoti, in priori proposito permaneant. *Decimus-quintus*, Sanctimoniales variis vestibus ac pellibus indui, annulis aureis uti, capillos compositos & calamistratos gerere prohibet, sub pœna anathematis. *Decimus-sextus*, de omnibus primitiis decimas dari præcipit, sub pœna excommunicationis. *Decimus-septimus* magistris Scholarum interdicit, ne Scholas suas aliis pretio locent. De isto Concilio legantur Continuator *Florentii Wigorniensis*, *Henricus Huntindoniensis*, & *Matthæus Parisius*.

§. V.

Summa Canonum Concilii Londinensis anni 1175.

Anno Christi millesimo centesimo septuagesimo-quinto, quintum Londini Concilium celebratum est die Dominica ante Ascensionem Domini. Præfuit *Richardus* Cantuariensis Archiepiscopus, adfuere Suffraganei Episcopi, & Abbates. Undeviginti Canones conditi, seu potius ex aliis Conciliis repetiti. *Primus* Clericos incontinentes, qui ter admoniti pellices suas non dimiserint, Officio & Beneficio spoliandos decernit.

Vita & honestas Clericorum.

Secundus, vetat ne Clerici edendi & bibendi causa tabernas ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi, sub pœna depositionis. *Tertius*, ne majores Clerici Judicium sanguinis exerceant. Et ne Sacerdos Vicecomitatum aut Præpositi Sæcularis Officium habeat. *Quartus*, Clericos qui comam nutriunt, ab Archidiacono etiam invitos, tonderi jubet: ac vestimentis & calceamentis uti, quæ honestatem & religionem deceant, sub pœna excommunicationis.

Suspensio Clericorum, qui ab alienis Episcopis ordinantur.

Quintus, Clericorum qui ab alienis Episcopis ordinantur, irritam Ordinationem declarat, Ordinatores vero usque ad congruam satisfactionem suspensos. *Sextus*, sæculares causas, in quibus de sanguinis effusione, vel de pœna corporali agitur, in Ecclesiis vel in Cœmeteriis agitari prohibet, sub anathematis interminatione. *Septimus*, ne pro Sacramentorum administratione & sepultura aliquid exigatur.

Pretium pro ingressu Monasteriis pusciscei, Simoniacum.

Octavus, *Ne Prælatus in recipiendo Monacho vel Canonica, vel Sanctimoniali, pretium sumat vel exigat aliquod pacti occasione; si quis hoc fecerit, Anathema sit.* Nonus, ne Ecclesia nomine dotalitii an aliquem transferatur: & ne Patronus pro præsentatione alicujus personæ pecuniam, vel aliquod emolumentum, pacto interveniente, accipiat. *Decimus*, ne Clerici vel Monachi, causa lucri, negotientur, aut villas teneant. *Undecimus*, ne Clerici armati incedant, alioqui gradus amissione mulctentur. *Duodecimus*, ne Vicarii se contra Personas erigant, quibus fide & sacramento obligati sunt: Alioqui in tota Diœcesi ab Officii executione suspendantur. *Decimus-tertius*, integram Decimarum solutionem, sub pœna anathematis præcipit.

Decreta Missam & Communionem spectantia.

Decimus-quartus, statuit, ut in causis pecuniariis, quæ inter Clericos agitabuntur, victus victori condemnetur in expensis. *Decimus-quintus*, ne decem Præfationibus Missæ receptis aliæ addantur. *Decimus-sextus*, ne intincta Eucharistia porrigatur. *Decimus-septimus*, ne consecretur nisi in Calice argenteo, vel aureo.

Clandestina Matrimonia prohibentur.

Decimus-octavus, Clandestina Matrimonia prohibet: Sacerdotem qui aliquos clam conjunxerit, triennio ab Officio suspendit. *Decimus-nonus*, vetat ne Matrimonio jungantur, qui ad ætatem legibus constitutam & Canonibus determinatam non pervenere.

ARTICULUS X.

De Concilio Abrincatensi.

Abrinca, vulgo Avranches, urbs inferioris Normanniæ, Episcop. sub Metropoli Rothomagensi.

ANno millesimo septuagesimo-secundo, quinto Kalendas Octobris, Abrincæ in Normannia inferiori Synodus celebrata est, cui præfuere *Theodinus* & *Albertus* Cardinales Sedis Apostolicæ Legati. Adfuere omnes Episcopi ac Abbates Neustriæ, *Henricus II.* Rex Angliæ, cum *Henrico* filio Regni Successore. A cæde *S. Thomæ Cantuariensis* Rex Sacramento se purgavit, & cæteris Articulis, quos ipsi Legati præscripserunt, juramento firmatis, absolutus est: ut in Dissertatione de causa S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris ostendi.

Summa Canonum.

Tredecim Canones ea in Synodo conditi sunt. *Primus*, pueros ad regimen Ecclesiarum, quibus animarum cura annexa est, admitti vetat. *Alter*, filios Sacerdotum in Ecclesiis patrum suorum constitui prohibet. *Tertius*, ne Laici partem oblationum in Ecclesiis percipiant. *Quartus* ne Ecclesiæ Vicariis annuis committantur. *Quintus* statuit ut Sacerdotes majorum Ecclesiarum, quibus ad hoc facultates suppetunt, alium sub se Presbyterum habere cogantur.

Ordinandorum titulus.

Sextus, ut Sacerdotes sine certo Titulo non ordinentur. *Septimus*, ut Ecclesiæ ad firmam annuam non tradantur. *Octavus*, ut tertia decimarum integra cedat in usus Presbyteri, qui Ecclesiæ servit. *Nonus*, ut his, qui Decimas hæreditario jure tenent, liceat eas, cui voluerint, idoneo Clerico dare, ea lege ut postea ad Ecclesiam, cui jure competunt, revertantur.

De Conversione Conjugatorum.

Decimus, ut vir ad Monasterium non transeat, uxore in Sæculo remanente, aut uxor viro non converso, nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint.

Abstinentia & jejunium tempore Adventus commendatur.

Undecimus abstinentiam & jejunium omnibus, qui poterunt, maxime autem Clericis, tempore Adventus indicit. *Duodecimus* Clericos, ad Jurisdictiones Sæcularium Potestatum administrandas, Judices constitui prohibet; alioqui a Beneficiis Ecclesiasticis arceantur. *Decimus-tertius*, de certis capitibus, quæ Legati proposuerant, nihil statutum esse docet, Normanniæ Episcopis intercedentibus.

ARTICULUS XI.

De Concilio Eboracensi

Eboracum York, urbe Anglicani Regni secunda, Sedes Archiep. Summa Canonum. Confessarius Pœnitenti injungere non debet cupiditatis ingenio ut Missae celebrari faciat.

ANno Christi millesimo centesimo nonagesimo-quinto, mense Junio, Synodus Eboraci in Anglia celebrata est, Præside *Huberto* Cantuariensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato; in qua duodecim Canones conditi. *Primus* est de reverentia & cura circa Eucharistiæ confectionem & dispensationem adhibenda. *Secundus*, de Canone Missæ ad verum & probatum exemplar diligenter corrigendo. *Tertius*, prohibet *ne Sacerdos Laico ad Pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis, injungat ut Missas faciat celebrari: & ne Sacerdos pro celebratione Missarum pretio constituto pactum ineat, sed hoc dumtaxat quod offeretur, in Missa recipiat*. Quartus statuit ne in Baptismate plures quam tres puerum suscipiant, masculum duo mares & una fœmina, fœminam duæ fœminæ & mas unus. Præterea ut infans expositus, cujus Baptisma ignoratur, sive cum sale, sive sine sale fuerit inventus, baptizetur, cum non intelligatur iteratum, quod nescitur fuisse collatum. Denique ut nonnisi gravi urgente necessitate Diaconus baptizet, vel Corpus Christi eroget, vel Pœnitentiam confitenti imponat. *Quintus* de Ecclesiis restaurandis & ordinandis decernit. *Sextus*, de Tonsura, Corona, & modesto habitu Clericorum. *Septimus*, Justitiam gratis exhiberi jubet. *Octavus*, Decimas integre solvi mandat. *Nonus* divagandi occasionem Canonicis Regularibus, Monachis, & Sanctimonialibus aufert, prohibendo ne redditus, quos Obedientias vocant, villicorum instar procurent ac administrent, & ne absque gravi causa, & sine socio extra Monasteria proficiscantur. *Decimus* prohibet ne Laicus Ecclesias vel Decimas ad firmam recipiat, id est, annua pensatione redimat & conducat, sive solus, sive Clerico sociatus. *Undecimus* statuit ut falsi testes & perjurii in judicio rei, solemni ritu excommunicentur. Si resipiscere velint, ad Archiepiscopum, vel Episcopum aut Generalem Diœcesens Confessarium, absente Archiepiscopo vel Episcopo, transmittantur, Pœnitentiam ab eo accepturi. In extremis vero laborantibus insinuandam, non imponendam esse Pœnitentiam; eisque injungendum, ut si vixerint, Archiepiscopum, vel Episcopum, aut Generalem Diœcesis Confessorem seu Magnum Pœnitentiarium, absente Archiepiscopo vel Episcopo adeant, ut eis Pœnitentia competens imponatur. *Duodecimus*, Presbyteris jubet ut a tabernis abstineant, & suspectarum mulierum contubernio. Hæc vero Decreta se promulgasse profitetur Synodus, *Salva in omnibus Sacrosancta Romana Sedis authoritate & dignitate*. De ista Synodo legendus *Rogerius de Hoveden* in Annal. Angl. Parte II.

Disciplina circa Baptismum.

Casus Episcopis in Ecclesia Anglicana reservatus.

Ecclesia Anglicana erga sanctam Sedem Romanam reverentia.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 299. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *In Concilio Anglicano post Canones ponitur*, *SALVA AUTHORITATE SEDIS APOSTOLICÆ*.

R. Canonum Concilii Eboracensis exhibita Synopsi, observo, Synodum profiteri se illa Decreta promulgasse, *salva in omnibus Sacrosancta Romana Sedis Authoritate & Dignitate*. Concilii verba sunt. Non adverterunt RR. Censores, ad Romani Pontificis Primatum, summamque in omnes Ecclesias authoritatem & potestatem prædicandam hæc pertinere, eaque ratione a me observata fuisse. Quæ si expungenda illis videantur ob arcanam quamdam rationem, quam divinare non possum, considerent attentius hæc verba Concilii Tridentini, Sessione, 25. *De Reformatione* cap. 21. *Postremo Sancta Synodus, omnia & singula, sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de Morum Reformatione, atque Ecclesiastica Disciplina, tam sub fœlicis recordationis Paulo III. ac Julio tertio quam sub Beatissimo Pio Quarto Pontificibus Maximis, in hoc Sacrosancto Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, Ut In Eis SALVA SEMPER AUTHORITAS SEDIS APOSTOLICÆ ET SIT, ET ESSE INTELLIGATUR*. Hæc Tridentina Synodus.

ARTICULUS XII.

De Concilio Dalmatiæ.

Dalmatia, Pars Illyrici, vulgo, l'Esclavonie.

ANno Christi millesimo centesimo nonagesimo-nono, *Joannes* Capellanus & *Simon* Subdiaconus, Sedis Apostolicæ Legati, Concilium in Dalmatia celebrarunt authoritate *Innocentii Tertii* Pontificis Maximi ad curandam Ecclesiæ Disciplinam. Duodecim condidere Canones, sive potius ex antiquis Conciliis excerptos renovarunt ac promulgarunt. *Primus* statuit, ut quicumque Episcopus ab Ordinandis pecuniam acceperit, omni Ecclesiastica dignitate careat, sine spe restitutionis. Qui dederit, in sortem Laicorum dejiciatur. *Secundus* statuit de Clericorum Cœlibatu, & de Ordinationum temporibus. *Tertius* de Oblationum & Decimarum canonica in quatuor partes divisione, & distributione. *Quartus*, de Sigillo Confessionis Sacramentalis inviolate servando, sub pœna privationis Officii & Beneficii. *Quintus* de reverentia Sacerdotibus exhibenda, & de excommunicatione eorum, qui sacris hominibus violentas manus injiciunt, Summo Pontifici vel ejus Legatis reservata. *Sextus* Matrimonia inter consanguineos in quarto gradu, vel infra dirimit, excommunicatione in eos lata, qui in gradibus ab Ecclesia prohibitis conjuncti, separari & Ecclesiæ satisfacere noluerint. *Septimus* Clericos ad Tonsuram Clericalem servandam compellit. *Octavus* Clericos de manu Laica Beneficia Ecclesiastica suscipientes, & Laicos dantes, excommunicatione percellit, donec fecerint satis; & quod contra Canones factum fuerit, irritum declarat & inane. *Nonus* excommunicationem vibrat in eos, qui Thesauros Ecclesiarum injuste possident; & qui Latinos in servitute detinent, donec Ecclesiæ bona, hominibus libertatem restituant. *Decimus* eamdem pœnam decernit in viros, qui uxores suas, sine Ecclesiæ Judicio dimittunt. *Undecimus* nothos a sacris Ordinibus arcet. *Duodecimus* prohibet ut nullus ordinetur Sacerdos, nisi trigesimum annum expleverit.

Summa Canonum.

Sigillum Confessionis.

Casus summo Pontifici reservatus.

Impedimentum Matrimonii.

Ordinandorum ætas.

CAPUT IV.

De Hæresibus & Erroribus Sæculi XI. & XII.

ARTICULUS I.

De Novis Manichæis Stephano, & Lisoio &c. Et de Gandulfo Italo.

I. NOva Hæresis, Manichææ Propago, regnante *Roberto* Rege Christianissimo in Gallias ab Itala muliere invecta, Aurelianis grassata est. *Stephanum* Ecclesiæ Sancti Petri Puellaris Scholasticum, & *Lisoium* Sanctæ Crucis Canonicum, viros Religionis & sapientiæ opinione celebres, ac per ipsos plures alios cum e Clero, tum ex populo infecit. Errorum Capita hæc erant. I. Vetus & Novum Testamentum rejiciebant velut figmenta carnalium hominum, solamque Legem in cordibus scriptam se admittere gloriabantur. II. Christum de Virgine Maria non esse natum, neque pro hominibus passum, nec vere in sepulchro positum, nec a mortuis resurrexisse, effutiebant. III. In Baptismo nullam esse peccatorum ablutionem. IV. Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi non esse in consecratione Sacerdotis, sive panem & vinum converti non posse in Corpus & Sanguinem Christi. V. Sanctorum invocationem esse inutilem. VI. Bona opera esse inania superfluique laboris. VII. Iis qui suæ sectæ mysteriis essent initiati, visiones Angelicas pollicebantur, quarum solatio recreati, cum ipsis Angelis, quovis locorum sine mora vel difficultate, pro arbitrio ire posse

Novorum Manichæorum errores.

Ex cœnosa illo fonte suos errores hauserunt Lutherani & Calvinistæ.

pos-

possent. VIII. Nocturnos agebant conventus, in quibus singuli lucernas tenentes, nomina Dæmonum, Litaniæ instar, recitabant, donec Dæmonem sub forma cujusdam bestiolæ conspicerent. Tom extinctis lucernis promiscuam libidinem accendebant, exercebaotque, nullo consanguinitatis, aut voti habito respectu; matrem atiam, vel sororem aut Sanctimonialem, ut primum occurrebat, coostuprabant. Ex fœdo concubitu natus infans, octava die cremabatur. Cineres studiosa colligebantue, & religione servabantur non minori, quam Christi Corpus dandom Fidelibus moribundis in viaticum asservat Ecclesia: ex quibus qui vel tantillum prælibaverant, ita confirmabantue in hæresi, ut ex ipsa umquam emergere vix possent.

Hæresis revelatio.

Hæresim prodidit *Aresaftus* Vir Nobilis, stirpe Ducum Normaoniæ, morum integritate & prudensia spectatissimus, & *Richardi* Docis apud Regem Francorum Legatinne ornatus. Cum enim Clericum quemdam suum *Hubertum* nomine, qui ad Aurelianensem Urbem studiorum causa se contulerat, hæreseos venenum combibisse animadvertisset, rem indicavit *Richardo* Normanniæ Duci, ipsumque rogavit ut *Roberto* Regi Christianissimo pestem in Regno ipsius adhue latitantem & occulte serpeniem patefaceret, sibique necessarium ad eam exterminandam præberet aoxilium. Tam religiosis precibus Dux annuit *Richardus*, & *Aresaftum* cum Literis ad Christianissimum Regem direxit. *Robertae* Rex pro causa Dei solicitus, *Aresaftam* Aurelianum misit, eique comitem adjunxit Sacelli sui Clericum, omnem ipsi necessariam opem pollicitus. Iter agens, Carnutum divertit, consilium ad tanti momenti negotium exequendum, a *S. Falberto* Episcopo rogaturus. Quo absente (Romam enim orationis causa profectus fuerat) collationem habuit cum *Ebrardo* religiosissimo insignis ejusdem Ecclesiæ Clerico, qui ipsum docuit quale antidotum contra venenum hæreseos pestiferæ adhiberet; nempe ut quotidie multo mane adiret Ecclesiam, orationi incumberet, Communione Corporis & Sanguinis Christi se muniret, deinde signaculo Crucis protectus ad audiendam hæreticam pravitatem progrederetur, cum erroris Magistris non contenderet, sed simulato discipuli habitu, attente aodiret omoia & memoriæ commendaret. Paruit religiosi viri consiliis, cum Aurelianum pervenit, *Aresaftus*: & ad Hæreticorum admissus colloquia, omnia nefariæ sectæ arcana didicit. Interea Rex Christianissimus *Robertus* & Regina *Constantia* uxor ejus castissima, cum Episcopis ad celebrandam Synodum convocatis, Aurelianum se contulere. Hæretici, a Regis Satellibus, *Aresafta* fugaerente comprehensi io Ecclesiam Sanctæ Crucis adducti, & Regi, Synodoque exhibiti sunt. Rationem fidei reddere jussi, errores dissimulabant; quos cum exposuisset *Aresaftue*, Bellovacensis Episcopus *Gaarinus* sciscitatus ab ipsis est an ita sentirent & crederent. Responderunt ita plaoe sentire se atque credere. Quibus cum Præsul diceret, *Christum nasci voluisse de Virgine, quia potuit; & pro nostra salute pati in humanitate, ut tertia die devicta morte resurgeret in sua deitate, nosque doceret esse resurrecturos in reformatione*; responderunt: *Nos neque interfuimae, neque hæc vera esse credere possumue*. Ad hæc Præsul; *Carnales*, inquit, *parentes habuisse creditie, an non?* Illi credere se responderunt. Tum Præsul insistit: *Si ex parentibus vos esse procreatoe creditie, cum non eratis, ante saeculo Deam de Dea genitum sine matre, in fine temporis Sancti Spiritus obambratione de Virgine natum, car credere respuitis?* Responderunt: *Quod natura denegat, semper a creatione discrepat*. Reposuit Præsul: *Antequam quidquam fieret per naturam, non creditis per Filiam Deam Patrem fecisse omaia ex nihilo?* Tum Veritatis & fidei hostes: *Ista*, inquiunt, *illis narrare potes, qui terrena sapiunt, atque credunt figmenta carnalium hominam scripta in membranis animaliam: Nobis autem qui legem scriptam habemas in interiori homine a Spiritu Sancto, & nihil aliud sapimae nisi quod a Dea omniam Conditore didicimus, incassum superflaa, & a divinitate devia profers: idcirco verbis finem impone, & de nobis quidquid velis facito. Jam Regem nostrum in cælestibus regnantem videmus, qui ad immortales triumphos dextera sua nos sublevat*. Diu sed frustra laboratum est ab Episcopis, ut ab hæresi revocarentur. Tandem sacris vestibus secuodum Ordines suos induti moxque iisdem ad execrationem exuti sunt, & exauthorati. Secundum hæc ejecti suot ex Ecclesia, & sæculari Potestati traditi. Dum exirent Regina spectante *Constantia*, hæc *Stephani*, sui quondam Coofessarii, oculum baculo eruit indignabunda. Tum extra muros civitatis educti, vivi combusti sunt, uno Clerico, & Sanctimoniali exceptis, quibus Deus Pœnitentiam dedit. Conjectus in eumdem rogom pulvis ille nefarius, quo in Mysteriis sectæ utebantur. Gesta sunt ista aono Christi millesimo decimo-septimo.

Hæretici damnati & sæculari potestati traditi.

Quæ de his Hæreticis diximus, docuerunt Acta Concilii Aurelianensis in eorum causa habiti, edita a *D. Luca Dacherio*, Tom. II. Spicilegii, *Glaber Rodulphus* lib. 3. Historiæ cap. 8. *Ademarus* Monachus, & *Chronicon S. Petri Vivi* apud Senonas, editum eodem Spicilegii Tomo.

Synodus Aurelianensis.

II. Anno 1025. in Diœcesi Cameracensi grassata est Hæresis altera quæ a *Gandulfa* quodam Italo habuit origioem. Hujus sectæ Hæretici *quamdam justitiam præferentes hac sola purificari homines asserebant, nullumque in Sancta Ecclesia aliud esse Sacramentam, per quod ad salutem pervenire potuissent*. Se a Gandulfo *Evangelicis mandatis & Apostolicis informatae; nullamque præter hanc Scripturam se recipere, sed hanc verbo & opere tenere*. Sacri Baptismatis Mysterium, Eucharistiæ, Pœniteotiæ, Ordinis & Matrimonii Sacramenta negabant. Nullum Confessoribus cultom, nullam Dominicæ Cruci, Sanctorum imaginibus, Templis, Altaribus, venerationem tribuebant. Purgatorium negabaot. nihil prodesse defunctis Christianam Sepulturam effutiebant. Damnata Hæresis est in Synodo Attrebatensi a *Gerardo* Cameracensi & Attrebatensi Episcopo eodem anno coogregata. Adversus singulos errores singula Capitula edita sunt. De Sacrificio Altaris hæc tradit Synodus: *Quod quidem Sacrificium dum de pane & vina cum aqua mixta ineffabili sanctificatione, Cruce & verbis illius in Altari consecrata, dumque Passiaaie & Resurrectionis ejus atque in cælam Ascensioaie, ibidem salutifera memoria agitur; ver[illegible] ac proprium Corpus ipsius Domini nostri Jesu Chr[illegible] Sangaie verus & proprius efficitur quamvis a[illegible] videatur. Videtur namque panis materialis; Sed verissime efficitur Corpus Christi, sicus ipsa eadem Veritate attestante didicimus*. Ista constant ex actis istius Synodi, Tomo XIII. Spicilegii Dacheriani editis. Cæterum Hæreticos, de quibus habita quæstio fuerat, & qui ad Synodum fuerant adducti, errores ejurasse, & Fidem Catholicam fuisse professos, eadem Acta testantur.

Gandulfi Hæresis.

In Concilio Attrebatensi damnata. Attrebatum vulga Arras, *Artesia caput*, l'Arrois, *urbs Episcopalis sub Metropole Cameracensi*.

Eucharistia veram & proprium Christi Corpus, verum Sacrificium.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 303. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *A Rege petitur auxilium contra Hæreticos, qui & convocat Concilium in Gallia*.

R. *Robertum* Regem Christianissimum Concilium Aurelianense contra novos Manichæos *Stephanum Lisoium* &c. congregasse scripsi. Id ex Actis istius Concilii constat, editis Tom. II. Spicilegii Dacheriani, pag. 670. Facti & Historiæ res est.

ARTICULUS II.

De Berengariana Hæresi.

B*Erengarius*, Andegavensis Archidiaconus, Sacramentariorum Parens docuit Eucharistiam esse merum signum & figuram Corporis & Sanguinis Christi, non verum & substantiale Corpus & Sanguinam, & consequenter panis & vioi substantiam consecrationa non mutari. Ejus hæreseos exordia ad anoum millesimum trigesimum-quintum refert Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens: sed suo ipse refellitoe testimonio cum ad eumdem annum referat Epistolam *Theoduini* Leodieosis Episcopi ad Henricum I. Regem Christianissimum, quæ

Hæreseos exordia.

docet

docet *Brunonem* Andegavensem Episcopum in ejusdem Hæreseos suspicionem venisse. At *Bruno* ante annum millesimum quadragesimum-septimum non est consecratus Episcopus. Verisimilius itaque est eam prodiisse anno ipso 1047. *Clemente II.* Summo Pontifice, ut testatur vetus exemplar Floriacense Historiæ Francorum a *Roberto* Rege ad mortem *Philippi I.* aut anno sequenti *Damaso II.* Pontifice, regnante *Henrico I.* ut Chronicon Magnum Belgicum refert. Damnata est in Concilio Romano sub *Leone Nono* anno millesimo quinquagesimo, in conventu Brionensi, in Conciliis Vercellensi, & Parisiensi eodem anno celebratis: in Florentino sub *Victore Secundo* anno millesimo quinquagesimo quinto, & in Turonensi, eodem anno: in Romano sub *Nicolao II.* anno millesimo quinquagesimo nono: in Rothomagensi, anno millesimo sexagesimo-tertio: in Pictavensi, anno millesimo septuagesimo-quinto: in Romanis duobus sub *Gregorio VII.* annis millesimo septuagesimo-octavo, & septuagesimo-nono. Berengarinam hæresim scriptis impugnarunt Viri doctissimi *Adelmannus*, *Hugo* Lingonensis Episcopus, *Laufrancus*, *Durandus* Troarnensis Abbas, *Guitmundus & Algerus*. Retractato errore, pœnitens *Berengarius* obiit. De his uberius in Dissertatione *De Causa Berengarii*.

Damnatio.

ARTICULUS III.

De Schismate Michaelis Cerularii.

Michael *Cerularius* patria Constantinopolitanus, genere illustris, indole turbulentus, cum adversus Imperatorem *Michaelem Paphlagonem* conjurasset, in Monasterium ad eluendum scelus detrusus est, teste *Cedreno* ad an. MXXXV. E Monasterio eductus, Constantinopolitanus Patriarcha inauguratus est anno MXLIII. *Constantino Monomacho* Imperante. Decem annos integerrimæ Præsul fidei habitus, virus diu occultatum effudit an. Christi MLIII. ac in Romanam, omnemque Latinam Ecclesiam cœpit debacchari, scripta suo & *Leonis Acridani* Archiepiscopi nomine ad *Joannem* Tranensem in Apulia Episcopum Epistola, quæ ab *Humberto* Silvæ-Candidæ Episcopo Latinitate donata, ad *Leonem Nonum* Pontificem Maximum delata est. Aliam quoque anno sequenti ad *Petrum* Antiochenum Patriarcham Epistolam dedit, fœdis in Latinam Ecclesiam calumniis scatentem, & quosdam ipsius mores temere damnantem. Hæc autem accusationum capita 1. Quod Latini Azyma consecrantes, cum Judæis communicent, nec aptam assumant Eucharistiæ conficiendæ materiam. 2. Quod suffocata comedant. 3. Quod barbas radant. 4. Quod Sabbatis jejunent. 5. Quod immundorum animalium carnibus vescantur. 6. Quod Monachi Latini carnes edant. 7. Quod Latini primam Quadragesimæ hebdomadam, necnon Quinquagesimæ carnium esu violent. 8. Quod sacro Symbolo particulam, *Filioque*, addiderint & male de Spiritu S. sentiant. 9. Quod in sacra Liturgia hæc verba alta voce proferant: *Unus Sanctus, Unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris per Spiritum Sanctum.* 10. Quod apud Latinos duo fratres duas sorores ducant. 11. Quod in Missa tempore Communionis Ministrorum alter alterum osculetur. 12. Quod Latini Episcopi annulis ornentur ceu Ecclesiarum Sponsi. 13. Quod Latini Episcopi ad bellum proficiscantur, & manus suas humano sanguine contaminent. 14. Quod mersionem unicam in Baptismo usurpent. 15. Quod salem in os Baptizatorum immittant. 16. Quod nec Sanctorum Reliquias, nec sacras Imagines venerentur. 17. Quod *Alleluja* Quadragesimali tempestate non canant. *Leo Nonus* Sanctissimus Pontifex *Michaelis* Patriarchæ, & *Leonis Acridani* Archiepiscopi Schismaticam vanitatem, & insultus in Romanam Ecclesiam procacissimos, prolixa, erudita, & vehementi Epistola redarguit, quæ inter ejus Epistolas prima est in Collectionibus Conciliorum, & Capitibus uno & quadraginta constat. Ea Leo ante omnia, pacem illis offert, si vere pacem ament, Ecclesiæ unitatem commendat, Romanæ firmitatem & authoritatem ostendit, Constantinopolitanæ levitatem, temereque usurpata Privilegia diluit. *Michael* sive jussu Imperatoris *Monomachi*, sive etiam minis civium erga Romanam Ecclesiam propensiorum, ad eumdem Pontificem conciliatrices pacis Literas scripsit. Pontifex unitatis & concordiæ Ecclesiarum studiosissimus, legatos misit Constantinopolim, *Humbertum* Cardinalem Silvæ-Candidæ Episcopum, *Fridericum* Cardinalem & S. R. E. Cancellarium, & *Petrum* Amalphitanum Archiepiscopum, cum Literis ad *Michaelem* Patriarcham & ad *Constantinum* Imperatorem, pro Ecclesiastica pace concilianda. (Sunt sexta, & septima Leonis IX. Epistolæ.) Legati ab Imperatore honorificentissime suscepti. *Nicetas Pectoratus* Studita, Hieronnmachus, librum contra Romanam Ecclesiam a se editum igni tradidit coram Legatis, approbante Imperatore, omnesque execratus est, & Anathemate confixit, qui Romanæ Ecclesiæ Primatum negarent, vel qui ejus Fidem reprehenderent. Sed cum *Michael* Patriarcha Decretis parere nollet, colloquiumque Legatorum vitaret; quin etiam Ecclesiis ad Sacra celebranda interdixisset, ideo sæpius monitus, nec resipiscens, multorumque convictus errorum, simulque *Leo Acridanus* eadem sentiens, & eorum Sectatores, in Magna Ecclesia *Sanctæ Sophiæ*, coram universo populo & Clero sunt excommunicati. His peractis, Legati a *Michaelis* Patriarchæ insidiis per Imperatorem liberati, in Italiam remearunt. Patriarcha Schismaticus excommunicationem in Legatos Apostolicos ferre ausus est, nomenque Romani Pontificis e Dypticis delere, & datis mendaciorum & calumniarum plenis literis ad Petrum Antiochenum, aliosque Patriarchas, eos a Communione Romanæ Ecclesiæ divellere conatus est. Quid alii egerint, incertum. *Petrus* Antiochenus rescripsit, & multas illius objectiones tamquam leves futilesque redarguit. Non ita tamen ut in aliquibus etiam Latinos non carperet. Ista constant ex Actis Legationis ab *Humberto* Cardinali, Legatorum uno conscriptis, ex Epistola *Michaelis Cerularii* ad *Petrum* Antiochenum, & ex *Petri* ejusdem Responso: quæ Instrumenta doctissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens describit ad annum MLIV. ex Actis *S. Leonis* IX. a *Wiberto* conscriptis, lib. II. cap. V. ubi & Schisma illud vocat *Heresim Fermentaceorum*, & ex *Leone Ostiensi* lib. 2. cap. 89. Disputationem de Azymo & Fermentato Constantinopoli ad *Humberto* Cardinali adversus Græcos habitam; item *Niceta Pectorati* librum contra latinos ejusque confutationem ab *Humberto* editam, publici juris fecit Cardinalis *Baronius* ad calcem Tom. XI. Annalium Ecclesiasticorum.

Michael Cerularius Ecclesiam Latinam tu multis erroris accusat.

Leonis IX. Epist. contra Schismaticos.

Legati a Leone IX. missi Constantinopolim.

Michael Cerularius & Leo Acridanus excommunicati.

Schisma tamen *Cerularii* in universam Ecclesiam Orientalem hoc sæculo non est propagatum: Siquidem *Alexander II.* anno MLXXI. misit ad *Michaelem* Imperatorem *Petrum* Episcopum Anagninum Apocrisiarium, qui Constantinopoli mansit annum unum. Nec aliam ob causam *Gregorius VII.* annom MLXXVIII. *Nicephorum* Botoniatam excommunicavit, quam quod *Michaele*, qui cum Latinis communicabat, ejecto, Imperium usurpasset.

Schisma hoc sæculo in universam Ecclesiam Orientalem non est propagatum.

A Paschali II. *Grosolanus*, quem alii *Chrysolanum*, alii *Proculanum* dicunt, Mediolanensis Archiepiscopus, ad *Alexium Comnenum* Imperatorem missus est, ut si quid in Græcia noxium ex *Cerularii* semente pullulaverat, illud radicitus extirparet. Græcosque cæteros in fide & unitate contineret. Is cum pervenisset Constantinopolim, coram ipso Imperatore disputationem de Spiritu Sancto instituit, qua ex Patre Filioque ipsum procedere demonstravit; quam & Scriptis mandavit. Contra hunc scripsere Græci complures, & inter cæteros *Joannes Furnus* Monachus, & *Nicolaus Methonensis*, quorum meminit *Josephus Methonensis*, in Responsione ad Epistolam *Marci Ephesii*. Contra *Furnum* rescripsit *Petrus* Mediolanensis Archiepiscopus, cujus liber extat in Bibliotheca Regis Christianissimi. *Eustratius* etiam Nicænus Metropolita in eumdem *Grossolanum* seu *Proculanum*, stylum exercuit pro Græcis. Opus illius extat in Vallicellana Bibliotheca, teste *Leone Allatio*. His pene temporibus *Niceta Seidus*, cum a Latinis hanc pro-

po-

positionem propugnari videret. *Opinionibus Ecclesiæ Romanæ tamquam antiquioris inhærendum esse*, scripsit adversus eosdem Opusculum, cujus hæc inscriptio est: *Non simpliciter antiqua novis venerabiliora, ideoque neque Nova Vetus Roma, nec Sedes Sede*. (Ex Allatio.) *Theophylactus*, Bulgariæ Archiepiscopus, qui florebat circa annum MLXXIII. sub *Michaele Duca*, & sequentibus Imperatoribus, etiam *Alexio Comneno*, in quem Orationem Encomiasticam habuit, quæ asservatur in Bibliotheca Bavarica; scripsit ad *Nicolaum Diaconum & Castrensem*, qui postea fuit Melesobæ Episcopus, Tractatum *De erroribus Latinorum*: in quo totam Græcos inter & Latinos discordiam ponit in articulo de Processione Spiritus Sancti. Meminit illius *Joannes Vecus* in Apologetico secundo. Circa hæc tempora, vel paulo post, vixisse videtur *Niceta Byzantius*, cujus *Syllogismi* contra Latinos extant in Bibliotheca Bavarica, teste *Leone Allatio*. Illius meminit *Hugo Etherianus*, in Opere contra Græcos. *Euthymius Zygabenus* floruit sub *Alexio Comneno* Annæ Comnenæ Patre, a quo ipsi *Panoplia* conscribendæ provincia demandata est, ut Patrum sententias adversus singulas Hæreses in unum veluti Corpus redigeret. Si Græci eo tempore Latinos tamquam Hæreticos condemnassent, & ab eorum fuissent communione divisi, in hac sua contra Hæreses Panoplia Latinorum etiam Hæresim aut Sectam *Euthymius* recensuisset. Sola tunc de Spiritus Sancti Processione controversia Græcos inter & Latinos vertebatur. Extat in Bibliotheca Regis Christianissimi Tractatus sic inscriptus: *Euthymii Monachi Zygabeni adversus Romæ Veteris cives sive Italos, Capita duodecim, demonstrantia non ex Filio procedere Spiritum Sanctum*.

Duodecimo sæculo Græcorum plerosque, eum Latinis Communione conjunctos probant Sacrarum Expeditionum Historiæ, *Anna Comnena Alexias*, Vita *Manuelis* Imperatoris a *Niceta Choniate* edita. *Petri Venerabilis* Abbatis Cluniacensis ad *Joannem Comnenum* Imperatorem, & ad Patriarcham Constantinopolitanum Epistolæ 39. & 40. Libri 4. quibus orationum, omniumque bonorum operum sui Ordinis societatem ipsis pollicetur. Plures tamen Schismaticos fuisse constat ex *Hadriano IV.* in Epistola ad *Basilium* Thessalonicensem Archiepiscopum; quamquam Basilius se a Romani Pontificis communione separatum neget, eademque eum ipso se prædicare scribat: ex *Villelmi Tyrii* Historia, & ex *S. Bernardo* ad *Eugenium III.* scribente: *Ego addo & de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt, juncti fide, pace divisi, quamquam & in fide claudicaverant a semitis rectis*. Theodorus Balsamon, in Responsis *De Provilegiis Patriarcharum*, Latinos ceu Hæreticos habendos censuit, sed *Balsamonem* hac in re a plerisque Græcorum non probari & Communionem Ecclesiarum abruptam non esse testatur *Demetrius Chomaterus*, Bulgariæ Archiepiscopus in Responsione ad *Nicolaum Cabasilam* Dyrrachii Archipræsulem, Juris Orientalis pag. 321. 322. & 323. Idem constat ex Dialogis *Anselmi Havelbergensis* Episcopi *Eugenio III.* Pontifici Maximo dicatis, & Tom. XIII. Spicilegii Dacheriani editis, quibus Collationes cum doctioribus Ecclesiæ Græcæ viris habitas exponit, dum *Lotharii II.* Imperatoris nomine Legationem Constantinopoli obiret. *Nechites* namque Nicomediensis Archiepiscopus Cap. XXII. Libri III. ait: *Qui non in magnis, sed in minimis aliquatenus discrepare videmur, quæ licet salutem animarum non impediant, tamen caritatem non ædificant, summo studio elaborandum esset, ut Generale Concilium congruo loco & tempore fieret, ubi universa quæ nos & vos ab eodem Ritu dissociant, in unam reducta concordiam formarent, & tam Græci quam Latini unus populus sub uno Domino Jesu Christo, in una fide, in uno Baptismate, uno Sacramentorum ritu efficeretur*. Anselmus Havelburgensis Episcopus dixit: *Hæreticorum est angulos & latebras quærere; sed tu qui Generale Concilium desideras, videtur quod id, quod Catholicum est intendas: ideoque & ego Concilium Universale futurum exopto, &c.*

ARTICULUS IV.

De Roscelino.

Roscelini error.

ROscelinus, Compendiensis, Dialecticus, *Petri* Abaelardi præceptor, in Hæresim circa Mysterium Sanctæ Trinitatis impegit, asserens, *In Deo tres personas esse tres res ab invicem separatas; sicut sunt tres Angeli: ita tamen ut una sit voluntas & potestas: aut Patrem & Spiritum Sanctum esse incarnatum, & tres Deos vere posse dici, si usus admitteret*. Lantfrancum in ea sententia fuisse mentiebatur, pro qua etiam falso laudabat *S. Anselmum* Beccensem Abbatem. Ejus error in Concilio Suessionensi, Præside *Raynaldo* Remensi Archiepiscopo, damnatus est, anno Christi millesimo nonagesimo-secundo, quem coram Synodo ejuravit. Verum postea in eamdem Hæresim relapsus est, cui ficto & metu mortis nuntium dixerat. Id constat ex *S. Anselmo*, lib. II. Epistolis 35. & 41. ex *Yvone Carnotensi*, Epistola 27. & ex *Petro Abaelardo* Epistola 21. ad Parisiensem Episcopum. Hunc *Roscelinum* graviter perstringit *Theobaldus Stampensis* Magister Oxnefordiæ, in Epistola ad ipsum scripta, & edita Tomo III. Spicilegii Dacheriani, pag. 142. Quod filios Sacerdotum non esse admittendos ad Sacros Ordines pertinaciter contenderet.

In Concilio Suessionensi damnatur.

Ejurat errorem.

Relapsus in Hæresim.

Errorem illius impugnat S. Anselmus.

Quo sensu tres Personæ S. Trinitatis tres Res dici possint vel non possint?

Contra *Roscelini* errorem ita scribit S. Anselmus Epistola 35. libri II. *Quod ergo dicit tres personas tres res, aut vult intelligi secundum tres relationes, id est, secundum quod Deus dicitur Pater, & Filius & a Patre & Filio procedens Spiritus: aut secundum id quod Deus dicitur. Sed si ipsas tres Relationes dicit tres res esse, superflue hoc dicit: Nullus enim negat hoc modo tres personas esse tres res. Sic tamen ut diligenter intelligatur, quomodo ipsæ relationes dicantur res, & ejusmodi res; & si aliquid faciunt eædem Relationes circa substantiam, quemadmodum multa accidentia, an non. Quamvis videatur non intelligere hoc modo tres res, quas dicit: ex eo quia subjungit, etiam Personarum unam esse voluntatem, aut potestatem. Nam tres ipsæ Personæ non habent voluntatem, aut potestatem secundum Relationes, sed secundum hoc quod unaquæque Persona Deus est. Quod si dicit, tres personas esse tres res, secundum quod unaquæque persona est Deus: aut tres Deos vult constituere, aut non intelligit quod dicit.*

Contra hunc Hæreticum scripsit *S. Anselmus* librum *De Fide Trinitatis, & de Incarnatione Verbi*, quod incœperat cum adhuc esset Beccensis Abbas, sed intermiserat, audiens *Roscelinum* in Concilio Suessionensi errorem abjurasse. At cum accepisset, ipsum in sua perseverantem sententia, dicere se non ob aliud abjurasse quod dicebat, nisi quia a populo interfici timebat, precibus fratrum coactus, cœptum Opus absolvit, ut ipse testatur Cap. I.

Roscelinus Sectæ Nominalium Author.

De *Roscelino* ita scribit Abaelardus ad G. Parisiensem Episcopum: *Relatum est nobis a quibusdam discipulorum nostrorum supervenientibus, quod erectus ille & semper inflatus Catholicæ Fidei hostis antiquus, cujus hæresis detestabilis tres Deos confiteri, immo & prædicare, in Suessionensi Concilio a Patribus convicta est, atque insuper exilio punita, multas in me contumelias & minas evomuerit, viso Opusculo quodam nostro de Fide Sanctissimæ Trinitatis, maxime adversus hæresim præfatam, qua ipse infamis est, conscripto, &c. Hic sicut Pseudo-Dialecticus, ita Pseudo-Christianus cum in Dialectica sua nullam rem Partes habere æstimat, ita Divinam Paginam impudenter pervertit; ut eo loco quo dicitur Dominus partem piscis assi comedisse, partem hujus vocis, quæ est piscis assi, non partem rei intelligere cogatur*. Hoc ideo dictum a *Petro Abaelardo*, quod *Roscelinus* Sectæ Nominalium author fuerit, quam melioribus auspiciis postea suscitavit *Okamus*.

ARTICULUS V.

De Bogomilorum heresi.

Secta Caput Basilius Medicus igne damnatus.

Bogomilorum errores.

EX Paulicianorum novorum Manichæorum, & Messalianorum deliriis conflata Bogomilorum hæresis ante annum MCXVIII. erupit, *Alexio Comneno* Imperante, cujus prudentia detecta est, ejusque Mandato nefariæ Sectæ Princeps *Basilius* Medicus, habitu Monachus, igne damnatus, ut referunt *Euthymius* in Panopliæ, *Anna Comnena*, lib. 15. *Alexiados*, & *Zonaras* in Annalibus. *Euthymio* porro jussit Imperator, ut ridiculæ illius Hæresis Mysteria patefacta atque convicta literarum monumentis mandaret. Id præstitit *Panoplia Titulo XXIII.* ex quo illius Hæreseos capita exponam impræsentiarum. 1. Rejiciebant Bogomili Mosaicos omnes Libros, cæterosque Scripturæ Sacræ, præter Psalterium, sexdecim Prophetas, quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, & ipsorum Epistolas, atque Apocalypsim. Illud cum Manichæis commune ipsis dogma erat, Vetus Testamentum boni Dei non esse, nec ad ipsum pertinere Viros Justos qui in eo celebrantur. Narrat porro *Euthymius*, ipsos ex libris etiam quos rejiciebant, ad errores suos propugnandos loca protulisse: aliorum vero librorum sententiis convictos, statim ad Allegoriam confugisse.

De Bogomilorum heresi agit & Harmenopulus lib. 8. De Sectis Cap. 19. Tom. 1. Juris Græco-Rom.

2. Simplicibus fucum faciebant, dicendo se credere in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: Sed revera Patri hæc tria nomina tribuebant: eumque corporea forma præditum, ex binis cerebri panniculis binos radios emittere, alterum Filii, alterum Spiritus Sancti delirabant. 3. Filium & Spiritum Sanctum in Patrem rursum resolvi, & qui a multis retro sæculis tres Personæ fuerant, rursus unam factam esse Personam. 4. Filium & Spiritum Sanctum usque ad quinquies millesimum & quingentesimum annum extitisse negabant. 5. Filium a Patre, Spiritum Sanctum a Filio genitum, hunc autem Judam Proditorem & undecim Apostolos genuisse effutiebant. 6. Dæmonem, qui a Servatore appellatus est Satanas, filium etiam Dei Patris esse, & vocari Satanael, & Filio Verbo natu majorem, præstantioremque, sed sua dignitate elatum, de defectione cogitasse, & ministras tentasse Potestates. 7. Satanaelem e Cœlo dejectum, Angelis quos secum traxerat, audaciam injecisse, & habito cum ipsis consilio, firmamentum produxisse, terram ornasse, plantas, animantia, ipsumque hominem procreasse, &c. 8. Cum homines acerbo Dæmonum imperio premerentur, crudeliterque perderentur, via paucos ex parte Patris extitisse, & in Angelorum Ordinem ascendisse, eos nimirum qui in Genealogiis Evangelii secundum Matthæum, & secundum Lucam recensentur. Tandem aliquando Patrem se decipi, atque injuria affici animadvertisse, qui cum præstantiorem hominis partem tribuisset, majore tamen hominum numero privaretur: animæque misertum quam insufflarat, ad ultionem Verbum ex corde suo eructasse, id est, Filium & Deum: Hunc esse Michaelem Archangelum. Descendisse de Cœlis, & per aurem Virginis dexteram influxisse: carnem induisse, quæ specie tenus ex materia constet & humani corporis sit similis, cum tamen revera materiæ sit expers ac divina: Passionem, Mortem, Resurrectionem simulasse, ac demum peracta scena & deposita persona, confudisse Desertorem, ipsum in tartara detrusisse, illiusque nomini ademisse syllabam, El, quæ est Angelica, voluisseque ut non Satanael, sed Satana deinceps nominaretur. Expleto autem ministerio, reversum ad Patrem, & ad illius dexteram assidere in Solio ex quo Satanael fuerat ejectus. 9. Comminiscebantur, Angelos qui ceciderant, cum intellexissent Satanaelem Patri esse pollicitum loca ipsorum ex hominum genere completa iri, filias hominum impudice conspexisse, easque in uxores accepisse, quo semen ipsorum in cœlum reverteretur ad loca patrum suorum. 10. Moysen a Satanaele deceptum, Judæorum populum eduxisse de Ægypto portentis & signis virtute Satanaelis ejusdem patratis, & ab ipso Legem accepisse in Monte Sinai, per illamque infinitam hominum multitudinem perdidisse. Atque hujus rei Paulum Apostolum testem laudabant dicentem: *Concupiscentiam nesciebam nisi per Legem*: Et rursus *Adveniente Mandato, peccatum revixit*. 11. Eos tantum Sanctos prædicabant, qui apud Matthæum & Lucam in Genealogiis commemorantur, & sexdecim Prophetas, & Apostolos, & Martyres, qui ne Idola adorarent, occisi sunt. Sacerdotes autem & Patres omnes, tamquam Idolorum cultores, reprobos esse. Cultum enim Imaginum Idololatriam appellabant. 12. Sanctorum sepulchris assidere Dæmones effutiebant, portentaque edere sub eorum persona, ut homines decipiant. 13. Dæmones tamquam arcus sagittam a se solis aufugere; singulis autem reliquis hominibus singulos inhabitare. 14. Crucem despiciebant, quod in ea Salvator occiderit; & cum argumento ab Energumenis petito premerentur, qui ad Crucem accurrebant, & vociferabantur; Crucem a Dæmonibus ut proprium opus amari respondebant, quamvis illam interdum fugiant, ut homines in errorem inducti eam magis honorent, ut Dæmonum inimicam & expultricem. Cum *Alexius* pyras duas parari jussisset, quarum uni Crux supereminebat, igneque damnasset omnes de Hæresi delatos, optione data, ut quam vellent pyram eligerent, agniti sunt Bogomili, quod pyram Cruce carentem eligerent, Catholici rogum Cruce insignem. Judicium simulaverat Imperator, ut Hæreticos detegeret. Ita refert *Anna Comnena*. 15. Nostrum Baptismum, *Joannis* esse dicebant, quod per aquam fiat: suum vero Christi, quod per Spiritum. Quamobrem Catholicos, qui ad impiam ipsorum deficiebant Sectam, rebaptizabant, hoc ritu: Statuto ad Confessionem, continuamque Precationem tempore, *Joannis* Evangelium capiti eorum imponebant, & Spiritum Sanctum suum invocabant, & *Pater noster* canebant. 16. Mysticum adorandumque Ecclesiæ Sacrificium contemnebant: & Sanctam Corporis & Sanguinis Domini Communionem, Dæmonum in Templis habitantium Sacrificium appellabant homines blasphemi. Porro Communionis panem, precationem illam, *Pater noster*, vocabant: Communionis Calicem, Testamentum quod in Evangelio commemoratur: utriusque perceptionem, Mysticam Cœnam. De hoc errore *Anna Comnena* lib. 15. *Quin etiam templa, heu mihi, sacra templa, fana dæmonum profanus appellabat. Et quod legitimis cæremoniis rite consecrari ac fieri apud nos solent Corpus & Sanguis ejus, qui primus Pontifex idem fuit & victima, aspernabatur consuetudinem religiosam, & reprobabilem revocandamque censebat*. 17. Dæmones in templis habitare, & Satanam sibi celeberrimum quondam Hierosolymorum delegisse, eoque verso, Templum Sanctæ Sophiæ Constantinopoli suscepisse blasphemabant. 18. Unicam esse orationem, quam Dominus in Evangeliis tradidit, scilicet, *Pater noster*. Et eam solam frequentabant, septies die, quinquies nocte, immo quoties ad precandum accedebant. Reliquas vero precandi formulas tamquam multiloquium Gentibus conveniens aspernabantur & rejiciebant. 19. *Basilius* Sectæ Princeps asserebat hanc Domini vocem suis in Evangeliis scriptam esse: *Dæmonia colite, non ut vobis prosint, sed ne obsint*: eosque Christo & Spiritu Sancto fortiores. O linguam præcidendam. 20. Hanc item Domini vocem in Evangelio scriptam mentiebantur: *Omni ratione saluti vestræ consulite*: Id est, inquiebant, Omni arte & dolo simulantes fidem eorum qui vos opprimunt, servate vos a periculo & morte quæ vobis ab illis imminet. 21. Suos omnes, in quibus Spiritus Sanctus habitaret, Dei parentes esse & nominari gloriebantur, quod Dei Verbum conciperent, in utero gererent, & alios docendo parerent, nihilque præ ipsis habuisse Virginem Deiparam. Hos vero non mori, sed tamquam in somno transmutari. 22. Se non in somnis solum, sed revera cernere Patrem ut Senem densa barba ornatum, Filium tamquam Juvenem pubescentem, Spiritum Sanctum imberbem Adolescentem. 23. Monachorum habitu incedebant ad suspicionem vitandam. Qualibet Feria secunda, quarta, & sexta jejunium indicebant usque ad horam nonam, quod solvebant invitati, & occasione data opipare epulabantur. Initiandis

dis statim errorum venena non propinabant. 24. Scripturæ Sacræ libros, quos recipiebant, suis accommodabant erroribus. Sectam suam vocabant Bethleem, in se Christum nasci dicentes, seu Verbum Dei, quo fidei veritas prædicabatur. Catholicam Ecclesiam esse *Herodem*, quæ Verbum apud eos natum occidere conetur. 25. *Rachelem* fuisse mulierem viduam, quæ cum duas haberet infantes filias, quo tempore *Herodes* pueros omnes interfecit, honorem & gratiam apud ipsum se inituram arbitrata, eas in marium speciem mutatas attulit. Quæ cum essent pariter interfectæ, *Rachel* ita lugebat, nullam ut consolationem admitteret. *Rachelem*, Patrem esse Cœlestem, cujus filiæ sint anima Adæ, & anima Christi; quibus ab *Herode*, id est, a mundi Principe sublatis, Patrem lugere mortem illarum, & consolationem omnem respuere. 26. Cameli pilos, ex quibus *S. Joannis Baptistæ* contextum vestimentum in Evangelio legimus, Mosaicæ Legis præcepta interpretabantur, quæ instar cameli impura sit, cum & esum carnium, nuptias, & jusjurandum, & sacrificia, & cædes, & alia multa his similia permittant. Zonam pelliceam, Evangelium, quod ovium pellibus inscriptum est. Mosaicæ Legis adhortationes, locustas, mel silvestre, Evangelium: Catholicos appellabant Pharisæos, & Saducæos, qui ad *Joannis* Baptisma accedebant; & genimina viperarum. Christi calceamenta dicebant esse miracula, quæ discipulis & turbis demonstravit. Quæ quidem *Joannes* solvere non poterat, quippe qui nullo modo valebat ea miracula patrare. Ventilabrum esse Evangelicum Sermonem, aream Christianos homines, triticum fidem suam, paleam fidem nostram. Montem altum esse secundum Cœlum, in quem Christus a Diabolo sublatus, vidit omnia Regna Mundi. Beatitudines omnes Evangelicas de Bogomilis dictas. 27. In his Evangelii verbis, *Esto consentiens adversario tuo*, adversarii nomine Diabolum intelligi. 28. Ad Cœlibatus necessitatem adstruendam & ad sugillationem matrimonii verba illa Christi proferebant: *In Resurrectione neque nubent, neque nubentur*: Resurrectionem pœnitentiam & vitam Evangelicam interpretati. 29. In his verbis: *Tum autem cum oras, intra in cubiculum tuum*, cubiculi nomine mentem intelligi: adeoque preces in Ecclesiis non esse fundendas. 30. Hæc verba exponentes, *Respicite volatilia Cœli, quod non serunt, neque metunt, &c.* Volatilia Cœli, Monachos esse dicebant, in columnis, aut domunculis degentes, qui eum inertem vitam traducant, tamen a Patre Cœlesti nutriuntur. Se ipsos vero esse lilia agri propter morum candorem & ornatum virtutum. Plerasque hujusmodi fabulas & blasphemias ineptissimas effutiebant. 31. E quibuslibet tormentis Angelorum ope se eripiendos jactitabant, ut refert *Anna Comnena*. Basilium Sectæ authorem noctu a dæmonibus lapidibus impetitum, quod Sectæ arcana *Alexio* Imperatori Proselytum simulanti imprudens revelasset, eadem testatur. Legatur libro 15. *Alexiados*, ubi prolixe agit de quæstione in Basilium, in ejus 12. Apostolos cæterosque Sectatores habita.

ARTICULUS VI.

De Tanchelini Hæresi.

Antuerpia, vulgo Anvers, ad Scaldim fluvium, in Brabantia, urbs Episcopalis sub Metropoli Mechliniensi, ex Pauli Quarti institutione.

T*Anchelinus*, homo flagitiosissimus, ter mille stipatoribus vallatus incedebat apparatu magnifico, vestibus deauratis ornatus, convivia lautissima instruens, ut plebis gratiam sibi conciliaret. Palmares ejus errores duo. 1. Quod Ministerium Episcoporum & Sacerdotum inane esse, nec a Christo institutum diceret. 2. Quod Sacrosancti Corporis & Sanguinis Christi perceptionem ad salutem perpetuam prodesse negaret. Propagandæ Hæresi locum selegit opportunum, Antuerpiam nobilem in Belgio civitatem, in qua tum unicus erat Sacerdos, cui incesta eum inepte familiaritas omnem apud populum fidem & authoritatem derogabat. In gregem Pastoris custodia destitutum grassatus est nefarius Hæresiarcha, & Belgarum Antuerpiensium ita sibi devinxit animos ut, qua corpus laverat, aquam biberent, ac Reliquiarum loco reconderent. Et cum filias sub matrum oculis, uxores præsentibus maritis constupraret, opus spiritale id esse asserebat, miserisque persuadebat infamis Ganeo. Ad hanc exterminandam Hæresim & Antuerpienses ad veritatem fidei revocandos, *S. Norbertus* Ordinis Præmonstratensis Conditor, cum selectis Fratribus invitatus, ingentem errantium numerum ad Ecclesiam reduxit. Ista constant ex *Hugone* in ejus Vita cap. 34. apud *Surium* ad diem 6. Junii. Grassata est *Tanchelini* hæresis ab anno circiter 1115. ad annum 1126. quo *S. Norbertus* Antuerpiam profectus est.

S. Norbertus ad Hæresim Tanchelini extirpandam a Deo suscitatus.

ARTICULUS VII.

De Petrobusianis, & Henricianis.

Petrobusiani.

P*Etrus de Bruis* Sectæ nomen dedit ante annum millesimum centesimum undevigesimum exortæ. Errores suos in Provincia Arelatensi, aliisque finitimis disseminavit. Errorum Capita refert *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis, in Epistola ad Archiepiscopos Arelatensem & Ebredunensem, & Episcopos Diensem & Vapincensem, quæ in alia Epistola seu potius Tractatu iisdem Præsulibus nuncupato confutaverat. *Scripsi nuper*, inquit, *Epistolam Reverentiæ vestræ contra Hæreses Petri de Bruis disputantem, sed innumeris & magnis negotiis a dictando animum, a scribendo stylum retardantibus, hucusque mittere distuli. Mitto nunc tandem eam Prudentiæ vestræ, ut per vos Hæreticis contra quos scripta est, & etiam Catholicis, quibus forsitan prodesse poterit, innotescat. Vobis eam mitto quoniam, in Partibus vestris, aut circa easdem stulta illa & impia hæresis more pestis validæ multos interfecit, plures infecit; Sed gratia Dei concitante & adjuvante studia vestra, a vestris regionibus sese paululum removit. Migravit tamen, sicut audivi, ad loca satis vobis contigua, & a Septimania vestra vobis persequentibus expulsa, in Provincia Novempopulana, quæ vulgo Gasconia vocatur, & in partibus ei adjacentibus, sibi foveas præparavit. In quibus nunc se timore occultans, nunc de ipsis audacia assumpta prodiens, quos potest, decipit, quos potest, corrumpit, & nunc istis, nunc illis, lethalia venena propinat. Vestrum est igitur, ad quos præcipue tam ex officio, quam ex singulari scientia, in partibus illis cura Ecclesiæ Dei spectat, & quibus ipsa velut fortibus columnis maxime innititur; vestrum est, inquam, & a locis illis in quibus se latibula invenisse gaudet, & Prædicatione, & etiam, si necesse fuerit, vi armata per Laicos exturbare. Sed quia majorem operam eos convertendi, quam exterminandi, adhibere Christianam Caritatem decet, proferatur eis authoritas, adhibeatur & ratio; ut si Christiani permanere volunt authoritati, si homines rationi cedere compellantur.*

Christiani cedere debent authoritati, homines rationi.

De errorum vero Capitibus ita subdit: *Et quia prima erronei dogmatis semina a Petro de Bruis per viginti fere annos sata & aucta, quinque præcipua & venenata virgulta produxerunt, contra illa maxime, ut potui, egi, ut circa ea se animus & verba intentius occuparent, in quibus major fidei læsio, majus monstrabant esse periculum.*

Petrobusianorum errores.

Primum hæreticorum Capitulum negat parvulos infra intelligibilem ætatem constitutos, Christi Baptismate posse salvari, & alienam fidem posse illis prodesse, qui sua uti non possunt: Quoniam juxta eos, non aliena fides, sed propria cum Baptismate salvat Domino dicente: „ Qui crediderit, & baptizatus fuerit „ salvus erit. Qui vero non crediderit, condemna„ bitur.

Hinc Anabaptistæ.

Secundum Capitulum dicit, Templorum vel Ecclesiarum fabricam fieri non debere, factas insuper subrui oportere, nec esse necessaria Christianis sacra loca ad orandum, quoniam æque in taberna & in Ecclesia, in foro & in templo, ante altare vel ante stabulum invocatus Deus audit, & eos qui merentur exaudit.

Tertium Capitulum, Cruces sacras confringi præci-

pit & succendi : Quia species illa vel instrumentum quo Christus tam dire tortus, tam crudeliter occisus est, non adoratione, non veneratione vel aliqua supplicatione digna est, sed ad ultionem tormentorum & mortis ejus, omni dedecore dehonestanda, gladiis concidenda, ignibus succendenda est.

Hinc Calvinista errores suos hauserunt.

Quartum Capitulum non solum veritatem Corporis & Sanguinis Domini quotidie & continue per Sacramentum in Ecclesia oblatum negat, sed omnino illud nihil esse, neque Deo offerri debere decernit.

Quintum Capitulum, Sacrificia, orationes, eleemosynas, & reliqua bona pro defunctis fidelibus a vivis fidelibus facta deridet, nec ea aliquem mortuorum vel in modico posse juvare affirmat.

Ad hæc, Traditionis & SS. Patrum Authoritatem Petrobusiani rejiciebant, ut idem Petrus Cluniacensis in priori sua Epistola, seu Tractatu testatur cap. I. *Ad vestram*, inquit, *brutam impiam hæresim refellendam, innumera mihi Doctorum Ecclesiasticorum testimonia suffragantur, sed vestra authoritas & sapientia tanta est, ut eos coram producere non præsumam; maxime cum didicerim, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Gregorium, & cæteros judicio majestatis vestræ esse damnatos.... Viderint Catholici hujus Operis lectores, quid pro solo isto, quod nunc commemoravi, capitulo, mereamini, qui Ecclesiam Dei armis suis spoliare, & inter hostes inermem constituere decrevistis; immo quantum ad vos jam telis & gladiis hostilibus exposuistis.*

SS. Patrum authoritatem qui rejiciunt, Ecclesiam Dei armis suis spoliant.

Vetus & Novum Testamentum ipsos rejicere, ac Manichæos esse fama vulgavit, quam tamen incertam fuisse significat Petrus Cluniacensis. *Quia*, inquit, *Sanctis Ecclesiæ Doctoribus fidem præbere dedignamini, ad purissimum rivulorum omnium fontem mihi est revertendum, & de Evangelicis, Apostolicis, seu Propheticis dictis testimonia, [si tamen vel illa suscipitis] sunt proferenda. Videndum est utrum hi qui tantis orbis terrarum Magistris non cedunt, saltem Christo, Prophetis, vel Apostolis acquiescant. Hoc ideo dico, quoniam nec ipsi Christo, vel Prophetis, aut Apostolis vos ex toto credere fama vulgavit, ipsique majestati Veteris ac Novi Testamenti, quæ jam ab antiquo totum orbem subdidit, vos detrahere [si tamen verum est] indicavit. Sed quia fallaci rumorum monstro non facile assensum præbere debeo, maxime cum quidam vos totum Divinum canonem abjecisse affirment, alii quædam ex ipso vos suscepisse contendant, culpare vos de incertis nolo.*

Sane Manichæum non fuisse *Petrum Bruisium*, id palam ostendit, quod a carnibus non abstineret, nec ab ipsis sibi temperarent ejus Discipuli, ut Manichæi. Nam ipso die Sancto Parasceves ipsos ignem struxisse ex ligneis Crucibus, & carnes impie comedisse, Petrus Cluniacensis testatur. *Prævenistis*, inquit, *scelestis operibus celeritatem verborum, & profundis in Religionem odiis, quod vel cogitare scelus fuerat, Insigne nostræ fidei tollere attentastis. Quod tunc factum est, quando ad inauditam Divinitatis contumeliam, magno de Crucibus aggere instructo, ignem immisistis, pyram fecistis, carnes coxistis, & ipso Passionis Dominicæ die Paschalem Dominicam præcedente, invitatis publice ad talem esum populis, comedistis.* Præterea, ipsos Vetus & Novum Testamentum admisisse constat ex libro *De Antichristo* ab ipsis scripto anno circiter 1120. qui ipsorum Fidei professionem complectitur, & a *Paulo Perrino* in historia Waldensium lib. 3. editus est. Sic enim habent cap. 1. *Si le Christian es entengu per commandament departir se de l'Antechrist, lo es dit, & es prova del Velli & de Novel Testament*, &c. Id est *Christianum ex mandato teneri se ab Antichristo separare, patet tam ex Veteri, quam ex Novo Testamento*. Atque in hunc finem varia Isaiæ, Jeremiæ, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Exodi, Ezechielis, Matthæi, Joannis in Evangelio & Apocalypsi loca proferunt.

Petrobusiani Manichæi non erant.

De Eucharistia sic differentes introducit Petrus Cluniacensis : *Nolite, o populi, Episcopis, Presbyteris, seu Clero vos seducentis credere, qui sicut in multis, sic & in Altaris Officio vos decipiunt, ubi Corpus Christi se conficere, & vobis ad vestrarum animarum salutem se tradere mentiuntur. Mentiuntur plane. Corpus enim Christi semel tantum ab ipso Christo in Cœna ante Passionem factum est; & semel, hoc est, tunc tantum Discipulis datum est. Exinde neque confectum ab aliquo, neque alicui datum est.* At id ex falsa relatione didicerat Petrus Venerabilis: *Verba vestra*, inquit, *quæ ad nos pervenire potuerunt, ista sunt.* Christum enim Apostolis dedisse Corpus suum in figura, & quotidie pariter Christianis distribui profitebantur : ipsius autem veritatem & substantiam in Eucharistia contineri pertinaciter negabant : ut constat ex eodem ipsorum libro *De Antichristo*, cap. 1. *Li fait de lui*, inquiunt, *son le Sacrament specialment, lo Sacrament de la Eucharistia, que el col per Dio & per Jesu Christ.* Id est : *Opera ipsius* (scilicet Antichristi) *sunt Sacramenta, specialiter Sacramentum Eucharistiæ, quod adorat velut Deum & Christum.* Et cap. 4. *Lo maniar del Pan Sacramental, es maniar lo Corps de Christ en figura, dizent Christ : Per quanta via vos fare arzo, fase lo en la mia recordanza.* Id est, *Manducatio Panis Sacramentalis, est manducatio Corporis Christi in figura, cum Christus dixerit : Quotiescumque id feceritis, facite in memoriam mei.*

Petrum de Bruis in Villa *S. Ægidii*, in Diœcesi Nemausensi, igne damnatum, & combustum Petrus Cluniacensis testatur.

Petrus de Bruis igne damnatur.

Petrobusianæ Hæreseos ortum ad annum 1126. refert Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum parens. Verum anno 1119. jam exortos fuisse Petrobusianos, colligitur ex Concilio Tolosano, quod eo anno celebratum est, *Callisto II.* Pontifice Maximo Præside, Canone III. quo damnantur Hæretici, *Qui Religionis speciem simulantes, Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, Baptisma puerorum, Sacerdotium & cæteros Ecclesiasticos Ordines, & legitimarum damnant fœdera Nuptiarum; eosque per potestates exteras coerceri*, Pontifex & Synodus præcipiunt. Hos autem Petrobusianos fuisse omnino verisimile est; cum in eisdem erroribus fuerint, quos *Petrus* Cluniacensis Abbas Petrobusianis tribuit.

Quo tempore nata hæc Hæresis?

Petrobusiani etiam erant Hæretici de quibus Ivodii in Diœcesi Trevirensi detectis, a *Brunone* Archipræsule quæstionem habitam commemorat Historia Trevirensis, Tom. XII. Spicilegii Dacheriani, pag. 243. his verbis : *Ivodii, quod Treverica Diœcesis appendicium est, fuerunt eo tempore Hæretici, qui substantiam panis & vini, quæ in altari per Sacerdotes benedicitur, in Corpus Christi & Sanguinem veraciter transmutari negabant; nec Baptismi Sacramentum parvulis ad salvationem proficere ducebant, & alia perplura profitebantur erronea, quæ memoriæ tradere nefas duxi.*

Obiit autem *Bruno* Trevirensis Archiepiscopus anno 1123. septimo Kalendas Maii.

II. Sectam propagavit Henricus Monachus Apostata circa annum 1140. De quo *Petrus Cluniacensis* scribit : *Sed post rogum Petri de Bruis, quo apud S. Ægidium zelus Fidelium flammas Dominicæ Crucis ab eo succensas, eum concremando, ultus est... hæres nequitiæ ejus Henricus, cum nescio quibus aliis Doctrinam diabolicam non quidem emendavit, sed immutavit : & sicut nuper in Tomo qui ab ejus ore exceptus dicebatur, scriptum vidi, non quinque tantum, sed plura capitula edidit, contra quæ animus accenditur rursus agere... Sed quia eum ita sentire vel prædicare; nondum mihi plene fides facta est, differo responsionem, quousque & horum quæ dicuntur indubitam habeam certitudinem.* Quod vero Petrobusianæ Hæresi addidit *Henricus*, istud est : *Irrideri Deum Cantibus Ecclesiasticis, quia qui solis piis affectibus delectatur, nec altis vocibus advocari, nec musicis modulis potest mulceri.*

Henriciani.

De Henrici Petrobusiani Hæresi scribit S. Bernardus ad Comitem S. Ægidii *Hildefonsum*, Epistola 352. *Quanta audivimus, & cognovimus mala, quæ in Ecclesia Dei fecit & facit quotidie Henricus Hæreticus? Versatur in terra vestra sub vestimentis ovium Lupus rapax, sed ad Domini designationem a fructibus ejus cognoscimus illum. Basilicæ sine plebibus, plebes sine Sacerdotibus, Sacerdotes sine debita reverentia sunt, & sine Christo denique Christiani. Ecclesiæ Synagogæ reputantur, Sanctuarium Dei Sanctum esse negatur, Sacramenta non sacra censentur, dies festi festivis frustrantur solemniis. Moriuntur homines in peccatis suis, rapiuntur animæ*

possim

passim ad tribunal terrificum, heu! nec Pœnitentia reconciliati, nec Sacra Communione muniti. Parvulis Christianorum, Christi intercluditur vita, dum Baptismi negatur gratia, nec saluti propinquare sinuntur: Salvatore licet pie clamante pro eis: Sinite, *inquit*, parvulos venire ad me.

Henrici Hæretici mores.

Tum de ejusdem Hæresiarchæ moribus subdit: *Sub tuo Dominatu in gregem Christi toto furore bacchatur. Quod tuo ac honori congruat, Princeps Illustris, ipse judicato. Nec mirum tamen si Serpens ille callidus decipit te, quippe speciem pietatis habens, cujus virtutem penitus abnegavit. Sed nunc audi quis ille sit. Homo apostata est, qui relicto Religionis habitu* [*nam Monachus extitit*] *ad spurcitias carnis & sæculi tamquam canis ad suum vomitum est reversus. Pro confusione habitare inter cognatos & notos non sustinens vel potius non permissus ob magnitudinem criminis, succinxit lumbos suos, & iter quà nesciebat, arripuit, factus gyrovagus & profugus super terram. Cumque mendicare cœpisset, posuit in sumptu Evangelium, nam literatus erat: & venale distrahens Verbum Dei, evangelizabat ut mendicaret. Si quid supra victum elicere poterat a simplicioribus populi, vel ab aliqua Matronarum, id ludendo aleis, aut certe in usus turpiores effundebat. Frequenter siquidem post diurnum populi plausum, nocte insequenti cum meretricibus inventus est Prædicator insignis, & interdum etiam cum conjugatis. Inquire, si places, Vir Nobilis, quomodo de Lausana civitate exierit, quomodo de Cenomanis, quomodo de Pictavis, quomodo de Burdegalis, nec patet ei aliquam reversionis aditus, utpote qui fœda post se ubique reliquerit vestigia.*

Disertum quidem fuisse, sed ignavum, Chronicon Cenomanense testatur.

De *Henrico*, ejusque Secta, & strage, quam Cenomanis, fecit anno circiter MCXVI. fuse disserit Cenomanensis Ecclesiæ Chronicon cap: 35. ubi de *Hildeberto* Episcopo agit. *Per idem fere tempus*, inquit, *in adjacentium finibus regionum surrexit, quidam Hypocrita, quem propria actio, mores perversi, dogma detestabile, scorpionibus & parricidialibus dignum protestantur suppliciis. Is enim ovium spoliis lupi rapacis rabiem occultans, vultu & oculorum inquietatione mari conformis anfragoso, coma succinctus, intonsus barba, corpore procerus, pernix incessu, audax humo, bruma debacchante, serpens vestigiis, expeditus affatu, terribilis sono, juvenis ætate. Nullus ei nitor in vestitu, victus ejus a publico in prompta dissimilis, hospitium in ædibus Burgensium, mansio in porticu cœnæ, cubile in cœnaculo, minime siquidem ad instar Danielis Prophetæ, sed juxta illud,* Mors intravit per fenestras vestras. *Quid multa? Idem namque miræ sanctitatis & scientiæ circumquaque rumore, non merito; falsitate, non vero habitu erat celebrior, non moribus, non religione, sed opinione. Matronæ etiam atque impuberes pueri* [*Nam utriusque sexus utebatur lenocinio*] *pro varia vice hunc accedentes, excessus suos profitentur, sed augmentant plantas ejus, clunes, inguina, tenera manu demulcendo. Isti plane tanti viri lascivia exhilarati, & adulterii enormitate, publice testabantur, numquam se virum attrectasse tantæ rigiditatis, humanitatis & fortitudinis; cujus affatu cor etiam lapideum facile ad compunctionem posset provocari. Hujus itaque religionem & cœlibem vitam Monachi & Anachoretæ, & universi Regulares deberent imitari. Asserebant quoque sibi a Domino Deo antiquam & authenticam Prophetarum collatam fuisse benedictionem, & Spiritum quo mortalium excessus cæteris incognitos, visa tantum eorum facie cognosceret & proderet.* Narrat subinde istius Chronici Author, *Henricum* duos ex Discipulis suis Cenomanum misisse; quos incauti Cenomanenses quasi Angelos Domini susceperunt. Gerebant ex Magistri consuetudine Baculos, in quorum vertice signum Crucis ferro fabricatum eminebat, habitu & exteriori conversatione speciem prætendentes Pœnitentium. Horum fraude ac hypocrisi deceptus *Hildebertus*, qui tunc ad Romanum iter se comparabat, summa humanitate, & liberalitate ipsos excepit, jussitque Archidiaconis suis, ut venientem *Henricum* benigne susciperent, eique Conciones ad populum habere permitterent. Absente Pastore, in ovile irruit lupus agni habitu larvatus. Seductorem vulgus secutum est novitatis amans. Ejus factione & muneribus plerique Clericorum excæcati, plebi in errorem trahendæ cooperabantur, Hæretico tribunal præparantes, ex quo certatim confluentes auditores pro concione alloqueretur. Plebs hæreseos veneno afflata, effrænato & præcipiti in Clerum furore continuo grassata est. A Virorum Ecclesiasticorum communione, & civili etiam commercio abhorrere, eorum bona diripere, ædes subruere, extrema supplicia ipsis intentare insanum vulgus vidisses: nec stetissent intra minas, nisi a Comite & Optimatibus fuissent coerciti. Quidam ex Cenomanensibus Clericis, *Hugo* scilicet *de Ofello*, & *Willus Qui-non-bibit-aquam*, & *Paganus Aldericus*, cum ad eum disceptandi gratia accessissent, a furiosa plebe contumeliis & verberibus affecti, fugam capessere coacti sunt. His commotus Insignis Ecclesiæ Clerus, silentium Hæresiarchæ indixit, eumque & discipulos, fautoresque diris omnibus sacro ritu devovit, si contumaces essent. Sententia his verbis concepta erat:

Hæreseos sua virus Cenomanensibus afflat Henricus.

Ab insigni Clero Cenomanensis Ecclesiæ excommunicatur, absente Hildeberto Episcopo.

Ecclesia nostra te & Socios tuos in vestimentis ovium venientes, sed intrinsecus lupi rapacis molientes insidias, cum pace recepit & honore. Ipsa etiam tibi affectum & effectum fraternæ caritatis exhibuit, existimans, quod populum de salute animarum fideliter commoneres, & semen Verbi Dei in cordibus eorum sinceriter seminares: sed tu pro pace iram, pro honore opprobrium, pro caritate odium, maledictionem pro benedictione perverso ordine reddere, & Ecclesiam Dei fallacia tua perturbare præsumpsisti. Nam inter Clerum & populum discordiam seminasti, ac seditiosæ plebis multitudinem cum gladiis & fustibus adversus Matrem Ecclesiam traditione decies iterata commovisti. Nobis Osculum Judæ porrexisti, nosque & universum Clerum publica injuria Hæreticos appellasti. Insuper [*quod pejus est*] *multa contra Fidem Catholicam, quæ fidelis Christianus retractare exhorrescit, perniciose & infideliter protulisti. Igitur ex Authoritate Summæ & individuæ Trinitatis, & totius Orthodoxæ Ecclesiæ, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri Apostolorum Principis, & Vicarii ejus Reverendi Patris nostri Paschalis Papæ, atque Antistitis nostri Hildeberti, tibi sociisque tuis, male & damnose errori tuo blandientibus, penitus prohibemus, nec in toto Cenomanensi Episcopatu alterius, nec privatim nec publice prædicationem facere, nec perversorum dogmatum ineptias propagare præsumat. Si vero contra tantam authoritatem usurpaveris nefandis faucibus tuis dehiscentibus denuo virus elicere, eadem authoritate, ejusque privilegio suffulti, excommunicamus te, omnes complices, fautores, & adjutores tuos: & ipse, cujus Divinitati non desinis contraire, te in die districti Judicii æterna maledictioni faciat mancipari.*

Denuntiata Sententia, nihilominus sacrilegos conventus apud S. Germanum & S. Vincentium agebat Henricus, in quibus novi dogmatis virus effundebat, & fœminas quæ minus caste vixerant, adhortabatur: *Coram omnibus vestes suas cum crinibus nudæ comburerent, nec quilibet amplius aurum, argentum, possessiones, sponsalia cum uxore sumeret, nec illi dotem conferret: sed nudus nudam, debilis ægrotam, pauper duceret egenam; nec curarent sive caste, seu inceste connubium sortirentur. Dum ea, sicut in posterum dixerat, ageretur, ille quid singula haberent venustatis mirabatur, quæ cæteris candore excelleret, vel nitore corporis splendidior haberetur. Ex jussu tamen illius plebis actio pendebat universa, & affectus. Tanta auri, tanta argenti affluentia, si vellet, redundaret, ut opes omnium solus videretur possidere. Licet plane multa reciperet, tamen parcebat cupiditati, ne nimis ambitiosus videretur. Veruntamen plura sibi retinens, pauca ad restaurationem pannorum, qui* [*sicut dictum est*] *incensi fuerant, conferebat. Ejus quoque admonitu multi juvenum ducebant venales mulieres, quibus ipse pannos pretio quatuor solidorum emebat, quo nuditatem suam tantummodo supertegerent .... Juvenes, qui nequam ejus consilio uxores acceperant, parvo temporis dilapso curriculo, aut fame, aut stupro compulsi mulierum, ad alias partes transvolabant, fœminas relinquentes totius egentes auxilii. Sicque illi aliis in adulterio adhærebant; & ipsæ adhuc maritis suis superstitibus, aliorum connubia illicite expectabant: Nemo enim ex illis qui ejus exhortatione conjugium inierant, cum multi essent, umquam uxori suæ, vel viro conjux fidem exhibuit, vel reverentiam; vel qualibet alia mulier, quæ*

fer-

fornicationi, deliciis vestimentorum, jurejurando abrenunciasset, potuit se continere: sed in dies augmentando facinora, in deteriora lapsa est. Rediit interim ex Romano itinere *Hildebertus*, cujus cognito adventu, *Henricus* in Castrum *S. Karilefi* * secessit. Die sacro Pentecostes Militis cujusdam ædem noctu ingressus, uxorem ipsius constupravit. Solemni pompa a Clero exceptus Episcopus, plebem ab *Henrico* depravatam cognovit, ingemuit, quæ scilicet benedictionem suam respueret, Hæresiarcham laudibus efferret, in se ac universum Clerum verbis petulantibus, & contumeliosis baccharetur. *Henricum* adiit, interrogavit, ignorantiæ, impietatis, hæreseos convicit. *Ille vero clam aufugit, & exteras regiones nisi ocyor esset fama, simili modo perturbaret, & vipereo hiatu & suo inficeret* (inquit Chronicon Cenomanensis Ecclesiæ a doctissimo viro Domno *Mabillonio* O. B. editum Tom. III. *Veterum Analectorum*.)

* S. Calais.

Albericus Sedis Apostolicæ Legatus, & S. Bernardus Hæresim impugnant.

Ad Henricianam Hæresim expugnandam & exterminandam, *Eugenius III.* Pontifex Maximus Legationem Apostolicam in Gallias commisit *Alberico* Ostiensi Episcopo, qui *S. Bernardum* Legationis comitem suæ adscivit. Hic vero concionibus, collationibus, miraculis innumeros Hæreticos ad fidem convertit, & multum apud Tolosanos rem Christianam promovit. Idem constat ex ipsomet *S. Bernardo* in Epistola mox laudata, & in sequenti ad Tolosanos, & ex *Goffrido* Monacho, lib. III. De Vita *S. Bernardi*, cap. V. qui *Henricum* fugisse ac delituisse, sed tandem captum, vinctumque Legato Apostolico traditum fuisse: a quo perpetuo carcere damnatum credere par est, ne plures corromperet. Porro *Petrum de Bruis*, & *Henricum* tamquam Patriarchas suos, Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ venerantur.

ARTICULUS VIII.

De Arnaldistis.

ARnaldistarum Hæresis anno circiter 1138. emersit authore *Arnaldo Brixiensi*, qui e Galliis reversus, ubi studiis operam navarat, *Petro Abaelardo* Præceptore usus, Brixiæ, & Romæ rem Christianam turbavit, assumpta larva sanctitatis, Monastico scilicet habitu. De Eucharistia, & Baptismo Parvulorum prave sensit. Episcopis Regalia, feudosque, Clericis & Monachis, bonorum quorumlibet proprietatem ac possessionem abrogabat. Damnatus est in Synodo Œcumenica Lateranensi sub *Innocentio II.* anno MCXXXIX. Sed de hoc Hæresiarcha præstat audire coævos Scriptores, imprimis *Ottonem Frisingensem*, lib. II. *De Rebus Gestis Friderici* Imperatoris, cap. 20. *Arnaldus iste*, inquit, *ex Italia, civitate Brixia oriundus, ejusdemque Ecclesiæ Clericus, ac tantum Lector ordinatus, Petrum Abaelardum olim Præceptorem habuerat: Vir quidem natura non habetis, plus tamen verborum profluvio, quam sententiarum pondere copiosus, singularitatis amator, novitatis cupidus; cujusmodi hominum ingenia ad fabricandas Hæreses Schismatumque perturbationes, sunt prona. Is a studio e Galliis in Italiam revertens, Religiosum habitum, quo amplius decipere posset, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, Clericorum ac Episcoporum derogator, Monachorum persequutor, Laicis tantum adulans. Dicebat enim nec Clericos proprietatem, nec Episcopos Regalia, nec Monachos possessiones habentes, aliqua ratione posse salvari, cunctaque hæc Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum Laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento Altaris, & Baptismo Parvulorum non recte dicitur sensisse. His, aliisque modis, quos longum est enumerare, dum Brixiensem Ecclesiam perturbaret, Laicisque terræ illius prurientes erga Clerum aures habentibus, Ecclesiasticas malitiose exponeret Paginas; in Magno Concilio Romæ sub Innocentio habito, ab Episcopo civitatis illius virisque religiosis accusatur. Romanus ergo Pontifex, ne perniciosum dogma ad plures serperet, imponendum viro silentium decernit, sicque factum est. Ita homo ille de Italia fugiens, ad Transalpina se contulit; ibique in Oppido Alemanniæ Turego officium Doctoris assumens, perniciosum dogma aliquot diebus seminavit.* Ita lego apud Ottonem Frisingensem, Editionis *Christiani Urstisii* Basileensis, pag. 460. & 461.

Audiendus etiam *Guntherus* Ligurinus ejusdem temporis Poeta clarissimus, ita canens:

Cujus origo mali, tantæque voraginis author
*Extitit Arnaldus, quem Brixia * protulit ortu*
Pestifero, tenui nutrivit Gallia sumptu,
Edocuitque diu: tandem natalibus oris
Redditus, assumpta Sapientis fronte, diserto
Fallebat sermone rudes, Clerumque procaci
Insectans odio, Monachorum acerrimus hostis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipsumque gravi corrodere lingua
Audebat Papam; scelerataque dogmata vulgo
Diffundens, variis implebat vocibus aures.
Nil proprium Cleri, fundos & prædia nullo
Jure sequi Monachos, nulli Fiscalia Jura
Pontificum; nulli cura popularis honorem
Abbatum, Sacras referens concedere Leges.
Omnia principibus terrenis subdita, tantum
Committenda viris popularibus atque regenda.
Illis Primitias, & quæ devotio plebis,
Afferat, & Decimas castos in corporis usus,
Non ad luxuriam sive oblectamina carnis
Concedens, mollesque cibos, cultusque nitorem,
Illicitosque jocos, lascivaque gaudia Cleri.
Pontificum fastus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitus mores, Monachosque superbos.
Veraque multa quidem, nisi tempora nostra Fideles
Respuerent monitus, falsis admixta monebat.
Et fateor, pulchram fallendi noverat artem,
Veris falsa probans; quia tantum falsa loquendo
Fallere nemo potest.
Articulos etiam Fidei, certumque tenorem,
Non satis exacta stolidus pietate fovebat,
Impia mellifluis admiscens toxica verbis.
Ille suam vecors in Clerum Pontificemque,
Atque alias plures adeo commoverat Urbes,
Ut jam ludibrio facer, extremoque pudori,
Clerus haberetur. Quod adhuc [nisi fallor] in illa
Gente manet, multumque sacro detruncat honori.
Mox in Concilio Romæ damnatus ab illo
Præsule, qui numeros vetitum contingere nostros
Nomen ab innocua ducit laudabile vita.
Territus, & misera confusus imagine culpæ,
Fugit ab Urbe sua, Transalpinisque receptus,
Qua sibi vicinas Alemannia suspicit Alpes,
Nobile Turregum, Doctoris nomine falso
Insedit, totamque brevi sub tempore terram
Perfidiæ impuri fœdavit dogmatis aura.
Unde veneato dudum corrupta sapore,
Et nimium falsi doctrina Vatis inhærens,
Servat adhuc uvæ gustum gens illa paternæ.

* Bresse.

Arnaldus Cleri ac Monachorum severus censor.

Hæc apud *Ligurinum* Editionis Hanoviæ, *Justi Reuberi*, pag. 322. & 323.

De Arnaldo Brixiensi scribit ad Episcopum Constantiensem *S. Bernardus*, Epistola 195. *Scitis quia fur de nocte irruperit domum, non vestram, sed Domini, vobis tamen commissam .... Forsan hæretis & miramini quemnam dicere velim. Arnaldum loquor de Brixia, qui utinam tam sanæ esset doctrinæ quam districtæ est vitæ. Et si vultis scire, homo est neque manducans, neque bibens, solo cum Diabolo esuriens & sitiens sanguinem animarum; unus de numero illorum quos Apostolica vigilantia notat;* Habentes formam pietatis, virtutem illius penitus abnegantes.

> „ Et ipse *Dominus*: Venient, *inquiens*, ad vos in
> „ vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi
> „ rapaces.

Is ergo usque ad hanc ætatem, ubicumque conversatus est, tam fœda post se & tam sæva reliquit vestigia, ut ubi semel fixerit pedem, illac altera redire omnino non audeat. Denique ipsam, in qua natus est, valde atrociter commovit terram, & conturbavit eam. Unde & accusatus apud Dominum Papam Schismate pessimo, natali solo pulsus est, etiam & abjurare compulsus reversionem, nisi ad ipsius Apostolici permissionem. Pro simili deinde causa & a Regno Francorum exturbatus est Schismaticus insignis. Execratus quippe a Pe-

Austera Arnaldi vita.

Contra illum scribit agitque S. Bernardus.

a Petro Apostolo, adhæserat Petro Abaillardo, cujus omnes errores ab Ecclesia jam deprehensos atque damnatos, cum illo etiam & pro illo defendere acriter & pertinaciter conabatur. Et in his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta... Nam etiam ita vagus & profugus super terram, quod non licet inter suos; non cessat apud alienos... Inimicus Crucis Christi, seminator discordiæ, fabricator Schismatum, turbator pacis, unitatis divisor... Solet sibi allicere blandis sermonibus, & simulatione virtutum, divites & potentes... Demum cum fuerit de illorum captata benevolentia & familiaritate securus, videbitis hominem aperte insurgere in Clerum fretum tyrannide militari, insurgere in ipsos Episcopos, & in omnem passim Ecclesiasticum Ordinem desævire. Hoc scientes, nescio an melius salubriusve in tanto discrimine rerum agere valeatis, quam juxta Apostoli monitum, auferre malum ex vobis: quamquam Amicus Sponsi ligare potius quam fugare curabit, ne jam discurrere, & eo nocere plus possit. Hoc enim & Dominus Papa (Innocentius II.) *dum adhuc esset apud nos, ob mala quæ de illo audiebat fieri, scribendo mandavit, sed* Non fuit qui faceret bonum. *Denique si capi vulpes parvulas demolientes vineam Scriptura salubriter monet, non multo magis lupus magnus & ferus religandus est, ne Christi irrumpat ovilia, aves mactet & perdat?*

De eodem scripsit ad *Guidonem* Cardinalem & Legatum Apostolicum, apud quem versari ferebatur, Epistola 196. *Arnaldus de Brixia, cujus conversatio mel & doctrina venenum, cui caput columba, cauda scorpionis est, quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominabitur, Italia non vult recipere, fertur esse vobiscum. Videte, quæso, ne vestra auctoritate plus noceat. Nam cum & artem habeat, & voluntatem nocendi, si accesserit favor vester, erit funiculus triplex qui difficile rumpitur supra modum* [*ut vereor*] *nociturus... Deinde videtis qualia post se ubicumque habitavit, reliquit vestigia. Non sine causa vigor Apostolicus hominem Italia ortum transalpinare coegit, repatriare non patitur. Quis vero extraneorum ad quos ejectus est non cum omnimode cuperet sais reddidisse? Et certe sic se habere ad omnes, ut omnibus odio habeatur, approbatio Judicii est quod portat, ne quis dicat subreptum fuisse Domino Papa. Quale est ergo Summi Pontificis sugillare sententiam, & illam sententiam cujus rectitudinem ejus ipsius in quem data est, etsi lingua dissimulat, vita clamat.*

Arnaldi & Arnaldistarum factio Romæ seditiones excitat.

Anno 1144. Romæ seditionem excitavit Arnaldistarum factio, ut probat Epistola tunc ab ipsis data ad *Conradum* Regem Romanorum, quem in Urbem invitarunt & cum Romano Pontifice committere sunt aggressi. Hac ex Epistola constat Senatores plerosque *Arnaldi Brixiensis* partibus fuisse penitus addictos. In fine salutationem ejus Majestati impertiunt hac Pentasthico.

Rex valeat, quidquid cupit, obtineat super hostes.
Imperium teneat, Roma sedeat, regat orbem.
Princeps terrarum, ceu fecit Justinianus,
Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua Præsul,
Ut Christus jussit, Petro solvente tributum.

Hanc Epistolam, quæ incipit his Verbis: *Regali Excellentia*, apud Ottonem Frisingensem legere est, lib. 1. *De Gestis Friderici Imperatoris*, cap. XXVIII. pag. 422. & 423.

Anno 1145. *Eugenii III.* primo in Urbem irrepsit *Arnaldus* fax seditionis, quæ ipso præsente magis ac magis exarsit. Restaurandum Capitolium, renovandam dignitatem senatoriam, reformandum Equestrem Ordinem docuit. Nihil in dispositione Urbis ad Romanum spectare Pontificem, sufficere sibi Ecclesiasticum Judicium debere. In tantum vero hujus pestiferæ doctrinæ cœpit invalescere malum, ut non solum nobilium Romanorum seu Cardinalium diruerentur domus, & splendida Palatia, verumetiam Cardinales aliqui a furenti plebecula inhoneste tractarentur ac in seditione vulnerarentur. Ita refert Otto Frisingensis lib. II. de Gestis Friderici Imperatoris, cap. XX. pag. 461.

De his eleganter cecinit *Guntherus Ligurinus*, lib. III. *De Gestis Friderici I.* p. 324.

Ast ubi de medio sublato Præsule Summo,
Eugenius sacra suscepit jura Cathedræ,
Ille Petri solidam cupiens convellere petram,
Ut caput infirmum per cætera membra dolorem,
Diffundit, Romana petit temerarius ausu
Mœnia sacrilego, totamque nefarius Urbem
Inficit, impuri corruptam semine verbi:
Et populi cuntas in Clerum concitat iras,
Ut penitus nullum Summo deferret honorem
Pontifici, Clerumque odio vexaret iniquo.
Et si quis, cui mens æqui & reverentior esset,
Et meliora pio flagrarent viscera voto,
Forte refragari, seu dissuadere furorem
Ausus erat, seseque novis opponere monstris,
Omnibus ereptis, eversa funditus æde,
Corporis afflicta, seu tandem sanguine fuso,
Clericus, aut etiam popularis facta luebat.
Quin etiam titulos Urbis renovare vetustos,
Patricios recreare viros, priscosque Quirites,
Nomine plebejo secernere nomen Equestre,
Jura Tribunorum, Sanctum reparare Senatum,
Et senio fessas, mutasque reponere leges:
Lapsa ruinosis & adhuc pendentia muris
Reddere primævo Capitolia prisca nitori.
Consiliis, armisque, suæ moderamina summa
Arbitrio tractare suo: nil juris in hac re
Pontifici Summo, modicum concedere Regi,
Suadebat Populo: Sic læsa stultus utraque
Majestate, reum geminæ se fecerat Aulæ.

Arnaldus Romæ combustus.

Novas denique turbas Romæ cum cieret *Arnaldus* anno 1155. jussu *Friderici* Imperatoris captus, a *Petro* Urbis Præfecto ad rogum damnatus est, cineresque in Tyberim projecti, ut *Otto Frisingensis*, & *Guntherus* commemorant.

Ne stolida plebis quem fecerat improbus error,
Martyris ossa novo cineresve foveret honore.

ARTICULUS IX.

De Petro Abaelardo, & Gilberto Porretano.

Abaelardus a Conciliis Gallicanis & Innocentio II. Papa damnatur.

PEtrus *Abaelardus* circa annum 1116. Parisiis maxima cum nominis celebritate docebat. In plurimos lapsus est errores, de quibus *S. Bernardus* Epistola 189. & 190. ad *Innocentium II.* legendus. Damnati sunt in Synodo Suessionensi anno 1120. & in Senonensi anno 1140. Ante audientiam, ad *Innocentium II.* Pontificem Maximum appellavit. Ipsum ejusque errores damnavit Pontifex; illique seu Hæretico perpetuum silentium indixit. Emendatis erroribus sancte vixit, obiitque in Cœnobio Cluniacensi, anno 1142. De iis plura dicemus in Dissertatione *De causa Petri Abaelardi*. Illius novitates propugnavit, & aliquas addidit *Guillelmus de Conchis*, homo leviculus, de quo legenda Epistola *Guillelmi* Abbatis *S. Theoderici* ad *S. Bernardum* Tom. IV. Bibliothecæ Cisterciensis, pag. 191.

Gilberti Porretani subtilitas.

II. Gilbertus Porretanus, Pictavensis Episcopus, integerrimæ vitæ, & Christianæ gravitatis, Præceptores habuerat celeberrimos *Hilarium Pictavensem*, *Bernardum Carnotensem*, *Anselmum & Radulfum* Laudunenses. Philosophus subtilissimus cum evasisset, ac variis in locis docuisset, solebat etiam post inaugurationem suam, *ex ingenii subtilis magnitudine, ac rationum acumine multa præter communem hominum morem dicere.*

Ad Romani Pontificis tribunal multiplicis erroris accusatur.

Aliquando in Sermone quem habuit ad Clericos in Diœcesana Synodo congregatos, de Fide Sanctæ Trinitatis disserens, propositiones quasdam protulit, quæ Catholicæ doctrinæ repugnare videbantur. Quamobrem ab *Arnaldo* & *Calone* Archidiaconis ad Romani Pontificis tribunal vocatus est. *Eugenio III.* Senis supplicarunt, ut causæ, in qua de Fide agebatur, cognitionem susciperet. Is cum iter in Gallias haberet, examen controversiæ distulit, quousque illuc pervenisset, ubi *propter Literatorum Virorum copiam*, opportunius posset institui. Archidiaconi in Gallias reduces *Bernardum* Claravallensem Abbatem sanctissimum, zelo incredibili Catholicæ Fidei flagrantem

tem, convenere, a quo obtinuere ut errorum a *Gilberto Porretano* assertorum damnationem urgeret. Ista constant ex Ottone Frisingensi lib. 1. De Gestis Friderici, cap. 46. & 50.

Hos errores *Gilberto* objectos commemorat *Otto* Frisingensis cap. 50. *Quod assereret divinam essentiam non esse Deum. II. Quod proprietates personarum non essent ipsæ personæ. III. Quod Theologicæ personæ in nulla prædicarentur propositione. IV. Quod divina natura non esset incarnata. V. Quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Christum. VI. Quod Ecclesiæ Sacramenta evacuando, diceret, nullum baptizari, nisi salvandum.* Sed palmaris error ille fuit, quod Divinitatem, Deique proprietates, cum absolutas, tum relativas, Deum non esse propugnabat, sed Divinitatem esse formam, qua Deus est; Magnitudinem, qua Magnus; Bonitatem, qua bonus; Paternitatem, qua Pater. Id constat ex *S. Bernardo*, Sermone octogesimo in Cantica : *Recedant a nobis* (inquit) *Charissimi, recedant novelli, non Dialeέtici, sed Hæretici, qui magnitudinem qua magnus est Deus, & bonitatem qua bonus, sed & sapientiam qua sapiens, & justitiam qua justus, postremo divinitatem qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est, sed divinitas non est Deus. Forsitan non dignatur Deus esse, quæ tanta est ut faciat Deum. Sed si Deus non est, quid est? Aut enim Deus est, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse. Sed ne nihilum quidem [ut opinor] dabis, quam usque adeo necessariam Deo esse fateris, ut non modo absque ea Deus esse non possit, sed ea sit. Quod si aliquid est quod non est Deus: aut minor Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, qua Deus est? Restat ut aut majorem fatearis, aut parem. Sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus: si par, duo sunt summa bona, non unum. Quod utramque Catholicus refugit sensus. Jam de magnitudine, bonitate, sapientia, justitiaque, idem per omnia quod de Divinitate sentimus, unum in Deo sunt, & cum Deo: nec enim aliunde bonus, quam unde magnus; nec aliunde justus & sapiens, quam unde magnus & bonus; nec aliunde denique simul hæc omnia est, quam unde Deus: & hæc quoque nonnisi seipso.*

Gilberti Porretani præcipuus error.

Addit *S. Bernardus*, Eugenio III. & Remensis Concilii Patribus, perversam visam esse, & omnino suspectam expositionem illam verborum *Boetii* in libro De Trinitate : *Pater est veritas, id est verus. Filius est veritas, id est verus. Spiritus Sanctus est veritas, id est verus. Et hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est, unus verus.* Tum exclamat S. Bernardus : *O obscuram perversamque explanationem! quam verius saniusque per contrarium ita dixisset : Pater est verus, id est, veritas; Filius est verus, id est, veritas; Spiritus Sanctus est verus, id est, veritas. Et hi tres unus verus, id est, una veritas. Quod quidem fecisset, si Sanctum dignaretur Fulgentium imitari, qui ait : Una quippe veritas unius Dei, immo una veritas unus Deus, non patitur servitium atque culturam Creatoris creaturæque conjungi.*

Addit in nonnullis aliis locis a rectitudine fidei visum esse librum *Gilberti* discrepare. Scripserat Boetius : *Cum dicitur; Deus, Deus, Deus, pertinet ad substantiam.* Gilbertus addidit, *Non qua est, sed quæ est.*

Idem constat ex *Gaufredo* Clarevallensi Monacho in Epistola ad Episcopum Albanensem, in qua testatur, in Concilio Remensi Capitulum istud ex libro *Gilberti Porretani* fuisse prolatum : *Cum dicitur Deus pertinet ad substantiam, non qua est, sed quæ est. Quod dum alii atque alii clamantes, Authorem arguerent, & adversus eum adhuc tergiversantem non immerito causarentur; Sanctus Bernardus ad Episcopum ait, Quid necesse est circa hujusmodi verba diutius immorari? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quod plures credere vos credunt & docere, quod Divina essentia vel natura, Divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate. Ausus est dicere : Forma Dei & Divinitas, qua Deus est, ipse non est Deus.*

Idem rursus constat ex *Ottone Frisingensi* qui refert, libro I. De Gestis Friderici Imperatoris c. 56. *Gilbertum* in Concil. Remensi a Summo Pontifice rogatum, an *Summam essentiam, qua tres personas unum Deum profitebatur, crederet esse Deum*; Respondisse, *Non*. Quæ responsio in Acta relata est hoc modo : *Episcopus Pictaviensis scripsit & dixit, quod Divina Essentia non est Deus. In Commentario enim super Boetium de Trinitate, ubi Author Theologica a naturalibus prædicamenta discernens, inter cætera posuit*, substantia, qua Deus est, *iste apposuit*; Noo quæ Deus est; *Id est, ut non ad subsistentem, sed ad subsistentiam referatur.* Addit, eum postea distinctione adhibita dixisse; *Divinitatem esse Deum, se illo tantum sensu concedere, quo Deus ponitur pro natura. In eo vero absolute concedere non audere quod pro qualibet personarum hoc nomen Deus accommodatur: ne videlicet si indeterminate profiteretur Divinitatem esse Deum, id est, quamlibet personarum, cogeretur sine determinatione concedere quidquid de qualibet personarum, & de essentia : sicque in hanc incideret absurditatem, ut sicut personam Filii, ita Divinam essentiam indeterminate incarnatam, passam confiteretur. Ex qua absurditate facile sensus Hæreticus juxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur & generans, & genita; & eadem se ipsam genuisse. Quod autem inter Naturam & Personam, non Mathematica abstractione, sed Theologica consideratione, quoqua modo divideret ratio, & ratione, & nutheritate probare nitebatur. Ratione, ne videlicet juxta Arium, sicut Personarum, ita & pluralitatem admitteret Essentiarum : vel, secundum Sabellium, ad Essentiæ singularitatem, Christianæ Fidei religio pluralitatem restringeret Personarum, hac Theodoreti contra Sabellium utens authoritate :* „ Oportet desiderantem spirituales divitias, & volentem Christianorum dog„ mata vindicare, rerum non ignorare proprietatem „ ne forte aliud pro aliis intelligens circa dogmata „ peccet. Qui enim Naturam & Personam idem es„ se intelligit, aut in divisionem Arii incidit, aut in „ confusionem Sabellii.

Item illud *S. Hilarii* proferebat ; „ Discerne igi„ tur, o Hæretice, Spiritum Christi a Spiritu Dei. „ Et quæro nunc in Spiritu Dei utrum naturam an „ rem naturæ significatam existimes? Non idem „ est enim natura, quod naturæ res est. Sicut non „ idem est homo, & quod hominis est, nec idem i„ gnis, quod ipsius ignis est : & secundum hoc non „ idem est Deus; & quod Dei est.

Aliæ Assertiones erroneæ Gilberti Porretani in Actis Concilii Remensis recensentur, nempe; *Quod cum Pater & Filius & Spiritus Sanctus unum esse dicuntur, nonnisi una divinitate esse intelligantur, nec converti possit ut unus Deus vel una substantia, vel unum aliquid, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus esse dicatur.*

Quod tres Personæ tribus unitatibus sint tria, & districtæ proprietatibus tribus, quæ non sunt ipsæ Personæ, sed sunt tres æternæ, & ab invicem a divina substantia in numero differentes.

Quod divina natura non sit incarnata.

Attributa divina nec a se invicem, nec ab Essentia re ipsa distingui existimavit Gilbertus Porretanus.

Gilberti Porretani Sententiam de Divinitatis & proprietatum discrimine uberius exposui, ut omnibus innotescat ipsum existimasse Attributa neque a se invicem, neque ab essentia, re ipsa existimasse distingui. Quippe S. Bernardus lib. 5. *De Consideratione*, cap. 7. fatetur, ab ipso ejusque discipulis, magnitudinem, bonitatem, justitiam, & innumera talia asseri unam esse divinitatem : Sed eam non esse Deum; verum ipsi ut Deus sit, conferre. Ex quo non omnino simplicem ab illis constitui Deum S. Bernardus colligit. *Non multa, inquiunt, sed unam tantum Divinitatem, quæ omnia illa sunt, Deo ut sit conferre asserimus. Asseritis ergo etsi non multiplicem, duplicem Deum, & non ad merum simplex pervenistis, neque ad id quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex quod vel uni fuerit obnoxium formæ, quam nec virgo vel uni cognita viro. Securus loquor, nec is quidem qui vel duplex est, erit meus. Habeo enim meliorem. Esto quod hunc numeroso & multiplici anteponam, sed plane præ simplici sperno. Meus Deus ipse catholice est. Tam non ha-*

bet

A Gilberti Porretani errore parum abesse opinio Scoti videtur.

bet hoc & illud, quam non hæc & illa. Est qui est, non quo est. Quamobrem a Gilberti Porretani errore, vel nihil, vel Parum discrepat opinio Scoti: qui citra notionem & intelligentiam nostram per se ab essentia divina differre proprietates, & inter sese ipsas existimat, Doctissimi Petavii Judicium est Tomo I. Theologicorum Dogmatum, lib. 5. cap. 8. num. 8. Idem tulerat olim de doctrina Scoti Judicium venerabilis Gerso Parisiensis Academiæ Cancellarius in Epistola scripta ad quemdam Fratrem Minorem anno MCCCCXXVI. *Gilbertus Porretanus si minus errabat in materia de Relationibus divinis, quam plurimi posterioris temporis, patebit evidenter illi qui subtiliter & absque personarum acceptione voluerit & sciverit judicare, & argumentum B. Bernardi a Petro de Tarentasia recitatum ponderare. Damnata est nuper per Prædecessores meos in Sacra Theologiæ Facultate, sub pluribus Articulis, Doctrina, quam nonnulli solum impune Subtilem garriunt: quam ignorantes vocem propriam, nonnulli veluti pica loquacissima stabilire nituntur, cum sit mera insania, & vanitas falsa. Unus Articulus inter cæteros est: Quod aliquid sit Deus realiter, quod non sit formaliter Deus.*

Concilia ea causa Gilberti Porretani celebrata.

Auditus est primum Autisiodori *Gilbertus Porretanus* Ottone Frisingensi teste. Synodi Autisiodorensis in ejus causa habitæ, nulla alibi memoria, & quid in ipsa actum fuerit, ignotum est. Deinde auditus est in Concilio Parisiensi Præside *Eugenio III.* Pontifice Maximo, anno 1147. Testimonium contra ipsum dixerunt Magister *Alan de Parvo Ponte* Parisiensis Ecclesiæ Canonicus & *Hugo de Campo Florido*, Ludovici VII. Regis Christianissimi Cancellarius. Multis objectionibus pulsatus, dixisse traditur: *Audacter confiteor, Patrem alio esse Patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc.* Cujus dicti obscuritatem, tamquam verborum profanam novitatem, *Jossellinus* Suessionensis Episcopus redarguit. Ipsi etiam vitio datum est quod in Prosa de Sancta Trinitate tres Personas *tria singularia* vocavisset. Qui respondit, se triom singularium nomine, non divinas Personas, sed earum excellentiam intellexisse, sicut Deiparam dicere solemus Virginem singularem. Tandem plenior causæ discussio ad frequentius Concilium Remis proxime celebrandum remissa est. Ita refert *Otto Frisingensis*, lib. 1. *De Gestis Friderici* Imperatoris, cap. L. LI. LII. & LIII.

Concilium Remense.

Concilium Remense anno sequenti MCXLVIII. habitum est. Ibi *Gilbertus Porretanus* erroris convictus est, a *Godescalco de Monte Sancti Eligii* Ordinis Præmonstratensis Abbate, a *S. Bernardo* Claravallensi, a *Gaufredo de Oratorio* Burdigalensi Archipræsule, *Hugone Autisiodorensi*, & *Milone Morinensi* Episcopis, *Sugerio* Abbate S. Dionysii, &c. Causa disceptata, cum illius Judicium sibi unis servarent, ac *Gilberto* faverent Cardinales, Præsules Gallicani una cum *S. Bernardo*, aliisque viris religiosis & eruditis, Symbolum Fidei novis erroribus oppositum condidere, his verbis conceptum.

Symbolum a Præsulibus Gallicanis contra Gilberti errores conditum.

Credimus simpliciter naturam Divinitatis esse Deum: nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas, &c. Dum de tribus Personis, Patre & Filio, & Spiritu Sancto loquimur, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam fatemur esse. Et e converso, cum de uno Deo una divina substantia loquimur: ipsum unum Deum, unam divinam substantiam, esse tres personas profitemur. Credimus solum Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum æternum esse; nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicamtur, & hujusmodi alia adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus. Credimus ipsam Divinitatem incarnatam, sed in Filio esse.

Gilberti errores damnavit Eugenius III. R. P.

Editi Symboli occasione, dissidium Cardinales inter & Gallicanos Præsules ortum est, de quo in Dissertationibus. Summus Pontifex decrevit *Ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & personam divideret: neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi*, ut refert *Otto Frisingensis*, lib. 1. *De Gestis Friderici*, cap. 56. Idem testatur *Gaufredus* Monachus Claravallensis, docetque *Gilbertum* errores suos ejurasse, & ejus librum a Romano Pontifice fuisse prohibitum, donec

Librum ejus prohibuit, donec eum Romana Eccl. correxisset.

emendatus esset. *Interrogatus*, inquit, *Episcopus Pictavensis, Capitulis singulis libere renunciavit, hæc eadem verba locutus. Si vos aliter creditis, & ego; si aliter dicitis, & ego; si aliter scribitis, & ego. Ibidem Dominus Papa Authoritate Apostolica, de assensu totius Ecclesiæ quæ convenerat, Capitula ipsa damnavit districte præcipiens, ne eumdem librum legere vel transcribere etiam sic reprobatum quis auderet, nisi prius eum Romana Ecclesia correxisset. Cumque responderet Episcopus, Corrigam ad arbitrium vestrum: Non vobis*, ait Pontifex, *hæc correctio committetur*. Tandem *Gilbertus*, Summi Pontificis sententia reverenter excepta, Archidiaconis qui ipsum accusarant, in gratiam receptis, *Cum honoris plenitudine* ad suam Dioecesim reversus est, ut refert *Otto Frisingensis*. Legatur & *Gaufredus* Monachus Claravallensis lib. 3. de Vita *S. Bernardi*, cap. V. Contra *Petrum Abaelardum*, & *Gilbertum Porretanum* scripsit *Walterius* Abbas *S. Victoris* ad muros Parisienses. Extat in MS. Codice Regalis ejusdem Abbatiæ *Libri IV. Contra quatuor Labyrinthos Franciæ Abaelardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictavensem, & Gislebertum Porretanum*, inscripti.

Errores ejuravit, & Summi Pontificis sententiam summo animi demissione excepit Gilbertus.

ARTICULUS X.

De Eudone, sive Eone.

E*Udo de Stella*, ex Britannia oriondus, præstigiis Dæmonum rudem plebeculam sibi passim aggregans, per diversa loca oberrabat, Ecclesiis maxime & Monasteriis infestus. In eam lapsus est erroris amentiam ut se, quod *Eon* vernacule vocaretur, Judicem vivorum & mortuorum jactitaret. ac de se dici in exorcismis Ecclesiæ. *Per eum qui judicaturus est vivos & mortuos & sæculum per ignem.* Quosdam e suis discipulis Angelos, alios Apostolos credebat; hunc *sapientiam*, illum appellabat *Judicium*, &c. Baculum superiori parte bifurcum gerebat ad Mysterii significationem. Rogatus enim quid hoc sibi vellet, respondit homo stultissimus: Quandiu baculus duobus cœlum capitibus suspicit, duas Deus orbis partes possidet, tertiam mihi cedens: porro si inferiorem baculi partem cœlum versus erigam duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Dementem Hæresiarcham ad se perductum *Eugenius III.* & Synodi Remensis Patres anno MCXLVIII. mitti in carcerem, & diligenter custodiri decrevere: ubi paulo post Dæmonibus, quorum usus fuerat famulatu, miseram animam consignavit. Ista constant ex *Ottone Frisingensi*, lib. 1. de Gestis Friderici Imperatoris, cap. 54. ex *Roberto de Monte* in Appendice ad Chronicon *Sigeberti*, & ex *Villelmo Neuburgensi lib. 1. de Rebus Anglicis*, Cap. 19. Discipulos vero insani *Eudonis* Curiæ sæculari traditos, & igne damnatos idem author testatur; eorumque alterum, qui *Judicii* nomine gloriabatur; cum duceretur ad supplicium, crebro dixisse; *Terra findere*: Quasi ejus Imperio terra aperienda, & hostes ipsius devoratura esset, ut *Dathan* & *Abiron* quondam absorpsit.

ARTICULUS XI.

De Apostolicis.

EAdem pene tempestate emersit nova hæresis rusticanorum & illiteratorum hominum, qui cum Sectæ Authorem & Magistrum alium a Diabolo non haberent, se ipsos *Apostolicos* ambitiose nuncupabant. De his *S. Bernardus Sermone LXV. & LXVI. in Cantica*. I. Nuptias damnabant, continentiæ voto se obstringentes, & tamen fœminis cohabitabant. *Quo nomine*, inquit S. Bernardus, *istos, titulove censebitis? Nullo, quoniam non est ab homine illorum Heresis, neque per hominem illam acceperunt, sed per immissionem & fraudem Dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere. In hypo-*

Apostolicorum errores.

L

crisi

crisi plane, hoc & vulpina dolositate, loquuntur, fingentes se amore id dicere castitatis, quod magis causa turpitudinis fovendæ, & multiplicandæ adinvenerunt. De mulierum vero contubernio ita adversus ipsos expostulat: *Ubi Apostolica forma & vita quam jactitis? ... An quod vobiscum mulierculas non utique circumducitis, sed includitis? Non æque comitatio ut cohabitatio suspicioni patet. Verum quisquam de illis sinistrum quippiam suspicaretur, qui mortuos suscitabant? Fac tu similiter, & una recubantem putabo fœminam virum .... Cum fœmina semper esse, & non cognoscere fœminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est non potes, & quod majus est vis credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus juvencula est in mensa, lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere, & continens vis putari? Esto ut sis; sed ego suspicione non careo. Scandalo mihi es, tolle scandali causam, quo te probes verum, ut jactitas, Evangelii æmulatorem.*

II. Baptismum parvolorum, invocationem Sanctorum, Orationes pro defunctis rejiciebant ac damnabant. *Irrident nos*, inquit S. Bernardus, *quia Baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis, quod Sanctorum suffragia postulamus. In omni genere hominum, atque in utroque sexu festinant proscribere Christum, in adultis & parvulis, in vivis & mortuis. Hinc quidem infantibus ex impossibilitate naturæ: inde vero adultis ex difficultate continentiæ præscribentes: Porro mortuos viventium fraudantes auxilio, viventes nihilominus Sanctorum qui decesserunt, suffragiis spoliantes .... Non credunt ignem Purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem.*

Anabaptistæ, & Calviniani hinc hauserunt.

III. Suam dumtaxat sectam Ecclesiam esse asserebant, se Apostolorum successores esse gloriabantur, & quotidie in mensa sua Christi Corpus & Sanguinem consecrandi habere se potestatem. *Non ignoro*, inquit S. Bernardus, *quod se solos Corpus Christi esse glorientur: sed sibi hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie in mensa sua Corpus Christi & Sanguinem consecrandi, ad nutriendum se in Corpus Christi & membra. Nempe jactant se esse successores Apostolorum, & Apostolicos nominant, nullum tamen Apostolatus sui signum valentes ostendere ... Se dicunt Ecclesiam; sed contradicunt ei qui dicit:* Non potest civitas abscondi supra montem posita. *Itane lapidem de monte abscissum sine manibus, montem factum, & implentem mundum, vestris creditis inclusum antris? Habet, & semper habebit Christus integram hereditatem suam & possessionem terminos terræ. Se potius subtrahunt huic magnæ hereditati, qui Christo illam conantur detrahere.*

Sectam suam Ecclesiam Christi tam falso vocant Lutherani & Calvinistæ, quam Apostolici Hæretici.

De iisdem scribit Everuinus ad S. Bernardum: *Quemlibet [sicut inter eos baptizatum dicunt] electum habere potestatem alios baptizandi, & in mensa sua Corpus Christi & Sanguinem consecrandi.*

IV. Ecclesiasticis Ordinibus & Prælatis derogabant, nolla ipsos in conficiendis & administrandis Sacramentis potestate præditos esse asserentes; si peccatores essent. *Jam vero*, inquit S. Bernardus, *qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum si Ordinibus Ecclesiæ detrahunt, si Instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si Mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec recipiendis idonei Sacramentis.* Verum hunc errorem alteri Sectæ tribuit *Everuinus* Steinfeldensis Præpositus, in Epistola ad S. Bernardum. *Sunt item*, inquit, *alii Hæretici quidam in terra nostra omnino ab istis discordantes. Isti negant in altari fieri Corpus Christi, eo quod omnes Sacerdotes Ecclesiæ non sunt consecrati. Apostolica enim dignitas, dicunt, corrupta est, implicans se negotiis sæcularibus: & in Cathedra Petri non militans Deo, sicut Petrus, potestate consecrandi, quæ tanta fuit Petro, se privavit: & quod ipsa non habet, Archiepiscopi & Episcopi, qui in Ecclesia sæculariter vivunt, ab ea non accipiunt*, &c.

V. Non solum ex nuptiarum damnatione, verum etiam ex abstinentia a carnibus, a lacte, & omnibus ex coitu genitis, Manichæorum sobolem se probabant. „ Abstinent, *inquit S. Bernardus*, a cibis quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione. Hinc quoque Hæreticos se probantes, non sane quia abstinent, sed quia hæretice abstinent. Nam & ego interdum abstineo; sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Abstineo a vino, quia in vino luxuria est.. ... Abstineo a carnibus, ne dum nimium nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia... Hæreticus aliter. Nempe horret lac, & quidquid ex eo conficitur, postremo omne quod ex coitu procreatur. Recte & Christiane, si non idcirco quia ex coitu, sed ne ad coitum provocent. Cæterum quid sibi vult, quod ita generaliter omne quod ex coito generatur, vetatur? Suspicionem generat mihi observatio ista ciborum tam signanter expressa. Verumtamen si de regulis Medicorum hæc profers nobis, non reprehendimus curam carnis, quam nemo umquam odio habuit, si tamen non nimia fuerit. Si de disciplina abstinentium, id est, Spiritualium Medicorum Schola: etiam virtutem approbamus qua carnem domas, frænas libidinem. At si de insania Manichæi, præscribis beneficentiæ Dei, ut quod ille creavit & donavit ad percipiendum cum gratiarum actione, tu non modo ingratus, sed & censor temerarius, immundum decernas, & tamquam a malo abstineas: non plane abstinentiam collaudabo, sed execrabor malitiam & blasphemiam.

Apostolici Manichæorum soboles.

VI. Externa morum disciplina hæreticis istis integerrima erat: uno feminarum excepto contubernio. „ Quod signum dabitis, *inquit S. Bernardus*, ut palam fiat pessima hæresis hæc, docta mentiri non lingua tantum, sed vita? Et quidem recens vastatio vineæ vulpem indicat adfuisse; sed nescio qua arte fingendi ita sua confundit vestigia callidissimum animal, ut qua vel intret vel exeat, haud facile queat ab homine deprehendi. Cumque pateat opus, non apparet author: ita per ea quæ in facie sunt, cuncta dissimulat. Denique si fidem interroges, nihil Christianius. Si conversationem, nihil irreprehensibilius, & quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in testimonium suæ fidei frequentare Ecclesiam, honorare presbyteros, offerre munus suum, Confessionem facere, Sacramentis communicare. Quid infidelius? Jam quod ad vitam moresque spectat, neminem circumvenit, neminem supergreditur. Pallent insuper ora jejuniis, panem non comedit otiosus, operatur manibus unde vitam sustentat. Ubi jam vulpes? Tenebamus, eam: quomodo elapsa est e manibus? Instemus, investigemus; A fructibus ejus cognoscemus eam. Et certe vinearum demolitio testatur vulpem. Mulieres relictis viris, & item viri dimissis uxoribus, ad istos se conferunt. Clerici & Sacerdotes, populis Ecclesiisque relictis, intonsi, & barbati, apud eos inter textores & textrices plerumque inventi sunt. An non gravis demolitio ista? An non opera vulpium hæc? ... Quonam modo capimus illas? Revertamur ad consortium, & contubernium fœminarum: Hoc enim inter eos nemo qui careat. Interrogo unumquempiam horum, Heus tu, bone vir, quænam hæc mulier, & unde hæc tibi? Uxorne tua? Non (inquit) Nam voto meo istud non convenit. Filia ergo? Non. Quid? Num soror, num neptis, num aliquo saltem propinquitatis vel affinitatis gradu attinens tibi? Nullo prorsus. Et quomodo tua tibi cum ista continentia tua? Sane nec licet tibi istud. Cohabitationem (si nescis) virorum & feminarum in iis qui vovere continentiam, Ecclesiam vetat: si non vis scandalizare Ecclesiam, ejice feminam. Alioquin ex hoc uno cætera, quæ non adeo manifesta sunt, proculdubio credibilia fiunt.

Apostolicorum Disciplina.

VII. A Priscillianistarum Schola dissimulandæ Sectæ, etiam adhibito perjurio, artem hauserant; quamvis alias a quocumque juramento caverint. „ Quid faciemus, *inquit S. Bernardus*, his malignissimis vulpibus ut capi queant; quæ nocere quam vincere malunt, & ne apparere quidem volunt, sed serpere? omnibus una intentio hæreticis semper fuit, captare gloriam de singularitate scientiæ: sola ista

Apostolici Sectam dissimulabant adhibito perjurio.

ma-

„ malignior cæteris, versutiorque hæresis, damnis, pascitur alienis, propriæ gloriæ negligens. Docta credo, exemplis veterum, quæ proditæ evadere non valebant, sed confestim capiebantur; cauta est novo malefici genere operari mysterium iniquitatis, eo licentius quo latentius. Denique indixere, (ut dicitur) latebras sibi, firmaverunt sibi sermonem nequam: Jura, perjura, secretum prodere noli. Enimvero alias ne tenuiter quidem jurare ullatenus acquiescunt.

Eorum pertinacia.

VIII. De Apostolicorum pertinacia, etiam in suppliciis invicta, S. Bernardus *ita scribit*: „ Nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt; nec authoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt. Probatum est, mori magis eligunt, quam converti. Horum finis interitus; horum novissima incendium manet.... Plerumque Fideles injectis manibus aliquos ex eis ad medium traxerunt. Quæsiti fidem eum de quibus suspecti videbantur, omnia prorsus suo more negarent, examinati Judicio aquæ, mendaces inventi sunt. Cumque jam negare non possent, quippe deprehensi, aqua eos non recipiente, tam misere quam libere impietatem non confessi, sed professi sunt, palam pietatem astruentes, & pro ea mortem subire parati: nec minus parati inferre qui allabant. Itaque irruens in eos populus novos hæreticis suæ ipsorum perfidiæ Martyres dedit. Duos istius sectæ prope Coloniam, cum per triduum admoniti, resipiscere noluissent, raptos a populis nimio zelo permotis, & in ignem conjectos, atque combustos, non solum cum patientia, sed & cum lætitia introisse ac sustinuisse testatur *Evervinus* in Epistola ad *S. Bernardum*.

Probatio per aquam nondum eo tempore abolita.

Circa Coloniam Agrippinam maxime viguit hæc hæresis, de qua *Evervinus* Steinteldensis Præpositus scripsit ad *S. Bernardum*, ipsum rogans ut in Sermonibus super Cantica, ad illum versum, *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, omnes partes illius hæreseos distingueret, & contra positis rationibus & authoritatibus nostræ fidei, illas destrueret. Id præstitit *S. Bernardus* locis laudatis, eosdemque errores ipsis tribuit, quos *Evervinus* commemorat. Ejus Epistolam ad *S. Bernardum* edidit Domnus *Mabillonius* Tomo III. *Veterum Analectorum*, pag. 152.

ARTICULUS XII.

De Erroribus Folmari.

FOlmarus, Præpositus *Petræ Stillantis* seu *Trieffensteinii* in Franconia, infra Herbipolim, varios errores Scriptis suis asseruit duodecimo cadente sæculo. Palmatis fuit circa Sacramentum Eucharistiæ: propugnavit scilicet, sub specie vini solum Christi Sanguinem sumi sine carne: sub specie panis, solam Christi carnem, sine ossibus, sine membris corporeis & sine humani corporis plenitudine; nec Filium hominis, sed carnem Filii hominis manducari. Ubi vero caro Christi, ibi esse consequenter & Christum: non pro parte, sed totum seorsom in carne, totum seorsum in sanguine, totum simul in utroque; quod non ad humani corporis integritatem; sed ad personæ Christi individuam unitatem referendom est: Ubicumque enim Christus est, totus est: etsi totum non est sicut uno eodemque tempore totus in sepulchro, & totus in inferno erat: sed totum non erat: eo quod trium substantiarum, quæ unam faciunt in Christo Personam, aliquid deerat. Errorem suum ita explicat in Epistola ad *Eberhardum* Salizburgensem Archiepiscopum. Hunc aliosque *Folmari* errores confutavit *Gerochus* Reicherspergensis in Bavaria Præpositus, cujus extat ea de re Epistola cum aliis hanc causam spectantibus edita ex probatæ fidei MSS. Tomo XXV. Bibliothecæ Maximæ Patrum Editionis Lugdunensis. Hunc errorem rettractavit *Folmarus* Epistola ad Prælatos Bavariæ & Austriæ scripta, his verbis: „ Scripsi Domino meo quondam Eberhardo Saltzburgensi Archiepiscopo, de Corpore Domini quod omnino non debui; asserens quod in Altari esset quidem verum, sed non integrum, id est non in omnium suorum plenitudine ac distinctione membrorum: idque videbar mihi cum multis sapere argumentis, & rationibus; immo & authoritatibus, quas necdum forte intellexeram, arguisse. Quod si quis improbat, & ego; si cui displicet, & mihi: si quis eradit & conspuit, mecum facit. Confiteor enim quia non solummodo verum, sed & plenum perfectum & integrum in Altari Corpus est Christi: ibique in humanæ substantiæ veritate & integritate, sub aliena licet specie, mirabiliter & invisibiliter sumitur, qui ad dexteram Patris visibiliter dominatur. Quod qualiter in parte sit totum, in singulis integrum, frangatur in forma, nec in essentia dividatur confectum.... supra omnem sensum est, non solum hominum, sed (ut ego reor) Angelorum; nec habet causam nisi voluntatem sive potentiam Creatoris. Et hoc quidem in libello quem de carne & anima Verbi ad Gerochum scripsi, plenius fortassis expressum est, sed absque præjudicio sententiæ melioris. Nec enim in quæstionibus & articulis fidei pudor est vel ab hoste doceri; ubi nemo debet naturalia sequi, & sensum suum quasi ex ratione defendere. Siquidem naturæ usum & rationis terminos, & Physicas sive Logicas facultates Fidei Majestas excedit: ideoque, ubi Fides quæritur, argumenta non valent. Et inde est forsitan quod, contra naturæ usum, Caput agni cum intestinis & pedibus vorare præcipimur; sed ossa non confringere: quia quidquid divinum vel humanum est Christi, in Sacrosancto Mysterio sumimus, sed minime facti hujus altitudinem investigare præsumimus.. Experimento enim didici quod opprimatur a gloria, qui contra Legem discutit Majestatem.

Errorem suum retractavit Folmarus.

In quæstionibus Fidei pudor esse non debet vel ab hoste doceri.

ARTICULUS XIII.

De Waldensibus.

§. I.

De Secta Authore & Nominibus.

AUthor Sectæ *Petrus Waldo*, quam hac occasione condidit, anno circiter millesimo centesimo sexagesimo. Cum civis quidam Lugdunensis inter Præcipuos, coram eis subito cecidisset, *Petrus Waldo* mortis imagine territus pecuniæ vim ingentem pauperibus erogavit. Quæ beneficientiæ actio multitudinem pauperum maximam ipsi consociavit, quos voluntariam paupertatem, & Christi ac Apostolorum exempla sectari docuit. *Cum autem esset aliquantulum literatus, Novi Testamenti Textum docuit eos vulgariter*. Quam ob temeritatem a Prælatis Ecclesiasticis reprehensus, eorum correptionem contempsit, Discipulis persuadens, Clerum, quod moribus esset depravatus, sanctæ ipsorum vitæ & doctrinæ invidere. Qui cum anathemate a Romano Pontifice confixi essent, ipsum nihili fecerunt. Ista constant ex *Reinero*, qui quondam inter Waldenses Episcopus, Dei aspirante misericordia, Catholicam ad fidem conversus est, & Ordini FF. Prædicatorum nomen dedit in Opusculo *De Hæreticis*, quod pene totum est de Waldensium Secta, ejusque surculis.

Hæretici illi *Waldenses* nuncupati sunt ab Authore Petro Waldo, *Leonistæ*, & *Pauperes de Lugduno* ab urbe ex qua eruperunt; *Picardi Albigenses*, *Lombardi*, *Bohemi*, *Bulgari*, quia in his regionibus grassabantur. *Arnoldistæ*, *Esperonistæ*, *Josephistæ*, *Lollardi* a variis ipsorum Doctoribus suot appellati. *Patareni*, quod se persecutionibus pati gloriarentur. *Cathari*, quod se præ cæteris puros jactitarent, seu quod Sectam singularem profiterentur, a Germanica voce *Kazer* sive *Kazer*, ex qua, *Kazari*, & mutato *Z* in *T*, *Cathari*. *Boni homines* ob morum apparentem integritatem: *Texerant*, quia plerique infimæ sortis artifices & textores. *Poplicani* quoque, *Turlupini*, *Ribaldi*, *Pifles*, a Catholicis vocati sunt in odium & execrationem Sectæ. *Inzabbatati*, quia in calceo,

quem Hispani *Capato*, vel *Zapato*, appellant, signum speciale ad modum scuti deferebant, inquit *Eymericus* noster. Vel *Insabbatati*, quod nulla Sabbata seu Festivos dies celebrarent, nec a suis cessarent operibus diebus apud Catholicos solemnibus, & Christi, Beatæ Virginis, & Sanctorum cultui consecratis.

§. II.

De Waldensium Erroribus contra Ecclesiam.

Waldensium errores omnium accuratissime recensuit *Reinerus*, cui sane fides adhibenda major cum Sectæ doctrinam & arcana penitus nosset, qui nimirum olim Waldensium Episcopus fuerat, ut ipse testatur. Floruit circa annum 1254. vir Philosophiæ, Theologiæ, & juris Canonici peritissimus, teste *Antonio Senensi*. Is vero Waldensium errores in tria Capitula partitur. Primum complectitur blasphemias in Romanam Ecclesiam & Statuta ipsius & Clerum. Secundum errores circa Ecclesiastica Sacramenta & Sanctos, Tertium, execrationes quibus honestas quasvis & approbatas Ecclesiæ consuetudines detestantur & lacessunt, (Cap. V.)

Primum Caput in viginti & amplius errorum Articulos dividit. 1. Asserebant „ quod Romana Eccle„sia non sit Ecclesia Iesu Christi, sed Ecclesia malignan„tium, eamque sub *Silvestro* defecisse, cum venenum „possessionum temporalium in Ecclesiam infusum est, „Sectam suam esse Ecclesiam Christi, quia doctrinam „Christi Evangelii, & Apostolorum verbis & exem„plis observabant. *Reinero* consentit *Claudius Seysellus* Archiepiscopus Taurinensis lib. adversus errores & Sectam Waldensium Fol. 9. verso, ubi hunc præcipuum ipsorum errorem recenset, a quo cæteri omnes, velut a fonte rivuli defluunt: Quod scilicet Catholicam Ecclesiam apud se solos consistere credunt, & Romanam Sedem Meretricem Magnam, & errorum omnium Magistram appellant; ejusque sequaces, præcipue Ecclesiastici Ordinis, aliter ac ipsi credentes, Hæreticos atque Infideles arbitrantur. 2. Quod Ecclesia Romana sit omnium sentina vitiorum, ipsique soli juste vivant. 3. Quod doctrinam Evangelicam nullus pene prætec eos in Ecclesia observet. 4. Quod ipsi sint vere pauperes spiritu, & persecutionem propter justitiam & fidem patiantur. 5. Quod Romana Ecclesia sit meretrix in Apocalypsi descripta propter superfluum ornatum. 6. Quod omnia Statuta Ecclesiæ ob multitudinem. & gravitatem contemni debeant. 7. Quod Papa sit omnium errorum Caput. 8. Quod Prælati sint Scribæ, & Religiosi Pharisæi. 9. Romanum Pontificem, & omnes Episcopos homicidas esse, propter Bella ab ipsis approbata, vel decreta. 10. Uni Deo parendum esse, non Prælatis. Eumdem errorem ipsis tribuunt *Bernardus* Abbas *de Fonte Calido*, lib. contra Waldenses, capit. 1. & 2. & *Claudius Seysellus* Fol. 7. 11. Neminem in Ecclesia esse altero majorem, secundum illud Matthæi 23. *Omnes vos fratres estis*. 12. Genua non esse flectenda Sacerdoti; siquidem Angelus Apocalypsis 2. Sancto *Ioanni* dixit: *Vide ne feceris*. 13. Decimas solvendas non esse; siquidem Ecclesiæ primitivæ non solvebantur. Hunc etiam eorum errorem commemorant *Ebrardus de Bethunia* lib. *Antihæreseos*, cap. 10. & *Claudius Seysellus* Fol. 7. 14. Clericos possessiones habere non debere, secundum illud Deuteronomii 18. *Non habebunt Sacerdotes, & omnes qui de tribu Levi sunt, partem & hereditatem cum populo Israel, quia Sacrificia comedunt, & nihil aliud accipient*. Quem etiam eorum errorem *Petrus de Philiphdorf* commemorat lib. contra Waldenses, cap. 1. eumdemque refellit *Claudius Seysellus* Archiepiscopus Taurinensis a Folio 28. ad 36. 15. Clericos & Claustrales, Præbendas habere non debere. 16. Episcopos & Abbates Iura Regalia obtinere non posse. 17. Terram & populum non esse per partes dividendum. 18. Malum esse fundare dotareque Ecclesias & Claustra. Item non esse condenda Ecclesiis Testamenta. Nullum Ecclesiæ censualem fieri debere. Clericos omnes manibus operari debere, Apostolorum instar. 19. Nomina Prælationem Ecclesiasticam significantia, ut *Papa*, *Episcopus*, &c. reprobant. Officia Ecclesiastica inania ducunt, Privilegia & immunitates Ecclesiæ, personarum, & rerum Ecclesiasticarum aspernantur. Concilia, Synodos, & Conventus Ecclesiæ Catholicæ contemnunt. Omnia jura Parochialia velut humanas adinventiones explodunt. 20. Observantias Regulares Ordinum Religiosorum Pharisaicis Traditionibus annumerant. Hunc etiam errorem ipsis tribuit ac refellit *Ebrardus de Bethunia*, lib. *Antihæreseos*, cap. 19. 21. Asserebant ad fidem neminem esse cogendum.

§. III.

De Waldensium Erroribus contra Sacramenta.

I. Omnia Sacramenta Ecclesiæ damnant, inquit *Reinerus*, seu potius errant circa omnia. Duo tantum Sacramenta se credere profitentur, Baptismum & Eucharistiam, ut docet eorum Catechismus a *Joanne Paulo Pertino* editus in Historia Waldensium & Albigensium. 2. Catechismum in Baptismo inanem putant. 3. Omnes Exorcismos, Benedictiones, cæterasque Baptismi cerimonias rejiciunt; ut constat etiam ex ipsorum Doctrina lib. 3. cap. 4. de Sacramentis, apud *Joannem Paulum Perrinum*. 4. Baptismum infantibus nihil prodesse dicunt, *Reinero* teste: nihilominus infantes suos baptizandos offerunt, ut constat ex ipsorum libro cui titulus est; *Kalendarium Spirituale*. Immerito tamen *Reinerum* nostrum calumniæ accusat *Joannes Paulus Perrinus*: siquidem absque Baptismo salvari credebant infantes, ut ipse fatetur, quos potius absque hoc Sacramento e vita migrare, quam ab Ecclesiæ Romanæ Sacerdotibus baptizari patiebantur; & absentibus Barbis seu Pastoribus suis, non baptizabant, quantumvis in mortis discrimine constitutos. Denique Baptismum ipsos non existimasse absolute necessarium ad salutem, & infantes etiam absque ejus susceptione, salvos credidisse, si recipere illum non possent, constat ex illorum Confessione Fidei exscripta ex Kalendario Spirituali (qui liber ipsorum est) in quo de Sacramentis ita loquuntur: *Nos cresen que li Sacrament son segnal de la cosa Sancta, a forma vesibla de gratia non vesibla, tenent esser bon que li fidel uzan alcunas vecs daquisti dict. segnal, o forma vesibla, si la se po far. Ma imperço nos cresen & tenen que li predict fidel pon esser fait salfs non recebent li predict. segnal quand non han lo luoc; ni la moda de poër uzar de li predict segnal*. Id est: *Credimus Sacramenta esse signa rei sanctæ, aut formas visibiles gratiæ invisibilis. Bonum esse persuasi ut Fideles quandoque hujusmodi signis aut formis utantur, si fieri potest. Credimus nihilominus & tenemus, prædictos Fideles salvari posse, etiamsi hujusmodi signa non recipiant, cum illis utendi locus deest, aut modus*. Tum alia Sacramenta a Baptismate & Eucharistia se non agnoscere profitentur. Idem constat ex *Ebrarda de Bethunia* cap. 6. ubi hunc refellit errorem. Idem testatur *Ermengardus* lib. contra Waldenses, cap. 12. ubi eumdem errorem confutat. 5. Sacramentum Confirmationis reprobant. Id etiam constat ex ipsorum libro *de Antichristo* cap. 4. & ex *Ebrardo de Bethunia* cap. 11. *Antihæreseos*. 6. Sacramentum Eucharistiæ a Sacerdotibus in mortali peccato confici non posse asserunt: non confici in manu indigni Ministri, sed in ore digne sumentis: in mensa communi, verbisque vulgaribus, seu vulgari idiomate consecrandam. Missam inanem Ritum esse, ab Apostolis minime traditum, sed quæstus gratia adinventum. Cum ait *Reinerus*, Waldenses asserere quod Transubstantiatio fiat per verba vulgaria, loquitur ut Catholicæ Romanæque Fidei Professor: at non ita loquebantur Waldenses qui Transubstantiationem non admittebant, immo nec realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam: ut constat ex ipsorum libro *De Antichristo*, cap. 4. *La maniar del Pan Sacramentel, es maniar lo Corps de Christ en figura*. Id est, *Manducatio panis Sacramentalis, est manducatio Corporis Christi in figura*. Idem testatur *Ebrardus de Bethunia* lib. *Antihæreseos* cap. 8. *Sacra quidem Cœna*, inquit, *Mysteria nescientes, Panis Benedictionem a Deo nobis*

bis collutam floccipendant. Dixit enim : Hoc facite in meam commemorationem. *Et quod Christus Corpus suum esse dixit, tamquam Judæ successores, Corpus Christi non affirmant, immo negant.* Contra hunc errorem disputat *Ermengardus* cap. 11. Idem docet de Waldensibus *Claudius Seysellus* Archiepiscopus Taurinensis, *lib. Adversus errores & Sectam Waldeasium*, Fol. 55. atque laborandum non esse iis qui in ipsorum conversionem incumbunt, ut hujus Sacramenti difficultates ipsis exponant, quarum explicationem illi, ut sunt homines agrestes, montani, & literarum penitus ignari, percipere non possunt: sed satis esse illis recens Dei Fide renatis persuasum esse eumdem „ Christum in Hostia illa, quam ado„ rant, realiter consistere. Quo autem modo ibi sit, „ & cætera ad apices illos Theologicos pertinentia, „ ad fidem Ecclesiæ rejicere, nihilque ulterius pro„ pter conscientiam inquirere. 7. Cantum Ecclesiæ ceu *clamorem infernalem* adversantur: Et Horas Canonicas reprobant : cæteras precum formulas, excepta Oratione Dominica, rejicientes. Quod præter *Reinerum*, *Petrus Pilichdorffius* lib. *Contra Waldenses*, capp. XXVII. & XXVIII. & *Ermengardus* cap. X. testantur. 8. De Pœnitentia ita sentiebant : Neminem ab improbo Sacerdote absolvi. Bonum Laicum absolvendi potestatem habere. Probo Laico potius quam malo Sacerdoti confitenda peccata. Graves pœnitentias imponendas non esse, sed exemplum Christi sectandum, dicentis: *Vade, & jam amplius noli peccare*. Publicas Pœnitentias, & peccatorum Confessionem annuam rejiciebant. Uno verbo, pœnitentiam e Sacramentorum numero expungebant. Confessionis Sacramentalis nullam agnoscebant necessitatem, sed Christianis omnibus audiendarum Confessionum authoritatem a Christo concessam, secundum illud *S. Jacobi* præceptum : *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini*. Id testatur *Claudius Seysellus* Fol. 53. & Fol. 58. *Dimittendorum*, inquit, *peccatorum nullam Sacerdotes nostros potestatem habere aperte protestantur, & proinde neque illis confitendum esse affirmant*, &c. Confessionis quam uni Deo facere solebant, Formulam legere est in illorum libro, cui titulus, *Novel Confort.* 9. Sacramentum conjugii damnant, inquit *Reinerus*, id est, Matrimonium Sacramentum esse negant. Cæterum ipsos nuptias absolute damnasse, *Reinerus* non intellexit : Quos ibidem sensisse refert, mortaliter peccare conjuges, si absque spe prolis conveniant. Ex quo consequens est, eos existimasse conjuges non peccare, si spe prolis convenirent. 10. Gradus affinitatis & consanguinitatis carnalis & spiritualis ab Ecclesia institutos, & impedimenta Ordinis, publicæ honestatis, aliaque ab Ecclesia statuta spernebant : Id constat etiam ex ipsorum libro *De Disciplina* cap. 7. apud *Joannem Paulum Perrinum*, pag. 237. & ex *Claudio Seysello* Fol. 7. verso. 11. Ecclesiam errasse dicebant, cum cælibatum Clericis indixit. 12. Continentes osculis & amplexibus non peccare. 13. Sacramentum Unctionis Extremæ rejiciunt. Id constat ex ipsorum libro *De Antichristo*, cap. 4. apud *Perrinum* pag. 330. idque præter *Reinerum*, *Ebrardus de Bethunia* cap. 11. testatur. Loco Extremæ Unctionis, ipsos *Consolamentum* (ut vocabant) frequentasse, testis est *Ermengardus* lib. *Contra Waldenses*, cap. 4. cujus *Consolamenti* Ritum ibi describit : „ Qui Major vel Ordi„ natus dicitur, ablutis manibus, librum Evange„ liorum tenens, cum vel eos qui ad Consolamen„ tum recipiendum conveniunt, admonet ut spem „ salutis in Deo, & in eo Consolamento ponant. „ Et sic super capita eorum libro posito, Orationem „ Dominicam septies dicunt, & *S. Joannis* Evange„ lium ab *In principio*, usque ad hæc verba, *Gra„ tia & veritas per Jesum Christum facta est*. Viris „ absentibus, mulieres Consolamentum infirmis fa„ ciebant. Eo peccatorum omnium remissionem, absque satisfactione aliqua se consequi credebant. Formulam consolandi infirmos ab ipsis usurpatam legere est in ipsorum libro, cui titulus, *Kalendarium Spirituale*, ex quo eam Gallice reddit *Perrinus* lib. 1. *De Doctrina Waldensium*, cap. 8. Infirmum inter alia adhortabantur, ut certam fiduciam & securitatem remissionis peccatorum per merita Christi haberet, quod nunc quoque Calvinistæ nostri faciunt; & cum hoc Viatico mittunt hominem ad inferos, ut aiebat *Grotius*. 14. Sacramentum Ordinis rejiciebant, probum quemlibet Laicum Sacerdotem esse asserentes. Id etiam patet ex ipsorum libro *De Antichristo*, cap. 4. apud *Perrinum* pag. 327. Erroremque suum *S. Petri* Oraculo tuebantur, dicentis : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes tamquam boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Ita refert *Claudius Seysellus* lib. *adversus Errores & Sectam Waldeasium*, Fol. 52. verso. 15. Laicis omnibus, quin etiam mulieribus, prædicandi potestatem tribuebant, verbis illis Apostoli I. ad Corinthios cap. 14. freti : *Volo vos loqui linguis ut Ecclesia ædificationem accipiat*. Item illis *S. Jacobi* cap. 4. *Scienti bonum & non facienti peccatum est illi* : ex quibus colligebant, omnes qui verbum Dei prædicare sciunt, eo munere fungi debere. Item illis Apostoli ad Philippenses 1. *Quid enim? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*. Item loco illo *Sancti Marci* cap. 9. ubi Discipuli Christo dixere : *Magister, vidimus quemdam in nomine tuo dæmonia ejicientem, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Jesus autem ait : Nolite prohibere eum. Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est*. Ecce, inquiebant, iste non sequebatur Apostolos : & tamen quia dæmonia ejiciebat in nomine Christi, Dominus imperat eis, ne prohibeant. Quare, si Christi nomen prædicamus, quamvis non sequamur Episcopos & alios Sacerdotes, non tamen debent nos prohibere. Item illis verbis *Moysi* ad *Josue* Numerorum 11. cum ille instaret ut duos viros in castris prophetantes prohiberet : *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Ita referunt *Reinerus*, & *Bernardus* Abbas *De Fonte Calido* lib. *Contra Waldenses*, cap. 4. & 8. ubi hunc errorem evertit. De quo & *Claudius Seysellus* lib. *Adversus errores & Sectam Waldeasium*, Fol. 50. 16. Solum Scripturæ Sacræ Textum recipiebant, Traditiones, Expositiones Patrum, Decreta & Decretales rejiciebant, habentes pro fabulis quidquid præter Textum Bibliorum a Prædicatoribus diceretur. Id præter *Reinerum* testatur *Claudius Seysellus* Fol. 10. 17. Excommunicationem, aliasque Censuras Ecclesiasticas contemnebant. Quod præter *Reinerum Petrus Pilichdorffius* lib. *Contra Waldenses*, cap. 32. testatur. Quod intelligendum de Censuris a Prælatis Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ latis: Nam potestatem excommunicandi contumaces Ecclesiæ a Christo collatam credebant : & Excommunicatos omni Ecclesiæ auxilio, ministerio, consortio, & unione privari : ut docet liber ab ipsis editus de Disciplina Sectæ, cap. 6. apud *Perrinum* in Historia Waldensium & Albigensium, pag. 235. Sed quia Sectam dumtaxat suam veram esse Christi Ecclesiam contendebant; authoritatem excommunicandi apud se solos ajebant residere. 18. Dispensationes Ecclesiæ, & Indulgentias respuebant, necnon sacras Peregrinationes. Id præter *Reinerum* tradit *Pilichdorffius*, hos refellens errores cap. 30. Peregrinationes sacras contra ipsos defendit *Ebrardus de Bethunia*, lib. *Antihæreseos*, cap. 12. *Claudius Seysellus* Taurinensis Archiepiscopus Fol. 61. & sequentibus, Indulgentiarum concedendarum potestatem contra Waldenses Ecclesiæ egregie vendicat.

Almanach Spirituel.

§. IV.

De Waldensium erroribus circa cætera Dogmata & Consuetudines Ecclesiæ.

I. Sanctorum Invocationem impugnabant, Reliquias, Translationes, Canonizationes, Vigilias, Festivitates Sanctorum contemnebant. Miraculis ad ipsorum monumenta & ob ipsorum merita a Deo patratis nullam adhibebant fidem. Id non solum *Reinerus*, sed *Pilichdorffius* cap. 16. & 20. eum refellens errorem, *Ermengardus* cap. 10. & *Claudius Seysellus* Fol. 72. testantur. Sanctos electos Dei, inquit,

„ (inquit ille) immo & ipsam Christi Genitricem honorandos negant : illisque cerimoniarum cultum prohibent exhiberi, hoc pacto Divinæ Majestati derogatum iri reputantes, quod ipse dixit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Quod & Apostolus confirmat dicens : *Soli Deo honor & gloria.* Idem constat ex ipsorum Confessione fidei exarata in libro ipsorum qui inscribitur *Kalendarium Spirituale*, & a *Joanne Paulo Perrino* exscripta in Historia Waldensium, cap. 12. & ex lib. eorumdem *De Antichristo*, cap. 3. Item ex ipsorum Catechismo, apud eumdem *Perrinum* lib. 1. de Doctrina Waldensium pag. 175. ubi & B. Virginem Mariam gratia plenam profitentur, sed in seipsa (inquiunt) non ut eam aliis communicet, quod unius Christi proprium est, de quo legimus. *De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* II. Crucem Christi, ejusque signum, & Sanctorum imagines execrabantur. Id præter *Reinerum* testantur *Pilichdorffius* cap. 33. & *Ebrardus de Bethunia* cap. 17. Eorum errorem circa crucem Dominicam & ejus signum, refellentes. Waldensium quoque errorem circa Imagines confutat *Claudius Seysellus* Fol. 75. & sequentibus. Hunc errorem adstruunt in Expositione Decalogi inserta ipsorum libro *De Virtutibus*, ex quo eam Gallice exhibet *Perrinus* lib. I. *de Doctrina Waldensium*, cap. III. Purgatorium negabant, duo tantum loca, duosque status animarum post mortem agnoscentes, cœlum & inferos ; æternam beatitudinem, æternamque damnationem : consequenter Fidelium viventium orationes defunctis prodesse negabant. Testes sunt *Reinerus*, *Pilichdorffius* cap. 21. ubi hunc errorem refellit, *Bernardus* Abbas *de Fonte Calido* cap. 9. ubi eumdem confutat, & *Claudius Seysellus* lib. *Adversus errores & sectam Waldensium* Fol. LXVI ubi & ipse (cui sane comperti erant errores Waldensium in Vallibus Sabaudiæ & Pedemontii degentium, quorum in conversionem visitationibus, concionibus, scriptis, diligenter incubuit) docet ipsos haud absolute negare „Purgatorium esse posse. Sed se duas tantum vias ex Sacris Scripturis post præsentis vitæ exitum didicisse, neque de hac tertia satis sibi constare. Quo posito, contra illos disserit luculenter doctissimus Archiepiscopus. Concedamus, inquit, & hanc rem in ambiguo esse : nonne multo humanius est & præstabilius securiorem hanc viam amplecti ; ex qua nihil omnino evenire possit mali, etiam si proficiat nihil ? Ex ipsa mentis pietate præmium aliquod expectare a Deo possumus : sicut qui eleemosynam facit ei, quem & bonum putat, & pauperem, cum sit dives & malos. Si enim Christo credimus, non perdet hic mercedem suam. Igitur, si verum est quod tui Barbæ asseverant, nihil perdis, immo etiam Deum tibi propitias. Sin vera est Romanæ Ecclesiæ in hoc articulo fides, non modo si non facis, maximum præmium amittis : verum cum summa ingratitudine summam committis impietatem : utpote qui cum exigua re inæstimabile beneficium proximis tuis conferre facillime possis, illud aut deneges, aut negligas. Quis enim non eum crudelem existimaret, qui parenti vel amico ægrotanti ea ratione Medicorum & medicaminum opem negaret, quod an profutura sint, non habeat compertum ? Sic ad hominem contra ipsos argumentatur eruditus Archipræsul. Hunc errorem afferunt in Confessione Fidei, quam ex ipsorum Kalendario Spirituali (ut vocant) descripsit *Perrinus* in Historia Waldensium cap. 12. eumque uberius exponunt ac propugnant lib. *de Antichristo* cap. 11. apud *Perrinum* lib. 3. *de Doctrina Waldensium*, pag. 205. & sequentibus. IV. Ecclesias, Altaria, eorumque consecrationes, ornatum, & sacram supellectilem. Sacerdotalia indumenta, luminaria, thurificationes, Aquam Benedictam, Processiones, aliosque sacros ritus rejiciebant, deridebant : Deum in Templis habitare negantes, quod scriptum sit Actuum 17. *Non in manufactis templis habitat.* Nec ibi fusas orationes majoris esse virtutis quam in cubiculo, in hunc sensum detorquentes verba Christi. Matthæi 16. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum.* &c. Sacram sepulturam nihili faciebant, melius non esse asserentes ut defuncti hominis cadaver in Cœmeterio, quam in agro, vel alio quocomque loco sepeliatur. Id constat ex *Reinero*, & ex *Pilichdorffio* qui hos errores impugnant capp. 22. 23. 24. 25. & 26. Templis Deo consecratis reverentiam esse exhibendam, eaque domum esse orationis, contra Waldenses probat *Bernardus* Abbas *de Fonte Calido* cap. XII. Eosdem Waldensium errores circa Ecclesias manufactas & Altaria impugnat *Ermengardus*, capp. 8. & 9. Confraternitates etiam contemnebant, quasi propter quæstum institutas ; & piam consuetudinem Fidelium, Sanctos in altari eligentium. V. Exorcismos, & curam omnem Ecclesiæ circa Energumenos improbabant, asserentes nullum hominem a tempore Passionis Christi posse a dæmonio vexari. Contra hunc errorem pugnat *Pilichdorffius* cap. 34. VI. Ecclesiastica Jejunia, quasi idololatriam & superstitionem redolentia adversabantur. liberum esse Christiano cuivis asserentes, quolibet die & hora manducare, vel jejunare. Id constat ex ipsorum libro *de Antichristo*, cap. 4. apud *Perrinum* lib. 3. *de Waldensium doctrina*, pag. 331. & Archipræsule *Seysello* Fol. 74. verso. VII. Nullum veniale peccatum, sed omnia mortalia : Juramentum nusquam esse licitum, etiam in Judicio, & peccatum esse mortale docebant, freti Christi verbis Matthæi 5. *Nolite jurare omnino, sed sit sermo vester, Est est, Non non.* Perfecti inter eos potius mori, quam jurare eligebant : imperfecti vero jurabant imposita sibi necessitate : coactionis metu & prodendorum arcanorum periculo, juramentum excusantes : ita refert *Reinerus*. Hunc etiam errorem inpugnant *Pilichdorffius* cap. 36. *Ebrardus de Bethunia*, cap. 14. *Ermengardus* cap. 18. & *Claudius Seysellus* Fol. 77. Mendacium. omne peccatum esse mortale asserebant, eodem *Seysello* teste. Homicidium omne ipsos lethalis criminis damnasse, & docuisse. Maleficos non damnandos, juxta illud, *Mihi vindicta, ego retribuam :* Et, *Sinite utraque crescere :* tradit *Reinerus*. Idem testatur Index errorum quibus Waldenses infecti sunt, post *Pilichdorffii* librum editus in Bibliotheca Patrum. Idem colligitur ex *Ermengardo*, cap. 19. „ Hunc tamen errorem tam late non defendunt, inquit, *Claudius Seysellus* Fol. 87. verso, ut non aliqua homicidia excusent ; quæ scilicet ex rationabili causa, lege aliqua ad publicam vindictam sunt permissa ; satisque illis foret ut in eos ob hæresim hanc corporali pœna sæcularis Potestas non animadverteret. Et revera sæculares Magistratus pœnam capitis in malefactores jure decernere docuerunt in libro quem inscripsere & *Lumen & Thesaurum Fidei*, cujus fragmentum profert *Perrinus* in Historia Waldensium pag. 24. quod sic Latine reddo : *Scriptum est* : Maleficos non patieris vivere. *Sine ira, doctrina non prodesset, nec agnoscerentur Judicia, nec peccata castigarentur. Justa itaque ira, disciplinæ mater est ; & patientia sine ratione, vitia seminat, malosque prævaricari sinit.* Quod itaque *Reinerus* refert, puris Waldensibus tribuendum non est, sed Catharis ; ut ex eodem colligitur cap. 6. VIII. Principes ac Judices universos æternum damnari asserebant, referente *Reinero*. Reverentiam nihilominus & obedientiam Principibus & Magistratibus exhibendam profitebantur. Id constat ex ipsorum Confessione Fidei, quam ex Kalendario Spirituali exscripsit *Perrinus* in Historia Waldensium cap. 12. Sic enim habent Articulo 14. *Nos deven honor a la Potesta secular, en subjection en obediensa, en promptezza, & en pagament.* Id est : *Honorem debemus Sæculari Potestati in subjectione, obedientia, prompto animo, & solutione tributorum.* Idem profitentur in altera Confessione, quam exhibet *Carolus Molinæus* lib. *De Monarchia Francorum Art. VI.* IX. Publicas Academias & Studia Privilegiata (ut loquuntur) damnabant ceu meram vanitatem, teste *Pilichdorffio*, qui & hunc errorem impugnat cap. 35. De Waldensium erroribus legatur & *Eymericus* Ordinis FF. Prædicatorum in Directorio Inquisitorum, Parte II. Quæst. XIV. in hoc falsus, quod eorum originem ad *Gregorii IX.* tempora, & ad annum circiter millesimum ducentesimum septuagesimum referat. *Guidonem Carmelitam*, *Prateolum*, *Bernardum Lutzemburgum*, & alios translatitios Scriptores, qui de Hæresibus egere, silentio prætereo.

§. V.

§. V.

Waldenses in varias Sectas divisi.

Varia nomina Sectarum in quas Waldenses divisi sunt, variosque illorum errores singulatim recenset *Reinerus* noster cap. *6.* Libri sui de Hæreticis. Primum ab ipso *Runcarii* memorantur, qui ad Waldensium dogmata infamem illum errorem addebant, quod a cingulo deorsum non committeretur peccatum mortale, quia Dominus ait : *Ex corde procedunt fornicationes*.

II. *Seiseidenses*, qui a Waldensibus puris eo differunt, quod Eucharistiam recipiant.

III. *Ortlibenses* qui de Articulis fidei, interrogati, omnes confitentur, sed mystice intelligunt. Trinitatem fuisse negant ante Nativitatem Christi. Tunc primum Deum habuisse Filium *Jesum* ex semine *Joseph* natum ajunt, quem B. Virgo in Sectam ipsorum traxit : qua ratione Filius Dei factus est. Ipso vero prædicante, accessisse tertiam personam, scilicet *S. Petrum*, ejus cooperatorem, eumque esse Spiritum Sanctum, Mundum æternum esse : Resurrectionem corporum vitamque æternam Spirituum nullas esse. Tunc Judicium supremum futurum, cum Papa & Imperator ad eorum Sectam convertentur. De Passione, Resurrectione, aliisque Christi Mysteriis nihil credunt. Filium Dei suscepisse Crucem, id est, veram Pœnitentiam, sive vitam ipsorum, in quam peccatum mortale non cadit. Baptismum nihil valere, nisi quantum valent merita Baptizantis. Parvulis non prodesse. Judæos in Secta sua sine Baptismo salvari, Corpus Christi purum esse panem. Corpus suum verum esse Christi Corpus. Matrimonium licitum esse ac bonum, si conjugati continenter vivant, cæterum copulam carnalem malum esse.

IV. *Ordibarii*, qui Mundum non habere principium asserebant. *Christum* fuisse filium *Joseph* & *Mariæ*, peccatorem, qui Sectam ipsorum restaurando salvus factus sit. Hunc passum non fuisse. Ipsos esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum : Illum, inquam, esse Patrem, qui primo Sectam ipsorum intraret : Filium, qui ejus prædicatione ad Sectam adduceretur : Spiritum Sanctum, qui in Secta ipsorum esset perfectus. Et alia id genus blasphemiarum portenta commenti sunt, quæ referre tædet.

V. *Cathari*, qui Diabolum Mundi hujus, & omnium quæ in eo sunt, conditorem asserunt. Baptismum & cætera Sacramenta, nihil prodesse ad salutem, nec esse vera Christi, & ejus Ecclesiæ Sacramenta, sed deceptoria, Diabolica & Ecclesiæ Malignantium. Matrimonium & ejus usum peccatum esse mortale, nec a Deo gravius puniri homines propter adulterium & incestum, quam propter connubium. Carnis Resurrectionem futuram negant. Esum carnium, ovorum, vel casei, urgente etiam necessitate, lethalis peccati damnant : Quod omnis caro immunda sit, utpote ex concubitu nata; immo factura Diaboli. Potestates sæculares mortalis peccati reas dicunt, quod malefactores vel Hæreticos capite plectant. Parvulos etiam non baptizandos haud levius puniri affirmant, quam homicidas & latrones. Ista excillant ex *Reinero*, & ex *Ekberto* Abbate Monasterii *S. Florini*, Ordinis Benedictini, Sermone I. e tredecim illis, quos scripsit contra Catharos. Christum specie tenus hominem fuisse & passum esse : Animas hominum esse apostatas. Spiritus e cœlo quondam ejectos, &c. Germaniæ Cathari asserebant, *Ekberto* teste.

VI. Catharos tres in Sectas divisos *Reinerus* memorat ; *Albanenses*, *Coutorezenses*, *Bagnolenses* : qui in Lombardia potissimum grassabantur. Albanensium factiones duæ, Prioris caput *Gelesinanza*, Veronensis : Posterioris, *Joannes de Lugduno*, Bergomensis, eorum Episcopi. Prioris factionis Cathari, præter communes Sectæ errores, clarius asserebant duo Principia, videlicet boni & mali. Trinitatem, scilicet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non esse unum Deum, sed Patrem majorem esse Filio, & Spiritu Sancto. Utrumque Principium suos creasse Angelos, Mundumque suum. Diabolum cum Angelis suis in cœlum ascendisse, commissoque prælio cum *Michaele* Archangelo, tertiam partem creaturarum boni Dei extraxisse, & in humana corpora & bruta quotidie infundere; immo de uno corpore transferre in aliud, donec dictæ creaturæ in Cœlum reducantur. Filium Dei humanam naturam vere non assumpsisse : ejusque Passionem, Mortem, Resurrectionem, specie tenus contigisse. Abraham, Isaac, Jacob, Moysen, cæterosque Patres Veteris Testamenti, & *S. Joannem Baptistam*, fuisse Dei inimicos, & Ministros Diaboli. Totum Vetus Testamentum, authore Diabolo editum blasphemabant, exceptis libris Job, Psalmorum, Salomonis, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Prophetarum, quorum nonnullos in cœlo scriptos esse somniabant. Mundum numquam finem habiturum. Supremum Judicium jam factum esse. Infernum & pœnas æternas extra Mundum istum non esse.

Cathari a *Joanne de Lugduno* edocti asserebant, bonas creaturas a bono Deo ab æterno esse productas ut radios a Sole. Has ad alterum Mundum pertinere : Hunc enim aspectabilem a Diabolo, vel potius a patre Diaboli factum; nec principium durationis pariter habuisse, nec finem habiturum. Deum non esse omnipotentem : cum ejus bona voluntas in suas creaturas ab ipsius hoste impediatur. In Christo fuisse potentiam peccandi, sed ita oppressam per Summum Bonum, suo ut caruerit effectu. Deum bonum malorum præscium non esse, sicut nec authorem. Animas e corporibus in corpora migrare, & tandem aliquando a culpa & pœna liberandas. Omnes Scripturæ Sacræ libros divinos esse, at in alio Mundo scriptos, in quo etiam Adamus & Eva conditi. Veteres Patriarchas & Prophetas, necnon *S. Joannem Baptistam*, Deo placuisse, sed alterius Mundi homines fuisse. Christum vere natum, passum, mortuum, sepultum, vere etiam resurrexisse : sed hæc omnia in Mundo illo superiori gesta. Hujus Hæresiarchæ errores immanesque blasphemias in libro ab ipso edito se legisse, *Reinerus* testatur.

VII. Aliam Catharorum Sectam Mediolani grassatam constat ex *Bonacursu* illorum quondam ea in civitate Magistro, qui ad Fidem Catholicam conversus librum contra illos edidit, inscriptum *Vita Hæreticorum*, & præcipuos ipsorum confutavit errores quos ita describit. „ Quidam illorum dicunt Deum „ creasse omnia elementa; alii dicunt illa elementa „ Diabolum creasse. Sententia tamen omnium est, „ illa elementa diabolum divisisse. Dicunt etiam „ eumdem diabolum Adam de limo terræ fecisse, & quemdam Angelum lucis in eo summa „ vi inclusisse, de quo credunt dictum esse in E„ vangelio : *Homo quidam descendebat a Jerusalem in Jericho*, &c. „ Hevam dicunt fecisse, cum qua „ concubuit, & inde natus est Cain, de sanguine „ cujus dicunt esse canes, ideoque tam fideles sunt „ hominibus. Conjunctio Adæ cum Eva, ut dicunt, „ fuit pomum vetitum. Alium errorem inducunt, „ scilicet omnia quæ facta sunt in aere, in mari & „ in terra, facta esse a Diabolo sicut homines, animata „ & inanimata ... Ex filiabus Evæ & Dæmonibus „ natos esse gigantes. Quæcumque sunt facta vel di„ cta Abrahæ, Isaac, & Jacob, a dæmone dicta & „ facta esse. Dicta Prophetarum quædam esse re„ velata a Spiritu Dei, quædam a Spiritu maligno „ David propter adulterium, & homicidium damna„ tum. Heliam in curru a Diabolo delatum. An„ gelum Zachariæ missum, Angelum Diaboli as„ serunt. Joannem, quo nemo major est, damnant. „ Quia Dominus dicit : *Qui minor est in Regno cœlorum, major est illo*. Et quia dubitavit de Christo cum dixit : *Tu es qui venturus est an aliam expe*„ *ctamus* ? Mariam Matrem Domini nostri credunt „ natam fuisse.... De Christo dicunt, quod non „ habuit animatum Corpus, non manducavit, ne„ que bibit, sed nec aliqua secundum hominem fe„ cit, sed videbatur ita. Dextrum Latronem dicunt „ in inferno esse. Non credunt corpus Christi re„ surrexisse, nec in Cœlum assumptum fuisse, ne„ que carnis Resurrectionem, nec Christum descen„ disse in infernum. Non credunt Filium æqualem „ Patri, quia dixit : *Pater major me est*. Crucem „ dicunt characterem esse bestiæ, quæ in Apocalypsi

esse

esse legitur, & abominationem stantem in loco sancto, Beatum Silvestrum dicunt Antichristum fuisse. A tempore illo Ecclesiam esse perditam. Nullum credunt in conjugio salvari posse. Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium & alios Doctores universaliter damnant. Si quis manducaverit carnem, vel ova, seu caseum; vel aliquid bestialis naturæ, quod damnationem sibi manducat. Per Baptismum aquæ Spiritum Sanctum nullo modo credunt posse accipi: nec aliquam substantiam visibilem credunt ullo modo in Christi Corpus posse converti. Credunt etiam, quod omnis qui jurat, damnabitur. Et credunt nullum posse salvari, nisi quadam sua impositione manuum quam Baptismum appellant, & renovationem Sancti Spiritus. Ipsum Diabolum credunt, esse solem, lunam dicunt esse Hevam, & per singulos menses dicunt eos fornicari, ut vir cum aliqua meretrice. Omnes stellas dicunt esse dæmones. Ad ultimum dicunt, sine illis neminem posse salvari. Opus *Bonacursi* editum est Tom. 13. *Spicilegii*.

VIII. *Contorezenses* plerique circa Trinitatem errabant. Deum ex nihilo creasse Angelos & quatuor elementa fatebantur, sed Diabolum de limo Dei omnia visibilia creasse: Corpus hominis condidisse, inque illud infudisse primum Angelum, qui in modico peccaverat. Vetus omne Testamentum reprobabant, opus esse Diaboli blasphemantes, his tantum verbis exceptis, quæ a Christo & Apostolis laudata sunt in Novo. Moysen damnabant: de cæteris Patribus antiquis dubitabant. Christum humanæ naturæ non fuisse, sed Angelicæ, & B. Virginem ex qua illam sumpsit, esse Angelum asserebant nonnulli. Quicumque vero Cathari Christum verum corpus humanum de Virgine sumpsisse confitebantur, illud tamen glorificatum negabant; sed Christum illud deposuisse effutiebant aereo in cœlo in die Assumptionis suæ; iterumque resumpturum illud in die Judicii. Quo peracto, in præjacentem materiam instar cadaveris, resolvetur: Animas Beatæ Virginis, Apostolorum, Sanctorumque reliquorum nondum gloria frui, nec ad diem usque Judicii beatos fore, sed cum Jesu Christi corpore in loco aereo versari.

IX. *Bagnolenses* Cathari animas creatas a Deo ante mundi constitutionem asserebant, & tunc in peccatum prolapsas. Beatam Virginem fuisse Angelum, & Christum ex ea humanam naturam non sumpsisse, nec vere passum; sed corpus cœleste habuisse. In cæteris Contorezensibus consentiebant.

X. *Paterini*, Minorem Creatorem, scilicet Luciferum, omnia visibilia condidisse asserebant. Matrimonium esse adulterium; aliaque errorum portenta.

XI. *Passagini* Mosaicam Legem ad literam esse observandam dicebant, Christum non esse æqualem Patri. Tres personas Trinitatis non esse unum Deum & unam substantiam. Omnes Doctores, totamque Romanam Ecclesiam damnabant: (inquit *Bonacursus*.)

XII. Waldensium quoque Catharorum propago Secta *Albigensium*, de quibus agemus sequenti Seculo. Catharos Tolosanos Albanensium errores sectatos fuisse: Catharos Franciæ idem sensisse cum Bagnolensibus, qui paucos errores ad Contorezensium blasphema dogmata addebant, *Reinerus* testatur. Cum vero Albanenses & Contorezenses Cathari duo principia crederent cum Manichæis, nuptias damnarent, Vetus Testamentum reprobarent; circa Trinitatem etiam errarent: hinc factum est ut ab Authoribus plerisque Waldenses omnes indiscriminatim horum errorum accusati sint, & Manichæi, vel Ariani appellati; cum tamen Waldenses puros de Deo & Christo recte sensisse, & Matrimonium bonum asseruisse atque a Deo in Paradiso Terrestri institutum, eorum Confessiones ac libri testentur: & de illis *Willelmus Neuburgensis* lib. 11. *De Rebus Anglicis*, cap. 13. scripserit. *Interrogati per Ordinem de Sacra Fidei Articulis, de substantia quidem Superni Medici recta; de ejus vero Remediis quibus humana infirmitati mederi dignantur, id est, de divinis Sacramentis, perversa dixerunt*. Hæc ab eo scripta occasione quorumdam ex illa Secta Germanorum, qui cum in Angliam transfretassent, ab Episcopis damnati, & sæculari Potestati traditi sunt.

Waldenses pure de Deo & Christo recte senserunt, & Matrimonium bonum esse.

Nec de puris Waldensibus, sed Variis ipsorum Sectis, Catharis præcipue, intelligendus est *Ebrardus de Bethuna*, in Prologo libri sui scribens: *In fide claudicantes, Trinitatem diffitentur, & lacerant unitatem: Legem Moysi destruunt, Patres Legis judicant, Deum qui Legem dedit, detestantur; Creatorem Mundi abnuunt & hominum Plasmatorem, nubere prohibent*, &c. Quamquam vero *Ebrardi* liber *Contra Waldenses* inscribatur, perperam inde colligeres Waldenses omnes Ariana & Manichæa hæresi infectos fuisse. Hanc enim inscriptionem libro suo non apposuit *Ebrardus* ipse, sed ejus Editor *P. Gretserus* S. J. cum Author librum *Antihæreseos* simpliciter inscripsisset. Tractatus *Bernardi* Abbatis *Fontis Calidi*, inscribitur quidem *Contra Waldenses & contra Arianos*: Arianorum nomen in solo titulo legitur, nullum ipsorum errorem Waldensibus objicit in toto Tractatu. *Ermengardus*, Hæreticis quos impugnat, tribuit, quod Deum verum omnium Creatorem esse negaverint, quod duos esse Deos dixerint: Legem Mosaicam ab omnipotenti Deo minime datam, sed a Principe malignorum Spirituum: Matrimonium non esse licitum, &c. sed Waldenses omnes non petit *Ermengardus*, cujus librum *Contra Sectam Waldensium* proprio ingenio Gretserus inscripsit, cum *Ermengardus* hanc dumtaxat inscriptionem apposuisset: *Contra Hæreticos qui dicunt & credunt, Mundum istum & omnia visibilia non esse a Deo facta, sed a Diabolo*.

Denique *Reinerus* noster de puris Waldensibus, qui *Leonistæ & Pauperes de Lugduno* dicti sunt, sermonem faciens, cap. IV. Opusculi sui *de hæreticis*, ipsos a Manichæorum, & Arianorum blasphemiis absolvit. Cum enim præmisisset 60. & amplius hæreticorum sectas, quæ Ecclesiam olim infestarant, deletas esse, *Præter sectas Manichæorum, Arianorum, Runcariorum, & Leonistarum*, subdit: *Inter omnes has Sectas quæ adhuc sunt, vel fuerunt, non est perniciosior Ecclesiæ, quam Leonistarum. Et hoc tribus de causis: Prima est quia diuturnior. Aliqui enim dicunt quod duraverit a tempore Silvestri: aliqui a tempore Apostolorum. Secunda, quia est generalior. Fere enim nulla est terra in qua hæc Secta non sit. Tertia, quia cum omnes aliæ Sectæ immanitate blasphemiarum in Deum, audientibus horrorem inducant, hæc scilicet Leonistarum, magnam habet speciem pietatis: eo quod coram hominibus juste vivant, bene omnia de Deo credant, & omnes Articulos qui in Symbolo continentur: solummodo Romanam Ecclesiam blasphemant, & clerum cui multitudo laicorum facilis est ad credendum.* Quamobrem minus accurate *Eymericus* noster in directorio Inquisitorum, Parte II. Quæst. XIV. inter Waldensium hæreses hanc recensuit, decimam septimam: *Quod Symbolo Fidei non esse standum, nec credendam dicerent*. Sane veram fidem Catholicam & Apostolicam in Symbolo Apostolorum in Articulos duodecim distinctam profiteri se gloriantur in suo Catechismo, ut legere est apud *Perrinum* lib. 1. *de Waldensium doctrina*, pag. 159. Idem ex aliis ipsorum libris, & Confessionibus Fidei compertum est.

XIII. Quædam erat inter Catharos inanis Pœnitentiæ, & Confessionis species, nulla contritionis & satisfactionis vestigia, teste *Reinero*, qui septemdecim annos in hujus hæreseos luto hæserat. Quoddam etiam erat apud eos Hierarchiæ simulacrum. Ordines quatuor habebant. Qui erat in supremo Ordine vocabatur Episcopus: qui in secundo vocabatur Filius Major: qui in tertio, Filius minor: qui in quarto Diaconus. Episcopus primas tenebat in impositione manus, in fractione Panis, in inchoatione orationis. Filius Major & Filius minor visitabant omnes Catharos sub Episcopo constitutos. Diaconi excipiebant Confessionem venialium semel in mense & subditis absolutionem impendebant, manus impositionem frequentabant Cathari, quæ ab eis *Consolamentum*, & spirituale Baptisma seu Baptisma Spiritus Sancti vocabatur: quo sine nullum peccatum mortale dimitti censebant. Hæc & alia Sectæ arcana *Reinerus* exponit cap. VI.

§. VI.

§. VI.

De disciplina & moribus Waldensium.

Waldenses Pastores suos habebant, qui *Barba* vocabantur. Ministerii candidati Evangelia *SS. Matthæi & Joannis*, Epistolas omnes Canonicas, Salomonis, Davidis, & Prophetarum libros, maximam partem recitare memoriter debebant. Deinde si testimonio bono probati, ad prædicandi munus impositione manuum admittebantur. Ministris alimenta & indumenta communibus sumptibus tribuebantur. Seniores præterea ad regendum populum eligebant. In grave crimen lapsis prædicandi munere interdicebatur & extra societatem ejiciebantur. Quotannis in Synodum, ubi licebat, conveniebant Pastores, ut de Sectæ rebus agerent. Quamdam excommunicationis speciem usurpabant, qua gravium criminum reos contumaces plectebant. Nefas existimabant filios absque parentum consensu nubere. Popinarum frequentationem prohibebant, ac popinam *Fontem peccati & Scholam diaboli* nuncupabant: in qua sua miracula patrat, iis contraria quæ Deus in Ecclesia operatur. Non enim claudos erigit, sed recte gradientes ibi claudicare facit: non cæcos illuminat, surdis auditum, mutis loquendi facultatem restituit; sed ebrietate cæcos, surdos, mutos reddit. Caupones omnium peccatorum, quæ ibi committuntur, conscios asserebant, illud Ecclesiastici cap. 26. Oraculum laudantes: *Non justificabitur caupo a peccatis labiorum*. Choreas execrabantur, & dissuadebant, ut *Processionem Diaboli*, in qua singulis sensibus peccatur; in qua omnia decalogi præcepta violantur; adorantur idola, vanitati servitur, dies Domini profanatur, parentes contemnuntur & pacta pleraque contra ipsorum honorem & reverentiam fiunt, occiduntur animæ, fornicationes & adulteria animo primum, deinde opere committuntur, mendacia & juramenta proferuntur, corda Deo eripiuntur, aliena concupiscuntur ornamenta. Proprium corpus ita ab unoquoque Fidelium regi oportere docebant, ut desideriis carnis non obediat: ut membra sua custodiat ne sint arma iniquitatis, ut sobrietatem servet ac temperantiam in cibo, potu, verbis, & curis sæculi, ut otium fugiat, opera misericordiæ faciat, contra cupiditates pugnet, religionis operibus vacet, conscientiam discutiat, ac emundet. Has conversationis externæ regulas proponebant Mundum non diligere: malorum consortium fugere: pacem habere cum omnibus, quantum fieri potest; non contendere in judicio, non ulcisci injurias, inimicos amare; parato esse animo ad labores, calumnias, & omnis generis tormenta pro veritate perferenda; Jugum cum infidelibus non ducere; operibus malis non communicare. Hæc ex libro Valdensium *De Disciplina*, quem ad calcem Historiæ suæ edidit *Joannes Paulus Perrinus*. Ipsorum quoque mores specie tenus castissimos & integerrimos fuisse *Reinerus* cap. VII. libri sui *de Hæreticis* testatur: *Sunt*, inquit, *in moribus compositi & modesti: superbiam in vestibus non habent, quia nec pretiosis, nec multum abjectis utuntur. Negotiationes non habent, propter mendacia, & juramenta, & fraudes vitandas; sed tantum vivunt de labore, ut Opifices. Doctores etiam ipsorum sunt sutores & textores. Divitias non multiplicant, sed necessariis sunt contenti: casti etiam sunt, maxime Leonistæ, temperati in cibo & potu, ad tabernas non eunt, nec ad choreas, nec ad alias vanitates. Ab ira se cohibent. Semper operantur, discunt, vel docent, & ideo parum orant. Ad Ecclesiam ficte vadunt, offerunt, confitentur, communicant, intersunt prædicationibus, sed ut Prædicantem capiant in sermone. Cognoscuntur etiam in verbis præcisis & modestis. Cavent a scurrilitate, detractione, verborum levitate, mendacio, & juramento: nec dicunt, vere, vel certe, & similia, quia hæc reputant juramenta. Item ad quæstiones raro directe respondent, ut si quæratur ab ipsis: Scis tu Evangelium, vel Epistolas? Respondit, Quis docuisset me ista? Vel dicit: Hujusmodi debent scire qui sunt magni vel profundi intellectus; vel qui ad hoc sunt otiosi & idonei.* Testamenti Novi Textum, & magnam partem Veteris, lingua vernacula memoriter complectebantur, eodem *Reinero* teste, cap. VI. Waldensibus puris non convenit, quod scribit *Ebrardus de Bethunia* cap. XXII. Antihæreseos: *Omiserunt ludicra, sed non lucra: abjecerunt otia, sed non negotia; etenim mundanis abrenuntiant, ut avaritiæ obligentur vinculo fortiori.* Reinerus enim contrarium omnino de Waldensibus testatur. Nec etiam ipsis conveniunt quæ idem scribit cap. XXI. *Male quidem & perverse operantes in quibusdam latebris se abscondunt: quædam quoque facientes absurda, ab aliis, & eorum Novitiis se videri non permittunt.* Contra vero ipsorum castitati *Reinerus* testimonium perhibet. *Casti etiam sunt*, (inquit) *maxime Leonistæ*: quo fit ut *Emerico* nostro fidem non adhibeam, qui Waldensium errores recensens Parte II. *Directorii Inquisitorum* Quæst. 14. scribit: *Sextus-decimus error & hæresis est, quod melius est satisfieri libidini quocumque actu turpi, quam carnis stimulis fatigari: sed est [ut dicunt & ipsi faciunt] in tenebris licitum quemlibet, cum qualibet indistincte, carnaliter commisceri, quandocumque & quotiescumque carnalibus desideriis stimulantur.*

Waldenses Sectam suam a Romano Pontifice petierunt approbari.

II. Abbas Urspergensis in Chronico ad annum MCCXII. superstitiosam quidem fuisse Waldensium conversationem & hæretica dogmata, cæteroquin integros mores significat, hoc excepto, quod mulieres circumducendo, pravis suspicionibus ansam præbuerint: & in tantam erectos esse fiduciam, ut Sectam suam Religionis nomine ab *Innocentio III.* Pontifice Maximo rogaverint approbari, Sedi Apostolicæ illudere conati. *Mundo jam senescente*, inquit, *exortæ sunt duæ Religiones in Ecclesia, cujus ut aquilæ renovatur juventus, quæ etiam a Sede Apostolica sunt confirmatæ, videlicet Minorum Fratrum & Prædicatorum, quæ forte hac occasione sunt approbatæ, quia olim in Italia exortæ adhuc perdurant; quorum alii Humiliatos, alii Pauperes de Lugduno se nominabant. Quos Lucius Papa quondam Hæreticos scribebat, eo quod superstitiosa dogmata & observationes in eis reperirentur: in occultis quoque prædicationibus quas faciebant, plerumque in latibulis, Ecclesiæ Dei & Sacerdotio derogabant. Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum qui dicebantur Pauperes de Lugduno, apud Sedem Apostolicam cum Magistro suo quodam [ut puto] Bernardo; & hi petebant Sectam suam a Sede Apostolica confirmari & privilegiari. Sane ipsi dicentes se gerere vitam Apostolorum, nihil volentes possidere, aut certum locum habere, circuibant per vicos & castella. At Dominus Papa quædam superstitiosa in conversatione ipsorum eisdem objecit, videlicet quod calceos desuper pedem præcidebant & quasi nudis pedibus ambulabant. Præterea cum portarent quasdam cappas quasi Religionis, capillos capitis non attondebant, nisi sicut Laici. Hoc quoque probrosum in eis videbatur quod viri & mulieres simul ambulabant in via, & plerumque simul manebant in una domo; & de eis diceretur, quod quandoque simul in eisdem lectulis accubabant. Quæ tamen omnia ipsi asserebant ab Apostolis descendisse, &c.*

Fol. IX.

Hæretici de operibus externis frustra gloriantur.

Claudius Seysellus, Taurinensis Archiepiscopus, cujus liber adversus Errores & Sectam Waldensium Parisiis in lucem prodiit an. MDXXV. Waldenses integerrimis fuisse moribus testatur. *Nonnihil etiam* (inquit) *ad horum Waldensium confirmandam tolerandamque Sectam confert, quod præter hæc [quæ contra Fidem Religionemque nostram assumunt] in reliquis ferme puriorem quam cæteri Christiani vitam agunt. Non enim nisi coacti jurant, neque nomen Dei in vanum proferunt, Promissaque sua bona fide implent, & in paupertate pars maxima degentes, Apostolicam vitam doctrinamque servare se solos protestantur.* Verum operibus externis perperam gloriabantur Waldenses, perperam & alii Hæretici gloriantur, cum opera absque fide nihil omnino prosint ad salutem, & instar magni cursus extra viam se habeant. De quibus apposite scribit *Ebrardus de Bethunia*, Antihæreseos c. 16. *Fidem negligentes Christianam, Christi Discipulos se faciunt appellari, cum sint potius Antichristi. In operibus enim solammodo confidenter fidem prætermittunt, cum fides operibus potius sit præponenda. Revolvens etenim paginas Scripturarum opera præter fidem valere non reperi.*

Causæ cur plures Catholici ad Sectam Vvaldensium deficerent.

Sex causas enumerat *Reinerus*, quæ in Waldensium Sectam Catholicos non paucos pertraherent. „ Prima, inquit, est inanis gloria: quia enim vident „ Doctores in Ecclesia honorari, idcirco etiam ipsi „ Doctrinæ honorem ambiunt. Porro omnes, viri & fœminæ, parvi & magni, diu noctuque docent vel discunt. Narrat *Reinerus*, Waldensem quemdam, depravandi Catholici hominis causa hyemali tempore, intempestiva nocte, per tractum aquæ ad ipsum enatasse. „ In quo, inquit ille, reprehendi potest negligentia Fidelium Doctorum, qui non sic „ zelant Catholicæ Fidei veritatem, sicut perfidi Leonistæ zelant infidelitatis errorem. Altera causa est, Translatio ab ipsis facta Veteris & Novi Testamenti in linguam vulgarem. „ Audivi, inquit „ Reinerus, & vidi quemdam Rusticum idiotam, qui „ Job recitavit de verbo ad verbum; & plures qui „ totum Novum Testamentum perfecte sciverunt. „ Et quia sunt Laici idiotæ, falso & corrupte Scripturam exponunt, ut illud Joannis I. *Et sui eum non receperunt*, ita exponunt; *id est, porci*. Et illud Psalmi, *Increpa feras arundinis*, ita legunt: *Increpa feras hirundinis*. Prima hæc Scripturarum Versio in linguam Gallicam a Waldensibus facta est in urbe Metensi, quam *Innocentius III.* Pontifex Maximus improbavit Epistola ad universos Christi Fideles in Urbe & Diœcesi Metensi constitutos, quæ in ejus Regesto 131. Libri II. est, & refertur a *Bzovio* ad annum MCXCIX. illosque damnavit, quod Officium Prædicationis absque Missione usurparent. *Cum Doctorum ordo sit quasi præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter Prædicationis officium usurpare: nam, secundum Apostolum*, „ Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *Et Veritas* „ *ipsa præcipit Apostolis*: Rogate Dominum messis, „ ut mittat operarios in messem suam. Tum Hæreticorum Waldensium responsionem occupat eruditus Pontifex, dicentium, se invisibiliter a Deo „ missos. *Cum*, inquit, *interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nude tantum asserere, quod ipse sit missus a Deo, cum hoc quilibet Hæreticus asseveret. Sed oportet ut adstruat illam invisibilem missionem per operationem Miraculi, vel per Scripturæ testimonium speciale. Unde cum Dominus vellet mittere Moysen in Ægyptum ad Filios Israel, ut crederetur ei quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, ut converteret virgam in colubrum, & colubrum iterum reformaret in virgam. Joannes quoque Baptista suæ Missionis speciale protulit testimonium de Scriptura, respondens Sacerdotibus & Levitis qui missi fuerant ad interrogandum quis esset, & quare baptizandi sibi officium assumpsisset*: Ego, *inquit*, vox clamantis in Deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. *Non ergo credendum ei qui se dicit missum a Deo, cum non sit missus ab homine, nisi de se speciale proferat testimonium de Scripturis, vel evidens Miraculum operetur. Nam & de his qui missi leguntur a Deo, Evangelista testatur*: *Quod* ipsi profecti „ prædicabant ubique, Domino cooperante, & Ser- „ monem confirmante sequentibus signis.

Innocentius III. Waldenses damnat, quod absque Missione Officium Prædicationis usurpent.

Translatio Veteris & Novi Testamenti in linguam vulgarem a Waldensibus facta.

Quæ missionis invisibilis & extraordinariæ argumenta.

In Versionibus Scripturæ Sacræ in linguam vulgarem, quatuor examinanda.

De memorata Scripturæ Sacræ Versione in linguam Gallicam, legenda est & altera Innocentii III. Epistola ad Abbates Cisterciensem, Morimundensem, & de Christa, lib. 2. Regesti, in qua se dedisse in mandatis Episcopo & Capitulo Metensi testatur, ut inquirerent, *Quis fuerit Author Translationis? Quæ intentio transferentis? Quæ fides utentium? Quæ causa docendi?* &c.

Hæc contra Calvinistas & Lutheranos usui esse possunt, qui Waldensium fraternitate gloriantur. Nunc ad institutum revertamur.

Tertia causa propagationis Sectæ Waldensium, ex *Reinero*, est scandalum ex malo quorumdam exemplo. Unde cum quosdam e Catholicis, & præcipue e Clericis, perversam vitam ducere viderent, protinus dicebant: Sic Apostoli non vixerunt, nec nos qui sumus Sectatores Apostolorum. *Reinero* concinit *Seysellus* Archipræsul, Fol. 8. Quarta causa, est quorumdam Concionatorum ignorantia, qui quandoque frivola, quandoque falsa e sacro Suggestu prædicabant. Quinta causa, est irreverentia quorumdam Ministrorum Ecclesiæ erga Sacramenta. Sexta causa, est odium contra Ecclesiam. Se a Waldensi quodam audivisse, *Reinerus* testatur, *Cap. III.* Hoc ipsorum esse consilium, ut Clericos & Claustrales ad statum Fossorum, ablatis decimis & possessionibus, deprimerent.

Tam late diffusa erat Waldensium hæresis, ut sexdecim Ecclesias sola Catharorum Secta obtineret; scilicet Albanensem, Contorezensem, Bagnolensem, Vicentinam, Florentinam, de Valle Spoletana, Franciæ, Tolosanam, Cadurcensem, Albigensem, Sclavoniæ, Constantinopolitanam Latinorum, Constantinopolitanam Græcorum, Philadelphiæ, Romaniolæ, Bulgariæ, Dugraniciæ. In Germania præcipue vigebat Secta Catharorum, necnon in Italia. Sed Patarenorum inferior non erat in Longobardia numerus. Ex omnibus pene istius Provinciæ, & quibusdam Tusciæ civitatibus, Juvenes ad Scholas Parisienses transmiserant, quosdam Logicis cavillationibus, alios etiam Theologicis disciplinis imbuendos, quo ad Sectæ propugnandos errores, & Catholica dogmata confutanda aptiores evaderent. Multos etiam eo consilio mittebant ad nundinas, ut perverterent divites & laicos commensales hospites: ut multiplicites negotiantes, aliorum pecunias hinc sibi lucrarentur; inde animas thesaurizarent Antichristo. Ita refert *Yvo Narbonensis*, qui se Patarenum simulans omnia ipsorum arcana didicerat, in Epistola ad *Giraldum* Burdigalensem Archiepiscopum, apud *Matthæum Paris*, ad annum 1243.

§. VII.

De Waldensium Damnatione, & Impugnatoribus.

Concilium Lumberiense.

Lumberia, vulgo Lombez, urbs Episc. in Vvasconia, sub Metropoli Tolosana.

Damnati sunt Waldenses primum ab *Alexandro III.* Pontifice Maximo in Concilio Turonensi, anno 1163. Secundo in Concilio Lumberiensi a *Giraldo* Albigensi Episcopo, *Gaucelino* Lodovensi, Castrensi Abbate, & Abbatibus *De Ardurello*, & *De Candillo*, Judicibus ab utraque parte electis; Archiepiscopo Narbonensi, Episcopis Tolosano, & Agathensi, Abbatibusque plurimis, *Constantia* quoque Regis Francorum sorore, *Raimundi* Tolosani Comitis uxore præsentibus & sententiam in eos latam approbantibus. Hanc Synodum ad annum 1176. refert *Rogerius Hovedenus*. Annum 1175. adscriptum habent Acta ex *Sirmondi* MS. Codice a *P. Cossartio* edita. Hæreticos illos Arianos vocat *Rogerius*: cum tamen nullius erroris circa Sanctissimam Trinitatem convicti atque damnati sint. Waldenses potius erant, non tamen puri. Sectæ dux his in partibus erat *Oliverius* quidam. *Bonos homines* appellari ambiebant. Hæreseos convicti sunt circa sex capita. Primo, quod Veteris Testamenti Scripturas non reciperent, nisi quoad sententias a Christo & Apostolis laudatas. Secundo, quod Fidem suam exponere & profiteri etiam interrogati renuerent, ad id se non teneri contendentes. Tertio, quod parvulos per Baptismum salvari negarent. Quarto, quod Eucharistiam ab omni homine fideli & probo tam Laico quam Clerico dicerent consecrari. Quinto, quod usum Matrimonii fornicationem esse, & ab æterna salute prohibere conjugatos prædicarent. Sexto, quod solos Sacerdotes solvendi & ligandi non accepisse Potestatem, & Confessionem solam, sive Clericis, sive Laicis faciendam, sub præcepto cadere, non satisfactionem. Ut hæreseos notam ac pœnas evaderent, fidem Catholicam & dogmata singulis erroribus opposita, ore tenus, professi sunt. At suam illam professionem juramento confirmare compulsi, contumaciam & hæresim rursus prodidere, quam fucato animo ejurabant. Nam jurare se nolle responderunt, quod Evangelio & Apostolicis Epistolis juramentum prohibitum sit. Novi Testamenti authoritate convictus error, Hæretici damnati & ab Ecclesia ejecti. Conferatur *Rogerius Hovedenus*, posteriori Parte Annalium pag. 555. usque ad 560. cum Actis Concilii ex MS. editis Tom. X. Conciliorum Editionis Labbeanæ, pag. 1470.

Anno 1178. Quæstio rursus de ejusdem Sectæ erroribus Tolosæ habita est a *Petro* S. R. E. Titulo *S. Chrysogoni* Presbytero Cardinali, Sedis Apostoli-

cæ

In Synodo Tolosana damnati Vualdenses.

ex Legato, præsentibus Archiepiscopis Bituricensi & Narbonensi, *Reginaldo* Bathoniensi, & *Joanne* Pictavensi Episcopis, necnon *Henrico* Abbate Claravallensi, aliisque Viris Ecclesiasticis, missis a *Ludovico VII.* Franciæ, & *Henrico II.* Angliæ, Regibus. Idem fuit hujus ac præcedentis Synodi exitus. In iisdem capitibus Hæretici manifeste deprehensi juramenti recusatione, contumaces damnati, & Anathemate palam confixi sunt. Ita refert *Rogerius Hovedenus*, posteriori Parte Annalium ad hunc annum. *Petrus Moranus* vir locuples, quem *Joannem Evangelistam* nominabant, errorem ejuravit. Indicta illi in Pœnitentiam Hierosolymitana Peregrinatio, utque ibi solido triennio pauperibus ministraret: interimque ante discessum, qui ad quadragesimum diem dilatus est, Ecclesias omnes Tolosanæ civitatis nudis pedibus circuiret, ac flagellis corpus palam cæderet, illata Ecclesiis, pauperibusque damna, usuris, ac rapinis, restitueret: Castrum quoddam suum, Hæreticorum Conventiculis profanum & infame a fundamentis everteret. Quod incredibili cum Orthodoxorum lætitia præstitit. *Rogerius de Beders* Albigensis civitatis & agri Dominus, Hæreticorum fautor manifestus, qui Albigensem Episcopum sub eorum custodia detinebat, publico Anathemate damnatus est. Comes *Sancti Ægidii* juravit se nec prece, nec pretio, favorem hæreticis præstiturum. Ita constant ex Epistolis *Petri* Cardinalis & Sedis Apostolicæ Legati, & *Henrici* Claravallensis Abbatis, quas *Rogerius Hovedenus* Annalibus suis inseruit. Eosdem ipsis errores tribuit Legatus, quos *Oliverio* & aliis Hæreticis, Synodi Lumberiensis Acta. Hæc Albigensium exordia, qui iidem ac Waldenses, non puri quidem, sed Cathari, præcipue Contorezenses, Manichæorum hæresi afflati.

In Concilio Lateranensi III.

Quarto in Concilio Œcumenico Lateranensi 3. Canone 27. damnati sunt, anno 1179. Eosdem Hæreticos a *Lucio III.* Pontifice Maximo damnatos testatur *Bernardus* Abbas *Fontis Calidi*, in sui contra ipsorum hæresim Tractatus Præfatione. Iniit autem Pontificatum *Lucius III.* an. Christi 1181. Paulo post a *Bernardo* Narbonensi Archiep. ad Judicium vocati sunt atque damnati qui in Wasconia grassabantur. *Quamvis a præfato Summo Pontifice condemnati*, (inquit Bernardus Abbas) *virus sua perfidia longe lateque per orbem temerario ausu evomuerunt. Ea propter contra eos pro Ecclesia Dei Dominus Bernardus Narbonensis Archiepiscopus, Religione & Dei honestate insignis, zelans legem Dei, se fortem murum opposuit. Accitis itaque pluribus tam Clericis quam Laicis, Religiosis ac Sæcularibus, ad Judicium vocavit. Quid plura? Causa diligentissime investigata, condemnati sunt.* Narbonenses Infulas consecutus est *Bernardus* anno 1181. Spreta Ecclesiæ Sententia, *Nihilominus postea, & clam, & publice, semen suæ nequitiæ spargere ausi sunt. Unde rursum, quamvis ex abundanti, ad disceptationem vocati sunt per quosdam, tam Clericos, quam Laicos. Et ne lis diutius protraheretur, electus est ab utraque parte Judex quidam Sacerdos, Raimundus scilicet de Daventria, vir siquidem religiosus ac timens Deum nobilis genere, sed conversatione nobilior. Assignata igitur die causa adveniente, congregatis invicem Partibus, aliisque quamplurimis Clericis & Laicis, de quibusdam Capitulis in quibus male sentiebant, a Viris Catholicis accusati sunt: eisque per singula respondentibus, hinc inde diu disputatum est, & ab utraque parte multa producta authoritates. Auditis igitur Partium allegationibus, præfatus Judex, per Scriptum, definitivam dedit Sententiam, & Hæreticos esse in Capitulis, de quibus accusati fuerant, pronuntiavit.* Ita refert *Bernardus* Abbas *Fontis Calidi*, qui huic Collationi & Judicio aderat, & utriusque Partis argumenta & responsiones Tractatui suo inseruit. *Quibus autem authoritatibus vel rationibus suam assertionem defenderent* (inquit) *Quidve eis a nobis Catholicis responsum sit: aut quibus Scripturarum testimoniis Fidem tueremur Catholicam, præsenti inteximus Opusculo.*

Item a Lucio III.

A Bernardo Narbonensi Archiepisc.

Collatio coram Judice ab ipsis electo & Catholicis etiam probato, in qua Hæretici pronuntiantur.

Damnantur rursus in Concilio Senonensi.

Sexto damnati sunt in Concilio Senonensi anno MCXCVIII. in quo Nivernensis Decanus, & Abbas *S. Martini*, hæreseos infamia laborantes, & familiaritatis cum Hæreticis convicti, pœnis canonicis damnati sunt. Abbas exauthoratus, Decanus ab Officio suspensus est: ambo ad Summum Pontificem *Innocentium III.* remissi: Qui Decano *Purgationem quarta decimæ manus sui Ordinis* indixit, id est, quatuordecim Sacerdotum testimoniis faciendam: & ab Officio manere suspensum decrevit, donec scandalum sopiretur: utque in urbe Nivernensi & villis adjacentibus Fidem Catholicam profiteretur & prædicaret. Si vero in probatione deficeret, ab Officio & Beneficio depositus, ad agendam Pœnitentiam in arctum Monasterium detruderetur. Abbatem vero *Rainaldum* ab Officio Sacerdotali deponi jussit, Inquisitione habita a *Petro* S. R. E. Cardinali Titulo *S. Mariæ in Via Lata*, Sedis Apostolicæ Legato, & *Odone* Episcopo Parisiensi, nisi aliquid occurreret quod a ferenda in ipsum sententia merito retardaret. Duorum enim errorum manifestis fuerat convictus Testimoniis, quod nempe asseruisset *Corpus Domini mitti in secessum: &, juxta verbum Origenis, omnes tandem fore salvandos*. Præfuit Concilio Senonensi *Michael* Archiepiscopus: adfuere Trecensis, Autisiodorensis, & Nivernensis Episcopi. Ista constant ex *Roberto* Monacho *S. Mariani* in Chronico Autisiodorensi, & ex *Innocentio III.* Epistola 59. & 90. lib. 2. Chronicon Autisiodorense hæresim illam *Populisanam* vocat, omnium hæreseon *feculentissimam*, quæ *virulentas radices suas, late quidem, sed latenter hoc tempore propagarat*. Eamdem autem esse hæresim, quæ ab *Alexandro III.* in Concilio Lateranensi Œcumenico, Can. 27. damnata fuerat, constat: *In Gasconia*, inquit, *Albigesio, & Partibus Tolosanis, & aliis locis Hæreticorum, quos alii Catharos, alii Patarenos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas.*

In Concilio Lateranensi IV. & a Gregorio IX.

Damnati sunt præterea in Concilio Œcumenico Lateranensi IV. sub *Innocentio III.* anno 1215. Item a Gregorio IX. in Constitutione edita anno 1236. quæ inserta est Lib. V. Decretalium Tit. VII. *De Hæreticis*, Cap. *Excommunicamus* (XV.) cujus hæc sunt verba: *Excommunicamus & anathematizamus universos Hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josepinos, Arnaldistas, Speronistas, &c. Damnati vero per Ecclesiam, sæculari Judicio relinquantur animadversione debita puniendi: Clericis prius a suis Ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam Pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.*

Pœna temporales a Principibus in Vualdenses constituta.

Eosdem temporalibus pœnis damnavit *Fridericus II.* Imperator solemni Constitutione, cujus hæc sunt verba: *Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos, Passaginos, Josepinos... Waldenses... Pauperes de Lugduno, & omnes Hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur: ita quod filii eorum ad successiones pervenire non possint, cum longe sit gravius æternam quam temporalem offendere Majestatem.* Hanc *Friderici II.* Constitutionem lego apud *Goldastum*, Tom. I. Constitutionum Imperialium, pag. 295.

Ante *Fridericum II. Ildephonsus* seu *Alphonsus* Rex Aragonum anno MCXCIV. in Vualdenses Edictum tulit, quo eos e suis ditionibus exulare jussit, & eorum fautores bonorum proscriptione mulctavit & velut reos Majestatis puniendos declaravit. Hanc piissimi Regis Constitutionem edidit *Franciscus Pegna*, in Commentariis Directorii Inquisitorum *Eymerici*, pag. 281. Eosdem Hæreticos publicis Legibus insectatus est, & convictos igne damnavit *Philippus Augustus*, Rex Christianissimus, teste *Willelmo Britone* lib. 1. *Philippidos*.

Dehinc perscrutari cives facit hæresiarchas,
Simplicium falso qui fallunt dogmate corda,
Incautas animas occulta fraude necantes:
Qui bona conjugii reprobant, qui carnibus uti
Esse nefas dicunt, aliasque superstitiones
Inducunt, breviter quas tangit Epistola Pauli,
Omnes qui Fidei saperent contraria nostræ.
Quos Popelicanos vulgari nomine dicunt.
De tenebris latebrisque suis prodire coacti

Producebantur, servatoque ordine Juris
Convincebantur, & mittebantur in ignem.

Waldenses etiam coercuit *Ludovicus* VIII. Rex Christianissimus, teste *Dubravio* Olomuzensi Episcopo, lib. 15. Historiæ Bohemorum. *Post edicta*, inquit, *& minas, ad arma postremo venire, insaniamque fanaticorum ferro & sanguinis missione coercere coactus est.*

Scriptores Ecclesiastici, qui Vualdensium Hæresim confutarunt.

In Waldenses scripsere, *Ecbertus* Abbas, *S. Elizabethæ* Schonaugiensis Abbatissæ frater, duodecimo inclinante sæculo. Ejus tredecim Sermones contra Catharos in bibliotheca Patrum extant. Cathari autem erant portio Waldensium. *Ebraedus de Bethunia* Flandrensis, eosdem confutavit libro cui titulus est ANTIHÆRESIS. *Bernardus* Abbas *Fontis Calidi* contra eosdem Tractatum scripsit sub finem 12. sæculi. *Ermengardus* eosdem impugnavit libro, cui titulus est: *Contra hæreticos qui dicunt & credunt mundum istum, & omnia visibilia non esse a Deo facta, sed a Diabolo*. Scripsit contra eosdem *Reinerus* seu *Reinerius Sachonus*, ex hæretico Waldensi & Episcopo Sectæ Catharorum, Catholicus, Ordinis FF. Prædicatorum post conversionem suam Professor, Philosophus, Theologus, Jure consultus insignis, Inquisitor Fidei in Longobardia, circa annum 1254. teste *Antonio Senensi*, Ord. Prædicator. Ejus liber inscribitur, *Opusculum de hæreticis*. In eodem versatus est argumento *Petrus de Piliehdorf* Sacræ Theologiæ Professor, anno Christi circiter MCCCXLIV. Hos Authores *Jacobus Gretserus* S. J. Theologus magno rei Christianæ commodo edidit. Eorum Opera extant in Bibliotheca Patrum. Waldenses etiam quinque libris impugnavit *F. Moneta* Cremonensis, Ordinis Prædicatorum ab *Antonio Senensi* commendatus, cujus Opus MS. penes se habebat & publico destinabat laudatus *P. Gretserus*. Denique *Claudius Seysellus* Archiepiscopus Taurinensis, annis ab hinc centum & sexaginta, librum scripsit *adversus Errores & Sectam Waldensium*, *Claudius Coussordius* Theologus Parisiensis in eadem palæstra cum laude se exercuit.

§. VIII.

De Waldensium Bohemorum postrema Confessione; Et Lutheri, Calvini, aliorumque hæreticorum de illa Judicio.

Cum Waldenses in Germania Ecclesiastica & sæcularis Potestas coerceret, eorum reliquiæ in Bohemiam confluxere, quo sentina omnium Sectatorum confluere solet (inquit *Dubravius* Olomuzensis Episcopus lib. 14. Historiæ Bohemicæ.) Ad *Calvini* usque tempora infelices illæ Reliquiæ permanserunt. *Ferdinando* Romanorum & Bohemiæ Regi Fidei suæ Confessionem anno 1235. obtulere, cui præfatus est honorifice *Lutherus*. Ipsos veterum Waldensium errores emolliville, condidisse, ac ipsorum doctrinam texuisse, fuco linivisse, ornasse, ut novis Pseudo-Apostolis *Luthero & Calvino* placeret, maxime in Articulo de Eucharistia, compertum est. Articolis constat viginti Bohemica Confessio. Extat in Syntagmate Confessionum Fidei in diversis Regnis editarum.

Articulo XIII. *De Cœna Domini*, docent. *Corde credendum, ac ore confitendum, Panem Cœnæ Dominicæ verum Corpus Christi esse, quod pro nobis traditum est, Calicemque verum Sanguinem ejus, qui pro nobis in remissionem peccatorum fusus est, ut Christus Dominus aperte dicit:* Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus, *&c. His Christi verbis, quibus ipse panem corpus suum, & vinum speciatim sanguinem suum esse pronuntiat, neminem de suo quidquam affingere, admiscere, aut detrahere debere, sed simpliciter his Christi verbis, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinando, credere. Phanaticos Spiritus vocant, qui Panem & Calicem Cœnæ verum Christi Corpus & Sanguinem esse pernegant. Juxta Domini præceptum, Corpus & Sanguinem ejus promiscue ab omnibus, sub utraque specie, sumi oportere.* Ministros Dominicæ Cœnæ verba referentes, plebem adhortari *Ut Corporis Christi præsentiam adesse credat. Et procumbentibus interim in genua distribuere.* De Eucharistia eodem sensu loquuntur in professione Fidei ad *Uladislaum* Regem in Hungariam missa: *Quando presbyter rite ordinatus verba testimonii Christi expresserit, continuo Panis est Corpus Christi, verum, naturale, ex castissima Virgine sumptum, quod erat traditurus, quemadmodum vivens Panis testatur, &c.* Substantialiter tamen Christi corpus esse non censebant, sed efficacia tantum & virtute. Hic Christum non esse *cum suo corpore naturali, mansione, existenter, & Corporaliter*, sed *in cœlo tantum: esse vero spiritualiter, potenter, benedicte in veritate*. (In responsione Excusatoria contra literas Doctoris *Augustini*, quæ extat cum dicta ipsorum confessione, in *fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum*.) *Lutherus* hanc Waldensium Bohemorum Confessionem approbavit honorifica præfatione. Eamdem laudarunt *Melancton & Bucerus*. Non idem *Calvini* de illa fuit judicium. Concoquere enim non potuit, quod panem & vinum in Eucharistia verum Christi Corpus & Sanguinem præcise & absque explicatione assererent. Qua de re ita scribit ad Polonos ministros: *Legimus*, inquit, *locum illum ubi suam de sacra Christi Cœna sententiam exponunt. Breviter & fere concise asserunt, Panem & Vinum esse verum Christi Corpus & Sanguinem. Statim ad confessionem transeunt, quæ nostro judicio doctrinam obscurat vel involvit, magis quam illustret. Queruntur injustis se calumniis gravari, immo traduci ludibriis & subsannationibus, sed primos sibi adversarios statuere videntur, quicumque certius definiri postulant, quomodo panis sit Corpus. Tantum dico, cum non satis diserte & enucleate de hoc Mysterio locuti sint Waldenses, fastidium a Christiana modestia procul remotum fore, si ab ipsis omnis interpretatio respuitur. Formulam vero Confessionis amplecti, quæ sine discrimine in unum fasciculum damnationis omnes involvit, qui præcise non fatentur Panem esse præsentissime Christi Corpus, an sua sit Christiano homini, videritis: nos certe non putamus.* Cum ad eumdem *Calvinum* anno MDLX. Waldenses Bohemi duos ex Symmistis suis misissent cum literis, fraternitatem inituros, respondit ille, manere se in eadem sententia, quod eorum confessio recipi simpliciter non posset absque periculo. *Nos quidem*, inquit, *manemus in sententia, non posse simpliciter recipi confessionis vestræ formulam absque periculo: ac subscriptionem, nisi adhibita dextra interpretatione, Polonis multarum contentionum originem & materiam fore.*

Melancton in *Epist. inscripta* Benedicto, cæterisque Fratribus Waldensibus in Bohemia. Bucerus, *in lib. cui titulus*, Scripta duo adversaria Latoni, &c.

CAPUT V.

De Scriptoribus undecimi Sæculi.

ARTICULUS I.

De Meginfredo, Burchardo, Olberto, S. Fulberto, Bernone, & Glabro Radulpho, &c.

I. MEginfredus Magdeburgensis Præpositus ex Fuldensi Monacho vixit anno circiter decimo supra millesimum, ut observat *Aubertus Miræus*. Scripsit *Vitam S. Emmeranni Ratisponensis Archiepiscopi*. Is forsan ipse est quem *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi ut celebrem Chronographum laudavit.

II. S. Burchardus, ex Monacho Lobiensi Ordinis Benedictini Wormatiensis Episcopus, collaborante *Olberto* Magistro suo, magnum Canonum Volumen edidit, ex Conciliis, Decretis Romanorum Pontificum, & Catholicorum Patrum testimoniis desloratum, ut *Sigebertus* in Chronico ad annum MVIII. & in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. CXLI. commemorat. Ejus Collectio libros 20. complectitur. Magnam partem suæ Collectionis ipsum ex *Reginone* accepisse probat Clarissimus *Baluzius* in Præfatione ad *Reginonem*. Sane ipsum *Antonius Augustinus* reprehendit, *Quod non ex fontibus ipsis hausit singula, sed ex rivulis & stagnis aliorum*. Obiit *Burchardus anno 1026. die 14.* Octobris.

III. Olbertus ex Monacho Lobiensi Ordinis Benedictini, quartus Gemblacensis, ac primus *Sancti Jacobi*

cobi apud Leodienses Abbas, scripsit Historiam Veteris Testamenti. Vitas aliquot Sanctorum, & Cantus in eorum honorem composuit, *Vir humanæ & Ecclesiasticæ scientiæ studio, & Religionis fervore insignis*, (inquit Sigebertus cap. 142.) Qui & eum inde maxime commendat, quod *Burchardus Wormatiensis ejus magisterio ad hoc est provectus, ut ita Ecclesiasticæ utilitati intenderet, & ejus studio, ore, & manu illud magnum Canonum Volumen ad communem omnium utilitatem ederet*.

S. Fulberti Vita. IV. Fulbertus, vitæ sanctimonia & eruditione, sua ætate celeberrimus, *Guillelmi* Aquitaniæ Ducis favore Pictavensis Ecclesiæ *S. Hilarii* Thesaurarius factus, ut Fragmentum Historiæ Aquitanicæ refert, *Roberti* Regis Christianissimi, cui gratissimus erat, authoritate Carnotensis Episcopus post *Rodulphum* creatus est. *S. Odiloni* Abbati Cluniacensi amicissimus fuit. Pietate erga Deiparam Virginem eximia promeritus est ut ab ea, dum gravi morbo premeretur, sibi per visum apparente, sacris uberibus lactaretur, ut referunt *Albericus* in Chronico, & *Willelmus Malmesburiensis*, lib. 3. *De gestis Regum Anglorum*. Cum urbs Carnotensis, & Basilica *Sanctæ Mariæ* anno 1020. conflagrassent, insignem illam Ecclesiam a fundamentis excitavit, sumptus in primis suppeditante *Cnutone* Rege Anglorum, ut laudatus *Willelmus* lib. 2. *De Gestis Regum Anglorum* commemorat. Obiit anno Christi 1028. quarto Idus Aprilis, cum annos viginti &

S. Fulberti Opera. unum sexque insuper menses Ecclesiam Carnotensem rexisset. Plures scripsit Epistolas, quæ ipsum Ecclesiasticæ disciplinæ ac libertatis ardentissimum æmulatorem fuisse probant. Sermones etiam, & Hymnos aliquot; Canonem *De Pœnitentia Mulierum*, & Tractatum adversus Judæos, negantes hanc Jacob morientis Prophetiam, *Non auferetur Sceptrum de Juda*, &c. in Christo Domino fuisse impletam. Epistolam Fulberti *De rebus Ecclesiæ religiose & caute distribuendis*, an-

S. Fulberti elogium. tea ineditam, publici juris fecit Domnus *Lucas Dacherius* in Appendice ad Tom. II. Spicilegii. A *Glabro Rodulpho* lib. 4. cap. 4. *Præsul sapientissimus & incomparabilis* appellatur. *Episcopum in Sanctitate & Philosophia nominatissimum* Willelmus Malmesburiensis lib. secundo *De Gestis Regum Anglorum* prædicat; *Doctrinæ fluvium duplicis egregium* & *Pontificum Sydus*, Epitaphium: *Doctorem clarissimum* Baldericus Noviomensis Episcopus in Chronico Cameracensi, lib. 1. cap. 77. *Roberti* Francorum Regis Cancellarium fuisse, Veteres Annales MSS. Collegii Navarrici testantur, idque etiam *Aubertus Miræus* asserit in Notis ad librum *Henrici Gandavensis* De Scriptoribus Ecclesiasticis. *Henricus* ipse, qui Catalogum suum ab eo incipit Authore, *Fulbertum liberalium artium suo tempore peritissimum Virum Religiosum, & erga Beatam Virginem devotissimum* celebrat.

V. Berno, ex Monacho *S. Galli*, Ordinis Benedictini, Abbas Augiæ Divitis prope Constantiam ad Rhenum, Coronationi *S. Henrici* Imperatoris factæ a Benedicto VIII. Romano Pontifice interfuit. Unde ipsum *Hincmari* Archiepiscopi Remensis discipulum fuisse, perperam asseruit *Gerardus*, *Joannes Vossius* libri secundi *De Historicis Latinis*, cap. 44. Humana & divina Scientia ipsum claruisse testatur *Sigebertus* lib. De *Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 156. Libellum scripsit *De quibusdam rebus ad Missæ Officium pertinentibus* qui in Bibliotheca Patrum editus est, & *Vitam S. Udalrici*, *Augustani Episcopi*, quam apud *Surium* legere est ad diem 4. Julii. Obiit anno MXLV. die septima Januarii.

VI. Glaber Rodulphus, Ordinis Benedictini in Cœnobio *S. Germani Autissiodorensis* Monachus, vixit sub Regibus Francorum *Roberto* & *Henrico I.* Scripsit *Historiam* quinque libris comprehensam, ab anno circiter nongentesimo nonagesimo ad annum millesimum quadragesimum sextum: quam in lucem edidit *Franciscus Duchesnius* inter Antiquos Scriptores Historiæ Francorum, Tom. IV. Hanc *S. Odiloni* Abbati Cluniacensi nuncupavit *Glaber*. Scripsit etiam Vitam *S. Guillelmi* Abbatis *S. Benigni* Divionensis, qui Fiscani in Neustria mortuus est, ut ipsemet testatur lib. 4. Historiæ suæ, cap. 4. Edita est a *Bollando* inter Acta Sanctorum, Tom. I. Kalendis Januarii.

ARTICULUS II.

De Helgaldo, Brunone Herbipolensi, Everhelmo, Wiberto, Anselmo Remensi, Humberto Cardinali, &c.

I. HElgaldus, Floriacensis, Ordinis Benedictini Monachus, scripsit *Epitomen Vitæ Roberti Regis Francorum*, quam inter antiquos Rerum Francicarum Scriptores edidit *Franciscus Duchesnius*, Tom. IV. Obiit autem *Robertus* Rex anno 1031.

II. S. Bruno, Conradi Romanorum Imperatoris patruelis, obiit anno Christi 1045. die 17. Maii, cum Herbipolensem Ecclesiam plures annos Episcopus rexisset. *Commentaria* scripsit *in Psalterium & in Cantica tam Veteris quam Novi Testamenti, in Orationem Dominicam, in Symbolum Apostolicum & S. Athanasii*: Quæ a *Joanne Cochlæo* viro doctissimo recensita, in Bibliothecis Patrum Coloniensi & & Lugdunensi edita sunt. Hunc *Trithemius* Abbas lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* celebrat.

III. Everhelmus, primum Altimontensis in Hannonia, deinde Blandiniensis Abbas juxta Gandavum, Ordinis Benedictini, scripsit *Vitam S. Popponis Stabulensis Abbatis*, qui ad Superos migravit anno 1048. die 25. Januarii. Huic Vitæ *Onulphi Monachi* præfixa est Præfatio ad ipsum *Everhelmum*, qua se Vitam *Sancti Popponis* eo rogante, scribendam suscepisse profitetur. At fortassis eam non perfecit: aut si perfecit, minus probata est *Everhelmo*, qui aliam propterea edidit, aut illam ita recudit, ut ejus non *Onulphi* Opus merito censeretur. Ita conjicit *Bollandus* in Annotationibus præviis ad hanc Vitam, quam edidit inter Acta Sanctorum mensis Januarii, Tom. II. Sane *Everhelmum* Authorem hæc verba probant: *Ego igitur Everhelmus Altimontensis Abbas, hunc Libellum positae in Cœnobio Blandiniensi scribendo summatim perstrinxi, non ut omnia, quæ de Beato Viro dicenda erant, videlicet comprehenderem*.

IV. Wibertus S. Leonis Noni Romani Pontificis, cum Tullensis Episcopus esset, Archidiaconus, Vitam ejus libris duobus scripsit, quam primum a doctissimo *Sirmondo* S. J. editam *Henschenius & Papebrochius*, ejusdem Societatis eruditi & pii Professores, cum duobus MSS. collatam, ex iisque auctam & emendatam, inter Acta Sanctorum mensis Aprilis, ad diem 19. Tom. II retulere.

V. Anselmus, Remensis Monachus, Ordinis Benedictini, scripsit *Itinerarium S. Leonis Noni* Romani Pontificis Roma in Gallias, ob hoc maxime, (inquit *Sigebertus* lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 152.) ut notificaret quanta authoritate Remis vel in aliis urbibus Synodum celebrarit; quanta subtilitate & justitia examinarit causas Ecclesiasticas, qua discretione peccantes correxerit, quomodo ei virtus Dei cooperata sit. Quod satis patuit in una causa Remensis Synodi, ubi dum Episcopus Frisingensis contumaciter ageret contra Apostolicam Authoritatem, repente in oculis omnium obmutuit.

VI. Humbertus, e Tullensis Cœnobii Ordinis Benedictini Monacho, propter singularem eruditionem Silvæ Candidæ Episcopus creatus, & inter S. R. E. Cardinales conscriptus est. A *S. Leone IX.* Constantinopolim Legatus anno MLIII. Ecclesiæ causam strenue propugnavit adversus *Michaelem Cerularium*, *Leonem Acridanum*, & *Nicetam Pectoratum*, quorum calumnias in Latinos, editis libris egregie confutavit. Extant in Appendice Tom. XI. Annalium Ecclesiasticorum Cardinalis *Baronii*, apud *Henricum Canisium* Tom. VI. *Lectionis Antiquæ* & in Bibliotheca Patrum. Jubente *Nicolao II.* Pontifice Maximo, Formulam abjurationis *Berengario* Sacramentariorum Hæreticorum parenti præscripsit. Quam ob rem *Humbertum* lacessivit Berengarius, *Burgundum* per contemptum appellans. Quem ab ejus insultu præclaro hoc elogio vindicat *Lanfrancus* lib. *De Corpore &* *Humberti elogium.*
Sanguine Domini, cap. 11. *Humbertum*, inquit, *virum fuisse Religiosum, fide Christiana & sanctissimis operibus perseverantissime decoratum, scientia divina-*

tum

rum ac sæcularium literarum apprime eruditum, testantur omnes qui vel propria experientia eum noverunt, vel ab aliis, qui ipsum experti sunt, ejus cognitionem acceperunt. Hunc non de Burgundia, sed de Lotharingia S. Leo Romam traduxit, ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiscopum ordinavit: Postea vero Sancta Romana Ecclesia Præsulem sibi Cardinalem constituit. Quo in loco positus, taliter vixit, taliter docuit, ut de fide vel doctrina ipsius nec saltem sinistra suspicionis fama aliquando exorta sit. Hujus rei testis est tota fere Latinitas, quæ pro excellentia Apostolicæ Sedis, cujus Conciliis & Consiliis semper aderat, ac præerat, eum ignorare non potuit. Qui si etiam Burgundus esset, insipienter tamen arrogantia [illegible] *nomen suæ gentis pro infamia sibi adscriberet, cum Spiritus Domini, ubi vult, spiret, & quem vult adspiret, & Domini sit terra & universi qui habitant in ea, &c.* Ejus cum laude meminit *Sigebertus* lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 150.

ARTICULUS III.

De Hermanno Contracto, Hugone Lingonensi, Adelmanno, Durando Troarnensi, & Deoduino Leodiensi.

HErmannus, ab infantia membris omnibus *Contractus*, unde ipsi cognomen, *Wolfer adi* Weringensis in Suevia Comitis filius, Augiæ Divitis Ordinis Benedictini Monachus, *Vir* (ut ait Trithemius Abbas) *in Divinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis universaliter doctissimus, Philosophus, Poeta, Astronomus, Rhetor, & Musicus, nulli suo tempore secundus, trium linguarum, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ peritissimus:* Multa stricta & soluta oratione composuit, & Græcorum Philosophorum, Arabumque Astronomorum Tractatus aliquot Latio donavit. Scripsit *Chronicon* ab ortu Christi usque ad annum millesimum quinquagesimum-quartum, quo & obiit. A *Christiano Urstisio* Tomo unico Rerum Germanicarum editum est, gemino contextu. Tertiam Editionem aliis auctiorem & locupletiorem unaque emendatiorem, ex MS. Codice Augustani Cœnobii *SS. Afræ & Udalrici* in lucem *Canisius* edidit Tom. I. Antiquæ Lectionis. Secundum quam editionem Bibliothecis Patrum Coloniensi & Lugdunensi insertum est. Hanc varietatem quidam ipsi Authori tribuunt, cui evenerit, quod olim & hodie multis Scriptoribus, qui fœtum lambendo formare, variare & subinde augere solent. Alii descriptoribus quorum alius nonnulla adjecerit, alius resecuerit, pro suo quisque captu, inquit *Aubertus Miræus* in Notis ad Caput duodecimum lib. *Honorii Augustodunensis*, De Scriptoribus Ecclesiasticis ubi *Hermanni Contracti* meminit. Author quoque creditur *Hermannus* Antiphonarum *Salve Regina*, &, *Alma Redemptoris Mater*.

II. Hugo de Breteuil, filius *Gilduini* Britolii Comitis in agro Bellovacensi, ex Carnotensi Clerico ad Lingonensem Episcopatum, *Henrici I.* Regis Christianissimi favore assumptus est. In Concilio Remensi anno MXLIX. ob simoniam depositus, ut Chronicon Autisiodorense & Benignianum testantur, *Leonem IX.* Summum Pontificem, qui sententiam in ipsum dixerat, Romam adiit nudis pedibus, & ab eo ac Synodo cui tum præerat, veniam postulans, absolutionem impetravit. Roma redux, in Cœnobio Virdunensi *S. Vitonis*, Ordinis Benedictini, cui frater ejus *Valerianus* Abbas præerat, Monachum professus est, & quod vitæ fuit reliquum, in Pœnitentia continua & pietatis operibus transegit, ut testantur *Wibertus* in Vita *S. Leonis Noni*, lib. 2. cap. 3. Chronicon MS. *S. Vitonis*, *Richardus Vassebnrgius* lib. 4. Antiquitatum Belgicarum, & *Jacobus Vigne-rius* in Chronico Lingonensi. Dum in Lingonensi Cathedra sederet, Catholicum de Eucharistia dogma propugnavit edito contra Berengarium erudito Tractatu *De Corpore & Sanguine Christi*. Acta quoque *S. Victoris* Carmine expressit. Ejus Tractatus contra *Berengarium* extat in Bibliotheca Patrum.

III. Adelmannus, quem *Almannum*, Sigebertus vocat, ex Clerico & Scholastico Leodiensi, Brixiensis in Italia Episcopus, ab anno MXLVIII. ad annum circiter MLXI. ut docet *Ferdinandus Ughellus* tom. V. *Italiæ Sacræ*, scripsit Epistolam ad *Berengarium* suum olim sub *S. Fulberto* Carnotensi Præsule Condiscipulum, ut ipsum ab errore revocaret; qua realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, panisque & vini substantialem in idem sacratissimum Corpus & Sanguinem Salvatoris conversionem fortiter propugnat. Opus illud commendat *Sigebertus* lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. CLIII. Extat in Bibliothecis Patrum.

IV. Durandus, ex Monacho Fiscanensi primus Abbas Troarnensis Cœnobii in Diœcesi Bajocensi ad Divam fluvium, Ordinis Benedictini, de cujus electione sibi gratulabatur *Guillelmus Conquestor* Dux Normannorum & Rex Anglorum, Prælatos enumerans, quibus, *ob vitæ meritum & sapientiæ doctrinam dignissimis*, regimen Ecclesiarum commendaverat, ut refert *Ordericus Vitalis* lib. 7. *Historiæ Ecclesiasticæ*, ad annum MLXXXVII. Ipsum hoc elogio exornat idem Historicus lib. 8. *Durandus Troarnensis Abbas grandævus, ab infantia Monachus, religione & sapientia præcipuus, Ecclesiastici cantus, & divini dogmatis Doctor peritissimus, sibi durus carnifex, aliisque mitis opifex, post multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit, & bene ut prudens & fidelis servus ire ad Curiam Domini sui paratus, III. Idus Februarii, de sæculo migravit*, anno millesimo octogesimo octavo. Librum eruditum contra Berengarianam hæresim scripsit, *De Corpore & Sanguine Domini*. Extat in Bibliotheca Patrum. Paulo post annum millesimum quinquagesimum, quo Parisiensis contra *Berengarium* Synodus celebrata est, hunc librum emisit in lucem: Alias enim Synodos postea in eadem causa celebratas non commemorat.

De Troarna.

V. Deoduinus, seu *Theoduinus*, *Henrici III.* Imperatoris consanguineus, Leodiensis Episcopus obiit nono Kalendas Junii, anno 1075. ut *Albericus* in Chronico testatur. Scripsit *Epistolam De Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium, ad Henricum I.* Regem Francorum, cjusque Majestatem rogavit, ne homini hæretico audientiam *Concilii* concederet.

Cardinalis Baronius, & alii Scriptores lapsi sunt qui hanc Epistolam *Durando* Leodiensi ante hæc tempora defuncto tribuerunt. Erroris occasionem dedit litera D. nomen proprium utriusque designans. Hanc Epistolam ex Codice MS. clarissimi Viri *Emerici Bigotii* collato cum Codice Abbatiæ Rothomagensis *S. Audoeni*, edidit Dom. *Mabillonius* Tom. IV. *Veterum Analectorum*.

Baronius emendatur.

ARTICULUS IV.

De Samuele Marrochiano, Michaele Psello, Georgio Cedreno, Joanne Curopulate, Theophylacto, Samona Gazensi, & Oecumenio.

SAmuel ab urbe natali MARROCHIANUS appellatus; ex Judæo Christianus, librum scripsit *De Adventu Messiæ, quem Judæi temere expectant*. Mille annos & ultra, ab ultima Hierosolymorum eversione, & Judæorum captivitate per *Titum* Imperatorem cum numeret, ipsum scripsisse post annum Christi millesimum septuagesimum colligere est. Siquidem a *Tito* eversa est Sancta Civitas anno Christi septuagesimo.

II. Michael Psellus, ab eo distingendus, quem *Philosophi Leonis* Imperatoris Præceptorem fuisse *Joannes Curopalates* testatur; *Constantinus* etiam appellatus, ut ex *Cedreno* colligitur, floruit sub Imperatoribus *Michaele Stratiotico*, cujus Legationem obiit ad *Isacum Comnenum*, sub ipso *Comneno*, *Constantino Duca*, *Romano Diogene*, & *Michaele Duca*, cujus Præceptor fuit. Ipsum commendat *Cedrenus*, Legationem supra dictam commemorans. *Comnenus*, inquit, *fractis dissipatisque hostium viribus, Nicomediam venit. Ibi ei occurrerunt Legati Imperatoris, Præses Constantinus Leichudes, Præses Theodorus Alopus, Constantinus*

Michaelis Pselli elogium.

tinus Pfellus Philofophorum Princeps. Etenim hi tres viri fapientia & facundia omnium qui tunc vivebant primi habiti, & quidem extra fortis comparationem Pfellus, ad eam Legationem fuerant delecti, quod Imperator eorum eloquentia & gratia fe maxima confecuturam fperabat.

Eumdem commendat *Anna Comnena* Lib. V. *Alexiados* loquens de *Italo* Philofopho. *Deinde etiam*, inquit, *Michaeli Pfello dedit operam illi late inclyto homini, non tam cura Magiftrorum fapientum, quorum limina non multum triverat, quam indolis præftantia, & velocitate mentis, divinitus adjuta* [*id videlicet impetrantibus ardentiffimis per crebras vigilias continuatis matris ejus precibus in templo Cyri, ad Sanctam Imaginem Dei Matris, haud fine ferventibus lacrymis fundi folitis*] *in eminentiffimum fapientia atque eruditionis omnis apicem evecto: quippe qui ad Græcorum literas atque artes omnes quas perfecte noverat, etiam Chaldæorum difciplinas adjunxerat, famamque meruerat doctiffimi omnium qui tunc effent.* Scripfit ad *Michaelem Ducam* Imperatorem *Synopfim Legum, item Refponfiones ad diverfas Quæftiones Theologicas*, & *Doctrinam omnifariam*, quæ centum nonaginta & octo capita complectitur. Triplex illud Opus in Bibliotheca olim Palatina extitiffe teftis eft *Marquardus Freherus* in Chronologia Juri Græco-Latino præfixa. Librum *De Fide* eidem Imperatori a *Pfello* confecratum, Viennæ in Bibliotheca Cæfarea extare, *Poffevinus* ait in Apparatu Sacro. Libellum etiam *de feptem Synodis*; * *Diopteram* five *Differtationem animi & corporis*, & alia plurima ab ipfo edita idem Author enumerat. Hiftoriam ipfum fcripfiffe conftat ex *Cedreno*, qui ipfam laudat initio Compendii fui. *Paraphrafim in Canticum Canticorum* ex *S. Gregorii Nyffeni* Homiliis defloratam *Nicephoro Botoniata* Imperatori dicavit. Extat cum ejufdem *Dialogo de operatione Dæmonum*, in Bibliotheca Patrum. Lege *Leonem Allatium* Libro *De Pfellis & eorum fcriptis*.

Michaelis Pfelli Opera.

Ejufdem argumenti liber a Philippo Solitario *editus eft.*

III. Georgius Cedrenus, Monachus Compendium Hiftoriarum fcripfit ab orbe condito ad *Ifaaci Comneni* Imperium & annum Chrifti 1057. Typis Regiis prodiit in lucem inter Hiftoriæ Byzantinæ Scriptores ex Verfione *Xilandri*, cum ejufdem, & Patris *Goar* Ordinis Prædicatorum Notis, & *Annibalis Fabroti* Gloffario. De hoc Hiftorico lege *Gerardum Joannem Voffium* libro de Hiftoricis Græcis, *Aubertum Miræum* in Auctario de Scriptoribus Ecclefiafticis Cap. 306. & *P. Labbè* S. J. in Apparatu ad Corpus Hiftoriæ Byzantinæ. Quo præcife tempore vixerit, haud fatis compertum. Undecimo tamen cadente fæculo floruiffe verifimile eft.

An Joannem Scylitzam Cedrenus, an ipfe Cedrenum excripferit.

IV. Joannes Scylitza, Curopalates, Hiftoriam fcripfit ab exitu *Nicephori Logothetæ* Imperatoris, id eft anno DCCCXI. quo *Michael Rangabe*, imperare cœpit, ad annum MLXXXI. & *Alexii Comneni* inaugurationem. *Cedreni* Hiftoriam fub nomine *Joannis Curopalatis* legi, paucis exceptis *Voffius*, aliique viri eruditi jam olim obfervarunt: adeo ut alterutrum plagiarium fuiffe perfpicuum fit. Qui *Cedrenum* fub *Ifaaco Comneno* vixiffe putant, plagii invidiam derivant in *Joannem Scylitzam*: alii qui hunc ante *Cedrenum* fcripfiffe & obiiffe cenfent, *Cedrenum* ipfum exfcripfiffe, non fecus ac *Georgium Syncellum*, *Theophanem*, & alios Hiftoricos, afferunt. Qua in opinione fuere viri in hoc ftudiorum genere verfati *P. Labbe S. I.* in Apparatu in Hiftoriam Byzantinam, & *P. Goar* Ordinis Prædicatorum, in Notis ad *Cedrenum*, poft cujus Compendium Hiftoriarum Typis Regiis pariter edita funt *Excerpta ex Breviario Hiftorico Joannis Scylitzæ Curopalatæ, excipientia ubi Cedrenus definit*. Sane ex *Joanne Scylitza*, ficut ex aliis, Hiftoriarum Compendium fe adornaffe, profitetur *Credenus* ipfe, quamvis *Curopalatem* non appellet, fed *Protovefliarium*, quod maximum erat in Aula Officium, quo etiam functum effe *Joannem* illum verifimile eft, ut obfervat *Goar* nofter. *Thracefium* quidem vocat Cedrenus, non *Scylitzam*; fed *Scylitzam* familiæ, *Thracefium* patriæ nomen effe, abfque verifimilitudine vir eruditus non conjicit, nec ullius momenti eft ratio qua fuam fuftentat conjecturam: fcilicet *Joannem Curopalatam* prævios Hiftoricos enumerantem, *Joannis Thracefii* mentionem facturum, fi alius ab ipfo fuiffet, ipfiufque *Cedreni*, fi ante ipfum fcripfiffet, ejufque Opere fuiffet ufus. Quamobrem conjectura eft non inanis, *Cedrenum* ætate *Joanni Scylitzæ* fupparem, nondum abfolviffe Hiftoriam, cum ille fuam in lucem emifit: *Joannem* vero fuam ulterius perduxiffe; & ex eo, necnon ex aliis quos laudat, plura fuam in Synopfim *Cedrenum* tranftuliffe. Verba Cedreni de *Joanne* adfcribo. *Jam Joannes Protovefliarius, cognomento Thracefius, compendiofiorem eorum quæ diverfis evenerunt temporibus, notitiam tradere conatus, fupra commemoratorum Scriptorum Hiftoriis accurate perlectis, indeque in fuos Commentarios, quæ ad rem facerent, collatis, ab exitu Nicephori, cujus paulo ante meminimus, exorfus eft, repudiatifque quæ ex animi commotione, aut in gratiam alicujus fcripta fuerant, nudam Hiftoriam tradidit. Nos autem evolutis horum libris, indeque iis, quæ attinebant, collectis: adjectis etiam quæ, cum non effent fcripta, ab antiquis hominibus tradita didiceramus; non pauca etiam ex parva Genefi, Ecclefiafticis Hiftoriis, aliifque libris complexi, curfim omnium unum compofuimus Volumen.*

V. Theophylactus, Patria Conftantinopolitanus, Acridæ Archiepifcopus, totiufque Bulgariæ Metropolitanus, vir doctiffimus, & in lectione Græcorum Patrum, ac præfertim *S. Joannis Chryfoftomi* verfatiffimus, ab *Onuphrio Panvino* in Faftis fub *Bafilio Seniore* Imperatore anno Chrifti DCCCLXXXIII. a *Sixto Senenfi* in fua Bibliotheca, fub *Michaele Porphyrogenito*, qui cœpit imperare cum *Theodora* Augufta matre anno DCCCXLII. a *Poffevino* in Apparatu facro, & *Perronio Cardinali* in Opere *De Euchariftia*, anno DCCCLX. claruiffe falfo dicitur. Ipfum fub Imperatoribus *Michaele Duca*, *Nicephoro Botaniate*, & *Alexio Comneno*, ab anno circiter MLXI. & ultra annum MLXXXI. (De tempore namque obitus ipfius haud certo conftat) floruiffe invictis argumentis ex ipfius Epiftolis petitis probat *Baronius* Tom. 11. Annalium ad annum MLXXI. Num 15. & fequentibus. Scripfit *Commentaria in IV. Evangelia, in Acta Apoftolorum, in Epiftolas S. Pauli, in Habacuch, Jonam, Nahum, & Ofeam*. Ejufdem *Orationem in adorationem Crucis* edidit *Gretferus* S. J. Theologus, Tom. II. *De Cruce* LXXV. Ipfius Epiftolæ a *Joanne Meurfio* primum editæ, a *Vincentio Marinerio* Latinitate donatæ, in Bibliotheca Patrum leguntur. Ejufdem *Inftitutio Regia ad Conftantinum Porphyrogenitum Michaelis Ducæ & Mariæ Auguftæ filium* Græce & Latine Typis Regiis primum edita eft, interprete *P. Petro Poffino* S. J. Theologo; ex Medicea Bibliotheca Magni Hetruriæ Ducis. Latine extat Tom. XVII. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunenfis.

Theophylacti ætas.

Opera.

Theophylacti Commentarii, præcipue in *S. Pauli* Epiftolas, ex *S. Joannis Chryfoftomi* Commentariis deflorati funt, quorum Breviarium jure poffunt appellari. In *Alexium Comnenum* Orationem Encomiafticam habuit, quam in Bibliotheca Bavarica extare, fupra ex *Leone Allatio* obfervavimus: necnon *Tractatum de Latinorum erroribus* edidiffe, in quo difcordiam Græcos inter & Latinos in uno de Proceffione Spiritus Sancti articulo conftituit, ut notavit *Joannes Veccus* Patriarcha Conftantinopolitanus Oratione 2. *De injufta fui depofitione*, Græciæ Orthodoxæ Tom. II. *Invenio porro*, inquit, *Theophylactum Bulgariæ Archiepifcopum dicendi arte percelebrem, additionem in Symbolo tantum reprehendentem.*

Catholicum dogma de reali fubftantialique præfentia Corporis & Sanguinis Chrifti in Euchariftia luculenter ac diferte adftruit in Commentariis Cap. XXVI. *S. Matthæi*, XIV. S. Marci, & VI. S. Joannis. Quæ loca contra *Albertinum & Claudium* Calvinianæ Sectæ miniftros acriter urget clariffimus & eruditiffimus Author *Perpetuitatis Fidei Ecclefiæ Catholicæ circa Euchariftiam propugnata* Tom. I. lib. 1. cap. IX.

VI. Samonas Gazenfis Epifcopus, a *Joanne Garetio* in Indice libri *de Sacrificio Miffæ*, floruiffe dicitur anno ML. ab aliis circa annum Domini 1072. ut idem refert Centenario XI. Sæculo quoque XI. ipfum *Coccius* collocat. Alii ad Sæculum XIII. rejiciunt

jiciunt: ex quorum sententia *Albertinus & Claudius* Calvioiani Ministri colligunt fictitium Authorem, inaneque nomen esse; quod tunc temporis Palæstina Græcos Episcopos nullos haberet, recens inde pulsis per Saracenos Latinis, qui suæ linguæ Episcopos in illa regione habebant. Sed nullius hæc ratio ponderis est; siquidem Hierosolyma *Saladinus* occupavit sæculo XII. cadente, quo tempore quosdam Episcopos Græcos in Palæstina fuisse, licet Latini rerum potirentur, certum est. *Jacobus de Vitriaco*, lib. I. Historiæ Hierosolymitanæ cap. 74 de Surianis scribit: *Habent proprios Episcopos Græcos*. Potuisset igitur Sæculo XII. cadente, Gazensis Ecclesiæ sacris præesse *Samonas*, & initio Sæculi XIII. scribere: maxime cum Saladinus occupata Palæstina, Græcos Episcopos non expulerit; immo Latinorum Ecclesias Græcis tradiderit, ut constat ex Epistola *Conradi* filii Marchionis de Monte Ferrato, apud *Baronium* ad annum MCLXXXVII. num. 9. Malim tamen de incerta epocha pronuntiare nihil. Ut ut est, extat in Bibliotheca Patrum *Samona Gazensis Episcopi disceptatio cum Achmed Saraceno super veritate Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ*: Qua dogma Catholicum de conversione panis & vini in substantiam ejusdem sacri Corporis & pretiosi Sanguinis luculenter asseritur. Ex *Theodoro Abucara*, *Anastasio Sinaita*, *S. Gregorio Nysseno*, & aliis Patribus Græcis, Tractatus iste desloratus est. Horum sensum tacitis nominibus exprimit ad mysterium Eucharistiæ illustrandum & exponendum, sicut *Paschasius* Latinorum Patrum sensum expressit. De hoc Scriptore & ejus Tractatu legatur liber 3. Tom. I. *Perpetuitatis Fidei Ecclesiæ Catholicæ circa Eucharistiam propugnata*, cap. 6.

Oecumenius, decimo sæculo floruisse creditur. Scripsit Commentarios in Acta Apostolorum, in Epistolas *S. Pauli*, aliasque omnes Canonicas; seu potius ex Patribus Græcis compilavit, addita interdum propria expositione. Commentarios in Octateuchum, & Catenam in quatuor Evangelia ipsum pari studio adornasse, scribit *Sixtus* noster *Senensis* lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ. Extat in Bibliotheca Patrum *Catena in Epistolam S. Pauli ad Romanos* sub nomine *Theodali Presbyteri Cœlesyriæ*, quæ ex *Oecumenio* maximam partem excerpta est. Sed aut mentitum est nomen, aut alter ille *Theodalus* est ab eo quem *Gennadius* in Catalogo celebrat; ut observat *Aubertus Miræus* in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis. *S. Jacobum* Hierosolymorum Episcopum filium fuisse *S. Josephi* ex priori uxore, *Oecumenius* in cap. 23. Actorum asserit, nonnullosque alios nævos habet, sed iis in rebus quæ fidei summam non spectent, eosque ex Antiquorum lectione contraxit.

ARTICULUS V.

De S. Petro Damiani, Lamberto Schafnaburgensi, Bertoldo Constantiensi, Adamo Bremensi, & Mariano Scoto.

B. Petri Damiani elogium.

I. S. PEtrus *Damianus*, vel *Damiani*, (in ejus enim appellatione variant authores & alii a patre, alii a fratre quem loco patris habuit, & cujus cura studiis liberalibus imbutus est, cognomen sumsisse censent) male confunditur a quibusdam cum *Petro de Honestis* Clericorum Regularium Monasterii Portuensis in Diœcesi Ravennate Priore, quibus & Constitutiones præscripsit a *Paschali II.* Pontifice Maximo X. Kalendis Januarii an. MCVI. approbatas, quippe obiit anno 1119. Ravenna oriundus erat *Petrus Damiani*. Vitam monasticam in eremo Sanctæ Crucis Fontis Avellani, quæ millibus passuum quatuordecim ab Eugubina civitate distat, professus, Prior Eremitarum fuit: tres discipulos habuit Sanctis adscriptos, *S. Rodulphum* Episcopum Eugubinum, *S. Dominicum Loricatum*, & *S. Joannem Laudunensem*. Sub Romanis Pontificibus *Gregorio VI. Clemente II. Leone IX. Victore II. Stephano IX. Nicolao II. Alexandro II.* egregiam Ecclesiæ navavit operam. A *Stephano IX.* S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis creatus est. Schismati *Benedicti* Antipapæ contra *Nicolaum II.* & *Cadaloi* contra *Alexandrum II.* extinguendo omnem operam contulit. *Alexandri* nomine Legationem obiit in Galliis, & in Germania: qui ad Galliarum Archiepiscopos scribens, hoc ipsum celebrat elogio: *Talem vobis virum destinare curavimus, quo post nos major in Romana Ecclesia non habetur, Petrum Damianum Ostiensem Episcopum, qui nimirum & noster est oculus, & Apostolicæ Sedis immobile firmamentum*. Lambertus Schafnaburgensis de ejus Legatione ad *Henricum* Germaniæ Regem agens, qui juvenili furore abreptus, *Bertam* conjugem repudiare statuerat, ipsum vocat *Virum ætate & vita innocentia admodum reverendum*. Disciplinæ Ecclesiasticæ studiosissimus fuit, quam propugnavit acerrime præsertim contra Simoniacos, contra Clericos incontinentes, & contra Laicos nubentes consanguineis. Obiit Faventiæ die 23. Februarii anno 1072. ut testatur *Bertoldus* Presbyter in Chronico. Illustria reliquit ingenii sui ac doctrinæ Monumenta, quæ in tres Tomos distincta edidit *Constantinus Cajetanus* Monachus Benedictinus Cœnobii Catanensis *S. Nicolai de Arena*. Primus Tomus continet Epistolarum libros octo: Secundus, varios Sermones & Sanctorum Historias: Tertius, illustria de variis argumentis Opuscula sexaginta. Sermo LVI. *De S. Martino*, non est *Petri Damiani*, sed hominis Galli, qui se prodit his verbis: *Clementia divinitatis & Regibus, & Regno nostro providit misericorditer, ubi tantum lumen ad remedium peccatorum in sæculum collocavit*. Sermo secundus de *S. Andrea* & Sermo de *S. Nicolao* apud *S. Bernardum* leguntur. Sermo in Vigilia Natalis Domini, est ejusdem *S. Bernardi*. Sermonem de Nativitate Domini, qui his verbis incipit: *Non poterit explicari sermone*, male ab *Aloysio Lipomano*, *Surio*, & aliis *S. Petro Damiani* adscriptum, inde compertum est, quod *S. Bernardum* laudet. Ejusdem Melliflui Doctoris est Sermo de *S. Stephano*. Librum *De Correctione Papæ & Episcopi* Argentorati ab Hæreticis excusum anno 1562. venerando *Beati Petri Damiani* nomini suppositum, *Possevinus* monuit in Apparatu Sacro. Vitam B. *Petri Damiani* a *S. Joanne Laudensi* ejus Discipulo scriptam, cum ejus Operibus edidit *Constantinus Gajetanus*, quam & inter Acta Sanctorum mensis Februarii Tomo III. ad diem 23. *Bollandus & Henschenius* recuderunt, ac præviis Commentariis illustrarunt.

B. Petri Damiani Opera.

II. Lambertus Schafnaburgensis Cœnobii Hirsfeldensis in Diœcesi Moguntina Monachus, vestem Religiosam induit anno 1058. ut ipse testatur. Rerum Germanicarum scripsit Historiam, quam ad annum 1077. perduxit. Veracis Historici laudem consecutus est. Ipsius haud inculta scribendi ratio. Rerum gestarum ad annum usque 1472. Monachus Anonymus Erphordiensis continuavit Historiam, haud pari accuratione & elegantia. Edita est *Lamberti Schafnaburgensis* Historia, illiusque Continuatio in Collectione Illustrium Veterum Scriptorum, qui Rerum Germanicarum Historias vel Annales posteris reliquerunt, a *Joanne Pistorio* adornata.

III. Bertoldus, Constantiensis ad Rhenum Presbyter, ab *Ottone Ostiensi* Episcopo *Gregorii VII.* Pontificis Maximi per Germaniam Legato consecratus, & potestate absolvendi resipiscentes a Guibertino Schismate donatus anno 1084. Chronicon ab an. 1053. ubi *Hermannus Contractus* desierat, ad annum usque 1100. perduxit. *Gregorii VII.* & *Henrici IV.* Historiam accurate scripsit ac fideliter. Eumdem esse cum *Bernardo* Presbytero qui varia Opuscula pro *Gregorio VII.* contra Schismaticos scripsit, partim a *Gretsero* in Apologia pro eodem Pontifice, partim a *Sebastiano Tengnagel* edita, censet *Aubertus Miræus*, & *Philippus Labbeus*. Hunc Romani Ordinis Authorem asserunt, *Honorius Augustodunensis*, lib. 4. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & *Trithemius* Abbas: Sed antiquior est Bertoldo *Ordo Romanus*, & ad tempora Gelasii, aut certe Gregorii M. videtur revocandus.

IV. Adamus, *Bremensis Canonicus*, anno Christi 1077. ab *Adalberto* Hammaburgensi & Bremensi Archiepiscopo creatus, scripsit *Historiam Ecclesiasticam*

Ham-

Hammaburgensis & Bremensis Diœceseon, vicinarumque regionum Septentrionalium : cui libellum *De Situ Daniæ, & reliquarum, quæ trans Daniam sunt, regionum natura*, subjunxit. Ab introitu *Sancti Willehadi*, cum Saxonia tota & armis subacta Francorum, & divino cultui mancipata est, Historiam exorsus, ad *Liemari* Archiepiscopi Hammaburgensis Pontificatum perduxit, cui dicavit Opus. Hujus Authoris sinceritatem & diligentiam in scribendo maximam colligere est ex ipsius verbis in Epistola nuncupatoria ad *Liemarum*. Opus absolvit juvenis ut ipse testatur in Carmine ad *Liemarum*, ad finem Libri. Ejus honorifice meminit *Helmoldus* in *Chronico Sclavorum*.

V. Marianus Scotus, in Scotia seu Hibernia natus est anno 1028. Anno 1052. Sæculo vale dixit, & pro Christo peregrinus factus, patrio solo relicto, Coloniam venit, ubi Monachus Ordinis Benedictini factus est Kalendis Augusti anno 1056. Inde Fuldam translatus, Presbyter apud Virzeburgum inauguratus est media Quadragesima III. Idus Martii, an. 1059. Secundo Idus Maii sequentis, Feria VI. post Ascensionem, in Cella Fuldensis Monasterii inclusus, decem annos strictam solitudinem & clausuram servavit. Anno 1069. jussu Episcopi Moguntini, & Abbatis Foldensis e Clusa Fuldensi (ut ipse loquitur) Nonis Aprilis solutus, Moguntiam venit, ubi in Festivitate SS. septem Fratrum secundo inclusus est charæ solitudinis & silentii desiderio. Obiit in sacro illo quo se ipsum incluserat ergastulo vir religiosissimus anno 1086. ætatis 58. & ad *S. Martini* sepultus est. Ista constant ex ipsius Historia, & ex *Dodechino* ejus Continuatore. Chronicon scripsit a Christo nato ad annum 1082. A *Sigeberto* lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. CLIX. & a *Trithemio* Abbate celebratur. Ejus Chronicon a *Pistorio* inter Veteres Scriptores Rerum Germanicarum editum est.

Eadem ætate *Marianus* alter *Scotus* Ordinis Benedictini vir sanctissimus, & Scriptor etiam Ecclesiasticus, author scilicet Commentariorum in Psalmos, in Germania floruit. Ejus Vitam a Monacho Ratisponensi Anonymo scriptam ediderunt *Bollandus & Henschenius* S. J. Professores ad diem 9. Februarii.

ARTICULUS VI.

De Guitmundo, Lanfranco, Desiderio Cassinensi, S. Anselmo Lucensi, S. Gebhardo, Stephano Halberstatensi, Paulo Benriedensi, Domnizone, & Gerocho.

* De la Croix Saint Leufroy.

I. GUitmundus, Ordinis Benedictini in Cœnobio *Crucis S. Leufredi*, * Diœcesis Ebroicensis, in Normannia, Monachus eruditus, non semel ad Ecclesiasticas Dignitates postulatus, Rothomagensis etiam Archiepiscopus a Rege Angliæ & aliis electus, cedere maluit, quam dissensiones fovere, quod plerique ejus æmuli ipsius inaugurationi obsisterent, Presbyteri filium esse objicientes. Ab *Odilone* Monasterii sui Abbate illiterato, qui mentiri nesciebat quantus in ipso lateret sapientiæ thesaurus, peregrinandi accepta licentia, Romam profectus est, quem *Gregorius VII.* Pontifex Maximus cum gaudio excepit & S. R. E. Cardinalem creavit, Urbanus vero Secundus Aversanum in Italia Archiepiscopum renunciavit, ut scribit *Ordericus Vitalis* lib. V. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. XVII. Ab *Yvone Carnotensi*, Epistola 78. *Willelmo Malmesburiensi*, *Petro Venerabili* Abbate Cluniacensi, & aliis celebratur. Scripsit adversus *Berengarium* libros tres *De Corporis & Sanguinis Christi veritate in Eucharistia*. Item, *Confessionem de Sancta Trinitate, humanitate Christi, & veritate Corporis & Sanguinis Domini*. Ejus Orationem ad *Guillelmum* Conquestorem Angliæ Regem, qui ipsum transfretare jusserat ut in Anglia Episcopus fieret, apud *Ordericum Vitalem* legere est. In ea sanctam *Guitmondi* libertatem suspicere licet, qui in terra prædatitia, & apud gentem, quæ exteros Episcopos sibi præfici moleste ferebat, Episcopatum recusavit, ac Regem hortatus est ne

Guitmundi Opera.

Guitmundi humilitas & sancta libertas.

secundis eventibus efferretur, utque judicii divini memor esset. *Dum*, inquit, *me ipsum salubriter moderari nequeo, qualiter aliorum vitam ad salutis vitam dirigere valeo? Omnibus vigili mente perlustratis, non video qua lege digniter præesse valeam illorum cuneo, quorum extraneos mores, barbaramque locutionem nescio, quorum patres charosque parentes & amicos occidistis gladio, vel exhæredatos opprimitis exilio, vel carcere, vel indebito intolerabilique servitio. Scrutamini scripturas & videte, si qua lege sancitur ut Dominico gregi Pastor ab inimicis electus violenter imponatur. Ecclesiastica electio prius debet ab ipsis subjectis fidelibus cum sinceritate fieri, ac postmodum adstipulatione Patrum & amicorum [si canonica est] reverenter confirmari. Alioquin cum caritate debet emendari. Quod bello & effusione multi cruoris truculenter rapuistis, qua ratione mihi aliisque contemptoribus mundi, qui sponte pro Christo nudati sumus propriis, sine culpa impartire potestis? Generalis omnium Religiosorum lex est, a rapinis abstinere, & de præda [etiamsi offertur] pro justitiæ observantia nolle recipere. Dicit enim Scriptura* : „ Immolant ex iniquo, oblatio est maculata . . . Qui „ offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi „ qui victimat filium in conspectu patris. *Hæc & his similia divinæ Legis præconia pertractans, expavesco, & totam Angliam quasi amplissimam prædam dijudico, ipsamque cum gazis suis, velut ignem ardentem contingere formido . . . Normanniam cum vestra licentia redire dispono, & opimam Angliæ prædam amatoribus mundi quasi quisquilias derelinquo. Liberam paupertatem Christi amo, quam Antonius & Benedictus amplexati sunt, magis quam divitias mundi, quas Crœsus & Sardanapalus nimis amaverunt.* Hæc Oratio *Guitmundi* Regis admirationem & reverentiam conciliavit; multorum vero adversus ipsum concitavit invidiam, ut *Ordericus* testatur : Sed *Guitmundi* virtus & merita invidia superiora erant.

Lanfranci elogium.

II. Lanfrancus, Papia Italiæ civitate oriundus, Ordinis Benedictini Monachus ex Priore Beccensi Cadomensis Abbas, & demum Cantuariensis Archiepiscopus & Primas Angliæ anno 1070. creatus, Catholicam fidem contra *Berengarium* acerrime propugnavit in Concilio Romano sub *Nicolao II.* anno 1059. ipsumque ita confutavit, ut hæresim ejurare, & Scripta sua in ignem conjicere cogeretur : cum vero ad ingenium postea rediisset, ac libellum contumeliosum contra Romanam Synodum, & contra *Humbertum* Cardinalem scripsisset, librum *De Corpore & Sanguine Domini* contra ipsum scripsit *Lanfrancus*. Omnes *S. Pauli* Epistolas brevi Commentario illustravit. Præterea, Decreta pro Ordine *S. Benedicti* edidit, seu Ordinis Consuetudines scripto mandavit, nonnullis circa Ritus immutatis; cujus quidem immutationis rationem affert. *Addidimus quoque perpauca*, inquit, *& mutavimus nonnulla, & maxime in celebrandis quibusdam Festis, excellentius in nostra Ecclesia oportere ea agi censentes propter Primatem Sedem. In quibus nec nobis qui præsentes sumus, nec iis qui post nos venturi sunt, in aliquo præjudicamus, ut non vel eis addere, vel ab eis tollere, vel in eis permutare aliqua valeamus, si aliter ea commodius posse fieri, vel magistra ratione, vel doctiorum authoritate intelligamus* QUANTUMLIBET *enim quisquam proficiat, maximus ei defectus est existimare se ultra non posse proficere. Nam numerus Fratrum auctus vel diminutus, facultates locorum, varietates rerum, quæ sæpe eveniunt, diversitates sensuum [quod alii quidem sic & alii sic intelligunt] pleraque diu servata plerumque aliter ordinare compellant. Hinc est quod nulla fere Ecclesia imitari aliam per omnia potest. Illud tamen cautissime attendendum, ut ea sine quibus anima salvari non potest omnibus modis inviolata serventur, fidem dico, contemptum mundi, charitatem, castitatem, humilitatem, patientiam, obedientiam, de perpetratis culpis pœnitudinem, earumque humilem confessionem, frequentes orationes, competens silentium, multaque in hunc modum. Hæc ubi servantur, rectissime potest dici Regulam B. Benedicti, & Monachorum Ordinem ibi custodiri, quoquo modo varientur cætera, quæ pro arbitrio diversorum in diversis sunt Cœnobiis instituta.* Plures ad diversos Epistolas scripsit, quibus Ecclesiastica disciplina multum illustratur. Denique Libellum edidit Lantfrancus *De celanda Confessione*, in

Opera.

Quæcumque in Monasteriis mutatio fiat, ea semper inviolata servanda sunt, sine quibus anima non salvatur.

Obscura Lamfranci de Confessione Peccatorum sententia explicatur.

quo hæc sententia explicatione indiget: *De occultis omni Ecclesiastico Ordini confiteri debemus; de apertis vero solis convenit Sacerdotibus, per quos Ecclesia, qua publice novit, & solvit & ligat.* Per occulta, peccata venialia; *per aperta*, id est, aperte mala lethalia intelligi possunt. Vel, de occultis confiteri, est confessionem in genere edere, ac se peccatorem humiliter profiteri, nullis nominatim recensitis peccatis. De apertis confiteri est, speciatim peccata exponere. Alterutro istorum sensuum dixit Lantfrancus. *De occultis omni Ecclesiastico Ordini confiteri debemus; de apertis vero solis convenit Sacerdotibus.* Lantfranci Opera, ejusque Vitam in lucem edidit Domnus *Lucas Dacherius*, Ordinis Benedictini, Congregationis *S. Mauri* Monachus doctissimus. Obiit magnus Archipræsul, sanctitate non minus quam doctrina illustris, anno 1089. die 24. Maii. *Lantfrancum* plurimi fecit *Alexander II.* qui discipulus ejus fuerat: ipsum honorifice ac peramanter excepit Romæ, Palliоque duplici donavit, uno ex Altari sumpto, secundum morem, altero quo sua Sanctitas in celebratione Missarum utebatur. Eumdem ceu Patrem & amicum *Sanctus Anselmus* coluit, eique *Monologium* misit emendandum. Ipsi etiam parentavit carmine quod Robertus de Monte refert in Appendice ad Sigebertum. Eum celebrant *Eadmerus* in Vita *S. Anselmi* & Lib. 1. Historiæ Novorum, *Sigebertus* lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. CLV. *Honorius Augustodunensis*, lib. IV. cap. XIV. *Guillelmus Pictavensis* De Gestis *Guillelmi* Normanorum Ducis & Anglorum Regis, *Willelmus Malmesburiensis*, lib. de Gestis Pontificum Anglorum, & lib. III. de Gestis Regum: *Ordericus Vitalis* lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ, & *Trithemius*.

III. Desiderius Ordinis Benedictini Monachus, & Cassinensis Abbas, qui postea fuit Summus Pontifex *Victor* III. Libros IV. Dialogorum *De Miraculis S. Benedicti, & SS. Monachorum Cassinensium* scripsit, teste *Petro Diacono*, lib. *De Viris Illustribus Cassinensibus*, cap. XVIII. Tres tantum editi sunt opera *Joannis Baptistæ Mari* Romani, Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Angeli in Foro Piscium Canonici. Extant Tom. XVIII. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis.

IV. S. Anselmus, Mediolani, familia nobili natus *Alexandri II.* Pontificis Maximi nepos, ab eodem Episcopus Lucensis designatus, ab ejus Successore *Gregorio VII.* consecratus est anno Christi 1073. cum interim Monachus Regulæ *S. Benedicti* subjectus factus esset. *Mathildis* fuit Comitissæ Director. *Gregorio VII.* & Ecclesiæ navavit operam contra *Wilbertum* Antipapam & *Henricum IV.* Germaniæ Regem. Sedis Apostolicæ Legationibus functus est, eique Episcopalis inspectio per Longobardiam omnem commissa. Omnem Scripturam Sacram & Sanctorum expositiones memoria tenebat. Multos libros scripsit, quos domesticus ipsius Presbyter Pœnitentiarius in ejus Vita recenset: nempe *Apologeticum ex diversis Sanctorum Patrum voluminibus compilavit*, quibus *Gregorii VII. Sententiam* in Henricum IV. & *universa ejus facta atque præcepta canonicis defenderet rationibus & approbaret orthodoxis authoritatibus*. Quibus verbis significantur ejus libri contra *Wibertum* seu *Guibertum* Antipapam pro defensione *Gregorii VII.* primo ab *Henrico Canisio* editi Tom. VI. *Antiquæ Lectionis*, deinde in Bibliotheca Patrum recusi. Scripsit etiam Commentarium *in Lamentationes Jeremiæ & in Psalterium*, usque ad illum versum: *Benediximus vobis in nomine Domini*. Fragmentum ex bis Commentariis in Psalmos, Vitæ Gregorii VII. *Paulus Benriedensis* inseruit. Latent hactenus *Expositiones* illæ in Threnos & Psalterium; quas *Sixtus* noster *Senensis* lib. IV. Bibliothecæ *S. Anselmo* Episcopo Mantuano, qui numquam extitit, perperam adscribit. Inde natus error, quod Mantuæ obierit, ipsumque Sanctis adscriptum Mantuani in Patronum civitatis elegerint. Obiit anno MLXXXVI. die XVIII. Martii. Ejus Vitam scripsit domesticus ejus Presbyter Pœnitentiarius. Edidit primum *Sebastianus Tengnagellus* Cæsareus Viennæ Bibliothecarius inter *Vetera Monumenta contra Schismaticos pro Gregorio VII. PP.* deinde *Henschenius & Papebrochius* S. J. Scriptores eruditi inseruerunt Actis Sanctorum mensis Martii, Tom. II. *A Domnizone* Presbytero in Vita Comitissæ Mathildis lib. II. cap. III. *a Bertoldo* Constantiensi in Chronico ad annum 1082. a *Sigeberto* in Chronico, & in lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. CLXI. *a Paulo Benriedensi* in *Vita Gregorii VII.* *a Conrado* Abbate Uspergensi in Chronico ad annum 1080. & a *Trithemio* Abbate commendatur. Collectionem Canonum *S. Anselmi* Lucensis Episcopi nomine perperam inscribi jam olim observavi, Dissertatione XX. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi I. in Appendice Dissertationis, ubi de Variis Juris Canonici Collectionibus: Tum quia *Urbani II.* & aliorum Pontificum Decreta continet, quorum ævo jam obierat *Anselmus*: Tum quia vetus Author Vitæ *S. Anselmi* ejus Pœnitentiarius, qui Lucubrationes ejus recenset, istius Collectionis non meminit, de qua etiam apud *Sigebertum & Trithemium* altissimum silentium est. In veteribus Codicibus, quos *Antonius Augustinus* vidit, & in eo quem habet Cœnobii *S. Germani* Parisiensis Bibliotheca, nec titulus ullus extat, neque nomen Authoris. Veteri quidem Codici Bibliothecæ Barberinæ ad Domnum *Lucam Dacherium* Spicilegii Editorem misso adscriptum est *S. Anselmi Lucensis Episcopi* nomen. Sed fallere titulum, adductæ rationes probant.

V. S. Gebhardus Salisburgensis Episcopus, & *Stephanus Halberstatensis*, Epistulas pro *Gregorio VII.* contra Schismaticos scripsere, quas inter alia Vetera Monumenta ex MSS. Codicibus edidit *Sebastianus Tengnagellus*.

VI. Paulus Benriedensis, Canonicus Regularis, Vitam *Sancti Gregorii* Papæ hujus nominis Septimi scripsit. *Domnizo* Presbyter iisdem temporibus libros duos, veraci quamquam inculto Carmine composuit *De Gestis Mathildis Comitissæ*, quos laudatus *Tengnagellus* pariter edidit.

VII. Gerochus, seu *Gerohus*, Reicherispergensis in Bavaria Præpositus, scripsit Syntagma de *Henrico* IV. & V. Imperatoribus, & de *Gregorio* VII. nonnullisque consequentibus Pontificibus Romanis: Quod P. *Gretserus* S. J. Theologus in lucem emisit.

ARTICULUS VII.

De Authore Micrologi.

Micrologi Anonymus Author ita librum *De Ecclesiasticis Observationibus* inscripsit, seu *De Divinis Officiis*, Capitibus duobus supra sexaginta constantem. Tempore *Gregorii VII.* floruisse ex cap. 14. certum est. *Bernoni* Augiæ Divitis Abbati perperam ipsum tribuit *Claudius Espenseus* in Tractatu *De Missa publica & Privata*. Nec melius adscribitur ab aliis *Guidoni* Abbati *S. Crucis* Avellanæ prope Aretium, Notarum Musicarum Inventori de quo *Domnizo* Presbyter in Carmine de Gestis Comitissæ *Mathildis*, agens de *Thebaldo* Aretino Episcopo, ita canit:

Micrologum librum sibi dictat Guido peritus
Musicus & Monachus, necnon Eremita beatus.

At Micrologum *Guidonis* Abbatis fuisse librum de Musica, non autem de Officiis Ecclesiasticis, & tempore *Joannis XIX.* scriptum esse ante annum 1033. non post Gregorii VII. Pontificatum, qui anno 1085. ad Superos migravit, certum est ex istius libri titulo, & ex Præfatione ad *Thebaldum* Episcopum Aretinum, a *Baronio* Cardinali relatis Tom. XI. Annalium ad annum 1022. Num. 23. 24. & 25. *Micrologum* in Bibliothecis Patrum legere est.

Author Micrologi censet vinum non consecratum vere proprieque consecrari per Immissionem & contactum Hostiæ consecratæ.

Sensit Author *Micrologi* Cap. XIX. vinum non consecratum vere proprieque consecrari per immissionem & contactum Particulæ consecratæ. *Non est autem authenticum*, inquit, *quod quidam Corpus Domini intingunt, & intinctum pro Complemento Communionis Populo distribuunt. Nam ordo Romanus contradicit, qui & in Parasceve vinum non consecratum, cum Dominica Oratione & Dominici Corporis immissione jubet consecrare, ut populus possit communicare. Quod utique superflue præciperet, si intinctum*

Domi-

Dominicum a priori die Corpus servaretur, & ita intinctum Populo ad communicandum sufficere videretur. Ex his verbis perspicuum est Authorem illum censuisse veram Consecrationem Dominica Oratione & Dominici Corporis immissione fieri: tum quia ex Calice ita consecrato *Complementum Communionis* dari asserit: tum quia ejusmodi Consecrationis vim eamdem esse putat, ac intinctionis ex vero Sanguine. In hanc porro Sententiam inductus est ex verbis Ordinis Romani, cujus hæc verba sunt in libris vulgatis in officio Feriæ Sextæ in Parasceve. *Sanctificet autem vinum non consecratum per sanctificatum panem & communicent omnes cum silentio: & sic expleta sunt universa.* Illum in ea sententia confirmavit Amalarius lib. *De Ecclesiasticis* Officiis, cap. V. in quo hæc pariter leguntur: *Sanctificatur enim vinum non consecratum per sanctificatum panem, postea communicant omnes.* In ejusdem vero Operis recognitione seu emendatione scribit Amalarius, *juxta Ordinem Libelli Romani per commixtionem panis & vini consecrari vinum.* Et ne quis de metaphorica consecratione id interpretetur; addit eum, qui hoc fecerit, *non observare traditionem Ecclesiæ, de qua dicit Innocentius ista biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Atqui Innocentius agit de vera Consecratione Mysteriorum: ac proinde Amalarius, qui hac commixtione prædictam traditionem violari existimavit, eamdem Commixtionem veræ Consecrationis vim habere opinatus est. Atque eadem invaluisse videtur in quibusdam Ecclesiis opinio, ut colligitur ex veteri Missali Ecclesiæ Remensis, in quo præscribitur ut de Sacrificio particula mittatur in Calicem, dicendo, *Fiat unitio & consecratio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumentibus in remissionem peccatorum in vitam æternam.* Favet Pontificale Ecclesiæ Noviomensis, in quo hæc distincte leguntur: *Commixtio Corporis & Consecratio Sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, &c. ubi commixtio distinguitur a Consecratione Sanguinis quæ fit per illam commixtionem. Eidem sententiæ favent Missales Libri veteres Ecclesiæ Suessionensis & Ambianensis, Ordinarium Viennense, Pontificale Mimatense, &c. Decimus etiam Ordinis Romani Libellus a Dom. *Mabillonio* editus Tom. II. *Musæi Italici*, ubi cum agitur de Viatico infirmorum præscribitur eis tradi *Eucharistiam Dominici Corporis vino intinctam & vinum tali intinctione sanctificatum, in Christi Sanguinem transmutatum, dicendo, Accipe frater Viaticum Corporis & Sanguinis*, &c. Ad eamdem Sententiam revocari potest quoddam de Eucharistia Miraculum quod *Helmoldus* Abbas suo tempore, id est, Sæculo XII desinente accidisse narrat cuidam in Turingia Puellæ, quæ cum suscepto a Sacerdote Viatico, *portiunculam Eucharistiæ in biccarium*, in quo Sacerdos data Communione manus suas abluerat, decidisse animadvertisset, & sibi ad bibendum jussisset afferri, totam aquam *in Sanguinem mutatam* deprehendit, & portiunculam ipsam versam *in cruentam carnem*. Hoc factum refert Cardinalis Baronius ad annum millesimum centesimum nonagesimum secundum, atque hanc narrationem ita concludit: *Hæc de transubstantiatione aquæ in Sanguinem Christi, per commistionem Corporis Christi divinitus facta: quod semper fieri in vino cum commistio intercederet, Antiquitas existimavit. Unde illud Romani Ordinis:* VINUM, *etiam non consecratum, sanctificatur per sanctificatum panem.* Hæc ad Authoris *Micrologi* excusationem dicta.

Opinio illa expenditur, & refellitur.

Contrariam enim opinionem solam veram censeo: & quod Baronius Antiquitati tribuit, non ita accipiendum esse recte monet Dom. *Mabillonius* Commentario in Ordinem Romanum, quasi generalis ea fuerit totius Antiquitatis persuasio. Nam octo prioribus Nominis Christiani Sæculis, nulla hujusce opinationis apparent vestigia; immo conversio vini in Sanguinem Christi nonnisi verbis Christi a Sacerdote prolatis fieri semper & ubique credita est: Subsequentibus vero Sæculis, quo tempore apud nonnullos hæc opinio invalescere cœpit, multi Authores gravissimi in contrariam abierunt sententiam: alii vero media via incedentes rem sub dubio reliquerunt. S. Bernardus Epistola LXIX. immissione particulæ consecratæ in vinum non consecratum, seu *Contactu Corporis Sacri*, vini quidem liquorem *Sacrum* fuisse docet, *non tamen ex Consecratione propria atque solemni in Sanguinem mutatum.* Eamdem sententiam confirmat *Joannes Belethus*, cap. nonagesimo-nono. *Si quis roget (inquit) num istud vinum, quod eo die*, scilicet Parasceves, *sumitur, ex Dominici Corporis contactu consecretur? Quamvis complurium Scripta illud asserere videantur; nos tamen veritatem magis sequentes, & ea quæ Sancti Patres tradiderunt, dicimus vinum illud omnino non esse consecratum ex illo contactu, sed sanctificatum.* Negantem quoque sententiam sequitur *Jacobus a Vitriaco* cap. 38. Historiæ Occidentalis. *Non dicimus*, inquit, *quod ex tactu Sanguinis vinum ablutionis convertatur in Sanguinem: sed remanet purum vinum, licet ex contactu sanctæ rei sit sanctificatum, sicut aqua fluminis Aqua Benedicta commixta dicitur sanctificari. Mentiuntur ergo qui dicunt quod in die Parasceve Corpus Christi ex contactu mutat vinum in Sanguinem. Illa enim die Corpus, sed non Sanguis sumitur: Neutrum autem conficitur, eo quod die illo in veritate immolata fuit Hostia: & ideo non immolatur in figura.* Idem confirmat *Guillelmus Durandus in Rationali Divinorum Officiorum* lib. VI. cap. LXXV. Vinum ex contactu Sacræ Hostiæ *non consecrari*, sed tantummodo *sanctificari & benedictum atque reverendum effici* confirmant Missale Parisiensis Ecclesiæ posterioribus sæculis scriptum, Pontificale quoddam Ecclesiæ Remensis, Missalia Rothomagensia Sæculo superiori vulgata, Rituale vetus Sandionysianum, & Missale Cluniacense anni millesimi quingentesimi trigesimi.

Quod spectat Ordinem Romanum, merito dubitari potest an clausula hæc, *Sanctificet autem vinum non consecratum per sanctificatum panem*, in primigenio exemplari Ordinis Romani scripta fuerit. Neque enim in Sacramentariis Gelasiano & Gregoriano, neque in antiquioribus Ordinis Romani Libellis reperitur, ut observat Dom. *Mabillonius*: Unde Glossema redolet interpretis, non primi Authoris sententiam. Quamquam & hæc verba, si intrusa non sunt in Ordinem Romanum, ita explicari possint, ut Vinum non consecratum sanctificationem accidentariam accipiat ex particulæ consecratæ immissione atque contactu, non consecrationem veram ac realem, qua vinum in Christi Sanguinem re vera commutetur. Legitur enim in Officio Cœnæ Domini: *Pontifex veniens ad Altare dividat Oblatas, & sumat de ipsis Oblatas integras ad servandum usque mane diei Parasceves, de quibus communicent absque Sanguine Domini. Sanguis vero eadem die penitus consumatur.* Mens igitur Authoris est, vinum vere ac proprie non consecrari, & in Christi Sanguinem transmutari ex contactu particulæ consecratæ quæ in Calicem immittitur: alias Communio non fieret *absque Sanguine Domini.* Huic interpretationi favet *Ecclesiæ Traditio*, cujus meminit Innocentius I. in Epistola ad Decentium, quæ traditio habet, *Isto Biduo*, quod Paschæ diem antecedit, *Sacramenta penitus non celebrari.* At si vini Consecratio vera fieret, Sacramenta celebrarentur. Ut ergo sibi constet Ecclesiæ Traditio, ea sola admittenda est in Parasceve sanctificatio vini non consecrati, quæ Sacramentorum omnimodam celebrationem excludat, scilicet sanctificatio extrinsecus adveniens ex contactu particulæ antea consecratæ. Quod vero in decimo Ordinis Romani Libello habetur, *Vinum tali intinctione sanctificatum, in Christi Sanguinem transmutatum*, postrema illa verba isti Rituali Ordinique Romano a privato quodam Authore Commentarii loco inserta conjicit Dom. *Mabillonius*, quæ adeo non communem Ecclesiæ Romanæ, sed privatam Glossatoris sententiam exprimunt. Nam in Rituali Romano Florentiæ in Bibliotheca Sanctæ Crucis asservato, idem Ritus iisdem verbis refertur, his exceptis, *in Christi Sanguinem transmutatum.* Quod autem diceretur ægroto: *Accipe Viaticum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, non probat veram & realem Consecrationem vini immissione & contactu particulæ consecratæ factam; sed Christi Corpus & Sanguinem sub unica specie a Fidelibus sumi, ex necessaria concomitantia.

ARTICULUS VIII.

De S. Brunone Carthusianorum Patriarcha. Roberto Monacho S. Remigii Remensis, & S. Brunone Signino Episcopo.

I. SAnctus Brunn, Coloniæ Agrippinæ natus, Remensis Ecclesiæ Canonicus & Scholarum Magister, Ordinis Carthusianorum Institutor, cum sex annis Carthusiam rexisset, vocante *Urbano II.* Pontifice Maximo, cujus olim Præceptor fuerat, Romam perrexit, ut eumdem Pontificem solatio consilioque suo in Ecclesiasticis negotiis juvaret. Sed cum tumultus & mores Curiæ ferre non posset, caræ solitudinis & quietis amore flagrans, relicta Curia, Rhegiensi etiam Episcopatu recusato, in Calabriæ Eremum, cui Turri nomen est, secessit, ibique Sociis plurimis postmodum congregatis, solitariæ vitæ propositum, quandiu vixit, exercuit. Defunctus est die 6. Octobris, anno 1101. ut constat ex libello *De Institutionibus Ordinis Carthusiensis*, quem ex Codice MS. *S. Remigii* Remensis edidit *P. Labbè* S. J. Theologus, Tom. I. Bibliothecæ Novæ MSS. Librorum. A Leone X. in album Sanctorum relatus est, anno 1514. Scripsit *S. Bruno* Commentarios in Psalmos, & in omnes Epistolas *S. Pauli*, Epistolam ad *Radulphum Viridem* Remensis Ecclesiæ Præpositum, & ad suos Majoris Carthusiæ Alumnos. Libros *de Laudibus Ecclesiæ*. *De ornamentis Ecclesiæ*, *De Novo Mundo*, *De Festivitatibus Festivitatum*, *De laudibus Beatissimæ Virginis*, *De Martyribus*, *Confessoribus*, &c. Sanctissimo Parenti suo vindicant Carthusiani; eosdem vero *S. Brunoni* Signino Episcopo asserit *D. Maurus Marchesius*, Panormitanus, Congregationis Cassinensis Monachus, in Dissertatione Historica *De S. Brunone Astensi*, librisque ab eo conscriptis, quæ omnium Operum illius editioni præfixa est. *S. Brunonem* commendat, *Guigo* quintus Carthusiæ Prior in Vita *S. Hugonis* Gratianopolitani Episcopi, eum vocans *Virum religione scientiaque famosum, honestatis & gravitatis, ac totius maturitatis quasi quoddam simulacrum*; Guibertus Abbas de Novingento in Tractatu de Vita sua, *Mirabilem Brunonem* appellans; Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas lib. 11. *De Miraculis*, cap. XXVIII. ubi Carthusiensium Ordinem institutum scribit *a Patribus magnis, doctis, & sanctis, Magistro Brunone*, &c. *Gaufredus* Prior Vosiensis in Chronico cap. XXI. *Joannes Bramtom* Rerum Anglicarum Scriptor in Chronico, ad annum 1077. *Sigebertus* in Chronico editionis Pistorii ad annum 1084. Chronicon Malleacense, in quo *Bruno perfectus Philosophus, Monachus & Eremita* prædicatur; Monachus Autisiodorensis in Chronico ad annum 1081. ubi *Magistrum Brunonem virum religione scientiaque famosissimum* appellat; *Vincentius Bellovacensis* in Speculo Historiali lib. 26. cap. 28. & lib. 28. cap. 8. *Chronicon S. Martini Turonensis* ad annum 1086. *S. Antoninus II.* P. Historiæ Tit. XV. cap. XIII. &c. Professionem Fidei *S. Brunonis* Carthusianorum Patris quam morti proximus edidit, publici juris fecit Dom. *Mabillonius* Tom. IV. *Veterum Analectorum*. In ea diserte damnat Hæresim *Berengarii*, cujus olim Discipulus fuerat, si fides adhibeatur Chronico Malleacensi. *Credo* (inquit) *Sacramenta quæ Catholica credit & veneratur Ecclesia, & nominatim quod consecratur in Altari verum Corpus esse, veram carnem, & verum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quem & nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, in spem salutis æternæ.*

S. Brunonis Opera.

S. Brunonis elogium.

II. Robertus Monachus S. Remigii Remensis, Ordinis Benedictini, scripsit *Historiam Hierosolymitanam* de rebus per Christianos gestis in Sacra Expeditione contra Turcas, a tempore Concilii Claromontani cui ipse interfuit, id est, ab anno 1095. ad annum 1099. quo celebrem de Ammiraviso victoriam Christianus Exercitus ad Ascalonam reportavit. Hunc cum *Roberto de Monte* Continuatore *Sigeberti* male confudit *Possevinus* in Apparatu Sacro. Libros octo completitur ejus Historia. Decem commemorat Abbas *Trithemius*: quia Opus aliter divisum habuit, & forsan auctius. Ipsum quoque laudat *Blondus*, lib. 4. *Decade II.* Extat hæc Historia cum aliis Bellorum Sacrorum, a *Bongarsio* edita Hannoviæ, Typis Wechelianis, anno 1611. Eodem tempore, de eodem argumento scripsit *Anonymus*, ut conjicere licet, Italus; qui in comitatu *Boamundi* Apuliæ Ducis viam ingressus, primæ illi expeditioni ab Urbano II. in Synodo Claromontana indictæ interfuit. Liber ejus inscribitur: *Gesta Francorum, & aliorum Hierosolymitanorum*. Eadem tempestate *Raimundus Agilæus*, Canonicus Podiensis, scripsit *Historiam Francorum qui ceperunt Hierusalem*.

III. Bruno, Aste apud Insubres ex familia *Soleria* nobilissima natus, sanctitate & doctrina clarissimus, *Berengarium* Hæresiarcham in Synodo Romana anno 1079. confutavit. Deinde a *Gregorio VII.* qui huic Synodo præerat, *Signinus* Episcopus creatus, cum annos aliquot Pastorale munus summa cum laude exercuisset, desiderio contemplationis illectus, Cassinum migravit, ac Religiosam Vitam professus est, & Cassinensis Abbas electus: Sed instante populo ad Ecclesiam suam, Apostolica Authoritate redire jussus, 18. Julii, anno circiter 1125. ad vitam migravit immortalem. A *Lucio III.* Pontifice Maximo Sanctorum numero adscriptus est. Inter multa & præclara ingenii sui monumenta scripsit, rogatu Signiensium Canonicorum, *Expositionem in Pentateuchum*, *in libros Judicum*, *in Psalterium & Canticum Canticorum*. Item Sermones plurimos, quos inter *Petrus Diaconus* lib. *De Viris Illustribus Cassinensibus*, cap. XXXIV. eos enumerat, quos *Theodorus Petræus* Carthusiæ Coloniensis alumnus sub nomine *S. Brunonis* Carthusianorum Patriarchæ edidit Tomo III. Operum ipsius. Quos sane ipsius non esse, cum *Petri Diaconi* authoritas, tum alia momenta evincunt. *S. Bruno* Signinus Episcopus & Cassinensis Abbas, *Splendidissimus Ecclesiæ Defensor & Doctor*, a Petro Diacono prædicatur. *Brunonis* Signini Episcopi *Expositionem de Consecratione Ecclesiæ* ad *Gotafredum* Magalonensem Episcopum: Item *De Consecratione Chrismatis*: *De Significatione vestimentorum Sacerdotalium*, edidit Domnus *Lucas Dacherius* Tom. XII. *Spicilegii*.

ARTICULUS IX.

De Chronicis quibusdam XI. Sæculi.

I. AD undecimum sæculum pertinent *Gemblacensis Monasterii* O. B. & Diœcesis Namurcensis, *Abbatum Gesta*, Authore Monacho ejusdem Cœnobii, ab anno nongentesimo vigesimo-secundo ad annum millesimum decimum tertium, Tom. VI. Spicilegii Dacheriani edita. Gemblours.

II. *Chronicon Mosomensis Monasterii*, O. B. Diœcesis Remensis, ab anno nongentesimo septuagesimo-primo ad millesimum trigesimum-tertium, editum ejusdem *Spicilegii* Tom. VII. cum Additione ad annum usque millesimum ducentesimum-duodecimum. Mouson.

III. Chronicon Fontanellensis Abbatiæ O. B. Diœcesis *Rothomagensis*, nunc *S. Wandregesili* nuncupatæ, cum Appendice ad annum usque millesimum quinquagesimum-tertium. Editum est Tom. III. *Spicilegii*. S. Wandrille.

IV. *Historia Monasterii Afflegemensis*, sive *Afflegemiensis* O. B. in Brabantia, ab ejusdem Cœnobii Monacho scripta, & Tom. X. *Spicilegii* edita. Afflinghem.

V. *Chronicon Centulensis Abbatiæ*, sive *S. Richarii* O. B. Diœcesis Ambianensis, Authore *Hariulfo* Monacho, ab anno circiter sexcentesimo-vigesimo-quinto, ad annum millesimum octogesimum-octavum perductum, & quatuor libris absolutum. Editum est Tom. IV. *Spicilegii*. S. Riquier.

VI. *Chronicon Andrensis* * sive *Adernensis Monasterii* O. B. in Diœcesi olim Morinensi sive Tervanensi, nunc Boloniensi, a Guillelmo ipsius Cœnobii Abbate conscriptum; quod tamen ab alio Authore continuatum est, cum ab anno millesimo octogesimo-secundo ad millesimum ducentesimum trigesimum- Andres.

quar-

quartum res gestas commemoret. Tom. IX. *Spicilegii* editum est.

CAPUT VI.

De Scriptoribus XII. Saeculi.

ARTICULUS I.

De Radulpho Ardente, S. Ulalrico, Lupo Protospata, Petro Alphonsi, Philippo Solitario, Francone Abbate, Ingulpho, & Berengoso.

I. RAdulphum Ardentem, Pictavum, *Guillelmo IV.* Aquitanorum Duci, a Concionibus, cujus *Sermones de Tempore & Sanctis* editi sunt, anno centesimo supra millesimum, claruisse scribit *Aubertus Miraeus* in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis. Eadem tempestate *S. Ulalricus* Ordinis Benedictini Monachus *Antiquas Consuetudines Cluniacenses* collegit. Editæ sunt Tom. IV. *Spicilegii*.

II. Lupus Protospata, quem ita cognominatum ajunt, quod Officio Protospatarius esset, sive Palatinorum Militum Primipilus, ex Apulia oriundus, scripsit *Chronicon de Rebus in Regno Neapolitano Gestis* ab anno DCCCLX. ad annum MCII. breve quidem, sed accuratum, inquit *Aubertus Miraeus*.

III. Moyses, Judæus, ad Christianam Fidem conversus, & Baptismate initiatus anno Christi MCVI. ætatis suæ XLVI. die natali Apostolorum *Petri* & *Pauli* a *Stephano* Episcopo Oscensi in Hispania, Susceptorem habuit e sacro fonte *Alphonsum* Regem ideoque *Petrus Alphonsi* appellatus est. *Dialogum* scripsit *Contra Judæos*, in Titulos XII. distinctum, quo Religionis Christianæ veritatem asseruit. Extat in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis Tom. XXI.

IV. Philippus Solitarius, Græcus, anno 1105. Alexio Comneno Imperatore, *Diopram*, id est, Regulam sive Amussim rei Christianæ scripsit in modum Dialogi ad *Callinicum* Monachum. Quatuor libros complectitur. *Anima* ut Discipula, *Caro* ut Magistra interloquuntur: quæ sanæ personæ minus conveniunt his quibus tribuuntur, cum in sermone de rebus ad Christianam perfectionem pertinentibus Anima potius Magistra, Caro Discipula dicenda sit. Quosdam nævos habet *Dioptra*; libro quippe secundo, Capp. XI. & XII. asserit Christum ad Inferos descendentem omnes animas cum amicorum, tum inimicorum a captivitate, & pœnis liberasse, cum hoc discrimine dumtaxat, quod illas in gloriam statim receperit; illas vero infra reliquerit ad diem usque Judicii. Hypothesim illam suam *Philippus* confirmat *S. Joannis Damasceni* testimonio, in Oratione quæ ipsius non est. Antichristum specie & opinione sola, non re ipsa hominem fore ait lib. 3. cap. 10. De aliis Dioptræ nævis lege Notas P. *Gretseri* Societatis Jesu Theologi. Hoc Opus ex Bibliotheca Augustana erutum latinitate donavit *P. Jacobus Pontanus* ejusdem Societatis Theologus. Extat in Bibliotheca Patrum. *Philippi Solitarii Nævi.*

V. Franco, Cœnobii Afflegemensis, sive (ut alii loquuntur) Affligeniensis, in Brabantia, Ordinis Benedictini monachus sub *Fulgentio I.* Abbate, ineunte Sæculo XII. & post ejus obitum, qui anno 1122. contigit, ejusdem monasterii secundus Abbas, libros 12. *De gratia Dei*, jussu *Fulgentii* ipsius scripsit, qui in Bibliotheca Patrum leguntur. Item, carmen *De statu futuræ gloriæ*, quod forsan aliud non est ab eo, quod libro 12. *De Gratia* insertum est. Sermones item de B. Virgine, & varias Epistolas; quarum duas Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis Tom. XXI. exhibet. Celebratur Abbas *Franco* a *Trithemio* in lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis, & ab *Odone Cambiero* monacho Afflegemensi in Continuatione Historiæ Afflegemensis ex veteribus monumentis conscripta, & a Domno *Luca Dacherio* historiæ ejusdem Cœnobii adjecta, Tom. X. *Spicilegii*.

VI. Ingulphus, Patria Londinensis, *Guillelmo* Normannorum Duci a Secretis fuit. Deinde Fontanellensis O. B. monachus in Neustria factus est. Tandem favore ejusdem *Guillelmi* Ducis, jam Anglorum Regis, Abbas *Croylandensis* * in Anglia creatus, sui, aliorumque Cœnobiorum scripsit historiam; in qua multa passim de Regibus Angliæ ab anno DCLXIV. ad annum MLXVII. quo *Guillelmus I.* regnare cœpit, commemorat. Scripsit etiam *Vitam S. Guthlaci*. Obiit anno millesimo centesimo-nono. *Ingulphi* historia cum aliis Rerum Anglicarum Scriptoribus a *Savilio* edita est. *De Croyland.*

VII. Berengosus, Abbas *S. Maximini* extra muros Trevirenses, O. B. florebat anno MCXII. Scripsit libros tres *De Inventione & laude S. Crucis*, libellum *De Mysterio Ligni Dominici*, & Sermones aliquot. Quæ Opera extant in Bibliotheca Patrum. Fabulam de lepra Constantini Magni Imperatoris multis capitibus adornat libro 3. eumque a *S. Silvestro* Romæ fuisse baptizatum asserit, apocryphis Actis deceptus. Eumdem porro Pontificem a Latinis Silvestrum, a Græcis Eusebium appellari fabulatur: quia sicut a legendo lector, vel a pingendo pictor, sic Eusebius a scribendo dicitur bonus scriptor. Hinc factum conjicit ut Græci ab Eusebio, Latini a Silvestro baptizatum Constantinum commemorent. Quam lacrymabilis sit hæc observatio, lector judicet.

ARTICULUS II.

De Sancto Anselmo Cantuariensi, Eadmero, & Joanne Abbate Fiscanensi.

I. S. ANselmus, Augustæ ad Alpium radices natus, anno ætatis suæ vicesimo-septimo in Cœnobio Beccensi monachum induit *Herluino* Abbate, Priore *Lanfranco*. Cum vero *Lanfrancus* Cœnobii Cadomensis Abbas factus esset, Prior ipse monasterii Beccensis factus est anno Christi 1063. Qua in Præfectura scripsit, *Monologion*, *Proslogion*, *librum contra Gaunilonem respondentem pro Insipiente*, *Dialogos de Veritate*, *de casu diaboli*, *de libero Arbitrio*, *de Grammatico*, & aliquot *meditationes*. Post *Herluinum* Beccensis Abbas electus est anno 1078. mense Septembri. Archiepiscopus Cantuariensis electus est pridie Nonas Martii anno 1093. & pridie Nonas Decembris Cantuariæ consecratus. Librum *De Fide Trinitatis & de Incarnatione Verbi contra Roscelinum Hæreticum*, quem inchoaverat Abbas, anno 1094. perfecit, & *Urbano II.* Romano Pontifici dicavit. Libros, *Cur Deus homo*, eodem anno cœptos, perfecit anno 1098. Anno sequenti scripsit librum *De Conceptu Virginali*, Librum *De Processione Spiritus Sancti*; & Epistolam *De Azymo* ad *Waleramnum* scripsit anno 1101. Epistolam vero *De diversitate Sacramentorum* ad eumdem, anno sequenti. Librum *De Concordia Præscientiæ, Prædestinationis & Gratiæ Dei cum libero arbitrio*, sub finem vitæ elucubravit. Obiit anno 1109. die 21. Aprilis, multis pro Ecclesia perfunctus laboribus, anno ætatis 76. Ab *Eadmero*, in ejus Vita & in *Historia Novorum* Willelmo Malmesburiensi lib. *De Gestis Regum*, & *Pontificum Anglorum*, Honorio Augustodunensi lib. 4. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 15. *Sigeberto* cap. 168. *Hildeberto* Cœnomanensi Episcopo, Epistolis 21. & 22. *Willelmo Gemeticensi*, *Willelmo Neuburgensi*, *Orderico Vitali*, *Vincentio Bellovacensi*, *Sancto Antonino*, *Trithemio* Abbate &c. commendatur. *Anselmus* (inquit Willelmus Malmesburiensis) *quo nemo umquam justi tenacior, nemo tam anxie doctus, nemo tam penitus Pater Patriæ, Mundi Speculum*. *S. Anselmi Cantuariensis Opera.* *S. Anselmi elogium.*

Librum *De voluntate Dei*, MSS. Codices Operum *S. Anselmi* non exhibent, *Eadmerus* in ejus Vita non commemorat. Non absurde forsan quis conjiceret esse *Anselmi Laudunensis*, qui eo Sæculo de voluntate Dei disputavit, & contra quem scripsit *Rupertus* Abbas. Verum tamen verba ac sententias *S. Anselmi* isto in Libello deprehendi asserit Domnus *Gerberonius*, in Censura ipsius Operum, quam accuratissimæ illorum editioni a se procuratæ præfixit. *Dubia vel supposita S. Anselmi Opera.*

Tractatus *De Melo*, cujus ipse meminit *Anselmus* Epistola ad *Mauritium*, quæ est octava libri secundi, est Fragmentum Dialogi *De Casu diaboli*, ex cap. 11. transcriptum. De-

Declaratio cujusdam in librum S. Anselmi *De Conceptu Virginali & originali peccato*, in MSS. Operum illius Codicibus non extat. Ejus Author S. Bernardo coævus fuit, quem ita laudat *Bernardus nostrorum temporum Spiritus Sancti organum*. Immo S. Anselmum laudat his verbis; *Anselmus noster*.

Offendiculum Sacerdotum, est excerptum ex Epistola *S. Anselmi* ad *Guillelmum* Abbatem Hirsaugiensem, quæ est quinquagesima-sexta libri primi. *Honorio Augustodunensi* hic liber falso a nonnullis est adscriptus. Tametsi librum ejusdem argumenti se scripsisse ipse testetur in fine libri 4. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*.

Librum *De Nuptiis consanguineorum*, inscriptio, & stylus *S. Anselmo* adjudicandum suadent. Unum difficultatem facessit, quod scilicet cap. 3. & 7. doceat matrimonium inter cognatos in sexto gradu posse contrahi, cum tamen in Conciliis Angliæ, quibus ipse præfuit, connubia usque ad septimum cognationis gradum vetita sint. Sed facile diluitur difficultas ista, dicendo, Concilia Anglicana consanguineorum nuptias prohibuisse, quoadusque parentela ex alterutra parte ad septimum gradum perveniat, ut ex Synodo Londoniensi sub *Lanfranco* anno 1075. compertum est; adeo ut si contrahentium unus alterum in sexto, hunc vero in septimo gradu alter contingat, matrimonium iniri possit legitimum.

Homiliæ & Exhortationes, quæ nec ab *Eadmero* commemorantur, nec in MSS. comparent, inter dubios *Sancti Anselmi* fœtus reponendæ videntur.

Carmen *De Contemptu Mundi*, MSS. Codices *S. Anselmo* non tribuunt. Sed *Bernardo Cluniacensi* adscribit Aldenburgensis, Gemmeticensis *Claudiano*, Beccensis *Rogerio Cadomo*.

Meditatio IX. quæ inscribitur, *Speculum Evangelici Sermonis*, & incipit his verbis, *Jesum Nazarenum*, inter Opera *S. Bernardi* legitur sub hoc titulo: *Sermo De Passione Domini*, sed tam ab *Anselmi*, quam a *Bernardi* stylo abhorret. XII. XIII. & XIV. cum in MSS. pene omnibus desiderentur, nec S. Anselmi stylum referant, saltem posteriores duæ, dubios inter *S. Anselmi* fœtus meo quidem judicio censentur. XV. Quæ tripartita est, cum scripta sit ad Sororem Authoris Virginem, *S. Anselmi* non videtur, qui Sororem unicam habuit *Richeram*, conjugatam, non Virginem. Leguntur capite 47. libelli *De Vita Eremitica ad Sororem*, perperam olim *S. Augustino* adscripti. In XVI. initium legitur capitis 8. libri Meditationum *S. Augustino* suppositarum.

Orationum S. Anselmi nomine inscriptarum pleræque leguntur in libellis *De Contritione Cordis & Meditationum*, *S. Augustino* perperam adscriptis. Aliquas tamen & Codicum MSS. fides, & *Eadmeri*, immo & ipsius *Anselmi* Epistola XX. libri primi, & Epistola LI. libri secundi, testimonium illi vendicat. Aliquas *Sancti Anselmi* esse dixi, quia *Joannis* Fiscanensis Abbatis nonnullas esse, Codex MS. *Sancti Arnulphi* Metensis, Opera ipsius continens, fidem facit. Harum specimen exhibet vir doctissimus D. *Joannes Mabillonius*, Veterum *Analectorum* Parte I. observatque in isto Codice priores undecim Orationes, prima manu scriptas, esse *Joannis* Abbatis; duodecimam & sequentes secunda manu exaratas, esse *S. Anselmi*. Non esse quippe verisimile, *Joannem*, qui Libellum suum ex Scripturis & verbis Patrum se deflorasse profitetur, quidquam delibasse ex *Anselmo*, qui *Joanne* sene, juvenis erat, annos scilicet quadraginta quatuor natus, cum Abbas electus est anno Christi 1078. qui *Joannis* Abbatis Fiscanensis obitum præcessit.

Psalterium Beatæ Virginis, ne S. Anselmo afferam, prohibent MSS. Codices Operum ipsius, qui vel illud non exhibent, vel mutilum & absque Authoris nomine repræsentant, ut Victorinum & Floriacense, teste Domno *Gerberonio*.

Elucidarium, S. Anselmi non esse constat, eoque indignum prorsus esse. *Honorio Augustodunensi* id Operis tribuit Abbas *Trithemius* lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis: *Guillelmo Conventriensi* Carmelitæ, qui anno circiter 1360. florebat, *P. Theophilus Raynaudus* S. J. in Erotematis asseruit. At sententiam *Theophili* refellit *P. Labbé* in Dissertatione Historica De Scriptoribus Ecclesiasticis, ex MS. Codice Bibliothecæ Collegii Parisiensis ejusdem Societatis, in quo cum pluribus *Guiberti Novigentini* Tractatibus reperitur *Elucidarium*. Qui Codex ætatem *Guillelmi Conventriensis* superat. Illud inter Opera sua cum recenseat *Honorius Augustodunensis*, non video, cur ipsi abjudicetur.

Dialogum de Passione Domini, Eadmeri silentium, hæc Prologi verba, *Beatus Anselmus*, &c. & fabulæ puerilesque nugæ quibus scatet, *S. Anselmo* abjudicant.

Liber *De Mensuratione Crucis*, in nullis Codicibus MSS. Operum *S. Anselmi* reperitur. *S. Bernardum* laudat, qui nondum Monachum induerat, cum obiit *S. Anselmus*. Loquitur de merito *ex condigno*; quæ vox ante Sæculum XIII. non erat in usu. Quamobrem falso præfert *S. Anselmi* nomen.

Liber De Conceptione Beatæ Virginis, non est S. Anselmi.

Liber *De Conceptione B. Virginis*, supposititius est *S. Anselmi* fœtus. 1. Deest in pluribus & sincerioribus MSS. Regiæ Victorinæ, Thuanææ, & aliarum in Gallia, in Anglia, in Belgio Bibliothecarum. 2. Ab hujus libri doctrina prorsus alienus est *S. Anselmus*, qui lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 16. & 17. diserte docet beatam Virginem in peccato conceptam esse, & necesse fuisse Deum hominem fieri ut illa mundaretur, ipsamque fuisse de illis qui ante Nativitatem ejus per eam mundati sunt a peccato. 3. *De* festiva Solemnitate Conceptionis Beatæ Virginis sic loquitur hujus Tractatus Author. *Principium quo salus mundi processit, mihi considerare volenti occurrit hodierna solemnitas, quæ Conceptione Beatæ Matris Dei Mariæ multis in locis festiva redditur. Et quidem priscis temporibus frequentiori usu celebrabatur, ab iis præcipue in quibus pura simplicitas & humilior in Deum vigebat devotio. At ubi & major scientia, & præpollens examinatio rerum mentes quorumdam imbuit & erexit; eamdem solemnitatem, spreta pauperum simplicitate de medio sustulit: & eam quasi ratione vacantem redegit in nihilum. Quorum sententia eo maxime in robur excrevit, quod ii qui eam protulerant, sæculari & Ecclesiastica Authoritate, divitiarumque abundantia præminebant.* Hæc vero *S. Anselmi* temporibus non congruunt, sed *S. Bernardi* ætati qui Lugdunenses Canonicos reprehendit statim atque compertam habuit hanc novitatem. *Superstitione*, inquit, *deprehensa*, &c. Quod vero *S. Anselmi* ætate Festiva Conceptionis Beatæ Virginis solemnitas abolita fuerit, vel ab Anselmo, dum Lugduni ageret, instituta, ut quidam comminiscuntur, nulli hujus temporis Scriptores tradunt. *Eadmerus* cum in Vita *S. Anselmi*, tum in *Historia Novorum*, hac de re omnino silet, eam non prætermissurus Controversiam, si orta fuisset Magistri sui ætate, præcipuasque partes in illa habuisset. Denique doctissimus Cardinalis *Baronius* in Notis ad Martyrologium Romanum, Sexto Idus Decembris, de isto Tractatu ita censet: *S. Anselmus de Conceptione Virginis Commentarium scripsisse fertur: Sed an ejus sit, a multis merito ducitur in controversiam, cum habeat multa quæ eidem Authori repugnent, ut notat Joannes Turre-Cremata in Tractatu de Veritate Conceptionis Beatissimæ Virginis*. Hæc porro & sequentibus observationibus absit ut opinioni piæ de immaculata Conceptione Deiparæ Virginis præjudicatum velim.

Epistola De Conceptione Beatæ Virginis *supposita est S. Anselmo.*

Epistola de Conceptione Beatæ Virginis, & Miraculi sequens Narratio, non sunt *Sancti Anselmi*. I. Quia adeo varie descripta est hæc Epistola, ut mendacio in incerto fluctuanti, quam veritati quæ sibi constat propior sit. II. Refert in Daniam missum *Elsinum* a *Guillelmo Conquæstore* statim atque Rex Angliæ inauguratus est, qui exploraret utrum Dani Classem ad expugnandam Angliam instruerent: Quod nullus Rerum Anglicarum Scriptor memoriæ prodidit; immo testantur omnes *Guillelmum* Regem statim ab inauguratione sua in Normanniam transfretasse, quod non fecisset, si a Danorum incursu sibi cavisset. III. *S. Elsinus* electus in Abbatem Ramesiensem non fuit ante annum 1080. At *Guillelmus I.* Angliam ditioni suæ subjecit anno 1056. Tunc ergo *Elsinum* Cœnobii Ramesiensis Abbatem in Daniam non misit exploratorem. IV. Fabulosa est narratio de quodam Diacono Hungariæ Regis germano, qui uxorem ducturus,

ctorus, a B. Virgine deterritus sit, ac æternorum præmiorum promissione inductus ad Festum Conceptionis ipsius celebrandum, quod demum instituerit factus subinde Aquileiensis Patriarcha. Hunc unum ex *Caroli Calvi* filiis, *Fridericum* nomine fuisse fingunt. At *Ughellus* Tom. V. *Italiæ Sacræ* hoc figmentum explodit. Et sane *S. Bernardus*, *Potho Prumiensis*, & alii celebritatem Conceptionis non arguissent novitatis, si ab anno 874. quo *Fridericus* Aquilejenses Archiepiscopos inter quadragesimus-tertius electus est, in celeberrima Italiæ Ecclesia instituta fuisset. Adde hunc *Fridericum* Caroli Calvi filium nullo antiquitatis monumento probari. V. Miraculum aliud quod narratur ibidem de Sacerdote, qui a villa quadam rediens, ubi fuerat cum aliena uxore fornicatus, a Dæmonibus submersus est in Sequanam, & ad tormenta raptus, tertia vero die a B. Virgine liberatus, quia ejus Horarias preces post adulterium sacrilegum recitaverat, apocryphum est, & impœnitentiæ finali favet ista narratio; neque cum Ecclesiæ fide convenit, quæ a Spiritu Sancto edocta profitetur, ibi lignum fore ubi ceciderit; damnatorum pœnas æternas, nullamque in inferno redemptionem esse. VI. Beata Virgn non jubet, sed rogat, & eodem prorsus modo rogat hominem ab inferis favore suo liberatum, ne adulterium deinceps committat, & ut suæ Conceptionis Festum celebret: *Cui Mater Jesu ait: Precor te ne de cætero in adulterii peccatum cadas. Precor te iterum ut de cætero Festum Conceptionis meæ devote celebres annuatim sexto Idus Decembris & ubique celebrandam prædices.* VII. Ratio ista qua ejus Conceptionem æque ac Nativitatem celebrandam suadet Epistolæ istius Author, quia *Nisi conciperetur, numquam nasceretur*, ætate *S. Bernardi* inventa est, qui eam refellit in sua ad Canonicos Lugdunenses Epistola. VIII. Eos qui Conceptionem B. Virginis celebrare respuunt, *insensatos, stultos, ignorantiæ tenebris excæcatos* appellat, quod a *S. Anselmi* modestia & mansuetudine alienum est. IX. Minus apposita dicit, *Per Beatam Virginem omnes Sanctos sanctificari* immo errorem verba ista continent, nisi ad eum sensum coerceantur, quod B. Virgo Christum peperit, per quem omnes Sancti sanctificantur, & sua intercessione gratiam ac sanctitatem devotis sibi Christianis obtinet. X. In Codice MS. Gemmeticensi quo Revelatio *Elsino* Abbati in naufragio facta de celebranda Conceptione B. Virginis continetur, alia miracula Deiparæ precibus edita narrantur, quæ ad ædificationem Fidelium nullatenus conducunt, immo potius cachinnis & calumniis Hæreticorum Catholicam Religionem exponerent, si leviter crederentur, & præsumptionem de misericordia Dei fœdissimis peccatoribus ingenerarent, modo preces aliquas Beatæ Virgini persunctiore funderent. Ejusmodi est illud quod in dicto Codice narratur de Abbatissa, quæ cum Castitatis votum sacrilego stupro violasset, & prægnans Beatæ Mariæ preces funderet, ab ea, duobus Angelis obstetricantibus, liberata est. Apage fabolas in Christianæ Religionis dedecus confictas.

Passio SS. Guigneri, Fingaris, Pialæ, & Sociorum, omnium Eruditorum judicio *S. Anselmo* abjudicatur.

Disputatio Judæi cum Christiano, est *Gisleberti* Abbatis Westmonasteriensis, qui eam ad *S. Anselmum* examinandam transmisit.

Annulus, seu *Dialogus Christiani & Judæi de Fidei Sacramentis*, est *Ruperti* Abbatis Tuitiensis, ut ipse testatur in Prologo ad Libros *De Glorificatione Sanctæ Trinitatis & Processione Spiritus Sancti*.

Liber *De Sacramento Altaris*, non est *S. Anselmi*. Reprehendit enim aliqua quæ in Libris *Ruperti De Divinis Officiis* leguntur, quos anno MCXI. scripsit. Sanctus vero *Anselmus* obierat anno MCIX. *Guillelmo* Abbati *S. Theodorici* hunc librum MSS. probatæ fidei vindicant: Et inter ejus Opera editus est in Bibliotheca Cisterciensi.

Liber *De membris & actibus Deo attributis*, qui in prioribus *Sancti Anselmi* Editionibus habebatur, tam non est illius, quam non est *Sancti Augustini*, cujus inter Opera Tom. IV. legitur inscriptus, *De essentia Divinitatis*, nec S. Hieronymi, cujus Operum Tom. IX. extat Epistola *De iis quæ Deo in Scripturis Sanctis attribuuntur*. Editum etiam est inter *S. Bonaventuræ* Opuscula.

Libri *De imagine mundi*, non sunt *S. Anselmi*, sed *Honorii Augustodunensis*, qui ipsos inter Opera sua recenset; Unde inter ipsa merito editi sunt in Bibliotheca Patrum. *De Sancti Anselmi* Operibus lege Robertum de Monte ad annum 1109. Qui plura volet, legat Domni *Gerberonii* Monachi Benedictini, qui postremam eamque omnium uberimam & accuratissimam Operum *Sancti Anselmi* editionem procuravit, Censuram, ex cujus lectione multum profeci.

II. Eadmerus, sive *Edmerus*, quem nonnulli *Edinerum* corrupte vocant, Natione Anglus, Cantuariensis Ordinis Benedictini monachus, *S. Anselmi* auditor & discipulus, deinde convictor & amicus, laborumque & exiliorum individuus comes, Vitam ejus scripsit duobus libris; *Historiam Novorum*, sex libris distinctam, qua rerum mutationes insolitas suis temporibus in Anglia factas memoriæ tradidit, & in hoc maxime versatur, ut ea quæ inter Reges Angliæ, & *S. Anselmum* Cantuariensem Archiepiscopum gesta sunt, inconcussa veritate designet. Item librum unum, *de Gestis sui temporis*, *Historiarum Collectanea*, *Vitam S. Wilfridi Archiepiscopi*, librum *de libertate Ecclesiastica*, seu *de discordia inter Guilelmum Rufum Anglorum Regem, & S. Anselmum*: item *Querelam super morte S. Anselmi*, *Carmine Elegiaco*: *Carmen de S. Dunstano*, librum *de Institutis Christianæ vitæ*, libros *de Excellentia B. Virginis Mariæ*, *de beatitudine cœlestis patriæ*, *de S. Anselmi similitudinibus*. Varias etiam Epistolas scripsit. Vitam S. Anselmi, historiam Novorum, libros de Excellentia B. Virginis, de beatitudine cœlestis patriæ, & de S. Anselmi similitudinibus, edidit *Domnus Gabriel Gerberonius* cum operibus *S. Anselmi*. A *Wilelmo Malmesburiensi Eadmerus* lib. IV. hoc ornatur elogio: *Edmerus nostrorum temporum historicus, sinceritate veritatis laudandus*. Eum etiam commendant Trithemius Abbas, & alii.

III. Joannes *Fiscanensis Abbas*, Ordinis Benedictini, in Normannia, sub Rothomagensi Archiepiscopatu, in Cœnobio Divionensi *Sancti Benigni* monachum induerat. Deinde Fiscani Prior a *Willelmo* Abbate constitutus, eo cedente Abbas electus est anno MXXXVIII. Præfuit & Erbtestensi Abbatiæ in Suevia, *Henrico tertio* Imperatore favente. Natione Italus, Ravenna oriundus erat, exili corpore, staturaque pusillus, unde *Joannellinus* appellatus est: cæterum doctrina & omnium virtutum apparatu maximus, ut mirum esset in tam parvo corpore gratiæ Dei tanta dona exuberare, inquit *Joannes* Chronographus *S. Benigni* de ipso adhuc superstite sermonem faciens. Quatuor aut quinque scripsit Opuscula. I. *De institutione viduæ*. II. *De vita & moribus Virginum*. III. *De eleemosynarum dispensatione*. IV. & V. *De divina contemplatione & de superna Hierusalem*: qui orationes plerasque continet *S. Anselmo* adscriptas. Duos istos posteriores libellos exhibet Codex Metensis *Sancti Arnulphi* circa annum MLXXX. exaratus, ut conjicit vir doctissimus Domnus *Mabillonius*, cujus Annotationes in istos libellos, quorum specimen exhibet *Tomo I. Veterum Analectorum*, legi possunt a studiosis. Illos *Agneti Augustæ*, Viduæ *Henrici III.* Imperatoris dicavit, ut colligit vir idem eruditus ex Prologo ejusdem Abbatis *Joannis*, quem in laudato Volumine edidit: In eo *Joannes* edita a se Opuscula recenset.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 455. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Hæc propositio sapit errorem, PER Beatam Virginem omnes Sancti justificantur.*

R. Non ita scripsi; sed, *Errorem verba ista continent, nisi ad eum sensum coerceantur, quod Beata Virgo Christum peperit, per quem omnes Sancti sanctificantur, & sua intercessione gratiam ac sanctitatem devotis sibi Christianis obtinet*. Alio modo intellecta hæc propositin, immo per se sumpta, & secundum verborum sensom quibus expressa est; falsa est & erronea. A solo enim Deo per unum Jesum Christum pec-

peccatores justificari, dogma Fidei est. *Ad Romanos* III. cap. *Justitia autem Dei per Fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum: Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Et Cap. V. *Commendat caritatem suam Deus in nobis: Quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum..... Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Plura hac de re congerere non est opus. *Justificationis causa efficiens misericors Deus, qui gratuito abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: Meritoria autem dilectissimus unigenitus Filius suus, Dominus noster Jesus Christus: qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, sua sanctissima Passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.* Hæc Ecclesiæ doctrina est in Concilio Tridentino Sessione VI. cap. VII. explicata.

ARTICULUS III.

De Odone Cameracensi, Marbodo, Leone Marsicano, Petro Diacono Cassinensi, Sigeberto, & Anselmo Gemblacensi.

I. ODo, ex Aurelianensi Scholastico Abbas & instaurator Cœnobii *S. Martini* in Urbe Tornacensi, Ordlois Benedictini, demum anno 1105. Episcopus Cameracensis, cum virgam & annulum, quæ consecratus ab Ecclesia acceperat, iterato ab *Henrico* Germaniæ Rege nollet accipere, Sede sua pulsus, ut ipse testatur lib. *De blasphemia in Spiritum Sanctum*, in Prologo; in monasterio Aquicinctino prope Duacum exul obiit anno 1113. Scripsit *Expositionem Canonis Missæ*, libros tres *De peccato originali*, *Disputationem de Adventu Christi contra Leonem Judæum*, librum *de blasphemia in Spiritum Sanctum*; Homiliam *De villico iniquitatis*; quæ Opera Tomo XV. Bibliothecæ Patrum Editionis Coloniensis & XXI. Editionis Lugdunensis leguntur. Scripsit etiam librum *Collationum*, *Parabolas &c.* Ipsum commendant *Henricus Gandavensis & Trithemius* Abbas.

II. Marbodus, Patria Andinus, ex Archidiacono Andegavensi, ab *Urbano II.* in Concilio Turonensi anno 1096. Redonensis Episcopus creatus est. Quam Ecclesiam cum annos pene XXVII. sanctissime rexisset, senio confectus, & obitum imminentem præsentiens, depositis Infulis Monachum induit in Cœnobio Andegavensi *S. Albini*, Ordinis Benedictini, ubi Sanctam Regulam professus, paulo post obiit anno Christi 1123. die 11. Septembris. Ejus egregias virtutes *Ulgerius* Canonicus Andegavensis, & *Rivallo* Archidiaconus Redonensis, qui ipsi demortuo Epitaphia scripsere, Carmina cecinere, eximiamque illius eruditionem & facundiam prædicarunt. Ejus Elogium ex veteri Chartulario S. Albini Andegavensis pariter referont Sammarthani Fratres Tom. III. *Galliæ Christianæ*, pag. 927. *Cantica Canticorum* Carmine illustravit, literalem una & allegoricum sensum exponens. Præterea, *Vitam S. Laurentii*, & *Passionem Thebæorum Martyrum*, eleganti metro descripsit, ut refert *Sigebertus* lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis, c. 158. Scripsit Epistolam ad *Rainaldum* Andegavensem Episcopum, quæ est inter Epistolas *Hildeberti* octogesima. Sub ejusdem nomine circumfertur Epistola ad *Robertum de Arbrisello*, de qua sententiam dicemus in Dissertationibus. Alia *Marbodi* Epistola ad *Hildebertum* Cenomanensem Episcopum, qui illum consuluerat de viro a quo uxor debitum thori postulabat, licet ipsi votum Monasticæ Vitæ, consensu ejus, emisisset; edita est Tomo XIII. *Spicilegii*.

III. Leo Marsicaous, ex Cassinensi Monasterio ad Cardinalitias Infulas & Ostiensem Episcopatum assumptus, vir eruditionis eximiæ, quem *Petrus Diaconus* lib. *De Viris Illustribus Cassinensibus*, cap. XXX. *Sanctitate & Monasticis Disciplinis ad plenum imbutum, & in Divinis Scripturis apprime eruditum* prædicat, Historiam Cassinensis Monasterii, jubente *Oderisio* Abbate, libris tribus complexus est, eamque a Sancto Patre *Benedicto* ad *Desiderium* Abbatem perduxit. Scripsit præterea *Historiam Peregrinorum*, *Vitam S. Mennatis* seu *Mennæ Confessoris*, *Sermones de Paschate & Nativitate*. Obiit post annum 1115. quo subscripsit Diplomati *Paschalis II.* Ecclesiæ Marsorum concesso. Ab altero *Leone* Monacho pariter Cassinensi, qui *Urbano II.* fuit ab Epistolis, & Regestum ejus composuit, quique a *Paschali II.* inter Cardinales Diaconos conscriptus est, quem *Insignem studio ac eloquentia* Petrus Diaconus cap. 31. prædicat, *Leo Marsicanus* distingui debet. Hos enim Cardinalis *Baronius*, & *Possevinus* in Apparatu Sacro non confudissent, si *Petri Diaconi* Libellum ipsis legere licuisset.

IV. Petrus, gente patritia Romæ natus, anno ætatis suæ quinto Monasterio Cassinensi oblatus est, & a *Girardo* Abbate susceptus, a quo annos octo eruditus, anno ætatis vigesimo-primo animum ad scribendum appulit. Plurium Sanctorum Gesta, Sermones varios, & Epistolas, Sacros Hymnos, *Scholia in Vetus Testamentum*, *Expositionem in Regulam S. Benedicti* libris quatuor dictam, librum *De Viris Illustribus Cœnobii Cassinensis*, composuit. In Physicis Mathematicis, Astronomia, Musica, peritum fuisse, Veterum qui iis in studiis excelluerunt, breviati libri & illustrati, quidam etiam propria minerva scripti, testantus. Chronicon Cœnobii sui Cassinensis a *Leone Marsicano* cœptum, & ad *Desiderii* Abbatis tempora perductum, prosecutus est, & quæ ille de Gestis *Desiderii*, morte interceptus omiserat, tertio ipsius libro subnectens, reliqua adjecto quarto libro complexus est, jubente *Rainaldo* S. R. E. Cardinali & Abbate Cassinensi, cui illum dicavit. Quamobrem *Leoni Marsicano* Petrum Diaconum hic subjunximus, quamvis paulo junior fuerit. Quo obierit anno, incertum.

V. Sigebertus, Gemblacensis * in Brabantia Monachus, ordinis Benedictini, multa scripsit, quæ ipse recenset postremo Capite libri sui De Scriptoribus Ecclesiasticis. In his præcipuum locum tenent *Chronicon* ab anno Æræ Christianæ 397. ad ann. 1112. perductum, quod ad fidem autographi Codicis Gemblacensis edidit *Aubertus Miræus*; Carmen Heroicum in *Ecclesiasten*, liber *De Viris Illustribus*, sive *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & quorumdam *Sanctorum Vitæ*. Quæ vero contra *Gregorium VII. Paschalem II.* scripsit Opuscula, *Henrici* Imperatoris Schismatici partibus addictus, censorio inusta stigmate rejiciuntur: nimirum Responsio ad Epistolam *Gregorii VII.* ad *Herimannum*, & Responsio ad Epistolam *Paschalis II.* Leodiensis Ecclesiæ nomine. Obiit anno 1113. die 5. Octobris. Libellus *De Gestis Abbatum Gemblacensium* a Monacho ejusdem Cœnobii circa annum 1140. scriptus, quem Domnus *Lucas Dacherius* Tom. VI. *Spicilegii* edidit, *Guerini* Abbatis Gesta Commemorans, & Illustres Monachos qui sub eo floruerunt, de *Sigeberto* hæc habet: *Item floruit Domnus Sigebertus, morum probitate & scientiæ multiplicitate laudabilis, & gratus sui temporis Sapientibus: non indiget nostris laudibus, quia laudant eum opera ejus. Cum enim esset juvenilis ætatis tempore Nascellini Abbatis Metensibus notificatus, & in Cœnobio S. Vincentii Martyris cum Fulcuino Abbate diu conservatus, sapientiæ fons patens erat, non solum Monachis, sed & Clericis ad se undique confluentibus, &c.* Addit, ipsum non solum Christianis, sed etiam Judæis ea in urbe fuisse carissimum, quod Hebraicam Veritasem a cæteris assertionibus discernere erat peritus. Cum vero ad Cœnobium Gemblacense rediisset, ro-

* De Gemblours.

gante

garite *Henrico* Archidiacono & Decano Ecclesiæ *S. Lamberti* Leodiensis,* scripsisse ad Trevirenses librum *De jejuniis Quatuor Temporum*, &c. Ab eo se institutum gloriatur, qui Gesta Gemblacensium Abbatum scripsit, *Scripturarum maxime Divinarum lectio & meditatio eum occupabat*, inquit idem Author; *sed tamen quotidiana Missarum celebratio, & devota ad Deum oratio semper eum praeoccupabat*. Denique in extrema ægritudine, cum sciret sibi decretam esse honorificam intra Monasterium sepulturam, obnixe petiit ut Fratribus in Cœmeterio consepeliretur. Maximis propter eruditionem & religionem laudibus dignus fuisset Sigebertus, nisi in Schismaticorum castris militasset, ac extra Romanæ Ecclesiæ communionem, cujus legitimum Pontificem non venerabatur, (ut verisimile est) obiisset. *Robertus de Monte* in Appendice ad Sigeberti Chronicon, ipsum vocat Virum in omni scientia literarum incomparabilis ingenii.

VI. Anselmus, Gemblacensis Abbas post *Leitardum*, anno 1114. vir eruditus, quem laudatus *De Gestis Abbatum Gemblacensium* libellus commendat pag. 539. *Chronicon Sigeberti* ad annum usque 1136. continuavit.

ARTICULUS IV.

De S. Yvone Carnotensi, Rodulpho S. Trudonis Abbate, Baldrico, Anselmo Laudunensi, S. Norberto, & Florentio Vigorniensi.

I. S. YVO, Bellovaci natus, Cœnobii *S. Quintini* in eadem urbe Canonicus Regularis, & postmodum Abbas, Episcopus Carnotensis ab *Urbano* II. inauguratus est anno labente 1092. ut indicant Epistolæ *Urbani II.* Epistolis Yvonis præfixæ. Nam Capuæ VII. Kalendas Decembris datæ leguntur paulo post ejus consecrationem. Annum autem Christi illum fuisse, non sequentem; quod nonnulli tradunt, argumento est locus unde scriptæ sunt. Urbanus enim anno 1093. ad 8. Kalendas Decembris Tarenti erat, non Capuæ. Præterea, si hoc anno consecratus dicatur non constabit ante obitum *Urbani II.* septem annorum numerus, quos a suscepto Episcopatu exactos numerat Epistola 67. Itaque ab *Urbano* consecratus est anno 1092. Hanc observationem debemus doctissimo Patri *Sirmondo* S. J. in Notis ad Librum II. Epistolarum *Goffridi Vindocinensis*. Yvone Carnotensi eorante, Canonicorum Regularium Ordo in Galliis refloruit. Disciplinæ Ecclesiasticæ acerrimum fuisse propugnatorem, ejus Epistolæ & Acta probant. Vir fuit minime servilis, nec Potestatum adulator, etiam summarum. *Philippo I.* Galliarum Regi *Bertradam* Fulconis Comitis Andegavensis uxorem, viro superstite, *Bertha* uxore legitima repudiata superducenti, multis Episcopis conniventibus, renuit assentiri, & adulteram conjunctionem constanti improbavit animo, Regis offensionem, reddit)uum interceptionem, carcerem ab *Hugone* Carnutum Vicecomite propterea passus; ex quo eum cives Carnotenses armis ipsum liberare vellent, ipsos deterruit, *solis orationibus, & severitate Ecclesiastica* libertatem suam procurandam scribens. Ista constant ex ejus Epistolis 15. 19. 20. & 21. Conciliis Claromontann, Exoldunensi, Pictavensi, & Inaugurationi *Ludovici* VI. consilio suo Aureliæ celebratæ interfuit. Pluribus pro Ecclesia laboribus superatis, obiit anno 1115. Idibus Decembris, ut constat ex Martyrologio Carnotensi. Commendatur a *Sugerio* Abbate in Vita *Ludovici Grossi* Regis; *a Goffrido Vindocinensi* lib. II. Epistola I. ab *Hildeberto* Cenomanensi Episcopo, Epistola 26. & 39. a *Sigeberto* in Chronico ad annum 1078. & 1092. & lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 167. *Roberto de Monte* in Appendice ad *Sigebertum*, ad annum 1117. quo perperam ejus obitum consignat, ubi *Lanfranci* discipulum fuisse tradit, *Virumque Religiosum & magna literaturæ* prædicat. Juvat tamen *Robertus* Chronologiam nostram de anno obitus Yvonis Carnotensis, cum scribit ipsum *rexisse Ecclesiam Carnotensem viriliter & religiose fere annos viginti tres*. Constat enim ille numerus ab anno MXCII. quo

Yvonis Carnotensis elogium.

eum inauguratum fuisse diximus, ad annum MCXV. quo obitum ejus consignamus. Ipsum item laudibus ornarunt *Philippus Bonæ Spei* Abbas, in Epitaphio quod ipsi composuit, *Matthæus Paris* ad an. MCXVII. *Odericus Vitalis* ad annum MCIII. ita scribens: *Tunc Venerabilis Yvo Carnotenæ urbis Episcopus, inter præcipuos Franciæ Doctores eruditione literarum tam divinarum, quam sæcularium floruit*; Trithemius in lib. de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, &c. *Pius V.* Pontifex Maximus Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis diem ejus festum die 20. Maii celebrare permisit, Diplomate dato 18. Decembris MDLXX. quod incipit, *Licet Ecclesiæ*. Extat in Romano Bullario Tom. II. pag. 321. *Collectionem Decretorum* edidit, seu potius Collectiones duas: unam breviorem, quæ *Pannormia*, seu (ut aliis placet) *Pannomia* inscribitur quam ipsi vindicavimus in Appendice ad Dissertationem XX. in Historiam Ecclesiasticam I. Sæculi ubi *De variis Juris Canonici Collectionibus* egimus; proliviorem alteram, in partes XVII. distinctam, quæ simpliciter appellatur *Decretum Yvonis*. Fontes ex quibus hausit indicat in Prologo. *Excerptiones*, inquit, *Ecclesiasticarum Regularum, partim ex Epistolis Romanorum Pontificum, partim ex Gestis Conciliorum, Catholicorum Episcoporum, partim ex Tractatibus Orthodoxorum Patrum, partim ex Institutionibus Catholicorum Regum, nonnullo labore in unum corpus adunare curavi: ut qui Scripta illa, ex quibus ista excerpta sunt, ad manum habere non poterit, hinc saltem accipiat quod ad commod.m causæ suæ valere perspexerit*. Scripsit præterea Epistolas 287. quas Ecclesiasticæ Disciplinæ promptuarium merito appellaveris. Item Sermones 24. & *Chronicon breve de Regibus Francorum*. Chronicon alterum a *Nino* usque ad *Ludovicum Pium*, quod a nonnullis *Yvoni Carnotensi* incaute tributum est, *Hugonis Floracensis* esse constat ex duobus MSS. præstantissimis, quæ in Bibliotheca Regalis Abbatiæ *S. Victoris* ad muros Parisienses asservantur.

Yvonis Carnotensis Opera.

II. Rodulphus, Abbas Monasterii *S. Trudonis*,* Ordinis Benedictini in Diœcesi Leodiensi anno 1108. creatus, vir religione & doctrina insignis, scripsit Chronicon ejusdem Abbatiæ in Libros XIII. distinctum, quod Tomo VII. *Spicilegii* Dacheriani editum est. Præterea, Patrum sententias & multorum Decreta Conciliorum compilavit, ut ipse testatur lib. octavo, pag. 439. Item *Septem libros contra Simoniacos*, qui extant in Bibliotheca Gemblacensi, Volumen *Sacrorum Cantuum*, ut ipse refert pag. 450. Obiit anno 1117. Scripsit & Vitam *Lietberti* Cameracensis Episcopi, ut constat ex MS. Codice Aquicinctensi. Absque Authoris nomine edita est Tom. IX. *Spicilegii*. Ad ipsum scripsit *Sibertus* Prior Cœnobii *S. Pantaleonis*, quærens *An & qua ratione liceat aliquid exigere pro susceptione puerorum in Monasteriis*. Respondit *Rodulphus* Epistola prolixa & erudita ad quæstionem a *Siberto* propositam. Utramque Epistolam edidit *P. Mabillonius* Tom. II. Veterum Analectorum. Obiit anno 1117.

* S. Trou.

III. Baldricus, Magduno ad Ligerim oriundus, Cœnobii Burguliensis,* Ordinis Benedictini, in Andibus, Monachus & Abbas, vir religione, sapientia & doctrina conspicuus, Dolensium Episcopus electus & consecratus est anno Christi 1114. Pallio donatus a *Paschali II.* Pontifice Maximo in Concilio Remensi. *In Episcopatu Monachatum servavit, & cum Monachis plerumque habitabat. Indomitis enim Britonibus præerat, quorum perversitatem tolerare non poterat: unde protervos & exleges frequenter deserebat, & in Normanniam fugiebat, Fiscannense, Fontanellense, & Gemmeticense Cœnobia lustrans, & Monachos sacris Sermonibus confortans* (inquit *Ordericus Vitalis* lib. IX. *Historiæ Ecclesiasticæ*) Ipsum his verbis commendat *Petrus Malleacensis* Abbas in Epistola ad ipsum data. *De virtute*, inquit, *in virtutem ascendens, ad summum Sacerdotii apicem sublimari meruit, populumque sibi subjectum, tam prædicationis sanctæ vomere, quam bonorum operum ostensione, arguendo, obsecrando. pennis virtutum ad sublimia evexit. Felix revera & Deo amabilis terra Britanniæ, tanti Syderis illustrata coruscationibus ... O admiranda atque prædicanda supernæ dispensationis clementia! Ut ferocium* mi-

* De Bourgueil en Vallée.

Baldrici elogium.

Baldrici Opera.

misereretur, fatuitatemque excluderet, Patronam mitissimum, atque incomprehensibilis sapientiæ sale conditum, ad edomandam bellunam eorum cervicositatem direxit. Scripsit *Historiam Hierosolymitanam* quatuor Libris, quæ in collectione *Bongarsii* edita est. Prope sexagenarius manum Operi admovit, ut testatur ipse in Præfatione. Ab initio Expeditionis Sacræ, id est, ab anno 1095. exordium ducit, & in expugnatione Hierosolymorum desinit. *Veraciter & eloquenter* hanc Historiam ipsum scripsisse, recte judicavit Ordericus Vitalis. *Vitam* quoque scripsit *S. Samsonis Dolensis Episcopi*, *Pontificum Dolensium Gesta*, *Vitam S. Hugonis Archiep. Rothomagensis*, *Vitam Magistri Roberti Arbrissellensis*, Ordinis Fontis-Ebraldi Institutoris, rogante *Petronilla* prima Abbatissa. Nonnulla etiam Carmina Historica edidit, quæ publici juris fecit *Franciscus Duchesnius* Tom. IV. Historiæ Francorum. Obiit *Baldricus* die 7. Januarii 1131. & *Pratellis* in Ecclesia *S. Petri* sepultus est. Alius ab ipso est *Baldericus* Noviomensis ac Tornacensis Episcopus, qui *Cameracense Chronicon* scripsit, seu Historiam Cameracensis & Attrebatensis Ecclesiarum, olim unitarum, tribus libris distinctam. Obiit anno 1112. Chronicon illud edidit *Gregorius Colvenerius*, Doctor Duacensis.

Anselmi Laudunensis elogium.

IV. *Magister* ANSELMUS, Laudunensis Decanus, quem *Guibertus* Novigentinus Abbas lib. III. de Vita sua, *Virum totius Franciæ, immo Latini orbis lumen in liberalibus disciplinis ac tranquillis moribus* prædicat, & lib. 1. *De Miraculis S. Mariæ Laudunensis*, cap. 1. de ipso scribit: *Vir Sapientissimus Magister Anselmus, tunc temporis Ecclesiæ nostræ Canonicus & Decanus, per totam pene orbem Latinum scientia & eloquentia sua fama notissimus, &c.* Et in Procemin Commentarii in Genesim, ita *Bartholomæum* Laudunensem Episcopum compellat: *A dextris habes Anselmum, totius Latini orbis Magisterio prædicatum, cujus tam sincera est in Scripturarum ac fidei assertione severitas, ut plures veros suis probetur documentis fecisse Catholicos, quam instituere potuerit Erroneus quispiam temporis hujus Hæreticos.* Hunc Joannes Canonicus *S. Victoris* Parisiensis in Chronico MS. vocat *Virum in literatura suis temporibus nulli secundum, morum honestate, & consilii maturitate venerabilem:* de quo dixisse fertur *Eugenius III.* Pontifex Maximus, *Deum Spiritum ejus suscitasse, ne Scriptura periret:* cujus ingenium, eruditionem, prudentiam, caritatem, mansuetudinem, facundiam, commendat Epitaphium ejus tumulo inscriptum ab uno ex ipsius Discipulis, Lauduni in Ecclesia S. Vincentii. *Petrum Abaelardum* discipulum habuit, sibi non satis æquum.

Anselmi Laudunensis Opera.

Glossas Marginales & Interlineares in Psalterium composuit; teste *Joanne* Canonico *S. Victoris*, in Chronico, *Epistolas quoque S. Pauli, & alias utriusque Testamenti Scripturas pari modo delineando exposuit, & in eis exponendis atque glossandis juxta antiquorum Patrum Scripta, usque ad senilem ætatem desudavit* (inquit Anonymus Author alterius Chronici MS. ab *Andrea Duchesnio* laudati in Notis ad Historiam Calamitatum *Petri Abaelardi*, pag. 1163.) Eruditam Epistolam *Magistri Anselmi Laudunensis* ad H. *S. Laurentii Leodiensis* Abbatem, ex Bibliotheca Beccensi edidit Domnus *Lucas Dacherius* in Notis ad *Guiberti* Novigentini Abbatis Opera pag. 642. Obiit anno 1117. & in San-Vincentiana Basilica Lauduni sepultus est.

Plures Anselmi Laudunenses.

Distinguendus est *Anselmus* Laudunensis Decanus ab altero *Anselmo* Cœnobii S. Medardi Suessionensis O. B. monacho, & *S. Vincentii* Laudunensis his temporibus Abbate, ex cujus monachis novem Abbates electos, ipsumque Tornacensem Episcopum renuntiatum, & ab *Eugenio III.* consecratum anno 1145. tradit *Hermannus* monachus lib. 3. *De miraculis S. Mariæ Laudunensis*, capp. 20. & 21. Ab hoc item alius est *Anselmus* cognomento *Beessus*, Laudunensis Ecclesiæ Thesauri custos, & fur sacrilegus; de cujus facinore *Bartholomæus* Episcopus, Canonicorum, & magistri *Anselmi* in primis consilium rogavit, ut refert *Hermannus* monachus cap. 28. libri mox laudati.

Purgatio juridica per aquam.

Is author fuit, ut ex *Singulis urbis Parochiis unus infans innocens in vase aqua benedicta repleto poneretur; & quæcumque Parochia fonte culpabilis inveniretur, de singulis domibus ejusdem parochiæ unus infans in aqua poneretur; & quæcumque domus deprehensa fuisset, omnes viri vel fœminæ ad eam pertinentes Judicio aquæ se purgare cogerentur.*

S. Norberti elogium.

V. S. Norbertus, Sanctis, Cliviæ oppido natus; abdicato canonicatu, quo in Ecclesia Coloniensi ornatus erat, copiosisque divitiis in pauperes erogatis, *Præmonstrati*, loco sylvis horrido ac solitario, in diœcesi Laudunensi, Cœnobium fundavit, quod Ordini Præmonstratensi nomen dedit, anno MCXX. Deinde Magdeburgensis Archiepiscopus divina inspiratione electus est a Sedis Apostolicæ Legatis, quibus Clerus eligendi potestatem fecerat. Ecclesia illa sanctissime administrata, obiit anno Christi MCXXIV. Ejus vita a coævo Authore scripta jussu *Hugonis* socii ipsius primique Abbatis Præmonstratensis, extat apud *Satium*, sed ab ipso paululum interpolata sive elegantiori stylo reddita. *Hermannus* monachus lib. 3. *De miraculis S. Mariæ Laudunensis*, ipsum a cap. I. ad X. commendat, ac Præmonstratensis ordinis exordia describit, de quo inferius agemus, in cap. *De politia ecclesiastica*, ubi *de Canonicis regularibus* sermo erit. *Os Norberti cælestem fistulam* vocat *S. Bernardus* Epistola LVI. De eodem Epistola VIII. scribit: *Tanto vir ille in divinis aperiendis mysteriis nobis promptior, quanto & Deo propior esse cognoscitur.* Multa scripsisse dicitur, quæ *Gullielmus Eisengrenius* in Catalogo testium veritatis recenset: Unicus ex iis *Sermo* superest in Bibliotheca Præmonstratensi, &. in Bibliotheca Patrum editus. Ipsi libros Tropologiarum in Prophetas Osee, & Amos, & Lamentationes Jeremiæ, dicavit *Guibertus* Novigentinus Abbas.

VI. Florentius, Vigorniensis* monachus in Anglia, Ordinis Benedictini *Chronicon* ab initio mundi ad annum Christi MCXIX. quo defunctus est, conscripsit. Ad eamdem circiter ætatem pertinet *Trevirensis Historia*, ad annum MCXXII. perducta, incerto Authore. Edita est Tom. XII. *Spicilegii*.

* De Worcester.

ARTICULUS V.

De Euthymio, Zonara, & Anna Comnena.

I. EUthymius Zigabenus monachus Græcus Ordinis *S. Basilii*, Commentaria in Psalmos, in quatuor Evangelia, & in Epistolas *S. Pauli*, ex veteribus Patribus desloravit. Catenæ quoque Græcæ in Pentateuchum, quæ in Bibliotheca Vaticana asservatur, Authorem censet *Sixtus* noster *Senensis*. Scripsit præterea *Panopliam Dogmaticam Orthodoxæ Fidei adversus omnes hæreses*, Alexii Comneni Imperatoris mandato, quod opus, Authoremque egregie commendat *Anna Comnena*, lib. 15. *Alexiados*, pag. 490.

II. Joannes Zonaras, vir in Imperio clarissimus, Magni Drungarii & Proto-a Secretis dignitatibus in juventute ornatus, Sæculo nuncium remisit & monachum induens, Regulam *S. Basilii* professus est. Floruit sub *Alexio*, & *Joanne Comnenis* Imperatoribus Orientis. *Annales* scripsit ab orbe condito, ad annum MCXVIII. *Alexii Comneni* fatalem. *Commentarios* etiam adornavit *in Canones Apostolorum & Sacrorum Conciliorum*, necnon in Epistolas canonicas SS. Patrum *Dionysii & Petri Alexandrinorum*, *Gregorii Thaumaturgi*, & *Basilii*. Canonum porro & & reliquarum Epistolarum Canonicarum expositionem eamdem esse cum illa quam *Theodorus Balsamon* affert, viri eruditi jampridem observarunt. *Balsamonem* tamen ex *Zonara* mutuatum falso conjicere videntur, immo potius hunc ex *Balsamone* hausisse dixerim, quem ante ipsum floruisse verisimilius est. *Canon de Sancta Virgine*, Authore *Zonara*, extat in Bibliotheca Patrum. *Glycas* in suis Annalibus *Zonaram* non semel laudat.

III. Anna Comnena *Alexii* Imperatoris & *Irenes Augustæ* filia, *Nicephori Briennii* Cæsaris conjux, Principis qui ad bellicas artes eximiam eruditionem adjunxerat, Historiamque *Alexii* Imperatoris soceri sui fuerat aggressus; ipso defuncto, Opus suscepit, quod ille a *Romani Diogenis* Imperio, ad *Nicephori Botoniatæ* tem-

tempora perduxerat; patrisque sui *Alexii Comneni* res gestas quindecim libris complexa est, quos *Alexiadem* inscripsit. Fuit illa omnibus exculta disciplinis, quibus præstantissimi ingenii fœmina Princeps imbui potest, ut ipsa de se modeste testatur in Præfatione. Elegantissimus ac ornatissimus est Annæ stylus, an par omnino sinceritas, dubitatur. *Multa de parente suo longe aliter narrat, quam Latini solent: qui omnes prope, si unum excipias Albertum, Canonicum Aquensem, Cæsarem eum describunt tamquam hominem fraudulentum ac perfidum: sed satis verisimile est, tum Latinos suo erga Græcum Imperatorem odio, tum filiam Comnenam amori erga patrem suo, aliquanto amplius indulsisse, quam per Historiæ leges liceret.* Verba sunt Vossii lib. 11. *De Historicis Græcis*, cap. 27. Quamquam in Præfatione exquisiti Operis Heroina doctissima profitetur, se veritatis damno domesticæ ac privatæ gloriæ nullatenus servituram, & Historici officio functam iri, quod favore pariter atque odio interdicit ei, qui res gestas ad memoriam scribendas suscipit, jubetque ex æquo vituperationes & laudes, in eos qui merentur, dispensare, nullo amicitiæ necessitudinisve, hostilitatis, simultatisve discrimine. *Annæ Comnenæ Alexias* inter Historiæ Byzantinæ scriptores, interprete *P. Possino* S. J. Presbytero Typis Regiis edita est. Doctissimam Cæsarissam commendat *Zonaras*, Tomo III. Annalium pag. 242. Eamdem Philosophiæ deditam, & omnibus artibus eruditam prædicat *Nicetas Choniates* in Annalibus, pag. 7.

ARTICULUS VI.

De Alberto Aquensi, Fulsherio Carnotensi, Guiberto Novigentino, Hermanno monacho, Cosma Pragensi, Stephano Eduensi, Herveo Burgidolensi, & Honorio Augustodunensi.

I. ALbertus, Aquensis Ecclesiæ Canonicus & Custos, ardens Sacræ expeditionis desiderio, cum votis potiri non potuisset, ac rebus gestis adesse, ex eorum qui adfuerant auditu & relatione Historiam ejusdem Hierosolymitanæ expeditionis scripsit in libros duodecim divisam. Incipit a sacri belli indictione, & annorum 26. res gestas persequitur. A *Bongarsio* inter Historiæ Hierosolymitanæ Scriptores edita est.

II. Fulcherius, Carnotensis, Balduini fratris *Godefridi Bullonii* Capellanus, sacrum iter ingressus cum *Roberto Normanniæ* Duce, & cum *Stephano* Blesensi & Carnotensi Comite; scripsit *Gesta peregrinantium Francorum cum armis Jerusalem pergentium*: ab anno 1095. ad annum 1124. *Ab Orderico Vitali* lib. 9. Historiæ Ecclesiasticæ & a *Willelmo Malmesburiensi*, lib. 4. De Gestis *Regum* Anglorum commendatur. *Stylo non quidem agresti* scripsit, *sed, ut dici solet, sine nitore & palæstra, & qui alios admonere potuit ut accuratius scriberent* (inquit Willelmus Malmesburiensis.) *Fulsherii* ampullas & sesquipedalia verba sugillat, eumque in pluribus Historiæ capitibus falsum probat venerabilis *Guibertus* Novigentinus Abbas lib. 8. *Gestorum Dei per Francos*, cap. 9.

Guiberti Novigentini elogium.

III. Guibertus, patria Bellovacensis, in Cœnobio Flaviacensi sive *S. Geremari*, Ordinis Benedictini, Bellovacensis Diœceseos, Monachum induit, generis nobilitate, divitiisque posthabitis. A *S. Anselmo* tum Priore Beccensi, qui Flaviacensem Abbatiam sæpius adibat, ad vitam spiritualem, & Sacrarum Scripturarum intelligentiam informatus est. Sensui morali potissimum studuit, ad quem assequendum, lectione Operum *S. Gregorii Magni* plurimum adjutus est. Doctrina & pietate singulari, qua præcipue erga Deiparam Virginem affectus erat, magnum sibi nomen peperit, adeo ut ad Ecclesiasticas Dignitates omnium votis ac desideriis destinaretur: a quibus tamen ambiendis procul erat vir religiosissimus, ut ipse Deum testem appellans profitetur *lib. 1. de Vita sua*, cap. 18. Deo nihilominus volente a Monachis *Beatæ Mariæ de Novigento*, * Laudunensis Diœceseos, Abbas

* Nogent.

electus est anno 1104. Ipsi uni displicuit, præ humilitate, facta sui electio; de qua ibidem ita scribit. *Quorumdam remotorum, & mihi funditus ignotorum emersit electio. Sed quanam electio? Vere me fatear egregium, cum inter omnes, qui mihi obversabantur, sordidior, immo teterrimus, Deus! sub tuo testimonio judicarer.* Eo in munere per annos viginti variis elucubrandis Operibus, & Fratrum saluti procurandæ adlaborans, pie prudenterque se gessit.

Guiberti Opera.

Scripsit *libros decem Moralium in Genesim, in Osee Prophetam* libros tres, *in Amos* librum unum, in *Lamentationes Jeremiæ* unum: *Epistolam ad Sigefridum S. Nicolai Priorem, De bucella Judæ data, & de veritate Dominici Corporis*; Librum *de Laude B. Mariæ Virginis*: Opusculum *de Virginitate*, quod in tenera adolescentia se edidisse testatur.

Libros 4. scripsit *De Pignoribus Sanctorum*, occasione dentis, quem a Christo novenni emissum, Sammedardenses Monachi habere se gloriabantur. In Epistola nuncupatoria ad *Odonem* Abbatem *S. Symphoriani*, diluit quod sibi fuerat objectum, quod in secundo libro *panis ac vini Misterium Vicarium Christi* appellasset; cum id quod vicarium dicitur minus eo, cujus vicarium est, appelletur. Id a se recte dictum propugnat, siquidem Christus ipse in sui memoriam id fieri præcepit. Et Spiritus Sanctus pignus dicitur: & Filius ipse *Splendor gloriæ, Figura substantiæ, Imago Dei*. *Et certe*, inquit, *Vicarium quid obsistat vocari, non video quod & ipse quotidianum appellat: ac si suggereret, sic eo in præsenti dum diviur hodie, utendum, ut ad illud æterne fruendum, quod considet dexteræ Paternæ, nos ducat. Quod plane fit in hoc sæculo fiendum mandant, ut in sæculis sæculorum, cum ad speciem hujus originis pertigerimus, fieri non egeat, sentire non possum quia opportune vice cujusdam speciem, ipsa licet omnimoda veritas gerat.*

Eucharistia Mysterium Vicarium Christi an sensu Catholico dici possit?

Plures circa Sacrarum Reliquiarum veritatem errores facti contingere probat Guibertus Abbas.

In eodem libro de sacrarum Reliquiarum suppositione uberrime differit: circa ipsas pene infinitos errores facti ait contingere, dum hi illum, & alii eumdem habere se asserunt: verbi gratia, Constantinopolitani & Angeriacenses Monachi caput *S. Joannis Baptistæ* se habere testantur, quasi biceps fuisset Sanctissimus Præcursor. Ambianensem Episcopum *Godefridum*, cum corpus (ut putabat) *S. Firmini* Martyris transferre vellet, nullamque invenisset inscriptionem, nullum testimonium in theca, plumbeæ laminæ inscripsisse, *Firminus Martyr Ambianorum Episcopus*; eodem vero tempore in Monasterio *S. Dionysii* facta corporis sancti Translatione, membranulam in Martyris naribus repertam, quæ *Firminum* Ambianensem Martyrem esse testabatur. *Odonem* Bajocensem Episcopum cum *S. Exuperii* corpus quod in Castro *Corbolio* colitur corrupto muneribus Æedituo, se obtinuisse putaret cujusdam Rustici *Exuperii* nomine corpus accepisse, & Bajocas abstulisse. Hos errores inde ortos scribit, quod e tumulis eruerentur Sanctorum corpora: *Et cum pietatis obtentus occasio circumlationis extiterit, ad hoc subeunte nequitia, detorqueri sæpta est intentionis rectitudo, ut pene quæ simpliciter fieri consueverant rumperet universa cupido.* Non probat quod sacra Pignora auro, aut argento includantur ad quæstum cum Christi Corpus sepulchro conditum fuerit: Et gravissime puniti qui corpora *S. Pauli* Apostoli & *S. Laurentii* Martyris tempore *S. Gregorii* inscii conspexerant. Quæ cum ita sint; *Quid de iis*, inquit, *judicii proferretur, quibus avaritia sola in causa est, & Sanctorum corpora faciunt irrequieta dispergi; immo, ut sic dicam, pro sola oblationum illatione, quotidiano ostentui haberi? Solent namque pyxidibus eburneis aut argenteis nuda Sanctorum ossa contegere, & ad tempus & horam pretio sese ingerente retegere.* Abusum, perversitatem, avaritiam, non pietatem improbat *Guibertus*, qua viri sanctissimi ab antiquo Sanctorum corpora argento, auro, gemmis circumvestiverunt, & adornarunt qua de re *Sozomenus* lib. 9. cap. 11. *S. Audoenus* in Vita *S. Elegii* lib. 1. cap. 32. aliique Veteres legi possunt. Lib. 3. contra Sammedardenses probat Christum dentem in terris non reliquisse, quia perfecta ejus resurrectio non fuisset, si aliquod ejus membrum, & pars vel minima corporis a gloria resurrectionis fuisset exclusa. Quamobrem nec umbilicum, ut alia ad Christi corpus pertinentia, in terris haberi

Sanctorum Reliquias exponendas & ostentandas non esse quæstus gratia.

Christi dentem, vel umbilicum in terris non haberi censet Guibertus Abbas; uti nec lac Beatæ Virginis.

censet. *Ponamus itaque*, inquit, *quasi posse fieri vos tanto munere locupletes: velim ergo respondere dignemini in cujus corporis jus in Resurrectione cessuram dentem & cætera quaque putatis? Non minus etenim de umbilico, & cæteris quæ de ipso haberi dicuntur, quam de dente apud nos agitur: quod plane de uno dicitur, redundat ad cætera. Ubi igitur se conferent, quæ de Domino Salvatore servantur, cum ultimus dies ille ingruerit? Si ad pristinum reditura sunt corpus, qua se recipient? Quæ loca sese in recipiendis aperient? An edentulus Salvator clarificatur buccasque mansit ut locum denti superventuro servaret? Et certe denti tantillo locus conveniens in virili, quod est dominica fauce, nequaquam competeret. Esto, quo se umbilicus quæso reponet? Numquid duæ clarificationes in eodem corpore celebrantur? Res est quæ nusquam legitur quæ nullis testimoniis approbatur.* Lac Beatæ Virginis, quod in Ecclesia Laudunensi asservari dicebatur, nec ibi, nec alibi haberi censet ac probat.

Scripsit insuper Guibertus Novigentinus Abbas *Gestorum Dei per Francos* libros octo, sive Hierosolymitanæ Expeditionis Historiam, ex aliorum relatione, & ex præcedentibus Authoribus. Exordium ducit ab ortu Sectæ Mahometicæ, & auxilio Christianorum Occidentis Principum per Epistolam Constantinopolitani Imperatoris ad *Robertum* Flandriæ comitem petito, & ad *Balduini* I. Regnum perducit. *Lisiardo* Suessionensi Episcopo dicavit Opus. Tres præterea libros *De Vita sua* sive *Monodiarum* edidit: qui summam Authoris religionem, modestiam, & humilitatem testantur. Denique Documenta Concionatoribus longe utilissima tradidit in libro inscripto, *Quo ordine Sermo fieri debeat*. Cujus lectionem plurimum suadeo omnibus Sacri hujus Ministerii candidatis, immo omnibus qui Evangelico illo munere præfunguntur.

IV. Hermannus Monachus Ordinis Benedictini *Guiberto* Novigentino coævus, tres libros scripsit *De Miraculis Beatæ Mariæ Laudunensis* quos *Bartholomæo* Laudunensium Episcopo, qui anno 1113. ad Cathedram illam est evectus, dicavit. Editi sunt a Domno *Luca Dacherio* cum *Guiberti Novigentini* Operibus.

V. Cosmas, Pragensis Ecclesiæ in Bohemia Decanus, *Historiam Bohemorum* libris tribus conscripsit, in quibus gentis originem & priscos Duces ad *Uratislaum* usque Regem primum ab *Henrico III.* Imperatore anno 1126. quo tempore & ipse *Cosmas* floruit, creatum, commemorat.

* D' Autun.

VI. Stephanus I. *Æduensis* * *Episcopus*, anno 1113. cum plures annos Ecclesiam illam rexisset, in Cœnobio Cluniacensi Monachum induit, Episcopalibus Insulis abdicatis, & inter manus *Petri* Venerabilis Abbatis spiritum Deo reddidit, ut ipse *Petrus* testatur in Epistola ad *Humbertum*, Archidiaconum Æduensem, ejus nepotem, quæ est sexta libri quinti. Obiit anno circiter 1130. Æduensis Ecclesiæ Sacris eodem Sæculo præfuit *Stephanus* alter ab anno circiter 1170. ad Kalendas Junias anni 1189. ut *Galliæ Christianæ* Authores observant. Alterutrius est *Tractatus de Sacramento Altaris*, editus in Bibliothecis Patrum. De Ordinibus Ecclesiasticis primum agit Author, tum de significatione vestimentorum Sacerdotalium, de observandis in Missæ celebratione, ac tandem Canonem explicat, quæ Tractatus præcipua pars est: vocem *Transubstantiationis* usurpat, c. 14. *Si Benedictione sua*, inquit, *Christus panem in corpus suum convertit in verbis istis*, Hoc est Corpus meum; *non reliquit nobis virtutem Sacramenti: quia priusquam hæc verba diceret, benedixit, fregit, & dans Discipulis, prædicta verba protulit, dans eis virtutem Sacramenti; quasi diceret; Panem quem accepi, in corpus meum transubstantiavi, & illud do vobis.*

* Du Bourg-dieux.

VII. Herveus, Patria Cenomanensis, Cœnobii Burgidolensis, in Diœcesi Bituricensi Monachus Ordinis Benedictini, pietate & doctrina insignis, floruit anno circiter millesimo centesimo-undecimo. Vitæ ejus, ac Scriptorum compendiosam narrationem complectitur Epistola Encyclica Monachorum Burgidolensis Abbatiæ, edita Tom. II. *Spicilegii Dacheriani*, pag. 514. Scripsit Commentarios in *Isaiam* in *Lamentationes Jeremiæ*, in extremam partem *Ezechielis*, inde incipiens ubi desinit *Sanctus Gregorius*, in *Deuteronomium*, in *Ecclesiasten*, in libros *Judicum*, *Ruth*, *Tobiæ*, in Epistolas *S. Pauli*, in duodecim *Prophetas*, in *Genesim*, in *Evangelia & Cantica* quæ in Ecclesia leguntur, in librum *S. Dionysii de Hierarchia Angelorum*: Libellum de Connexione quarumdam Lectionum, ostendens aliter in quibusdam Ecclesiis legi, quam in sacra Historia continentur: Librum de Miraculis *B. Virginis Mariæ* in Templo Dolensi, &c. Commentarii in Paulinas Epistulas jam olim inter Opera *S. Anselmi* editi sunt, ipsique perperam adscripti. Nec verius *Herveo Natali* Ordinis FF. Prædicatorum Generali Magistro a *Bellarmino*, & *Auberto Miræo* tribuuntur.

* D' Autun.

VIII. Honorius, Augustodunensis * Presbyter, & Scholasticus, floruit anno circiter 1124. Tres libros scripsit *De Mundi Imagine*, quatuor *De Mundi Philosophia*, *Seriem Romanorum Pontificum*, Libros quatuor *De Luminaribus Ecclesiæ*, sive *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad sua usque tempora: Libellum *De Hæresibus*, *Gemmam Animæ*, quod Opus in quatuor libros distinxit. In Primo agit de Missa, de Ministris, & eorum ornamentis: In altero De Horis Canonicis: In tertio, de Anni Solemnitatibus: In postremo de concordia Officiorum. Scripsit item Dialogum de Prædestinatione & libero arbitrio, quem inscripsit, *Inevitabile*: *Quæstiones & Responsiones in Proverbia & Ecclesiasten Salomonis*; *Commentarium in Cantica Canticorum*: *Sigillum B. Mariæ*, quo eadem Cantica de B. Virgine exponit. Quæ Opera extant in Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis & Lugdunensis. Item *Elucidarium* in tres libros distinctum, quod ex fide Codicum MSS. quorumdam falsam inscriptionem præferentium sub *S. Anselmi* nomine prælo primus commisit *Espenseus* Parisiis anno 1560. Unde postea inter *S. Anselmi* Opera excusum est. Item scripsit Expositionem totius Psalterii, & alia quæ ipse commemorat in fine libri 4. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. *A Trithemio* Abbate celebratur.

ARTICULUS VII.

De Goffrido Vindocinensi, Hildeberto, Algero & Guilelmo de Campellis.

* De Vandome.

I. GOffridus ex Andegavensi Provincia natus, nobili genere in Cœnobio * Vindocinensi Ordinis Benedictini, Carnotensis Diœceseos, Monachum induit adolescens. Ejusdem Cœnobii Abbas, adhuc juvenis, renunciatus est, & ab *Yvone* Carnotensi Episcopo inauguratus. Romam profectus, *Urbano II.* metu Guibertinæ factionis latitanti pecuniam contulit, unde Lateranum & Turrim Crescentiam redimeret. Ab eodem Pontifice Presbyter consecratus est, qui Ecclesiam beatæ *Priscæ*, ex qua vi a Guibertinis pulsi fuerant Vindocinenses, cum annexa dignitate Cardinalis ab *Alexandro II.* Vindocinensibus Abbatibus concessa, restituit. Claromontano Concilio, ab *Urbano II.* vocatus, interfuit. Summis Pontificibus *Urbano II. Paschali II. Callisto II.* charissimus fuit, ac Sedi Apostolicæ semper addictissimus: cæterum ab adulatione prorsus alienus, ut ejus Epistolæ ac Opuscula testantur. *Ludovico VI.* Galliarum Regi venerandum fuit *Goffridi* nomen, quem elegit inter arbitros Controversiæ quæ de Majoratu & Senescallia Franciæ ab Andegavo tum Comite movebatur. Abbatiam sibi commissam pie prudenterque rexit, amplificavit. Pro Romanæ Ecclesiæ utilitate duodecies Alpes transcendit, ter ab ejus adversariis captus est. Obiit anno 1132. 7. Kalendas Aprilis. Epistolarum libros quinque, Sermones undecim & Tractatus octodecim scripsit, quos inter præcipui sunt, I. *De Corpore ac Sanguine Domini*, II. *De Ordinatione Episcoporum, & Investitura Laicorum, ad Petrum Leonis Cardinalem*, III. *De Simonia & investitura Laicorum, ad Callistum Papam*, IV. *De possessionum Ecclesiasticarum investitura, quod Regibus concedatur*. V. *Qualiter dispensationes in Ecclesia fieri debeant; ad Callistum Papam*. Ejus Opera editionis

tionis honore donavit doctissimus *P. Sirmondus*; Epistolam ad Venerabilem *Robertum de Arbrisello* datam, discutiemus in Dissertationibus.

* De Lavardin. II. Hildebertus, in Cenomanis Lavardinensi * Castro oriundus, *Berengarii* in secessu illo suo Turonensi, post abdicationem hæreseos, discipulus, Scholaeum Magister & Archidiaconus ab *Hoello* Cenomanensi Episcopo factus, eo defuncto Episcopus electus est anno MXCVIII. deinde post obitum *Gilleberti* Archiepiscopi, ad Turonensem Metropolim translatus anno MCXXV. Pietate & eruditione inter ævi sui Præsules celebris fuit. Ipsi, cum Archidiaconus esset, dissolutioris vitæ & impudicitiæ notam inurunt Cardinalis *Baronius*, & *P. Sirmondus* in Notis ad Epistolas *Goffridi Vindocinensis*, immo ante ipsos *Ivo Carnotensis*, Epistola CCLXXVII. cujus authoritate nituntur. *Hildebertus a calumnia vindicatur.* Quam ad *Aldebertum*, non ad *Hildebertum* scriptam, frustra contendit *Juretus*, in Observationibus ad Epistolas *Ivonis*. Quamquam rumores illos de *Hildeberti* incontinentia tam publica, ut filios & filias genuisset, falsos existimare par sit, & meras calumnias ab ipsius æmulis sparsas; nec hominem tam profligatæ famæ Episcopum electum & consecratum iri. Atque hanc labem ab *Hildeberto* abstergit Chronicon Cenomanense a *P. Mabillonio* editum Tom. III. *Veterum Analectorum*, cap. 35. ubi postquam ipsum ab *Hoello* Episcopo Archidiaconum constitutum dixit, subdit: *Et post decessum ipsius, propter scientiæ & honestatis suæ meritum, communi Cleri plebisque assensu in ejus loco substitutus est. Vir utique moribus placidus, verbo & actione modestus, & inter omnes illius regionis Clericos literarum studiis præcipuus.* A *Sancto Bernardo* commendatur Epistula CXXIV. inscripta, *Magno Sacerdoti & excelso in verbo gloriæ Hildeberto Dei gratia Turonensium Archiepiscopo*: Et *Ecclesiæ Columnam* prædicat. *Goffridus* Vindocinensis Abbas ipsum Ecclesiasticæ libertatis vindicem acerrimum asserit Epistula 13. lib. 3. Ad ipsum quoque Cenomanensem adhuc Episcopum sexdecim sequentes Epistolas dedit, quas inscripsit: *Hildeberto beatæ vitæ Episcopo, clarissimo Domino suo & Amico*: *Hildeberto bonæ vitæ Episcopo*: *Hildeberto vita laudabilis Episcopo*: *Hildeberto prudenti ac simplici Cenomanorum Episcopo*. Plures scripsit Epistolas, Vitas *S. Hugonis* *Hildeberti Opera.* Cluniacensis, *S. Mariæ Ægyptiacæ*, *S. Radegundis* cujus Prologum edidit *P. Mabillonius* Tom. I. *Veterum Analectorum*, quosdam Sermones, & nonnulla Poemata, inter quæ præcipuum est *Carmen de Mysterio Missæ*. Ejus Opera edita sunt in Bibliotheca Patrum. De quibus *Ordericus Vitalis* Lib. X. *Historiæ Ecclesiasticæ* scribit: *Eleganter & sapienter loquitur de Christo & Ecclesia, de corpore & anima, de Gestis Sanctorum & virtutibus eorum, de laude virtutum & vituperatione vitiorum*. De iisdem Chronicon Autissiodorense: *Hildebertus vir scientia perspicuus, & tam in versificando, quam in dictando, gratiam peculiarem adeptus. Indicant hoc diversa ejus Opuscula, quæ metrice edidit, Epistolæ, quas ad diversos direxit. Quæ omnia miro modo commendat & elegantia sensuum, & lepos brevitasque verborum. Unde quidam de eo sic ait:*

Inclytus & prosa, versuque per omnia primus
Hildebertus olet prorsus ubique Rosam.

Ejus etiam cum laude meminerunt *Willelmus Malmesburiensis* lib. 3. *De Gestis Regum Anglorum*, & *Albertus* in Chronico. *Petrus Blesensis* Epistola CI. his verbis *Hildeberti* Epistolas commendat: *Profuit mihi quod Epistolas Hildeberti Cenomanensis Episcopi, styli elegantia & suavi urbanitate præcipuas firmare, & corde tenus reddere adolescentulus compellebar*. De ipso denique Chronicon Cenomanensis Ecclesiæ supra laudatum hæc habet: *In lege Domini die ac nocte meditabatur, & Divinarum Scripturarum libros aut ipse legebat, aut coram se legi faciebat; atque inde quasi apis prudentissima multiplicium sententiarum flosculos colligens, dulciores melle sententias excerpebat, ex quibus tamquam sapiens pigmentarius potum melli-fluum conficiens, suis auditoribus aliquando scriptis, aliquando vivis vocibus propinabat: Utriusque sexus & diversæ ætatis personis Epistolas exhortatorias dirigens, in quibus tam utiliter ac subtiliter disputabat; ut characterem veterem imitatus, omnium illius temporis Scriptorum ingenia & sententiarum gravitate, & verborum venustate videatur excedere*. Cætera Vitam ejus spectantia ibidem legi possunt. Obiit anno MCXXXVI. prope octogenarius. Epistolam *Hildeberti* Cenomanensis Episcopi ad *Reginoldum* Monachum Cantuariensem, Ordinis Benedictini, qua laudat Carmen ejus *De Historia Malchi* ad se missum, edidit Domnus *Mabillonius* ex apographo Cœnobii *S. Taurini* apud Ebroicas, Tom. I. *Veterum Analectorum*. Plures ejus Epistolæ Tom. VI. & in calce Tomi XIII. *Spicilegii* editæ sunt.

„ III. Algerus, Leodiensis, ab ipsa infantia totum se literarum studio tradens, sub clarissimis viris quorum scientia & moribus tunc temporis Leodiensis fulgebat Ecclesia, & Francia illustrabatur, nobiliter floruit; adeo ut nulla ei Christianæ fidei regula videretur incognita, nulla liberalium artium aliena. Primo in Ecclesia *S. Bartholomæi* Apostoli, in Suburbio Leodii, Deo militavit professione & habitu Clericus, gradu Diaconus, Officio Scholasticus. Deinde in Majorem Ecclesiam *S. Mariæ*, Sanctique *Lamberti* ab *Oberto* Episcopo honorabiliter translatus, usque ad obitum *Friderici* Episcopi, annis fere viginti, pro Ecclesiasticis negotiis ad diversas personas & Ecclesias multas insignes conscripsit Epistolas. Antiquam dignitatem Leodiensis Ecclesiæ, relatione & scriptis Majorum adeo habuit cognitam, ut eam totam ad subsidium memoriæ scriptam posteritati reliquerit. Post obitum *Friderici* Episcopi, nudum Christum nudus sequens, arctiorem, & ideo fœliciorem vitam sub *S. Benedicti* Regula aggressus est in Cluniacensi Cœnobio. Inter cætera ingenii sui monimenta, in Clericatu adhuc positus, duos Tractatus edidit Ecclesiasticis negotiis & Catholicæ Fidei valde utiles. Primum intitulavit *De Misericordia & Justitia*, Authoris nomine humilitatis gratia suppresso, quem tribus divisit particulis: Prima agit de Malorum tolerantia: Secunda de Ecclesiasticis peccatoribus, & eorum canonica correctione: Tertia de his qui extra Ecclesiam sunt; & eorum sacrilega Communione. Alium vero Tractatum edidit tanto nobiliorem, quanto subliminiorem, utpote de re mirifica & necessaria, *De Sacramento scilicet Corporis & Sanguinis Domini*. Verba sunt *Nicolai* Leodiensis Canonici in Elogio *Algeri*, quod ipso adhuc superstite composuit. Illud edidit P. *Mabillonius* Tom. I. *Veterum Analectorum*, cum ejusdem *Algeri* Præfatione in librum *De Misericordia & Justitia*. Algeri sanctimoniam, & *Librum De* Sacramento Altaris, *authoritatibus SS. Patrum invincibiliter communitum*, commendat *Petrus* Venerabilis Abbas Cluniacensis Epistola 2. lib. 3.

IV. Guillelmus de Campellis, * a natali solo, quod oppidum est Parisiensis Diœceseos in Bria, cognominatus, *Anselmum* Laudunensem Decanum Præceptorem habuit, cujus sub disciplina cum magnos in Philosophia & Sacris Literis progressus fecisset, Parisiensis Ecclesiæ Archidiaconus & Scholasticus institutus est. * De Champeaux. Inter discipulos habuit *Petrum Abaelardum*, ex auditore mox æmulum. Deinde perfectioris vitæ studio Canonicorum Regularium institutum professus est, & Cœnobio *S. Victoris* ad muros Parisienses initium dedit. Ad Catalaunensem denique Episcopatum assumptus est anno 1113. *S. Bernardum* Claravallensem Abbatem benedixit anno 1115. Ipsius honorifice meminit *Hildebertus* Cenomanensis Episcopus Epistola I. ad ipsum data, & *S. Bernardus* Epistola III. *Virum Clarissimum* nuncupat. Chronicon Maurinlacense ipsum eo nomine commendat, quod *Cononis* Prænestini Episcopi, Sedis Apostolicæ Legati, præcipuus adjutor fuerit, & quod *Zelum Dei habens super omnes Episcopos totius Galliæ, Divinarum Scripturarum scientia fulgeret*. Obiit 8. aut 15. Kalendas Februarii, anno 1121. *Moralia S. Gregorii* Papæ ipsum in Compendium redegisse, *Albericus* in Chronico testatur. *Altercationem* edidit *Judæi cum Christiano*, sive Dialogum, in quo Judæus & Christianus de Religione disputant, quem *Alexandro* Lincolniensi Episcopo dicavit: Extat in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis, Tom. XX.

ARTICULUS VIII.

De Ruperto Tuitiensi Abbate.

§. I.

Ejus Opera recensentur.

Ruperti elogium.

RUpertus Cœnobii *S. Laurentii* in publico Monte Leodii Ordinis Benedictini Monachus, deinde Tuitiensis Cœnobii e regione Coloniæ Agrippinæ creatus Abbas, anno 1111. ad annum 1135. Beatæ Virginis, in quam pie affectus erat intercessione, Sacræ Scripturæ intelligentiam divinitus obtinuit, ut testatur *Reinerus* Monasterii *S. Laurentii* Monachus lib. *De Viris Illustribus* istius Cœnobii, *Trithemius* Abbas in Catalogo Virorum Illustrium, in Chronico Hirsaugiensi, & in Oratione quam D. *Gerlaco de Breitbach* Abbate Tuitiensi rogante, de *Ruperto* habuit. Quos ante, *Honorius Augustodunensis*, quo vivente *Rupertus* florebat, ejus elogium paucis his, sed luculentis verbis complexus est, in fine libri IV. de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Rupertus Tuitiensis Monasterii Abbas, a Spiritu Sancto per visionem illuminatus, totam pene Scripturam egregio stylo exposuit.*

Ruperti Opera.

Junior scripsit *Hymnum Saphicum de Spiritu Sancto*, quem integrum describit lib. XII. in Matthæum *De gloria Filii hominis* & *Hymnum Jambicum* de eodem, qui ad calcem libri 13. legitur. Item Librum *De Diversis Scripturarum sententiis*, qui non extat. Carmen Heroicum *De Incarnatione Domini*, Libellum *De Statu Cœnobii Sancti Laurentii in Monte Leodii ab Eracle Leodiensium Episcopo usque ad Ogbertum*; Carmen de eodem, *Vitas S. Augustini, & S. Odiliæ Virginis*. Quæ omnes *Ruperti* junioris lucubrationes a *Reinero* Monacho recensentur, sed non extant: Presbyter factus, scripsit *Cantus de Sanctis Theobaldo Martyre, Goare, & Severo Confessoribus*. Item libros XII. *De Divinis Officiis* anno MCXI. Quos Libros cum ipse in Catalogo suorum Operum recenseat *lib. 1. in Regulam S. Benedicti*, in Epistola ad *Cunonem* Episcopum, & in Epistola ad *Romanum* Pontificem, eosdemque *Trithemius* Abbas, & *Reinerus S. Laurentii* Monachus agnoscant, mirum est quod Thomas Waldensis, Dominicus Soto, Alanus, Sanctius, & Vasquezius *Valeranno* adscribant. Nituntur maxime Epistola *S. Anselmi* nomine inscripta ad Valerannum, libro *De Corpore & Sanguine Christi* præfixa, qua Liber ipsius *De Divinis Officiis*, reprehenditur, ex eoque proferuntur verba, quæ in eo ipso Opere legere est, quod *Ruperto* adscribitur. Sed hanc Epistolam & Librum *S. Anselmi* non esse, supra observavimus: & *Eadmeri*, *Roberti de Monte* in Appendice ad *Sigebertum*, & *Trithemii* silentium, cum *S. Anselmi* Opera recensent, id satis probat; maxime cum MSS. Codices absque nomine Authoris illam habeant, & inter alios pervetustus Bibliothecæ *S. Germani a Pratis*, in quo libri *de Divinis Officiis* inscribuntur nomine *Roberti* (quod Germanis idem est ac *Ruperti*) Monachi *S. Laurentii in Leodio*. Esto igitur, *Valerannus*, quisquis ille fuerit, (nam multi his temporibus *Valeranni* celebrantur) Librum scripserit *De Divinis Officiis*, non sequitur duodecim ejusdem argumenti libros a *Ruperto* editos non fuisse. Esto & in Rupertinis quædam legantur quæ & in *Valeranni* Opere legit Author Epistolæ *S. Anselmo* adscriptæ: Non propterea *Ruperto* sunt abjudicandi quem aliqua interdum aliorum Authorum loca proferre, tacito ipsorum nomine, perinde ac sua, Viri in ejus lectione versati observarunt. Quod sibi in isto *De Divinis Officiis* Opere contigisse declarat in suo Apologetico sive *lib. 1. in Regulam S. Benedicti*, ubi inscitiam simul ac invidiam arguit æmoli cujusdam in ipso *S. Gregorium* imprudenter damnantis, ut recte observat *P. Gabriel Gerberonius* Asceta Benedictinus in *Apologia pro Ruperto*, pag. 113. *Joannes Parisiensis Valramo*, seu *Valeranno* ea verba tribuens quæ leguntur cap. VII. libri II. *De Divinis Officiis*, proculdubio

Liber De Divinis Officiis Ruperto vindicatur.

deceptus est, nec est audiendus contra testimonium *Trithemii*, *Reineri* Monachi, & ipsius *Ruperti*, qui in Epistola ad Romanum Pontificem lucubrationes suas recensens, ait: *Scripseram & ante hæc omnia Opusculum de Sacramentis sive Officiis Divinis per circulum anni, distinctum libellis sive Tomis duodecim.*

Scripsit præterea *Rupertus* Abbas *Commentariolum Librorum decem in Job, abbreviatum ex abundantia sensuum atque verborum S. Gregorii*. Qui non alius est ab eo qui in editis habetur per duo & quadraginta capita distributus, juxta numerum Capitum libri Job, absque librorum distinctione. Item librum I. *De voluntate Dei*, alterum *de omnipotentia Dei*, ad *Gulielmum* Catalaunensem Episcopum & *Anselmum* Laudunensem Decanum, quos perperam de Dei voluntate sentire inaudiverat. Item *Commentariorum in Evangelium S. Joannis Libros XIV.* anno 1117. complevit. Libros quadraginta duos *De Sancta Trinitate & Operibus ejus*, anno etiam 1117. perfectos. Tres primi sunt de Patris opere, a creatione usque ad ejectionem *Adami* e paradiso: Triginta sequentes, de proprio Filii opere, quo a Justitia vel morte *Abel* per figuras pervenit usque ad susceptionem carnis & mortem crucis: Novem postremi, de proprio Spiritus Sancti opere, scilicet ab Incarnatione Verbi ad finem usque Sæculi. Opus istud sic ipse distribuit in Epistola ad *Cononem* Abbatem. Scripsit & *libros duodecim in Apocalypsim*, ad *Fridericum* Coloniensem Archiepiscopum. *In Cantica Canticorum*, libros septem. *In duodecim Minores Prophetas*, libros triginta quatuor. Unde *Sixtus* noster *Senensis* deficit, triginta tantum numerans. *De Victoria Verbi Dei*. libros tredecim ad *Cononem* Abbatem *De Gloria Filii hominis*, libros tredecim ad *Cononem* tum Episcopum, quos jam Abbas composuit. Libros quindecim *De gloriosa Rege David*, ad *Fridericum* Archiepiscopum Coloniensem, qui non extant, *Annulum* seu *Dialogum Christiani & Judæi*, libris tribus distinctum. Libros novem *De Glorificatione Trinitatis, & de Processione Spiritus Sancti* ad *Cononem* Ratisponensem Episcopum. *In Regulam S. Benedicti* libros quatuor ad *Cunonem*, quorum prior est Apologeticus. Lapsus est *Trithemius*, unicum librum in Regulam S. Benedicti, & Apologeticum seorsim recensens. Item *De incendio oppidi Tuitii*, librum unum. *Meditationum mortis* libros duos. In Ecclesiasten libros quinque, ad *Gregorium*. Vitam *S. Heriberti* Coloniensis Archiepiscopi, *Macuvardo* dicatam. Passionem *S. Eliphii* Martyris, *Albano* Abbati *S. Martini* nuncupatam. *Altercationem Clerici & Monachi*. *Epistolam ad Everardum* Cœnobii Brunovylarensis Abbatem. Responsionem *De virginitatis læsione, & quod corrupta possit consecrari*. Item *Adversus quosdam Religiosos, quorum unus Presbyter concubinarius, imprudenter asseruerat, Presbyteris licitum esse uti concubinis*. Denique librum *De Monacho, qui Clericus factus, egressus est Monasterium; & suum errorem allegationibus defensabat improbis*. Hos *Ruperti* libros memorant partim ipse *lib. I. in Regulam S. Benedicti*, in Epistola ad *Cononem* Episcopum, & in Epistola ad Romanum Pontificem; partim *Reinerus* S. Laurentii Monachus; partim *Trithemius* Abbas. Epistolarum *Ruperti* ad diversos librum unum inter ejus Opera *Trithemius* recenset: sed vix aliquæ extant præter eas quæ diversis ejus Operibus vice Prologi præfiguntur, aut Prologis sunt adjunctæ: Nec alias *Rupertus* & *Reinerus* indicant. *Librum Sermonum* adducunt Centuriatores Magdeburgenses, omnino fictitium, cujus nemo præter ipsos meminit.

§. II.

Ruperti Abbatis sententia circa Eucharistiam discutitur.

Dura & obscura Ruperti sententia, qua Bellarmino & aliis persuaserunt unionem hypostaticam panis & vini Eucharistici cum Verbo illum admisisse.

Rubertum Abbatem in gravissimum errorem circa Eucharistiæ Sacramentum impegisse, Cardinalis *Bellarminus* lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & alii Authorem Eminentissimum secuti, asserunt; quod nimirum unionem hypostaticam panis & vini Eucharistici cum Verbo admiserit atque propugnaverit. Et quidem ut hæc sibi tribueretur opinio, locum

dedit

dedit *Rupertus* durioribus & subobscuris quibusdam locis. Libro enim secundo *De Divinis Officiis*, cap. 2. *Similiter*, inquit, *unum Verbum & olim carnem de Maria Virgine sumpsit, & nunc de Altari salutarem Hostiam accipit*.

Et *Cap. IX.* „ Cum diceret idem magnus Pontifex panem & vinum tenens, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, vox erat Verbi Incarnati: Verbum quod humanam acceperat naturam, *id est*, in carne manens, panis & vini accipiebat substantiam. Vita media panem cum sua carne, vinum cum suo jungebat sanguine. Quemadmodum in corporeis sensibus menti & corpulento aeri media lingua intervenit, & utrumque conjungens unum efficit: Sic Verbum Patris Carni & Sanguini, quem de utero Virginis assumpserat; pani ac vino, quod de Altari assumpsit, medium interveniens, unum Sacrificium efficit.

Et lib. VI. in Joannem, pag. 208. „ Ipse Panis Cœlestis panem terrenum nobis dat, quem viventibus & quibus manducari potest, vitam det æternam, in carnem suam transmutat. Et sic Verbum, quod est Panis Angelorum, caro factum est non mutatum in carnem, sed assumendo carnem; Sic id ipsum Verbum jamdudum caro factum, panis visibilis fit non mutatum in panem, sed assumendo, & in unitatem personæ suæ transferendo panem. Proinde sicut de carne nostra, quam Virgo Maria peperit, vere fatemur propter unitatem personæ, quia Deus est: Sic nihilominus de pane isto visibili, quem ejusdem Verbi invisibilis Divinitas assumens in carnem suam transfert, vere & Catholice confitemur, quia Corpus Christi est.

Et lib. VII. pag. 211. in fine secundæ columnæ. „ Non ita consenuit Fides nostra, neque adeo caligaverunt oculi ejus, ut non videat se frangere Panem Dei, & integrum servare Filium Dei, quomodo senex Abraham videre potuit, ut & arietem percuteret, & filium aræ superpositum non læderet. Licet panis iste visibilis cum invisibili Filio Dei unum factus sit; aries autem ille cum Isaac, pro quo eidem aræ impositus est, unum esse vel fieri non potuerit. Nam Dei Filius, id est, Deus homo habet in se virtutem effectivam, qua sibi uniat panem istum visibilem. Isaac autem illum sibi concorporare, salva utraque substantia, non poterat arietem. Proinde illic in figura immolatus est, Isaac in ariete: Hic pane & vino immolatur Dei Filius in Carnis & Sanguinis sui veritate. *Et pag.* 213. *col.* 2. „ Proinde & nos non quia intelleximus, credimus; sed credimus ut intelligamus. Quia revera sicut Deus & homo unus est Christus, sic & iste panis visibilis consecratus, cum illa carne quæ pependit in cruce una caro est, unum est Christi Corpus. *Denique libro II. in Exodum, cap. X.* „ Comedetis, *inquit*, assum tantum igni, id est, totum attribuetis operationi Spiritus Sancti, cujus effectus non est corrumpere vel destruere substantiam, quamcumque suos in usus assumit, sed substantiæ bono permanenti quod erat, invisibiliter adjicere quod non erat. Sicut naturam humanam non destruxit, cum illam operatione sua ex utero Virginis Deus Verbo in unitatem personæ conjunxit: Sic substantiam panis & vini, secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam non mutat aut destruit, cum eidem Verbo in unitatem Corporis ejusdem quod in cruce pependit; & sanguinis ejusdem quem de latere suo fudit, ista conjungit. Item quomodo Verbum a summo demissum, caro factum est non mutatum in carnem, sed assumendo carnem, sic & panis & vinum, utrumque ab imo sublevatum, fit Corpus Christi & sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem, sed assumendo invisibiliter, utriusque, divinæ scilicet & humanæ quæ in Christo est, immortalis substantiæ veritatem. Proinde sicut hominem qui de Virgine sumptus in cruce pependit, recte & catholice Deum confitemur; sic veraciter hoc quod sumimus de Sancto Altari, Christum dicimus, Agnum Dei prædicamus.

Hæc tamen *Ruperti* loca, si propius inspiciantur, & expendantur diligentius, unionis hypostaticæ panis & vini Eucharistici cum Verbo Deo errori non favent. In primo quippe loco, id est, lib. 11. *De Divinis Officiis*, cap. II. solum docet unum esse Christi Corpus, quod singuli Sacerdotes, sive eodem, sive diverso tempore conficiunt: Et unam esse Christi carnem quæ in Altari offertur, & quæ cruci appenditur. Cujus individuæ unitatis carnis Christi rationem assignat Divini Verbi unitatem. Unius enim Divini Verbi nonnisi unum corpus, una caro est. *Nec duo corpora dicuntur aut sunt*, inquit, *hoc quod de Altari, & illud quod acceptum est de utero Virginis. Quia videlicet unum idemque Verbum, unus idemque Deus sursum est in carne, hic in pane* (externam speciem panis intelligit) *Alioquin & ille panis, quem hodie vel cras sacrificabimus, plura sunt corpora, nec recte dicimus offerri ab Ecclesia Corpus Christi, meliusque diceremus corpora, quia quotidie pene tot offerantur panes, quot habentur in Ecclesia Sacerdotes. Sed hoc prohibet causa, convincit ratio, Religio respuit. Unitas enim Verbi, unitatem efficit Sacrificii. Similiter enim unum Verbum, & olim carnem de Maria Virgine sumpsit, & nunc de Altari Salutarem hostiam accipit.... Igitur unum Corpus est, & quod de Maria genitum in cruce pependit, & in Sancto Altari oblatum, quotidie nobis ipsum innovat Passionem Domini*.

Rupertus ab errore vindicatur, ejusque sententia & verba explicantur.

Materiam Sacrificii designat.

Nec aliud volt cap. IX. ejusdem libri, ex quo locus alter sumptus est, cum ait: *Verbum Patris Carni & Sanguini, quem de Utero Virginis assumpserat, ac pani & vino quod de Altari assumpsit, medium interveniens, unum Sacrificium efficit*.

Nihil enim aliud hæc significant, quam Verbum Divinum sua unitate efficere, ut non duo sint, sed unum Corpus & unum Sacrificium, quod de Virgine sumptum est, & quod in Altari sistitur: quia unius Christi unum est Corpus & unum Sacrificium. Nec refert, quod comparationem instituat *Rupertus* inter assumptionem carnis a Verbo Divino in utero Virginis, & assumptionem panis & vini ab eodem in Altari. Vis enim comparationis in eo tantum est quod sicut caro assumpta fit caro Verbi, atque in eo subsistit, sic panis & vinum fiunt corpus & sanguis ejus: sed diverso modo; quia caro in substantia sua manens hypostatice unitur Verbo; panis autem & vinum, non in substantia sua permanentia, sed in ejusdem carnis & sanguinis, quæ de Virginis utero sumpta sunt, & in cruce immolata & Patri Æterno oblata, transmutata substantiam, Verbo uniuntur. Hoc sensu ait: *Verbum jungit panem cum sua Carne, & vinum cum suo Sanguine*. Omnium enim unionum illa perfectissima est, qua res sic transit in aliam, ut eadem ipsa sit.

Idem sensus est locorum ex lib. 6. & 7. in Joannem adductorum; ubi cum asserat Rupertus, quod *Verbi Divinitas panem assumens in carnem suam transfert*, Hypostaticam unionem panis & vini cum Verbo non agnoscit, sed evertit. Cum isto quippe figmento & errore conciliari Transubstantiatio non potest. Unio enim hypostatica ex duabus naturis unam constituere non potest naturam, nec ex duobus corporibus efficere unum corpus. Transubstantiationis autem panis & vini Eucharistici doctrinam tradit diserte Rupertus lib. 6. in Joannem: *Crede & hoc*, inquit, *quia panis iste visibilis & vinum, quamvis nihil de exteriori specie mutatum sit, in alium transierint cibum, qui Angelorum victus est. Panis cœlestis, ipse qui dicit*; Ego sum panis qui de cœlo descendit, *Verbum scilicet Patris, panem terrenum nobis dat; quem in carnem suum transmutat; & sic Verbum, quod est Panis Angelorum, jamdudum caro factum est, Panis visibilis fit: & nihilominus de pane isto visibili vere & catholice confitemur quod Corpus Christi est*.

Demum libro 11. in Exodum, ex quo desumptus est posterior locus, ait quidem panis & vini substantiam a Spiritu Sancto non mutari, sed secundum exteriorem speciem dumtaxat quinque sensibus subactam, quamvis secundum interiorem substantiam in illud unum verum Christi corpus, quod a Verbo assumptum est, mutari agnoscat. Non mutari asserit destructiva mutatione, quæ nobiliorem non introducat sub-

substantiam : mutari agnoscit mutatione perfectiva, qua in Christi corpus & sanguinem convertuntur. Mutationes porro quibus res ita definit esse quod erat, ut in majus & melius provehatur, Spiritus Sancti virtuti non detrahit Rupertus, sed eas dumtaat quibus in primum sui nihilum ita reducitur, ut nihil ex ea supersit. Unde lib. 11. in Joannem ait : *Dominus nec de nihilo vinum, quo convivas lætificaret ; nec de nihilo panem fecit, quo turbas esurientes satiaret ; nec aliquid omnino in tota suorum serie signorum de non existentibus fecit ; sed vel existentia in majus & melius provexit, faciendo de aqua vinum, &c.* Sic autem intellexisse *Rupertum*, laudato in Exodum loco, verba ista demonstrant : *Sic & panis & vinum, utrumque ab imo sublevatum sit, Corpus Christi & Sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem ; sed assumendo invisibiliter utrasque, divinæ scilicet & humanæ, quæ in Christo est, Immortalis Substantiæ veritatem, &c.* Idque confirmat cap. 7. libri 4. *Species utræque panis & vini*, inquit, *de terra sumuntur, sed accedit substantiarum ac specierum Creator Deus : non superficie tenus inducit, sed efficaciter hæc in Carnem & Sanguinem ejus convertit, permanente licet specie exteriori.*

Accedit non leve rationum pondus, quo ab errore hypostaticæ unionis panis & vini cum Verbo Divino in Eucharistia immunem fuisse *Rupertum* demonstratur. I. Quod Veterum nemo ad posteriora usque tempora hujus erroris notam ipsi inusserit, quamvis plures habuerit æmulos. II. Quod ejus Opera sibi nuncupata *Cuno* Ratisponensis Episcopus, & *Fridericus* Coloniensis Archiepiscopus & Sedis Apostolicæ Legatus, ipseque Romanus Pontifex gratulabundi susceperint. III. Quod non solum hunc errorem nullibi docuerit, sed oppositam veritatem pluribus in locis expresserit, asserens panem & vinum *transmutari, converti in* Christi *Corpus & Sanguinem* : qui loquendi modus hypostaticam unionem excludit. Unde nemo umquam hypostaticam carnis cum Verbo unionem his vocibus, *Caro transmutatur, convertitur in Verbum*, expressit, aut expressam intellexit. Legatur uberrima & doctissima Domini *Gabrielis Gerberonii* Asceta Benedictini *Apologia pro Ruperto*.

ARTICULUS IX.

De Guigone Carthusiano, Hugone Victorino, Falcone Beneventano, Willelmo Malmesburiensi & Waselino.

I. GUigo Carthusiæ Majoris Prior quintus, vir pietate & doctrina celebris, Valentia in Delphinatu oriundus, religiosam Præfecturam iniit anno 1130. obiit anno 1137. Primus Consuetudines Ordinis in Scriptum redegit. *S. Bernardo* Abbati Claravallensi & *Petro Venerabili* Abbati Cluniacensi fuit amicissimus, ut ipsorum Epistolæ ad illum datæ testantur. Ex illis *S. Bernardi* quæ XI. & XII. numerantur, facile est intelligere quanta Carthusienses sub *Guigone* vitæ sanctimonia floruerint. *Guigonis* pietatem, eruditionem, sacram facundiam commendat *Petrus Sutor* lib. II. *Vita Carthusianæ*, Tractatu V. cap. VII. Tres *Guigonis* Carthusiani Epistolas edidit *D. Mabillonius* in Appendice Operum *S. Bernardi*. Scripsit Vitam *S. Hugonis* Gratianopolitani Episcopi, jubente *Innocentio II.* Pontifice Maximo, cui ipsam dicavit. Edita est ab *Henschenio* & *Papebrochio* inter Acta Sanctorum mensis Aprilis, Tom. I. ad diem I. Scripsit etiam *Pias Meditationes*, quæ extant in Bibliotheca Patrum ; Librum De *Contemplatione*, Epistolam ad Durbonenses Fratres, *De supposititiis B. Hieronymi Epistolis*, quam edidit *D. Mabillonius* Tom. I. *Veterum Analectorum*, pag. 331. Durbonensis porro Carthusia in Provincia sita est, in Pago Massiliensi. Librum de Vita Contemplativa, inter Opera *S. Augustini* editum sub titulo Scalæ Paradisi, Tomo IX. & inter Opera *S. Bernardi* sub titulo *Scala Claustralium*, sive Tractatus *De modo orandi*, Guigoni Carthusiano legitimo parenti restituit *Horstius* authoritate MS. Codicis Carthusiæ Coloniensis ; in qua etiam MS. extat Authoris ejusdem Tractatus *De Veritate & Pace*. Alter eodem sæculo floruit *Guigo* Carthusiæ Majoris Prior, obiit anno 1188. post absolutionem a Religioso Magistratu XII. cui tribuitur Liber *De quadripartito Exercitio Cellæ*. Extat in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis Tom. XXIV.

II. Hugo a Sancto Victore, Canonicus Regularis Ordinis *S. Augustini* in Cœnobio *S. Victoris* ad muros Parisienses, non ex Saxonia, sed ex Yprensi territorio oriundus erat, ut probat *D. Mabillonius* Tom. I. *Veterum Analectorum* pag. 326. & 327. ex veteri Codice Aquicinctensi, & ex *Roberto de Torinia* Abbate in Monte *S. Michaelis* de Periculo Maris, in Tractatu *De Immutatione Ordinis Monachorum*, ubi agens de Cœnobio Parisiensi *S. Victoris*, scribit multos Clericos nobiles in illum locum convenisse : *Inter quos*, inquit, *Magister Hugo Lotharienfis, & scientia literarum & humili Religione maxime effloruit*. Robertus Abbas *Hugoni Victorino* suppar, eum de Regno *Lotharii* oriundum testatur, sub quo Belgium atque adeo territorium Yprense olim continebatur, non vero Saxonia, quæ pars erat Regni Germanici. *Ad Hugonem de S. Victore* scripsit *S. Bernardus* Epistolam LXXVII. quæ tota dogmatica est, propositis ab eo quæstionibus respondens : Quam *Horstius* inter Tractatus edidit. Multa scripsit *Hugo* eruditione singulari, quorum indicem texere inutile esset. Libri quatuor, *De Claustro Animæ*, non sunt ipsius, sed *Hugonis de Folieto*, Monachi Corbejensis Ordinis Benedictini, ut docet *Trithemius* Abbas. Primus liber *De Anima*, idem est cum *Meditationibus piissimis ad humanæ conditionis cognitionem*, S. Bernardi nomen præferentibus. Neutrius esset censet *Horstius*. Liber III. *De Anima*, est Tractatus ipse *De Interiori Domo*, inter Opera *S. Bernardi* editus. Opuscula *De Medicina Animæ*, *De fructibus carnis & Spiritus*, *De Canone mystici libaminis*, Authorem *Hugonem* non satis referunt. De ipsius Operibus *Petrus Cellensis* ad Monachum de *S. Bertino* ita scribit Epistola XIX. Libri VII. *Si nova placent, ecce Magistri Hugonis, ecce S. Bernardi, ecce Magistri Gilleberti, & Magistri Petri Scripta, in quibus nec rosa, nec lilia desunt*. Hugonis a Sancto Victore *Dicta Magistralia* vocat *S. Thomas* ; ejusque authoritate interdum utitur. *Jacobus a Vitriaco*, cap. 24. Historiæ Occidentalis, *Magistrum Hugonem a Sancto Victore* vocat *Citharistam Domini*, *organum Spiritus Sancti*. Opusculi ipsius *De studio legendi* caput ultimum *De Ingenio*, quod in editis deest, ex MS. Codice Monasterii *S. Taurini* Ebroicensis edidit *D. Mabillonius* Tom. I. *Veterum Analectorum* pag. 324. Obiit anno Christi 1142. 3. Idus Februarii, ut vetus Codex Aquicinctensis docet, atque hoc Epitaphio donatus est :

Dormit in hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo,
Quem brevis eximium continet urna virum !
Dogmate præcipuus, nullique secundus in orbe,
Claruit ingenio, moribus, ore, stylo.

In *S. Augustini* doctrina, & Operibus ita versatum fuisse, ut vulgo *Lingua Augustini* suo tempore diceretur, observat *Sixtus Senensis*.

III. Falco Beneventanus, Sacri Palatii Notarius ac Scriba, ab *Innocentio II.* Pontifice Maximo, cui Schismatis tempore fuit addictissimus, Judex patriæ suæ renunciatus est. *Chronicon Beneventanum* edidit ab anno 1102. ad annum 1140. Ab Annalium Ecclesiasticorum Eminentissimo Parente sæpius laudatur.

IV. Willelmus Malmesburiensis in Anglia Cœnobii Ordinis Benedictini Monachus, & Bibliothecarius scripsit *De Gestis Regum Anglorum* libros quinque, *Historiæ Novellæ* libros duos, *de Gestis Pontificum Anglorum* libros quatuor ; Novellam Historiam ad annum usque 1142. perduxit : Rerumque gestarum testis partim ipse fuit, partim a viris fide dignis audivit. Quæ vero de Historia veteri scripsit, eorum fidem esse vult penes antiquiores Authores quos secutus

cutus est. Ita enim scribit in Prologo: *Si quis hæc quoque captus amore leget, sciat me nihil de vetro actis, præter cohærentiam annorum, pro vero pacisci: fides dictorum penes Authores erit. Quidquid vero de recentioribus ætatibus apposui, vel ipse vidi, vel a viris fide dignis audivi. Cæterum in utramvis partem præsentium non magnipendo judicium habiturus, ut spero, apud posteros post decessum amoris & livoris, si non eloquentiæ titulum, saltem industriæ testimonium.*

IV. Waselinus, Abbas Monasterii *S. Laurentii* in suburbio Leodiensi, cognomento *Momalias* vir Ecclesiasticæ disciplinæ studio insignis, obiit anno 1147. ut refert *Bartholomæus Fissenus* S. J. in Floribus Leodiensibus. Scripsit Epistolam ad Florinensem Abbatem, *De continentia conjugatorum ante Communionem*, quam primum edidit Domnus *Mabillonius*, Tom. I. *Veterum Analectorum*. Ait pius & eruditus Abbas, quæstionem esse ejusmodi, *quam non contentiosa disputatione ad publicum perferri, sed discreta ratione oporteat in consilio tractari*. Status quæstionis erat, si forte conjugati *nocte celebri, nocte observabili*, propria superati fragilitate se non continuissent, an illis ipsa die pro Solemnitatis reverentia & plebis adstantis frequentia, *Discretione aliqua credenda essent divina Mysteria*, ne publicæ in Ecclesia confunderentur, & minus Catholici judicarentur. Præmittit, conjugum copulam, quamvis licitam, non carere culpa, sed quæ venialis sit, & levi solvatur Pœnitentia. Usum matrimonii, ad propagandam sobolem a Deo institutum, *Habere tam ex antiqua Legis authoritate, quam ex reverenda Canonum sanctione, præfixam sibi legem continentiæ*. Arctiorem continentiam jure exigi in Nova Lege, ubi verus immolatur Agnus, cujus Caro & Sanguis a Fidelibus pie sumitur. Tandem ubi de dispositionibus ad Sacram Communionem præviis disseruit, ad propositam Quæstionem respondet, eos qui nocte observabili, intra terminos legitimæ copulæ lapsi fuerint ipsa die Pœnitentia expiatos ad Sacram Communionem admitti posse. *Videtur*, inquit, *nobis indiscretum, ut dicat quis negandam illi in Ecclesia participationem Sacramentorum Divinorum, cujus negare non potest ante Deum per Pœnitentiam solutam esse peccatum. Erit autem in arbitrio Sacerdotis, ut judicet & faciat secundum quod viderit animum & cor Pœnitentis.*

Quæstionis de continentia Conjugum ante Sacram Communionem solatio.

Ad hanc circiter attinet ætatem, *Peregrini Abbatis Historia Prælatorum*, &c. *Ecclesiæ B. Mariæ de Fontanis*, O. C. Diœcesis Turonensis (Anno scilicet 1134.) Tom. X. *Spicilegii* edita est. Item *Chronicon S. Benigni Divionensis* O. B. ad annum circiter 1052. cui plura addita sunt a recentiori Scriptore: & *Chronicon Beluense*. Utriusque Authorem unum *Joannem* Monachum putat Domnus *Lucas Dacherius*. Edita sunt *Tom. I. Spicilegii*.

ARTICULUS X.

De S. Bernardo.

§. I.

Ejus Elogium.

S. BErnardus, in Castro Fontanis, prope Divionem nobili ortus genere, ingenio sublimi, indole ad virtutem formata præditus, anno 1091. in Cœnobio Cisterciensi Monachum induit, anno 1113. Clarevallensis Abbas creatus est anno 1115. Obiit anno 1153. die 20. Augusti. Haud absque miraculo ita doctus evasit ut aliorum Doctor esset in sempiternum tempus; cui ab adolescentia inter fagos versato, præstantes ingenii dotes excolere vix licuit, nullis horis ab actionibus vitæ Religiosæ vacantibus. Ipsum non lectio docuit, sed unctio; non litera, sed Spiritus; non exercitatio, sed jugis Divinæ Scripturæ meditatio unius vere Libri virum. Fidei Veritatem adversus Hæreticos & quosvis errones, Ecclesiæ unitatem adversus Schismaticos, Sanctitatem ac Disciplinam adversus dissolutos mores incomparabili studio & ardore defendit. Ejus Vitam ac Miracula literis mandarunt *Guillelmus* ex Abbate *S. Theodorici* Monachus Cisterciensis; *Arnoldus*, non *Bernardus* Abbas Bonævallis, ut docet *Henricus de Gandavo*, lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 11. *Gaufridus* Igniacensis & postea Clarevallensis Abbas, *Philippus* Monachus ejusdem Cœnobii, *Alanus* Episcopus Autisiodorensis, quondam ipsius *S. Bernardi* discipulus, qui post alios scripsit; & Author *Exordii Ordinis Cisterciensis*. Ipsum in album Sanctorum retulit *Alexander III.* & in Bulla Canonizationis egregie prædicavit. Ipsum laudavit *Innocentius II.* data ad eum Epistola, quod in Schismate *Petri Leonis* causam *B. Petri* & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscepisset defendendam, & *Se murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, animos Regum ac Principum, & aliarum tam Ecclesiasticarum, quam sæcularium Personarum, ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem frequentibus argumentis & ratione munitis inducere laborasset.* B. Hildebertus Cenomanensis Episcopus, ac demum Archiepiscopus Turonensis, *S. Bernardum* adeo coluit, ut abdicatu Episcopatu ipsi in Cœnobio Clarevallensi convivere optaret: *Maximum duco atque habeo* (inquit Epist. 24.) *quod mihi sacrarium familiaritatis aperuistis. In eo susceptus, multis & magnis expertus sum periculis, quantum valeat deprecatio justi assidua .... Habeo igitur atque ago vestræ gratias Religioni, cujus sinum, quasi reus aram, jam dudum complexus essem, si consultus Papa Pontificis munus amoliri permisisset. Ille dum me remisit ad laborem, invidit gloriam, non imputet ei Dominus. Interim in umbra alarum tuarum sperabo, donec educar de lacu miseriæ & de luto fæcis.* Laurentius de Leodio, in Historia Episcoporum Virdunensium, de *Henrico* Episcopo sic loquitur: *Henricus cepit consilium a Bernardo Sanctæ Memoriæ Abbate, cujus consiliis Regna & Ecclesiæ Galliarum hodieque innituntur.*

Everwinus Steinfeldensis prope Coloniam Præpositus, in Epistola ad ipsum data, quam edidit Dom. *Mabillonius* Tom. III. Veterum Analectorum: *Latabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa, qui nobis memoriam abundantis suavitatis Dei eructare in omnibus dictis & Scriptis vestris soletis, maxime in Cantico amoris Sponsi & Sponsæ, hoc est Christi & Ecclesiæ: ita ut eidem Sponso dicere veraciter possimus:* Servasti bonum vinum usque adhuc. *Hujus vini tam pretiosi Pincernam se nobis ipse constituit.*

Guerricus Abbas ipsum de Canticis Canticorum disserentem vocat *Interpretem Spiritus Sancti*, Sermone III. in Natali Apostolorum Petri & Pauli; & hæc quidem ait de *S. Bernardo* adhuc superstite & scribente.

Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis *S. Bernardum* ceu Angelorum jam concivem veneratus est ac dilexit. Id cum plures ipsius Epistolæ testentur, tum maxime 29. Libri sexti ad ipsum data: *Maluissem* (inquit) *Carissime, Beatitudini tuæ nexu indissolubili adhærere, quam vel principari inter mortales alicubi, vel regnare. Quid enim? Nonne Regnis omnibus terrenis præferri a me deberet grata non solum hominibus, sed & Angelis ipsis cohabitatio tua? Concivem te illorum si dixero, licet nondum spes in rem transierit, per misericordis Dei gratiam mendax non ero*, &c. Epistolam inscribit: *Forti ac splendidæ Monastici Ordinis immo totius Ecclesiæ Dei columnæ.*

Otto Frisingensis Episcopus lib. I. De Gestis Friderici I. cap. 34. ipsum *Vita & moribus venerabilem, Religionis ordine conspicuum, sapientia literarumque scientia præditum, signis & miraculis clarum* prædicat.

Petrus Cellensis Abbas Epistola 23. Lib. 6. ad *Nicolaum S. Albani* in Anglia Monachum, *S. Bernardo* post obitum obtrectantem, ita de ipso scribit: *Vita ejus, fama ejus, opera, scripta, miracula, fides, spes, charitas, castitas, abstinentia, mortificatio demum in membris ejus, sermo, vultus, habitus & gestus ejus, & his similia, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de eo. Prætermitto ista omnia, si nondum emolliri cor tuum potuit. Unum est in quo clavis in altum defixis arbitror me te apprehensurum, & in amorem S. Bernardi liquefacturum. Alumnus enim familiarissimus fuit Domina nostra, cui non unam tantum Basilicam, sed* to-

totius Ordinis Cisterciensis Basilicas dedicavit, ad cujus laudem politissimos Tractatus & facundos composuit. Si ergo potes tangere pupillam oculi Domina nostra, scribe contra Bernardum suum cui loquitur ipsa : Qui tangit te, quasi qui tangit pupillam oculi mei. Immensus essem, si omnia quibus a magnis viris aut Spiritu Dei afflatis feminis ornatus est, præconia congererem, eorumque verba exhiberem : scilicet *Cæsarii Heisterbacensis* lib. XIV. Miraculorum, cap. XXVII. *Theobaldi* Episcopi in Vita *Guillelmi* Ducis Aquitaniæ, apud *Surium* ad diem 10. Februarii, *Helinandi* lib. *De Reparatione Lapsi*, cap. VIII. *S. Mechtildis* in libro *Gratia Spiritalis*, cap. 91. *S. Gertrudis* lib. 4. *Insinuationum divinæ pietatis*, cap. 50. *S. Bonaventura* in Meditationibus Vitæ Christi, cap. 36. *Jacobi de Vitriaco*, Historiæ Occidentalis cap. 14. *B. Henrici Susonis* Ordinis Prædicatorum in *Dialogo Æternæ Sapientiæ* cap. 14. *Francisci Petrarchæ* lib. 11. *De Vita Solitaria*, cap. 14. *Henrici de Hessia* in Tractatu ad *Jacobum* Abbatem Eberbacensem, *Joannis Gersonii* Sermone de *S. Bernardo*, &c. Ipsi etiam Heterodoxi *S. Bernardum* cogente veritate laudarunt. *Lutheri* judicio *Omnes Ecclesiæ Doctores vincit*. Bucerus *Virum Dei* nuncupat. Calvino teste, *In libris de Consideratione ita loquitur, ut Veritas ipsa loqui videatur*. Ipsumque *Pium & Sanctum Scriptorem* appellat. *Daniel Heinsius* Bernardi Opera *Rivum Paradisi*, *Ambrosiam Animarum*, *Pabulum Angelicum*, *Medullam Pietatis* vocat. Soli pene Rapsodi Magdeburgenses in Mellifluum Doctorem venenatum calamum acuerunt ; Sed imperitiam suam prodidere non minus in *S. Bernardi*, quam in aliorum censura Patrum.

Luther. *in* Colloquiis Convivial. Bucerus *lib.* De Concord. Art. de justific. Calvinus *lib.* 4. Instit. *cap.* 10. & 11. Heinsius Orat. 3.

§. II.

Operum Sancti Bernardi Critica.

De *S. Bernardi* Operibus accuratam Censuram edidit *Horstius* vir eruditus, qui illa meliori ordine disposita in lucem edidit, & Notis illustravit. Sermones dumtaxat 86. in Cantica sunt *S. Bernardi*, cujus morte interceptum est divinum Opus, cum in illis verbis enarrandis versaretur : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea*, qui tertii Capitis versus primus est.

Epistola seu *Tractatus de vita solitaria ad Fratres de monte Dei*, non est *S. Bernardi*, sed *Guillelmi* Abbatis *S. Theodorici*, ut constat ex Codicibus MSS. antiquioribus, ex Præfatione, in qua Author Operum suorum texit Catalogum, & ex stylo *Guillelmi*, non *S. Bernardi* venam referente. In Codice MSS. Bibliothecæ quondam Thuaneæ inscripta est hæc Epistola, *Carissimis Fratribus & Dominis H. Priori, & H. Vu. Sabbatum delicatum*. Id est, *Dominis & Fratribus Haimoni Priori, & H.* (*P. Mabillonius* qui *S. Bernardi* Opera post *Horstium* edidit, legendum conjicit N. id est, *Novitiis*, ut ex Præfatione intelligitur.) *Willelmus precatur Sabbatum delicatum*. In quibusdam Codicibus MSS. inscribitur, *Liber de triplici ascensu ad perfectionem*.

Tractatus De Vita Mystica, *non est S. Bernardi.*

Tractatum *De Vita Mystica seu Christi Passione*, *S. Bernardi* non esse probant, 1. Discrepantia styli ; 2. Frequentes Patrum, immo & Poetarum citationes, quæ in germanis Melliflui Doctoris Operibus raræ sunt ; 3. Nonnulla ex *S. Bernardo* passim deflorata ; 4. Quod hujus Tractatus Author nomen *Aureola* a suis Majoribus dicat usurpatum ad specialem Virginum coronam significandam. Quo nomine ante XIII. Sæculum Ecclesiastici Scriptores non sunt usi ad singulare operis cujusdam excellentis præmium designandum. Unde nec *Sententiarum Magister* in 4. Dist. 49. ubi de præmio Sanctorum disserit, *Aureola* ullatenus meminit.

Meditationes De Cognitione humana conditionis, non sunt *S. Bernardi*, sed ex ipsius & aliorum Patrum Operibus excerptæ, ut docet hæc Epigraphe Codici MS. Dunensi præfixa : *Tractatus utilis ex verbis B. Bernardi Abbatis Claravallensis, & aliorum Patrum, De interiori homine, quomodo Deum inveniat.*

Liber De interiori Domo, *non est S. Bernardi.*

Tractatum *De Interiori Domo*, tertium esse librum *De Anima* inter Opera *Hugonis a S. Victore*, supra monuimus. *S. Bernardi* non esse constat : pius tamen & utilis est. Alicujus Cisterciensis esse *S. Bernardo* æqualis, ex victus qualitate cap. 30. descripta conjicit *D. Mabillonius*.

Tractatus *De Conscientia, ad Religiosum quemdam Ordinis Cisterciensis*, qui incipit his verbis, *Petis a me, Dilecte mi*, est Authoris qui nomen suum præ modestia supprimi voluit, ut indicant hæc ipsius verba cap. 8. *Verumtamen absconde Epistolam vel librum, si sic magis eligis nominare ; vel si propalare decreveris, tace nomen Authoris*. Atque in his verbis Caput VIII. & totus Tractatus desinit : *Vale, & ora pro me*. Unde quæ in aliis Editionibus assuta erant ex *Tractatu De Interiori Domo*, *D. Mabillonius* prudenter resecuit.

Tractatus *De Ordine Vitæ & morum institutione* sive *Doctrina puerorum*, est alicujus Monachi Benedictini, ut probant illa verba Capitis V. *multi namque de virtute obedientiæ multa scripserunt : inter quos Sanctus Pater noster Benedictus de ea tam terribiliter locutus est, ut Fratrum etiam bene obedientium corda præ nimio timore concuti valeant.*

Scala Claustralium, *non est S. Bernardi.*

Scalam Claustralium, sive Tractatum *De modo orandi*, *Guigoni* Carthusiano asserit MS. Codex Carthusiæ Coloniensis : idque omnino probat hæc Epistolæ nuncupatoriæ inscriptio : *Dilecto Fratri suo Gervasio F. Guigo delectari in Domino.*

Liber I. *De amore Dei*, & alter *De Natura et dignitate amoris*, Authorem agnoscunt *Guillelmum a S. Theoderico*, ut probat Præfatio Epistolæ ipsius ad Fratres de Monte Dei.

Liber tertius *De Amore Dei*, seu *Tractatus De Caritate*, a quodam Anonymo excerptus est tum ex *Richardo a S. Victore*, nimirum sex priora Capita ex Tractatu ipsius *De Gradibus Caritatis* : tum ex *Petro Blesensi* a Cap. nono usque ad finem, ex duobus scilicet ipsius libris *De Caritate Dei & Proximi* ; & ex diversis *S. Bernardi* locis, a Cap. sexto ad nonum, ut viri eruditi *Horstius* & *P. Mabillonius* observarunt.

Instructionem Sacerdotis seu Tractatum *De Præcipuis Mysteriis nostræ Religionis*, pium cæteroquin Opus, stylus *S. Bernardo* abjudicat.

Sermones S. Bernardo falso adscripti.

Sermo in Adventu Domini, De undecim Oneribus Isaiæ, qui incipit his verbis, *Tempus est. Fratres Carissimi*, est *Ælredi* Abbatis Rievallensis in Anglia, Ordinis Cisterciensis. Sermones De *Nativitate Domini*, primus qui incipit, *Non poterit explicari Sermo*, &c. Secundus, *Exultate, Fratres, in Domino*. Tertius, *Tandem de mari ad portam* & Sermo *De S. Stephano*, qui incipit, *Adhuc Filium Virginis habemus in manibus* sunt *Nicolai* Monachi Claravallensis. Tractatus *de Jesu puero duodenni*, est *Ælredi* Abbatis Rievallensis. *Sermones XV. De Sermone Domini in ultima cœna ad Discipulos habito*, sunt *Ogerii* Abbatis Lucedii Ordinis Cisterciensis, in Diœcesi Vercellensi ut constat ex veteri MS. Abbatiæ Stafardæ in Diœcesi Salutiensi, quod nunc extat in Bibliotheca Serenissimi Ducis Sabaudiæ : quod primus observavit doctissimus Cardinalis *Bona*. Sermo *De Duobus Discipulis euntibus in Emaus*, & Sermo *De Sacerdotum dignitate*, *Sermo in Nativitate S. Joannis Baptistæ* incipiens his verbis ; *Hodie, dilectissimi, dies nobis illuxit insignis* ; Item Sermo in Parabolam Evangelicam *De Villico* iniquitatis, *Sermo de Beata Maria Deipara* qui incipit : *Miraculum fuit quod Virgo peperit* ; Sermo in illum Sapientiæ locum *Sapientia vincit malitiam* ; alter in Parabolam Evangelicam *De decem Virginibus*, non sunt S. Bernardi. *Sermo de S. Andrea*, incipiens his verbis, *Et quietum studium*, & Sermo *De S. Nicolao*, incipiens : *Nicolaus iste meus*, sunt *Nicolai* Monachi Claravallensis. Sermones IV. & Meditationes in Antiphonam, *Salve Regina*, non esse *S. Bernardi* probant stylus & frequentes citationes. *Sermo ad Clerum in Concilio Remensi congregatum* non est *S. Bernardi*, sed ex ejus centonibus est consarcinatus. Sermo alter *Ad pastores in Synodo congregatos*, etsi elegans non refert *Sancti Bernardi* venam. Alter *Ad prælatos in Concilio Generali*, qui incipit ; *Non pro sapientia quæ in me sit* ; cum ante paucos annos, *sub bonæ memoriæ Eugenio Papa similiter convenisse Ecclesiam* memoret, *S. Bernardi* esse non potest, qui duobus tantum mensibus

bus *Eugenio* supervixit. Sermo *De fugienda cordis & corporis immunditia*, incipiens his verbis *Amator castitatis*, ex *Guerrico* Abbate maximam partem excerptus est. Sermo *De miseria humana* incipiens his verbis, *O homo*, inter nothos est rejiciendus, sicut & alter *De septem donis Spiritus Sancti*, incipiens *Prima gratia est timor Domini*. Sermo *De duodecim portis Jerusalem* in MS. Carthusiæ Coloniensis, ex quo eum edidit *Horstius*, nomen *S. Bernardi* præferens, eo non omnino indignus a viris eruditis censetur. *Sermo in Canticum B. Virginis*, S. Bernardi nomen præfert in Codice MS. Monasterii *Horti Mariæ*, Ordinis Cistereiensis, ex quo eum edidit *Horstius*, & in Codice Gemmeticensis, ad cujus fidem ipsum recensuit *P. Mabillonius*.

Liber De modo bene vivendi, *non est* S. Bernardi.

Librum *De modo bene vivendi ad sororem*, stylus languens, crebræ Patrum citationes, sententiæ oscitanter repetitæ; & sororis, ad quam scribit Author Virginitas *S. Bernardi* esse negant, qui sororem unicam habuit *Humbelinam*, ante Religionis ingressum conjugatam, cui proinde verba illa capitis 29. convenire non possunt: *Tu ergo venerabilis Soror, non despicias mulieres quæ de sæculo venerunt, maritos habuerunt.*

Liber *Sententiarum* dubius fœtus inter censetur ob styli diversitatem. *Disputatio cujusdam Justi cum Deo* &c. *Soliloquium*, quod incipit, *Cor meum, rogo te, &c.* *Formulæ honestæ vitæ: Varia & brevia documenta pie vivendi*, non sunt S. Bernardi. *Speculum Monachorum*, est *Arnulphi Monachi de Boeriis*, Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Laudunensi. *Documenta Vitæ Religiosæ*, *Octo puncta perfectionis assequendæ*; *Epistola de Regimine Vitæ Spiritualis*, Opusculum, *Ad quid venisti?* Tractatus *De Statu Virtutum*; *Expositio in Orationem Dominicam*; *Meditatio in Passionem & Resurrectionem Domini*; *Lamentatio in Passionem Christi*, *Lamentatio Virginis Mariæ*, spuria judicantur.

Liber in Hexaemeron, quem *Possevinus & Horstius S. Bernardo* tribuunt, ex Codice Bibliothecæ Cassinensis, hoc exordio, *Omnium quæ sunt, moventur, & vivunt*; &c. fœtus est *Arnoldi* Bonævallis in Diœcesi Carnotensi Abbatis.

Commentarius in Psalmos Pœnitentiales, sub nomine *S. Bernardi* Venetiis editus anno 1583. est *Innocentii III.* Pontificis Maximi ut observavit doctissimus Cardinalis Bona in lib. *De Divina Psalmodia.*

Commentarius in Epistolas *S. Pauli* qui MS. asservatur in Bibliotheca *S. Andreæ* Ferrariensis, *S. Bernardo* male tribuitur ab *Horstio*: est *Bernardi Clavonensis*, Augustiniani Theologi, ut ex Josepho Pamphilo *Possevinus & P. Mabillonius* observant.

Tractatum seu *Declamationem in Evangelium*, *Ecce nos reliquimus omnia*, Gaufrido *S. Bernardi* Notario tribuunt Codices MSS. Claravallensis, Vallislucentis & Regiæ Navarræ Parisiensis a *P. Mabillonio* laudati in Præfatione. Ex variis *S. Bernardi* Sermonibus hic Tractatus excerptus est, ut monet Author atque ex ejus inscriptione constat in MS. Codice Albo Mantellorum.

Inter *Parabolas de Pugna spirituali*, secundam & tertiam ad primæ imitationem confictas, iisque Codicibus MSS. in quibus prima occurrit, alteram semper deesse, quartam vero *De Christo & Ecclesia* & quintam *De Fide, Spe, & Caritate*, inter notha rejiciendas, monuit *P. Mabillonius*. Inter Sermones de tempore, secundus in Cœna Domini, in illud Proverbiorum, *Sedisti ad mensam divitis*, &c. cum in omnibus Cod. MSS. desideretur, non videtur esse Melliflui Doctoris. *Meditatio in Vitam & Passionem Domini*, quæ incipit, *Jesum Nazarenum*, stylum *S. Bernardi* non sapit. Est nona inter eas quæ *S. Anselmo* tribuuntur, sub hoc titulo, *Stimulus amoris*; vel *Speculum Evangelici Sermonis*; nec in MSS. Codicibus Operum *Sancti Bernardi* legitur. Inter Sermones *De Sanctis*, secundus *in Conversione S. Pauli*, dubius est, cum in MSS. desideretur. *Sermo in Festo S. Mariæ Magdalenæ*, a *Nicolao* Claravallensi conflatus est ex Sermonibus *S. Bernardi* in Cantica. *Sermo V. in Assumptione B. Virginis* incipiens his verbis: *Quod Dominus ac Salvator noster*, non videtur esse S. Bernardi, cum desit in MSS. De Sermone Panegyrico ad Beatam Virginem, qui Sermoni de illius Nativitate subjicitur, idem esto judicium: Inter Sermones *De Diversis*, plerique sunt ex ore dicentis excepti & compendio descripti. Sermones VIII. XXVIII. LXXI. LXXIII. LXXVI. & LXXIX. dubium an sint *S. Bernardi*, an *Guerrici* Abbatis. VI. & XXI. *Nicolao* Claravallensi tribuuntur. XL. *De gradibus Confessionis*, & XLI. *De gradibus Obedientiæ*, in spuriorum classem rejiciuntur.

Epistola dubia.

Inter Epistolas CCCXL. ad *Henricum* Archidiaconum, a nonnullis viris eruditis *S. Bernardi* esse negatur. In pluribus MSS. deest. Baptismum approbat sub hac verborum formula collatum, *Baptizo te in nomine Dei, & Sanctæ & veræ Crucis*, quod facturum *S. Bernardum* ægre mihi persuaserim.

Epistola ad Canonicos Lugdunenses a S. Bernardo scripta est.

Epistolam CLXXIV. *Ad Canonicos Lugdunenses*, qua ipsos perstringit quod Festum Conceptionis B. Virginis inconsulta Sede Apostolica celebrarent, quidam recentiores *S. Bernardo* suppositam asserunt, ratiunculis freti, quas hic exsufflare non est opus, cum suopte levitate abeant in ventos. Sane ipsam *S. Bernardo* vindicant omnium Codicum MSS. fides, & Veterum consensus, *B. Alberti Magni*, *Thomæ Alensis*, *SS. Thomæ & Bonaventuræ*, &c. & styli unitas. Porro hac in Epistola *S. Bernardus* sententiam suam ex Ecclesiæ Authoritate totam suspendit: *Nulla, inquit, Virgini ratione placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Nam si sic videbatur, [celebrandus scilicet Conceptionis Deiparæ dies festus] consulenda erat prius Apostolicæ Sedis Authoritas, & non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici corde & amore Virginis veniebat. Verum apud Sapientes, atque in famosa nobilique Ecclesia, & cujus specialiter filius sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa, etiam vestri omnium, dissimulare potuerim. Quæ autem dixi absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ Authoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*

Ad Sedem Apostolicam pertinet novarum institutio Solemnitatum.

Romanæ Ecclesiæ Authoritati atque examini, quæ ad Religionem pertinent universa reservat S. Bernardus.

Atque hanc *S. Bernardi* sententiam viri eadem ætate in Ecclesia religione & doctrina celebres propugnarunt. Inter alios *Petrus* Abbas Cellensis *Nicolaum S. Albani* in Anglia monachum, *S. Bernardi* memoriæ & glorioso nomini obtrectantem ob novam Festivitatem Conceptionis Beatæ Virginis impugnatam, per Epistolas castigavit, & Sancti Abbatis doctrinam, factumque vindicavit. Qua de re legenda est ipsius Epistola XXIII. libri VI. „Sed forte dices „mihi, *inquit*, Audesne qualiscumque Abbas occu„lere puteos continuandæ semper devotionis, & pro„fundius quotidie fodiendæ venerationis? Nonne „eodem Spiritu potantur moderni, quo & Antiqui? „Non erat ab initio Nativitas Virginis in Ecclesia „Solemnis, sed crescente Fidelium devotione, ad„dita est præclaris Ecclesiæ Solemnitatibus. Quare „igitur non similiter & diem Conceptionis obtine„at sedulitas Christianæ devotionis? Ad quod ego: „Cataractas cœli, & fontes abyssi libentius in ob„sequium Virginis solverem, quam clauderem. Et „si filius ejus Jesus aliquid omisisset in prærogativa „exaltationis suæ matris, ego servus, ego mancipi„um, non quidem de effectu, sed saltem affectu sup„plere gestirem: Mallem certe non habere linguam „quam aliquid dicere contra Dominam nostram. An„te eligerem, non habere animam, quam vellem „ejus extenuare gloriam. Licuit quoque, semper„que licebit, Sponsam Christi Ecclesiam, quæ in „terris peregrinatur, secundum mutationes rerum, „personarum, & temporum variare rationes decre„torum, & nova adinvenire medicamina remedio„rum, & statuere Sanctis adeptione gloriæ frequen„tiam solemnitatum. Est tamen auro locus in quo „conflatur, & argentum habet venarum suarum prin„cipia, Sedem Petri, & Curiam Romanam, quæ „claves cœli principaliter tenet; & clausura consi„liorum Dei reserata dispensante Deo, unguentum „gratiæ a capite, usque in oram vestimenti habet com-

Pietas Petri Cellensis Abbatis in Virginem Deiparam.

Romana S. Petri Sedes commendatur.

Domina est & Moderatrix totius Christianitatis.

„ compluere. Hæc Sedes Petri, id est, Petra in qua „ Moyses residet, videlicet Lex Dei immaculata „ convertens animas, frugosa quæque hæreticorum „ conciliabula elidit & allidit, profanas vocum no„ vitates resecat & rescindit, superflua confodit & „ jugulat, hiantia & eccliptica complet & illustrat. „ Utinam salva veritatis authoritate, lance commu„ nis consilii, hæc Domina & moderatrix totius „ Christianitatis, Conceptionem Virginis librasset & „ approbasset, a mari usque ad mare hanc propa„ gasset! Sole, id est, Apostolico, ac Luna, id est, „ Curia Romana præeunte, tam secure quam expe„ dite in lumine voltus eorum gressus meos pone„ rem & disponerem, ex hoc videns vitare lubricum „ & sequi solidum & securum.

Potho Prumiensis Presbyter *S. Bernardo* coævus adversus novarum Celebritatum institutionem absque Romanæ Ecclesiæ Authoritate factam, privata & imprudenti Monachorum quorumdam pietate, eodem spiritu declamat in fine libri III. De Statu Domus Dei. *Ecce*, inquit. *Vita Monastica, quæ erat columna & firmamentum Religionis, in qua videlicet viguit disciplinæ censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, authoritatis pondus, antiquitatis insigne, in Ecclesiasticis Officiis repentinis visa est novitatibus acquiescere, & quadam juvenili passa est decolorari levitate. Miramur ergo satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam Monasteriis mutare colorem optimum, novas quasdam inducendo celebritates: Numquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? Superba mente præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Neque vero nos in hujusmodi aliquid invenire possumus, quod illorum universi diligentiam præterisse. Quæ igitur ratio hæc Festa celebranda nobis induxit, Festum videlicet Sanctæ Trinitatis, Festum Transfigurationis Domini? Additur his a quibusdam, quod magis absurdum videtur, Festum quoque Conceptionis Sanctæ Mariæ. Nos in his omnibus devotioni Fidelium minime derogamus, dum rationem quærimus, qua rationabile obsequium nostrum offerre Domino debemus, ne forte a via recta deviantes, præsumptionis spiritu ducamur.* Non negabat vir pius & eruditus Festa S. Trinitati, Christo Transfigurato, Virgini Deiparæ Conceptæ, ab Ecclesia posse institui ac celebrari; sed expectandam censebat Romani Pontificis aut Concilii Jussionem ac Decretum; idque Monachos imprudenti ac præcipiti devotione usurpare.

§. III.

S. Bernardi Sententia de Sanctorum Beatitudine discutitur.

S. Bernardum sensisse, animas Justorum post hanc vitam, ante generalem corporum Resurrectionem, & extremum Judicium, non admitti ad illam Beatitudinem quæ in Dei visione consistit, quispiam ex ejus Sermonibus *De omnibus Sanctis* imprudens colligeret. Sic enim habet Sermone II. *Interim sub Altari eos esse, & non supra, ipse nos doceat, cujus testimonium credibile factum est nimis, qui [ut scribit in Apocalypsi] sub Altari ipso eorum etiam voces audivit. Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus Dominici; & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa qua implebis eos lætitia cum vultu suo. Interim, inquam, convertuntur animæ illæ in requiem suam, donec veniat dies qua introire mereantur in requiem Domini. Adhuc laudant eas in portis opera sua, donec veniat cum erit unicuique laus a Deo.* Et Sermone III. docet *Tres esse Sanctorum status Animarum. Primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in corpore jam glorificato. Primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in Domo Dei.* Et Sermone IV. explicat quid sit illud Altare sub quo interim Sanctorum Animæ esse dicuntur in Apocalypsi, aitque esse Christi humanitatem, quam solam vident: post Resurrectionem autem exaltandas super Altare, ad videndam ejus Divinitatem. *Interim ergo*, inquit, *sub Christi humanitate fœliciter Sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam Angeli ipsi prospicere, donec veniat tempus, quando jam non sub Altari collocentur, seu exaltentur super Altare. Sed quid dixi? Numquid Humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quonam igitur modo super Altare dixerim exaltandos eos qui nunc sub Altare quiescunt? Visione utique & contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis Filius [ut pollicitus est] semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem & Spiritum Sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis. Quoniam hæc est vita æterna, ut regnoscamus Patrem verum Deum, & quem misit Jesum Christum, & in eis etiam Spiritum utriusque. Transiens quippe ministrabit nobis, novas utique & usque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delicias manifesta suæ contemplationis.*

Verum de Beatitudine consummata loqui *S. Bernardum*, ex adjunctis perspicuum est; & negare tantum Animas Sanctorum tam perfecte nunc videre Deum, quam visuræ sint receptis corporibus, quia naturalis impetus, quo erga corpus feruntur, ut ei rursum uniantur, ipsas remoratur quominus Angelorum instar tota intentione in Deum ferantur. Id plane significant ejus verba Sermone III. *De omnibus Sanctis*, ubi carnem ita compellat. *Animæ Sanctæ, quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te expectant: & ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari Beatitudo non potest, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum; sed contrahatur quodammodo & rugam faciat, cum inclinantur desiderio tui.* Ibidem: *Neque enim præstari decet integram Beatitudinem, donec sit homo integer cui detur... Acceperunt jam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos.... Stola enim prima est fœlicitas & requies animarum: secunda vero immortalitas & gloria corporum.*

Et Sermone IV. distinguens inter sinum Abrahæ, & locum Animarum Sanctarum, ait: *Jam vero sicubi forte præsens quoque Sanctorum requies Abrahæ sinus vocatur, certum est de Evangelio hanc inolevisse consuetudinem: licet neminem oporteat dubitare longe alium hunc sinum esse quam illum; quippe cum ille in tenebris, hic in luce multa; in inferno ille fuerit, iste in cœlo. Non incongrue tamen etiam nunc dictum videtur Patriarcharum filios paternum in sinum recipi, cum ad eorum consortium ab hoc sæculo transire meruerint.*

Et alibi passim Animas Sanctas statim post obitum visione divina frui docet. Sermone II. De Sancto Malachia: *Non immerito hodie Malachias in consortium Angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem ante Angelus erat non minus puritate, quam nomine: sed nunc felicius gloriosi in eo interpretatio nominis adimpletur, quando pari cum Angelis gloria & fœlicitate lætatur.*

In Sermone de Obitu *Humberti* Monachi: *Ecce*, inquit, *jam coram te est, Pater dulcissime, fons ille puritatis, quem tanto ardore animi sitiebas: Ecce immersus es in illam divinæ pietatis abyssum, cujus memoriam abundantia suavitatis tam devote eructare solebas.*

In Epistola ad *Sugerium* Abbatem: *Quid tibi*, inquit, *& terrenis exuviis, qui ad cœlum iturus, stola gloriæ mox indui habes?* Epistola 311. ad Fratres de Hibernia, ita *S. Malachiam* jam defunctum compellat: *Absit autem ut tua nunc, o Anima Sancta, minus efficax æstimetur oratio, quando præsenti vividius supplicare est Majestati, nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas. Absit ut imminuta, nedum exinanita tua illa tam operosa caritas reputetur, cum ad Fontem ipsum caritatis æterna procumbis pleno hauriens ore, cujus & ipsa prius stillicidia sitiebas.*

SCHOLION.

Huic Articulo, §. 11. pag. 314. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam appingunt: *Aliqua dicit de Epistola Sancti Bernardi contra Conceptionem.*

R. *De-*

R. *De S. Bernardi* Operibus agens eo loci, Epistolam ejus CLXXIV. ad Canonicos Lugdunenses genuinam esse probavi, non ipsi suppositam. Hac in Epistola *S. Bernardum* sententiam suam ex Ecclesiæ Authoritate totam suspendere observavi. Ad Sedem Apostolicam pertinere novarum Institutionem Solemnitatum. Contra piam de Immaculata Virginis Deiparæ Conceptione sententiam tantum abest ut aliquid dixerim, ut ne quidem Quæstionem ipsam attigerim. Ex illa Epistola hæc verba descripsi: *Consulenda erat prius Apostolica Sedis Authoritas...... Romana præsertim Ecclesia Authoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* An hæc *S. Bernardi* verba descripsisse, eumdemque devotionis & summissionis affectum erga Romanam Ecclesiam induisse, & illius verbis expressisse, crimen est? Verum quamvis de S. Bernardi sententia circa Beatæ Virginis Conceptionem dixissem aliquid, reprehensionem propterea non mererer, modo intra Criticæ fines me continuissem, expendens dumtaxat quæ fuerit Patris sanctissimi opinio; quod *Horstius & P. Mabillonius* Viri Eruditi in Notis suis ad hanc S. Bernardi Epistolam fecerunt, animadvertentes: *Illum impugnasse non solum Festivitatem Conceptionis Deiparæ Virginis inconsulta Sede Apostolica institutam; verum etiam ipsam Conceptionis sanctitatem seu immunitatem a peccato originali. Nam in ista Epistola nullum omnino discrimen agnoscit [nisi penes majorem ac minorem gratiæ plenitudinem] inter Beatam Virginem, ac Jeremiam, & S. Joannem Baptistam, quos quidem in utero sanctificatos affirmant omnes, immunes a culpa originali, nullus. Et hanc quidem fuisse Bernardi sententiam, colligitur ex Sermone secundo in Assumptione, in quo aperte concedere videtur Beatam Virginem a parentibus originalem maculam traxisse. Quod autem nonnulli quosdam contextus Bernardo tribuunt in gratiam Immaculatæ Conceptionis, ex supposititiis ejus Operibus ut plurimum adducuntur.* Hæc Viri illi Eruditi. Quæ observatio & in postrema Editione S. Bernardi Alexandro Octavo Pontifici Maximo dicata legitur. Cæterum nullum ex hac Observatione præjudicium fieri velim adversus piam de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis sententiam, circa quam Ecclesiæ Romanæ sensum & propensionem Constitutionibus Summorum Pontificum expressam, præ Sancto Bernardo aut aliis quibusdam Doctoribus, quorum alioqui revereor authoritatem, sequi religiosi officii loco semper ducam: *Quia & ipsa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia Authoritatem habet: Unde magis standum est Authoritati Ecclesiæ, quam authoritati vel Augustini vel Hieronymi,* (vel Bernardi) *vel cujuscumque Doctoris.* Verba sunt Sancti *Thomæ* Secunda Secundæ Quæstione X. Articulo XII.

Nota.

CArdinalis Cœlestinus Sfondratus in eo Opere, quod inscripsit *Innocentia Vindicata* §. 10. in responsione ad quintam objectionem, distinguens juxta Peripateticam opinionem primam conceptionem, quando nempe parentum sanguis in materno utero commiscetur, ab ea conceptione quando post 40. seu 80. dies anima fœtui communicatur, de prima conceptione asserit loquutum S. Bernardum, non vero de secunda. Juxta hanc Peripateticam opinionem, cui numquam adhæsi, primam Virginis Conceptionem, quia non fuerit sine libidine, immaculatam S. Bernardum non reputasse sentit Sfondratus, sed non secundam, a qua cum abesset omnis libido, cessabat ratio unde Virginis secundam conceptionem non immunem a peccato Bernardus judicaret. Observat demum Sfondratus quod, sicut ibi profitetur, S. Bernardus ob Ecclesiæ authoritatem B. Virginis Nativitatem celebrabat, ita modo eamdem ob rationem Immaculatam tantæ Virginis & Matris coleret Conceptionem.

ARTICULUS XI.

De Drogone Ostiensi, Petro Venerabili, Petro Pictavensi, Roberto Retenensi, Gilberto de Hoilandia, Guillelmo a S. Theodorico, Guerrico Abbate, Anselmo Havelburgensi, Nicolao Claravallensi, & Isaac Magnæ Armeniæ Catholico.

I. DRogo, Primus Abbas *S. Joannis Laudunensis* a *Bartholomæo* ejusdem urbis Episcopo constitutus est, an. 1128. ex Priore Cœnobii *S. Nicasii* Remensis O. B. Deinde *bono odore sapientiæ & probitatis ejus longe lateque diffuso*, inquit *Hermannus Monachus* l. 3. *De Miraculis S. Mariæ Laudunensis*, c. 22. *ab Innocentio II.* Romam vocatus, Episcopus Cardinalis Ostiensis creatus est. Ab Authore Appendicis ad *Sigebertum* a Pillorio editæ *Religione & facundia venerabilis* prædicatur & ad annum 1138. quo ejus obitum consignat, *Vir religione & Sapientia clarus*. Sermonem scripsit *De Passione Domini*, item Librum *De Creatione & Redemptione hominis*, Opusculum *De Septem donis Spiritus Sancti*, & Tractatum *De Horis Canonicis*. Extant in Bibliotheca Patrum.

II. S. Petrus Mauritii, Arvernia, ex nobili genere oriundus, inter Cluniacenses Monachos a *S. Hugone* adscriptus, deinde Prior Vezeliacensis, & de Domina, defuncto *Hugone*, Cluniacensis Abbas electus est anno 1123. die Assumptæ in Cœlum Virginis, annos dumtaxat triginta natus. Ob morum gravitatem, vitæ sanctimoniam, & eruditionem eximiam, *Venerabilis* cognomen promeritus est, atque ita ab *Innocentio II. & Eugenio III.* Pontificibus Maximis appellatus. Vitam ejus in Cluniacensi Chronico scriptam legere est, in quo & ejus Opera recensentur; scilicet *Epistolarum libri sex*, Tractatus adversus *Judæos*, *Tractatus adversus Petrobusianos*, Libri duo *De Miraculis*, *Sermones quatuor*, Hymni & Rithmi quidam, & *Statuta Congregationis Cluniacensis*. Ejus Opera excusa sunt in Bibliotheca Patrum. Librum quoque *De Vita Solitaria* ipsi tribuit *Trithemius* Abbas. *S. Bernardus* hoc ipsi scripsit elogium Epist. 277. qua ipsum Romam euntem *Eugenio III.* Pontifici Maximo commendavit: *Honorate Virum, ut vere honorabile membrum in Christi corpore. Vas est in honorem [ni fallor] plenum gratia & veritatis, refertum plurimis bonis. Remittite eum cum lætitia, quamplurimos sub reditu lætificaturum. Dignemini eum ampliori, ut dignum est, gratia, & ita ut de plenitudine ejus omnes, cum redierit, accipiamus. Sane si quid petierit in nomine Domini Jesu, non debet apud vos pati difficultatem. Nam si nescitis, iste est qui manus suas extendit ad pauperes Ordinis nostri. Iste est qui de possessionibus Ecclesiæ suæ, quantum cum pace potest suorum, libenter frequenterque largitur ad victum. In nomine Jesu cur dixerim, audite. Si enim petierit [quod suspicor, vereorque] dimitti a regimine Monasterii, quis illum noscens in nomine Jesu petere putet? Fallor, non solito temeratior, si non se ipso melior factus sit, ex quo vidistis eum. Quamquam pene ab introitu suo in multis Ordinem illum meliorasse cognoscitur.* Eumdem in Epistola ad ipsum data vocat *Virtutis exemplar, disciplinæ summam, speculum Sanctitatis*. Obiit 8. Kalendas Januarii anno 1157. ut constat ex Martyrologio Monastico Benedictino. De ipso legatur *Trithemius* Abbas.

Petri Venerabilis elogium.

III. Petrus Pictavensis, Ordinis Benedictini Monachus, *Petro Venerabili* Abbati Cluniacensi Carmen Panegyricum cecinit: ad eumdem Epistolam dedit qua ipsum ad scribendum adhortatus est, ejus eruditionem plurimum commendans; atque ipsum non modo doctrina & pietate ad monomenta ingenii posteris relinquenda, verum etiam officio impelli debere: *Cum scribendi studium speciali prærogativa Cluniacenses Abbates a temporibus antiquis obtineant. Nec certe sola authoritate compelluntur ut scribant: sed etsi non fecerint, sicut degeneres, multumque patriæ formæ dissimiles, necesse est erubescant.* Scripsit idem *Petrus* Epitaphium *Gelasii II.* Pontificis Maximi, &c.

Studia Monastica.

IV. Robertus Retenensis, Anglus, Pompelonensis

Ecclesiæ Archidiaconus, vir Arabicæ linguæ peritissimus, rogante *Petro Venerabili* Abbate Cluniacensi, *Alcoranum* ex Arabico Latinum fecit, & eidem Abbati Versionem suam dicavit. *A Theodoro Biliandro* Ministro Zuingliano editum est Alcoranum a *Roberto Retenensi* Latio donatum. Id autem operæ ab ipso postularat *Petrus Cluniacensis*, ut Mahometanæ Legis errores & figmenta refellere posset. Qua de re ejus ad *S. Bernardum* Epistola legenda est.

V. Gillebertus de Hoilandia, Anglus sub *S. Bernardo* Cisterciensis Ordinis Monachus, deinde Suinshetensis Abbas in agro Lincolniensi, vir religiosus & eruditus, magnusque *S. Bernardi* æmulator, scripsit in tria Canticorum Capita Sermones XLVIII. elegantissimos, inde incipiens ubi *S. Bernardus* scribendi simul & vivendi finem fecerat; quos una cum Epistolis quibusdam & Dissertationibus Asceticis ejusdem in Appendice Operum *S. Bernardi* Editionis *P. Mabillonii*, Tom. IV. legere est. Scripsisse etiam *In Psalterium*, *in Evangelium S. Matthæi*, *in Epistolas S. Pauli*, *in Apocalypsim S. Joannis*, Librum *Theologicarum Sententiarum*, *De Statu Animæ*, *&* *De Casu Diaboli*, refert *Joannes Pitseus* lib. *De Illustribus Scriptoribus Angliæ*. Obiisse anno 1172. Chronicon Clarevallense testatur.

VI. Guillelmus, Patria Leodiensis, Ordinis primum Benedictini in Cœnobio *S. Nicasii* Remensis monachus, deinde monasterii *S. Theodorici* prope Rhemos creatus Abbas, anno 1120. arctissimam cum *Sancto Bernardo* iniit amicitiam. Abdicata Præfectura, Cisterciensem Ordinem in Cœnubio Signiacensi* professus est anno circiter 1135. ubi cum aliquot annos in jugi rerum cœlestium contemplatione & summa animi demissione exegisset, sancte obiit anno circiter 1150. Cum ipso de amicitia certat *S. Bernardus* Epistolis 85. & 86. Orta Cluniacenses inter & Cistercienses contentione ob regulam *S. Benedicti* dispari habitu & religione servatam, cum hujus dissidii Authorem *S. Bernardum* calumnia proclamaret, *Guillelmus a S. Theodorico* virum sanctissimum ad scribendam Apologiam induxit, & ad ea, quæ in Cluniacensibus correptione digna erant, reprehendenda. Ejus votis obsecutus est *S. Bernardus*, ipsique *Apologiam* dicavit. Ipsi etiam librum *De Gratia & Libero Arbitrio* nuncupavit, ejusque censuræ subjecit, antequam publici juris fieret. Scripsit præclaram *Epistolam ad fratres Chartusianos de Monte Dei*, cujus in Præfatione Operum suorum Catalogum instruxit. Hæc vero sunt quæ se edidisse testatur: *Speculum fidei*, *Ænigma Fidei*, libros duos *De contemplando Deo*, alterum *De natura & dignitate amoris*, libellum *De Sacramento Altaris*: *Meditationes* Novitiis ad orandum informandis utiles. *In Cantica Canticorum* usque ad illum locum, *Paululum, cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*; librum *contra errores Petri Abaelardi*. Commentarios in Cantica, & in Epistolam ad Romanos, ex libris SS. Patrum defloravit. *Sententias de fide* fortes & graves ex libris *S. Augustini* excerpsit. Edidit præterea Opusculum *De natura Animæ & Corporis*. Scripsit denique librum unum *De Vita S. Bernardi*. Epistola ad Fratres de Monte Dei, *Tractatus de contemplando Deo*, & tractatus *De natura & dignitate amoris*, extant inter Opera *S. Bernardi*, Tom. V. Editionis *P. Mabillonii*. Hæc vero & alia ejus Opera edita sunt Tom. IV. Bibliothecæ Cisterciensis.

* De Signy.

VII. Guerricus, Ordinis Cisterciensis monachus, *S. Bernardi* discipulus, Igniacensis monasterii,* quartæ Clarævallis filiæ, in diœcesi Remensi, secundus Abbas, pietate juxta & eruditione clarissimus, sermones piissimos & elegantissimus edidit. Obiisse dicitur anno 1157. die 19. Augusti. *A Trithemio*, *Manrique*, *Henrique*, *Vischio* in Bibliotheca Cisterciensi, & aliis qui de Sanctissimi Ordinis Viris Illustribus scripserunt, celebratur: necnon in Exordio Magno Cisterciensi, capp. VII. & VIII.

* D'Igny.

VIII. Anselmus Havelburgensis Episcopus, a *Lothario II.* Imperatore Legatus Constantinopolim missus, a Græcis sapientioribus Episcopis provocatus, celebrem conventum institui curavit, in quo de Controversiis Græcos inter & Latinos ultro citroque disputatum est. Collationes illic habitas præcipue cum *Nechite* Nicomediæ Archiepiscopo in unum collegit Eugenio III. Pontifice Maximo jubente, & quasi *Anticimenon*, id est, *Librum Contrapositorum*, sub forma Dialogi conscripsit. Tres libros complectitur hoc Opus. Primus est *De unitate Fidei*, *& multiformitate vivendi ab Abel Justo usque ad novissimum electum*. Secundus, *De processione Spiritus Sancti*. Tertius, *De diversa Eucharistiæ ritu Græcorum & Latinorum, videlicet Azymi & Fermentati; Et de Authoritate Romanæ Ecclesiæ*. Authoris eximiam eruditionem cum summa pietate & modestia conjunctam Opus testatur.

Havelburgum Germaniæ urbe est in *Marchia Brandeburgensi*, *Episcopatus sub Archiep. Magdeburgensi.*

IX. Nicolaus, ex Monacho Arremarensi factus Clarevallensis, & *Sancti Bernardi* Amanuensis sive Notarius, eique & Petro Venerabili Abbati Cluniacensi carissimus, ut ex istius Epistolis 33. 34. & 35. libri sexti compertum est, homo versipellis ingenii, sigillo *S. Bernardi* non semel abusus, & deprehensus falsarius, fugam arripuit. De ejus fuga, fraudibus, imposturis, scripsit *S. Bernardus* ad *Eugenium* Papam Epistolam 298. & perpetua dignum inclusione perpetuoque silentio denuntiavit, si forte Romam se conferret. In Angliam profugisse vulgo creditur, isque esse *Nicolaus S. Albani* in Anglia Monachus, qui *S. Bernardi* jam defuncti sententiam de Conceptione B. Virginis impugnavit: ad quem graves ea de re Epistolas *S. Bernardi* vindices scripsit *Petrus Cellensis*, nempe 23. libri 6. & 10. libri 9. At vulgarem illam opinionem falsam esse evincit, I. Diversitas patriæ. *Nicolaus* enim Sancti Bernardi Amanuensis, Gallus erat; *Nicolaus* Monachus *Sancti Albani*, Anglus, ut constat ex Petro Cellensi. *Nicolaus* Clarevallensis *Petro Cellensi* familiariter notus erat, & carissimus, ut probant mutuæ ipsorum Epistolæ: *Nicolaus S. Albani* Monachus ipsi notus non erat nisi occasione petulantis in doctrinam & nomen *S. Bernardi* jam in Cœlum translati insultus. II. Diversos homines fuisse probat styli disparitas; cultior enim est & urbanior *Nicolai* Clarevallensis stylus, ut ex ejus Epistolis a *Joanne Picardo* Canonico Regulari *S. Victoris* Parisiensis editis compertum est. III. Idem probat contrarietas opinionum. *Nicolaus* enim *S. Albani* Monachus tam alienus fuit a sententia *S. Bernardi* circa Conceptionem Deiparæ Virginis, ut propterea ipsum post obitum dedisse pœnas commentus sit, quod eam in peccato conceptam docuisset, ac novæ Celebritati Conceptionis ipsius repugnasset. En verba ipsius ad *Petrum Cellensem*, scribentis: *In Clarevallensi Collegio quidam Conversus bene religiosus in visu noctis vidit Abbatem Bernardum niveis indutum vestibus, quasi ad mamillam pectoris furvam habere maculam. Quem ex admiratione tristior alloquens; Quid est, inquit, Pater? quod nigram in te maculam video? Et ille: Quia de Domina nostra Conceptione scripsi non scribenda, signum purgationis meæ maculam in pectore porto. Frater visa Conventui innotuit, & aliquis Fratrum in scriptum redegit. Relatum in Generali Cisterciensi Capitulo, & de communi Consilio scriptum periit incendio, maluitque Abbatum universitas Virginis periclitari gloriam, quam S. Bernardi opinionem ...... Porro facto levi per Purgatorium transitu, intravit in gaudium Domini sui, qui in diebus suis sanctitate Venerabilis opinione singularis, eloquentia suavis, & signorum innovatione mirabilis.* At *Nicolaus Clarevallensis*, Sermone *De B. Maria*, qui incipit his verbis, *Miraculum fuit*, (Hunc enim ipsius esse viri eruditi conjiciunt) asserit B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam. *Licet*, inquit, *Maria de Patrum natura per peccatum vitiata duceret originem, prælecta tamen per Spiritum Sanctum, & præservata ad purum, Deum nobis protulit & hominem.* Ut ut est, *Nicolaus Clarevallensis* varias Epistulas scripsit, varios item Sermones, Observationes Morales in aliquot Versus Psalmorum, quædam Responsoria & Lectiones de Cruce & de Virgine, & Sequentias decem de Christi & Sanctorum Festivitatibus. Hæc autem Opera sua recenset in Epistola nuncupatoria Sermonum ad *Henricum* Trecensium Comitem, quam Tom. III. Bibliothecæ Cisterciensis legere est.

Falluntur qui Nicolaum Clarevallensem cum Nicolao S. Albani in Anglia Monacho confundunt.

Apud Petrum Cellensem *Epist.* 10. *libri* 9.

Inter Sermones S. Bernardi.

X. Isaac Magnæ Armeniæ Catholicus, id est, omnibus Armeniæ Episcopis Primatis jure præsidens, non lon-

longe ab anno 1145. vixit, quo *Baronius* Cardinalis ex *Ottone Frisingensi* lib. 7. cap. 35. consignat Armenorum Legationem ad Romanum Pontificem, quem super iis in quibus a Græcis dissentiebant, & quæ illi in ipsis traducebant, Judicem postularunt; inquit *Combefisius* noster, qui hanc epocham ex eo colligit, quod *Constantinum* ante octingentos annos a suo tempore baptizatum dicat. Scripsit *Orationes* duas *Invectivas adversus Armenorum errores*: quibus exprobrat 1. Eutychianam & Monothelitarum hæresim. 2. Quod Annuntiationem B. Virginis, & Christi Nativitatem non celebrarent. 3. Perperam ipsos arguit quod Eucharistiam ex pane azymo conficerent. 4. Ipsos merito reprehendit quod aquam vino in Sacrificio non miscerent. 5. Quod auctario *Petri Fullonis* Trisagion interpolarent, his nimirum verbis, *Qui crucifixus es pro nobis*. 6. Quod Sacras Imagines non colerent, sed velut Idola sugillarent. 7. Quod Chrismate carerent, & in Baptismo non ungerent recens baptizatos. 8. Quod Catechumenos in Baptismo non insufflarent. 9. Quod Jejunium singulare, obscurum, & a totius Ecclesiæ Ritu alienum observarent. 10. Quod Quadragesimæ tempore Ecclesiam non ingrederentur, neque Crucem adorarent. 11. Quod Feria V. in Cœna Domini Sacram Communionem non perciperent. 12. Quod agnum in Paschate Ritu Judaico immolarent. 13. Quod Orationem Dominicam a solo Sacerdote, eoque rem sacram agente, recitari permitterent, &c. Apostolicam Ecclesiam, ejusque Pontifices perperam ab Armenis sugillari docet, quasi in hæresim prolapsos, quia ex hoc sequeretur mendacem esse Christum, qui portas inferi adversus eam nusquam prævalituras declaravit. *Christus ipse dixit Petro*: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, *id est, hæreses. Qui itaque blaspheme dicitis Ecclesiam Catholicam ac Apostolicam lapsam in hæresim, periisse, ac Christum mendacem facitis dicentes, Romanos omnes in interitum ire, vosque solos consequi salutem.* Et infra: *Qui vero Magnæ Urbis Romæ Antistites, Sanctorum Apostolorum Confessores ac Fidei heredes, qui duas naturas, duasque operationes in Christo prædicent; uti Dominus ipse in Evangelio docet, blasphemant, coramque pietatem impietatem nuncupant, ac confessionem negationem dicunt, rectamque fidem alienam a fide doctrinam? Si quidem enim Apostolica Ecclesia ejusque Pontifices in hæresim prolapsi sunt, palam est mendacem esse Christum. Sin autem Christus non est mendax, qui sit verus Deus, ejusque Catholica ac Apostolica Ecclesia cum suis omnibus Pontificibus rectam fidem tenet atque prædicat, liquet Eutychetem & Dioscorum eorumque dogmate consentientes Armenos, hæreticos ac blasphemos. Christique adversarios errare.* Invectivas *Isaaci Catholici* contra Armenos edidit & eruditis Notis illustravit *Combefisius* noster in *Auctario Bibliothecæ Patrum* Tom. II.

Armenorum errores.

Ecclesiæ Infallibitas.

ARTICULUS XII.

De Roberto Pullo, Sugerio, Arnoldo Bonevallensi, Ælredo Rievallensi, Serlone Savigniacensi, Isaac de Stella, & Alano Insulensi.

I. RObertus Pullus, natione Anglus, Facultatis Parisiensis Doctor & Professor, Oxoniensis Academiæ restaurator, ob singularem doctrinam & morum integritatem ab *Innocentio II.* Romam vocatus, a *Lucio II.* ejus Successore inter Cardinales conscriptus est, & ab *Eugenio III.* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius renuntiatus, sub ejus Pontificatu finem vivendi fecit. Ipsum commendat *S. Bernardus* Epistola 204. ad Roffensem Episcopum data. *Se monui*, inquit, *Magistrum Robertum Pullum aliquantum tempus facere Parisius, ob sanam doctrinam quæ apud illum esse dignoscitur, id putavi necessarium, & adhuc puto. Si dixi hominum fultum gratia amicorum, quorum in Curia non minima authoritas est; id dixi, quod vobis formidavi & adhuc formido.* Ad *Robertum Pullum* jam Cardinalem *S. Bernardum* Epistolam 334. scripsisse, probat *P. Mabillonius* ex Codice MS. Cisterciensi, quamvis in editis ad *Rolandum* Cardinalem & Cancellarium inscribatur. Et sane *Robertus Pullus* Cancellarii munere functus est usque ad annum 3. *Eugenii* teste Onuphrio: *Rolandus* vero cognomento *Blandinellus*, seu *Paparo*, Cancellarii dignitate non est ornatus ante annum *Eugenii* octavum. Recens autem electus erat *Eugenius* cum *S. Bernardus* hanc, de qua agimus, Epistolam scripsit, in qua Pullum his verbis compellat; *Benedictus Deus, qui secundum suam misericordiam Eugenium nostrum, immo suum prævenit in benedictionibus dulcedinis, parare scilicet lucernam Christo suo, & præmittere virum fidelem, ad adjutorium ejus, & nostram quoque plurimam consolationem ..... Age Dilectissime, pro loco quem tenes, pro ea quam adeptus es dignitate: viriliter & prudenter exerce qui in te est zelum Dei ad Gloriam ejus, & salutem tuam, & Ecclesiæ Sanctæ plurimam utilitatem, ut dicere possis & tu: quia* Gratia Dei in me vacua non fuit. *Hactenus quippe eruditioni multorum fideliter insudasti, cœlo & terra testibus: sed jam tempus faciendi Domino: ne patiaris, quod in te est, dissipari ab impiis legem ejus.* Clarissima ingenii & eruditionis monumenta transmisit ad posteros *Robertus Pullus*, quorum indicem *Pitseus* texuit in libro De Illustribus Scriptoribus Angliæ. *Octo Sententiarum Libros* edidit, & Notis exquisitis illustravit *Dominus Hugo Mathoud* Asceta Benedictinus Congregationis *S. Mauri*.

Cardinalis Pulli elogium.

Cardinalis Pulli Opera.

II. Sugerius, humili loco natus, virtutis & doctrinæ gradibus ad summa conscendit. In celebri *S. Dionysii* prope Parisios Monasterio *S. Benedicti* Regulam professus, ingenii fœlicitate & ad res magnas gerendas capacitate *Ludovico VI.* Regi Christianissimo innotuit, cujus Legatione ad *Callistum II.* Pontificem Maximum cum laude perfunctus, Abbas *S. Dionysii* absens electus est, adhuc Diaconus, & accedente Regis assensu inauguratus anno 1123. Regularem Observantiam in Cœnobio sibi commisso *absque scandalo & perturbatione Fratrum* restituit: Basilicam insignem, eo quo etiamnum conspicitur schemate instauravit, ornavit, locupletavit, Deo Sanctam Reformationem bonorum etiam temporalium copia munerante, ut dicere possent: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Quæ commemorans ipse *Sugerius* in lib. De Vita *Ludovici Grossi* Regis sic Monachos obtestatur: *Quo experimento gloriæ futuræ Dei Fratres Successores nostros obtestando per Dei misericordiam & terribile ejus Judicium sollicitamus, ne Sanctam Religionem quæ & homines & Deum conciliat, confracta consolidat, perdita restaurat, paupertatem opimat, tepescere permittant; quia sicut timentibus Dominum nihil deest, non timentibus etiam Regibus, omnia ipsi quoque sibi deficiunt.* Anno post Ordinationem, ne grati animi significationi deesset ob favores a Romano Pontifice acceptos, Romam se contulit, ubi a *Callisto* Papa honorifice & amanter susceptus sex menses in Curia demoratus est, & Concilio Œcumenico Lateranensi, quo diuturna de Investituris composita est controversia, interfuit. *Ludovico VI.* & *Ludovico VII.* fuit ab intimis Consiliis ac Ministerio, adeo ut *Ludovicus* ille Junior in Palæstinam, cum exercitu profectus, supremam ipsi Regni administrationem commiserit, qua maximo Ecclesiæ ac Reipublicæ commodo perfunctus est, Regnumque redeunti *Ludovico* florentissimum & pacatissimum tradidit. Ipsi gravissima negotia, quæ ad Sedem Apostolicam perferebantur, judicanda committebat *Eugenius III.* Pontifex Maximus. A *S. Bernardo*, *Petro Venerabili* Abbate Cluniacensi, *Roberto* Herefordiensi Episcopo, *Joanne Saresberiensi*, *Guillelmo* Sandionysiano Monacho qui vitam ejus scripsit, & ab aliis plerisque omnium Ordinum Scriptoribus qui de rebus Ecclesiæ & Regni Francorum scripserunt, celebratur. De *Sugerio* Abbate ad Summum Pontificem Eugenium ita scribebat S. Bernardus: *Si quod magnum domus Magni Regis vas in honorem apud nostram habetur Ecclesiam Gallicanam; si quis ut David fidelis ad imperium Domini ingrediens & egrediens, meo quidem judicio ipse est Venerabilis Abbas Sancti Dionysii. Novi siquidem virum, quod & in temporalibus fidelis & prudens, & in spiritalibus fervens & humilis, in utrisque (quod est difficillimum) sine reprehensione versetur. Apud* Ca-

Sugerii Abbatis elogium.

Sancta Reformatio bonorum etiam temporalium copiam Monasteriis offert.

Sugerii elogium.

Cæsarem est tamquam unus de Curia Romana: Apud Deum tamquam unus de curia Cœli. Petimus & obsecramus, benigne a vobis suscipi nuncios tanti viri, & sicut vos decet, & ipse omnino dignus est, rescribi ei verba bona, verba amicabilia, plena familiaritatis & dilectionis, plena favoris & gratiæ, siquidem specialius diligere & honorare personam ejus, est honorificare ministerium vestrum.

De ipso Joannes Saresberiensis, in Epistola ad ipsum data: *Quis non miretur hominem unum tot & tanta sustinere negotia, ut Ecclesiarum pacem conservet, statum reformet, & Regnum Francorum armis tueatur, moribus ornet, legibus emendet?* Legatur Carmen Panegyricum ab Anonimo Poeta ingeniośo sane & acuto ad *Sugerium* Abbatem, ejus Epistolis præfixum, apud *Duchesnium* Tom. IV. Scriptorum Historiæ Francorum. Legere etiam juvabit Epistolam *S. Bernardi* 78. ad *Sugerium*, qua ipsi susceptam & introductam in Cœnobium Sandionysianum reformationem gratulatur; & 256. qua ipsi gratias agit, ob Cœnobium *S. Genovefæ* Ordini & disciplinæ restitutum. Eumdem Epistola 266. ad mortem alacri animo suscipiendam hortatus est, tenerrimæque amicitiæ officia exhibuit. Obiit anno 1152. lethali ægritudine correptus in Capitulum se duci jussit *ubi post verba ædificationis, cum lacrymis & gemitu omnium pedibus provolutus, fratrum se judicio exposuit lacrymabiliter, postulans, ut quod in eos deliquerat, vel negligentius egerat, respectu pietatis ei relaxarent.* Obiit *inter verba Dominicæ Orationis & Symboli*, Idibus Januarii anno ætatis suæ 80. Prælationis suæ 29. cujus sepulturæ & exequiis interfuere sex Episcopi, cum multis Abbatibus, Christianissimoque Rege Ludovico, *ubi & pietatis memor, & immemor Regiæ Celsitudinis*, dum sepeliretur, amatissime flevit, ut Sandionysianum Chronicon testatur. Elegantissimum ipsi Epitaphium composuit *Simon Capra-aurea*, S. Victoris Parisiensis Canonicus, quod post *F. Chiffletium P. Mabillonius* exhibet in notis ad Epistolas *S. Bernardi*, pag. 138.

Sugerii Opera.

Scripsit *Sugerius* Abbas *vitam Ludovici VI. Francorum Regis* cognomento *Grossi*, librum *Epistolarum*, de gravioribus regni negotiis, quibus *Ludovico VII.* dicto Juniore ad Sacram expeditionem profecto, dignissime præfuit; Librum *de rebus in administratione Cœnobii Sandionysiani a se gestis*, & alterum *de consecratione Ecclesiæ a se ædificatæ & translatione corporum Sancti Dionysii & Sociorum*: Edita sunt hæc *Sugerii* Opera a *Francisco Duchesnio* Tom. IV. Scriptorum historiæ Francorum.

De Bonneval.

III. Arnoldus Ordinis Benedictini monachus, & Bonævallis Abbas in diœcesi Carnotensi, vir pius & eruditus, *S. Bernardo* amicissimus, qui Epistolam 310. ad ipsum scripsit in extremis positus anno 1153. familiaris etiam *Arnulpho* Lexoviensi Episcopo, qui plures ad ipsum Epistolas dedit, ab eo, uti ab Henrico Gandavensi, *Ernaldus* appellatus. Vixit usque ad annum 1154. Scripsit *Hexaemeron*, seu *Tractatum de opere sex dierum*; librum *de cardinalibus Christi operibus ad Adrianum IV. Pontificem Maximum*, qui liber olim *S. Cypriano* perperam adscriptus fuit & librum secundum *De Vita S. Bernardi*, quem recentiores quidam *Bernardo* Abbati Bonævallis in diœcesi Viennensi Ordinis Cisterciensis, perperam tribuunt. Librum enim secundum Vitæ *S. Bernardi* scriptum esse *Godefrido* adhuc Lingonensi Episcopo, ex capite V. certum est. Adeoque ante annum 1161. quo *Godefridus* dimisso Episcopato Claramvallem rediit, ubi defunctus est anno 1164. VI. Idus Novembris ut docet Chronicon Clarevallense. Cum itaque a fundatione Bonævallis Viennensis anno 1117. usque ad annum 1180. nullus Abbas in ea *Bernardus* appellatus fuerit, constat Authorem Libri II. Vitæ *S. Bernardi* non esse *Bernardum* Abbatem Bonævallis Viennensis, sed *Arnoldum* Abbatem Bonævallis Carnotensis, Ordinis Benedictini, ut demonstrat *P. Mabillonius* in notis ad epistolas Sancti Bernardi, pag. 154. Editi sunt in Bibliotheca Patrum Arnoldi Tractatus *De septem verbis Domini, de opere sex dierum, & de laudibus Beatæ Mariæ*.

IV. B. Ælredus, natione Anglus Ordinis Cisterciensis Monachus, Abbas Rievallensis in Eboracensi Diœcesi, pietate, doctrina, mellifluo stylo *Bernardus* alter, obiit anno ætatis suæ quinquagesimo sub *Henrico II.* Anglorum Rege, anno 1166. Scripsit Sermones 31. *De Oneribus Isaiæ*, aliosque variis de argumentis & Solemnitatibus Sanctorum: *Speculi Charitatis* libros tres: Libros totidem Dialogorum *De Spirituali Amicitia*: *Tractatum de Jesu Puero duodenni*: Quæ Opera Tom. V. Bibliothecæ Cisterciensis & in Bibliotheca Patrum edita sunt: & alia quæ recenset *Pitseus* lib. De Illustribus Angliæ Scriptoribus. Ejus Historia *De Bello Standardi tempore Stephani Regis*: *Genealogia Regum Anglorum*: *Vita & Miracula Sancti Eduardi Regis & Confessoris* & *Narratio Miraculi* patrati in Sanctimoniali de *Wattum*, edita sunt a *Rogerio Twisden* inter Antiquos Historiæ Anglicanæ Scriptores. *Ælredum* celebrat *Gillebertus de Hoilandia* coævus Author, Sermone 41. in Cantica.

V. B. Serlo, de Valle Badoni juxta Bajocas in Neustria oriundus, in Cerasiacensi* Ordinis Benedictini Cœnobio Monachum induit, deinde *Saviniaci** Abbas electus, quod Monasterium est in Diœcesi Abrincensi, anno 1148. Cœnobium illud a *B. Vitali*, ante annos triginta sex conditum, & triginta alia, quæ ipsi velut Ordinis Capiti parebant, Ordini Cisterciensi tradidit, & *S. Bernardo* ac Monastero Clarevallensi addixit, quo secessit ipse, regimine abdicato, post *S. Bernardi* obitum, qui permittere noluerat ut Officio nuncium remitteret. Ejus *Sermones* & Sententiæ extant Tomo VI. Bibliothecæ Cisterciensis. *Serlonis* cum laude meminit *Robertus de Monte* in Tractatu *De Immutatione Ordinis Monachorum*.

* Cerisy.
* De Savigny.

VI. Isaac, Cisterciensis Ordinis Monachus, tum Abbas *de Stella*,* in Diœcesi Pictavensi, an. 1147. varios Sermones, librum *De Anima*, & Epistolam ad Joannem Pictavensem Episcopum, *De Officio Missæ*, transmisit ad posteros. Edidit *P. Bertrandus Tissier*, Bibliothecæ Cisterciensis Tomo VI.

* De l'Etoile.

VII. Alanus, Insulensis, sub *S. Bernardo* in Cœnobio Clarevallensi Vitam Monasticam professus, *Ripatorii** in Diœcesi Trecensi primus Abbas anno 1140. creatus, Episcopus Autissiodorensis anno 1151. electus, & consecratus; cum illi Ecclesiæ annos tredecim præfuisset, Episcopatu de licentia Sedis Apostolicæ abdicato, ad suam rediit Claramvallem. Scripsit Vitam *Sancti Bernardi*, quam *Pontio* V. Abbati Clarevallensi nuncupavit: *Commentarium in Cantica Canticorum*: *Parabolas* Carmine Elegiaco: *Anticlaudianum*, sive *De viro optimo*, libros novem metro pariter composuit: item Librum *De Planctu Naturæ*, contra Sodomiæ crimen. *Summam* ad Sacras Conciones utilem, &c. De quibus lege *Henricum De Gandavo*, lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 21. ubi eum Parisiis Ecclesiasticæ Scholæ præfuisse docet, & *Aubertum Miræum*, in Notis qui ipsum ob multiplicem eruditionem *Doctorem Universalem* fuisse nuncupatum observat. Obiit pridie Idus Octobris anno circiter MCLXXXI.

* De Larivoir.

ARTICULUS XIII.

De Philippo Abbate Bonæ Spei, Hugone Rothomagensi, Amedeo Lausanensi, & Pothone Prumiensi.

I. PHilippus, Ordinis Præmonstratensis Canonicus Regularis, Monasterii *Bonæ Spei*, primo lapide a Binchio Hannoniæ oppido siti secundus Abbas, scripsit *Commentaria in Cantica Canticorum*, Librum *De lapsu primi hominis & de damnatione Salomonis*: Libros tres *De Clericorum dignitate, scientia, continentia*, &c. Vitas aliquot Sanctorum Selectorum, varias Epistolas, nonnullaque Poemata. Hunc recentiores nonnulli perperam confundunt cum altero *Philippo*, Episcopo quondam Tarentino, sed in Schismate Anacleti inaugurato, qui in Synodo Romana, anno 1139. depositus & suspensus a Sacris Claramvallem se recepit, ibique Vitam Monasticam professus est, pro quo *S. Bernardus* scripsit Epistolam 257. ad *Eugenium III.* rogans ut ipsi sacrorum Ordinum munia obire per-

Philippus Abbas bonæ Spei male confunditur cum Philippo Abbate de Eleemosyna.

permitteret. Prior deinde Clarevallensis institutus est, eamque gerebat Præfecturam, cum *S. Bernardus* obiit. Denique Coenobii *De Eleemosyna*, in Diœcesi Carnotensi Abbas creatus est. Ejus Epistolæ editæ sunt Tom. III. Bibliothecæ Cisterciensis.

Hugonis Archiep. Rothomagensis elogium.

II. Hugo Ambianensis, Monachus Cluniacensis Radingæ in Anglia primus Abbas, Rothomagensis Archiepiscopus creatus est anno 1130. teste *Orderico Vitali* lib. 12. Ad ipsum recens inauguratum Epistolam scripsit 25. *S. Bernardus*, qua ipsum hortatus est, ut apud suos Rothomagenses patiens simul ac pacificus esse studeret, zelumque prudentia moderaretur. *Sufficiebat tibi apud Cluniacenses custodire innocentiam. Porro apud Rothomagenses opus est patientia.... Esto ergo patiens, quia es cum malis: esto pacificus, quia praes malis. Habeat Caritas zelum, sed adhibeat pro tempore modum severitas. Censura quidem numquam remissa, intermissa tamen plerumque plus proficit. Vigor justitiæ semper fervidus, sed numquam præceps.* Fidei & Disciplinæ Ecclesiasticæ zelum in Hugone commendat Innocentius II. Epistola ad ipsum data. *Fervorem*, inquit, *tuæ dilectionis, & constantiam fidei, quæ in persona tua hactenus claruerunt, tam apud Ecclesiasticas, quam apud sæculares personas, ipsis operum fructibus Sancta Dei Ecclesia comprobavit. Unde & in specula domus Domini divina providentia constitutus, super commissum gregem more boni Pastoris diligenter invigilas, & te severum in corrigendis vitiis exhibendo, Episcopale Officium verbis & exemplis adimplere contendis.* Ipsius Elogium apud Petrum Venerabilem Abbatem Cluniacensem Epistola 32. lib. 6. legere est.

Præclara Ecclesiastici Regiminis Regula.

Hugonis Rothom. Opera.

Scripsit *Hugo* Rothomagensis Archipræsul tres libros *Contra Hæreticos* sui temporis, sive *De Ecclesia & ejus Ministris* ad *Albericum* Ostiensem Episcopum Sedis Apostolicæ Legatum, qui a viro doctissimo Domno *Luca Dacherio* O. B. Monacho editi sunt cum *Guiberti Novigentini* Operibus. Extant etiam in Bibliotheca Patrum: & alterum *De diversis Quæstionibus* ad *Matthæum* Albanensem. Obiit anno 1164. quarto Idus Novembris. Ipsi Epitaphium scripsit Arnulpus Lexoviensis Episcopus, cujus, postremi duo versus sic habent:

Par, Martine, tibi, consorsque futurus, eamdem
Sortitus tecum est, commoriendo diem.

Hac ætate scripta est *S. Martini Tornacensis Historia* ab *Herimanno* Abbate. In anno 1160. desinit. Edita est Tomo XII. *Spicilegii*.

III. B. Amedeus, de Castro, quod dicitur *Costa* prope *S. Antonium* in agro Viennensi, in Allobrogibus, nobili genere oriundus, Ordinis Cisterciensis monachus, ac *S. Bernardi* apud Claramvallem discipulus, exinde Abbas Altæcumbæ in diœcesi Gebennensi, ac demum Episcopus Lausanensis consecratus est die Sanctæ Agnetis Virgini & martyri sacra, anno Christi 1145. Cancellarius fuit *Friderici I.* Imperatoris. Homilias octo *de laudibus B. Virginis*, quæ ejus eruditionem cum summa pietate conjunctam testantur, transmisit ad posteros. Obiit anno MCLIX. die 27. Septembris. Ejus memoria in Menologio Cisterciensi die 7. Januarii celebratur. Ipsius enim laude meminerunt *Alanus* Antisiodorensis Episcopus in vita *S. Bernardi* Cap. XX. & *Arnoldus* Bonævallis lib. 2. cap. 8. Nicolaus Claræuallensis monachus Epistola 34. ad ipsum data his eum præconiis exornat. *Non amo Pontificem, sed hominem qui zelum legis Cathedræ contulit, non a Cathedra suscepit. Quis ille, ajunt, vigor, quæ solertia spiritus, quæ falsa suæ subtilitatis obstantia quæque perrumpit: & qua possit de singulis artibus etiam cum singulis artificibus philosophari? Propterea supereminet illa mortalitatis tuæ liberalitas, quæ se præbet blandam pueris, juvenibus comem, gravem senibus, confortans omnes, omnibus se conformans, in sermone communis, in contubernio æqualis, in consiliis præcellens, & multum ambienda, quia minime ambitiosa. Vidi enim te sine superbia nobilem, sine invidia potentem, sine superstitione religiosum, sine jactantia literatum, sine ineptia gravem, sine studio facetum, sine asperitate constantem, sine pluralitate communem: illud admirans, quod eminenti scientiæ conscientiam habes superiorem.*

B. Amedei elogium.

IV. Potho, Prumiensis monachus & presbyter ordinis Benedictini, scripsit libros quinque *de statu Domus Dei*, & librum *De Magna Domo Sapientiæ*. Scribere aggressus est anno Christi MCLII. ut ipse testatur. Ecclesiasticæ disciplinæ studium, eruditionem ac pietatem eximiam spirant *Pothonis* Prumiensis libri. Statum Domus Dei a Romano Pontifice ordinandum verbis magnificis asserit, & divinam illius authoritatem prædicat. *Domus* Dei, inquit, *Ecclesia est, columna & firmamentum veritatis. In tota hac Domo solus Beatus Petrus cum suis Successoribus plenitudinem potestatis accepit. Unde quicumque in partem solicitudinis vocati sunt, ut ea quæ in partem regenda susceperant provida dispensatione gubernent, ejus authoritate roborandi, ejus exemplis informandi sunt, qui in plenitudine potestatis toti Ecclesiæ præesse dignoscitur.*

Status Domus Dei a Summo Pontifice ordinandus.

ARTICULUS XIV.

De Henrico Huntidoniensi, Zacharia Chrysopolitano, Radulpho Flaviniacensi, Petro Lombardo, Gratiano, Mauritio Episcopo Parisiensi, & Petro Comestore.

I. HEnricus Huntidoniensis, natione Anglus, Lincolniensis Ecclesiæ Canonicus & Archidiaconus, floruit anno MCLIII. Scripsit *Historiam Anglorum* libris decem, ab Anglorum transitu in Britanniam, usque ad annum MCLIII. Stephani Regis Angliæ fatalem. Editi sunt enim aliis Historiæ Anglicanæ scriptoribus. Ejusdem Epistola *De contemptu mundi ad Walterum*, edita est Tom. 8. *Spicilegii*.

II. Zacharias Chrysopolitanus, Ordinis Præmonstratensium in Cœnobio *S. Martini* Laudunensis Canonicus Regularis, quem plerique Episcopum perperam faciunt, Volumen egregium in quatuor Evangelia edidit, inscriptum, *Monotessaron*, sive *Unum ex quatuor*. Florebat anno MCLVII. ut constat ex *Helinando & Alberico* in Chronico.

III. Eodem tempore, ut iidem Chronographi testantur, celebris erat Radulfus, Ordinis Benedictini Monachus in Cœnobio Flaviniacensi, sive Flaicensi *S. Geremari*, Diœcesis Bellovacensis. Viginti libros Commentariorum in *Leviticum* composuit. Extant in Bibliotheca Patrum. *Doctorem præcipuum, & eximiæ conversationis virum* prædicat vetus Codex MS. in Bibliotheca *S. Germani a* Pratis asservatus.

* Saint Germer. de Flaix.

IV. Petrus Lombardus, Novariæ in Longobardia natus, *Magister Sententiarum* appellatus ex Canonico Carnotensi Parisiensis Episcopus inauguratus est anno 1158. eam Dignitatem adeptus cessione *Philippi a Francia*, Ludovici VI. Regis filii, cujus quondam Præceptor fuerat, ut *Robertus de Monte* in Appendice ad *Sigebertum* testatur. Scripsit *IV. Libros Sententiarum*, Theologorum Scholasticorum Commentationibus uberrimam præbens segetem: *Glossas in Psalterium, & in Epistolas Sancti Pauli.* Nævos suos habet, quos ad Articulos quatuordecim revocat *Sanctus Antoninus Quarta* Parte, Tit. XI. Cap. VIII. Primus, *Quod caritas qua diligimus Deum & proximum, sit Spiritus Sanctus, & non aliquis habitus creatus.* (Lib. I. Distin. 17.) Secundus *Quod termini numerales, ut trinus & unus, & hujusmodi, non dicunt positionem.* (Dist. 24.) Tertius: *Æqualitas & similitudo nihil ponunt, sed privant, sicut termini numerales.* (Dist. 31.) Quartus: *Præmium in Angelis præcessit merita.* (Lib. 2. Dist. 5.) Quintus: *Nihil de cibis transit in veritatem humanæ naturæ.* (Dist. 30. ejusdem libri.) Sextus: *Semen est de substantia patris.* (Ibidem.) Septimus: *Anima humana separata a corpore est persona.* (Lib. 3. Dist. 5.) Octavus: *Christus in triduo quo Anima a corpore fuit separata, fuit homo.* (Dist. 22. ejusdem libri.) Nonus: *Sacramenta veteris Legis nullo modo justificabant etiam ex caritate facta.* (Lib. 4. Dist. 1.) Decimus: *Baptizati Baptismo Joannis, non ponentes in eo spem, non rebaptizantur.* (Dist. 12. ejusdem libri.) Undecimus: *Deus potuit communicare potentiam creandi creaturæ.* (Dist. 5. ejusdem libri.) Duodecimus; *Hæretici, præcisi, schismatici, suspensi, degradati, consecrare non possunt.* (Dist. 13. ejusdem libri.) Decimus-tertius:

Nævi Petri Lombardi.

Maritus alicujus Sponsæ per consensum de præsenti, quam tamen non cognovisset, Bigamus vocatur, & ad Sacros Ordines promoveri non potest. (Dist. 27.) Decimus-quartus : *Cognoscens Sponsæ legitimæ sororem postremo non potest uxori debitum reddere.* Obiit Petrus Lombardus anno 1164. die 20. Augusti ac in Ecclesia Collegiali suburbana *S. Marcelli* sepultus est. Post obitum apud *Alexandrum III.* hæreseos nomine delatus est, quod Christum, ut hominem, non esse *aliquid* docuisset. Quæ Propositio Summi Pontificis jussu a *Willelmo* Senonensi Archiepiscopo & Suffraganeis Episcopis Parisiis congregatis damnata est, ut constat ex Epistola *Alexandri III.* a *Matthæo Paris* in Historia Anglicana relata. Contra *Petrum Lombardum* postea librum scripsit *Joachim* Cœnobii Florensis Abbas, sed accusator ipse in Concilio Œcumenico Lateranensi IV. sub *Innocentio III.* anno 1215. damnatus est, ut suo loco videbimus.

V. Gratianus, Clusii in Etruria natus O. B. Monachus, Bononiæ in Monasterio *SS. Felicis & Naboris* anno circiter 1150. *Decretorum Collectionem* adornavit ex Patrum Sententiis, Pontificum Decretis, & Conciliorum Canonibus; Quod Opus hodieque *Decretum Gratiani* appellatur, & *Concordia discordantium Canonum* etiam inscribitur. In plura impegit errata vir minime criticus, & qui *Authorum delectum non habuit*, Bellarmino judice. Quorum in correctionem incubuere primum Galli duo eruditissimi *Antonius Demochares, & Antonius Contius*; deinde selecti viri sub *Pio IV. & Pio V.* & eo ipso tempore *Antonius Augustinus* Tarraconensis Episcopus Dialogorum De *Emendatione Gratiani* libros duos multa & varia doctrina refertos conscripsit. Libri singuli Dialogos viginti complectuntur. Ante hos omnes *S. Antoninus* Archiepiscopus Florentinus IV. Parte, Tit. 9. Cap. 8. plura in *Gratiano* animadvertit, *quæ non tenentur : Quædam alia a Conciliis vel Summis Pontificibus edita, quæ sunt revocata, seu immutata per consuetudinem generalem contrariam, & abrogata. S. Antonini* Censura in *Gratianum*, Dialogis duobus *Antonii Augustini* argumentum præbuit, scilicet 16. & 17. libri prioris. Hic vero Dialogo primo genera errorum, qui in *Gratiano* occurrunt sic proponit : *Sæpe erratum esse video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum, & aliarum rerum, quæ postea exemplis apertiora fient. Sæpe falsæ sunt inscriptiones, & quæ Conciliorum sunt, Pontificum Maximorum esse dicuntur; & quæ sunt unius Episcopi inferioris, Romano Pontifici, aut Concilio Generali, vel Provinciali tribuuntur. Ex hoc genere sunt illa quæ ex Concilio Martini Papæ aut Hadriani Papæ sumpta esse feruntur quæ vel Martino Bracarensi, & Græcis Conciliis, vel Engelramo Episcopo, vel Hadriano ad Engelramum, inscribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse dicuntur, quæ aut nusquam extant, aut aliena sunt. Illa quoque ipsa quæ inscriptiones habent veras, non recte referuntur. Sæpe enim contrarias sententias referri scimus, sæpe valde præcisas. Jam vero quæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, quasi sint aliorum scriptorum; ac sæpe aliud Græce quam Latine significant.* Petrus Galesius Collocutorum unus *Gratiani* Collectionem floccipendit, quod Compilator insipiens, nihil fere habeat valde utile, quod proprium dicere possis; *sed cornicula illi similis, ut est in fabulis, risum scientibus, admirationem ignorantibus movet.* „ Si verba „ consideres, nihil illo tritius, si artem requiras & „ ordinem docendi, frustra laborabis. Ita multa re- „ fert alieno loco ponenda, ita pro certis incerta con- „ stituit, ut malis illa eadem in ipsis libris non so- „ lum Conciliorum, sed etiam *Burchardi & Yvonis* & aliorum Collectorum requirere. At Censorem minus æquum Antonius Augustinus emendat. *Ut demus tibi*, inquit, *nihil fere aut pauca de suo Gratianum attulisse, quod falsum est; affert enim multa quæ in aliis collectionibus non invenies, qualia sunt quæ post Burchardum & Yvonem sunt nata, item multarum difficultatum solutiones. Sed quamvis nulla attulerit, feliciorem tamen cæteris collectoribus fuisse, negare non poteris, quos in tenebris diu fuisse novimus, dum hic in omnium manibus versatur; multorum Interpretum illustratur lucubrationibus, refertur denique in Judiciis omnibus, atque a Theologis non minus quam a Juris utriusque peritis in pretio habetur. Quod si in illo verborum elegantiam desideras, temporis est, non hominis culpa. Tritis utitur verbis, ut omnibus prodesse possit. Artem & ordinem docendi flagitas; Quasi vero meliore cæteri sint usi.*

Gratiani collectio.

Gratiani emendatio.

Gratiani Collectionem esse ab *Eugenio III.* approbatam, quidam ajunt : sed commentum illud explodit *Antonius Augustinus* Dialogo III. *Si credas omnia quæ Gratianus scripsit, Apostolica esse authoritate confirmata, multiplex hic error erit tuus, & omnia complectetur hoc volumine conscripta. C. Nunc plane intelligo. Sed quo pacto probas non esse confirmata? A. Tu qui ais, redige in memoriam. Vidisti ne unquam Eugenii confirmationem? C. Minime gentium. A. Habesne aliquem dicere qui se dicat vidisse, aut qui ex ea partem aliquam referat? C. Ne hoc quidem. Sed sunt qui afferant eum confirmasse. A. Sunt etiam qui id negent.* Approbatam Gratiani Compilationem pariter negarunt *Joannes Andreas*, ad Caput II. *De Rescriptis, Extra, & Panormitanus*, in Procemio Decretalium.

Gratiani Collectio non est approbata ab Eugenio Tertio.

VI. Mauritius de Soliaco, humili apud Soliacum * ad Ligerim loco natus, ob eruditionem & facundiam eximiam ad Parisiensem Episcopatum evectus est post obitum *Petri Lombardi*, anno 1164. Cathedralem Ecclesiam Deiparæ Virgini Sacram a fundamentis erexit, quatuor Abbatias condidit ac dotavit, Herivallem, Hermerias, Hederam, & de Giffo. *Pater pauperum* jure nuncupatus. Obiit ann. 1196. tertio Idus Septembris, & ad *S. Victoris* sepultus est, cum Chartula quam supra pectus suum poni jusserat, ut viros plerosque literatos circa Resurrectionem corporum hæsitantes in fide confirmaret, cui hæc verba inscripta legebantur : *Credo quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Ita refert *Rigordus* in Vita *Philippi Augusti*. Sermones per totum annum tam De Dominicis, quam de Sanctorum Festivitatibus, & Exhortationes ad Presbyteros de Cura Animarum fideliter gerenda ipsum scripsisse, *Henricus Gandavensis* lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 14. testatur. *Mauritio* Epitaphium composuit *Stephanus Tornacensis*, rogantibus Canonicis Parisiensis Ecclesiæ. Epistolæ ipsius 260. insertum est.

* De Sully.

Herimaux, Hermieres, Hierre, Gif.

VII. Petrus Comestor, Trecis in Campania oriundus, Ecclesiæ *S. Petri* ejusdem urbis Canonicus & Decanus, tum Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius, ac tandem Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini, *Historiæ Scholasticæ in 16.* libros distinctæ Author, obiit 12. Kalendas Novembris anno circiter 1198. Historiam Veteris & Novi Testamenti, brevibus interdum Patrum Sententiis illustratam, externisque Historiis, immo & apocryphis narrationibus intermixtis, in unum corpus redactam hoc Opus complectitur. Scripsit etiam Sermones de Tempore & de Sanctis. Extant in Bibliotheca Regalis Abbatiæ *S. Victoriæ* Parisiensis, in cujus Ecclesia sepultus est. Petrum Lombardum, Gratianum, & Petrum Comestorem, germanos fratres fuisse ex adulterio natos, quorum Mater de peccato vix dolere posset, quo tantos viros pepererat, fabula est, quam S. etiam *Antoninus III. Parte Chronicorum* Tit. XVIII. cap. VI. refellit. *De Petro Comestore* intelligendum *Petri Cellensis* locum Epistola 19. libri 7. ubi ait : *Si nova placent, ecce Magistri Hugonis, ecce S. Bernardi, ecce Magistri Gilleberti, & Magistri Petri scripta, in quibus nec rosæ, nec lilia desunt;* P. Sirmondus, & Vossius conjiciunt.

Fabula de Petri Lombardi, Gratiani, & Petri Comestore natalibus.

AR-

ARTICULUS XV.

De Ottone Frisingensi, Radevico, Helmoldo, Roberto de Monte, Hugone Pictavino, Richerio, Theorinno, Richardo a Sancto Victore, Hugone Etheriano, Ekberto, & Joanne Beleth.

I. OTto Henrici IV. Imperatoris nepos, Henrici V. sororius, Conradi Regis frater uterinus, Friderici I. patruus, Ordioi Cisterciensi nomen dedit, Abbasque Morimundensis * in Burgundia, ac demum Frisingeosis Episcopus creatus est. Vir fuit in Philosophicis Discipliois ac Sacris Scripturis doctissimus. Scripsit *Chronicorum Libros septem* ab orbe condito ad annum 1146. His addidit *Librum VIII. De fine mundi, & Antichristi persecutione*. Scripsit & Libros duos *De Gestis Friderici I. Imperatoris*; quos eidem Augusto dicavit. Fuit in *S. Bernardum* minus æquus, de quo ita scripsit lib. 1. cap. 47. *Erat autem prædictus Abbas, tam ex Christianæ Religionis fervore zelotypus, quam ex habitudinali mansuetudine quodammodo credulus, ut & Magistros qui humanis rationibus, sæculari sapientia confisi, nimium inhærebant, abhorreret: & si quidquam ei Christianæ Fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem præberet. Ex quo factum est, ut non multo ante hos dies, ipso authore, primo ab Episcopis Galliæ, post a Romano Pontifice, Petro Abailardo silentium impositum fuerit.* Et Cap. LVII. de Gilberti Porretani causa loquens, ait: *Utrum autem prædictus Abbas Clarevalliensis in hoc negotio ex humanæ infirmitatis fragilitate tamquam homo deceptus fuerit, vel Episcopus tamquam vir literatissimus, propositum astute celando, Ecclesiæ Judicium evaserit, discutere vel judicare nostrum non est. Quod enim sancti, & sapientes viri corruptibili carne circumdati, frequenter in talibus fallantur, & novis & antiquis probatur testimoniis.*

* De Morimond.

Otto Frisingensis in S. Bernardum minus æquus.

Verum, quæ in favorem *Gilberti Porretani* contra *S. Bernardum* imprudens scripserat, emendari voluit Aotistes religiosissimus, ut *Radevicus* testator, ejus ohitum commemorans, qui io annum 1048. incidit & diem 21. Septembris. *Dum sacro liquore Olei (inquit) perunctus fuisset, & de pecunia sua laudabili Testamento ordinasset, inter cætera quæ solicitus de salute sua prævidebat, etiam hunc Codicem manibus suis offerri præcepit, eumque literatis & religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia Magistri Gilberti [ut patet in prioribus] dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere; seque Catholicæ Fidei assertorem, juxta Sanctæ Romanæ, immo & universalis Ecclesiæ Regulam professus est. Deinde multa prius cordis contritione, & humili Confessione reatum suum recognoscens, sumptis Sacrosanctis Mysteriis; in medio multitudinis Sanctorum tam Episcoporum, quam Abbatum, Domino spiritum reddidit.* Hæc ille, cap. 11. lib. 2. ubi & Epitaphium ejus tumulo a se inscriptum exhibet. Edita sunt *Ottonis Frisingensis* Opera a *Christiano Urstisio* inter Illustres Germaniæ Historicos.

Otto Frisingensis retractavit quæ pro Gilberto Porretano contra S. Bernardum scripserat.

Otto Frisingensis Viaticum corporis Christi recepit post Extremam Unctionem.

II. Radevicus, sub *Ottonis Frisingensis* disciplioa institutus, ejusdemque Ecclesiæ Canooicus, Historiam de rebus Gestis Friderici I. ab Ottone cœptam, ad annum usque 1140. perduxit, duobus libris descriptam. Editi sunt Tomo Illustrium Germaniæ Historicorum, Editioois *Christiani Urstisii*.

III. Hermoldus, Butzoviensis in agro Lubecensi Canonicus scripsit *Historiam Sclavorum* a Caroli Magoi temporibus usque ad anoum 1168. quo tempore finem vivendi fecit.

IV. Robertus de Torinneio, Ordiois Benedictioi Monachus, & Beccensis Monasterii Prior, Cœnobii S. Michaelis in Periculo Maris, sive de Monte, Abbas electus est VI. Kalendas Junii anno 1154. Scripsit *Accessiones & Appendicem ad Sigeberti Chronicon, Gesta Henrici II. Regis Anglorum, Tractatum De Immutationibus Monachorum, De Abbatibus & Abbatiis Normannorum & ædificatoribus earum: Historiam Monasterii Sancti Michaelis in Monte & Commentarium ex verbis S. Augustini in Epistolas S. Pauli.* Ipsum commendant Chronicon Beccense ad annum 1154. & *Henricus Huntidoniensis* in Epistola ad *Varinum*, ubi *Robertum de Torinneio tam divinorum, quam sæcularium librorum inquisitorem & coacervatorem studiosissimum* prædicat. Chronicon suum ab anno 1100. ubi desierat *Sigebertus*, ad annum 1182. perduxit. Quæ inter Illustres Germaoiæ Historicos edita est Appendix ad *Sigebertum*, maxima ex parte est alterius Authoris, nempe ab anno MCX. ad annum MCLV. Germanam autem appendicem *Roberti de Monte* ad Chronicon Sigeberti ex Autographo Monasterii *S. Michaelis de Monte*, necnon ejusdem Accessiones ad *Sigebertum*, & Tractatum de Immutationibus Monachorum, & de Abbatiis Normanniæ edidit vir doctissimus *D. Lucas Dacherius* cum Operibus *Guiberti Novigentini*.

* Du Mont Saint Michael.

V. Hugo Pictavinus, Ordinis Benedictini Monachus, *Guillelmi* Vezeliacensis Abbatis Notarius, illius Monasterii Historiam jussu *Pontii* Abbatis scribere aggressus est anno MCLVI. & sub ipso *Guillelmo* absolvit anno MCLXVII. Quatuor Libros complectitur. Extat Tom. III. Spicilegii Dacheriani.

Ad idem Sæculum pertinet *Chronicon Senoniensis* Abbatiæ in Vosago, O. B. Diœcesis Tullensis, Authore Richerio Monacho. Editum est Tom. III. *Spicilegii Dacheriani*. De Senone.

VI. Theoriaous, vir orthodoxus & eruditus, sub *Manuele Comneno* Græcorum Imperatore floruit, a quo in Armeoiam missus est anno MCLXX. ut Armenis ad veram fidem & Græcæ Ecclesiæ Ritum revocandis operam navaret. Scripsit *Dialogum Orthodoxi cum Catholico*, seu *Primate Armenorum Norsese, & Gesta Legationis suæ*. Theologicum Opus est, & luculentum adversus hæresim Eutychianam. Extat Tom. I. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ.

VII. Richardus a Sancto Victore, natione Scotus Ordinis *S. Augustini* in Cœnobio S. Victoris Parisiensis Canonicus Regularis, ejusdemque Prior an. 1164. *S. Bernardi* amicus, vir pietate & eruditione conspicuus, Theologiæ Mysticæ peritissimus, varios Tractatus scripsit, quibus non solum humana mens illuminetur, sed affectus ad Dei amorem accendatur. De his *Henricus Gandavensis* lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 26. *Trithemius* Abbas, *Sixtus*, noster *Senensis* lib. 4. *Bibliothecæ Sanctæ*, ubi stylum ejus medium esse ait inter *S. Augustini* argutiam, & *S. Bernardi* dulcedinem: *Bellarminus* io Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi quatuor *Exceptionum* Libros non spernendis momentis ipsi abjudicat, quamquam *Vincentius Bellovacensis* libro 28. *Speculi Historialis* cap. 58. & *Trithemius* Abbas, id Operis *Richardo Victorino* tribuant, & alii qui de Scriptoribus Ecclesiasticis scripsere. Obiit IV. Idus Martii anno 1173.

VIII. Hugo Etherianus, natione Tuscus, vir Græce & Latine doctus, scripsit libros tres *De Hæresibus quas Græci in Latinos devolvunt*, sive *De Processione Spiritus Sancti*, cum apud *Manuelem* Imperatorem Constantinopoli ageret, anno 1177. quos *Alexandro III.* Romano Pootifici consecravit. Scripsit etiam librum *De Regressu Animarum ab Inferis*, ad Pisanum Clerum.

IX. Ekbertus, Bonnensis ad Rhenum oppidi in Diœcesi Coloniensi Canonicus, Schonaugiensis deinde Cœnobii in Diœcesi Trevirensi monachus & Abbas, Ordinis Benedictini, multis adversus Hæreticos victoriis iosignis, scripsit Sermones tredecim contra Catharos seu novos Manichæos; item Sermones plurimos de aliis argumentis, librum in Principium Evangelii S. Joannis, Librum in Evangelium S. Lucæ, *Missus est Angelus*, Librum in Canticum B. Virginis, varias Orationes, Epistolas, & Carmina; Librum De obitu *S. Elizabethæ* Virginis & Abbatissæ Schonaugiensis Sororis suæ; quæ & ipsa inter Authores Ecclesiasticos connumerari meruit, editis Revelationum libris tribus, & uno Epistolarum. Obiit *S. Elizabetha*, anno 1154. die 18. Junii, annos nata dumtaxat triginta-sex. Quo vero obierit anno *Ekbertus* non constat. De ipso & Sorore sanctissima legendus *Trithemius* lib. II. De viris Illustribus Ordinis S. Benedicti, cap. 120. & 121.

X. Joannes Belethus Parisiensis Theologus, anno circiter millesimo centesimo sexagesimo-secundo celeber, Librum *De Divinis Officiis* transmisit ad posteros. Ejus meminit Henricus Gandavensis in libro De Scriptoribus Ecclesiasticis.

ARTICULUS XVI.

De Arnulfo Lexoviensi, S. Thoma Cantuariensi, Joanne Saresberiensi, Petro Cellensi, Godefrido Viterbiensi, & Guillelmo Tyrio.

I. ARnulfus, Patria Normannus ex Archidiacono Sagiensi Lexoviensis Episcopus, vir eruditione & industria in rebus gerendis conspicuus, *Innocentio II.* & *Alexandro III.* adversus Schismaticos operam navavit, eorumque electionem Scriptis, consiliis, & factis defendit. *S. Thomæ Cantuariensis* & Ecclesiasticæ libertatis causam pro sua virili etiam tuitus est. Varias variis de causis Epistolas scripsit, Sermones duos, & Epigrammata. Extant in Bibliotheca Patrum. Tractatus de Schismate *Petri Leonis* editus est a Domno Luca *Dacherio*, Tom. II. Spicilegii. Cum Ecclesiam suam annos quadraginta rexisset, in Cœnobium *S. Victoris* Parisiensis secessit, & Episcopatu abdicato Canonicum Regularem induit, anno 1182. ibique paulo post obiit pridie Kalendas Septembris, ut ex Necrologio Victorino constat. Sunt qui ejus obitum ad annum 1177. referant: sed *Roberti de Monte* coævi Authoris testimonium, & Epitaphium ipsius quod in Victorino Templo legitur, quo dicitur *populo suo quadraginta annis præfuisse, potens opere & sermone*, eum diutius superstitem fuisse probant. A *S. Bernardo* in Epistola ad *Innocentium II.* 388. Editionis P. Mabillonii, *Petro Venerabili* Epistola 7. libri 4. *Willelmo Tyrio* lib. 7 cap. 1. *Petro Blesensi* Epistola 44. & aliis celebratur.

S. Thomæ Cantuar. elogium.

II. S. Thomas, Londinensis parentum mediocrium illustris proles, Archidiaconus primum Cantuariensis, deinde Angliæ Cancellarius ab *Henrico II.* Rege creatus, tandem Archiepiscopus Cantuariensis, Ecclesiasticæ Libertatis assertor constantissimus, pro qua Martyrii Coronam promeritus est, Virorum Eruditorum Mœcenas fuit, Eruditus ipse. Lectissimos quosdam in familiam suam adsciverat, qui ad Primarias Ecclesiæ Dignitates ob pietatem & eruditionem sunt assumpti. Ex ea prodiere *Hubertus* Bituricensis primum Archidiaconus, tum Mediolanensis Archipræsul, demum Summus Pontifex *Urbanus III. Lombardus*, ab exilio, in quo *S. Thomam* comitabatur, Romam a Summo Pontifice vocatus, & Cardinalitiis Infulis ornatus; *Joannes Saresberiensis*, Carnotensis Episcopus; *Robertus Filioth*, ad Episcopatum Hefordensem ex Oxonefordensi Archidiacono promotus; *Reginaldus Lombardus*, Bathoniensis postmodum Episcopus; *Girardus Puella*, Conventrensi Episcopatu adauctus; *Hugo Teminant*, Episcopali pariter Dignitate postea insignitus; *Gilbertus de Glanvilla*, ad Episcopatum Roffensem assumptus; *Heribertus Bosahamensis*, qui Vitam *S. Thomæ* scripsit, Beneventanus Archiepiscopus postmodum creatus. Epistolas ad diversos scripsit Archipræsul & Martyr Sanctissimus quæ in quinque libros digestæ, cum ejus Vita ab Authoribus quatuor scripta, ex MS. Codice Vaticano editæ sunt a viro doctissimo P. *Christiano Lupo*, Ordinis Augustin. Professore, in Sacra Facultate Lovaniensi Doctore.

Epistolæ.

III. Joannes Saresberiensis, natione Anglus, *Petri* Cellensis Abbatis quondam Clericus, indeque a *Theobaldo* Cantuariensi Archiepiscopo inter Clericos domesticos assumptus; a *S. Thoma* Theobaldi Successore in familiaritatem receptus, ejusque Notarius, & in exilio individuus comes, vir pietate, doctrina, studio disciplinæ & libertatis Ecclesiasticæ insignis, dignus tandem Archipræsule & Martyre sanctissimo discipulus, cessione *Guilelmi* a *Campania*, Carnotensis Episcopus creatus est. De cujus electione *Petrus Cellensis* ad eumdem *Guillelmum* Senonensem & Remensem Archiepiscopum ita scribit, lib. 7. Epistola 8. *In insigni electione Carnotensi de Magistro Joanne Stellam matutinam produxit Deus de thesauris suis. Adfuit, adfuit huic prædestinationi Dei partui vigilantissima sagacitas Domini mei, & manum obstetricantem supposuit, ac abortum pateretur incommutabilis Dei praelectio...... Ubicumque hoc Evangelium Dei prædicabitur, dicetur quod sis amicus Sponsi, tamquam verax sis & fidelis, non jam in quærenda uxore Isaac, sed in inveniendo Joseph virum Mariæ. Vere Maria veneratur in Carnotensi Ecclesia. Vere vir iste Joannes pretioso sanguine Beati Thomæ Pontificis & Martyris intinctus, lege divina ad plenum instructus, bonis moribus & piis actionibus ornatus, Apostolico ad Timotheum catalogo virtutum bene depictus, ad Dei honorem, & ad vestram perpetuam laudem, columna factus est in Ecclesia Dei.* Plures ad *Joannem Saresberiensem* Epistolas idem *Petrus Cellensis*, & *Petrus Blesensis* dedere, quæ summam inter ipsos necessitudinem testantur. Scripsit justum Epistolarum volumen, Vitam *S. Thomæ* Archiepiscopi Cantuariensis & Martyris, cujus ipsum *oculum & manum* Petrus Blesensis vocat, & *Polycraticon*, sive *De nugis Curialium*, libris octo comprehensum, quos idem *Petrus Blesensis* commendat Epistola 22. ad ipsum data. *Librum vestrum*, inquit, *De Nugis Curialibus legi, & mirabiliter me refecit: nam & ibi optima forma eruditionis est, & propter artificiosam sententiarum varietatem inæstimabilis materia voluptatis* Observatione & memoria dignissima est Moralis & Prudentiæ Christianæ Regula, quam tradit *Joannes Saresberiensis* in Epistola ad *Robertum de Fevererham*, quæ est inter Epistolas *S. Thomæ Cantuariensis* a *P. Lupo* editas 157. libri 5. *Ecce coram Deo, quem hujus verbi in extremo Examine testem invoco, tota spiritus libertate, & fide illi tamquam Patri promissa & debita, respondeo, quod in omni ardua dubietate censeo faciendum. Scilicet ut primo omnium quæramus & sequamur, quod super hoc Lex Divina præscripsit: Qua si nihil certi exprimit, recurratur ad Canones & exempla Sanctorum. Ubi si nihil certum occurrit, tandem exploretur ingenio & consilia Sapientum in timore Domini: illique, seu pauciores, seu plures sint, cæteris præferantur, qui honorem Dei commodis omnibus antepomunt. Nullus enim salubriter incedit, Lege Dei, qui omnibus est certissima forma vivendi, neglecta. Et qui Patrum vestigia detrectat imitari, ad consortium Regni, quo illi gaudent, intrare non poterit. Nam & Josue & Seniores Israel, in fœdere Gabaonitarum patuerunt culpæ, quia, sicut Scriptura testis est, sumptis eorum cibariis, Os Domini non interrogaverunt. Quid autem significatur per os, nisi verbum Domini quo semel locutus est?* Obiit Joannes Saresberiensis anno MCLXXXI. teste *Roberto de Monte* in Appendice ad *Sigebertum*, Vel potius anno præcedente, die 25. Octobris, ut constat ex Necrologio Monasterii Josaphatensis prope Carnutum, & ex Chronico Autissiodorensi.

Joannis Saresberiensis elogium.

Observanda in dubiis Moralis Christianæ Regula.

Doctrinam Probabilistarum evertit Joannes Saresberiensis.

IV. Petrus, Cellensis * Abbas in suburbio Tricassino, deinde *S. Remigii* Remensis, Ordinis Benedictini, demum Episcopus Carnotensis post *Joannis* Saresberiensis obitum creatus est. Ad ipsum cum adhuc Cellensis Abbas esset, *S. Bernardus* Epistolam 293. Joannes Saresberiensis plures Epistolas scripsit. A *Nicolao* Clarevallensi Epistola 25. hoc præconio celebratur: *Abbas Cellensis, vir religiosus & timens Deum, homo bonus, & testimonium bonum habens a Bonis, vita & litteratura conspicuus, nobis quoque tanta familiaritate devinctus est, ut non sit unus de cæteris, sed præ cæteris unus*, &c. Scripsit varios Sermones, Epistolarum libros novem, Librum *De Panibus*, ad Joannem Saresberiensem, amicum suum. *De Tabernaculi* Mosaici mystica Expositione libros duos: Librum *De conscientia*, ad *Alcherum* Monachum Clarevallensem: Librum denique *De Disciplina Claustrali*, ad *Henricum* Campaniæ Comitem. Obiit anno 1187.

* De Monstier en Celle,

Petri Cellensis elogium.

Opera.

V. Godefridus, Viterbiensis a patria cognominatus Presbyter, *Conradi III. Friderici I.* & *Henrici VI.* Imperatorum Capellanus & Notarius, *Chronicon Universale*, partim Carmine, partim soluta oratione intermixtis scripsit, ab urbe condito ad annum usque 1186. Multis fabulis refertum Critici observant. Opus dicavit *Urbano III.* Pontifici Maximo. In Epistola

nun-

Romani Pontificis in censura librorum authoritas.

nuncupatoria supremam Romanæ Ecclesiæ in Censura librorum authoritatem magnifice prædicat ; *Cujus doctrina & regimine omnes Reges & Principes, & universa orbis Ecclesiæ adornentur ; & ab ea tamquam a fonte Justitiæ, totius sapientiæ regulæ instruantur : Quia nullam Scripturarum elogium noscitur esse authenticum, nisi ab ejus sapientia fluminibus sitientibus propinetur. Quare, si quod Historiarum Opus nova per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, ut nunquam in Publicum deveniat, Apostolico Examini præsentetur : quatenus si acceptione dignum esse perpenditur, ejus Mandato & Judicio approbetur : & ab eo vires authoritatemque recipiat, cui terrena & cœlestia divinitus sunt commissa.*

Ad ea ferme tempora referendi sunt natales Chronici *S. Petri Vivi,* * Senonensis, authore *Clario* Monacho O. B. ad annum Christi 1184. perducti, quod Tom. II. *Spicilegii* & *Casauriensis*, sive *Piscariensis*, * quod Tom. V. editum est.

*De saint Pierre le Vif.

*De Pescaire ; *in Insula Piscaria ad Mare Adriaticum, in Aprutia ulteriori.*

VI. Willelmus, natione Syrus, *Amalrico* Hierosolymorum Regi ob eruditionem, magnarumque rerum tractandarum capacitatem carus, ab eo Balduino filio Præceptor datus est, & Cancellarius postea creatus. Anno denique MCLXXIV. die 30. Maii, Cleri, Populique concordibus suffragiis, accedente Regis assensu, Archiepiscopus Tyri electus est, infra decem dies in Ecclesia Dominici Sepulchri ab *Amalrico* Hierosolymorum Patriarcha consecratus. Adfuit Concilio Œcumenico Lateranensi sub *Alexandro III.* ejusdemque Acta scripsit, rogantibus Patribus. Libros 23. *De Bello Sacro* edidit, quibus Sacrarum Expeditionum Historiam a Concilii Claromontani sub *Urbano II.* tempore, id est ab anno 1095. usque ad annum 1180. complectitur. Accurati & elegantis Historici laudem promeritus & assecutus est.

ARTICULUS. XVII.

De Guillelmo Neuburgensi, Petro Cantore, Stephano Tornacensi, Henrico Albanensi, Balduino Cantuariensi, Rogerio de Hoveden, & Theodoro Balsamone.

I. GUillelmus Little, hoc est *Parvus Neuburgensis*, seu *Novoburgensis* appellatus, quod in Cœnobio Neuburgensi Canonicorum Regularium institutus, & *S. Augustini* Regulam professus fuerit ; vulgo, sed corrupte dictus *Neubrigensis*, anno 1135. *Stephani* Regis I. natus est. Vixit ad finem usque istius Sæculi. Historiam Rerum Anglicarum ab anno 1066. *Guillelmi Conquestoris I.* ad annum 1197. & extrema *Richardi* Thymoleontis Anglorum Regis tempora, quinque libris complexus est, quos *Joannes Picardus* Canonicus Regularis *S. Victoris* Parisiensis edidit, & Notis illustravit. Alia ipsi Opera tribuunt, qui de Illustribus Angliæ Scriptoribus egere, & inter alia Commentarium in Canticum Canticorum.

Petri Cantoris Parisiensis elogium.

II. Petrus Cantor Ecclesiæ Parisiensis Theologus celeberrimus, anno 1191. Tornacensis Episcopus electus est. Electione in controversiam vocata, *Stephanus* Abbas Sanctæ *Genovefæ* Guillelmum Archiepiscopum Remensem, tunc supremum Regni Administrum per literas rogavit, ut electo faveret. Verba ejus adscribo, quibus eximia *Petri Cantoris* merita commendat Epistola 175. *Vir est*, inquit, *cujus per omnes Ecclesias fama suavis diffunditur opinio, qui gemina scientia efficacissime clarens, & doctrinam monitis ornat, & moribus disciplinam. Origeni parem in aliquo, sic eum docere credimus, ut vivere ; sic vivere, ut docere. Tales in candelabro vestro lucernas, tales in diademate capitis Aaron lapides, tales in Sancta Remensi Ecclesia suffraganeos esse decet, ut vicinæ Provinciæ sancta æmulatione moveantur ad promotionem consimilium, & solicitudo vobis commissa facilius & frequentius juvetur per religionem & prudentiam ipsorum, &c.* Virum piissimum infulas Episcopales declinasse, & monachum induisse in monasterio *Longipontis* * Ordinis Cisterciensis, ubi sanctitatem vitæ beato fine complevit, Necrologium Tornacensis Ecclesiæ testatur. Obiit 10. Kalendas Octobris, anno 1197. ut ejusdem

* De Longpont.

Abbatiæ in qua obiit, Necrologium commemorat. Scripsit Summam Moralem, quæ dicitur *Verbum abbreviatum* quod his verbis incipiat. Extat MS. in Abbatia Sanctæ Genovefæ Parisiensis. Edita est & notis illustrata a Dom. *Georgio* Galopino monasterii Sancti Gusleni O. B. in Hannonia monacho. Scripsit præterea *Grammaticam Theologorum*, opus ad Scripturæ sacræ intelligentiam utile : *Glossam Scholasticam* in Biblia sacra, cujus maximam partem in conventu nostro Lugdunensi FF. Prædicatorum asservari *Possevinus* monuit in Apparatu sacro. *Petrum Cantorem* hoc ornat elogio Jacobus de Vitriaco in Historia Occidentali cap. 8. *Magister Petrus, venerabilis Cantor Parisiensis, vir potens opere & sermone aurum suum & argentum similiter conflans, & verbis suis stateram faciens, morum honestate pondus & gravitatem conferens suæ doctrinæ : Cœpit enim facere & docere velut lucerna ardens & lucens, & civitas supra montem posita, & candelabrum aureum in Domo Domini.*

Petrum Cantorem pariter commendant Cæsarius Heisterbacensis libro XII. Historiarum memorabilium, cap. 48. Vincentius Bellovacensis lib. 29. Speculi Historialis, cap. 59. S. Antoninus P. II. Chronicorum Tit. 17. cap. 9. Henricus de Gandavo, & Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Petrus Cantor vagam & effrenem opinandi licentiam in materia Morum, non minus quam Fidei, insectatur.

Præclara sunt quæ scribit Petrus Cantor Cap. LXXX. *contra mollientes arcum Scripturæ sacræ*, vagamque & effrenem recentium Probabilistarum opinandi licentiam evertunt. *Sicut*, inquit, *per novarum traditionum adinventionem mandata Dei omittuntur, sic & per mollientes & laxantes rigorem Sacræ Scripturæ.* Dominus enim *tetendit arcum suum*, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis. *Levigantes autem & remittentes hunc arcum quid aliud satagant, nisi ut lex Divina de sua pendeat interpretatione, voluntate, moribus, & consuetudine, cum potius hæc omnia de illa pendere deberent ?... In casibus & humanis negotiis sequenda sunt exempla Prudentum : in via vero Fidei, vitæ, & morum imitanda & attendenda est potius regula & forma vivendi & credendi sufficienter præscripta a Domino ; quia* „ Verba ejus spiritus & vita „ sunt : Sermo ejus vivus est & efficax : Præceptum „ ejus lucidum illuminans oculos : Fidelia omnia man„ data ejus *nullo mendacio vel prava expositione variata :* „ Confirmata in sæculum sæculi, *non in cassum missa, ut verba humana, quæ ad libitum nostrum mutari, vel interpretari possunt.* „ Qui *autem* timet Dominum, „ in mandatis ejus volet nimis, *ut magis ei innitatur quam voluntati suæ, non judicans ea difficilia impleri sicut Mahometus, qui arcum Domini relaxavit. Cui similes videntur, qui juxta mores & voluntatem suam illum levigantes exponunt.* „ Justus autem ex fide vivens, „ *ait :* Adhæsi testimoniis tuis, Domine, *non interponens superfluam vel pravam expositionem & voluntariam, quasi repagulum inter me & illa, quo minus percurrerem viam mandatorum tuorum, quo minus ipsa mihi lucerent. Nam* „ Lucerna pedibus meis ver„ bum tuum & lumen semitis meis. *Isaiæ I.* Cau„ pones tui miscent aquam vino. *Hieronymus* Qui „ præcepta Sacræ Scripturæ, quibus debet auditores „ corrigere ad eorum voluntatem emollit, suo sensu „ immixto, vinum corrumpit. *Unde idem :* Vinum tuum, *id est, pura & sincera veritas in Sacra Scriptura contenta,* mixtum est aqua, *prava expositione corrumpente & molliente rigorem Scripturæ Sacræ insipiditate sua... Quomodo* consentit adversario suo, *id est Sacræ Scripturæ, quæ adversatur carni & sensualitati hominis, docens eam viam mandatorum Dei, & in illis ambulare, qui mandata ipsa confirmata in sæculum sæculi, dicit esse temporalia, localia, personalia, & præcepta consilia, addens & subtrahens, interpretans & exponens ad voluntatem & libitum suum. Tales, inquam, graviter peccant, quia* Os Domini non *sane & sincere* interrogant.... *Duo sunt necessaria ad Salutem, via Fidei, & lux morum. Si ergo parum deviantem a fide vocamus hæreticum, & increpantes dicimus eum non esse in via, sed extra ; quare & similiter recedentem in modico a luce moralium præceptorum non arguimus objicientes ei quod jam non sit in luce, sed in tenebris. Cum etiam fides ex quibusdam cellulis, parvis loris scilicet Scripturæ Sacræ & sub-*

Psal. 7. 13.
Joan. 6.
Hebr. 4.
Psal. 18.
Psal. 110.
Psal. 111.
Heb. 10.
Psal. 118. 32.
Luc. 3.
Matt. 5.
Josue 9.

& subobscuris sit elicita, in quorum cellularum expositione deviaretur de facili, si aliter addendo, vel minuendo, vel remittendo, quam nobis statutum est, & expositum a Sanctis, exponerentur & interpretarentur: Cur in Luce morum similiter necessaria Saluti, nobisque traditu in luce & manifestatione verborum, licet nobis sine errore notabili afferre nostram expositionem qualitercumque eum remittentem & obscurantem, tenoreque suo privantem?

III. Stephanus, patria Aorelianensis, Ordinis *S. Augustini* Canonicus Regularis, *S. Evurtii* Aurelianensis primum Abbas, deinde *S. Genovefæ* Parisiensis, utriusque Cœnobii restaurator, regularem observantiam & studium apud suos excitavit *Alberico* S. R. E. Cardinali, Sedisque Apostolicæ Legato comes adjunctus est ad Albigensium & Coterellorum hæresim exscindendam. *Philippo Augusto* Regi Francorum, & *Guillelmo* a Campania Archiepiscopo Remensi & Summo Regni Administro acceptissimus fuit, qui ipsius consilio, industria, calamo in privatis publicisque negotiis usi sunt. Regis Christianissimi Legationem obiit ad Sedem Apostolicam, Summo Pontifici his verbis ab ejus Majestate commendatus: *Et quoniam magnum & cordi nostro profunde infixum est negotium, mittimus ad vos prædilectum & familiarem nostrum Stephanum Abbatem S. Genovefæ, discretum & fidelem Regno, quem loco nostro benigne suscipite, & ei tamquam nobis, in his quæ ex parte nostra vobis dixerit, indubitanter fidem adhibete.* Ludovicum VIII. *Philippi Augusti* filium ex sacro fonte suscepit. *Petri Cantoris* electione missa in irritum *Stephanus* Episcopus Tornacensis electus est, favente *Guillelmo* Archiepiscopo Remensi, anno 1192.

Extat inter Epistolos Stephani Tornacensis 101.

Ejus promotionem falsis relationibus deceptus *Cælestinus III.* Pontifex Maximus minus gratam habuit: Cujus ille delinivit animum literis summam reverentiam & devotionem erga Sedem Apostolicam significantibus. *Inter spem*, inquit, *& timorem medius accedo, filius ad Patrem, servus ad Dominum, ad Successorem Petri minimus discipulorum Christi, forte mitigabit iram suam Pater, remittet indignationem Dominus, Petri Successor humilem respiciet Sacerdotem. Quis scit si convertatur & ignoscat, & relinquat super me benedictionem? Vocatus ad Ecclesiam Tornacensem, loco & animo remotus & ignarus, nihilque minus spirans quam Cathedram: cur excessi si accessi? Quid peccavi, si non precavi? An deliqui quia non dereliqui? Divinare certe non potui, placeret-ne an displiceret Summo Pontifici, cujus placito sunt jura; in cujus dextera ignea lex, quæ appendit merita singulorum in statera Canonum, & apprehendit astutias in perpendiculo Legum, & circino Decretorum. Sed quoniam bonarum mentium est ibi culpas cognoscere, ubi culpa non est, & periculosum valde est filio separari diutius a conspectu Patris, exceptiones omitto, veniam peto, gratiam quæro, misericordiam imploro. Aperiatur mihi, obsecro, sinus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui nemini claudi consuevit, pandatur aditus supplicandi, porrigantur ubera materna: Cum matre placabilem sese Pater exhibeat, ut & simplici consulat, & simplicem consoletur.*

Stephani Tornacensis vivendi ratio in Episcopatu.

Ecclesiasticam disciplinam in sua Diœcesi restituit Præsul religiosissimus. Quomodo in Episcopali Dignitate se gereret, necessitate compulsus exponit Epistola 208. qua famam suam tuetur adversus *Berterum* Cameracensem Archidiaconum qui ipsi detrahebat, quasi Pontificali Cathedræ sese conformare nesciret. *Doce me obsecro*, inquit, *quæ sit illa Cathedralis forma quam depingis, ut ei, si non informis fuerit, me conformem. Civitatem raro egredior, Regulares Horas cum aliis, quantum licet, frequento. Secundum gratiam mihi collatam, verbum Dei Parochianis meis annuncio. Contra novam Hæresim, cæteraque monstra id genus, pro posse meo decertans tamquam ad bestias depugno. Sacramenta quæ gratis accepi, gratis impertior, pravitatem Simonis, Giezi lepram, modis omnibus abhorreo, detestor, anathematizo. Manus meas, etsi non ab omni munere, ab illicito semper excutio. Venientibus ad me in Confessione consilium, in Pœnitentia remedium, in tribulatione solatium, quantum Dominus permittit, exhibeo. Horis vacuis Sacræ Scripturæ intendo; legens & ruminans, quæ post lectionem decoquo, & ad memoriæ cellulam trajicio. Honestis hospitibus libenter occurro, liberaliter accurro. In mensa nec solitarius, nec obscurus esse volo, in qua facilius est ut superfluitatem accuset natura, quam curiositas esuriem. Histrionibus & scurris patrimonium Christi non dispergo. Hæc exterius. Occultorum autem cognitor est scrutans corda & renes Deus.* Obiit optimus Antistes anno 1203. die 9. septembris. Scripsit Epistolas 287. quas P. *Claudius du Moulinet* Congregationis Gallicanæ Canonicorum Regularium vir eruditus novæ Editionis honore donavit, & Notis illustravit. Officium *S. Geraldi* Abbatis Sylvæ-Majoris composuit, rogantibus ejusdem Cœnobii Monachis. Statuta Synodalia edidit, plures scripsit, habuitque Sermones. Decretum denique *Gratiani* commentatus est.

Stephani Tornacensis Opera.

Theologiæ Scholasticæ & Decretalibus jam sylvescentibus nonnihil adversus fuit *Stephanus Tornacensis*, & Romanum Pontificem hortatus est, ut inutiles Commentarios Theologiæ, & inextricabilem Sylvam Decretalium succideret. *Lapsa sunt* (inquit) *apud nos in confusione officinarum sacrarum, studia Literarum, dum & discipuli solis novitatibus applaudunt, & Magistri gloriæ potius invigilant quam doctrinæ, novas recentesque Summulas & Commentaria firmantia super Theologia passim conscribunt, quibus auditores suos demulceant, detineant, decipiant, quasi nondum sufficerent Sanctorum Opuscula Patrum, quos eodem Spiritu Sacram Scripturam legimus exposuisse, quo eam composuisse credimus Apostolos & Prophetas. Ignota & peregrina convivis apponunt fercula, cum in nuptiis Filii Regis tauri & altilia ejus sint occisa parataque omnia: nec restat venientibus ad nuptias, nisi quæ apposita sunt prendere & prandere. Disputatur publice contra Sacras Constitutiones, de incomprehensibili Deitate; de Incarnatione Verbi verbosa caro & sanguis irreverenter litigat. Individua Trinitas in triviis secatur & discerpitur, ut tot jam sint errores, quot Doctores; tot scandala, quot auditoria; tot blasphemiæ, quot plateæ. Rursus si ventum fuerit ad Judicia quæ Jure Canonico sunt tractanda, vel vobis commissa, vel ab Ordinariis Judicibus cognoscenda, profertur a venditoribus inextricabilis sylva Decretalium Epistolarum, quasi sub nomine Sanctæ recordationis Alexandri Papæ: & antiquiores Sacri Canones abjiciuntur, respuuntur, expunguntur. Hoc involucro prolato in medium ea quæ in Conciliis SS. Patrum salubriter instituta sunt, nec formam consiliis, nec finem negotiis imponunt, prævalentibus Epistolis quas forsitan advocant, & conductitii sub nomine Romanorum Pontificum jam Prophetæ in cubiculis suis confingunt & conscribunt. Novum Volumen ex eis compactum & in Scholis solemniter legitur, & in foro venaliter exponitur, &c. Hæc omnia, Pater, correctionis Apostolicæ manum desiderant, ut uniformitas docendi, discendi, disputandi, authoritate vestra certam redigatur ad formam, ne sermo divinus attritione vulgari vilescat.*

Inutiles Theologiæ Scholasticæ Commentarios, & inextricabilem sylvam Decretalium, a Romano Pontifice succidi optat Stephanus Tornacensis.

Summus Pontifex uniformem docendi modum a magistris Theologiæ & Juris Canonici Academiis & Professoribus toto orbe Christiano præscribere potest.

Tanta erat fama eruditionis Stephani, cum adhuc *S. Evurtii* Aurelianensis Abbas esset, ut *Pontius* Claromontanus Episcopus de quæstione circa validitatem baptismi sub hac verborum formula collati, *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* emergente, una cum Mauritio Parisiensi Episcopo eum consuluerit. Varias in sententias abierunt viri eruditi. *Mauritius* respondit, irritum fuisse Baptisma, quod suppressis his verbis, *Ego te baptizo*, cæteris licet prolatis, collatum esset. Ita quippe Scripturarum Divinarum authoritate, & SS. Patrum testimonio traditum. *Stephanus* respondit, validum esse Baptismum sic administratum, tum quia Christus Baptismi formam tradidit his verbis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: non dixit; *baptizantes eos, & dicentes, Ego te baptizo*, &c. Tum quia *S. Augustinus* docet, *Baptismum ubicumque & a quibuscumque, verbis Evangelicis consecratum*, validum esse. Quod etiam *Innocentii I.* & *Zachariæ* Summorum Pontificum authoritate confirmat. Hæc itaque verba, *Ego baptizo*, esse *de solemnitate ministerii, non de substantia Sacramenti* asserit. Ecclesiæ Judicio vicit *Mauritii* Parisiensis Præsulis opinio, ut constat ex *Alexandro III.* lib. III. Decretalium Tit. XLII. *De Baptismo*, Cap. I. Condonandum tamen est *Stephano* quod ita senserit, nondum eliquata

De Saint Euverte.

Quæstio de forma Baptismi.

Stephani Tornacensis opinio minime sequenda.

liquata quæstione, maxime cum opinando potius quam asserendo responderit, seque *Mauritii* Episcopi sententiæ cessurum sit professus. *Opiniones*, inquit, *profundo, non assertiones, paratus Summi & Catholici Viri Domini Parisiensis sequi vestigia*. Hæc ille Epistola V. quam *Pontii* Claromontani & *Mauritii* Parisiensis Literæ præcedunt.

*De Hautecombe, in Diœcesi Gebennensi.

IV. Henricus, Castro Marciaco prope Cluniacum nobili genere ortus, adolescens in Cœnobio Claravallensi Monachum induit. Juvenis Altacumbæ * primum, deinde Claraevallis Abbas electus est: Cisterciensem Abbatiam & Tolosanum Episcopatum recusavit: sed virum Ecclesiæ utilitati natum Deus in Cœnobio delitescere noluit. Nam a *Clemente III.* Romam ad Synodum nominatim vocatus, ab ipso Cardinalis & Episcopus Albanensis creatus est, ac Legatus contra Hæreticos Albigenses missus in Gallias, Imperatorem, & Reges Galliæ, Majorisque Britanniæ, ad Sacram Expeditionem & ad succurrendum Terræ Sanctæ fœderavit. Obiit in Belgio, quo fuerat profectus ad pacem inter illius Provinciæ Comitem & Ecclesiam Atrebatensem conciliandam anno circiter MCLXXXVI. Corpus ejus Claramvallem delatum est. Scripsit librum *De Peregrinante Civitate Dei*, in Tractatus octodecim distributum: & *Declamationem Historicam de rebus a se Gestis in sua Legatione adversus Albigenses*. Edita sunt hæc Opera Tom. III. Bibliothecæ Cisterciensis.

V. Balduinus, cognomento *Devonius*, Oxoniæ in Anglia natus, a *Bartholomæo* Oxoniensi Episcopo institutus est, ac istius Ecclesiæ Archidiaconatu postmodum ornatus. Qua deinde abdicata Dignitate Ordini Cisterciensi nomen dedit. Cœnobii Fordensis, in quo Monachum induerat, post hæc electus Abbas, tum Vigorniensis Episcopus, ac tandem Archiepiscopus Cantuariensis, anno 1184. Sacræ Expeditionis negotium facundia & industria sua promovit, zeloque pro Ecclesia succensus, sumpta Crucis tessera, in Syriam ipse trajecit. Scripsit Tractatum, *De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*: aliosque editos Tom. V. Cisterciensis Bibliothecæ. De illo videsis *Manriquem* in Annalibus, & cæteros qui de Rebus Cisterciensium scripsere.

VI. Rogerius de Hoveden, Eboraei in Anglia natus, Oxoniensis Academiæ Theologus celeberrimus, Annales Anglorum edidit ab anno Christi 731. ubi *Venerabilis Beda* desinit, ad annum 1199. Accurati Historici partes ut plurimum implevit.

VII. Theodorus Balsamon, Antiochenus Patriarcha, Schismaticus & Romanæ Ecclesiæ hostis, vixit duodecimo cadente sæculo. Nomo-Canonem Photii, Canones Apostolorum, Œcumenicarum & particularium Synodorum, SS. Patrum Dionysii Alexandrini, Petri Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Athanasii, Basilii, &c. Canonicas Epistolas Commentariis illustravit. *Balsamonis Responsa ad Interrogationes Marci Alexandri Patriarchæ* edita sunt lib. V. Juris Græco-Romani. Ejusdem *Meditato*, sive *Responsa* de quibusdam aliis quæstionibus extant lib. VII. ejusdem Juris. Zonaram Balsamone posteriorem videri, & ex ipso hausisse, superius observavi.

ARTICULUS XVIII.

De Petro Blesensi, & Sancta Hildegarde.

Petri Blesensis Mores sanctissimi.

I. PEtrus Blesensis, a natali solo, Blesis videlicet urbe Galliæ nobilissima cognominatus, vir humanioribus literis excultissimus, Sacrarum Literarum, & Juris Canonici peritissimus, *Guillelmi* Regis Siciliæ Præceptor ac Sigillarius, ut ipse testatur Epist. 131. in Angliam ab *Henrico II.* Rege vocatus est, ab eoque ad Regem Francorum magnis de rebus missus. Deinde Aulæ fastidio ad *Richardum* Cantuariensem Archiepiscopum se contulit, a quo ad gravissima Ecclesiæ negotia tractanda admotus est. Vir fuit morum integritate, non minus quam doctrina spectatissimus, adeo ab ambitione alienus, ut Neapolitanum Archiepiscopatum, ad quem electus fuerat, & Roffensem Episcopatum bis sibi oblatum recusaverit, & honorem metiens ex onere, motus ambitiosos ad sobrios mediocritatis terminos limitaverit, ut ipse loquitur Epistola 131. Bathoniensi Archidiaconatu, & deinde Londinensi, exigui admodum redditus Beneficio contentus fuit. Tanta erat in eo ingenii vis ac memoriæ, ut de diversis argumentis tribus amanuensibus simul & semel dictaret, & quartam ipse scriberet Epistolam, ut ex ipso discimus Epistola 92. Epistolas 183. Sermones 65. & varios Tractatus edidit, in quibus pietatem & Ecclesiasticam libertatem cum varia doctrina conjunctam suspicere est. Suos libros recenset in Tractatu contra Operum suorum Depravatorem, qui ipsius Opusculum in *Job* cavillatus fuerat, & ipsum Adulatorem Principum appellaverat. *Spiritus Dei*, inquit, *reddit testimonium spiritui meo, quia numquam fui olei venditor, nec soleo Magnates palpare in vitiis, aut laudare peccatorem in desideriis animæ suæ. In Compendio meo super Job. In Epistolis meis. In libro Exhortationum mearum. In Dialogo meo ad Regem Henricum. In Tractatu meo de Hierosolymitana peregrinatione. In libro meo de præstigiis fortunæ; & in opere meo novello de assertione Fidei. In libro contra Perfidiam Judæorum. In libro de Confessione & Pœnitentia. Et in eo qui Canon Episcopalis inscribitur, & in quamplurimis aliis Scriptis meis, Regem vestrum & alios terræ Magnates, ubi materia se offert, plena libertate redarguo, solicite suggerens quidquid ad eorum ædificationem, citra invectivæ injuriam, potest humana devotio.*

Vis memoriæ admirabilis.

Opera.

Sanctæ Hildegardis Revelationes & Prophetiæ probatæ.

II. *S. Hildegardis*, ex Comitatu Sphanheimensi oriunda, in beatæ *Juttæ* disciplinam a teneris tradita, in Monte *S. Disibodi*, Christo Virginitatem consecravit, & sancti *Benedicti* Regulam professa est. Postea Monasterio *S. Ruperti* prope Bingam, Moguntinæ Diœceseos, præfecta est prima Abbatissa. Sanctitate & divinis Revelationibus illustris fuit, quas jussu *Eugenii III.* Pontificis Maximi, qui spiritum ejus probaverat, scripto tradidit. Nec *Eugenius* solum, sed *Anastasius IV.* & *Hadrianus IV.* suis illam Epistolis honorarunt, ejusque orationibus se ac Romanam Ecclesiam commendarunt. *S. Bernardus* spiritalia charismata ipsi gratulatus est, ejusque intercessionem apud Deum flagitavit Epistola 386. *Congratulamur*, inquit, *Gratiæ Dei quæ in te est, & ut eam tamquam gratiam habeas, & toto ei humilitatis & devotionis affectu studeas respondere, admonemus, sciens quod* Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Quod in nobis est, hortamur & observamus. Cæterum ubi interior eruditio est, & unctio docens de omnibus, quid nos aut docere possumus, aut monere? Diceris enim cœlestia secreta rimari, & ea quæ supra homines sunt, Spiritu Sancto illustrante dignoscere. Unde rogamus magis & suppliciter postulamus, ut nostri memoriam habeas apud Deum, & eorum pariter qui nobis in spirituali societate juncti sunt. Nam cum Spiritus Deo conjungitur, confidimus quod nobis multum prodesse valeas & subvenire.* Scripsit tres Revelationum libros, plurimas Epistolas, librum inscriptum *Scivias*, id est, *De scientia viarum Dei & hominis*; & alios Tractatus, quos *Trithemius* Abbas lib. *De Viris Illustribus Ordinis Sancti Benedicti*, cap. CXIX. & lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* commemorat. Vitam ejus admirabilem *Godefridus* scribere aggressus est, sed vix unum librum absolvit, quem recensuit, & secundum tertiumque adjecit *Theodericus* Benedictinus Abbas XIII. ineunte Sæculo. Extat apud *Surium* Tom. V. ad diem XVII. Septembris. Obiit *Sancta Hildegardis* anno MCLXXX. Ejus cum laude meminit Monachus Autisiodorensis in Chronico. Author Anonymus Ordinis Præmonstratensis, qui Vitam *Sancti Gerlaci* Eremitæ anno circiter MCCXXV. scripsit, a *P. Bollando* editam inter Acta Sanctorum mensis Januarii, *S. Hildegardem* his verbis commendat cap. VIII. *Erat eo tempore in partibus Maguntiæ Virgo quædam Sanctissima, Hildegardis nomine, famosissima illa Prophetissa Novi Testamenti, cum qua familiariter locutus est Deus, & ostendit ei secreta cœlestia. Hæc per manum sanctæ memoriæ Domini Henrici Maguntinensis Archiepiscopi sacro velamine Domino consecrata, cum nullis literis, nisi tantum Psalmis Davidicis esset erudita,*

S. Hildegardis elogium.

per

Id est, approbata, & inter optimos pi-osque libros numerata.

per Spiritum Sanctum edocta, de divinis oraculis & sacramentis sibi revelatis grandia edidit volumina, quæ ab Eugenio Papa, mediante Sancto Bernardo Claravallense Abbate comoarzata, & inter Sacras Scripturas sunt connumerata. Hæc per multa temporum curricula, doctrina salutaris lampade Sanctam Ecclesiam illu- ravit, Epistolis ad diversas Personas missis corroboravit, & claris Miraculis illustravit. De eadem

Tom.III. Spicilegii.

legendum *Chronicon Senoniense* lib. IV. cap. XV. cujus Authos *Richerius* Monachus narrat ipsam lingua Latina, quam numquam didicerat, & locutam fuisse, & scripsisse Libros de Statu Regnorum, & eventibus futurorum: De futuris FF. Prædicatorum, & Minorum Ordinibus fuisse, vaticinatam: Librum etiam de Medicina edidisse, quem ipse Argentinæ vidit.

CAPUT VII.

De Politia Ecclesiastica XI. & XII. Sæculi.

ARTICULUS I.

De Romano Pontifice, & Apostolica Authoritate ejus.

ROmanos Pontifices Authoritatem *Sancto Petro* & Successoribus ejus divinitus collatam universam Ecclesiam regendi, Leges Ecclesiasticas condendi, Concilia congregandi Œcumenica, & sacris illis Cœtibus præsidendi, temperandi Canones & de illis dispensandi exercuisse, Historiæ Ecclesiasticæ horum Sæculorum varia Monumenta testantur, passim jam a nobis observata, Capp. I. & II. ubi de Romanis Pontificibus egimus. Sed absque urgente necessitate, & evidenti Ecclesiæ utilitate dispensationes concedere nusquam voluerunt, & salvam semper esse jussere Sacrorum Canonum Authoritatem ac observantiam. Sic *Nicolaus II.* & Synodus Romana an. 1059. celebrata, eos qui ab Episcopis Simoniacis, non simoniace, sed gratis ordinati fuerant, honoribus suis frui, & Ordinum suorum obire ministeria permisere, *Non tam censura justitiæ, quam intuitu misericordiæ. Tanta quippe*, inquinot, *talium multitudo est, ut dum rigorem Canonici vigoris super eos servare non possamus, necesse sit ut dispensatorie ad piæ condescensionis studium nostros animos adtrahens inclinemus.* Vetat tamen Pontifex, ne quis Successorum suorum ex hac sua dispensatione Regulam sibi vel alicui assumat, vel præfigat: *Quia non hoc authoritas antiquorum Patrum jubendo, aut concedendo promulgavit; sed temporis nimia necessitas permittendum extorsit.* Sic *Urbanus II.* in Synodo Romana anni MXCVI. Canone XI. cum iis, qui recens a Schismaticis ordinati fuerant, dispensavit, ut muniis Ordinum suorum fungerentur, & fruerentur honoribus, *Misericordia intuitu, magnaque necessitate cogente. Nullum tamen*, inquit, *præjudicium sacris Canonibus fieri volumus, sed obtineant proprium robur: & cessante necessitate, illud quoque cesset quod factum est pro necessitate. Ubi enim multorum strages jacent, subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius caritati.* Sic *Paschalis II.* Epistola XVI. ad *S. Anselmum* Cantuariensem Archiepiscopum, se erga Regem Angliæ & Episcopos ac Abbates qui ab ipso Investituras acceperant, aut ipsi homoium præstiterant, dispensatione usum scribit, compassionis affectu, ut jacentes erigeret. *Qui enim stans jacenti, ad sublevandum, manum non porrigit, numquam jacentem eriget, nisi & ipse curvetur. Cæterum quamvis casui propinquare inclinatio videatur, statum tamen rectitudinis non amittit.* Sic *Paschalis II.* cum Presbyterorum filiis in Anglia dispensavit, ut ad sacros Ordines promoverentur, hujusque dispensationis executionem prudentiæ *S. Anselmi* commisit Epistola CII. *Eos*, inquit, *quos scientia & vita commendat, apud vos ad sacra officia promoveri, pro necessitate temporis, & utilitate Ecclesiæ concedimus: ut in posterum Constitutionis Ecclesiasticæ præjudicium caveatur ... Cæterum quæ in Regno illo pro necessitatis tempore dispensanda sunt, juxta gentis barbariem, juxta Ecclesiæ opportunitates, Sapientia ac Religionis tuæ solicitudo dispenset.*

Summi Pontifices dispensationes absque urgenti necessitate, aut evidenti utilitate concedere nolunt.

Quando concedendæ dispensationes?

Quando porro concedendæ sint dispensationes Doctores illorum sæculorum explicatius adhuc tradunt. *Yvo Carnotensis* in Prologo Decreti, præceptiones alias esse mobiles, alias immobiles docet. *Præceptiones immobiles sunt, quas lex æterna sanxit; quæ observata salutem conferunt, non observata eamdem auferunt: qualia sunt*, „ Diliges Dominum Deum tuum ex „ toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum. „ *Et*, Honora Patrem tuum & Matrem tuam: *& si quæ sunt his similia. Mobiles vero sunt, quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius muniendam: quale est illud Apostoli:* „ Hæreticum hominem post primam & secun„ dam correptionem devita: *Non quod eorum colloquium per se saluti obesset, sed quod frequentatum ex obliquo quorumdam simplicitatem corrumpere posset. Similiter immobiles prohibitiones sunt quæ adversus vitia loquuntur, qualia sunt;* Non occides, non mœchaberis, *&c. Sunt alia interdicta, in quibus si interdicta non fuissent, nec mors operaretur, nec salus periclitaretur. Sed ad hoc ea SS. Patrum authoritas reverenda ita decrevit, ut & præsentibus non obesset, & compescendis majoribus malis vel cavendis caritas sincera provideret, quale est illud:* „ Clericus post actam de „ crimine damnabili Pœnitentiam clericus non ma„ neat, vel ad Clericatum non accedat .... *In his igitur in quibus observatis salus acquiritur, vel in quibus neglectis mors indubitata consequitur, nulla est admittenda dispensatio: sed ita sunt omnia mandata vel interdicta servanda, sicut sunt æterna lege sancita. In his vero quæ propter rigorem disciplinæ, vel muniendam salutem, posteriorum sanxit diligentia, si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest præcedere authoritate Præsidentium diligenter deliberata dispensatio, &c.* Et Epistola 114. ad *Brunonem* Episcopum de Controversia Investiturarum ita scribit: *Videmus scissum Regnum & Sacerdotium, quibus tamquam principalibus & fortioribus paxillis tabernaculi Dei status firmiter figebatur, ne ullo impetu procellarum & turbinum everteretur. In tanta scissura, in tanta procella florere & fructificare non potest Mater Ecclesia, de „ qua dicitur;* Una est columba mea, sponsa mea. *Ad hanc unitatem resarciendam laborare debent membra Christi quæ ordinaliter ferro putredines istas resecarent, aut competenti dispensationis malagmate tantam scissuram procurarent solidare: Non enim in tanto salutis periculo solus medicinæ rigor servandus est; sed & dispensationis modus, qui nulli Sapienti displicuit ad sedandas tantas perturbationes in aliquibus admittendus est. Monente enim Cyrillo Alexandrino, sicut nautæ in mari periclitantes, cum non habent spem servandorum omnium negotiorum suorum, quædam projiciunt, ut quædam servent: sic in dispensationibus Ecclesiasticis, ubi non periclitatur Fidei veritas, & morum honestas, quædam instituta temperare debemus, ut tantis Ecclesiæ ruinis subvenire valeamus... Facit hoc caritas, quæ operit multitudinem peccatorum, quæ cum infirmantibus infirmatur, cum scandalizatis uritur, & omnibus omnia fit, ut omnibus prodesse mereatur. Unde a subditis non debet reprehendi Prælatorum dispensatio, si salvo Fidei fundamento, & nota communi regula morum, aliqua infirma faciunt aut tolerant, ut vitam subditorum in proposito suæ sanctitatis conservare prævaleant.*

Et Epistola 260. *Novi consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quia non solet, neque vult Decretis suis patenter obviare. Solet autem dispensatorie multa infirma tolerare postquam patrata sunt, tam pro locorum necessitate, quam pro personarum utilitate & honestate. Neque aliter cogendus est Summus Pontifex contraria sibi scribere vel facere, ne cogatur dicere illud Apostolicum: Si quæ destruxi, iterum ædifico prævaricatorem me constituo.*

De eodem argumento audiendus *S. Bernardus* lib. 4. *De Consideratione ad Eugenium*, cap. 4. *Quid inquis, prohibet dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* Ad Gal. 2.

Ubi

Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis Dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Et lib. de *Præcepto & Dispensatione*, cap. II. triplicis generis leges distinguit, stabiles, inviolabiles, incommutabiles. De primis dispensare possunt Prælati Ecclesiastici: de secundis solus Deus; de tertiis nec ipse Deus. De primis, earumque dispensatione ait: *Quamdiu caritati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino ne ab ipsis quidem præpositis sine offensa possunt. At si e contrario contraria forte aliquando caritati visa fuerint, his dumtaxat, quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est: nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro caritate inventa fuerunt, pro caritate quoque ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur? Sicut e regione iniquum proculdubio foret, si statuta pro sola caritate, contra caritatem tenerentur. Tenent ergo fixam firmamque immobilitatem, etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessario sunt, sed quatenus caritati deserviunt. Numquid autem hoc ego vel solus sentio, vel primus dico? An non hoc ipsum & Papa Gelasius sensit? Ait siquidem: Ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant SS. Patrum Decreta. Leo quoque Papa: Ubi inquit, necessitas non est, nullo modo SS. Patrum Instituta violentur. Et infert: Ubi ergo necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ qui Potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis.* Dispensationes porro a Summo Pontifice fraude elicitas, vel importunitate extortas, eos qui ipsas obtinent, iisque utuntur, a prævaricatione non excusare docet, eum absque causa legitima impetrantur. *Malum quod jam corde conceperant* (inquit Epistola 7.) *opere tamen causæ fuerunt non implere, nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum. Numquid ideo aut malum esse desiit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit? Quis vero malum esse neget, assensum præbere malo? Quod tamen Summum fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

Dispensationes non concedendæ absque evidente ecclesiæ utilitate, & Caritate Magistra.

Dispensationes absque evidenti Ecclesiæ utilitate & caritate magistra concedi non posse pariter docuit *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis Epistola XXVIII. libri primi. Ubi enim præmisit Mandata quædam esse mobilia, quædam immobilia, subdit: *Inter alia quæ moveri dispensatione possunt Patrum authoritatem sequentes, ea esse dicimus, quorum plenaque in Ecclesiasticis Canonibus invenimus, quæ sicut pro communi totius, vel propria alicujus Ecclesiæ utilitate, cum non existerent inventa sunt: Sic rursum pro communi totius, vel propria alicujus, aut gentis, aut Ecclesiæ salute prævia in omnibus caritate mutata sunt .... Quid enim coegit Regulam de non transferendis Episcopis a præcedentibus Patribus datam immutari, nisi melius providens Ecclesiis caritas? Quid Hæreticos & criminosos, post condignam de criminibus Pœnitentiam, quod primi Patres prohibuerant, Ecclesiis Dei præfecit, nisi multorum saluti consulens caritas? Quid Presbyterorum filios Episcopari, contra Sanctorum Apostolicorum antiqua Decreta aliquando jussit, nisi earumdem personarum utilitatem Ecclesiæ utilem esse judicans caritas? Quid Anglis conjugia indulsit, a quibus cæteros inhibuit, nisi novella eorum fidei timens caritas? Quid multa in hunc modum vetusta præcepta mutavit, quid nova instituit quid nunc ista, nunc illa mandavit, nisi pro moribus, temporibus, locis, nunc generaliter, nunc specialiter, semper tamen humanæ saluti sollicite inserviens caritas?*

Goffridus Vindocinensis Abbas Opusculo V. easdem conditiones postulat ut dispensationes licite in Ecclesia fiant. *Dispensationes*, inquit, *aliquando in Ecclesia facienda sunt, non quidem amore pecuniæ, vel quolibet humano favore, sed pia & misericordi intentione. Tunc enim a Pastore Ecclesiæ dispensatio pie & misericorditer fieri creditur, cum aliquid minus perfecte ad tempus fit ab illo vel fieri permittitur, non voluntate sua, sed aliorum necessitate in ipsis videlicet Fides Christiana periclitetur ..... Possunt etiam & debent fieri dispensationes, quibus Ecclesiarum & Monasteriorum consuetudines immutentur, sed ubi postponitur minus bonum, ut quod est melius instituatur ..... Si quis vero aliter in Ecclesia dispensationes facit, rationi simul & veritati contradicit: nec solum lucernam ardentem non habet, verum etiam aliorum ardentes extinguit. Et ideo non recte dicitur Christi Vicarius, sed dux est cæcorum ipse cæcus.*

Quo sensu Summi Pontifices successoribus suis Legem dare possint, vel non possint?

Arnulphus Lexoviensis Episcopus ad *Alexandum III.* qui Regulari Capitulo Sagiensi Archidiaconum Sæcularem ex dispensatione dederat, admiranda libertate scripsit, dispensationes hujusmodi, quæ majori bono non compensantur, immo disciplinam evertunt, omnino illicitas esse; nec integrum esse Romano Pontifici Decessorum suorum sanctissima Decreta evertere. „ Quod autem dicitur, *inquit*, Prædecessorem Successori suo legem dare non posse, vel præcise falsum est, vel omnia possunt impune SS. Patrum Instituta convelli, quorum tamen sapientiam narrant populi, quorum laudem Ecclesia nunciat, & sepulchra eorum frequentibus miraculis gloria magnificentiæ cælestis illustrat. Privilegia siquidem Romanorum Pontificum quasi quædam ipsorum testamenta credenda sunt, nec a morte testatoris expirant, sed potius ab ipsa contrahunt firmitatem, nec defectu personæ sublata perit authoritas eorum quæ religiose semel instituta noscuntur. Nos tamen errores Prædecessorum a Successoribus posse corrigi non negamus & ipsorum etiam in melius posse bona mutari, ubi major scilicet mutationem suadet utilitas, nullumque sentit Religio detrimentum. ... *Et infra:* Sacras Veterum Institutiones in deterius devocare non convenit; nec authoritatem præbere defectus, ut inde fomenta comparentur audaciæ, unde timeri debuit severitas disciplinæ. Plane sunt quædam, quibus ut fiant, consensum adhibere non licet; quæ tamen, si facta sunt, dissimulare necesse est, quia non possunt habere remedium; vel si quid recompensationis habent, discreta mansuetudine dispensare. Culpam tamen indulgentia prævenire non debet, ne securitas alat audaciam, & ad delinquendum fiducia remissionis invitet ... Tunc in potestate Judicis est mollire sententiam, & mitius judicare quam Leges, cum rerum vel personarum merita postulant, aut instantia necessitatis extorquet. In æstimanda tamen necessitate non convenit pusillanimes inveniri, ne virtuti subduxisse materiam, vel de divina videamur gratia desperare. Scio quosdam dispensationum prodigos tantæ benignitatis existere, ut nihil reservent Legibus, affectibus omnia largiantur, nec offensam rationis attendunt; dum hominum sibi præcavisse videantur offensam. Metiuntur igitur affectatos de prærogativa potentiæ suæ, potius quam de merito rationis effectus: & nomine necessitatis indulgentiam quamlibet excusantes, divinæ gratiæ bonitatem non sustinent experiri, sed humanum favorem præ omnibus auspicantes, fugaces auras & inanes ventos studiis fallacibus amplectuntur. Quieti scilicet Ecclesiæ providere se prædicent, cujus prostituunt Libertatem, & Majestatem redigunt in contemptum, quæ tamen in virtute Sanctorum debet apparere terribilis, ut castrorum acies ordinata.

Summi Pontificis est Canonum executionem toto orbe Christiano procurare.

Romano Pontifici curam incumbere de Canonum executione per totom orbem Christianum procuranda, undecimi, & duodecimi Sæculi Patres docuerunt. Unus pro omnibus loquatur *S. Bernardus* lib. 3. *De Consideratione*, cap. V. ubi *Eugenium III.* ita compellat: „ Superest ut generaliter super universum Ecclesiæ statum intendat consideratio tua, si plebes Clericis, si Clerici Sacerdotibus, si Sacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate subjecti sint; si in Monasteriis & Religiosis locis servetur ordo, vigilet disciplina; si super prava opera & dogmata censura Ecclesiastica vigeat, si floreant vineæ honestate & sanctimonia Sacerdotum, si flores fructus parturiant, obedientiam fidelium populorum; si demum vestra ipsorum Apostolica Mandata & Instituta ea qua dignum est solicitudine observentur, ne quid in agro Domini tui aut neglectu incultum, aut fraude subreptum inveniatur.

Modum Appellationibus ad Romanam curiam adhibendum Patres docuere.

Appellationes ad Sedem Apostolicam ex omnibus orbis Ecclesiis deferebantue, idque divini Primatus testimonium esse Patres agnoscebant; sed modum iis docebant esse adhibendom. Qua de re audiendus *S. Bernardus* lib. 3. *De Consideratione*, cap. II. „ Appellatur, *inquit*, de toto mundo ad te, id quidem in testimonium singularis Primatus tui. At tu, si sapis, non Primatu gaudebis, sed fructu..... Appellatue ad te, & utinam tam fructuose, quam necessaeie!.... Formulam hanc Justitiæ præfigit tibi & divinæ incommutabilis ratio æquitatis, & ni fallor, ipsa appellationum lex, ut illicite usurpata appellatio nec prosit appellanti, nec appellatio obsit.... Appellasse inique iniquum est: Inique & impune, iniquarum appellationum fomes. Iniqua autem omnis appellatio, quam justitiæ inopia non coegit. Appellare, non ut graves, sed si graveris, licet. Appellandum a sententia. Ante sententiam improbe omnino, nisi ob manifestum gravamen, præsumitur appellatio. Qui igitur non gravatus appellat, liquet, quia aut gravare intendit, aut tempus redimere. Non est autem suffugium appellatio, sed refugium. Quantos novimus appellasse pulsatos, quo interim liceret, quod numquam licet? Nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, verbi gratia, incestum, adulterium. Quale est hoc, turpitudini patrocinari, quod vel maxime formidari a turpibus oportebat? Quousque murmur universæ terræ aut dissimulas, aut non advertis? Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem atque abusionem? Præter jus & fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur aut persona. Præsumuntur leviter passim, plerumque & nequiter. Volentes malignari, nonne his potissimum terreri solebant? Nunc terrori ipsi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum versum in venenum: non mutatio dexteræ Excelsi hæc. .... Fateor grande & generale mundo bonum esse appellationes: idque tam necessarium, quam Solem ipsum mortalihus. Revera quidam Sol Justitiæ est, prodens ac redarguens opera tenebrarum. Prorsus fovendæ, & manu tenendæ sunt, sed quas extorsit necessitas, non calliditas adinvenit. Usurpatoriæ sunt hujusmodi omnes, non subvenientes in necessitate, sed opitulantes iniquitati.

Laudatur Summus Pontifex quod negotia in partibus judicanda ut plurimum remittat.

Eugenium tandem laudat, quod negotia in partibus judicanda ut plurimum remittat. „ Bene facis tu, quod appellationum negato suffragio immo suffugio multa remittis negotia ad cognoscentes, vel qui noscere citius possunt. Ubi enim certior ac facilior notio, ibi decisio totior expeditiorque esse potest. Quam plenum gratiæ, quam multorum perinde per hoc & laboribus parcis, & sumptibus?

Solus Appellationum abusus, si quis sit a Patribus improbatur.

Idem Pater Epistola CLXXVIII. ad *Innocentium II.* queritur Episcoporum Authoritarem contemni ac minui, quod appellationes ab ipsorum Sententiis Romæ facilius recipiantur, ipsorumque Decreta etsi æquissima sospendantur. „ Vox una, *inquit*, omnium qui fideli apud nos cura populis præsunt, justitiam in Ecclesia deperire, annullari Ecclesiæ claves, Episcopalem omnino vilescere authoritatem, dum nemo Episcoporum in promptu habeat ulcisci injurias Dei, nulli liceat quævis ne in propria quidem Parochia castigare. Causam referunt in Vos, Curiamque Romanam. Recte gesta ab ipsis (ut ajunt) destruitis, juste destructa statuitis. Quique flagitiosi & contentiosi de populo sive de Clero, aut etiam ex Monasteriis pulsati currunt ad vos, redeuntes jactant & gestiunt se obtinuisse tutores quos magis ultores sensisse debuerant.... Amici confunduntur, fidelibus insultatur, Episcopi ubique in opprobrium veniunt & comprę̄mptum, quorum dum recta Judicia contemnuntur, vestræ quoque plurimum derogatur Authoritati. Ipsi sunt enim qui honorem vestrum zelant, qui vestra pro pace & exaltatione laborant fideliter quidem, sed vereor ne inefficaciter. Quid vobis vires minuitis? Quid robur vestrum deprimitis?

Querela de Authoritatis Episcopalis Imminutione per Appellationum promiscuam susceptionem.

Contra eumdem Appellationum abusum, & Episcopalis Authoritatis depressionem, *Hildebertus* Archiepiscopus Turonensis Epistola LXXXII. ad *Honorium II.* Pontificem Maximum ita scribit: „ Quaslibet Appellationes in Romana vigere & suscipi Ecclesia, cis Alpes auditum non est, nec ex sacris traditum Institutis. Quod si forte hujusmodi emersit novitas, ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, Pontificalis censura peribit, & omnino conteretur Ecclesiasticæ robur disciplinæ. Quis enim raptor ad solam anathematis commінationem non statim appellabit? Quis Clericus aut Presbyter, frustratoriæ appellationi refugio non putrebit, aut etiam sepelietur in stercore suo? Quis Episcopus habebit in promptu, non omnem dico, sed aliquam ulcisci inobedientiam? Ejus virgam quævis appellatio quassabit: solvet constantiam, severitatem emolliet, adducens & illi silentium & reis impunitatem delictorum..... Dilatione nempe censuræ facinora fovebuntur, & venient in profundum iniquitatis impune delinquentes, &c.

Plenitudinem potestatis in Ecclesia universa Patres XI. & XII. Saculi in Romano Pontifice venerati sunt.

Verum hi fines æquitatis, quibus Pontificiam circumscribi potestatem Patres agnovere; immo quibus ipsa impulsu Spiritus Sancti sese circumscripsit, non pugnant cum plenitudine potestatis in Ecclesia universa, & in omnes ac singulos Christianos, quam in Summo Pontifice venerati sunt. Qua de re *S. Anselmus* Cantuariensis Archiepiscopus in libro *De Fide Trinitatis & Incarnatione Verbi*, quem inscribit *Domino & Patri Universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, Summo Pontifici Urbano*; ita ipsum compellat: *Quoniam Divina providentia vestram elegit Sanctitatem, cui Vitam & Fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia, ut ejus authoritate corrigatur: nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum, ita nulli libentius præsentem Epistolam, quam vestræ destino Sapientiæ: quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur; & quod Regulam veritatis tenet, vestra authoritate roboretur.*

Romani Pontificis summa dignitas & authoritas non solum in oves, sed in Pastores Ecclesia universa.

De eadem pontificiæ plenitudine potestatis *S. Bernardus* lib. II. *De consideratione ad Eugenium*, cap. VIII. ita scribit: *Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Tu Princeps Episcoporum, Tu heres Apostolorum, Tu Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Authoritate Moyses; Judicatu Samuel, Potestate Petrus, Unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii Cæli Janitores, & gregum Pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ cæteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini, &c. Ergo juxta Canones tuos, alii in partem solicitudinis, Tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cælum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & Satanæ tradere potes?*

Solus Beatus Petrus cum Successoribus suis Summis Pontificibus in tota Ecclesia Plenitudinem Potestatis accepit.

De eodem argumento magnifice scribit *Potho Prumiensis* lib. 1. *De statu Domus Dei*. Ejus verba silentio premere mihi religio esset. *Domus Dei*, inquit, *Ecclesia est, columna & firmamentum veritatis, quæ in unitate indivisa firmatur, quæ una columba, una perfecta, Deo unice dilecta, Scriptura teste declaratur. In tota hac domo solus B. Petrus cum successoribus suis, Plenitudinem potestatis accepit. Unde quicumque in partem solicitudinis vocati sunt, ut ea, quæ in partem regenda susceperunt, provida dispensatione gubernent, ejus authoritate roborandi, ejus exemplis informandi sunt, qui in plenitudine potestatis toti Ecclesiæ præesse dignoscitur.*

Sicut Deus Pater omne Judicium dedit Filio; sic Filius Dei omne Judicium Apostolicæ Sedi concessit.

Et libro III. *Ex B. Gelasii dictis, aliorumque SS. Patrum scriptis declaratur, quod Romanæ Sedis speciali privilegia omnium Ecclesiarum privilegia confirmentur: quodque illius singulari dispositione, omnium ordinum, dignitatum ac professionum jura, institutionumque moderamina gubernentur. Sicut enim Deus Pater omne judicium dedit Filio, sic Filius Dei omne judi-*

cium

eium suum Apostolica Sedi concessit: qua videlicet totius Ecclesiæ caput a Domino constituta, sua sapientia & discretione, tamquam duorum in uno capite oculorum provisione, totum Ecclesiæ corpus, cum subjectis singulorum membrorum affectis regit. Et singula quidem membra sais funguntur officiis, & pro parte solicitudinis sua corporis curam gerant. Tua vero, Pater, vigilantissima solicitudo in plenitudine potestatis totius corporis Ecclesiæ statum provida gubernatione dispoait.

Temperandorum Canonum potestas Romano Pontifici tota qua late patet Ecclesia convenit.

Temperandorum potestatem Canonum penes unum Romanum Pontificem esse docet. *Præsumptuosum est,* inquit, *quibuslibet Pælatis Veterum statuta immutare, nova statuere, cum solum id Apostolicæ Sedis dispensationi concessum sit, ut pro temporis necessitate, vel pro utilitate Ecclesia, aliquid de Institutis Patrum commutare possit ... Ipse namque est, qui tamquam fidelis & prudens dispensator super familiam Domini constitutus, ut det illis in tempore tritici mensuram, solus totius Domus Dei, qua est Ecclesia, curam gerit. Hanc ergo dispensationem, qua mensura Dominici tritici datur, id est, facultas temperandorum sive mutandorum Canoaum conceditar, Romano Pontifici potissimum adjacere non dubitamus, ut SS. Patres docuerunt. Nec mireris si Romani Poatifices hanc semper peculiariter habuerint potestatem, ut Canones pro tempore dispensareat. Ipsi enim suat Authores Canonum; & illa Sedes semper hoc habuit privilegium, ut ligatum vel solutum sit, qaidquid ipsa ligaverit vel solverit. Unde juxta attestationem SS. Patram, omnibus Ecclesiis praeminet, & de omnibus jadicare potest.*

Romani Pontifices Authores Canonum.

Antiqua magis exequi & observare, quam nova instituere consueverunt.

Observat tamen quod *Romani Pontifices semper magis antiqua exequi & observare, quam nova instituere, nisi aliqua rationabilis causa perurgeret, consueverunt. Unde B. Gelasius Papa ad Episcopos Dardania: Nullas, inquit, jam veraciter Christianus ignorat, uniuscujusque Synodi constitatam, quod Universalis Ecclesia probavit assensus, nullam magis Sedem pra cateris, exequi oportere quam primam, qua unamquamque Synodum & sua authoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.*

Sedis Apostolica Constitutionibus & Judiciis ab omnibus Catholicis parendum.

Si quis se gravatos sentiant, ab ipsa confugiendam ad ipsam est.

De obedientia Sedi Romanæ & Summo Pontifici debita ante *S. Bernardum* præclare scribebat alterum Gallicanæ Ecclesiæ Lumen *Yvo* Carnotensis Episcopus Epistola VIII. *Sedi Apostolica Judiciis & Constitutionibus obviare, plane est Haretica pravitatis notam incurrere.* Si qui Romanæ Ecclesiæ judicio se gravatos quererentur, hoc eis consilii dabat, ut ab ipsa ad ipsam appellarent, non in Ægyptum propter auxilium descenderent: *Quoniam*, inquit, *Judicia Romana Ecclesia a nemine foris retractari posse, eadem Romana Ecclesia docente didicimus, si qui aliquando se pragravatos ipsius Ecclesia Authoritate conquerantur, hoc eis consilium damus, ut noa descendant ia Ægyptum propter auxiliam, sed ab ipsa ad ipsam confugiaat; & inde expetant levamen, aade se conquerantur accepisse gravamen. Quoniam qua aliquando corripit paterna severitate, eadem freqaenter colligit materna pietate.* Hæc ille Epistola 159. Idem Sanctus & eruditus Antistes suam Romanæ Sedi & Summo Pontifici adhæsionem atque observantiam Epistola 57. significat his verbis: *Non est meum adversum vos intrare in judicium. Malo enim Episcopatui renuntiare, quam iram vestram juste vel injuste sustinere. Hac satisfactio si placuerit vestra Paternitati; placet, & mea parvitati. Hanc, si placet, accipite; si plus placet, plus addite. Si desisto vester esse servus, non desistam vester esse filius.*

Yvo Carnotensis mavult Episcopatui renuntiare, quam iram Summi Pontificis sustinere.

S. Thomas Cantuariensis Epistola 122. Libri 1. sic *Gilbertum* Londoniensem Episcopum alloquitur: *Non est sub sole, qui de manu Summi Pontificis possit eruere. Solus Infidelis, aut qui eum superat Hareticus, aut Schismaticus Apostolicis obrectat obedire Mandatis.* Idem Epistola 75. Libri 3. his verbis Summum Pontificem *Alexandrum III.* convenit: *Sed Divina Mansuetudo vestra, qua suo merito, & universalis Ecclesia precibus, Spiritus Sancti gratiam possidet ampliorem,* &c. Et infra: *Probabile est hoc a Spiritu Sancto, qui consilia vestra regit, & opera dirigis, fuisse procuratum.* Idem Epistola 73. lib. 5. *Nalli*, inquit, *hominum licet infirmare, quod Apostolica Sedes decreverit.* Sed nihil illustrius pro Romani Pontificis Authoritate proferri potest iis quæ habet Epistola 97. Libri I. quem locum inferius Dissertatione X. opportune describam.

Romani Pontificis ministerio Spiritus Sanctus totius falsitatis figmenta condemnat.

Magistro Discipulum subjungo *Joannem Saresberiensem*, postea Carnotensem Episcopum, ad *Alexandrum III.* scribentem, *Os meum in Cœlum ponere non præsumo. Fateor, & verum est, omnia licere Romano Pontifici, sed ea dumtaxat quæ jure Divino Ecclesiasticæ concessa sunt Potestati. Liceat ei Nova jura condere, vetera abrogare; dum tamen illa, qua a Dei Verbo, & Evangelio, vel Lege perpetuam causam habent, mutare non possit .....* Ibidem: *Clamamus ergo*, inquit, *ad Successorem Petri Vicarium Crucifixi .... qui Amator & Patronus est Veritatis; & cujus ministerio Spiritus Sanctus totius falsitatis figmenta condemnat.* Est inter Epistolas *S. Thoma Cantuariensis* a *P. Lupo* editas 60. Libri II. Hæc Ecclesiæ 11. & 12. sæculi de Romani Pontificis Authoritate, ejusdemque Divinæ Authoritatis usu doctrina. Quam adversus Heterodoxos oculis subjicere, Historici Ecclesiastici officium erat, ne prioribus *S. Bernardi*, aliorumque Doctorum sententiis abutantur.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 571. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Vetat Pontifex ne quis Successorum suorum ex sua dispensatione exemplum assumat.*

R. De Nicolao II. Pontifice Maximo loquor eo loci, deque dispensatione ab eo & Synodo Romana concessa iis, qui ab Episcopis simoniacis, non tamen simoniace fuerant ordinati, ut Ordinum suorum Ministeria & functiones obirent. Vetuisse tamen Pontificem observo, ne quis Successorum suorum ex hac sua dispensatione Regulam sibi vel alicui assumeret vel præfigeret. Religiosi Censores eum hanc observationem reprehendunt, Pontificis Maximi, Synodique Romanæ Decretum se reprehendere non animadvertunt. *Ita tamen* (inquit Pontifex Synodo Præsidens) *Authoritate Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis Successorum nostrorum ex hac nostra permissione Regulam sibi vel alicui assumat vel præfigat: quia hoc non authoritas antiquorum Patrum jubendo aut concedendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendum a nobis extorsit.*

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 582. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Dispensationes a Summo Pontifice fraude elicita, vel importunitate extorta, eos qui ipsas obtinent, ipsisque utuntur, a prævaricatione non excusant, cum absque causa legitima impetrantur.*

R. Id docet *S. Bernardus* Epistola VII. cujus verba eo loci descripsi. An hæc S. Bernardi Regula Censoribus Religiosis displicet? An dispensationes a Summo Pontifice fraude elicitas, vel importunitate extortas, eos qui ipsas obtinent, illisque utuntur, a culpa excusare, & in Dei judicio tutos præstare volunt, etsi absque causa legitima fuerint impetratæ?

SCHOLION III.

Religiosi Censores ibidem hanc Propositionem reprehendunt: *Numquid ideo malum esse desiit, quia Papa concessit?*

R. Ipsa *S. Bernardi* verba sunt, non mea.

SCHOLION IV.

Hanc Propositionem ibidem notant Religiosi Censores: *Dispensationes absque evidenti Ecclesia necessitate & caritate Magistra concedi non possunt.*

R. *Absque evidenti Ecclesia utilitate*, &c. dixi, non *necessitate*. Ita docuit *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis Epistola XXVIII. Libri I. cujus verba descripsi. Voluntne Religiosi Censores Romanum Pontifi-

tificem dispensationes concedere arbitraria potestate, etiamsi Ecclesiæ utilitas, animarum salus, Dei gloria id minime postulent, etiamsi caritas ad id non moveat?

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 576. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Dispensationes ut licite fiant, non debent fieri amore pecuniæ, vel quolibet humano favore, sed pia & misericordi intentione.... Alias non recte dicitur Christi Vicarius, sed dux est cæcorum ipse cæcus.*

R. *Goffridi* Vindocinensis Abbatis & S. R. E. Cardinalis verba sunt, Opusculo V. non mea.

SCHOLION VI.

In eodem Articulo, pag. 577. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Dispensationes quæ majori bono non compensantur, imma disciplinam evertunt, omnino sunt illicita, nec integrum est Romano Pontifici Decessorum suorum sacratissima Decreta evertere; Quod autem dicitur, Prædecessorem Successori sua Legem dare non posse, vel præcise falsum est, vel omnia possunt impune Sanctorum Patrum instituta convelli.*

R. *Arnulphi* Lexoviensis Episcopi ad Alexandrum III. scribentis doctrina & verba sunt, non mea.

SCHOLION VII.

Ad eumdem Articulum, pag. 579. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam appingunt: *In appellationibus modus est adhibendus*, ex S. Bernardo, *satis mordaciter* (inquiunt.)

R. Ea de re ita scripsi: *Appellationes ad Sedem Apostolicam ex omnibus orbis Ecclesiæ deferebantur, idque divini Primatus testimonium esse Patres agnoscebant, sed modum iis docebant esse adhibendum. Qua de re audiendus S. Bernardus lib. III. De Consideratione, cap. II.* S. Bernardi verba subjicio. His in verbis meis nihil mordax. Si quid in S. Bernardi verbis mordax Religiosis Censoribus videatur, Censuram suam in sanctissimum Patrem distringant. Mihi vero lacteus semper & mellifluus, non mordax S. Bernardi stylus videbitur.

SCHOLION VIII.

Ad eumdem Articulum, pag. 581. Edit. primæ Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Plura de abusu Appellationum ad Curiam Romanam, & de imminutione Authoritatis Episcopalis, cum destructione totius Ecclesiastica Disciplina.*

R. Quidquid de abusu Appellationum eo loci scripsi, ipsis *S. Bernardi* & *Hildeberti* Cenomanensis Episcopi verbis scripsi.

SCHOLION IX.

In eodem Articulo, pag. 582. Edit. primæ, hæc notant Religiosi Censores: *Verum hi fines æquitatis, quibus Pontificiam circumscribi Authoritatem Patres agnovere, immo quibus ipsa impulsu Spiritus Sancti se circumscripsit, non pugnant cum Plenitudine Potestatis, &c.* Quam quidem *plenitudinem potestatis multum commendat Alexander* (inquiunt) *sed astute.*

R. Plenitudinem potestatis in Ecclesia universa Patres XI. & XII. sæculi in Romano Pontifice agnovisse & veneratos fuisse, probo testimoniis selectis, luculentis, magnificis S. Anselmi, S. Bernardi, Pothonis Prumiensis, S. Yvonis Carnotensis, S. Thomæ Cantuariensis, Joannis Saresberiensis. Meam de Primatu Romani Pontificis inconcussam Fidem; meam in Sedem Apostolicam, Sedentesque in ea Christi Jesu Domini nostri Vicarios & S. Petri Successores summam venerationem & devotionem his observationibus testor. Censores qui doctrinam istam reprehendere non possunt, intentionem scribentis accusant. *Plenitudinem Potestatis Pontificiæ multum commendat Alexander* (inquiunt) *sed astute.* Qui me norunt, moresque meos ac indolem, me ab astutia plane alienum, candoremque ac sinceritatem in dictis, factis & scriptis profiteri sciunt. Astutiam si quam profiteor, illa est de qua scribit Apostolus II. ad Corinthios XII. 16. *Cum essem astutus, dolo vos cepi.* Sed in doctrina Catholica & in Fide ut aliquid ex simulatione scribam vel dicam, absit a me. Romani Pontificis Primatum ex institutione Christi ac Plenitudine Potestatis ad regendum & pascendum universum Christi Domini gregem, oves omnes pretioso ejus Sanguine redemptas, ipsosque ovium & singulatium gregum Pastores, quemadmodum corde credo ad justitiam, sic ore confiteor ad salutem: *Credidi propter quod locutus sum.*

SCHOLION X.

In eodem Articulo, pag. 586. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Omnia licent Romano Pontifici, sed ea dumtaxat quæ jure divino Ecclesiastica Potestati concessa sunt. Nova jura condere, vetera abrogare; dum tantum illa quæ a Dei verbo & Evangelio, vel Lege perpetuam causam habent, mutare non possit.*

R. Verba sunt *Joannis Saresberiensis*, postea Carnotensis Episcopi in Epistola ad *Alexandrum III.* Quo in me essent animo RR. Censores, hæc eorum nota ostendit. *Videtur de Papa multa dicere bona, sed ea statim sublimitat.* Non alios tamen limites Pontificiæ Potestatis plenitudini pono, quam quos Patres omnium sæculorum, Concilia, ipsique Pontifices posuerunt. Patrum testimonia nec exaggero, nec restringo, sed refero simpliciter, fideliter describo: Nihilque prætermitto quod Sanctæ Sedis Apostolicæ Privilegia, Summamque Romani Pontificis in omnes & singulas Ecclesias potestatem spectet.

Nota.

QUamplura quæ hic congerit Natalis circa valorem dispensationum, rationabiles habent explicationes, limitationesque apud sacrorum canonum Interpretes. Quæ igitur fraude obtinerentur a Pontifice dispensationes, nihil sane habendæ, quoties frans non veram finalem dispensationis causam dispensanti exhiberet. Hujusmodi fraudes seu subreptiones, obreptionesque eum prorsus involuntariam fuisse dispensationem manifestent, omni robore vacua æstimanda est. Ubi vero fraus &c. circa alia versaretur, quia verum illud esset, quod movit dispensantem, ut supplicantis precibus adnueret, irritam inanemque dispensationem canonici juris Interpretes non agnoscunt, eisque in ferendis sententiis ecclesiæ tribunalia adhærent.

Neque etiam verum generaliter est suo robore destitui dispensationes, quas veluti extorsit importunitas. Si alio non laborent vitio, unde vel involuntariæ fuerint dispensanti, vel jus irritas declaret, nec invalidæ habendæ, nec culpa in ipsarum usu intervenit. PP. vero qui dispensationes vel fraude elicitas, vel importunitate obtentas ita criminantur, ut inanes omnino videantur habere, intelligendi sunt de fraude, qua falsa finalis causa obtruditur, seu de importunitate, quæ ob adjunctas circumstantias rationem induat violentiæ.

Illud non est negandum dispensationes concessas, non impellentibus necessitate aut utilitate, peccato non vacare, quia statim aliorum scandalum consurgit, vitium acceptationis personarum subintroducitur, ac legum transgressionibus sternitur via, ut considerat Tridentinum *sess.* 25. *c.* 18. Non desunt tamen quamplures Juris Canonici Interpretes validas agnoscere ea ratione, quod si Pontifex in propria lege dispenset, sicut ea ab ipsius volontate dimanavit, ita & sua voluntate potest valide removere. Si vero eadem dispensatione utatur erga leges a Prædecessoribus latas, nil obesse valori dispensationis credunt; cum etenim, juxta commune effatum, par in parem nullam exerceat potestatem, non potuit Prædecessor Successoris potestatem coercere. Si demum dispensatione

tione solvat leges latas a Conciliis etiam œcumenicis, cum authoritatem exerceat in leges latas ab inferiori potestate, nil est quare irritas velle non possit.

Quis autem sibi poterit suadere Pontifices vel pecunia, vel humano favore dumtaxat impellentibus elargiri dispensationes? Id sane esset nimix ob eo fine deflectere, unde Christus Dominus tanta voluit præditos potestate. Quas proinde tribuunt dispensationes pecunia interveniente, non pecunia illecti, vel ut absque rationabili causa exposcentibus morem gerant, concedunt, easdem quas supplicantes pecunias offerunt, ad bonum spirituale dirigendo. Ita se habent captivorum redemptio, principibus pro fide pugnantibus Opem ferre; viros apostolicos, qui in sacris missionibus exercentur sublentare.

ARTICULUS II.

De Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

Romani Pontificis electio Cardinalibus attributa.

UNdecimo sæculo novis radiis fulgere cœpit Cardinalium Romanæ Ecclesiæ dignitas, cum præcipuas ipsis partes in Summi Pontificis electione tribuit Ecclesia. Id in Synodo Romana sub *Nicolao II.* anno 1059. decretum est. *Obeunte Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de electione tractantes, mox ipsi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedat. Quia vero Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideo supra se Metropolitanum habere non potest; Cardinales Episcopi proculdubio Metropolitani vice funguntur; qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehunt.* Eadem Synodus Canone 1. statuit *Ut electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium Episcoporum sit.* S. Petrus Damiani ad *Cadaloum* Antipapam scribens, ejus intrusionem damnandam probat, quod a Cardinalibus Episcopis non fuerit electus. *Taceamus interim de Senatu,* inquit, *de inferioris ordinis Clero, de populo; quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligant & quibusdam aliis prærogativis; non modo quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum atque Primatum Jura transcendunt.* Non tamen solos Episcopos, sed omnium ordinum Cardinales jus habuisse suffragii in electione Romani Pontificis, constat ex Decreto electionis *Gregorii VII.* quod ejus Epistolis præmittitur. Et *Alexander III.* in Concilio III. Lateranensi statuit duas partes Cardinalium in posterum fore necessarias, ut Romani Pontificis electio sit Canonica. Ipsis inconsultis fidei causas cæterasque majores quæstiones finiri nefas erat. Unde cum Gallicani Præsules Fidei Formulam contra errores Gilberti Porretani in Concilio Remensi, authore *S. Bernardo* proposuissent anno 1148. S. R. E. Cardinales ea de re apud *Eugenium III.* graviter expostularunt, ut refert *Otto Frisingensis* lib. I. *De Gestis Friderici*, cap. LVI. cujus verba Dissertatione X. profero.

Cardinalium dotes, & virtutes,

B. Petrus Damiani Cardinalis Episcopus Ostiensis Epistola I. lib. II. ad Cardinales Episcopos Lateranensis Ecclesiæ data, Eminentissimam Dignitatem eminentissimis virtutibus ornandam esse docet. *Nos itaque,* inquit, *Fratres mei, ut & me vobis audenter interferam: Nos, inquam, qui tamquam septem sumus oculi super lapidem unum, qui stellarum portamus imaginem, qui Angelorum tenemus per annuntiationis officium dignitatem, videamus, splendeamus, & verba vitæ populis, non solum vocibus, sed & moribus nuntiemus. Porro quia ad Lateranense palatium a diversis populis de toto terrarum orbe confluitur, necesse est ut ibi præ cæteris uspiam locis, recta semper vivendi sit forma, districta teneatur assidue sub honestis moribus disciplina.* Et ubi contra simoniam & ambitum declamavit, sic rursus ad ipsos convertit orationem: *Vos autem, Dilectissimi, quibus hæc & alia prava datum est ex Apostolicæ Sedis Authoritate corrigere, vosmetipsos cæteris non modo fidelibus, sed & sacerdotibus, quamdam vivendi regulam exhibete. In vita nostra legatur quid agi, quid vitari conveniat, &c. Quia igitur non modo Sacerdotes, sed & Sacerdotum vos decet esse magistros: necesse est ut vita vestra quædam sit linea, & velut adamantis signaculum, quod vivendi cæteris adhibeat formam..... Sic sic videlicet cum Petro claves Ecclesiæ merito facti participes obtinemus: dum nosmetipsos certam vivendi formam atque signaculum cæteris fidelibus exhibemus.*

Cardinalium vita Sacerdotibus & Fidelibus omnibus esse debet fundle vivendi norma.

Zelo gloria Dei & salutis animarum succensa esse debent Cardinalium pectora.

Idem Opusculo XXXI. Cap. VIII. exponit quantum in Cardinalibus studium salutis animarum esse debeat. *Romana,* inquit, *Ecclesia, quæ Sedes est Apostolorum, antiquam debet imitari Curiam Romanorum. Sicut enim tunc terrenus ille Senatus ad hoc communicabat omne consilium, in hoc dirigebat & subtiliter exercebat communis industriæ studium, ut cunctarum gentium multitudo Romano subderetur Imperio; ita nunc Apostolicæ Sedis Æditui, qui spiritales sunt universalis Ecclesiæ Senatores, huic soli studio debent solerter insistere, ut humanum genus veri Imperatoris Christi valeant legibus subjugare.*

Cardinales de toto orbe Christiano eligendi.

S. Bernardus lib. 4. De Consideratione, cap. 4. Eugenio Pontifici Maximo suggerit quales eligere debeat Cardinales. „ Veniamus, *inquit*, ad collaterales & coadjutores tuos... Tuum est undecumque evocare & asciscere tibi (exemplo Moysi) senes, non juvenes; sed senes non tam ætate quam moribus, quos tu nosti quia senes populi sunt. An non eligendi de toto orbe, orbem judicaturi? Sane huic negotio non se ingerat rogans. Consilio non prece agendum est.... Pro quo rogaris, sit suspectus. Qui ipse rogat pro se, jam judicatus est. Clericum curiam frequentantem, qui non sit de curia, ad idem noris pertinere ambientium genus. Adulantem, & ad placitum cujusque loquentem, unum de rogantibus, puta etiamsi nihil rogaverit.... Quærendi quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, utpote jam perfectis. Itaque non volentes neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes: Etiam coge illos & compelle intrare. In talibus, ut opinor, requiescet spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati; præter Deum tamen timeant nihil, nihil sperent nisi a Deo. Qui adventantium non manus attendant, sed necessitates. Qui stent viriliter pro afflictis, & judicent in æquitate pro mansuetis terræ. Qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, Catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in judicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti, in zelo sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi; in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, suæ non prodigi; ubique & in omnibus circumspecti. Qui legatione pro Christo fungi, nec jussi recusent, necnon jussi affectent. Qui quod verecunde excusant, obstinatius non recusent. Qui missi, post aurum non eant, sed Christum sequantur: Qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum; qui Regibus Joannem exhibeant, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phinees, Eliam Idololatris, Elisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant: divites non palpent, sed terreant: pauperes non gravent, sed foveant: minas Principum non paveant, sed contemnant. Qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant: Qui Ecclesias non spolient, sed emendent. Qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant: famæ provideant suæ, nec invideant alienæ. Qui orandi studium gerant, & usum habeant, ac de omni re orationi plus fidant quam suæ industriæ vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit: Quorum sermo ædificatio, quorum vita justitiæ, quorum præsentia grata, quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant, non verbo, sed opere: reverendos exhibeant, sed actu,

Quales?

Cardinalium virtutes, & efficacia.

non

non fastu. Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes, duros dure redarguant, malignantes coerceans; reddant retributionem superbis. Qui non de dote viduæ & patrimonio Crucifixi, se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui de tuo denique spiritu, illorum instar septuaginta Moysi accepisse cernantur, per quem sive absentes, sive præsentes contendans placere tibi, placere Deo. Qui ad te redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati: simul & gloriantes non quod curiosa seu pretiosa quæque terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem Regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis ordinem, clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

S. Thomas Cantuariensis, Epistola 46. lib. 1. S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales his verbis convenit: *Christi vicem gerere debetis in terra ... Decet vos esse vacuos ab omni offensa, ab aliena gratia penitus liberos, si recte tractatis aliena negotia; si loquimini veritatem in populo; si diligitis qui facitis Judicium in gente.*

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 558. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Inconsultis Cardinalibus Fidei causas, cæterasque majores Quæstiones finiri nefas erat.*

R. Sæculi XI. & XII. hæc erat disciplina, quæ etiamnum viget. Romanæ enim Ecclesiæ Cardinales sunt Summi Pontificis *collaterales*, & in Ecclesiæ Regimine *Coadjutores*, sunt *Universalis Ecclesiæ Senatores*, ut loquuntur *Sanctus Bernardus*, & *B. Petrus Damiani*.

Nota.

OBservat Thomassinus *Vet. & Nov. Eccl. discipl. t.1.l.3.c.* 8. *n.*12. *& c.* 50. *n.* 5. Collegium Cardinalium accuratam esse effigiem antiquissimorum ecclesiæ Capitulorum. Sicut vero moris erat Romanorum Pontificum presbyteros, diaconosque Ecclesiæ Romanæ, ejusdem capitulum constantes, non solum consulere de rebus ad Diœcesim, vel metropolim spectantes, sed de iis etiam quæ ad ecclesiam universalem pertinebant, ita certum est ad eumdem finem a Pontifice Cardinales acciri; unde *cap.* 10. ita habes: *Ratum porro illud fixumque est non aliter spectandum esse Romanorum Cardinalium S. Collegium, quam ut absolutissimam imaginem Cappitulorum primævæ ecclesiæ, & sanctioris disciplinæ. Non inscribuntur ei nisi episcopi, presbyteri, diaconique, atqui prisco more possint in senatum ecclesiæ universalis, & in Concilium summum Pontificis accersiri.*

Non proinde tamen verum est ita necessarium esse S. R. E. Cardinales Romanum Pontificem in fidei controversiis dirimendis consulere, ut absque ipsorum consilio, legitimæ non essent ipsius definitiones. Ipsi Pontifici definienti concessum est in persona Petri, ut numquam ipsius fides deficiat, quapropter etsi semper in rebus arduis Augustissimum Cardinalium Senatum audiat, minime tamen id necesse esse ut Pontificis definitiones infallibiles habeantur, unicuique compertum erit. Profecto infallibilitatem Papæ definientis non ex aliis agnoverunt PP. nisi quia etiam ad ipsum illius orationis effectus pertransiit, qua Christus Patrem rogavit ne Petri fides deficeret, ut ita Fratres nutantes posset confirmare; vel quia super Petrum ejusque Successores Ecclesia fuit ædificata, quapropter necesse erat hujusmodi fundamentum non posse corruere; vel quia Petro, ac Romanis Pontific. Christi Agnos pascendi cura fuit demandata, unde oportebat nonnisi salutaria pascua præbere potuisse. Videantur quæ dixi tom. 5. p. 262. & seq. ubi Pontificis infallibilitatem propugnavi. Omnia vero præfata Personæ Petri, ac Romanorum Pontificum, quatenus sunt universales Pastores ac Magistri, infallibilitatis privilegium collatum demonstrant, non vero cœtui alicujus particularis Ecclesiæ, quale esset Cardinalium Collegium Ecclesiam Romanam repræsentans. Oportet quidem Pontificem temere non definire. At nonne absque temeritare e Cathedra loqueretur, si neque sibi etsi doctissimo fidens non Cardinales, sed alios præclaros Magistros, Præsulesque adhiberet?

ARTICULUS III.

De Primatibus.

§. I.

De Primate Lugdunensi.

LUgdunensis Ecclesiæ antiquitatem ac nobilitatem Historia Ecclesiastica *Eusebii* commendat. Hanc *SS. Pothinus* & *Irenæus* Sacerdotio suo illustrarunt, Martyres innumeri sanguine consecrarunt. Hanc *Lotharius I.* Imperator in Rescripto quo Saviniacum Monasterium illi contulit anno MCCCLIV. *Primam Gallorum Ecclesiam* vocat. Synodus Cabilonensis II. in Decreto de purgatione *Gerfredi* Monachi anno MCCCXCIV. *Aurelianum* Lugdunensem Archiepiscopum *Primatem omnium Galliarum* appellavit. *S. Odilo* Cluniacensis Abbas in Vita *S. Majoli* urbem Lugdunensem *Philosophiæ nutricem & matrem* appellat, *& quæ totius Galliæ ex antiquo more & Ecclesiastico Jure non immerito retineret arcem*. Gregorius VII. Pontifex Maximus *Gebaino* Lugdunensi Archiepiscopo & ejus Successoribus Primatum in quatuor Provincias, Lugdunensem nimirum, Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem contulit, immo se confirmare professus est Diplomate dato Romæ III. Kalendas Maii anno 1079. *Postulasti a nobis*, inquit, *quatenus dignitatem ab Antecessoribus nostris concessam Ecclesiæ, cui Deo authore præesse dignosceris, confirmaremus, & quæque sua ab infestatione hostili Apostolicæ Sedis defensione tueremur, inclinati precibus tuis, confirmamus Primatum super Provincias Lugdunensi Ecclesiæ tuæ, & per eam tibi, tuisque successoribus*.

Novum Primatum coluit *Rodulfus* Archiepiscopus Turonensis, qua de re ipsi, ejusque Suffraganeis *Gebuinus* gratulatus est: *Reverentiæ*, inquit, *& subjectionis, quam, o sanctissimi Confratres, Ecclesiæ Lugdunensi non denegatis, immo matrem & dominam more bonæ sobolis vocatis, Dominus Papa Gregorius gratias vobis non minimas refert; nos vero quas possumus vobis ad præsens reddimus, fidem sine mora facturi dictis, si Fraternitas vestra postulaverit.* Novum jugum subire renuit *Richerius* Senonensis Archiepiscopus. Quam ob rem *Urbanus II.* in Synodo Claromontana *Gregorii VII.* Decretum confirmavit, & Senonensem ac Rothomagensem Archipræsules, nisi *Hugonem* qui in Sede Lugdunensi *Gebuino* successerat, ceu Primatem revererentur, Pallii privatione multavit, eorumque authoritatem in Suffraganeos suspendit. Aberat uterque. Ipsorum interim Suffraganei obedientiam Apostolicis Mandatis professi sunt. Ista constant ex Decreto *Urbani II.* & Synodi Claromontanæ, edito ab Illustrissimo Archipræsule *Petro de Marca* in Dissertatione *De Primatibus*. Pontificis & Synodi Judicio non paruit *Richerius*, quamvis *Ivo Carnotensis*, Ecclesiæ Senonensis Suffraganeus, ipsi author esset ut Sententiæ Synodicæ ac Pontificiæ pareret, donec Instrumentis authenticis Ecclesiæ suæ vindicare posset Libertatem. Sic ille Epistola L. *De veteri querela quam habet adversus Senonensem Ecclesiam Lugdunensis Ecclesia, laudo & consulo, ut si qua habetis Privilegia Apostolica manu roborata, vel Scripta authentica, quæ Primatum Lugdunensis Ecclesiæ quam aliquando ex Catalogis civitatum conjicimus extitisse, ab Ecclesia vestra removeant; & libertatem quam desideramus, eidem Ecclesiæ defendant, ea Confratribus nostris ostendatis, & eadem Parvitati nostræ transmittatis, quibus tamquam firmis sustentaculis innitamur, & libertatem Matris nostræ pro posse nostro tueamur. Quæ si modo ad manum non habetis, non est consilium meum ut contra torrentem brachia dirigatis, immo Apostolicis Sanctionibus inte-*

Ivo (margin: *Tra'eat Yvonis Carnotensis consilium Richerio Senonensi Archiepiscopo datam.*)

interim acquiescatis absque prajuditio Privilegiorum vel authenticarum Scripturarum, si quando reperiri potuerunt, qua hanc subjectionem ab Ecclesia vestra removeant, & ejusdem Ecclesiæ libertatem defendant. Qui melius sentiunt, melius consulant. Hoc tantum provideant, quia rerum exitus prudentia metitur, ut ab imminenti gladio caput vestrum eripiant. Richerii pertinacia *Yvonem* coegit ut, secundum *Urbani II.* & Synodi Claromontanæ Decretum, ipsi obedientiam negaret. Unde cum Aurelianensis Clerus *Sancionem* ejusdem Ecclesiæ Decanum, virum ætate gravem & moribus maturum, Episcopum elegisset, & a *Richerio* Yvo cum cæteris Episcopis Comprovincialibus, ad Castrum Nantonense pro Electi consecratione vocatus fuisset, parere recusavit, ut ipse testatur Epistola LIV. *Quem*, inquit, *cum a nobis ex admonitione Senonensis Archiepiscopi consecrari postulasset apud Castrum Nantonense, quod est juxta Parochiam Senonensem, omnino recusavimus, propter Primatum Lugdunensis Ecclesia quem irrationabiliter refutat illa Sedes, & interdictam Sedes Apostolicæ.* Consecratus est *Sancio* Carnoti ab *Yvone*, cæterisque Provinciæ Senonensis Episcopis, Aurelianensi Clero & Rege rogantibus.

Ecclesia Senonensis Libertatem suam pro viribus vindicat.

Post obitum *Richerii*, *Daimbertus* in Archiepiscopum Senonensem electus est anno MXCVI. quem sibi sisti jussit ac obedientiam profiteri *Hugo* Lugdunensis Archiepiscopus & Primas, antequam consecraretur, & Apostolica Authoritate prohibuit ne ante manus ipsi imponerent Provinciæ Senonensis Præsules, quam id officii Ecclesiæ Lugdunensi præstitisset. Ægre paruerunt illi. Omnium nomine rescripsit *Yvo Carnotensis*, Epistola LX. Rem insolitam, & nullo jure, nulla consuetudine fultam ipsum postulare. Id ipsi non deberi nec ratione Primatus, nec Apostolicæ Legationis. *Cum ergo*, inquit, *tam ista quam alia generalia Instituta tam absolute consecrationem Metropolitani contineant, miramur cum privatis legibus & novis traditionibus veteres traditiones & consuetudines removere contenditis; præcipiendo ut Senonensis Electus ante consecrationem suam vobis præsentetur, & jure Primatus vestri subjectionem & obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonensi Provincia, nec in aliis Provinciis antiquitas instituit, nec consuetudo servavit ..... Quod si Privilegio vestræ Legationis eum vobis contenditis præsentari, qui nec apud nos, nec apud vos ab aliquo est accusatus, non ita Papa Leo Anastasio instituit Thessalonicensi Episcopo Vicario suo, sed ut tantum de nomine Electi ad notitiam ejus Provinciales referant Sacerdotes: ipse autem nullis difficultatibus, nullis dilationibus justas fatigaret electiones.* Quamobrem rogavit ut liberam *Daimberti* Consecrationem Comprovincialibus permitteret Episcopis. *Nunc vero*, inquit, *specialiter ad hoc intendit stylus meus, ut Electum Senonensis Ecclesia, si nihil in eo, quod Sacris Canonibus obviet, repertum fuerit, secundum morem antiquum consecrari permittatis: Quia de tantillo jure cedere, quod habent Ecclesiæ nostræ, nec volumus, nec debemus.* Se ipsi persuasurum pollicetur ut Primatum Lugdunensis Ecclesiæ colat: Quod si renuerit, se & Coepiscopos Sedis Apostolicæ Mandatis parituros. *Quod si huic petitioni nostra adquieveritis, Consecrato omni studio persuadebimus, ut Primatum Lugdunensis Ecclesia recognoscat, vobis sicut Primati suo deferat, & omnem debitam reverentiam secundum Traditiones Patrum exhibeat. Qui si adquiescere noluerit nostris persuasionibus, nos tamen ab his qua præceperit Apostolica Sedes, non recedemus.*

Interim *Urbanum II.* Pontificem Maximum ea de Controversia certiorem fecit, ejusque voluntatem exploravit *Yvo Carnotensis*, Epistola 65. *De Senonensi Electo*, inquit, *cujus consecratio a Legato vestro Lugdunensi Archiepiscopo ob hoc impeditur, quia ei Jure Primatus sui, ante consecrationem suam obedientiam non profitetur, quid nobis agendum sit, rescribat vestra Paternitas. Cum enim nulla aliquo accusante, alia causa prætenderetur, propter quam ejus consecratio differretur, eo tamen jubente, propter reverentiam vestram, manus ab ejus consecratione continuimus, cum de Professione a Metropolitanis Primatibus facienda nihil legamus consuetudine firmatum, vel legibus institutum: ultra quas metas nihil concessum esse Primatibus testatur Papa Nicolaus.* Daimbertus Romam profectus, in ipsa Urbe consecratus est ab *Urbano II.* Paulo post ad Synodum ab eodem Pontifice vocatus, causa Lugdunensis, & Senonensis Ecclesiæ iterum discussa, & Sententia secundum Lugdunensem a Pontifice prolata, profiteri coactus est se Lugdunensis Archipræsulis Primatum reveriturum, eique pariturum. Id docet *Urbani II.* Epistola ad *Hugonem* Archiepiscopum Lugdunensem. „ Ea causa, *inquit*, in Plenario Arvernensi Concilio tractata ac definita est. Et cum Richerius Senonensis Archiepiscopus Synodali Definitioni minime acquievisset, in Turonensi pariter ac Nemausensi Concilio per tuam est industriam repetita. Et supra dictus quidem Richerius pro sua pertinacia interdictus obiit, Suffraganeis ejus tibi tamquam Primati, & Synodali Judicio obedientiam jam professis, Frater autem noster Daimbertus, qui eidem nunc Ecclesiæ disponente Domino præsidet, sicut tibi nostris significatum est literis sub eadem querela per Ministerium meum gratiam consecrationis accepit. Nuper autem cum ad Apostolorum limina, tam pro ejusdem causæ actione, quam pro communi Synodica vocatione rediisset, præsentibus Legatis tuis, Sedis Apostolicæ cogente Judicio, omni demum tergiversatione cassata, in manu nostra professus est se & Lugdunensis Ecclesiæ super Senonensem Primatum cognoscere, & de cætero tibi, tuisque legitimis Successoribus tamquam Primatibus obedire. Similiter etiam pollicitus est statuto a nobis tempore, id est, usque ad proximam B. Dionysii Solemnitatem, se ad vos venturum & in conspectu Lugdunensis Ecclesiæ idipsum ore proprio professurum. Id factum anno 1099. *Daimbertum* promissa implevisse discimus ex *Goffrido* Abbate Vindocinensi, Epistola 18. libri 2.

(margin: *Edita est a D. de Marca in Dissert. De Primatibus.*)

Joannes, Hugonis in Sede & Primatu Lugdunensi Successor, novam controversiam excitavit, Concilium de Laicorum Investituris apud *Ansam* indicens, ad quod ipsius Provinciæ Senonensis Episcopos evocavit. Omnium nomine rescripsit *Yvo Carnotensis*, id juris non convenire Primatibus ut Episcopos ad alienæ Provinciæ Concilium vocent, nisi ex Mandato Sedis Apostolicæ, aut in causa appellationis, si una ex Provincialibus Ecclesiis Primam Sedem appellaret „ Nusquam, *inquit*, reverenda Patrum sanxit authoritas, nusquam hoc servare consuevit antiquitas, ut Primæ Sedis Episcopus Episcopos extra Provinciam propriam positos invitaret ad Concilium; nisi hoc aut Apostolica Sedes imperaret, aut una de Provincialibus Ecclesiis, pro causis quas intra Provinciam terminare non poterat, Primæ Sedis audientiam appellaret. Quod non de corde nostro prophetamus, sed Apostolica Authoritate muniti, irrefragabilibus sententiis approbamus. *Hæc ille Epistola* 236.

Pro Senonensis Ecclesiæ libertate adversus Lugdunensem Primatum *Ludovicus VI.* Rex Christianissimus apud *Callistum II.* intercessit, data ad ejus Sanctitatem Epistola, anno 1121. Edita est Tomo III. Spicilegii Dacheriani pag. 147. „ De Sententia, *inquit*, in Metropolitanum Senonensem pro nostro honore relaxata animum nostrum ex parte mitigastis; sed quoniam ad tempus est relaxata, suspensum vehementer ac dubium reddidistis. Videtur enim aliquam adhuc spem habere Lugdunensis Archiepiscopus super illa quam quærit subjectione: Sed, ut verum fatear, sustinerem potius Regni nostri totius incendium, capitis etiam nostri periculum, quam novæ subjectionis & abjectionis opprobrium. Videtur enim ad nostrum respicere contemptum, contra nos hoc modo fieri, quod nusquam extiterit factum...... Si quid igitur valet, si quid potest apud vos amor noster, & obsequium nostrum, rogamus & petimus ut Senonensis Ecclesia, quæ ab ipsa, de qua nunc pulsatur, subjectione hucusque aliena extitit & libera, per vos non fiat ancilla: sed antiqua ejus libertas Authoritate Apostolica roboretur, & Privilegii firmitate muniatur; in quo tamen nihil a vobis contra justitiam exigitur. Si enim opponitur quod Veterum institutio Lugdunensi Ecclesiæ Primatum contulerit, respondetur ex opposito quod antiquæ libertatis possessio Senonensem Ecclesiam ab ejus subjectione defendit. Quod enim antiqua possessione acquiritur, nullo, ut fertur,

jure

„ jure adimitur, etiam si de jure Romanæ Ecclesiæ fuisse cognoscitur. Hac igitur ratione Senonensis Ecclesiæ libertas remanere debet inconcussa & intacta, nec pulsari aut violari debet pro subjectione noviter & imprudenter facta. Facta est enim, ut dicitur, latenter & quasi furtive subjectio ista, nesciente scilicet Clero Senonensi, inconsultis etiam Episcopis illius Diœcesis, ignorante etiam Rege, in quibus omnibus dignitas pendet Ecclesiæ; & subjectio taliter facta respicere potius videtur ad ignominiam male accipientis, quam ad commodum Ecclesiæ nescientis. Res enim communis communi tractanda est consilio, non latenti & privato terminanda colloquio. Cum igitur dignitas sit Ecclesiæ, non personæ, si Senonensis Archiepiscopus iste, & quidem solus, de non sua fecit quod non oportuit, si promisit quod non debuit; Ecclesia tamen Senonensis. quod suum est, non amisit, nec privatam libertatem quam ex antiquitate habuit; nec cogenda est ad subjectionem quam numquam exhibuit. His ita se habentibus, videat, Dulcissime Pater, Discretio vestra, ne civitas Lugdunensis, quæ de alieno est Regno, de nostro floreat detrimento, nec subjiciatur amicus amico; quia si decipitur pro amico amicus, juste fiet de amico inimicus. Rex ergo Franciæ qui proprius est Romanæ Ecclesiæ filius, si in facili causa, si in levi petitione contemnitur, nulla spes in majori relinquitur, nec ulterius in aliis patietur repulsam, si in istis sustinet repulsionis offensam.

Lugdunensis jugum Primatis excusserant Archiepiscopi Senonenses anno 1149. quo *Humbertus* Lugdunensis Archiepiscopus a *Sugerio* Sandionysiano Abbate supremo Regni Administro Carnutum ad Synodum seu Conventum Regni vocatus, ubi de Orientalis Ecclesiæ subsidiis deliberandum erat, absentiam excusavit, quod salva dignitate in eum locum se conferre non posset, ubi non agnoscebatur ejus Primatus. *Verum*, inquit, *quia nos pro officio Primatus, ex parte Domini Regis & Optimatum Regni ad colloquium, quod apud Carnutum celebrari debet, invitastis, sciat Caritas vestra, quod donec Senonensis Archiepiscopus in eadem causa Primatus nobis derogare non veretur, & Apostolicis Mandatis contumax & rebellis existit, pudor nobis est ad illas progredi partes, ubi Domino Papa contradicitur, & Lugdunensis Ecclesia debito honore fraudatur*. Est inter *Sugerii* Abbatis Epistolas 134. apud *Duchesnium* Tom. IV. Veterum Scriptorum Historiæ Francorum.

Cur Senonenses Archiepiscopi a Primate Lugdunensi colendo tam alieni fuerunt.

Ideo autem tam alieni fuere his temporibus a colendo Primate Lugdunensi Archipræsules Senonenses, quia Lugdunensis Primatus novo jure institutus erat, & apocryphis Notitiis & Decretalibus ipsi aliquis antiquitatis fucus inducebatur: tum etiam quia olim *Ansegisus* Senonensis Archiepiscopus, & *Seguinus* ac *Leothericus* ejus Successores, dignitate Primatus a Sede Apostolica ornati fuerant, & hæc Privilegia personalia non fuisse, sed Ecclesiæ Senonensi collata contendebant Archipræsules Senonenses: Tandem quia Lugdunum Regi Francorum non parebat: Præsules autem Gallicanos, & Senonensem in primis, cui ut Metropolitano subditus erat Regiæ Urbis Episcopus, ejus parere Primatis Imperio, qui Regis Christianissimi subditus non esset, durius videbatur. Quam ob rem *Ludovicus VI.* adversus Lugdunensem Primatum pro Senonensis Ecclesiæ libertate apud *Callistum II.* intercessit. Hinc *Philippus Augustus* ad *Innocentium III.* scribebat his verbis: *Sola Bituricensis Ecclesia in toto Regno nostro Primatus obtinet dignitatem*. Attamen eo regnante, Lugdunensis Primatus colebatur, & ad illius Sedis Archipræsules appellabatur a Sententiis Metropolitanorum, ut testatur Guillelmus Britto:

Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Ut fama est, Pastore regi, causasque referre
Difficiles, ut ibi lis ultima litibus esset:
Nec mittebatur Romam lis ulla, nisi quam
Lugdunense forum per se finire nequisset.

Verum Lugdunensis Primatus Regia etiam authoritate firmatus est, cum Civitas Lugdunensis a Rege *Philippo Pulchro* Gallicanæ Monarchiæ vindicata est, conventione facta cum Archiepiscopo & Capitulo Lugdunensi, penes quos erat antea Urbis dominium, a *Friderico I.* Imperatore concessum *Heraclio* Archiepiscopo Lugdunensi.

Rothomagensis Archiepiscopus uni Romano Pontifici immediate subjectus.

Rothomagensem Archiepiscopum, aut numquam, aut non diu Lugdunensi Primati paruisse, sed Romano Pontifici immediate fuisse subjectum, & Primatis titulo in Provincia sua ornatum, colligitur ex *Orderico Vitali* lib. XIII. Historiæ Ecclesiasticæ ad annum 1135. ubi de *Innocentio II.* Pontifice Maximo loquens ait: *Hugo Rothomagensis Archiepiscopus ipsum summopere adjuvit & ab eodem honoratus, Primatum super multos Pontifices accepit*. Anno 1226. teste *Matthæo Paris* in Historia Anglicana, cum *Romanus* Sedis Apostolicæ Legatus Concilium Bituricense congregasset, *Quoniam Lugdunensis Archiepiscopus vendicabat sibi Primatum super Archiepiscopum Senonensem & Rothomagensem, & Bituricensis super Auscitanensem, & Narbonensem, timebatur de discordia, & ideo non fuit sessum quasi in Concilio, sed ut in Consilio*. Ita emendandum locum illum *Matthæi Paris* recte monet vir multæ & exquisitæ eruditionis *P. Ludovicus Thomassinus* Oratorii Sacerdos Parte IV. Disciplinæ Ecclesiasticæ lib. 1. can. 10. num. 11. non prout legitur in editis: *Et Rothomagensis super Bituricensem, Auxianensem, Narbonensem*. Inde vero patet Rothomagensem Archiepiscopum tunc temporis Lugdunensi Primati minime paruisse. Anno 1232. *Gregorius IX.* Pontifex Maximus ad *Ludovicum IX.* Regem Christianissimum scribens pro Archiepiscopo Rothomagensi, cujus bona Regii Ministri occuparant, Ecclesiæ Rothomagensis antiquam libertatem prædicat, unique Romano Pontifici illius Archipræsulem subesse asserit. *Gravem siquidem*, inquit, *Venerabilis Fratris nostri Rothomagensis Archiepiscopi recepimus quæstionem, quod cum in spiritualibus & temporalibus nullum post Deum præter nos Judicem habeat; de antiqua Rothomagensis Ecclesiæ libertate, ac ipsius consuetudine hactenus observata.... Ipsum ad tuam præsentiam evocans, eum inducere voluisti, ut super eo, quod in quosdam excommunicationis sententiam promulgarat, ac quibusdam aliis articulis, sub tuo examine responderet*. Refertur ab *Oderico Raynaldo* ad annum 1232. num. 26. *Callisto III.* Pontifice Maximo rursus de Primatu inter Archiepiscopos Rothomagensem & Lugdunensem certatum est. Pontifex eam litem Cardinali *Dominico Capranica* judicandam commisit: *Qui rite & recte procedens per diffinitivam Sententiam Rothomagensem Ecclesiam ejusque Suffraganeos atque suppositos, Romanæ Ecclesiæ immediate, & nulli alteri Primatiali jure subesse, ipsi Archiepiscopo Lugdunensi super prætenso primatiali Jure perpetuum silentium imponendo pronuntiavit: quæ quidem sententia, nulla saltem legitima provocatione suspensa, in rem transivit judicatam*. Verba sunt *Callisti III.* apud *Odericum Raynaldum* ad annum 1458. num. 37. Cardinalis *Dominici* Sententiam confirmavit Pontifex, & Lugdunensi Archiepiscopo, ejusdemque Ecclesiæ Procuratoribus, qui ad Regium Tribunal ea de re provocare ausi fuerant, sub Anathematis interminatione silentium indixit.

§. II.

De Primate Viennensi.

Primatus in septem Provincias Archiepiscopo Viennensi a Callisto II. collatus.

Vienna quondam Regni Burgundiæ Sedes, ejusque Archiepiscopus Comes & Cancellarius Regni, tum *Friderici II.* beneficio Sacri Palatii Archicancellarius, a *Callisto II.* Pontifice Maximo nova dignitate auctus est. Is enim Viennensi Ecclesiæ, cujus ante assumptionem suam Archipræsul fuerat, Primatum in septem provincias contulit, Viennensem, Bituricensem, Burdigalensem, Auscitanam, Narbonensem, Aquensem, & Ebredunensem, quarum in capite *Civitatum Viennensium* Notitia adscriptam habebat. Tarentasiensem etiam Archiepiscopum, qui Provinciæ Alpium Penninarum Metropolitanus erat, Viennensi ut Primati subjecit, *S. Leonis & Symmachi* exemplo. Et ut antiquam potius confirmasse dignitatem, quam novam instituisse videretur, a Silvestro I. & aliis Ponti-

tifi-

tificibus ejus originem arcessit, quorum supposititia Rescripta seu veros prisci honoris titulos spectabat. *Sanctam*, inquit, *Viennensem Ecclesiam diligere, honorare, & B. Petri patrocinio decrevimus confovere. Omnem itaque dignitatem & omnem munitionem ac liberalitatem, quam vel per authentica prædecessorum nostrorum, Silvestri, Nicolai, Leonis, Gregorii, & cæterorum Romanorum Pontificum privilegia, vel per Imperatorum, Regum, Principum, & cæterorum fidelium largitionem concessam obtinet, Nos quoque authore Deo concedimus, & præsentis privilegii pagina confirmamus: ut videlicet super septem Provincias Primatum obtineat, super ipsam Viennensem, super Bituricam, Burdegalam, Auxitanam, quæ Novempopulitana dicitur, super Narbonam, Aquensem, & Ebredunensem, & in eis Viennensis Archiepiscopus Romani Pontificis vices agat, Synodales Conventus indicat, & negotia Ecclesiastica juste canoniceque definiat. Porro illa sex oppida, vel civitates, Gratianopolis videlicet, Valentia, Dia, Alba Vivarium, Geneva, Maurienna, in ejus tamquam in proprii Metropolitani obedientia & subjectione permaneant. Tarentasiensis autem Archiepiscopus, licet aliquibus habeatur ex Apostolica Sedis liberalitate prælatus, Viennensi Archiepiscopo tamquam Primati suo subjectus obediat.* Hoc diploma dedit *Callistus* anno Christi 1120. 5. Kalendas Martii cum Valentiæ in Galliis versaretur. Rescripto *Callisti* freti Viennenses Archipræsules se *Primates Primatum* inscripserunt, quippe qui Bituricensem Ecclesiam, Primatu in Aquitania ornatam, & Narbonensem, quæ *Urbani II.* Decreto Primatu in Provinciam Aquensem seu Narbonensem secundam aucta erat, subditas se habere gloriabantur. Unde & monetæ, quam cudi curabant Viennæ ut urbis Comites, hanc inscriptionem adjecere: *Maxima Sedes Galliarum*. Verum cum antiquis Primatibus & Metropolitanis inauditis editum esset *Callisti II.* Decretum, vim nullam obtinuit. Diensem dumtaxat & Vivariensem Episcopatus ab Arelatensi Provincia distractos Metropoli suæ subdidit.

Callisti II. Decretum vim nullam obtinuit.

§. III.

De Toletano Primate.

Cum *Ildefonsus* seu *Alphonsus VI.* Rex Castellæ Toletum a Maurorum tyrannide, sub qua per trecentos sexaginta & octo annos gemuerat, liberasset, *Urbanus II.* Pontifex Maximus Pallium & Primatum *Bernardo* Archiepiscopo Toletano per totam Hispaniam contulit, anno 1088. persuasus se priscam Ecclesiæ Toletanæ potius excitare dignitatem, quam novam conferre. *Teque*, inquit, *secundum quod ejusdem urbis constat extitisse Pontifices in totis Hispaniarum Regnis Primatem privilegii nostri Sanctione statuimus, & Primatem te universi Præsules Hispaniarum recipient, & ad te, si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent.* Ad Ildefonsum vero Regem scribit: *Fratrem Bernardum venerabilem ejusdem urbis præsulem, tuis exhortationibus invitati, digne ac reverenter excepimus, & ei Pallium contradentes, Privilegium quoque Toletanæ Ecclesiæ antiquæ Majestatis indulsimus. Ipsum enim in totis Hispaniarum Regnis Primatem statuimus, & quidquid Toletana Ecclesia antiquitus noscitur habuisse, nunc quoque ex Apostolicæ Sedis liberalitate in posterum habere censuimus.* Tarraconensis Archiepiscopus adversus privilegium istud quasi subreptitium reclamavit, certus Archiepiscopos Toletanos nullam olim jurisdictionem in cæteris Hispaniæ provinciis exercuisse; quam tamen ut ipsis antiquo jure & consuetudine debitam restituere se scribebat *Urbanus*. Quare jussit Pontifex ut Tarraconensis Archipræsul Toletano Primati sine cunctatione pareret. *Memineris*, inquit, *ita te Archiepiscopum institutum, ut tam tu, quam universi Provinciæ Tarraconensis Episcopi Toletanæ tamquam Primati debeatis esse subjecti. Sic enim a nobis in Toletanæ Ecclesiæ Privilegio constitutum, est quod nos omnino ratum volumus permanere.* Reclamavit etiam Archiepiscopus Narbonensis. Ideo Pontifex ad querelas hujusmodi compescendas Legationem Sedis Apostolicæ per universam Hispaniam & Provinciam Narbonensem *Bernardo* Toletano Archiepiscopo commisit, quo facilius authoritatem colerent, quæ ipsius personæ, non Sedi collata, nec ad successores transmittenda videretur. *Et*, inquit, *nostræ solicitudinis vices in Hispania universa, & in Narbonensi Provincia ministrandas injunximus.* Provinciæ vero Tarraconensis Præsulibus injunxit; *Ut Toletano sicut Primati reverentiam exhiberent, donec Narbonensis Archiepiscopus se eorum Primatem fuisse, certa posset authoritate monstrare.* Ita enim Toletani Archiepiscopi dignitatem auxit Summus Pontifex, ut Metropolitanorum Privilegia salva & integra esse vellet. *Toletanum siquidem Archiepiscopum Privilegii nostri authoritate Primatem in totis Hispaniarum Regnis fore decrevimus, salva Sedis Apostolicæ authoritate, & Metropolitanorum Privilegiis singulorum. Si quid igitur inter vos grave contigerit, quia ab Apostolica Sede procul estis, ad eum velut ad Primatem vestrum omnium recurretis, ejusque Judicio quæ vobis sunt gravia terminabitis. Quod si quid forte ipsius quoque judicio nequiverit definiri, ad Apostolicam Sedem, ut dignum est, velut Sedium omnium Principem referetur.*

Tom. X. Concil. Edit. P. Labbè pag. 459. & 460.

Urbanus II. Toletanum Archiepiscopum totius Hispaniæ Primatem instituit, salvis Metropolitanorum juribus.

Paschalis II. Gelasius II. Calistus II. Eugenius II. Anastasius IV. & Hadrianus IV. Alexander III. & Innocentius III. Toletanum Primatum *per Hispaniarum Regna* confirmarunt. Decessorum suorum vestigiis insistere se professus est *Innocentius* qui hanc Ecclesiæ Toletanæ asseruerant dignitatem. In Concilio Lateranensi IV. sub eodem Pontifice de Primatu Ecclesiæ Toletanæ disceptatum est, quem agnoscere Tarraconensis, Bracarensis, Compostellanus, & Narbonensis Episcopi recusabant. Productæ pro Ecclesia Toletana veteres Pontificum Romanorum & Conciliorum tabulæ: Producta argumenta ab ipsa prima Hispaniæ ad Christum conversæ antiquitate. Roderici Orationem cum Bracarensis qui aderat, & Ausetanus Episcopus pro Tarraconensi refellere aggressi essent, abessent alii quorum intererat, lite integra discessum est, neutro inclinatis sententiis. Roderico tantum Legati Pontificii partes per Hispaniam decennio implere datum concessumque, si quando Hispalis piorum armis cederet, Toletano Episcopo subdita esset quasi Primati. Verba sunt *Marianæ* lib. 12. *De rebus Hispaniæ*, cap. 4. Legere præstat quæ de ejusdem Primatus origine disserit accuratus & elegans historicus lib. 9. cap. 19. Eorum opinionem refellit, qui Ecclesiæ Toletanæ Primatum ad ipsa Apostolorum tempora referri contendunt. Observat insuper quinque Archiepiscopos in Hispania extitisse olim, qui aliquando Metropolitani, aliquando Primates dicti sunt, diverso nomine, sententia non alia: Tarraconensem, Bracarensem, Emeritensem, Hispalensem, Toletanum: & præter hos Narbonensem in Gallia Gothica, quæ Gothorum tempore Hispaniæ contributa erat. Hos æquo jure parique potestate subnixos, nullius majoris, præterquam Romani Pontificis Imperio devinctos fuisse. In Conciliis eum obtinuisse locum, quem ordinationis antiquitas dabat. Toletanorum Episcoporum authoritatem crescere cœpisse, cum Hispaniam universam Gothi in potestatem redegere, imperiique Sedem Toleti constituerunt. Futuræ amplitudinis haud obscura fundamenta posita fuisse in Concilio Toletano septimo, cujus postremo canone sancitum est, ut vicini urbis Episcopi admoniti a Metropolitano, singulis per annum mensibus Toletum veniant, messis dumtaxat & vindemiæ feriis exceptis. Ab his initiis Toletanorum Præsulum crevisse authoritatem, prorsus ut Ervigio Rege Concilii Toletani duodecimi Patres Canone sexto decreverint, Episcoporum Hispaniæ electiones, quas Rex facere consueverat, Toletani Præsulis judicio assensuque ratas fore. Ex eo tempore Toletanos Archiepiscopos primum sedendo subscribendoque locum in Conciliis Hispaniæ obtinuisse; non tamen alia Primatum Jura, insignia dignitatis, aut jurisdictionem ampliorem. Observat tertio, Toletana urbe Mauris erepta, *Bernardum* Archipræsulem ab *Urbano II.* Primatis dignitatem obtinuisse. *Urbani* judicium *Paschalem & Gelasium* ejus in Pontificatu successores novis diplomatibus comprobasse. *Callistum II.* Toletani Primatus authoritatem imminuere visum, cum Emeritensis Metropolitani dignitatem

Innocent. III. Reg. 10. Epist. 85. Reg. 14. Epist. 57.

Qua ratione crevit Archiepiscopi Toletani authoritas?

tatem in Compostellanum Episcopum transtulit, quem a Toletaoi Præsulis eacmpium imperio, auait Legati Pontificii majestate in Provincias Emeritensem & Bracarensem. Honorium II. Innocentium II. Cœlestioum II. Lucium II. & Eugenium III. Toletanum Primatum confirmasse. Hadrianum quartum novo diplomate eumdem sanxisse, Compostellano abrogato. Tum Joannem Bracarensem Episcopum, qui Toletano de Primatu litem intenderat, Toletum venisse, & in ejus verba jurare compulsum, ejusque Imperium colere. *Alexandrum III.* exemptionis Privilegium Compostellano Præsuli ab *Anastasio IV.* concessum abrogasse, & *Cerebruno* Toletano Archiepiscopo Primatum in tota Hispaniarum regione confirmasse. Io Concilio Œcumenico Lateranensi IV. sub *Innocentio III.* litem a *Roderico* Toletano Archipræsule disceptatam qui reliquos Hispaniæ Metropolitanos vicit: non ita tamen ut Primatus confirmationem a Patribus obtineret, sed ut res eo in statu manerent, quo ante Synodum fuerant. Concludit tandem vir doctissimus, *Toletanos Præsules Primatum jura & authoritatem obtinuisse, ex quo tempore a Mauris Toletum recepta est: numquam defuisse tamen qui obsisterent authoritati, detrectarent imperium: ac ne nunc quidem præter nomen ullam ejus potestatis partem exercent in alias Provincias Hispaniæ: neque componendis certe litibus, neque sontibus plectendis, neque legibus promulgandis.*

§. IV.

De Primatu Cantuariensi.

Cantuarienses Archiepiscopos jam olim Primatum super omnes Angliæ Præsules obtinuisse ac exercuisse, testatur *Joannis* Papæ Diploma *S. Dunstano* Cantuariensi Archiepiscopo inscriptum, & ab *Eadmero* relatum lib. 5. Historiæ Novorum, pag. 97. *Primatum tuum*, inquit, *in quo tibi ex more Antecessorum tuorum, vices Apostolicæ Sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, sicut B. Augustinum ejusque Successores, præfatæ Ecclesiæ Pontifices plenius habuisse dignoscitur.* Anno Christi 1070. *Lantfranco* ad Cantuariensem Archiepiscopatum assumpto, controversia de Primatu inter Cantuariensem & Eboracensem Ecclesiam moveri cœpit. „ Thomas Eboracensis Ecclesiæ Antistes electus Cantuariam ex prisca „ consuetudine ab eo sacrandus advenit. A quo cum „ Lantfrancus scriptam de obedientia Professionem, „ cum adjectione Jurisjurandi, custodito Antecessorum suorum more exposceret, respondit Thomas „ se id numquam facturum, nisi prius scriptas de „ hac re authoritates legeret, nisi testes hujus antiquitatis assertores cerneret: Postremo nisi congruas super hac re rationes audiret, quibus id juste & rationabiliter sine suæ Ecclesiæ præjudicio „ facere deberet. Lantfrancus in præsentia paucorum „ Episcoporum, qui ad eum pro hac consecratione „ advenerant, quod postulabat ostendit. At ille „ aspernatus omnia, non sacratus abscessit. Rex au„ diens, graviter accepit, existimans Lantfrancum „ injusta petere, & scientia literarum magis quam „ veritate & ratione confidere. Lantfrancus ad Cu„ riam venit, a Rege audientiam postulavit, reddi„ tis rationibus ejus animum mitigavit: Transmari„ nis, qui aderant, suæ parti justitiam adesse suasit „ & persuasit. Angli enim qui rem noverant, asser„ tionibus ejus per omnia constantissime testimonium „ perhibebant. Itaque Regio Edicto, communique „ omnium Decreto statutum est, ad præsens debere „ Thomam ad Matrem totius Regni Ecclesiam re„ dire, Professionem scribere, scriptam legere, lectam „ inter examinandum in præsentia Episcoporum Lant„ franco porrigere: in qua præceptis quidem ejus „ in omnibus, quæ ad Christianæ Religionis cultum „ pertinent, se obtemperaturum absolute nulla interpo„ sita conditione promitteret; Successoribus vero ejus „ non ita, nisi prius vel coram, vel in Episcopali Conci„ lio competens ei ratio redderetur, qua Antecessores „ suos Dorobernensis Ecclesiæ Primatibus id fecisse & „ facere debuisse, evidentissime comprobaretur. Igitur „ redit, quæ sunt jussa implevit, sacratus abces„ sit. Non multos post dies Lantfrancus ab universis „ Anglici Regni Episcopis, qui diversis temporibus, „ diversis in locis, ab aliis Archiepiscopis vel a „ Papa tempore Stigandi sacrati sunt, Professiones „ petiit & accepit. *Ita refert* Willelmus Malmesburiensis *lib.* 5. De Gestis Pontificum Anglorum *pag.* 206.

Cantuariensem inter & Eboracensem Ecclesiam de Primatu diu & acriter disceptatum est.

Anno sequenti *Lantfrancus* Cantuariensis & *Thomas* Eboracensis, Archipræsules, Romam se contulere. Litem de Primatu coram *Alexandro II.* Pontifice Maximo *Thomas* disceptavit, contendens *Cantuariensem Ecclesiam atque Eboracensem parem ad invicem honorem habere, nec alteram alteri secundum B. Gregorii Constitutionem debere ullatenus subjacere: excepto quod alterutrius Archiepiscopum priorem & digniorem oporteat esse eo quem constiterit fuisse posterius ordinatum.* Respondit Lantfrancus, *Gregorianam illam Constitutionem non de Cantuariensi & Eboracensi Ecclesia, sed de Londinensi & Eboracensi esse prolatam.* Decrevit Pontifex, oportere causam in Anglia audiri, & *illic totius Regni Episcoporum & Abbatum testimonio & judicio definiri.* Uterque Archipræsul in Paschali Solemnitate ad Regem venit, ibique prolatis in medium partium rationibus, *Sententiam de negotio Regalis Curia dedit.* Compulsus est Eboracensis absolutam Cantuariensi ejusque Successoribus obedientiam profiteri his verbis: *Ego Thomas ordinatus jam Eboracensis Ecclesiæ Metropolitanus Antistes, auditis cognitisque rationibus absolutam tibi Lantfrance Dorobernensis Archiepiscope, tuisque Successoribus de canonica obedientia Professionem facio: & quidquid a te vel ab eis juste & canonice mihi injunctum fuerit, servaturum me esse promitto. De hac re autem, dum a te ordinandus essem, dubius fui. Ideoque tibi quidem sine conditione, Successoribus vero tuis conditionaliter obtemperaturum me esse promisi.* Ad hæc, sancitum est, ut Eboracensis Archiepiscopus cum omnibus & singulis Suffraganeis suis ad Concilia conveniret ab Archiepiscopo Cantuariensi convocanda. Evicit insuper *Lantfrancus*, Eboracensem Archipræsulem ex antiquo more Professionem cum Sacramento, Cantuariensi facere debere: *Sed ob amorem Regis, Thomæ Sacramentum relaxavit, scriptamque tantum Professionem recepit, non præjudicans Successoribus suis, qui Sacramentum cum Professione a Successoribus Thomæ exigere vellent.* De rebus in Anglicana Synodo gestis *Alexandrum II.* Pontificem Maximum certiorem fecit Lantfrancus. *Allata est*, inquit, *Ecclesiastica Gentis Anglorum Historia quam Eboracensis Ecclesiæ Presbyter & Doctor Anglorum Beda composuit: Lectæ sententiæ, quibus pace omnium demonstratum est a tempore B. Augustini primi Dorobernensis Archiepiscopi usque ad ipsius Bedæ ultimam ætatem, quæ fere centum & quadraginta annorum spatio terminatur, Antecessores meos super Eboracensem Ecclesiam, totamque Insulam, quam Britanniam vocant, necnon & Hiberniam, Primatum gessisse, curam Pastoralem omnibus impendisse, in ipsa Eboracensi urbe persæpe, locisque finitimis, ubi eis visum fuit, Episcopales Ordinationes atque Concilia celebrasse, Eboracenses Antistites ad ipsa Concilia vocasse, & cum res poposcisset, de suis eos actibus rationem reddere compulisse ..... Ultimum quasi robur totiusque causæ firmamentum, prolata sunt Antecessorum nostrorum Gregorii, Bonifacii, Honorii, Vitaliani; Item Gregorii, Leonis, Joannis Privilegia atque Scripta, quæ Dorobernensis Ecclesiæ Præsulibus, Anglorumque Regibus, aliis atque aliis temporibus, variis de causis sunt data atque transmissa.* Narrat ibidem *Willelmus Malmesburiensis* quomodo *Lantfrancus* Thomæ Archiepiscopi Eboracensis rationes diluerit, objectiones retuderit. Æquitate porro nitebatur Cantuariensis Archipræsulis in totam Angliam Primatus, quia fides a Cantuariensi Ecclesia in reliquas provincias & urbes fuerat propagata. *Sedis Apostolicæ Præsules* (inquit Willelmus Malmesburiensis) *æquum censent ut omnes Anglorum Ecclesiæ ab eo loco mutuentur vivendi disciplinam, a cujus fomite rapuerunt credendi flammam. Quis enim nesciat quod a Cantia manavit Christi credulitas in Eboracum, & in cæteras Angliæ Ecclesias?*

Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem Alexander II. & Paschalis II. confirmarunt, Lantfranco & S. Anselmo propugnantibus.

Idem *Lantfrancus* Herebertum Episcopum, quem

Pri-

Primatis authoritate emendaverat, arguit Epistola 23. quod ea de re obmurmuraret, quasi alienos fines excurreret, docetque Angliam universam velut unam esse Cantuariensis Archiepiscopi Diœcesim: *Nec sobrius quisquam putaverit, hoc esse in aliena Parochia aliquid temere præsumere, cum per misericordiam Dei totam hanc, quam vocant Britannicam Insulam, unam unius nostræ Ecclesiæ constet esse Parochiam.*

Non minori ardore & magnanimitate Cantuariensis Ecclesiæ Primatum defendit *S. Anselmus*. Cum enim *Thomas* in locum *Gerardi* Eboracensis Archiepiscopus electus obedientiam ipsi ante consecrationem profiteri nollet, intercessit apud *Paschalem II.* ne Pallium ipsi concederet, nisi certior factus esset ipsum huic officio fecisse satis. Id constat ex ipsius Epistola 152. libri III. *Hæc est igitur summa precum mearum in hac re, ut antequam consecretur, & mihi debitam obedientiam profiteatur, & hoc factum esse literis nostris cognoscatis, a vestra Excellentia Pallium non suscipiat. Quod non idcirco dico quod illi Pallium invideam: sed quoniam quidam autumant & etiam procurant, ut si hoc a vobis concessum fuerit, confidant se Professionem debitam mihi posse denegare. Si enim hoc contingat, scitote quia Ecclesia Angliæ scinderetur, & secundum sententiam Domini dicentis:* „ Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, *desolaretur, & vigor Apostolicæ disciplinæ in ea non parum debilitaretur. Ego quoque nullatenus remanerem in Anglia; non enim deberem aut possem pati, ut me in ea vivente, primatus Ecclesiæ nostræ destrueretur.* Respondit Paschalis II. se Cantuariensis Ecclesiæ dignitati nusquam derogaturum. *Bene*, inquit, *& sapienter egisti, quod nos de causa & honore Cantuariensis Ecclesiæ præmonitos & cautos reddidisti. Nos siquidem in te ipsius Beati Augustini Anglorum Apostoli personam veneranter intuemur: & ideo honori suo vel Ecclesiæ tuæ, detrahere omnino refugimus. Unde quæ rogasti, libenter suscepimus, & ad servandum tuum & Ecclesiæ tuæ honorem, custodiam & sollicitudinem adhibemus.* Thomas Eboracensis Archiepiscopus electus Cantuariam venire decreverat, ut a *S. Anselmo* inauguraretur, eique Professionem obedientiæ faceret: sed Canonicorum suorum consilio mutavit sententiam. Quare hunc literis primum convenit *S. Anselmus*, tum duos Episcopos misit qui ipsum ad officium compellerent. Res ad Regem delata, qui consecrationem Eboracensis Archiepiscopi, litemque totam usque ad Pascha suspendi jussit, se consilio Episcoporum & Baronum Angliæ concordiam inter utramque Ecclesiam conciliaturum pollicitus. Interea *S. Anselmus* gravissima licet ægritudine afflictus, Ecclesiæ suæ Primatum adversus *Thomæ* pertinaciam interdictione Sacerdotalis Officii ultus est, hac ad eum scripta Epistola: *Tibi Thoma, in conspectu omnipotentis Dei Ego Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis & totius Britanniæ Primas loquor. Loquens ex parte ipsius Dei, Sacerdotale Officium, quod meo jussu in Parochia mea per Suffraganeum meum suscepisti, tibi interdico, atque præcipio, ne te de aliqua cura Pastorali ullo modo præsumas intromittere, donec a rebellione quam contra Ecclesiam Cantuariensem incæpisti, discedas, & ei subjectionem quam Antecessores tui Thomas & Girardus Archiepiscopi, ex antiqua Antecessorum consuetudine professi sunt, profitearis. Quod si in iis quæ cæpisti, magis perseverare, quam ab eis desistere delegeris, omnibus Episcopis totius Britanniæ sub perpetuo Anathemate interdico, ne tibi ullus eorum manus ad promotionem Pontificatus imponat; vel si ab externis promotus fueris, pro Episcopo, vel in aliqua Christiana Communione te suscipiat. Tibi quoque, Thoma, sub eodem Anathemate ex parte Dei interdico, ut nunquam benedictionem Episcopatus Eboracensis suscipias, nisi prius Professionem, quam Antecessores tui Thomas & Girardus Ecclesiæ Cantuariensi fecerunt, facias. Si autem Episcopatum Eboracensem ex toto dimiseris, concedo ut Officio Sacerdotali, quod jam suscepisti, utaris.* Hanc Epistolam sigillo suo munitam omnibus Episcopis Angliæ direxit *S. Anselmus*, præcipiens ut secundum illius tenorem deinceps erga *Thomam* se gererent. Paulo post ad Superos migravit *S. Anselmus*, II. Kalendas Maii anno 1109. In subsequenti Festivitate Pentecostes Rex *Henricus* Londini Curiam tenuit. Cum Episcopis & Regni Proceribus deliberavit quid de consecratione Electi Eboracensis agendum esset. Lecta est postrema illa *S. Anselmi* Epistola. Episcopi summo consensu statuerunt, *Suie omnibus, si Regia sententia hoc forte dictaret, se malle despoliari, quam iis quæ Anselmus de præsenti querela præceperat, non obtemperare.* De suo consilio Regem certiorem fecere; qui, etsi Comes de Mellento Eboracensi Electo faveret, dixit: *Quidquid in iis aliorum sententia ferat, de me constat, quia cum Episcopis sentio, nec vel ad horam excommunicationi Anselmi subjacere aliquatenus volo.* Prolatis deinde Instrumentis Primatum Cantuariensis Ecclesiæ comprobantibus & diligenter inspectis, ejus Majestas dixit: Quid amplius quæritur? *Authoritates & Privilegia Apostolicæ Sedis, & quæ in præsentia Patris & Matris meæ sub testimonio & confirmatione Episcoporum, Abbatum, & Procerum Regni definita sunt, ut quasi de Epistola Anselmi penitus taceatur, ego in quæstionem mitterem, ego novis ambagibus agitari permitterem? Immo sciat Thomas se aut subjectionem & obedientiam Ecclesiæ Cantuariensi, ejusque Primatibus, ut Antecessores sui professi sunt, professurum, aut Archiepiscopatui Eboracensi ex toto cessurum. Eligat quod vult.* Tum Professionem a *Thoma* Ecclesiæ Cantuariensi, tempore Consecrationis suæ faciendam coram se dictari, scribi, sigilloque suo muniri Rex jussit, ne quid in ea mutaretur. Selecti Episcopi 4. Kalendas Julii in Ecclesiam Londinensem *S. Pauli* ad Eboracensis Archipræsulis inaugurationem convenere; ubi reseratam oblatamque sibi Professionem emisit hunc in modum: *Ego Thomas, Eboracensis Ecclesiæ consecrandus Metropolitanus, profiteor subjectionem & canonicam obedientiam Sanctæ Dorobernensi Ecclesiæ, & ejusdem Ecclesiæ Primati canonice electo & consecrato, & Successoribus suis canonice inthronizatis; salva fidelitate Domini mei Regis Henrici Anglorum, & salva obedientia ex parte mea tenenda, quam Thomas Antecessor meus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex parte sua professus est.* Lectam Professionem a *Thoma* sibi oblatam *Richardus* Londoniensis Episcopus Priori & Fratribus Ecclesiæ Cantuariensis tradidit asservandam in perpetuum dignitatis ejusdem Ecclesiæ monumentum. Consecratus autem est *Thomas* ab Episcopo Londinensi, cui Regis, Ordinumque sententia id deberi, vacante Ecclesia Cantuariensi, judicatum est, quod Episcopus Londinensis sit Ecclesiæ Cantuariensis Decanus. *Hujus* Historiæ series refertur ab *Eadmero* libro 4. *Historiæ Novorum*.

Thoma Eboracensi Archipræsule defuncto, *Thurstanus* in locum ipsius electus est; qui obedientiam *Radulpho* Cantuariensi Archiepiscopo ritu solemni profiteri recusavit. Rex contestatus est: *Illum aut morem Antecessorum suorum tam in Professione facienda, quam & in aliis Dignitati Ecclesiæ Cantuariensis ex antiquo Jure competentibus executurum, aut Episcopatu Eboracensi cum benedictione funditus cariturum.* Radulfus Cantuariensis Archiepiscopus, & Herbertus Noruvicensis Episcopus, a Rege *Henrico* ad Sedem Apostolicam missi Legati, gravibus infirmitatum præpediti molestiis, Romam pervenire non potuere. *Paschalis II.* Pontifex Maximus, acceptis Regis Legatorumque literis, Cantuariensis Ecclesiæ Primatum & Jura omnia atque Privilegia, quibus potitus fuerat S. Anselmus, confirmavit, scripta ad Episcopos & Regem Angliæ Epistola. *Vestræ*, inquit, *Dilectioni notum haberi volumus, quia Cantuariensis Ecclesiæ Dignitatem nec imminuimus, nec imminuere deliberamus. Beatum namque Gregorium Apostolicæ Sedis Pontificem, tamquam præcipuum Christi membrum, tamquam Christiani populi Pastorem & Doctorem, tamquam salutis æternæ Ministrum in omnibus veneramur. Et rata esse cupimus, quæ ab ejus Institutionibus processerant. Illam ergo Dignitatem, quam ab eo per Beatum Augustinum Cantuariensis suscepit Ecclesia, & quam Frater noster sanctæ memoriæ Anselmus jure ac possessione legitima tenuisse cognoscitur, nos profecto nullatenus imminuimus, sed in eodem statu esse Cantuariensem Ecclesiam volumus, ut authentica ejus Privilegia, juxta Canonum Sanctiones, nullis perturbationibus violentur.* Clerus Eboracensis apud *Paschalem*, missis Agentibus pro *Thurstani* consecratione & Ecclesiæ suæ libertate intercessit: rescripsit ille ad *Henricum*, jussitque

A Paschali II. post S. Anselmi obitum, forsitue postea ab Alexandro III. Primatus Cantuariensis concussus est.

que ut *Thurstanus* Ecclesiæ restitueretur, & *S. Gregorii* Constitutio de Cantuariensi & Eboracensi Ecclesia accurate servaretur; ad Sedem Apostolicam evocans quæstiones de Primatu inter utramque Ecclesiam excitatas. *Nos quidem*, inquit, *neque Cantuariensem Ecclesiam minui, neque Eboracensem prajudiciam volumus pati, sed eam Constitutionem, quæ a B. Gregorio Anglica Gentis Apostolo inter easdem Ecclesias constituta est, firmam censemus illibatamque servari. Idem ergo Electus, ut justitia exigit, ad suam Ecclesiam omnimodis revocetur. Si quid autem quæstione inter easdem Ecclesias agitur, præsentibus utriusque partibus in nostra præsentia pertractetur.* Res in suspenso mansit usque ad Remensem sub *Callisto Secundo* Synodum. Ad eam cum Regis *Henrici* licentia profectus est *Thurstanus*, fide data se apud Pontificem nihil acturum, unde Ecclesia Cantuariensis ullum antiquæ Dignitatis suæ dispendium incurreret, nec Episcopalem Consecrationem ab ejus Sanctitate suscepturum. Remis tamen a *Callisto* Papa consecratus est. Quare ipsi Rex Angliæ & Normanniæ cunctisque locis ditionis suæ interdixit, nec Summi Pontificis precibus adduci potuit, ut eum ad Eboracensem Ecclesiam regredi permitteret, nisi prius obedientiam ac subjectionem Cantuariensi Ecclesiæ profiteretur. Ita refert *Eadmerus* lib. 5. *Historiæ Novorum*. Post hæc (inquit idem Historicus) *Thurstanus literas ab ipso Callisto, more quo cuncta Romæ impetrantur, adeptus est, quibus jubebatur, ut ipse Episcopatu suo potiretur, aut Rex Anathemate, & Radulphus suspensione Pontificalis Officii plecteretur*. Quare *communi consilio permissus est Angliam redire, & Eboracum venire. Quod & factum est ea dispositione, ut nullatenus extra Parochiam Eboracensem divinum Officium celebraret, donec Ecclesiæ Cantuariensi de injuria quam intulerat, abjurata cordis sui obstinatione satisfaceret.*

Alexandri III. Decreto fortius concussa est Primatus Cantuariensis dignitas, qui secundum *S. Gregorii* Constitutionem Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos pares esse declaravit. *Authoritate Apostolica prohibemus*, (inquit) *ne ulterius aut Cantuariensis Archiepiscopus ab Eboracensi Professionem exigat, aut Eboracensis Cantuariensi exhibeat, neque, quod a B. Gregorio prohibitum est, ullo modo Cantuariensis Eboracensis Jurisdictioni subjaceat, sed juxta Patris ejusdem Constitutionem, ista honoris distinctio in perpetuum conservetur, ut qui prior ordinatur, prior habeatur. Sed si Cantuariensis Archiepiscopus ab Eboracensi electo munus consecrationis subtraxerit, quod videlicet juxta Ecclesiarum suarum morem, ab Honorio Sedis Apostolicæ Pontifice, sibi debetur: liceat eidem Eboracensi secundum communem consuetudinem, & Honorii Patris nostri Sanctionem, vel Domini nostri Paschalis Mandatum, a Suffraganeis, authoritate Romani Pontificis consecrari.* Extat hæc *Alexandri III.* Constitutio in Appendice Concilii Lateranensis III. Parte XLIV. cap. II. Eboracensi Archiepiscopo concessit idem Pontifex ut Crucem ante se deferri faceret per totam Angliam, etiam in Provincia Cantuariensi. Intercessit Archipræsul Cantuariensis contra subreptitium Privilegium. Illud rescidit *Alexander*. Institit Eboracensis, opposuitque exui se non debere jure suo inauditum, & pendente lite. Quamobrem provisorio Decreto sanxit idem Pontifex ut Eboracensis Archiepiscopus eo Privilegio interim frueretur, donec de Jure possessionis haberetur cognitio & sententia ferretur, ut constat ex cap. *A Memoria*, Tit. *Ut lite pendente nihil innovetur.*

ARTICULUS IV.

De Metropolitanis.

Novarum Metropoleon erectio Romani Pontificis authoritate, accedente Principum consensu.

I. NOvarum Metropoleon erectionem ad Sedem Apostolicam pertinere dubium non erat duodecimo Sæculo. De hoc Politiæ Ecclesiasticæ capite *S. Bernardus* Epist. 131. ad Mediolanenses ita scribit: *Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias, singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout sibi ratio dictaverit: ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat: & e converso si necesse visum fuerit.* Plures a summis Pontificibus undecimo & duodecimo Sæculo erectas fuisse Metropoles Ecclesiastica Monumenta testantur. Accedebat tamen Principum, & Metropolitanorum, a quibus Diœceses subtrahebantur, consensus, & absque evidenti Ecclesiæ necessitate vel utilitate id minime faciebant. Non enim novas Regulas statuit, sed antiquas sequitur *Innocentius III.* cum ad Regem Bohemorum pro erectione novæ Metropoleos supplicantem ita scripsit anno 1204. Epist. 51. *Ostendenda nobis est prius & urgens necessitas, & utilitas evidens, quæ fieri hoc exposcat; facultas & voluntas Ecclesiæ in qua Sedes Metropolitica debet stabiliri; & utrum in Bohemia Diœceses possint statui competenter statuendæ Metropoli supponendæ. Præterea convenienda & commonenda super hoc est Ecclesia Moguntina, ne si aliter factum fuerit, Venerabilem Fratrem nostrum Siffridum Moguntinum Archiepiscopum, quem ereximus, dejicere videamur, si ex hoc concitaverimus plus in eum Ecclesiæ suæ odium & scandalum civitatis.*

Metropolitanorum erat supplere negligentiam Episcoporum suæ Provinciæ in Beneficiorum collatione.

II. Metropolitanorum erat supplere negligentiam Episcoporum suæ Provinciæ in collatione Beneficiorum, si infra tempus Canonibus statutum viros idoneos in illis instituere omisissent; ex Canone VIII. Concilii III. Lateranensis sub Alexandro Tertio. *Cum vero*, inquit, *Præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet Officia, in aliqua Ecclesia vacare contigerit, vel etiam si modo vacant, non diu maneant in suspenso, sed infra sex menses personis quæ digne administrare valeant, conferantur. Si autem Episcopus, ubi ad eum spectaverit, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur. Quod si ad Capitulum electio pertinuerit, & infra prædictum terminum hoc non fecerit: Episcopus hoc secundum Deum cum virorum religiosorum consilio exequatur. Aut si omnes forte neglexerint, Metropolitanus de ipsis secundum Deum absque illorum contradictione disponat.*

Pravas consuetudines in Provinciis suis extirpare.

III. Metropolitanorum erat pravas consuetudines in suis Provinciis stabilitas extirpare, adhibitis etiam Censuris Ecclesiasticis. Id constat ex *Alexandri III.* Decretali, cap. *Ex frequentibus*, Tit. *De Institutionibus*, lib. 3. Decretalium. *Ex frequentibus querelis didicimus, in partibus vestris consuetudinem pravam a multis retroactis temporibus invaluisse, quod Clerici Ecclesiastica Beneficia, sine consensu Episcopi Diœcesis vel Officialium suorum qui hoc de jure possunt, recipiunt: minus quam deceat cogitantes, quomodo id a SS. Patrum est institutionibus alienum, & Ecclesiasticæ contrarium honestati. Unde cum tu, Frater Archiepiscope, ex officio tibi commisso, tam iniquam consuetudinem de Provincia tua velis, sicut debes, radicitus extirpare; tam in illos qui Ecclesiastica Beneficia taliter occupata scienter detinent, quam in eos qui de cætero occupare præsumpserint, excommunicationis Sententiam protulisti. Nos itaque eamdem Sententiam ratam habentes, & eam Authoritate Apostolica confirmantes, Mandamus quatenus Clericos ipsos, qui ipsam Sententiam incurrerint, nisi congrue satisfecerint, absolvere minime præsumatis.*

Confirmare, examinare, consecrare Suffraganeos.

IV. Ad Metropolitanum confirmatio, examen, ordinatio, consecratio Suffraganeorum spectabant. Id constat ex Decretali Lucii III. *Si Archiepiscopus*, Tit. *De temporibus Ordinationum*, lib. 1. Decretalium. *Si Archiepiscopus obierit, & alter fuerit ordinandus, omnes Episcopi ejusdem Provinciæ ad Sedem Metropolitanam conveniant, ut ab omnibus ordinetur. Reliqui vero Comprovinciales Episcopi [si necesse fuerit] cæteris consentientibus, a tribus jussu Archiepiscopi poterunt ordinari: sed melius est, si ipse cum omnibus eum qui dignus est, elegerit, & cuncti pariter Pontificem consecraverint.*

Metropolitanum adire, & ipsi obedientiam profiteri, Episcopi ipsi subditi tenebantur.

V. Metropolitanum adire, & ipsi obedientiam profiteri Comprovinciales Episcopi tenebantur. *Lambertus*, ab *Urbano II.* Pontifice Maximo Attrebatensis Episcopus consecratus fuerat. *Raynoldus* Archiepiscopus Remensis propterea ipsi succensens eum præoccupatorem Sedis Attrebatensis appellabat, graviterque ferebat quod Metropolitanam Ecclesiam Remensem

non

non adiisset, sibique debitam reverentiam non exhibuisset. Apud ipsum humillime se excusavit *Lambertus*, Professionem Obedientiæ misit, data opportunitate se Remensem Ecclesiam quamprimum visitaturum promisit. *Literas*, inquit, *direxistis, in quibus nos quasi contemptorem Remensis Ecclesiæ insinuare voluistis; quamquam non lateat Prudentiam vestram, nos hanc Sedem non præoccupasse, sed coactos, & constrictos, & Apostolicæ Authoritatis obedientia eamdem Sedem obtinuisse. Ne autem quasi contemptor Sanctæ Remensis Ecclesiæ videar in oculis misericordiæ vestræ, hos Fratres nostros in persona & verbo nostro, pro excusatione nostra satisfacturos transmisimus. Precamur itaque Clementiam vestram, ut per præsentes Fratres nostros, tum pro caritate Spiritus Sancti, tum pro dilectione & reverentia Domini Papæ nostram Professionem interim suscipiatis, consimile opus misericordiæ nobiscum facientes, quod in Apostolica benevolentia tempore vestræ Professionis consecuti estis. Cum autem Deo miserante, ad vos proficiendi facultas attributa fuerit, quod nunc per Fratres nostros facimus, tunc Deo volente, in propria persona nos facturos profitemur*. Ejusdem argumenti literas dedit ad Clericos Remenses. *De quasi contemptu*, inquit, *veniendi apud Sanctam Remensem Sedem, unde placuit Domino Archiepiscopo nos arguere, satisfacere per præsentes Fratres nostros vobis paratus. Nostis enim & inopiam rerum Sedis nostræ, & difficultatem viarum, & tempestatem bellorum, & odium Cameracensium in nos, & quorumdam aliorum in via positorum. Prostratus itaque Sanctitatis vestræ pedibus, ut me in verbo veritatis audiatis, & excusatum me habere velitis, suppliciter exoramus*. Professionem ejus suscepit, ejusque Consecrationem a Romano Pontifice factam confirmavit Remensis Archiepiscopus in Synodo Remensi, cui aderat, ac *Robertum* Flandrensem rogavit, immo ipsi jussit *Lambertum* cum debito honore ceu Attrebatensem Episcopum susciperet. *Nolumus*, inquit, *lateat Carissimam nobis Prudentiam vestram, nos ipsum, plurimis diebus, ut quod de eo agendum erat, legitime & Episcoporum nostrorum consilio fieret, detinuisse: ad ultimum in Concilio, quod Remis cum Coarchiepiscopis & Episcopis nostris, atque Principibus multis habuimus, juxta Domini Papæ Urbani præcepta, quibus inobedire nefas est, consilio & assensu Coepiscoporum nostrorum more Ecclesiastico illius Professionem suscepimus, ejusque consecrationem confirmantes, confirmavimus. Unde vestræ mandamus solicitudini, quatenus eumdem modo cum debito honore, cum debita reverentia suscipiatis, sed & in quantum Ecclesiastica permittit ratio, ei ut Pastori vestro obediatis*. Editæ sunt istæ Epistolæ Tomo V. *Spicilegii Dacheriani*, pag. 548. 549. & 550.

Authoritas visitandi Provinciam.

VI. Unum e præcipuis Metropolitani Juribus erat authoritas visitandi Provinciam. De qua *Yvo* Carnotensis Episcopus ad *Daimbertum* Senonensem Metropolitanum suum scribebat Epistola 182. *Quod si petitioni meæ addere præsumerem, flexis genibus cordis postularem ut Carnotensem Ecclesiam visitaretis, & in propria persona injurias mihi, immo omni Pontificali Ordini in me illatas, a Clericis & Laicis plenius audiretis. Decens enim est ut etiam in tranquillitate mater filiam consoletur, quanto magis in perturbatione?*

In Comprovincialium Diœcesibus nihil agere poterant, nisi ex præscripto Canonum.

VII. Metropolitani in Comprovincialium Episcoporum Diœcesibus nihil absque ipsorum consensu agere poterant, nisi secundum præscripta Canonum. Unde cum Remensis Archiepiscopus in Diœcesi Episcopi Suessionensis Suffraganei sui Jurisdictionem aliquam usurpasset, *Yvo Carnotensis* Episcopos Remensis Provinciæ ad communem propulsandam injuriam hortatus est Epistola 83. *Si enim*, inquit, *concessum fuerit, ut Metropolitanus in Ecclesiis Comprovincialibus, absque consensu Episcoporum qui eis præsunt, quidquid voluerit, valeat imperare, Clericos earumdem judicare, vel ab officio suo suspendere, dignitati Episcoporum indigna fiet violentia, & authoritati SS. Patrum ruinosa injuria*. Et *Nicolai* I. Sententiam profert ad *Rodulphum* Bituricensem Archiepiscopum scribentis: *Primates vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis contulit, ita ut secundum Nicænas Regulas sua Privilegia serventur Ecclesiis.*

Stephanus Parisiensis Episcopus *Henrico* Senonensi Archiepiscopo *Galonis* cujusdam Parisiensis Scholæ Magistri causam ad se trahere volenti viriliter restitit. *Numquam* (inquit in Epistola ad ipsum data) *reverenda Patrum sanxit authoritas, nusquam hoc servare consuevit antiquitas, ut aliarum Ecclesiarum causas alicui Metropolitano liceat terminare, vel sine consensu illius Episcopi, cui cura commissa est, Judicia judicare*. Mox prolatis Callisti & Nicolai I. Decretis, subdit: *His & aliis authoritatibus muniti nolumus, nec debemus, ad præsens nostra & Fratrum meorum Ecclesiis inauditam novitatem inducere, & earum Jura antiquitus statuta permutare. Hoc dicentes, non instruimus Prudentiam vestram, quæ satis novit plura de paucis colligere: nec tollimus quin possint Metropolitani Episcopos Comprovinciales convocare, & quæ præcipienda sunt præcipere, sed antiquum Jus pro parvitate nostra volumus conservare*. Edita est hæc Epistola Tomo III. *Spicilegii Dacheriani* pag. 155.

Romani Pontifices latas a Metropolitanis Sententias facile non rescindebant.

VIII. Sententias a Metropolitanis latas se facile rescindere aut suspendere non debere persuasum habebant Romani Pontifices, sed potius ipsos esse commonendos ut sententiam corrigerent, aut temperarent, vel absolutionem concederent, si salva æquitate concedi posset. Testis *Alexander III.* qui Sententiam Interdicti a Remensi Archiepiscopo latam mittere in irritum noluit, aut ab ea absolvere, *Ludovico VII.* Rege Christianissimo rogante; sed oravit dumtaxat Archiepiscopum ut Interdictum relaxaret, donec causa in Curia ejus vel Bellovacensis Episcopi fuisset judicata. Qua de re ita ad Regem scripsit: *Illud honestius visum esse cognoscas ut Venerabili Fratri Remensi Archiepiscopo deprecatorias literas, sicut ex Rescripto earum videre poteris, mitteremus rogantes ut interventu nostro & tui honoris obtentu, interdictum illud relaxaret, donec causa illa in Curia ejus vel Bellovacensis Episcopi finem debitum sortiatur.... Aliter enim minus honestum esset, ut Sententiam a tanto Viro canonice promulgatam, sine ejus conscientia facile solveremus.*

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 612. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Metropoles Papa instituere potest accedente Principum consensu & Ecclesiæ utilitate.*

R. Non ita scripsi. Non quæro quid possit vel non possit Romanus Pontifex, sed Sæculorum XI. & XII. Disciplinam moresque describo. *Novarum* (inquam) *Metropoleon erectionem ad Sedem Apostolicam pertinuisse, dubium non erat. Plures a Summis Pontificibus XI. & XII. Sæculo erectas fuisse Metropoles, Ecclesiastica Monumenta testantur. Accedebat tamen Principum & Metropolitanorum, a quibus Diœceses subtrahebantur, consensus: & absque evidenti Ecclesiæ necessitate vel utilitate id minime faciebant*. Quod ibidem probo. Mera hæc facti quæstio est.

SCHOLION II.

In eodem Articulo pag. 625. Edit. primæ, hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Consecratio cujusdam Episcopi facta a Papa confirmanda ab Archiepiscopo.*

R. Hæc Propositio non est mea. Rem gestam simpliciter commemoro, quæstionem juris non attingo. *Lamberti* (inquam) Attrebatensis Episcopi *Consecrationem a Romano Pontifice factam confirmavit Remensis Archiepiscopus in Synodo Remensi*. Religiosos Censores forte movet istud verbum, *confirmavit*: Sed sic loquebantur XI. & XII. Sæculo quorum Historiam scribo & Disciplinam expono. Sic ad Flandriæ Comitem de *Lamberto* rescripsit *Raynoldus* Remensis Archiepiscopus: *More Ecclesiastico illius Professionem suscepimus, EJUSQUE CONSECRATIONEM CONFIRMAVIMUS*. Hæc Raynoldi Remensis Archiepi-

scopi

ſcopi Epiſtola edita eſt Tom. V. *Spicilegii Dacheriani*, pag. 550. & 551. cujus ad marginem hæc nota legitur: *Conſecrationem Lamberti in Concilio confirmavit Raynoldus*.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 628. Edit. primæ Religioſi Cenſores hanc velut meam Propoſitionem notant: *Sententia a Metropolitanis lata non debent a Papa reſcindi. Unde etiam inſtante Rege noluit Papa quamdam ſententiam reſcindere, ſed ipſum rogavit ut eam temperaret*.

R. Hæc Propoſitio non eſt mea; mihi perperam affingitur. Quid poſſint vel debeant facere Summi Pontifices, non expendo, ſed quid fecerint, aut quid ſe facere debere perſuaſum habuerint Sæculis XI. & XII. *Sententias* (inquam) *a Metropolitanis latas ſo facile reſcindere aut ſuſpendere non debere perſuaſum habebant Romani Pontifices, ſed potius ipſos eſſe commonendos ut ſententiam corrigerent aut temperarent.. Teſtis Alexander III. qui ſententiam Interdicti a Remenſi Archiepiſcopo latam mittere in irritam noluit, aut ab ea abſolvere, Ludovico VII. Rege Chriſtianiſſimo rogante; ſed oravit duntaxat ut Interdictum relaxaret, &c.* Non Regem (ut me ſcripſiſſe finxerunt Cenſorii Indiculi Authores) Sed Remenſem Archiepiſcopum rogavit Summus Pontifex ut Interdictum ſolveret. Id ex ipſis *Alexandri III.* literis ad Regem probo, deſcriptis earum verbis. Mera facti & hiſtoriæ res eſt.

Nota.

Olim in Occidente, teſte Thomaſſino *p. p. Vet. & Nov. eccl. diſcipl. l. 1. cap. 39. n. 11.* numquam Imperatores propriam authoritatem interpoluere ad novas Metropoles inſtituendas; propter præſentiam etenim & ſplendorem Sedis Apoſtolicæ, a ſe immiſcendo abſtinebant in re, quæ ad eccleſiæ gubernium ſpectabat. Ubi vero in varias partes Romanum Imperium fuit diſſectum, quapropter diverſa excitata ſunt Regna, paulatim in iis intervenit Principum authoritas, ſeu verius preces, ut varia exempla expendendo animadvertit idem Thomaſſinus *cap. 43. n. 8.* Ita tamen ibidem authoritatem Principum adfuiſſe ſcribit, ut quamvis quandoque præcipue Principibus novarum Metropoleon erectio tribuatur, id tamen ita ſit intelligendum, quod ab ipſis perſæpe executio, fundatio, ac dotatio proficiſcerentur. Et re vera Thomaſſinum legenti apparebit non ſemel Principes pro earumdem Metropoleon erectione inſtitiſſe. Ea etiam diſciplina ſervabatur, ut expeteretur conſenſus Præſulum ac Metropolitanorum, ita etenim eccleſiarum mutua pax expoſcebat; quapropter ſi neceſſitas vel utilitas aliter non ſuadebant, Romani Pontifices a novis erigendis Metropolibus ceſſabant. Quia tamen, ut ait S. Bernardus ep. 131. *Poteſt Papa novos ordinare epiſcopatus, ubi utile judicaverit, & de epiſcopis archiepiſcopos creare*; inde eſt non ſemper jam exiſtentis Metropolitæ diſſenſum curaſſe, eoque etiam reluctante particulares eccleſias in metropolim erexiſſe.

Nota.

Vox illa *confirmare* non ſemper novam firmitatis acceſſionem ſive rei geſtæ, ſive legi ſignificat, ſed quandoque nil aliud ſonat, quam ratum firmumque agnoſcere id, quod dicitur confirmari. Ita particulares Præſules aliquando univerſalium Conciliorum canones confirmaſſe legimus, quod non aliud ſignificabat, quam in eis inconcuſſam invictiſſimamque authoritatem agnoſcere, ut adnotare non omiſi *tom. 5. pag. 231. & ſeq.* Ibi vero ac alibi dictis juvat hic addere S. Martinum I. miſiſſe ad Epiſcopos Gallicanos Acta Concilii Lateranenſis, in quo Monothelitarum error damnatus fuerat, ab ipſis confirmanda: *Atque ſynodali conventione*, ait epiſt. ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem, *omnium Fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum partium illarum effecta, ſecundum tenorem encyclica nobis directa ſcripta, una cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes atque conſentientes eis, qua pro Orthodoxa Fide, & deſtructione hæreticorum veſania nuper exorta a nobis ſtatuta ſunt.* Porro Martinus cum ſuo Lateranenſe Concilio Epiſcopis Gallicanis ſuperior erat, unde nonniſi conſenſionem, & obedientiam expopoſcerat. Hac igitur ratione epiſcopum a Papa conſecratum archiepiſcopus confirmabat, ita ut illum admittendo, ipſius conſecrationem legitimam haberet, ac fateretur.

Nota.

Sane Natalis dicere haud intellexit non poſſe Romanum Pontificem, quas protuliſſent Metropolitæ, ſententias reſcindere. Ipſi exploratum erat ipſos canones Sardicenſes decreviſſe, ut qui a concilio provinciali, cui præſidet Metropolita, ſe gravatum ſentiret, aliud a Romano Pontifice judicium expoſceret. Hoc etiam ſervatum ab eccleſiæ Africanæ præſulibus alibi adnotare non omiſi, quamvis Africana concilia tranſmarina judicia e medio ſublata optaſſent, & maxime quoad ſimplices presbyteros. Celebris inter alias eſt cauſa Apiarii presbyteri Africani in omnibus Africæ tribunalibus damnati, & nihilominus ad Romanum Pontificem provocantis. Melius tamen conſultum mutuæ inter caput & membra concordiæ aliquando Romani Pontifices judicarunt, ſi antequam Metropolitæ errantis ſententiam reſcinderent, eumdem de illa per ſemetipſam corrigenda monerent.

ARTICULUS V.

De Epiſcopis.

Novorum Epiſcopatuum erectio undecimo & duodecimo ſæculo fiebat authoritate Romani Pontificis, accedente Principum conſenſu ut pax Regnum inter & Sacerdotium foveretur & propter utilitatem Eccleſiæ. Ideo cum Clerici Tornacenſes erectionem Sedis Epiſcopalis in ſua urbe a *Paſchali II.* ſupplices rogarent, & Rex *Ludovicus VII.* vehementer repugnaret, *Yvo* apud Summum Pontificem interceſſit, ne maturaret erectionem quæ diſſidii cauſa eſſe poterat. (Epiſtola 238.) *Novit Paternitas veſtra* (inquit) *quia Regnum Francorum præ cæteris Regnis Sedi Apoſtolicæ ſemper fuit obnoxium, & idcirco quantum ad ipſas Regiæ Perſonas pertinuit, nulla fuit diviſio inter Regnum & Sacerdotium. Quod ergo hactenus cum pace & utilitate Eccleſiæ obſervatum eſt, humiliter petimus ut de cætero obſervetur & Regni Francorum pax & Summi Sacerdotii nulla ſubreptione diſſolvatur. Quid idcirco prælibamus, quia audivimus Clericos Tornacenſes ad Apoſtolicam Sedem veniſſe, petituros ut Apoſtolica Præceptione proprium poſſint habere Epiſcopum, & Noviomenſis Eccleſia fruſtrare Privilegium; quod ne fiat, filii & fideles rogamus & conſulimus: ut ſtatum Eccleſiarum, qui quadringentis ferme annis duravit, inconcuſſum manere concedatis, ne hac occaſione ſchiſma, quod eſt in Germanico Regno adverſus Sedem Apoſtolicam, in Galliarum Regno ſuſcitetis. Nec in hoc reſiſtimus, quia poſſit Sedes Apoſtolica Parochiarum amplitudinem minorare, aut brevitatem dilatare, ſi utilitas populi Dei ita exigat, & nullum inde ſchiſma contingat. Quia ergo Rex Francorum, utpote homo ſimplicis naturæ erga Eccleſiam Dei eſt devotus, & Sedi Apoſtolicæ benevolus; petimus & conſulimus ut a benevolentia ejus nulla vos ſubreptio ſubtrahat, nulla perſuaſio ſejungat. Novit enim Paternitas veſtra, quia cum Regnum & Sacerdotium inter ſe conveniunt, bene regitur mundus, floret & fructificat Eccleſia. Cum vero inter ſe diſcordant, non ſolum parva res non creſcunt, ſed etiam magna res miſerabiliter dilabuntur. Ad hoc quod petimus cum Coepiſcopis noſtris non eſt contra Majeſtatem Sedis Apoſtolicæ, non eſt contra utilitatem, ut non dicam dignitatem Tornacenſis Eccleſiæ ſervare terminos antiquos, quos Patres eorum poſuerunt, & longa antiquitate ſervaverunt. Præterea*

Qua authoritate facta novorum Epiſcopatuum erectio?

Quam neceſſaria concordia Regni & Sacerdotii

cum

Tornacensis Episcopatus ab Eugenio III. erectus. Tornacum vulgo, Tournay, Belgii Civitas, sub Archiepiscopatu Cameracensi.

cum Dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honeste ferre non valeat, providendum est ne ista divisione uterque Episcopus fiat pauper: quod testantur Noviomenses, qui utriusque Ecclesiæ experti sunt facultates. Tam justis rationibus cessit *Paschalis II.* At *Eugenio III.* e bono Ecclesiæ esse visum est, Episcopum Tornacensibus concedere, ubi fuerat antiquitus Sedes Episcopalis, ut constat ex *Fortunato* Presbytero in Vita *S. Medardi* Noviomensis Episcopi. *Anselmus* Abbas *S. Vincentii* Lauduaensis ab *Eugenio III.* Tornacensis Episcopus consecratus est anno 1140. teste *Heemanno* Monacho lib. 3. *De Miraculis Sanctæ Mariæ Laudunensis*, cap. 21. Ea de re scripsit Summus Pontifex *ad Ludovicum VII.* Regem Christianissimum, ut gratum haberet quod propter Christianæ plebis spiritualem otilitatem fecerat & ad Regni ipsius glotiam conducebat. *Tornacensis Ecclesia* (inquit) *a longis retro temporibus, proprio Pastore caruisse dinoscitur, unde sicut multorum religiosorum & discretorum virorum veridica relatione cognovimus, præter alia detrimenta, multa millia hominum absque illa sacri Chrismatis unctione quam Fideles contra diaboli insidias pugnatuci per manus Episcoporum suscipiunt, de præsenti sæculo migraverunt; & tam his, quam aliis diversis modis, tam animarum, quam corporum,, in eodem Episcopatu propter proprii Pastoris absentiam, damna plurima provenerunt: Ideoque & nobis & ipsis providere volentes, tantis malis occurrere Domino authore decrevimus atque dilectum filium nostrum Anselmum S. Vincentii Laudunensis Abbatem, Spiritus Sancti gratia invocata, in Tornacensem Episcopum consecravimus: quod ad magnum Regni tui a Deo commissi & coronæ tuæ incrementum credimus proventurum.* Regem tandem petitioni Summi Pontificis consensisse restatur *Historia S. Martini Tornacensis* Edita Tomo XII. Spicilegii Dacheriani.

** Heliensis Episcopatus erectio a Paschali II.*
** Ely in insula. Lincolne.*

Heliensis * Episcopatus in Anglia ex Lincolniensis * divisione erectus est, *S. Anselmi* & cæterorum Episcoporum consilio, Regis & Principum assensu, *Paschalis II.* Romani Pontificis Authoritate, ad quem *S. Anselmus* ea de re scripsit. Ita refert *Eadmerus* lib. 4. Historiæ Novorum. *His diebus sermo habitus est de Parochia Episcopi Lincolniensis, quæ in nimium tendebatur, eoque processit, ut quoniam ratio Christianitatis id utile fore suadebat, Regi, & Archiepiscopo, cæterisque Principibus Regni visum fuerit, de ipsa Parochia sumendum quo fieret aliter Episcopatus, cujus Cathedra Principatus poneretur in Abbatia de Heli. Sed Anselmus, quem ipsius negotii summa respiciebat, sciens præter consensum & Romani Pontificis Authoritatem novum Episcopatum nunquam rite institui posse, scripsit ei sic; Quoniam robur dispositionum quæ utiliter fiunt in Ecclesia Dei de vestra pendet authoritate Prudentia, quando fiunt, ad vestram referendæ sunt notitiam, & Judicium, ut cum Apostolico assensu fuerint confirmata, nulla præsumptione a posteris, quæ salubriter statuta sunt queant violari, sed rata permaneant in perpetuum. In Anglia est quidam Episcopatus, scilicet Lincolniensis, cujus Diœcesis tam ampla est, ut ad ea quæ non nisi ab Episcopali persona fieri queunt, unus Episcopus plene sufficere non possit. Quod cum consideraret Rex, & Episcopi, & Principes, & alii rationabiles & Religiosi viri Regni Anglorum, ad utilitatem Ecclesiæ visum consilium est, Episcopatum præfatum in duos dividere; ita ut Sedes Episcopalis in quadam Abbatia, quæ sita est in Insula vocata Heli, & est intra præfatam Diœcesim, constituatur Monachis ibidem permanentibus: sicut sunt multi Episcopatus, qui Monachos in Matre Ecclesia habent, non canonicos. Quod libenter concedit ipse Episcopus Lincolniensis, quia pro iis quæ assumuntur de sua Ecclesia ad instaurandum novum Episcopatum in Heli, tantum Ecclesia Lincolniensi restauratur, ut ipso sufficiens & gratiam sibi esse fateatur, cui rei mihi tum propter prædictam necessitatem, tum propter multitudinem prædictorum qui in hoc consentiunt, visum est, ut, salva vestra authoritate, assensum præberem. Precatur igitur suppliciter mea Parvitas, quatenus hoc quod pro utilitate Ecclesiæ sic dispositum est, vestra authoritate in perpetuum coboretur, ne a posteris ulla præsumptione, quod bene statutum fuerit, violetur.*

Præter Romani Pontificis Authoritatem novus Episcopatus nunquam rite institui potest.

Episcopatus in Abbatia constitutus, Monachis ibidem permanentibus.

Diploma Paschalis II. & Chartam Regis Henrici pro Heliensis Episcopatus erectione descripsit *Seldenus* in Notis ad *Eadmerum*. Chartam tamen illam dubiæ fidei esse suspicatur vir eruditus, conjecturis certe minime spernendis.

Episcoporum electiones. Assensus Regius in Ecclesia Gallicana necessarius.

Episcopi a Clero & populo eligebantur, Sacrarumque Electionum libertatem Pontifices, Concilia, & Episcopi Disciplinæ Ecclesiasticæ studiosi propugnabant. Regius consensus in Galliis desiderabatur. Gregorius VII. Pontifex Maximus *Philippum I.* Francorum Regem admoneri jussit a *Rocleno* Cabilonensi Episcopo, ut Archidiaconum Augustodunensis Ecclesiæ ad Matisconenses infulas electum Majestatis ipsius assensu, consecrari pateretur, ipsumque in possessionem Ecclesiasticorum bonorum gratis mitteret. *Hujus ergo promissionis fidem in Matisconensi Ecclesia Pastorie regimine diu desolata, & ad nihilum pene redacta, in primis volumus experire; ut scilicet Augustodunensem Archidiaconum unanimi Cleri & populi consensu, ipsius etiam, ut audivimus Regis assensu electum, Episcopatus dono gratis, ut decet, concesso, Ecclesiæ præfici patiatur.*

Cum Dolenses juvenem quemdam Episcopum elegissent, quem Romam consecrandum miserant, cum Abbate *S. Melanii* & aliis Clericis summa rei gerendæ potestate instructis, *Gregorius VII.* electionem approbare noluit utpote Canonibus contrariam, sed ejusdem Juvenis rogatu, assensuque Sociorum ejus, *Yvonem S. Melanii* Abbatem Episcopum Dolensem consecravit, ut ipse testatur Epistolis IV. & V. Lib. IV. Idem Pontifex Epistola V. ad Aquilejenses data, Canonicam Authoritatem in Episcoporum electione servari jussit. „ Nihil novi, *inquit*, nihil nostris adinventionibus superinducere conamur, sed illud solummodo quærimus, quod & omnium salus postulat, & necessitas, ut in ordinatione Episcoporum secundum communem SS. Patrum intelligentiam & approbationem, primo omnium Evangelica & Canonica servetur authoritas. Quod autem nobis de electione apud vos facta significastis, gratanter accepimus: & si ita rite factam esse constiterit, ut in nullo nobis sacra contradicat authoritas, teste conscientia nostra valde gaudemus, & omnipotenti Deo gratias agimus. Verum quia in hujusmodi causa, non secundum arbitrium nostrum, sed per viam & doctrinam Orthodoxorum Patrum incedere cupimus, misimus ad vos Legatos nostros, ut diligenter inquirant; & si eum, quem vos elegisse dicitis, vita, moribus, & scientia, ad apicem tantæ Dignitatis idoneum & regulariter assignatum esse perspexerint, electionem vestram nostra vice confirment, &c.

Philippus Rex Christianissimos Gregorium VII. rogaverat ut *Robertum* S. Euphemiæ in Calabria Abbatem Carnotensis Ecclesiæ Episcopum institueret ac ordinaret. Pontificem adiit *Robertus*, exposuit *se donum Episcopatus offerente Rege refutasse*; nec inconsulta ejus Sanctitate accipere voluisse. Ejusdem Ecclesiæ Clerici coram Vicario Christi affirmarunt, omnium pene majorum & meliorum de eadem Ecclesia voluntates in *Robertum* convenisse, nullam tamen electionem factam. Annuere noluit Regiis votis *Gregorius VII.* nisi dictus Abbas canonice eligeretur: cujus rei examen *Hugoni* Diensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato commisit, qui ad Sedem Apostolicam negotii statum referret, (Epist. 11. Libri 5.) *Verum,* inquit, *quia SS. Patrum statuta sequi & observare cupientes, nihil de eo aut de promotione ejus sine electione Ecclesiæ nobis probandum esse judicavimus, Prudentiam tuam admonemus, ut Ecclesiam illam aut per te, aut per fidelem & probatam tibi personam visitare studeas, & voluntatem omnium, tum majorum, quam minorum super hac re diligenti inquisitione cognoscas. Quod si causam ita coaptari posse videris, ut illorum in hunc Abbatem voluntas libera, consideratio prudens, electio canonica, & SS. Patrum Regulis consonans dinoscatur, quam certissime nobis indicare procures, ut quæ ad effectum hujus dispensationis necessaria sunt, Deo authore exequi & implere possimus.*

Eadem sancita disciplina est in Concilio Romano sub Gregorio VII. anno 1080. Canone 6. cujus hæc sunt verba: *Instantia Visitatoris Episcopi, qui ab Apo-*

stolica

stolica vel Metropolitana Sede directus est, Clerus & Populus, remota omni sæculari ambitione, timore atque gratia, Apostolicæ Sedis vel Metropolitani sui consensu, Pastorem sibi secundum Deum eligat. Quod si corruptus aliquo vitio aliter agere præsumpserit, electionis perperam factæ omni fructu carebit, & de cætero nullam electionis potestatem habebit.

Huic Disciplinæ testimonium perhibet *Fulbertus* Carnotensis Episcopus Epistola VIII. ubi de *Franconis* Episcopi electione ita scribit : *Substitutus est Franco, eligente Clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonensis.*

Episcopi fidelitatem suam Regi magis probant corrigendo quæ in Ecclesia Disciplina emendanda sunt, quam tacendo vel adulando.

Canonici Carnotenses conquesti sunt apud Archiepiscopum Turonensem, & Episcopos Aurelianensem & Bellovacensem, quod Senonensis Archiepiscopus, & Rex ipsis invitis Episcopum dare vellent indignum & ignarum, ipsosque rogarunt ut huic Ecclesiasticæ Disciplinæ vulneri communi consilio mederentur : nec propter reverentiam Regis hac in causa silerent, cui fidelitatem suam magis erant probaturi corrigendo ea quæ in ejus Regno corrigenda erant, ipsumque de iis corrigendis admonendo, quam tacendo, vel adulando. *Nec propter Regis reverentiam hoc agere pigritemini, quasi hoc pertineat ad fidelitatem ejus. Vere etenim illi fideliores eritis, si quæ sunt corrigenda in Regno ejus correxeritis, & animum ejus ad eamdem correctionem compuleritis.* (Apud *Fulbertum* Carnotensem, Epistola 132.) Idem Præsul Epistola 62. de *Theodorico* scribens, quem Rex eligi jusserat, ait : *Cum sit electio unius de pluribus maxime complaciti secundum liberam arbitrii voluntatem acceptio, quomodo electio vite dici possit, ubi sic a Principe unus obtruditur, ut nec Clero, nec Populo, nec ipsis Summis Sacerdotibus ad alium deflectere conceditur?*

Yvo Carnotensis Epistola 60. & Clero jus eligendi, & Regi consentiendi jus, & bona Ecclesiastica conferendi asserit. *Reges ipsos*, inquit, *Apostolica Authoritate a concessione Episcopatuum prohibitos minime videmus. Legimus enim Sanctæ recordationis Summos Pontifices aliquando apud Reges pro Electis Ecclesiarum, ut eis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus ad quos electi erant, intercessisse; aliquorum, quia concessiones Regum nondum consecuti fuerant, consecrationes distulisse, &c.* Idem Epistola 102. ad *Manassen* Remensem Archiepiscopum scribit : *Non licet Regibus, sicut sanxit Octava Synodus, quam Romana Ecclesia commendat & veneratur, electionibus Episcoporum se immiscere, vel aliqua eas ratione impedire. Francorum etiam Reges Carolus & Ludovicus electiones Episcoporum Ecclesiis concesserunt, quod & in suis Capitularibus scriptum reliquerunt, & in Conciliis Episcoporum Provincialibus sanciri permiserunt. Habeat ergo Deus principaliter in Ecclesia sua, quod suum est. Habeat Rex posteriori ordine post Deum, quod sibi a Deo concessum est.*

Goffridus Vindocinensis ejusdem disciplinæ testis est Epistola XI. Libri III. ad *Rainaldum* Andegavensem Episcopum. *Bonus Mauritius* (inquit) *quem vestrum Prædecessorem fuisse gloriamini, beato eligente Martino, & præsignante Spiritu Sancto electus est & consecratus. Vos autem vulgo favente, & spreta canonica electione estis creatus ..... Tota utique Ordinatio Episcopi in sola electione consistit, & consecratione, si tamen illam electio recta præcesserit. Hæc autem prius per semetipsum fecit Christus, deinde vero Vicariis ejus. Et in Apostolis quidem a Christo facta sunt, quoniam ab ipso electi & consecrati fuerunt : in aliis vero omnibus a nullis aliis fieri licet, nisi a Christi Vicariis. Sunt autem Vicarii Christi Clerici in Electione, Episcopi in Consecratione. Cæteri omnes petere quidem Episcopum possunt; eligere vero vel consecrare non possunt.*

Episcopatus virtutis & scientiæ merces.

Testis *Hildebertus* Cenomanensis Episcopus Epistola III. ad Amicum scribens, quem Rex Episcopum eligi curaverat. *Virtuti*, inquit, *gratulor, cui sub solo Rege nostro suam video non deesse mercedem. Novit ille, Regiam manum melius donativo splendere, quam sceptra : nec satis esse Principi subditos ad bene agendum exemplis provocare, nisi provocentur & præmiis. Hinc est quod defæcati mores tui summo donati sunt Sacerdotio; quo nihil convenientius sanctorum vel remuneratio est, vel materia studiorum. Sane sana Regis dispositio, Ecclesia nihil melius potuit providere quam te, cujus & scientia subjectis proficiunt, & patrocinio victus exultat.*

Petrus de Castra ab Archiepiscopatu Bituricensi a Rege exclusus, nihilominus eligitur, & a Romano Pontifice consecratur.

Mortuo *Alberico* Archiepiscopo Bituricensi, anno 1141. Rex *Ludovicus VII.* eligendi libertatem Clero concesserat, excluso *Petro de Castra*, quem se vivente, non futurum Archiepiscopum juraverat. Is nihilominus electus Romam se contulit : ab *Innocentio II.* est inauguratus, *Judicante, verum non esse electionis libertatem ubi quis excipitur a Principe, nisi forte docuerit coram Ecclesiastico Judice, illum non esse eligendum : tunc enim auditur ut alius.* Verba sunt *Nangii* in Chronico. Archipræsulem recipere noluit Rex iratus. Hic in *Theobaldi* Campaniæ Comitis ditionem se recepit. Pontifex Maximus Sacris interdixit Regi. Pro ipso scripsit *S. Bernardus* ad tres Episcopos Curiæ, *Albericum* Hostiensem, *Stephanum* Prænestinum, *Igmarum* Tusculanum, & *Gerardum* Cancellarium, Epistola 219. *De duobus*, inquit, *non excusamus Regem : Nam & juravit illicite, & perseveranter injuste. Verum id non voluntate, sed verecundia : Nam probro ducitur, sicut optime nostis, apud Francigenas juramentum solvere, quamlibet male publice juratum sit, quamvis nemo sapiens dubitet illicita juramenta non esse tenenda. Verumtamen ne in hoc quidem excusari posse fatemur : Neque enim excusare nos, sed veniam postulare suscipimus; vos videte an excusare eum aliquatenus possit ira, ætas, Majestas. Præerit sine dubio, si misericordiam judicio superexaltandam decernatis, quatenus videlicet talis aliqua consideratio in Rege & puero habeatur, ut hac ei vice tali quidem tenore parcatur, quo tale aliquid de cætero non præsumat. Parcatur sane dixerim, si fieri possit, salva in omnibus Ecclesiæ libertate, simul & Archiepiscopo debita veneratione servata, quem manus Apostolica consecravit. Hoc ipse Rex humiliter petit; Hoc nostra universa citramontana nimium jam afflicta Ecclesia suppliciter deprecatur.* Veniam & absolutionem Regi ab *Eugenio III.* S. Bernardus impetravit.

Regi Archiepiscopum recipere nolenti sacris interdicit Summus Pontifex.

Pro Rege S. Bernardus intercedit, eique Absolutionem impetrat.

Eligendi Pastores Deo grati & regno utiles.

Rex Philippus Augustus expeditionem sacram in Palæstinam suscipiens, Reginæ Matri & Remensi Archiepiscopo, quibus Regni regimen commisit, dedit in mandatis, ut libertatem electionum Canonicis vel monachis rogantibus concederent. „ Si forte contigerit Sedem Episcopalem, vel aliquam Abbatiam Regalem vacare, volumus ut Canonici Ecclesiæ, vel monachi monasterii vacantis veniant ad Reginam & Archiepiscopum, sicut ante nos venirent, & liberam electionem ab eis petant : & nos volumus quod sine contradictione eis concedant. Nos vero tam Canonicos, quam monachos monemus, ut talem Pastorem eligant qui Deo placeat, & utilis sit Regno. Regina vero & Archiepiscopus tamdiu Regalia in manu sua teneant, donec electus consecratus sit & benedictus; & tunc Regalia sine contradictione eis reddantur.

Eamdem in Anglia viguisse disciplinam, constat ex *Lanfranci & S. Anselmi* electionibus, ex ipsius *S. Anselmi* Epistolis, & ex Rerum Anglicarum scriptoribus. De *Willelmo conquæstore* Anglorum Rege & Duce Normanniæ scribit Ordericus Vitalis : „ Cum Pastor quilibet de mundo migraret, solicitus Princeps Præsules & Abbates, aliosque Sapientes Consiliarios convocabat, & eorum consilio quis melior & utilior tam in divinis rebus, quam in sæcularibus, ad regendam domum Dei videretur, summopere indagabat. Denique illum quem pro vitæ merito & sapientiæ doctrina provisio Sapientum eligebat, benevolus Rex dispensatorem & Rectorem Episcopatus constituebat. Hanc nimirum observationem quinquaginta sex annis custodivit, quibus regimen in Ducatu Normanniæ seu Regno Angliæ tenuit. Et inde religiosum morem & exemplum posteris dereliquit. Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat, & iden in eligendis Abbatibus & Episcopis non tam opes seu potentiam, quam sanctitatem & sapientiam personarum considerabat.

Willelmus I. Angliæ Rex cum Consilio Consciențiæ Episcopos & Abbates eligebat; non opes & potentiam, sed sanctitatem & doctrinam considerans.

Idem constat ex *Richardi I.* Epistola ad Londoniensem Episcopum : *Sane*, inquit, *sicut ex quorumdam relatione didicimus, Prior & monachi Dunelmenses elan-*

clandestinam electionem, nobis inconsultis & irrequisitis facere præsumpserunt. Quod si ita est, in Regiam majestatem nostram non modicum est offensum: unde Sinceritati vestræ decrevimus esse mandandum, quod solita provisione curetis, ne id juris & dignitatis, quod nostri progenitores in electionibus Episcoporum Angliæ habuerunt, & nos habere debemus, in aliquo minuatur, ne humanitatis & benignitatis nostræ Ecclesiasticis Personis indulgentius exhibitæ pœnam in honoris nostri dispendio sentiamus. Non enim aliqua ratione sustineremus quod a præfatis monachis, vel ab aliis quidquam cum detrimento honoris nostri in electione Episcopi fieret. Et si forte factum esset, quia in irritum revocaretur. Refert *Radulphus de Diceto*, in *Imaginibus historiarum*.

In Hispania jus idem viguisse docet *Paschalis II.* Epistola LXV. ad *Bernardum* Toletanum Archiepiscopum data. *A Clero*, inquit, *& Populo Burgensi literas accepimus, quibus Paschalis Archidiaconus tuo quidem consilio, sed Rege nesciente, & populo ignorante, significabatur electus. Sed post illius electionem populo expectante, universo Clero consentiente, Rege quoque volente, ipsius Regis germanus asserebatur ad Pontificatum Burgensis Ecclesiæ destinatus. Sane in his dissensionum varietatibus, nostrum est, & Canonum justitiam conservare, & saluti Ecclesiæ providere. Unde solicitudini tuæ præsentia scripta dirigimus, præcipientes ut Comprovincialibus Episcopis convocatis, loco & tempore opportuno, utramque partem ad vestram jubeatis præsentiam convenire: ubi præcipimus earumdem electionum causam omnino canonice definiri.*

Electiones in Italia locum habuisse, Romanorum Pontificum Epistolæ & Synodi testantur, quarum Decreta proferre longum esset. *Alexander III.* Alexandriæ novæ civitati, quam condiderat, Episcopum dedit, servato clericis illius Ecclesiæ in posterum electionis jure. *De novitate*, inquit, *& necessitate processit, quod nulla præcedente electione, authoritate nostra vobis & Ecclesiæ vestræ electum providimus.... Statuimus ut non præjudicetur in posterum, quo minus electionem liberam habeatis, sicut Canonici Ecclesiarum Cathedralium, quæ Mediolanensi Ecclesiæ subjacent.*

Electionum confirmatio a quibus facta?

III. Jus confirmandi Episcopos penes Metropolitanos erat: jus confirmandi Metropolitanos penes Romanum Pontificem. Metropolitani Franciæ, & Angliæ, & Germaniæ concorditer electi confirmationem Summi Pontificis non expectabant ad suarum Ecclesiarum administrationem suscipiendam: id quippe Sedes Apostolica ob locorum distantiam permiserat, teste *Innocentio III.* Cap. *Quod sicut*, Extra *De Electione & Electi potestate*, quod ex ejus Rescripto ad Cardinalem *S. Stephani in Cælio Monte* suum in Anglia Legatum excerptum est. *Cæterum*, inquit, *cum antequam tu ad partes Hibernicas pervenisses, illa fuit electio celebrata, & Electus ipse statim cœperit ministrare, tu satis id potes sub dissimulatione transire, cum id, sicut nosti, de Metropolitanis Angliæ & Franciæ, & Alemaniæ, & aliarum partium remotarum, Romana Ecclesia patiatur, Ecclesiarum utilitate pensata: quia si tanto tempore, quousque posset Electus confirmationem cum Pallio a Sede Apostolica obtinere, Regalia non reciperet Ecclesiæ, quæ interim administratione careret, non modicum incurreret detrimentum.* De Episcopis extra Italiam constitutis idem sanxit *Innocentius III.* cap. *Nihil est*, *De Electione & Electi potestate*, ita scribens: *Interim valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia, dispensative propter necessitates Ecclesiarum & utilitates in spiritualibus & temporalibus administrent.*

Lib. I. Antiquæ Collect. III. Decretal. ab Antonio Augustino *editæ.*

Jus est Romani Pontificis omnium Episcoporum electiones confirmare.

Cum *Yvo* Carnotensis Episcopus a *Richerio* Senonensi Metropolitano consecrationis repulsam passus esset, Romam a Canonicis Carnotensibus perductus est, & ab *Urbano II.* consecratus. Ipsum propterea Metropolitanæ Sedis imminuisse dignitatem, & Regium Majestatem offendisse, *Richerius* calumniabatur. Respondit *Yvo*, in consecratione sua nihil contra jus factum; si quidem ad Sedem Apostolicam pertinebat, non Metropolitanorum tantum, sed omnium Episcoporum electiones & consecrationes confirmare. *Est & aliud*, inquit, *in quo evidentissime & irreverentissime os vestrum posuistis in cœlum, & lingua vestra transivit in terra, cum benedictionem per manus impositionem Papæ datam, & Cardinalium Romanæ Ecclesiæ non simpliciter benedictionem, sed qualemcumque, hostili irrisione appellastis: cum ad ipsam principaliter & generalissime pertineat tam Metropolitanorum, quam cæterorum Episcoporum Consecrationem vel confirmare, vel infirmare; Consecrationes vestras & Judicia retractare, suas vero inconcussas retinere, & nullius inferioris judicio retractandas vel corrigendas concedere.* Hæc ille Epistola VIII.

Metropolitanorum & Episcoporum Consecrandorum Professio canonica.

IV. Metropolitani subjectionem & obedientiam Romano Pontifici profitebantur. *S. Anselmus* Cantuariensis Archiepiscopus lib. 3. Epist. 36. se consecratum scribit *sub professione obedientiæ Romani Pontificis*. Gregorius VII. & ejus Successores Juramentum Fidelitatis insuper exegere, novamque præscripsere Formulam. Edita est in Concilio Romano VI. sub *Gregorio VII.* anno 1079. & *Henrico* Aquilejensi Patriarchæ præscripta; & Libro II. Decretalium inserta, Tit. *De Jurejurando*, cap. *Ego N. Episcopus*. Hoc Juramentum necessarium fecit Principum & Episcoporum Germaniæ & Italiæ conspiratio, & Schisma contra *Gregorium VII.* & sequentes Pontifices. His verbis conceptum erat: *Ego N. Episcopus, ab hac hora in antea fidelis ero Sancto Petro, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, Dominoque meo Papæ G. ejusque Successoribus canonice intrantibus: non ero neque in consilio, neque in facto ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium quod mihi aut per se, aut per literas aut per nuncium manifestabit, ad ejus damnum nulli pandam. Papatum Romanæ Ecclesiæ, & Regulas SS. Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum, salvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam; nisi præpeditus fuero Canonica præpeditione. Legatum Apostolicæ Sedis, quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Apostolorum limina singulis annis, aut per me aut per certum nuncium visitabo: nisi eorum absolvat licentia. Sic Deus me adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.*

Juramentum fidelitatis occasione Schismatum Summi Pontifices a Metropolitanis exegerunt.

Paschalis II. qui paucis annis post Gregorium VII. sedit hujus juramenti exactionem vindicavit Epistola quinta & sexta. Posteriorem illam ad Poloniæ Archiepiscopum perperam inscribi & legendum *Colocensi*, vel *Colociensi Archiepiscopo* recte probat vir Juris Consultissimus *Franciscus Florens* ad titulum VIII. Decretalium, *De usu & Authoritate Pallii*, pag. 338. Colocia orbs est in Pannonia sive Hungaria inferiori, ad ulteriorem Danubii ripam, Dacis proxima, ut maxime qui vulgo Transylvani. Nam & quidam Episcopatus in Transylvania parent Colocensi Metropolitano. Istud *Paschalis II.* Rescriptum Lib. I. Decretalium insertum est Tit. VI. *De electione & electi potestate*, cap. *Significasti*. Quod perperam inscribi *Panormitano Archiepiscopo*, & ad Panormitanam Ecclesiam non pertinere, adversus *Baronium* probavit Scriptor *De Jure antiquo Ecclesiæ Siculæ*, Parte II. Cap. XVII. & XVIII. *Paschalis* verba adscribere operæ pretium. *Significasti, Regem, & Regni Majores, admiratione permotos, quod Pallium tibi ab Apocrisiariis nostris tali conditione oblatum fuerit; si sacramentum, quod a nobis scriptum detulerant, exhiberes..... Mirentur in hac causa Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum ovium suarum curam Petro committeret, conditionem posuit dicens:* Si diligis me, pasce oves meas. *Si conscientiarum factor, & cognitor secretorum, conditione hac usus est, nec semel tantum, sed & secundo, & usque ad contristationem: Qua nos solicitudine oportet tantam Ecclesiæ Prælationem imponere Fratribus, quorum conscientias non videmus? Ajunt, omne jusjurandum in Evangelio a Domino esse prohibitum, nec ab Apostolis post Dominum, nec in Conciliis inveniri posse statutum. Quid est ergo quod Dominus subsequenter ait:* Quod amplius est, a malo est? *Hoc enim amplius ut exigamus, malum nos, illo permittente, compellit. Nonne malum est ab Ecclesiæ unitate, & a Sedis Apostolicæ obedientia resilire, & contra Canonum statuta prorumpere? Quod multi, etiam post sacramentum præstitum, præsumpserunt.... Hoc nimirum malo ac necessitate compellimur Juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Ajunt in Conciliis statutum non inveniri: quasi Romana Ecclesia legem*

Concilia ulla præfixerint : cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ Authoritatem & facta sint, & robur acceperint : & in eorum Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur Authoritas ... Cum igitur a Sede Apostolica vestra Insignia Dignitatis exigitis, quæ a B. Petri tantum corpore assumuntur, justum est ut vos quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debita signa solvatis, quæ vos cum B. Petro tamquam membra de membro habere, & Catholici Capitis unitatem servare declarent.

Dictum Juramentum Schismatum occasione introductum fuisse confirmat *Petrus Diaconus* libro 4. Chronici Cassinensis, cap. 97. ubi narrat quomodo *Honorius II.* Pontifex Maximus illud a *Senioreto* Cassinensi Abbate exegerit, & quomodo Monachi repugnarint. *Interea*, inquit, *Apostolicus ex Urbe ad Monasterium venit. A quo idem Abbas primus in hac Ecclesia consecrationem accepit. Cœpit postea sacramentum fidei vehementer exquirere, atque ad id animo insistere. Fratres omnimodis reniti & contradicere, numquam id Cassinenses Abbates fecisse dicentes. Cumque objiceret, quod Episcopi & Archiepiscopi omnes facerent, id Abbatem quoque Casinensem facere debere: Nostri e contra, illos Hæresum causa merito jurare compelli, fidemque exigi, quia sæpius in Hæresim lapsi, contra Romanam Ecclesiam fecissent. At vero Casinensis Ecclesia numquam in Hæresim lapsa est, aut contra Apostolicum sensit. Hac ratione suscepta Papa conticuit.* At cum postea Cassinenses *Anacleto* Antipapæ contra *Innocentium II.* studuissent, Gerardus Cardinalis *Innocentii II.* Legatus Sacramentum fidelitatis ab ipsis exegit. *Petrus Diaconus* Fratrum nomine respondit, Regulam *S. Benedicti* Juramentum Monachis prohibere. Imperatorum etiam Legibus cautum ne Monachi ad Sacramentum compellantur. Prolata sunt Principum Diplomata. Monachis favit Imperator *Lotharius*, cujus precibus annuens Romanus Pontifex, Juramentum dumtaxat obedientiæ, non fidelitatis exegit. *Noverit vestra Celsitudo, Cæsar Invicte* (inquit Gerardus Legatus) *hæc Dominum Apostolicum vestris ita annuisse Mandatis, ut vestri causa, fidelitate omissa, Sacramentum solummodo obedientiamque requirat.* Necdum paruere Cassinenses. Se Patrum exemplo excusarunt, a quibus Romani Pontifices numquam Sacramentum exegere. Legatus respondit, Juramentum ab ipsis postulatum non fuisse, quamdiu in Ecclesiæ unitate manserant. *Sed postquam Schisma incurrissent, absque Sacramento recipiendos non esse : protulitque jussu Papæ Innocentii Capitulum Nicæni Concilii, Ut revertentes a Schismate absque Sacramento non reciperentur.* Imperator precibus, minis, Legationibus ab *Innocentio II.* impetrare conatus est ut Cassinenses a Juramento dispensaret. Supplex ipse ad Sedem Apostolicam accessit hac de causa, cui satisfecit *Innocentius*, graviores pœnas in Schismaticos decretas Cassinensibus in gratiam ejus Majestatis condonare significans, modo Schismati solemni ritu nuntium dicerent, ac obedientiam sibi suisque Successoribus jurarent. Quod *Rainaldus* Abbas, eoque jubente Monachi tandem præstitere, sub hac Formula : *Ego Rainaldus refuto & anathematizo omne Schisma, & omnem hæresim extollentem se adversus sanctam & Apostolicam Ecclesiam. Anathematizo etiam filium Petri Leonis, & Rogerium Siciliæ Comitem, omnesque illorum complices ; & obediens ero Domino Papæ Innocentio, & Successoribus canonice intrantibus.* Ista constant ex Chronico Cassinensi lib. 4. capp. 110. 114. & 116.

S. *Thomas Cantuariensis* Epistola 118. Lib. 1. ad Herefordensem & Vigornensem Episcopos scribit, sibi persuasum esse quod nullius turbinis impetus ipsos a fide & obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ poterit separare : *Ad quam*, inquit, *cum ex restitutione Filii Dei Ecclesiam in se Petra solidissima fundantis, omnis anima teneatur, arctiori quidem vinculo adstrictus est Ordo Pontificum, qui in Consecratione de observatione Legis Divinæ, & Sacrorum Canonum, & de Obedientia Mandatorum Sedis Apostolicæ, &c. profitentur.*

Episcopi Metropolitanis canonicam obedientiam promittebant.

Episcopi Metropolitanis canonicæ obedientiæ professione se obstringebant. Hinc illa *Eadmeri* in Vita *S. Anselmi* querela : *Quidam ex Episcopis Archiepiscopo suo atque Primati omnem subjectionem professam que obedientiam uno impetu abnegant.* Yvo Carnotensis Epistola 73. Prælatos omnes subalternos obedientiam suis Superioribus professos fuisse docet. *Quomodo enim*, inquit, *connexa sibi ad invicem poterunt esse membra corporis Christi, nisi Dispensatores Canonicarum vel Monasticarum Congregationum eam obedientiam exhibeant Prælatis suis, quam sibi exhiberi volunt a subditis suis? .... Debitores autem esse, qui ad Dignitates promoventur Ecclesiasticas, promittendæ obedientiæ, testatur Concilium Toletanum Undecimum, &c. Ipse enim Summus Pontifex, antequam Consecrationis gratiam consequatur, Consuetudines Romanæ Ecclesiæ, & Decreta Prædecessorum suorum se inviolabiliter servaturum profitetur. Sic reliqui Pontifices ante Consecrationem examinantur ; omnem veterum morum honestatem & debitam obedientiam se exhibituros suis Ordinatoribus pollicentur.*

VI. Reges Juramentum fidelitatis, & Hominium ab Episcopis exigebant. Hominia Laicis præstari ab Episcopis vel Presbyteris prohibuere Gregorius VII. Urbanus II. in Concilio Claromontano Canone XVII. & in Synodo Romana anno 1099. & Concilium Rothomagense anno 1096. Reges hisce Decretis parere noluerunt, quæ Regia Jura convellere videbantur. Dissimularunt ac cesserunt interdum œconomiæ pacisque gratia, Romani Pontifices. *Radulphum* Remensem Archiepiscopum ad hominium & sacramentum fidelitatis præstandum compulit *Ludovicus VI.* Rex Christianissimus in Conventu Ordinum Regni in Urbe Aurelianensi celebrato an. 1115. Qua de re *Yvo* Carnotensis Episcopus Epistola 190. ad Paschalem II. ita scripsit: *Reclamante Curia, plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi prædictus Metropolitanus per manum & Sacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam Prædecessoribus suis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenses Archiepiscopi, & cæteri Regni Francorum quamlibet Religiosi & Sancti Episcopi. Quod persuadentibus & impellentibus totius Curiæ Optimatibus, etsi propter Mandatorum rigorem minus licebat, factum est tamen, quia Ecclesiasticæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat ... Consulendo & monendo rogamus, ut ibi consilii & pietatis studeatis visceribus abundare, ubi fas non est debitam fortitudinem exercere.* Hac de quæstione inter *Henricum I.* Angliæ Regem, & *S. Anselmum* Paschalis II. Papæ Decretis inhærentem diu multumque disceptatum est. Annuit tandem Pontifex, ut Hominia ab Episcopis & Abbatibus electis Rex acciperet, nec propterea Benedictionis munere privarentur; modo Investituras Ecclesiarum per annulum & baculum non conferret. Id constat ex Epistola 16. *Paschalis II.* ex *Eadmero* in *Historia Novorum*, & *Willelmo Malmesburiensi* lib. 1. *De Gestis Pontificum Anglorum*. Inter Consuetudinum Regiarum Articulos quas Rex Angliæ *Henricus II.* in Conventu Clarendonensi promulgavit, quibus Episcopi omnes Anglicani, uno excepto Cantuariensi Archiepiscopo & Martyre Sanctissimo *Thoma* subscripsere, anno 1164. hunc legere est Episcopos electos spectantem: *Electus homagium & fidelitatem Regi, sicut ligio Domino suo, de vita sua, & de membris, & honore terreno, salvo ordine suo faciet, priusquam consecretur.*

Juramentum fidelitatis & hominium præstitum Regibus.

Ægre tulere Summi Pontifices ut hominium exigeretur.

Regula prudentum in Ecclesiastico Regimine sequenda.

Fredericus I. Imperator Hominium & Juramentum fidelitatis ab Episcopis exigebat, quod ipsi exprobravit *Hadrianus IV.* anno 1159. his verbis : *Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis a te promissa & jurata, quomodo eam observes, cum ab iis qui Dii sunt, & filii excelsi omnes, Episcopis videlicet, homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum sacratas manibus tuis innectis.* Cum de concordia Sacerdotii & Imperii ageretur, postulavit Pontifex ut ab Episcopis Italiæ solum sacramentum fidelitatis *sine hominio* exigeret. *Fredericus* respondit : *Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto Hominium ; si tamen & eos de nostris Regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint a Romano Præsule, Quid tibi & Regi ? Consequenter eos ab Imperatore non pigeat audire, Quid tibi & possessioni?* Ita refert *Radevicus* lib. 2. cap. 30.

Ludovicus Sextus Provinciæ Burdegalensis Episcopos ab hominis servitute absolvit.

Rex Christianissimus Ludovicus VI. Episcopos Burdegalensis Provinciæ ab *Hominii* servitute absolvit, ipsis-

ipsisque canonicarum electionum libertatem concessit, Diplomate dato Patisiis in Parlamento, anno 1137. cujus hæc sunt verba: *Regiæ Majestatis est, Ecclesiarum quieti pia solicitudine providere, & ex officio susceptæ a Domino potestatis, earum libertates tueri, & ab hostium seu malignantium incursibus defensare. Sic nimirum Regalis apicem Dignitatis nos a Domino, a quo omnis potestas est, consecutos esse constabit, si juxta Evangelicam Institutionem, & Apostolicæ doctrinæ traditionem, in Sancta Dei Ecclesia Ministerium accincti, pro ejusdem tuenda libertate, qua Christus eam liberaverit, & pacis quiete operam demus. Ea propter petitionibus vestris, communicato prius Episcoporum, Abbatum, & Procerum nostrorum consilio, assentiente Ludovico filio nostro jam in Regem sublimato, innuendum: & in Sede Burdegalensi, & in prænominatis Episcopalibus Sedibus & Abbatiis ejusdem Provinciæ, quæ defuncto Illustri Aquitanorum Duce ac Comite Pictavis Guillelmo, per filiam ipsius Alienoram jam dicto filio nostro Ludovico sorte Matrimonii cedit, in Episcoporum & Abbatum suorum electionibus canonicam omnino concedimus Libertatem, absque Hominii, Juramenti, seu Fidei per manum datæ obligatione.* Hoc diploma ediderunt *P. Labbè* S. J. in Miscellaneis Curiosis, cap. XII. & *Bollandus* in Commentario prævio ad Vitam *S. Guillelmi*, §. IV. inter Acta Sanctorum Februarii mensis, Tom. II.

Licentia suscipiendi Episcopatus quando & a quibus petenda?

VII. Qui in alin Regnn aut Principatu designabantur Episcopi, licentiam suscipiendi Episcopatus a Principe cujus erant subditi, & ab Episcopo e cujus erant Diœcesi, ex officio postulabant. Id probat *S. Anselmi* factum relatum ab *Eadmero*, lib. 1. *Historiæ Novorum*. Cum enim Cantuariensis Archiepiscopus a *Willelmo II.* Rege designatus, & ab Episcopis electus esset, atque ad Regem duceretur, Investituram Archiepiscopatus accepturus, totis viribus restitit, hac inter alias ratione dissensum suum excusans: *Abbas sum Monasterii Regni alterius, Archiepiscopum habens, cui obedientiam; terrenum Principem, cui subjectionem; Monachos, quibus debeo consilii atque auxilii subministrationem. His omnibus ita sum adstrictus, ut nec Monachos deserere possim sine illorum concessione, nec me a dominatu Principis mei valeam exuere sine ejus permissione; nec obedientiam Pontificis mei subterfugere queam, cum salute animæ meæ, absque illius absolutione. Interea* (inquit Eadmerus) *missi sunt a Rege Nuntii cum literis in Normanniam ad Comitem, ad Pontificem Rothomagensem, ad Monachos Beccenses, quatenus his quæ in Anglia de Abbate Beccensi gesta fuerant, singuli, quantum sua intererat, præberent assensum.... Tandem importuna ratione devicti, quæ de Anselmo cœpta erant, perfici concesserunt, & ne onus impositum subterfugeret, ei per obedientiam injunxerunt. Unde & literæ a singulis singulæ scriptæ sunt, quæ in uno eodemque concordantes per Nuntios Anselmo & Regi sunt transmissæ.* Guillelmi Archiepiscopi Rothomagensis literas *Eadmerus* describit, quarum hic erat tenor: *Frater Guillelmus Archiepiscopus, suo Domino & amico Anselmo, Dei benedictionem & nostram. De his quæ de vobis me Rex quæsivit, & de quibus ipse mihi scripsisti sicuti de tanta re decuit, huc usque diu multumque pertractavi.... Nostram voluntatem Divinæ subjicimus, atque ex parte Dei, & Sancti Petri, omniumque amicorum meorum ac vestrorum, qui secundum Deum vos diligunt, jubeo ut Pastoralem Curam Cantuariensis Ecclesiæ & Ecclesiastico more Benedictionem Episcopalem suscipiatis, ovium que vestrarum vobis [ut credimus] divinitus commissarum saluti deinceps invigiletis. Valete, Viscera mea.*

Cessiones Episcopatuum quando licitæ?

VIII. Cessiones Episcopatuum fieri non poterant nisi gravibus de causis & canonicis, cum licentia Metropolitani, vel Synodi, & maxime Summi Pontificis. *B. Petrus Damiani* absolutionem ab Episcopatu semel iterumque petiit a Summis Pontificibus Nicolao II. Alexandro II. & Gregorio VII. Quibus Opuscula *De abdicatione Episcopatus* & *Apologeticum ob dimissum Episcopatum* dicavit. Missionem se non obtinuisse ait, cum primum petiit a *Nicolao secundo*. Quia tunc Ecclesiæ res postulabant ne e statione decederet. *Apud vos, inquit, tunc non obtinui missionem, quia Romanæ Ecclesiæ, quæ ruinam minari videbatur, id auxiliari non poscebat.* Nunc autem pacatis Ecclesiæ rebus, cessionem suam ratam haberi postulat, & sibi quietem indulgeri ob grandævam senectutem & ut vitæ reliquum in Pœnitentia transigere possit. *Cum igitur sub sancto Pontificatu vestro jucunda pace universalis Ecclesia potiatur, canis meis & grandævæ jam senectuti, quæso, requies non negetur. Quapropter ob remissionem omnium peccatorum meorum, quæ nequiter perpetravi, cedo jure Episcopatus, & per hunc annulum [virgam enim tulistis] desperata deinceps omni repetendi querela, renuncio. Utrumque etiam vobis monasterium reddo: & ut quiescendi mancipium veterano & emerito militi permittatur, imploro.* Episcopatum vero dimitti posse, multis probat Sanctorum exemplis, nec tamen licite deseri docet absque necessitate aut gravi de causa. *Plerique* (inquit) *Pontificatus jura non deserunt, & de sinistris sunt: quotquot autem legimus recta intentione dimisisse, certa spes est eos de æterna cum Christo societate gaudere. Neque tamen hoc dicimus, ut passim deseri Episcopatum liceat, nisi videlicet id fieri necessitas, sive rationalis qualibet causa deposcat.* Denique Opusculum his verbis concludit: *Horum igitur, aliorumque Patrum authoritate suffultus, Episcopatui simul & monasterio in sanctis manibus vestris irretractabiliter abrenuncio, omneque jus a me movenda in posterum quæstionis ac repetitionis abscindo: Et quia pro innumeris peccatis meis non sum dignus in Ecclesiastica dignitate persistere, det mihi divina misericordia per sanctas orationes vestras, Venerabilis Pater, eo ipso vita quod restat, in luctu & pœnitentia permanere.*

Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus ab *Alexandro secundo* absolutionem ab onere Pastorali pariter petiit, repulsamque passus est. *Rogo*, inquit, *sicut vestra, cui contradici fas non fuit, me authoritate alligastis: sic quoque alligatum, abrupto per eamdem authoritatem hujus necessitatis vinculo absolvatis; vitamque cœnobialem, quam præ omnibus rebus diligo, repetendi licentiam concedatis; nec in hujus rei sperni petitione debeo, quam tam pie, tam necessarie, tam justis ex causis concedi mihi a vobis deposco.... Quod si fortasse considerata aliorum utilitate secus agendum, mihique id denegandum esse decernitis, valde vobis cavendum atque timendum est, ne unde vos mercedem habere apud Deum existimatis, inde peccati periculum incurratis. Nullus est enim a me aut per me in hac terra animarum profectus; aut si aliquis existit, tam parvus est, ut detrimentis meis comparari non possit.* Epist. 1.

Hermannus Episcopus ex monasterio assumptus senio confectus, & sustinendæ sarcinæ Pastorali jam impar, Episcopatu cedere, & in monasterim redire volebat. Ipsum censurarum Ecclesiasticarum minis prohibuit *Lanfrancus* ejus Metropolitanus, & *Alexandrum secundum* Pontificem Maximum consuluit quid facto opus esset. *Nisi ego censura canonica obstitissem*, inquit, *jampridem aut Regi Episcopatum reddidisset, aut clam ad monasterium confugisset. Et quidem dum virili robore atque juventa viguit, scientia divinarum atque mundanarum rerum præditus, ad Pastorale officium satis utilis persona extitit; sed jam senili ætate, prolixaque ægritudine confectus, debito officio curam impendere ulterius non valet. Nec existimet Sancta colendaque Beatitudo vestra, quod aut quibuslibet injuriis lacessitus, aut Regalibus angariis ultra vires prægravatus, hoc facere velit..... Sed sicut puto, & revera est, exactis in hac vita compluribus annis, jam tandem proximus morti, priusquam moriatur, a vinculis ac mole tanti oneris desiderat absolvi ac liberari, & in extremo saltem vitæ suæ, Psalmis, Hymnis, orationibus, lectionibus occupari. Propterea Apostolicæ Sedis celsitudinem consulendam putavi, quatenus ab ea instructi certissime teneamus quid concedere vel facere debeamus. Nec id differri oportet, quia valde timendum est, nisi solertia vestra provideat, ne ejus corporalis incommoditas multis animabus causa perditionis existat.* Epist. 11.

Gregorius VII. Rothomagensem Archiepiscopum non corporis dumtaxat, sed mentis ægritudine laborare cum accepisset, *Hubertum* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum misit ad *Guillelmum* Anglorum Regem Apostolica Legatione ornatum, ut dicti Archiepisco-

pi statu comperto, ipsum ad Cessionem compelleret, aut si amenrem ægritudo fecisset, alius in ejus locum eligeretur par tanti ponderis Dignitati. „ Hubertum, *inquit*, mittimus, qui cum viris religiosis Episcopis Abbatibus, ejusdem etiam Ecclesiæ Fratribus, prædictum Archiepiscopum adeat, diligenti & pia consideratione examinet, an Pastorali Moderamini præesse, ut oportet, valeat. Si vero valetudine corporali sic judicent destitutum, ut amodo Episcopali non sit aptus Regimini, prius admonitionibus sibi persuadere non desistant, si oportuerit, etiam Authoritate Apostolica, ut suo consensu ordinetur Ecclesia. At si valetudo sic eum oppresserit, ut insensatum & officii sui obliviosum reddiderit, non dijudicans quanti sibi, & universæ patriæ, ægritudo sit detrimenti, præcipimus Authoritate Apostolica virum tanto ponderi competentem, bene moratum & sapientem, universorum consensu canonice eligi, & in Archiepiscopum promoveri. [*Lib. V. Epist. XIX.*]

Idem Pontifex *Transmundum* Valvensem Episcopum castigavit, quod Episcopatum absque ratione dimisisset, ut ipse testatur Epistola XV. Libri VIII. ad Valvenses scripta. „ Duris verbis increpuimus, *inquit*, propterea quod Episcopatum sine ratione dimiserat. Præcepimus etiam illi propter istam stultitiam, ut de Episcopatu se deinde non intromitteret, sed iret ad Montem Cassinum, ibique tamdiu esset, donec cum præfati loci Abbate, aliisque religiosis & prudentibus viris consilium caperemus, quid de illo & vestra Ecclesia esset faciendum.

Azelinus Parisiensis Episcopus ægritudinis causa Episcopatu cessit, *Franconem* in locum suum eligi rogavit: postea repetere voluit Episcopatum, sed frustra id ipsum tentare scripsit *S. Fulbertus* Carnotensis Episcopus, eumque graviter increpuit quod Dignitatem canonice abdicatam rursus ambiret. „ Si, *inquit*, de repetendo Episcopio querimoniam incipere velis, non satis apparet cui eam jure intendere possis. Nullus enim te expulit, nullus Cathedram tuam te renitente pervasit, sed ultro, causa ægritudinis (ut ajebas) curam Episcopalem simul & Cathedram reliquisti, ut perhibent. Et sive Franconem tunc Decanum Parisiensis Ecclesiæ, sive quemlibet alium, subrogari tibi verbis & scriptis a Rege petiisti. Quod si ita est, & sic tibi consequenter substitutus est Franco, eligente Clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonensis, fulcitur utique substitutio & consecratio ejus favore & Authoritate B. Gregorii Papæ, qui scriptis suis, sicut nulli Pontificum non petenti, pro qualibet ægritudine succedendum fore docuit, ita voluntarie renuntianti Sedi suæ Successorem nullo modo denegavit.

S. Anselmus apud *Urbanum II.* intercessit pro Bellovacensi Episcopo ex Monasterio Beccensi assumpto, ut eum ab Episcopatu absolveret, propter simplicitatem rebus gerendis imparem. „ Nihil proficit in Episcopatu, *inquit*, sed & ipse a sui custodia impeditur, nec rebus Ecclesiæ prodest; nec in futuro ego, aut aliquis eorum qui rem noverunt, & secundum Deum eam considerare volunt, aliquid melius, sed deterius expectamus. Non quia in ejus innocenti vita aliqua culpa malæ voluntatis sit; sed quia non est talis qui tantum onus possit sustinere, tantam malitiam intuentem, tantas insidias circumstantes cavere..... Quapropter ego, & alii secundum Deum amici ejus, corde cum ipso prosternimur ad vestigia vestræ Misericordiæ, ut ei viscera sua aperiat, & de tanto malo & periculo, in quibus sine utilitate esse se sentit, clementer eripiat. [*Epistola XXXIV. lib. II.*]

Sanctus ipse *Anselmus* Urbanum II. enixe rogavit ut sibi missionem ab Archiepiscopatu concederet. *Hæc est*, inquit, *summæ supplicationis meæ, propter quam ad vos ire volebam, ut sicut Deum anima mea, & animam meam Deo desideratis, per paternam & Apostolicam pietatem, animam meam de vinculo tantæ servitutis absolvatis*. (Apud Eadmerum lib. 11. *Historia Novorum*.) Non obtinuit S. Anselmus quod rogabat: quia Summus Pontifex tam Sanctum Archipræsulem, tam strenuum Ecclesiasticæ Disciplinæ & libertatis vindicem, Ecclesiæ Anglicanæ esse necessarium intellexit.

Hildebertus Cenomanensis primum Episcopus, deinde Archiepiscopus Turonensis, de se ipso scribebat ad *S. Bernardum* Epistola XXIV. *Habeo atque ago gratias vestræ Religioni; cujus sinum, quasi reus aram, jamdudum complexus essem, si consultus Papa Pontificis onus amoliri permisisset. Ille dum me remisit ad laborem, invidit gloriam, non imputet ei Dominus.*

S. Hugo Gratianopolitanus Episcopus missionem ab Episcopatu semel, iterumque petiit ab *Honorio II.* Pontifice Maximo, eamque ut impetraret, Romam se contulit. Recusavit Pontifex, existimans *Quod sola authoritate & sanctæ conversationis exemplo plus posset plebi prodesse subjectæ debilis & ægrotus, quam quivis alius, robustus licet & sanus*. Ita refert *Guigo* Carthusiensis in ejus Vita, inter Acta Sanctorum mensis Aprilis a Patribus *Henschenio* & *Papebrochio* edita, Tom. I.

S. Malachias Archiepiscopus Armachanus ab Innocentio II. *cum multis lachrymis implorabat licere sibi vivere & mori in Claravalle, permissa & benedictione ipsius. Non autem obtinuit, quod Vir Apostolicus lucris potius uberioribus occupandum decerneret*, (inquit *Sanctus Bernardus* in ejus Vita cap. XVI.)

Idem *S. Bernardus* Epistola 373. *Thurstino* Eboracensi Archiepiscopo suadet ne curam Pastoralem dimittat, nisi forsan crimen aliquod commiserit, aut licentiam a summo Pontifice obtinuerit. „ Istæ, *inquit*, quas prætenditis, causæ curæ Pastorali non videntur posse præscribere: nisi forte (quod absit, & nos non credimus) mortale aliquod commissum sit, aut Summi Pontificis Authoritate emerito fuerit indulta licentia. Nam neque vos ignorare credimus illud Apostoli: *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem*. Verbo siquidem promissionis qualem vos fecisse dicitis, non tenetur Episcopus, quominus in eo quo vocatus est, Ministerio perseveret. Videtur ergo nobis, sanius sapienti non præscribentibus ut quod tenetis, teneatis, & humilitatis habitu vitæque sanctitate Monachum exhibeatis in Episcopo. Quod si aut causa latens cedere compellat, aut Dominus Papa quietem indulgeat; pro nostro exiguo sapere consilium damus, ut nulla victus aut vestitus asperitas, nulla omnino paupertas vos deterreat, quominus transeatis, ubi majorem invenire speratis puritatem.

Petrus Blesensis Arnulpho Lexoviensi Episcopo suasit ne Episcopatu cederet ob molestias a Principe, a Capitulo, aut ab aliis illatas, sed tantum si per ambitionis suffragia ad eum pervenisset. (Epistola XLIV.) „ Scio, *inquit*, quia jam declinatis in senectam & senium, corpusque confractum laboribus & ætate suum prænuntiat imperfectum. Habet quidem SS. Patrum institutio ut Episcopis infirmis & senibus Coadjutor addatur..... Quod si Principis indignationem, aut Capituli vestri vexationes, aut alias hujus vitæ molestias formidatis, & ideo pacem eligitis & quietem, hominem degeneris & dejecti animi decet hæc facere......... Si vero vestri Principis gratiam affectatis, eam potestis obtinere levissime, dummodo vos habeatis circa eum humiliter & devote. Ipse homo est qui rebellionem & contumaciam in Episcopis super omnia detestatur. Ipse est qui sola humilitate vincit & vincitur. Porro aliunde subesse potest legitima resignationis occasio. Cum enim scriptum sit, quia proni sunt sensus hominis ab adolescentia in malum; dicitur quod ab adolescentia cœpistis Ecclesiasticos honores olfacere, & ad hunc honorem qui nunc onerosus est vobis, obsequiis atque intercessionibus, & aliis ambitionis humanæ suffragiis aspirare. Currite ergo ad conscientiæ vestræ testimonium, & si inveneritis vos minus canonicum habuisse ingressum, sitis solicitus de egressu. Nam hic resignatio habet locum. Beato enim Gregorio teste, Qui in ovile ovium non per ostium, sed aliunde ascendit, ad æternæ salu-

Qui minus canonicum ta Episcopatam ingressum habuit, solicitus esse debet de egressu.

,, salutis bravium in vanum se fatigat, nisi honorem ,, in quo deliquit, penitus derelinquat.

Cum *Geffridus* Angliæ Princeps, Lincolniensis Episcopus electus, Ordinem Sacerdotii & Episcopalem Consecrationem suscipere negligeret, *Alexander III.* Cantuariensi Archiepiscopo injunxit ut eum Ecclesiastica Censura compelleret ad renunciandum electionis, aut ad suscipiendum Ordinem. Renunciare maluit, scripsitque ad Archiepiscopum Cantuariensem his verbis: *Omne jus electionis meæ, & Lincolniensem Episcopatum, spontanee, libere & integre in manu vestra, Pater Sancte, resigno, tam electionis, quam Episcopatus absolutionem postulans a vobis tanquam a Metropolitano meo, & ad hoc ab Apostolica Sede specialiter delegato.* Ita refert *Rogerus de Hovedea* parte posteriori Annalium pag. 611. Lincopensem in Dania Episcopum, qui abdicato Episcopatu, in Monasterium secesserat, id præstare non potuisse absque authoritate Romani Pontificis, scripsit *Alexander III.* Epistola 23. Appendicis primæ. *Verum*, inquit, *licet ei non licuerit absque Authoritate Romani Pontificis Episcopali Dignitati abrenuntiare, &c.*

Resignatio in favorem, & Coadjutoris assumtio, quibus de causis, qua authoritate, quibus conditionibus facta?

Resignationes Episcopatuum in favorem seu Coadjutorum assumptiones, non fiebant absque gravi necessitate, Authoritate Romani Pontificis, & salvo electionum jure. *Sancius* Aragonensis Episcopus *Gregorium VII.* adiit, & deserendi Episcopatum licentiam ab ipso postulavit ratione infirmitatis pene continuæ, qua confectus erat, ac prope consumptus: duosque ipsi proposuit Clericos, quorum alterum Pontifex Episcopum consecraret, sibique Successorem daret. *Gregorius* inquisitione facta de eorum origine, vita, & moribus, spurios esse cognovit, eosque propterea rejecit. Episcopo vero præcepit ut ipse, quantum poterat; Episcopali Officio in Spiritualibus insistens, & auxilia Comprovincialium Episcoporum petens, ad gerendas exteriores curas, id est, ad Jurisdictionis, & temporalia negotia, talem Clericum in Ecclesia constitueret, qui ad tantam procurationem providus, & si res postularet ad succedendum in Episcopalem dignitatem esset idoneus. Quo per annum solidum aut amplius probato, si illius vita, mores, & disciplina Summum Sacerdotium mererentur, Episcopi Regisque literis, adjuncto Cleri ejusdem Ecclesiæ testimonio, id Sedi Apostolicæ denunciaretur, quæ de Ordinatione Ecclesiæ deliberato consilio certum & salubre Responsum daret. Constat illud ex Epistola *Gregorii VII.* ad *Sancium* Aragonum Regem, quinquagesima libri secundi.

Christianus Armachanus Archiepiscopus, Hiberniæ Primas, infirmitate confectus & senio, sibi designari atque consecrari successorem postulavit quemdam Cisterciensis Ordinis Monachum. Celebrata electio est; Cleri, Procerum, Populi in ipsam conspiravit assensus. *Henricus* Cardinalis Albanensis Episcopus, Sedis Apostolicæ Legatus ipsam confirmavit. Necesse tamen fuit ut Summi Pontificis Authoritate negotium istud consummaretur. Quare Legatus ad *Alexandrum III.* scripsit: *Infirmitate confectus & senio quietis & vacationis vota concepit, fatiscentem nimirum causatus ætatem. Facta igitur cessione Pontificii quod gerebat, ne gentem in qua hactenus laboraverat, absque consolatione dimittat, virum venerabilem, scilicet latorem præsentium, ordinari sibi desiderat Successorem, celebrata electione in ipsum a Clero, & Populo, & Magnatibus terra ejus. Unde nos, licet tales in observantiis Ordinis adjutores nequaquam in Ecclesiasticis functionibus fieri cupiamus Antistites, adducimur tamen assensum nostrum præsenti negotio non negare, timentes utique illic Barbaræ Nationi.... Quapropter si ita videtur & Vobis, rogamus ut votis & desideriis prædicti Pontificis, tam in absolutione ejus, quam in Ordinatione illius efficaciter annuatis.* Edita est hæc Epistola cum aliis ejusdem *Henrici* Cardinalis Tomo III. Bibliothecæ Cisterciensis.

Eschillus, Lundensis Ecclesiæ in Dania Metropolitanus, & Sedis Apostolicæ Legatus, ab *Alexandro III.* missionem ab Episcopatu, & licentiam Monasticæ Professionis, in Ordine Cisterciensi amplectendæ importunis precibus anno 1177. obtinet. *Romani Pontificis Epistola, sine cujus nutu Rex Dignitatem ab ipso deponendam negabat, in commune relegenda profertur:* Rex optare se significat ut Religiosissimus Archipræsul sibi ipse designet Successorem. Ille *aliam Romanæ Dignitatis Epistolam explicat, qua sibi Legationis habenæ tenenti, subrogandi Antistitis arbitrium mandabatur. Ea perlecta, potestatem, quam sibi indulgentia Romana detulerat, ad eos, quibus eligendi jus esse consueverit, transferre se dixit: quod ultro jure suo cedere, quam alienum offendere malit: ne Ecclesiam pro cujus Majestate tuenda semper excubuerit, consueto libertatis beneficio fraudare videretur.* Clero & Rege urgentibus, *Absalonem* Roschildensem Episcopum elegit. Suam ille dimittere Ecclesiam ut nobilioris regimen susciperet, omnino recusavit. Regis Mandato, Collegarum precibus, amicorum suasionibus cum urgeretur, Sedem Apostolicam appellavit. Missi utrinque Legati. Alexander III. rem ita composuit, ut pars utraque sibi pro votis consultum gauderet. *Nam & Absaloni Lundensem Pontificatum assumere jussum, & Roschildensem administrare permissum.* Ita refert *Saxo Grammaticus* lib. 14.

Translationes Episcoporum ob unam Ecclesiæ utilitatem licitæ: & Romani Pontificis Authoritate. Anno MXLVII.

X. Translationes Episcoporum fieri non poterant nisi ob Ecclesiæ utilitatem, & Romani Pontificis Authoritate. Ita verbis & facto docuit *Clemens II.* Pontifex Maximus *Joannis* Pestani Episcopi translationem ad Sedem Salernitanam confirmans, ad eumque scribens: ,, Quoties ita contingit ut exigente necessitate, & maxima utilitate, transmutandus est quisquam ,, Episcopus de propria Sede ad aliam: diligentissime perquirenda est persona, utrum necessario sit ,, transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut ,, major Sedes assumitur. Te vero, Frater Carissime, ,, quem unanimitas Cleri & populi Salernitatæ Ecclesiæ, una cum gloriosissimo Principe Guaimario, ,, de Sede Pestana accepit, & in suum Pontificem elegit, diligenter discussimus, ne tuæ ambitionis ,, causa, & non majoris utilitatis necessitate electus ,, fuisses, aut forte per Simoniacam Hæresim. Quod ,, ita ab omnibus est abnegatum, ut nullius audiratur ore prolatum.... Quapropter annuentes petitioni votoque eorum omnium: & maxime prædicti gloriosi Principis Guaimarii, te Frater, sicut ,, & de Sede propria ad suam transtulerunt, poscentibus tuorum meritis morum, non rapina tuæ avaritiæ id affectante, Apostolica assensione per hoc ,, nostræ authoritatis Privilegium incardinamus & inthronizamus eidem Salernitanæ Sedi.

Leo IX. Joannis Tuscanensis Episcopi Translationem ad Portuensem Ecclesiam, causis in Synodo discussis, approbavit, anno 1049. ut ipse testatus Epistola XIV. ,, Quia, *inquit*, transmigrationem fecisti ,, de Sede Tuscanensi ad Portuensem, dignum duximus in Synodo prius ventilare, utrum juste facta ,, fuerit, vel injuste, quod & fecimus residentes in ,, Synodo & Ecclesia Salvatoris. Cumque ibi diligenter esset examinatum, qua ratione de Episcopatu ,, ad Episcopatum transieris, inventum est tam necessitatis quam utilitatis causa hoc factum fuisse, ,, & judicatum est hoc fieri potuisse. Quæ etiam fuerit necessitas, quæ utilitas, satis patenter est expressum: Necessitas, quia jam Romana Ecclesia ,, in filios, quos ipsa lactaverat, defecerat, quorum ,, tu pars superstes eras congrua: Utilitas vero, sive ,, pro rebus ipsius Ecclesiæ, quæ tibi notæ erant præ ,, aliis, sive pro consiliis standis, sive etiam pro mediatione Romanæ Ecclesiæ & Imperatorum, quorum tu sæpe Mediator fuisti.

Concilium Rothomagense anno 1050. Canone III. migrationes Episcoporum ab una Sede ad aliam, quas cupiditas, non Ecclesiæ utilitas suadet, omnino damnat. *Ut nullus Episcoporum de civitate in qua denominatus & ordinatus est, ad aliam, amplioris honoris causa transire præsumat: sicut de quibusdam auditum est qui putabant Evangelico exemplo posse tueri cupiditatem suam: per quod, ex occasione persecutionis, Apostolici Prædicatores jubentur transire de civitate in civitatem.*

Joanne Abrincensi Episcopo in Archiepiscopum Rothomagensem electo, anno 1067. *Lanfrancus* Cadomensis Abbas, *ut canonice fieret ista conjugatio, Romam adiit, prædictæ Ordinationis licentiam ab Alexan-*

xandra Papa impetravit, (inquit *Ordericus Vitalis* lib. IV. historiæ Ecclesiasticæ.)

Inter propositiones quæ *Gregorii septimi* Dictatus inscribuntur, istam legere est: *Quod liceat Romano Pontifici de Sede ad Sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare.* Idem Pontifex ad *Hugonem* Diensem Episcopum scripsit ut in Sede Lugdunensi Archiepiscopum cito ordinandum curaret: si vero non posset quamprimum aliquis idoneus reperiri, ipse ad ejus regimen accederet. *Quod si cito non potest reperiri, ex Apostolica tibi præcipimus authoritate, ut rogatus a fratribus tuis, & electus ab ejusdem Ecclesiæ filiis, ad regimen prædictæ Lugdunensis Sanctæ accedas Ecclesiæ imitando Dominum & Patrem nostrum Beatum Petrum Apostolum, qui de minori Ecclesia Antiochena translatus est ad Romanam.* (Epist. XVIII. libri IX.)

Paschalis II. Epistola VI. Polonos arguit quod una Regis authoritate, absque Sedis Apostolicæ consensu translationes Episcoporum decernerent. *Quid*, inquit, *super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos, non Authoritate Apostolica, sed nutu Regis præsumuntur?* Idem exprobrat Regi & Episcopis Angliæ, Epistola 107. *Vos præter authoritatem nostram, Episcoporum quoque mutationes præsumitis, quod sine Sacrosancta Romanæ Sedis authoritate ac licentia fieri novimus omnino prohibitum.*

Ejusdem testis est disciplinæ *S. Anselmus* Epistola CXXVI. lib. III. *Sicut*, inquit, *nullus Episcopus sacrari debet alicui Ecclesiæ sine assensu & consilio Archiepiscopi, & aliorum Episcoporum totius Provinciæ: ita qui sacratus est Episcopus, non potest constitui in alia Provincia Episcopus canonice sine consilio & assensu Archiepiscopi, & Episcoporum ejusdem Provinciæ, cum authoritate Apostolica, nec sine absolutione Archiepiscopi & Episcoporum provinciæ in qua sacratus est. Quæ absolutio fieri nequit sine magna & communi consideratione & consilio eorum, sine quibus consecrari [ut dixi] non potuit: & quamvis Episcopatus ejus ita videatur destructus, ut in eo manere non possit.*

Ivo Carnotensis Episcopus *Daimbertum* Senonensem Metropolitanum rogat, ut *Gallonis* Bellovacensis Episcopi, quem Rex Bellovaci ferre nolebat, translationi ad Parisiensem Ecclesiam præbeat assensum, & eam Summi Pontificis authoritate curet confirmari. *Sed quia*, inquit, *Translationes Episcoporum, necessitate urgente, Metropolitani authoritate, & Summi Pontificis dispensatione fieri oportet, Nos, quantum in nobis est, eidem electioni assensum præbentes, Paternitati vestræ suggerimus, quatenus eidem electioni adstipulando, a Domino Papa postuletis, ut prædictum Episcopum per manum vestram transferri præcipiat cum propriam sedem obtinere non valeat.* (Epist. CXLVI.) Eadem de causa scripsit ad *Paschalem II.* Pontificem Maximum: *Sanctæ paternitati vestræ supplicando suggerimus, ut Domnum Galonem Coepiscopum nostrum, de Belvacensi Episcopatu, quem propter sacramentum Domini Ludovici habere non potest, per manum Senonensis Archiepiscopi transferri jubeatis in Parisiensem Episcopatum, quem ei gratanter & devote concedunt pro vestro amore Rex & Regis Filius. Qualiter autem in eum cleri & plebis vota conveniant, dicet vobis præsentium portitor clericus Parisiensis Ecclesiæ canonicus, ut cognoscatis eum bene posse transferri, qui Sedem propriam nulla ratione prævalet adipisci.* (Epist. 144.)

Anno 1125. *Turonici Hildebertum Cenomanensem probatum præsulem sibi asciverant, & Honorii Papæ permissu gaudentes in Turonicæ Metropolis Cathedram transtulerunt*, teste *Orderico Vitali* lib. 12. Historiæ Ecclesiasticæ. *Guillelmo* Cantuariensi Archiepiscopo defuncto, *Henricus Frater Stephani Regis ad regendam Metropolim electus est. Sed quia Episcopus secundum decreta canonum, de propria sede ad aliam Ecclesiam, nisi authoritate Romani Pontificis promoveri nequit, Præsul Wintoniensis in Adventu Domini transfretavit, & Legatis Pictorum ad Innocentium Papam missis, in Neustria, ipse hyemavit.* Ita refert *Ordericus Vitalis*, ad annum 1136. lib. 13. *Historiæ Ecclesiasticæ.*

Cum *Fridericus I.* Imperator anno 1152. Magdeburgensibus Canonicis de Archiepiscopi electione dissentientibus persuasisset ut *Guimannum* Cicensem Episcopum eligerent, ac electo Investituram concessisset, translationem hujusmodi ad nutum Principis, absque causa canonica & sine Sedis Apostolicæ authoritate factam *Eugenius III.* improbavit, & Episcopo Germaniæ tam manifestæ violationi Canonum faventes increpuit Epistola VIII. *Cum*, inquit, *in Ecclesiæ vertice sitis ex divina Providentia constituti, ut de medio ejus quæ fuerint nociva propellere, quæ utilia debeatis attento studio conservare: in causa ista, sicut ex suggestione literarum vestrarum vobis innotuit, non quod expediat Ecclesiæ Dei, quod sacrorum Canonum Sanctioni concordet, quod exinde a cœlesti arbitrio approbetur, sed quod terrenis Principibus placeat, attendistis. Et qui eorum animos a sua minus recta deflectere debuistis intentione, atque ubi esset via Domini demonstrare, non persuasistis quod rectum est, nec stetistis murus pro domo Israel: quinimo* ipsis *ut ait Propheta*, „ parietem ædificantibus, „ vos linivistis illum luto absque paleis. *Non ita sentiebat Princeps Apostolorum, qui ex Fidei suæ Confessione, ut totius Ecclesiæ fundamentum esset, accepit; sed comminantibus sæculi filiis, & Apostolis, si prædicarent in nomine Jesu, mortis exterminium intentantibus, confisus de Domini virtute respondit:* Oportet obedire Deo magis quam hominibus. *Vos autem ne a terrenis videamini Principibus dissentire, illi causæ favorem vestrum impenditis, cui & Ecclesiastica authoritas Constitutionis, & supernæ voluntatis examen pro certo creditur obviare. Cum enim translationes Episcoporum, sine manifestæ utilitatis & necessitatis indicio, divinæ legis oraculum non permittat; cum etiam multo amplior quam in aliis electionibus, Cleri & Populi eas debet prævenire concordia: in facienda translatione de Venerabili Fratre nostro Gumanno Cicensi Episcopo, nihil horum est, sed solus favor Principis expectatur: & nec inspecta necessitate illius Ecclesiæ, nec considerata utilitate personæ, Clero nolente, immo ex parte maxima reclamante, in Magdeburgensi eum decrevistis Ecclesia supplantandum. Quoniam igitur, quicumque temporalis auræ flatibus agitentur, Nos in illius Petræ soliditate fundati, quæ in fundamento Ecclesiæ meruit collocari, sicut non debemus, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut a sacrorum Canonum rectitudine impulsu aliquo deviare: per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus causæ isti favorem alterius non præstetis, & apud Carissimum Filium nostrum Fredericum, quem Deus hoc tempore pro servanda libertate Ecclesiæ in eminentiam Regni evexit, efficere vestris exhortationibus studeatis, ut & ipse a sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, contra sacros Canones, contra Regiæ dignitatis officium, eidem causæ favorem ulterius non impendat; sed Ecclesiæ Magdeburgensi, sicut & aliis Ecclesiis Regni a Deo sibi commissis, liberam facultatem, quem voluerint, secundum Deum eligendi relinquat, & electionem ipsam postmodum favore suo, sicut decet Majestatem Regiam, prosequatur. Nos enim si quod de supra dicto Fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obviandum. Contra Deum autem & sacrorum Canonum sanctiones, nulli omnino petitioni possumus præbere consensum.*

Præclara Eugenii III. Sententia.

Cum *Hadriano IV.* Willelmus Siciliæ Rex anno 1156. multa transegit, quæ ipsius Diplomate Annalium Ecclesiasticorum Tom. XIII. relato exprimuntur: e quibus illud est de translationibus Episcoporum: *Translationes in Ecclesiis fient, si necessitas aut utilitas Ecclesiæ aliquem de una Ecclesia ad aliam vocaverit, & Vos, aut vestri Successores, concedere volueritis.*

Anno 1169. Pactum alias a patre suo cum Sede Apostolica initum Rex Hungariæ confirmavit, quo inter alia *Alexandro II.* & ejus Successoribus se obstrinxerat ad translationes Episcoporum sine Romani Pontificis authoritate non faciendas, ut constat ex Diplomate quod *Baronius* ex Vaticana Bibliotheca edidit. *Quod in se & suis posteris Domino Alexandro Papæ & suis Successoribus noscitur concessisse, videlicet quod sine authoritate consiliove ejus vel Successorum suorum depositionem seu translationem Episcoporum non faceret, vel fieri permitteret, confirmamus.* Translatio-

Tom. XII. Annal.

nes

nes ab uno ad alium Episcopatum in Ecclesia Orientali illicitas fuisse, Nicetas Choniates testatur in Isaacio Angelo, lib. 2. Narrat scilicet istum Imperatorem, *Dositheum* Hierosolymitanum Episcopum ad Sedem Regiæ Urbis provehere decrevisse. „ Quod cum Canones non permittere sciret, Theodorum Balsamum Antiochiæ Episcopum, virum ea ætate Jurisconsultissimum, astu circumvenit, & in privato colloquio indignationem simulat, quod Ecclesia piis & doctis viris ita destituatur, & Monastica virtus ita obsoleverit atque evanuerit, ut nemo sit qui Universalem Sedem illustrare & optime gubernare possit. Hæc & id genus alia non sine dolore præfatus, subjunxit, olim fuisse sibi in animo, illum ex Antiochena Sede in Œcumenicam, ut illustrem legalis puritatis lucernam transferre: Sed ab ea mutatione veterum Canonum & Ecclesiasticarum Sanctionum interdicto deterreri. Si vero ipse, ut Legum & Canonum peritissimus, translationem, ut olim ita nunc quoque habere locum, demonstrare ac vulgo persuadere possit, se eum incunctanter designaturum. Theodorus omnia rata fore affirmavit. Postridie Concilio Pontificum in æde sacra indicto, & quæstione illa agitata, translatio statim concessa, & literis Imperatoris confirmata est. Ac Antiochenus, ut ante fuerat, ita mansit Antiochenus. Dositheus vero a Sede Hierosolymitana Constantinopolim est translatus. At Primarii Sacerdotes, qui se Canonibus temere violatis deceptos videbant, extraordinaria Conciliabula instituunt: alienæ Ecclesiæ occupator audit Dositheus, secundo honore abrogato, e Sede educitur. Imperator vero ignominiam illam non ferens, abrogatione sublata, Dositheum denuo confirmatum per Satellites, & Palatinos Proceres in sacram Ædem deducit, populi motum veritus.... Cæterum rursus Sede ejicitur, magno Vasorum Custode Xiphilino Georgio Patriarcha designato.

Galterio Lincolniensi Episcopo, vitio vertit *Guillelmus Neuburgensis* lib. 3. cap. 8. quod ab illa Sede ad Rothomagensem Archiepiscopatum migraverit. *Post modicum* (inquit) *electus ad Episcopatum Rothomagensem, formæ venustioris blandiente illecebra, novæ nuptæ valedixit. In qua re pensandum est quanti sit momenti ambitus excellentiæ, quantumque in homine pecuniæ, etiam cupidissimo superet amorem pecuniæ. Satis quippe notum est, quod quantum Rothomagensis Ecclesia Lincolniensi præeminet majoritate dignitatis: tantum etiam cedit illi in temporalibus commodis. Homo tamen qui Episcopatum Lincolniensem propter amplissima commoda multum ambierat, maluit eo relicto ad minores divitias ascendere superius, quam eo retento cum majoribus divitiis sedere inferius. Et quidem diu hæsitasse dicitur utrum eminentior an ditior esse eligeret, scrupulose secum deliberans, sed tandem ambitus loci celsioris de amore commodi largioris triumphavit.*

Plura Beneficia tenere an Episcopis liceret?

XI. Etsi quibusdam Episcopis Religione & sanctimonia præstantibus Abbatiæ cum Episcopatu regendæ interdum ab Ecclesia commendarentur, plura tamen Beneficia tenere sacræ Regulæ Episcopis prohibebant. *B. Petrum Damiani* cum Episcopatu Ostiensi duo Monasteria rexisse, Vita ejus & Epistolæ testantur. Abbati cuidam, quem virum religiosum & sapientem noverat, Abbatias *S. Remigii* Remensis, & *S. Arnulphi* Metensis, regendas commisit *Gregorius VII.* Epistola 52. libri 2. Idem Pontifex *Wormundum* Viennensem Archiepiscopum Burgidolensi Monasterio præfecit, amoto *Gualterio* invasore, ut constat ex ipsius Epistolis 27. & 28. libri 6. *Henricum* Principem, *Ludovici VII.* fratrem Claravallensem Monachum sub *S. Bernardi* disciplina omnibus Franciæ Abbatiis ab *Eugenio III.* Pontifice Maximo præpositum, & paulo post Episcopum Bellovacensem creatum, scribit *Joannes Parisiensis* in Chronico ad annum 1149. *Absaloni* Lundensi Metropolitano Roschildensis Episcopatus administratio permissa est ab *Alexandro III.* ut refert *Saxo Grammaticus*. Verum illam Beneficiorum pluralitatem non quærebant religiosissimi Antistites cupiditate aut ambitione ducti, sed caritate, & obedientia compulsi suscipiebant; non ut ditiores essent, sed ut Ecclesiæ utiliores, & ut Regularem observantiam in Monasteriis restituerent aut foverent. *Henrici* Claravallensis velut Generalis Inspectoris atque Moderatoris curæ ac regimini omnia Cœnobia commissa *Joannes Parisiensis* testatur; ita tamen ut proprios Abbates haberent singula. Cæterum Canonibus & moribus Ecclesiæ vetitam fuisse Episcopis Beneficiorum pluralitatem certissimum est. Subdecano Carnotensis Ecclesiæ defuncto, Sylvanectensis Episcopus Beneficium illud sibi aut fratri suo conferri rogavit. Ipsi responsum est, *Non convenire sibi, eo quod Episcopus esset, neque fratri ætate adhuc & moribus immaturo.* Ita refert *S. Fulbertus* Epistola 46. Concilium Wintoniense Canone I. statuit *Quod nulli liceat duobus Episcopatibus præsidere.* Concilium Pictavense anno 1078. Canone II. decernit, *Ut nemo Episcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Præbendam vel alios Ecclesiasticos honores, vel in duabus Ecclesiis Prælationes exerceat, nisi in una tantum.* Cum *Ranulfus* Dunelmensis Episcopus Lexoviensem Episcopatum occupasset, suorumque filiorum adhuc puerorum nomine administrandum retineret, *Ivo* Carnotensis Episcopus *Guillelmi* Rothomagensis Archipræsulis vigilantiam & zelum excitavit, ut hanc infamiam a Domo Dei eliminaret. *Cum enim*, inquit, *in ipsa infantia mundi in Lamech carnalis bigamia sit culpata, quomodo poterit in Sponsa Christi, quæ est Ecclesia, laudari, quæ & sacramento & in veritate sacramenti, uni debet viro desponsari? Eliminetur ergo de Lexoviensi Ecclesia Ranulfus Dunelmensis Episcopus, ut bigamia non admittatur: eliminentur pueri ejus, ut neophytorum hæresis extirpetur.* (Epist. 153.)

Canonibus & moribus Ecclesiæ vetita Episcopis Beneficiorum pluralitas.

Callistus II. Pontifex Maximus decrevit ut Canonicus Parisiensis ad Episcopatum assumptus Præbendam amitteret. (Epist. 24.) *Illud etiam juxta Sanctorum censuram decernimus, ut si aliquis Ecclesiæ Parisiensis Canonicus ad Episcopatus fuerit honorem promotus, & alterius Ecclesiæ gubernacula Beneficiique susceperit; illius de qua assumptus est Ecclesiæ privetur Canonica.*

Concilium Œcumenicum Lateranense sub *Alexandro III.* Canone III. statuit ut *Cum Episcopus electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & Ecclesiasticorum bonorum administrationem habuerit; decurso tempore de consecrandis Episcopis a Canonibus definito, is, ad quem spectant Beneficia quæ habuerat, disponendi de illis liberam habeat facultatem.*

Residendi obligatio.

XII. Residendi necessitatem Episcopis impositam ex ipsa Pastoralis muneris ratione, ex antiquis Conciliorum & Pontificum Decretis, ex doctrina SS. Patrum, & perpetua Ecclesiæ disciplina, adeo certum erat, & tam accurate sanctissima ista lex observabatur, ut Novis Canonibus & Decretis illam renovare & confirmare Sæculis undecimo & duodecimo necesse non fuerit. Wintoniensem Episcopum ab Ecclesia sua absentem ob causas quæ aliquam excusationem habere videbantur, gravissimis literis revocavit Joannes Saresberiensis. *Quot & quanta mala*, inquit, *Ecclesiis Christi procuret Pastoris absentia, si antea nobis fuisset incognitum, ex solo peregrinationis vestræ dispendio potuimus didicisse... Audite ergo, dilectissime Frater in Domino, planctum esurientium, audite voces vagientium parvulorum, audite vocem Sponsæ, quæ amore languet & vestro desiderio intabescit. Audite denique vocem Sponsi, qui vos constituit super familiam suam, ut ei cibum detis in tempore. Redite itaque ad Ecclesiam vestram, & totam Insulam sapientiæ & virtutis vestræ radiis illustrate. Nec vos moveant damna rerum quem respiciant pericula animarum. Proculdubio fatius est & æquius, ut sollicitudinis vestræ vigilantiam commissis vobis Ecclesiis, impendatis, quam alienis....... Sed vos Mandatum Domini Papæ & Cluniacensium vestrorum necessitas detinet? Porro & ipse Dominus Papa reditui vestro congratulabitur, nolens Mandatum illud utilitati vestræ præjudicium facere: & personam vestram Wintoniensi & Glastoniensi Ecclesiis, plusquam Cluniacensi non ambigitis obligatam. Illarum quippe regimen suscepistis, a Cluniacensibus absoluti. Qua ergo ratione ab istis ad illos divertistis? Numquid æquum est, istis esurientibus, eorum pane illos satiari? Hæc non modo Domini Regis, sed fere omnium querela est. Præterea, ex absentia vestra se in necessitatibus Regni a*

con-

Consilio vestro & auxilio queritur destitutum : cum Domino propitiante, Cæsari reddi debeant, quæ sunt Cæsaris. (Epist. 98. & 99.)

Qua rationes interdum a Residentia dispensarent?

Episcopos a residentia dispensare censebantur causæ nonnullæ pietatis, necessitatis, aut publicæ utilitatis. Primum Ecclesiæ Romanæ visitatio, seu profectio ad Sedem Apostolicam, ut suam erga Summum Pontificem observantiam testarentur, ut pallium reciperent Archiepiscopi, ut consilium a Christi Vicario in causis difficillimis Ecclesiarum suarum regimen spectantibus acciperent; sive ut ipsi consiliis suis Pontifici præsto essent, cum illos vocabat. De Anglorum Rege conquestus est *Gregorius VII.* Epist. I. libri VII. quod Regni sui Præsules a liminibus Apostolorum adeundis prohiberet. *Nemo enim*, inquit, *omnium Regum, etiam Paganorum, contra Apostolicam Sedem hoc præsumpsit tentare, quod is non erubuit facere; scilicet ut Episcopos & Archiepiscopos ab Apostolorum liminibus ullus tam irreverentis & impudentiæ animi prohiberet.* Regem Christianissimum laudat *Urbanus II.* quod Episcopis licentiam eundi ad Concilium Romanum dedisset (Epistola XXXVIII.) Scilicet Summus Pontifex *Potest a finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit* (inquiebat *S. Bernardus* Epistola CXXXI.) De hoc pietatis officio scribit *S. Anselmus* Epistula XXIV. libri III. *Si Metropolitanus sacratus Episcopus per totum primum annum nec Papam viventem, nec pallium requiro, cum possum, juste ab ipso honore removendus sum.* Et Epistola XXXVII. ad Urbanum II. *Nostri*, inquit, *ordinis & officii intererat, & præsentiam vestram ex more visitare; & eam, ut fieri decet, condigna reverentia honorare. Et id quidem, ex quo gradum Episcopalem suscepi, summo desiderio facere concupivi, tum quia ratio id fieri postulabat, tum quia consilio & alloquio vestro frui desiderabam, ut me de rebus necessariis tam privatis quam publicis interrogantem vestra Prudentia doceret, & Authoritas roboraret.. Sed quia bellis undique quatimur, hostiles impetus indesinenter, & insidias adversantium metuimus : Dominus noster Rex extra Regnum me procedere hactenus non permisit, nec adhuc procedere posse ullatenus assentit. Præterea, si nulla alia causa concurrerent, quæ me faciem vestram hoc tempore, quod valde moleste fero, videre prohiberent : sufficit quod ætas, quod ægritudo, quod debilitat corporis mei, impatientem me agunt & prolixi itineris, & immensa viarum asperitatis. Sed inter hæc, quo labore quaque anxietate gravatus, iter arripere conarer, si omnipotens Deus & in Regno Anglorum bella sedaret, & in Regnis & Regnorum provinciis, per quæ ad vos est eundum, illam pacem tribueret : ut quemadmodum oporteret & expedires, iter ipsum explere liceret, sed quamdiu id fieri non potest, impossibilitas me retinet.*

A Residentia dispensabat Sedis Apostolica Visitatio.

A Residentia dispensabat obsequium Regis cum Ecclesiæ utilitate conjunctum.

Secundo, a Residencia dispensabant obsequium Principis, Sacri Consistorii Comitatus, Legationes pro Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitate. De quibus *S. Bernardus* Epistola XLII. ad *Henricum* Senonensem Archiepiscopum. *Ut secure*, inquit, *præesse possitis, subesse & vos, si cui debetis, non dedignemini*.... Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Si omnis, & vestra. Quis vos excipit ab universitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere. Nolite illorum acquiescere consiliis, qui cum sint Christiani, Christi tamen vel sequi facta, vel obsequi dictis opprobrio ducunt. Ipsi sunt qui vobis dicere solent : Servate vestræ Sedis honorem. Decebat quidem ex vobis commissam Ecclesiam crescere; nunc vero saltem in illa, qua suscepistis, maneat dignitate. Et vos enim vestro Prædecessore impotentior? Si non crescit per vos, non decrescat per vos. Hæc isti. Christus aliter & jussit, & gessit.* Reddite, *ait*, quæ sunt Cæsaris Cæsari : & quæ sunt Dei Deo... *Porro vos si Cæsaris Successori, id est, Regi seduli in suis Curiis, Consiliis, negotiis, Exercitibusque adestis : indignum erit vobis cuicumque Christi Vicario taliter exhibere, qualiter ab antiquo inter Ecclesias ordinatum est.*

Episcopos, qui Regi Anglorum a consiliis erant, tuitus est *Richardus* Cantuariensis Archiepiscopus, seu *Petrus Blesensis* ejus nomine scribens ad *Alexandrum* III. Epistula 84. *Non est equidem novum* (inquit) *quod Regum Consiliis intersint Episcopi : sicut enim honestate & sapientia cæteros antecedunt, sic expeditiores & efficaciores in Republica administratione censentur..... Unum noveritis, quia nisi familiares & Consiliarii Regis essent præfati Episcopi, supra dorsum Ecclesiæ fabricarent hodie peccatores, & immaniter ac intolerabiliter opprimeret Clerum præsumptio Laicalis. Nunc autem, si quid in Ecclesia attentatur injuriam, authoritate Pontificali corripitur : aut si ad hoc Ecclesiastica Censura non sufficit, spiritualis gladii defectus civili suppletur; & ad eorum arbitrium Principalis animadversio exercetur. Si quandoque, ut fieri solet, adversus infantes Regis indignatio vehementius excandescit, Episcoporum precibus temperatur. Istis mediantibus mansuescit circa simplices Judiciarius rigor, admittitur clamor pauperum, Ecclesiarum dignitas erigitur, relaxatur pauperum indigentia, firmatur in Clero libertas, pax in populis, in Monasteriis quies, justitia libere exercetur, superbia deprimitur, augetur Laicorum devotio, Religio fovetur, diriguntur Judicia, Leges acceptantur. Decreta Romana vim obtinent, & possessiones Ecclesiæ dilatantur. Isti singulis præcipuis Solemnitatibus suis intersunt Ecclesiis, ubi eleemosynarum largitione, consolatione pupillorum ac viduarum, subjectorum correptione, atque aliis sanctitatis operibus redimunt dies, quos in Curia consumpserunt.... Ab hac equidem Curialitate nostros quandoque voluimus Episcopos prohibere, sed consiliosis & prudentibus viris visa est expediens eorum cohabitatio circa Regem : quos si extraheremus a familiaritate illius, subtraheremus quietem Monasteriis, oppressis solatium, Ecclesiis libertatem. Unde licet propter incommoditates varias, quas ibi sustinent, desiderio desiderarent egredi : publicæ tamen utilitatis obtentu, Fratrum nostrorum consilio, non solum in hac vita castrensi tolerari, sed ad eam trahi debuerant, & compelli.* Idem Epistola CL. mollit quæ Epistula XIV. asperius in Aulicam vitam scripserat, & conveniens esse fatetur, ut Clerici aliqui, immo & Episcopi in Aulis Regum versentur, modo gregis sui solicitudinem non excutiant, & Aulæ vitia non imitentur. *Non solum*, inquit, *toleranda, sed desideranda est plerumque cum Principibus conversatio Clericorum. Legimus quidem Sacerdotes & Prophetas frequentiam & familiaritatem cum Regibus habuisse. Tunc enim salubriter disponitur vita Regum, cum Religiosorum hortamenta sectantur, & ducuntur consilio Sapientum. Verumtamen, licet Episcopos, & alios qui curam in se gregis dominici susceperunt, Regum Consiliis frequenter expediat interesse, sua tamen interest, ne ministerium vigilantia Pastoralis evacuent, sed sint in conspectu Regum suæ conditionis memores, & Petri naviculam, cui præsunt, inter tempestuosos fluctus Curiæ non relinquant. Nam & vectes, quibus arca Domini deferebatur, licet moveri, & trahi in varias partes possent, extrahi tamen aut avelli omnino non poterant. In quo manifestissime figuratur, quod Ecclesiæ Prælati, etsi ad varias Reipublicæ necessitates distrahuntur ad tempus, a Sponsæ amplexibus, & a populi sibi crediti solicitudine minime separentur.* Synodos Œcumenicas, Nationales, aut Provinciales, necnon Regni Comitia, quibus ob Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitates interesse debebant Episcopi, legitimas fuisse causas a Residentia dispensantes, nemo inficias ibit.

Utile est Ecclesiæ ut Regum Consiliis intersint Episcopi.

XII. Summa erat Episcoporum Jurisdictio sæculis undecimo & duodecimo, Clericorum causas sive civiles, sive criminales uni Episcoporum tribunali Canonicæ Leges reservabant. In Constitutionibus quas Legati *Alexandri II.* Pontificis Maximi anno 1067. Mediolanensibus observandas præscripserunt, caput istud legitur de Jurisdictione Episcopali. *Integram quoque habeat Episcopus in omnem suum Clerum canonice judicandi ac distringendi potestatem, tam in civitate quam extra, per omnes Plebes & Capellas : ut dum Clerici fuerint a sæcularis judicii infestatione securi, in divina servitute & Canonum authoritate consistant quieti, & Archiepiscopo suo obediant devoti.*

Episcoporum Jurisdictio.

Causæ omnes Clericorum, ecclesiastica, civiles, criminales, Episcoporum tribunali ea ætate servatæ.

Urbanus II. ad *Rodulphum* Comitem de Clericorum a Sæcularibus Judiciis immunitate ita scripsit Epistula XIV. *Nosse te volumus; quia nulli sæcularium Domino potestatem in Clericos habere licet, sed omnes Clerici Episcopo soli debent esse subjecti. Quicumque*

In Italia.

vero

vero aliter præsumpserit, canonicæ proculdubio sententiæ subjacebit. Concilium Melfitanum, *Urbano II.* Præside anno 1089. celebratum, Canone X. ita sancit: *Ne gravamen aliquod Sancta patiatur Ecclesia, nullum jus Laicis in Clericos esse volumus & censemus.*

In Gallia.

Concilium Nemausense ab eodem Pontifice anno 1096. habitum, Canone 14. statuit, ut nullus *Clericos* vel *Monachos in Curiam suam ad sæculare cogat venire Judicium: quoniam hoc rapina esset & sacrilegium.* Concilium Remense anno 1148. ab *Eugenio III.* congregatum Canone V. Episcopalem Jurisdictionem in omnibus causis Ecclesiasticis asseruit. *Decernimus etiam*, inquit, *ut Laici Ecclesiastica terminare negotia non præsumant: & Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Ecclesiarum Prælati, de negotiis Ecclesiasticis, vel de aliis quæ spiritalia esse noscuntur, aliquorum Laicorum Judicio non disponant: nec propter eorum prohibitionem, Ecclesiasticam dimittant Justitiam exercere.*

MCLIX.

Episcopalis Jurisdictio in Anglia.

Cum *Stephanus* Angliæ Rex Castella Ecclesiæ occupasset, ac Episcopos ea tradere renuentes detineret, *Henricus* Wintoniensis Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, Regisque frater dixit: *Si Episcopi tramitem justitiæ in aliquo transgrederentur, non esse Regis, sed Canonum judicium: sine publico & Ecclesiastico Concilio illos nulla possessione privare debuisse.* Ita refert *Willelmus Malmesburiensis* lib. 11. *Historiæ Novellæ*, pag. 182. Sanctissimus Archipræsul Cantuariensis & Martyr *Thomas* ad mortem usque pro Clericorum immunitate a foro sæculari & pro Episcopalis Jurisdictionis Legumque Canonicarum defensione certavit. Gravissimam dissensionem quæ ipsum inter & *Henricum II.* Regem emersit, ea jurisdictionis Episcopalis usurpatione, & Privilegiorum Cleri violatione a Rege facta originem sumpsisse, *Guillelmus Neuburgensis* lib. II. *De Rebus Anglicis*, cap. XVI. commemorat. Unum e Regiarum Consuetudinum capitibus, quæ *Henricus II.* Angliæ Rex in Conciliabulo Clarendonensi promulgavit, Clericorum criminales causas ad forum sæculare trahebat:

Anno MCLXIII.

Ita quod Regis Justitiarius mitteret in Curiam Sanctæ Ecclesiæ ad videndum quomodo res ibi tractaretur. Et si Clericus convictus, vel confessus fuisset, non deberet eum de cætero Ecclesia tueri. Hoc vero caput ab *Alexandro III.* damnatum est. Ad *Henricum* Regem ea de re scripsit idem Pontifex Epistula X. *Sicut Clerici a viris sæcularibus vita & habitu distinguuntur, ita & Judicia Clericorum a Laicorum Judiciis diversa penitus comprobantur.... Si te in aliqua Judicium futurum deterret, aut præmiorum in æterna requie corona delectat, veritatem, quæ Deus est, & justitiam colere, jus suum unicuique tribuere, negotia Ecclesiastica, & præsertim criminalia, quæ de læsione fidei, vel juramenti emergunt, causa super rebus, possessionibus Ecclesiarum, personis Ecclesiasticis tractanda relinquere, Regnum & Sacerdotium non confundere, non adeo Serenitatem tuam deceret, quam etiam expediret.*

Episcopalis Jurisdictio in Normannia.

Anno 1190. orta inter Ecclesiam Rothomagensem & *Willelmum* Normanniæ Senescallum de Ecclesiastica Jurisdictione contentio, præsentibus Normanniæ Baronibus, hacce Conventione composita est: *In primis determinatum est de Clericis, quod nulla occasione a sæcularibus Potestatibus capientur, nisi pro homicidio, furto, & incendio, vel hujusmodi enormi flagitio, quod ad Placitum gladii pertineat, & tunc cum requisiti fuerint ab Ecclesiasticis Judicibus, quieti reddentur in Ecclesiastica Curia judicandi.*

Item generaliter omnes de fidei læsione, vel juramenti transgressione quæstiones in Ecclesiastico Foro tractabuntur. Super Trenga vero violatione antiqua consuetudo, & Chartarum Henrici & Richardi Illustrium Regum Angliæ tenor observabitur.

Item quæstiones de dote vel donationes propter Nuptias, quando mobilia, vel se moventia petentur, ad Ecclesiam referentur. Quæstio vero supra iisdem de immobilibus, Dominis nostris Regi & Archiepiscopo determinanda reservatur.

Item in Conventualibus Ecclesiis, Abbates, vel priores, aut Abbatissa, cum assensu Diœcesani Episcopi eligentur.

Item nulla fiet recognitio in Foro sæculari super possessione quam Viri Religiosi, vel quæcumque Ecclesiasticæ personæ XX. annis vel amplius possederint. Similiter nulla fiet recognitio, si charta, vel alio modo eleemosynatam esse possessionem probare potuerint: sed ad Ecclesiasticos Judices remittentur.

Item distributio eorum quæ in testamento relinquuntur, authoritate Ecclesiæ fiet, nec decima pars, ut olim, subtrahetur. De bonis vero Clericorum, etsi dicantur fuisse usurarii, vel quocumque genere mortis præventi, nihil pertinet ad sæcularem Potestatem, sed Episcopali authoritate in pias causas distribuentur.

Si quis subitanea morte, vel quolibet alio fortuito casu præoccupatus fuerit, ut de rebus suis disponere non possit, distributio bonorum ejus Ecclesiastica authoritate fiet. Hæc ex Epistola Cleri Normanniæ ad omnes Christi Fideles discimus, apud *Radulphum de Diceto*, in *Imaginibus Historiarum*. Præerat tunc Rothomagensis Ecclesiæ Sacris *Walterus*, quo absente, ad Sacram scilicet Expeditionem cum *Richardo* Rege profecto, *J. de Constantiis* Decanus eamdem Ecclesiam procurabat.

Walterus Rothomagensis Archiepiscopus Ecclesiasticæ Jurisdictionis vindex fortissimus.

Walterus ille Archipræsul, cui cognomen *Magnifico*, Jurisdictionis & libertatis Ecclesiasticæ vindicem se præbuit fortissimum: colloquio siquidem inter *Richardum I.* Anglorum & *Philippum Augustum* Francorum Reges habito, paceque composita, *Richardus* Archiepiscopum, & Capitulum Rothomagense rogavit, ut pro eo fidejuberent, sponderentque, nisi singula Pactorum conventorum capitula religiose servaret, ipsi ad solutionem duarum marcarum tenerentur. Authenticum Pactorum sibi exhiberi petiit, ægreque obtinuit *Walterus*. Pactis hæc inserta deprehendit: *Non licere Archiepiscopo Rothomagensi in terras vel homines Regis Francorum, seu Regis Anglorum, Interdicti vel Excommunicationis Sententiam dictare præter assensum IV. Clericorum ab ipsis Regibus pro voluntate sua eligendorum. Quod si lata fuerit, ad eos spectabit cognitio sententiæ, utrum tenere debere debebit, vel non. Quod si injustam esse protulerint, Rex in cujus terram vel homines Ecclesiasticam executus erat Sententiam, ad mobilia & immobilia Archiepiscopi manus extendet, & ea in proprios usus convertet, donec Sententiam relaxaverit, & ei secundum arbitrium dictorum IV. Primatum satisfecerit. Annexum erat, ut illata Ecclesiis seu quibuscumque Personis Ecclesiasticis seu Viris Religiosis injuria damna remitterentur, & Interdicti vel Excommunicationis Sententia propter hæc lata sine ulla satisfactione solverentur.* His animadversis generosus Archipræsul in omnes *Authentici* authores & fautores, duorum dumtaxat Regum personis exceptis excommunicationis sententiam tulit. Altera die ad Regem Francorum accessit Archipræsul, ejusque Majestatem rogavit, num *salva integritate Ordinis sui & juris & potestatis Ecclesiæ Rothomagensis concederet fide jubere pro Rege Angliæ*. Rex contradixit. Ad Ecclesiam suam rediit Archipræsul. Mox a Rege Angliæ vocatus, intellexit se ab ejus Majestate urgendum atque compellendum, ut illius & Regis Francorum voluntati morem gereret. Quamobrem noctu & clam recedere maluit, quam periculum libertatis & Juris Ecclesiastici cum *dispendio famæ & bonæ conscientiæ incurrere*. Cameracum itaque secessit, meliorem eventum expectans. Id ex ipsius *Walteri* Archiepiscopi Rothomagensis Epistola ad *Radulphum* Londoniensem Decanum discimus, apud *Radulphum de Diceto*, in *Imaginibus Historiarum*, ad annum 1196. Profugo Archipræsule, Rex Archiepiscopatus bona cepit, Clericosque vexavit, ut docet Epistola ipsi *Waltero* scripta ab Amico. Res tandem fœliciter composita est. A Regibus obtinuit generosus Archipræsul, ut sarta tecta maneret Archiepiscopi & Ecclesiæ Rothomagensis Jurisdictio & libertas, utque eidem Ecclesiæ annuus quingentarum librarum reditus in damnorum compensationem conferretur. Id ipse docet altera ad *Radulphum* Decanum Londoniensem Epistola, apud *Radulphum de Diceto*, pag. 691. *Walteri* Archipræsulis constantiam laudavit *Innocentius III.* Pontifex Maximus, ipsique ad meritum obedientiæ prohibuit ne tam iniquæ Regum Conventioni præberet assensum, jussitque ut Jurisdictionis Officium pro more in sua Provincia exerceret

ret : seque confirmaturum Sententias, quas in suos subditos canonice promulgarat, vel erat promulgaturus. (Epistola 260.)

Episcopalis Jurisdictio in Suecia.

Ep. 19. Append. I.

In Suecia non minus quam in Anglia, secularis Potestas vulnus gravissimum Episcopali Jurisdictioni inferebat, cui pariter mederi conatus est *Alexander III.* Epistola ad Upsalensem Archiepiscopum & ejus Suffraganeos. „ Accedit ad hæc, inquit, quod Clerici sive ipsi adversus laicos, sive laici adversus eos, litigantes experiri voluerint, Laicorum judicia subire, & secundum ipsorum Instituta sive leges agere, vel defendere se coguntur. Nec solum inferioris ordinis clerici talibus injuriis fatigantur: verumetiam vos ipsi, si justitiæ rigorem zelo Dei succensi aliquando exercetis, aliquam contra vos causam inobedientia gregis invidia machinante vel ad igniti ferri examen, vel ad aliquod æque prohibitum & execrabile judicium provocamini; nulla Canonibus qui id prohibent, seu Pontificali dignitati exhibita reverentia vel honore. *Et infra :* Ne clerici ad sæcularia Judicia pertrahantur, & Romanorum Imperatorum Leges prohibent, quæ tamquam Canones, ubi Canonibus non obviant, sunt observandæ; & Sanctorum Patrum ac prædecessorum nostrorum authoritas interdicit.

Christianissimi Reges Episcopalem Jurisdictionem reveriti.

Quam religiose jurisdictionem Episcopalem Christianissimi Reges reveriti sint, idem Pontifex testatur ad *Ludovicum VII.* Francorum Regem scribens de *Nicolao* quodam, qui a Turonensibus Canonicis læsus, causam ad Sedem Apostolicam detulerat. „ Sic enim [*inquit*] Sacrorum Canonum sanxit authoritas, & Imperatores qui antecessores tui fuerunt, & Reges Francorum, in suis institutionibus hoc ipsum sanxerunt, quod hi quibus a Clericis injuria irrogatur, eos apud Ecclesiasticos judices debeant solummodo convenire. Id ipsum præsertim super his, quorum injuria infra Sacros Ordines peragitur, de consuetudine Regni tui, usque ad hæc tempora accepimus observatum. (Epistola 77. Append. II.)

Episcopalis Jurisdictio Concilii Lateranensis tertii, & Pontificum Decretalibus firmata.

Concilium Œcumenicum Lateranense III. Canone 14. jurisdictionem & immunitatem Ecclesiasticam, districto in laicos ipsam violantes ac perturbantes anathemate tuitum est his verbis: *Sane quia laici quidam Ecclesiasticas personas, & ipsos etiam Episcopos, suo judicio stare compellunt : eos qui de cætero id præsumpserint, a Communione fidelium decernimus segregandos.* Idem statuit Concilium Dalmatiæ a Legatis Apostolicis anno 1199. celebratum, Canone V. *Sub excommunicatione prohibemus*, inquit, *ne aliquis laicus clericum ad peregrina judicia trahere præsumat, veluti candentis ferri, vel aquæ, vel cujuslibet alterius judicii: Non enim pertinet ad laicum clericum judicare. Si autem clericus peccaverit, ab Archiepiscopo, vel Episcopo, vel etiam Prælato suo, aut Romano Pontifice judicetur.*

Lucius III. Pontifex Maximus clericum de quocumque crimine coram Ecclesiastico judice conveniri debere, contraria consuetudine non obstante, scripsit ad Strigoniensem Archiepiscopum, his verbis: *Cum Imperator dicat, quod leges non dedignantur sacros canones imitari, in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine clericus debeat coram Ecclesiastico Judice conveniri, non debet in hac parte canonibus ex aliqua consuetudine præjudicium generari.* Refertur Cap. *clericus*, Tit. *De Judiciis*, lib. III. decretalium.

Cælestinus III. Clericos criminis convictos, si post exauthorationem, excommunicationem, & ultimum anathema in crimine perseverent, seculari potestati tradendos statuit. *A nobis*, inquit, *fuit quæsitum, utrum liceat Regi, vel alicui sæculari personæ judicare clericos cujuscumque ordinis, sive in furto, sive in homicidio, vel perjurio seu quibuscumque fuerint criminibus deprehensi: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si clericus in quocumque ordine constitutus, in furto vel homicidio, vel perjurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime, atque convictus, ab Ecclesiastico Judice deponendus est. Qui, si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri: postmodum vero si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium vel alia legitima pœna inferatur.* (Lib. II. decretalium Tit. *De Judiciis*, cap. *Cum non ab homine.*)

Cum Bellovacensem quemdam Canonicum *Ludovicus VI.* Rex Christianissimus de crimine responsurum ad Curiam suam vocasset, Bellovacenses Canonici *Yvonis* Carnotensis Episcopi consilium rogarunt, quid facto esset opus hac in causa. Respondit sanctus & eruditus præsul, ipsos, si viri fortes essent, pro tuenda jurisdictione & immunitate Ecclesiastica extrema quæque passuros: id tamen consilii se ipsis dare non audere in his angustiis, quibus necesse est ut legem Ecclesiæ, vel Regem offendant, sed sequi illos oportere, quod suæ tolerabilius erit infirmitati. „ Quia, *inquit*, res vestra in angusto posita est, prout oporteret, certum vobis consilium dare non possumus, quia in hoc negotio vestro, nisi Deus misericorditer consulat, oportet ut aut legem offendatis, aut Regem. Si enim Concanonicum vestrum criminaliter impetitum alibi quam in Ecclesia examinari conceditis, Canonicam Legem offenditis; si audientiam Regalis Curiæ respuitis, Regem offenditis. In qua disceptatione, cum ipsi & ratione, & authoritate sciatis quid sit verius, quid honestius, tamen pro temporum opportunitate sequi vos oportebit, quod infirmitati vestræ erit tolerabilius. Si autem sciremus vos esse paratos ut cum gaudio tolerare possetis rapinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum vestrorum, possemus vos exhortari ut sequeremini consilium Susannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quam Dei legem derelinquere. Sed quia in donis spiritualibus consilium & fortitudo conjuncta sunt, consilium aliud, nisi quod patientia vestra tolerare possit, dare non audemus: quia qualis vestra sit fortitudo, ignoramus. De Curia autem in causis clericorum vitanda, quid Decreta, quid Canones, quid & mundanæ Leges clament, & apud vos habetur, & nos ex parte scripsissemus, &c. (Epistola 137.)

Prudens Yvonis Carnotensis Consilium.

Laici ob quædam crimina Jurisdictioni Episcopali obnoxii.

Episcoporum Jurisdictioni Laici quoque ob certa quædam crimina obnoxii erant. Sacerdotum concubinas Synodus Romana *Leonis IX.* anno 1051. & Londinensis anni 1127. servitute damnarunt. Concilium Juliobonense anno 1080. Canone XIII. decernit ut *Parochianorum crimina Episcopo pertinentia, ubi consuetudo fuit, Episcoporum judicio examinentur. Si contradictio Judicationis facta fuerit, ante Episcopum definiatur.* Concilium Œcumenicum Lateranense II. an. 1139. Can. 18. Incendiarios excommunicat, & veniam petentibus, præter restitutionem, militiam sacram in Palæstina vel Hispania per annum integrum in Pœnitentiam imponit. Principibus tamen non adimit pœnas in ipsos decernendi potestatem, de consilio Episcoporum. *Sane* (inquit Canone XX.) *Regibus & Principibus facultatem faciendæ Justitiæ consultis Archiepiscopis & Episcopis, non negamus.* Quo ex Canone colligitur, reos quos Ecclesia publicæ pœnitentiæ addixerat, a Magistratibus mulctari ac plecti nihilominus potuisse, at sententiam capitis, aut minutionis membrorum in illos non fuisse latam : si quidem Episcopi Judices cum Laicis Magistratibus sedebant. *Yvo* Carnotensis Episcopus ejusdem Politiæ testis est Epistola centesima prima ad *Adelam* Comitissam. *Omnes* (inquit) *Pseudo-Prædicatores, & Pseudo-Monachi, & Pseudo-Clerici fornicatores, adulteri, fœneratores, & alii qui in Christianissimo offendunt* (*exceptis his qui pœna capitali puniendi sunt*) *a nobis distringendi & corrigendi sunt, & ipsi, & eorum res, nostri sunt Juris. Et hæc est antiqua & inconcussa consuetudo non tantum Carnotensis Ecclesiæ, sed omnium Ecclesiarum per totum Regnum Galliarum.*

S. Kanutus Rex Daniæ, & Martyr, *Literatorum Controversias vulgaris fori conditione exemptas, ad ejusdem professionis Judicium relegabat. Iisdem Religionis reos, objecta repellere nequeuntes, pecuniaria mulcta puniendos permisit. Quibus etiam in omnia, quæ adversum divina committerentur, animadversionis arbitrium tradidit, cunctasque hujus generis actiones Sacerdotali Judicio destinatas, a publico Foro secrevit,*

ne

ne honore impares conditio æquaret. Ita refert *Saxo Grammaticus*, Historiæ Danorum lib. XI.

Servitutem illam Summi Pontificis & Episcoporum, qua litigantium causis audiendis & judicandis incumbebant, deplorat S. Bernardus lib. I. *De Consideratione*, cap. III. VI. & X. monetque *Eugenium III.* Ecclesiastici Fori abusus emendet, Litigatorum fraudes, Advocatorum artes, litium ambages præcidat, curet denique ut causæ breviter finiantur.

Officiales Episcopalis Jurisdictionis administri.

In suos Officiales Ecclesiasticæ Jurisdictionis administrationem Episcopi Sæculo XI. & XII. transtulere, qui sæpe commissa potestate ad emungendam pecuniam, ad insontes opprimendos, ad absolvendos noxios abutabantur, teste *Petro Blesensi* Epistola XXV. ad Officialem Episcopi Carnotensis, cui author est, ut, *Si credit in Deum, relinquat Officialis Officium, Ministerium damnationis, rotam malorum, spiritum vertiginis, qui ipsum ad inania circumvolvit*.

Canonica Episcoporum Judicia.

XIII. Finitiva & ultima Episcoporum Judicia Sedi Apostolicæ reservata erant. Ob Metropolitanorum quidem negligentiam primam interdum causarum Episcopalium cognitionem Summi Pontifices ad se traxere, sed illam Synodis Provincialibus jure competere agnoscebant. De quo Disciplinæ capite *S. Leo IX.* Epistola 4. ad *Petrum & Joannem* Episcopos Africanos ita scripsit: *Sed hoc vos non lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi. Quia etsi licet vobis aliquos Episcopos examinare, definitivam tamen sententiam, absque consulto Romani Pontificis, ut dictum est, non licet dare. Quod in Sanctis Canonibus statutum si quæritis, potestis invenire; scilicet quia omnium Ecclesiarum majores & difficiliores causa per Sanctam & Principalem B. Petri Sedem a Successoribus ejus diffinienda sunt.*

Causarum Episcopalium prima cognitio Provincialibus Conciliis competebat; finitiva sententia Romano Pontifici.

Alexander II. Senonensem Archiepiscopum admonuit ut in Aurelianensem Episcopum simoniæ reum sententiam ferret, ac *Gervasium* Remensem Archipræsulem hortatus est Epistola 6. ut illud cum ipso peragaret negotium. *Super Aurelianensem denique, qui simoniace Episcopatum obtinuisse, & inde perjurium tribus aliis sibi adhibitis, incurrisse probatur, Sententiam dare Archiepiscopum Senonensem, literis nostris admonuimus: quem nimirum ut cum ipso convenias, & negotium illud pariter agas, Apostolica Authoritate hortamur.* Eidem præcepit Epistola XVIII. ut Bellovacensem Episcopum rerum Ecclesiasticarum dilapidatorem castigaret, ac Ambianensem ob injuriam Corbejensi Abbati illatam ad satisfactionem adigeret. Si vero has causas finire per se non posset, eas ad Sedem Apostolicam referret, ejus authoritate finiendas. *Belvacensem*, inquit, *Episcopum, quem res Ecclesiasticas, & populum Dei atrociter dispendentem audivimus, si verum est, jubemus ita virga sancta authoritatis ferias, ut cæteri, si qui sunt similes ejus exemplo corrigantur. Porro Ambianensis Episcopus a nobis admonitus, ab injuria Corbejensi Abbati illata, non veritus nostram authoritatem, non modo non desistit, verumetiam in dies eam multiplicat. Quare utrumque ad te maturius convoces, eorum contentioni finem canonice impositurus. Quod si per te nequiveris, rem totam ad Sedem Apostolicam tempestivius per Epistolam referas, ut Apostolica Authoritate hæc contentio sopita conquiescat.* Eas dumtaxat causas ad Sedem Apostolicam remitti jubet *Alexander*, quas per se *Gervasius* dirimere non potuerit.

Guillelmus Nothus Dux Normannorum, & deinde Rex Anglorum, *Malgerium* Archiepiscopum Rothomagensem, Patruum suum, qui sacra dignitate ad luxum abutebatur, Ecclesiæ thesaurum dilapidabat, multorumque criminum laborabat infamia, deponi curavit in Synodo: qua de re *Guillelmus Pictavensis*, Lexoviorum Archidiaconus, coævus Author ita scribis in Gestis Willelmi Ducis: *Læsit insuper* Malgerius *injuria non levi Ecclesiam universalem, cujus unicum Primatem Summum in orbe terrarum Antistitem, non qua decuit obedientia veneratus est: Nam Apostolici Mandato sæpius ad Romanum Concilium accitus, venire nolens. Sane pigebat Rothomagum, pigebat cunctam Normanniam Archipræsulis, qui eum honestatis forma eminentes quosque antecedere deberet, infimarum personarum testimonio accusante confutabatur, universorum despecta degradandus censebatur. Princeps igitur animadvertens jam non monitis agi oportere in causa præcipuæ gravitatis, ne ultra patiendo, superni Judicis iram irritaret in se, deposuit Patruum in publico Sanctæ Synodi, Apostolici Vicario, cunctisque Normanniæ Episcopis juxta Canonum authoritatem sententiam dantibus unanimi consensu.*

Stigandus Cantuariensis Archiepiscopus, in Concilio Wintoniensi exauthoratus est *Alexandro II.* Pontifice Maximo consentiente, ut scribit *Thomas de Wolsingham* in *Ypodigmate Neustriæ*, ad annum 1070. *In Concilio Magno celebrato Wintoniæ, jubente & præsente Guillelmo, Alexandro Papa consentiente, Stigandus Doroberneasis Archiepiscopus degradatur tribus ex causis: quia Episcopatum Wintoniæ cum Archiepiscopatu injuste possidebat: Et quia vivente Archiepiscopo Roberto, non solum Archiepiscopatum sumpsit, sed & ejus Pallio, quod Cantuariæ remansit, dum injuste pulsus est ab Anglia, in Missarum celebratione usus est: Et post a Benedicto, quem Romana Ecclesia excommunicavit, eo quod Apostolicam Sedem invasit, Pallium suscepit.*

In Articulis qui vulgo *Dictatus Gregorii VII.* vocantur, tertius Episcoporum depositionem, finitivam utique, Romano Pontifici reservat. *Quod ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare.* Quartus vero sic habet: *Quod Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversus eos sententiam depositionis possit dare.* Dictatum Gregorio VII. suppositum in Dissertationibus probabo. Sane *Gregorius VII.* Episcoporum causas ut plurimum judicari permisit in Synodis quibus ejus Legati præerant, & reos deponi: ita tamen ut Legati ad ipsum referre tenerentur quæ istis in causis gesta erant, ut a Sede Apostolica confirmarentur. Sic *Hugonem* Diensem Episcopum referre ad se jussit de causa Carnotensis Episcopi, Epistola 11. Libri 6. Appellationes etiam admittebat, ut factum est in causa Archiepiscopi Auscitani, & Episcopi Bigorritani, quos a *Giraldo* Episcopo Ostiensi Legato suo in Synodo Gallicana depositos, Romæ absolvit, ut constat ea ejus Epistola 16. Libri primi. Interdum appellatione admissa causam integram remittebat ad Legatos ut eam rursum in Plenario Concilio judicarent, quod sane a Sardicensibus Canonibus non abhorrebat. Hujus moris exemplum videre est in causa *Lamberti* Morinensis Episcopi, Epistola 32. libri 9. Aliquando finitimis Episcopis cognitionem delegabat, qui causam in Synodo examinarent, ac Sententiam finitivam in reos Authoritata Apostolica dicerent; quamquam Synodos proprio nomine, proprioque jure, primam cognitionem causæ suscipere posse non diffiteretur. Ita factum est in causa *Rainerii* Aurelianensis Episcopi, cui examinandæ ac judicandæ Senonensem ac Bituricensem Archipræsules, eorumque Suffraganeos delegavit, Epist. 8. Libri 5. *Authoritate*, inquit, *Apostolica vobis præcipimus, ut ad examinationem actuum suorum, in locum quem magis aptum probaveritis, conveniatis, ad quem prius literis vestris eum convocetis: ibique de supradictis vobis respondeat; & si potest, se innocentem reddat. Quod si forte in contumacia sua permanens, infra quadragima dies admonitionis venire contempserit, aut veniens de omnibus supradictis canonice se non expurgaverit; Judicio Sancti Spiritus, & Authoritate Apostolica, Sententiam damnationis & depositionis, sine omni spe restitutionis, in eum promulgamus. Quam vos, sicut decet sequentes, per aures circumstantis populi diffundite; & Sansonem ipsum, de quo vos mihi scripsistis, qui Beati Petri consilium & nostrum expetiit, in loca illius Depositi secundum Deum subrogate.* Sententiam depositionis in eos pronuntiat, decernendo quid jure mereantur, quam nihilominus ab Episcopis ferendam statuit, ut a Judicibus, non ut meris executoribus.

Urbanus II. Gaufridum Carnotensem Episcopum ob adulteria, fornicationes, perjuria, proditiones deposuit, & *Yvonem* Carnotensem Episcopum a Clero electum consecravit. *Richerius* Archiepiscopus Senonensis Metropoleos, Provincialiumque Episcoporum jura violari conquestus est, *Yvonem* velut invasorem habuit, Synodum Provincialem Stampis celebravit, in qua ipsum deponere, & *Gaufridum* restituere co-

natus est : sed appellatione ad Sedem Apostolicam has molitiones *Yvo* elusit. Rem ipse memorat Epistolis VIII. & XII. In priori quidem ad *Richerium* scripta hæc habentur : *Dicitis me Sedem invasisse Gaufridi Coepiscopi vestri : in quo manifeste contra Sedem Apostolicam caput erigitis, dum quod illa adificat, vos, quantum in vobis est, destruitis ; & quod illa destruxit, vos adificare contenditis ; cujus Judiciis & Constitutionibus obviare, plane est heretica pravitatis notam incurrere, cum Scriptura dicat :* „ Hæreticum esse „ constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat. *Praterea, fama vestræ non bene consulitis, qui caprum emissarium, cujus adulteria, fornicationes, perjuria, proditiones per omnem ferme Latinam Ecclesiam publicata sunt, qui pro his & aliis similibus a Sede Apostolica damnatus est ; ita ut se purgare non valens, Virgam Pastoralem redderet & Annulum : De quo Apostolicum accepistis Decretum, in hac verba.* „ Quicumque „ Gaufridum depositum deinceps juverit ad infestan- „ dum vel reinvadendum Carnotensem Episcopatum, „ excommunicatum eum esse censemus : *Adhuc Episcopum vocare, in Episcopum reformare contenditis.* In posteriori vero Epistola ad *Urbanum II.* ita scribit : *Notum facio Beatitudini vestra, quod Senonensis Archiepiscopus, consilio Parisiensis Episcopi infatuatus, adhibito sibi eodem Parisiensi Episcopo, & duobus aliis ana dissimilis vecordia, Meldensi & Tricassino, hoc anno Stampis de Ordinatione quam a vobis acceperam, me inordinate satis accusavit, dicens me in Majestatem Regiam offendisse, qui a Sede Apostolica Consecrationem prasumpseram accepisse. Cum itaque conarentur Gaufridum depositum, contra Decretum vestrum in pristinum statum reformare, & in me depositionis Sententiam proferre, Sedem Apostolicam appellavi.* Idem nihilominus Yvo in sua Canonum ac Decretalium Collectione ea descripsit sive ex apocryphis Pontificum Epistolis, sive ex monumentis legitimis antiquorum Conciliorum, quæ antiqoam Judiciorum Episcopalium formam referunt, ac finitiva tantum Judicia, solasque Appellationes Sedi Apostolicæ deferunt. Conferantur Partis Quintæ Capita CCXLIV. CCXLVI. CCXLVIII. CCLVII. CCLVIII. CCLX. CCLXVI. & CCLXIII.

Cap. Nolite. Distinct. 9.

A Legatorum Apostolicorum sententia in Synodis lata Episcopi depositi ad Summum ipsum Pontificem poterant appellare.

Goffridus Vindocinensis Epistola XXI. *Girardum* Engolismensem Episcopum, Sedis Apostolicæ Legatum arguit, quod se deponendi Episcopos interclusa etiam appellationis via ad Sedem Apostolicam, potestatem habere gloriaretur. *Quod me prasente,* inquit, *etiam coram Laicis pradicastis : Vos videlicet Episcopos deponendi habere potestatem, novum genus prasumptionis putamus : quia nulla ratione Legatis Apostolica Sedis conceditur, quod ad solius Romani Pontificis pertinet dignitatem. Sed si ita est, ut a vobis publice praedicatum agnoscitur ; quasi alterum Papam vos fecistis : & ad Romanam Ecclesiam, quam nunc usque in sua necessitate libere quisque appellare potuit, vox appellationis negatur. Nos tamen credebamus, Mediocritatem vestram Legationem habere Sedis Apostolica, non Apostolicam Sedem esse : & a Domino Papa partem suscepisse solicitudinis, quam solummodo cateri Legati suscipiunt, non plenitudinem exercere potestatis.* Legatis itaque, quos Romani Pontifices undecimo & duodecimo sæculo frequentes mittebant, Canonum executionem procurare, & Synodos cogere incumbebat, si Metropolitani officio suo deessent ; ipsosque, non minus quam alios Episcopos in illis Synodis judicare, ac deponere, sed Præsules depositi a sententia Synodi ac Legatorum ad Sedem Apostolicam appellare poterant.

Gratianus Caosa II. Quæst. VI. ex apocryphis veterum Pontificum Epistolis, & legitimis recentiorum Decretis multa collegit, quæ Appellationes Episcoporum Sedi Apostolicæ judicandas tribuunt. Itaque supponit prima judicia esse a Metropolitanis & Synodis exercenda. Qua de re Yvo Carnotensis Episcopus, Juris Canonici peritissimus, & Sedi Apostolicæ devotissimus antea ita scribebat Epistola LXVIII. *Si intra Provinciam, secundum quod instituta majorum contineat, fieret prima discussio, sicut necesse foret, non deessent accusatores, non deessent testes, qui pro hujusmodi negotiis non audent ad remota loca prodire.*

Cum *Gaufredus* Archiepiscopus Eboracensis, multorum criminum reus delatus esset, nec posset in Anglia judicari, quod Apostolico privilegio munitus esset, ac de Primato etiam contenderet cum Archiepiscopo Cantuariensi, denique Frater esset *Richardi I.* Regis ; *Cœlestinus III.* Pontifex Maximus inquirendi provinciam in partibus demandavit Lincolniensi Episcopo, Archidiaconis *De Nortantona*, & Priori *De Pontefracto* : & Instrumenta omnia ad Sedem Apostolicam mitti jussit, diemque dici partibus, ad quem Romæ se sisterent, Sententiam suam audituræ. Stata die non adfuit *Gaufredus* ; datæ ipsi, immo ampliatæ induciæ : Tandem contumaciæ damnatus est, ipsumque ab Archiepiscopali dignitate & officio suspendit *Cœlestinus*, ac Dicecefeos administrationem ad *Simonem* Eboracensem Decanum, & ejusdem Ecclesiæ Canonicos transtulit, ut testantur ejusdem Pontificis Epistolæ Annalibus *Rogerii de Hoveden* insertæ ad annum MCXCVI. Tandem ad Sedem Apostolicam accessit *Gaufredus*, & cum accusationum sibi illatarum capita diluisset, in Dignitatem ac Officium restitutus est.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, num. 1. pag. 682. Edit. primæ Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant : *Papa potest novos erigere Episcopatus de consensu Principum, propter pacem.*

R. Piget idem centies repetere, sed cogit Censorius Indiculus. Non quæro quid possit Summus Pontifex, sed quid factum sit sæculis XI. & XII. *Novorum* (inquam) *Episcopatuum erectio undecimo & duodecimo saculo fiebat Authoritate Romani Pontificis, accedente Principum consensu, ut pax Regnum inter & Sacerdotium foveretur* ; & propter utilitatem Ecclesiæ. Id vero ex præclaris & certissimis Antiquitatis Ecclesiasticæ Monumentis a me probatum est pag. 629. 630. & 631. Sed & hodie mores isti vigent. Episcopatus novi extra temporalem Ecclesiæ Romanæ ditionem eriguntur de consensu Principum, ad fovendam concordiam Sacerdotii & Imperii. Sic nuper in Gallia Episcopatum Aletsiensem sub Archiepiscopatu Narbonensi erexit, rogante Rege Christianissimo Ludovico Magno Innocentius XII. Pontifex Optimus Maximus. Sic Albigeosem Archiepiscopatum eodem consentiente & rogante erexit beatæ Memoriæ Innocentius Undecimus. Sic pro novi Episcopatus erectione Blesis sub Metropoli Parisiensi, Episcopi & Ecclesiæ Carnotensis nomine Innocentio XII. pariter supplicatum est, consentiente Christianissimo Rege, qui & primum Episcopum nominavit ; eaque gratia a Pontifice sanctissimo & Ecclesiæ necessitatibus atque utilitatibus semper consulente concessa est, & Cathedra Episcopalis Blesis erecta.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 632. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant : *Pro habendo Episcopatu in Gallia, est necessarius consensus Regis.*

R. Utique necessarius est, & secundum hodiernam Disciplinam, ex qua nemo confirmatur Episcopus, nisi nominatus a Rege, juxta pacta inter Franciscum I. Regem Christianissimum & Leonem X. Concordata : & secundum Disciplinam XI. & XII. Sæculi, de qua tantum eo loci scripsi : *Episcopi a Clero & populo eligebantur .... Regius consensus in Galliis desiderabatur.* Historiæ res est.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, num. 6. pag. 648. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Episcopi hominium & juramentum prastabant Regibus, id dissimulante Papa propter pacem, contra Decretum Gregorii VII.*

R. Reges Juramentum fidelitatis & hominium ab Episcopis exegisse XI. & XII. Sæculo : Id prohibuisse Gregorium VII. & Urbanum II. in Concilio Claromontano : Reges his Decretis parere noluisse :

se: dissimulasse interdum, œconomiæ pacisque gratia Romanos Pontifices; Historiæ & facti, non dogmatis, capita sunt, a me relata & probata; nulli-que non probanda qui non fuerit in Historia Ecclesiastica hospes & Peregrinus,

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, num. XIII. pag. 690. Edit. primæ, Religiosi Censores hæc notant: *Finitiva & ultima Episcoporum Judicia Sedi Apostolicæ reservata erant. Ob Metropolitanorum quidem neligentiam primam interdum causarum Episcopalium cognitionem Summi Pontifices ad se traxere; sed illam Synodis Provincialibus jure competere agnoscebant*. Et pag. 639. *Interdum Appellatione admissa, causam integram Papa remittebat ad Episcopos, ut eam rursus in plenario Concilio judicarent, quod sane a Sardicensibus Canonibus non abhorrebat. Quamquam Synodos proprio nomine proprioque jure primam cognitionem causæ suscipere posse non diffiteretur*.

R. Hanc Sæculis XI. & XII. viguisse Disciplinam dixi, & ex Monumentis Ecclesiasticis probavi. Facti Quæstio est, Contenduntne Religiosi Censores, non solum primam causarum Episcopalium cognitionem ad Romanum Pontificem pertinere, quod Ecclesia Gallicana semper negavit: sed primam etiam hujusmodi causarum cognitionem in Curia Romana semper institutam fuisse, non obstantibus Canonibus, Decretis Summorum Pontificum, Historiis, & testimoniis quibuscumque, hujus facti falsitatem invicte probantibus?

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 698. Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Papa ex apocryphis Epistolis suam probat authoritatem*.

R. Hæc propositio non est mea. Ita scripsi eo loci: *Gratianus Causa II. Quæst. VI. ex apocryphis veterum Pontificum Epistolis, & legitimis recentiorum Decretis multa collegit, quæ Appellationes Episcoporum Sedi Apostolicæ judicandas tribuunt*. An Gratianum Papam fuisse Religiosis Censoribus in mentem venit?

Nota.

PEr quinque priora sæcula tam in Oriente quam in Occidente, dum novi episcopatus instituebantur, nullum imperatoriæ, vel regiæ potestatis vestigium deprehenditur. Quandoque etiam Metropolitæ novas erigebant episcoporum sedes, ipsis episcopis deprecantibus; cum ob suarum diœcesum amplitudinem, unus Pastor non posset tot oves satis custodire. Recens vero ad fidem conversis, vel ad ipsam convertendis, folius erat Sedis Apostolicæ episcopos dare. Observat autem Thomassinus *Vet. & Nov. eccl. discipl. p. 1. l. 2. c. 54. n. 15.* ex triplici causa tunc Principes de nova episcopatuum erectione sollicitos non fuisse. Prima erat amplitudo latissima parentis Imperii; unde & quia tantarum gentium regendarum cura distrahebantur, & quia longe ab ipsorum oculis novi consurgebant episcopatus, in iis instituendis suam immiscere authoritatem nequidem cogitabant. Dum deinde Imperatores christiana fide imbuti rerum potiebantur, cum viderent ab ipsis ecclesiæ exordiis episcopos fidelium plebem gubernasse, antiquitatem hujus Ordinis venerati, novorum episcopatuum erectionem uni ecclesiæ relinquebant. Non admittebantur demum tunc episcopi ad secretiora consilia, nec ea in civitates potestate donati fuerant, quam deinde illis contulere Reges, qui ex dissecto Imperio surrexere; quapropter minor erat Principum sollicitudo, si novi episcopatus novique episcopi intra suam ditionem assurgerent.

A sæculo vero sexto in novorum episcopatuum erectione, ut plurimum Papæ, Metropolitani, Synodi provincialis, ac Principum consensus desiderabatur. Et quamvis ad Ecclesiasticam pertineat jurisdictionem novas episcoporum sedes decernere, quia nihilominus spirituali ecclesiarum regimini multum interest Principes cum ecclesiæ præsulibus mutua concordia vinciri, ita Ecclesia suam moderandam potestatem judicavit, ut etiam ex Principis consensu novi episcopi assurgerent. Semper tamen criminanda Græcorum ignavia, & assentatio, qui, teste Zonara apud citatum Thomassinum uni Imperatori permisere vel episcopatus in metropoles erigere, vel novos episcopos metropolitanosque constituere; cæco modo illis mutuante Ecclesia Orientali propriam authoritatem. At nullus ignorat Orientis Imperatores ecclesiæ jura temerasse, & quod Sacerdotii erat invasisse, ut sæpe adnotat *Tomassinus*, qui de consensu Principum in novorum episcopatuum erectione agit *p. 2. l. 2. c. 55. & seqq.*

Nota.

DE Sacramentis, Hominiisque, quæ sæcularibus Principibus episcopi præstitere, differit Thomassinus *Vet. & Nov. eccl. discipl. p. 2. l. 2. cap. 47. & seq.* Ibi observat nullum extitisse horum sacramentorum vestigium in Oriente; quinimmo Justinianum in Codice legum prohibuisse ne quis episcopum ad jurandum adigeret. Animadvertit a contra Constantinopolitanos Patriarchas aliquando constanter negasse Imperatores regia corona redimere, si scripto unaque juramento polliciti non fuissent catholicam fidem tuituros. In Hispania primum hanc consuetudinem, qua Episcopi regibus fidelitatem jurarent, invaluisse ex diversis Toletanis conciliis affirmat. In Ecclesia vero Africana, ubi Hunnericus Vandalorum rex sacramentum fidelitatis ab episcopis poposcit, ab illo abstinendum non putarunt Antistites illi, qui arianas artes non deprehenderunt, renuentibus iis qui fraudulentiam subodorarunt, ut ex Victore narrat idem Thomassinus.

Cum autem hujusmodi sacramenta & hominia Reges in Gallia per octingentos annos non exegissent, tandem sub Carolo Magno emergere cœperunt, ut colligitur ex Concilio III, Turonensi an. 813. celebrato *can. 1.* & ex Aquisgranensi II. *cap. 2. can.* 12. Causæ hujus exposcendi sacramenti eæ fuere, quod episcopi in comitiis regni primas sedes implebant, sicut etiam quia in regiis consiliis admittebantur. Ducatus insuper Comitatusque complures ditionis erant episcopalis; ipsique episcopi modo mittere, modo per seipsos militares copias ad regios exercitus ducere tenebantur. Has ob causas Reges episcoporum fidem sibi sacramento obstrictam volebant; quamvis cum episcopis hujusmodi sacramenta dedecere visum fuerit, PP. Synodi Carisiacensis Hincmari Remensis Archiepiscopi calamo ab eisdem removere Ludovicum Germaniæ regem conati sunt. Dicebant igitur episcopos vassallis non æquiparandos, nec ecclesias prædiis imperialibus regiisque; episcopos a regibus non cogendos ad juramenta, quæ Evangelia & canones interdicerent; manus cœlesti chrismate delibutas, ac Agno cœlesti immolando deservientes, sacramentis hominiisque sæcularibus non esse profanandas, nec iisdem sacramentis, quibus laici constringebantur, contaminandas linguas sacerdotum, quas ad cœlum reserandum Christus destinaverat. *Conc. Gall. t. 3. p. 129.* Loco ergo sacramenti, a quo præstando Episcopi abhorrebant, promissio fidelitatis in Gallia successit, quam tamen solum ob quorumdam solemnitatum omissionem a juramento distinctam fuisse opinatur Thomassinus *n.* 13. qui & paulo antea observaverat posteriores reges episcopalia juramenta in integrum restituisse.

Ubi vero Germani Imperatores ita cœperunt Investiturarum nomine abuti, ut electionum libertatem opprimerent, & episcopatus ex solo suo nutu darent, ita Pontifices & Concilia in abolendo investituras conspirarunt, ut etiam sacramenta fidelitatis & hominia veluti earum appendices evertere cogitaverint. Id obtinere conatus est Gregorius VII. id Urbanus II. in Concilio Claromontano an. 1095. celebrato, & in Romano quod an. 1099. coegit. In hominia pariter surrexit Paschalis II. suorum prædecessorum decreta confirmando. Quidam etiam potius feuda dimittenda arbitrati sunt, quam ecclesiæ præsules laicorum servituti mancipare. Fatendum nihilominus cum Na-

tale

tale, id etiam adnotante Thomaſſino *cap. 19. n. 3.* Summos Pontifices ad removendas ſchiſmatum occaſiones, ſæpe toleraſſe, ut adhuc pluribus in locis epiſcopi fidei ſacramentis hominiiſque Regibus alligarentur; quapropter Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. anum id prohibuit, ne laici fidei ſacramentum exigerent ab illis clericis, quibus temporalia nulla, ſeu feuda contuliſſent, *Extra de jurejur, cap. nimis*.

Illud demum, non omittendum, quod quamvis tandem ceſſaverint hominia, non tamen fidelitatis ſacramenta. Ideo autem epiſcopi potiſſimum hominia eliminanda toties optarunt, reges in id conſenſiſſe dicendum eſt, quia quædam intercedebant ſolemnitates, quæ nimis Antiſtitum dignitatem deprimebant. Præſtabatur nempe hominium nudo capite, manibus junctis inſertiſque inter manus Domini, ſimulque oſculum inter veniebat in perpetuæ ac intaminatæ fidei pignus. Expediebat proinde illud e medio tollere, ne ſublimis epiſcoporum dignitas vilipendi ac parvi fieri videretur.

Nota.

JUvat hic breviter repetere quæ ſæpe dicta ſunt. Cauſæ epiſcoporum a duodecim epiſcopis præcipue juxta ſanctiones Conciliorum Africæ erant judicandæ, eique judicio Metropolitani erat præeſſe. Poterat poſtea epiſcopus per appellationem ad Pontificis tribunal ſuam cauſam deferre; & Pontifex vel iterum novum ejuſdem cauſæ examen epiſcopis demandabat, vel per ſeipſum de epiſcopi innocentia ſeu improbitate judicabat. A nono potiſſimum ſæculo hæc diſciplina cœpit immutari, & Pontifices primam cauſarum epiſcoporum cognitionem ad ſe advocabant.

ARTICULUS VI.

De Clericis.

Clericos abſque Titulo ordinare nefas.

I. CLericos abſque Titulo ordinare nefas erat, ut conſtat ex *Urbano II.* Epiſtola XVII. Appendicis. Ex Concilio Placentino anni 1095. Canone XV. quo ſtatutum eſt, *Ut ſine Titulo facta Ordinatio irrita habeatur, & in qua quilibet titulatus eſt, in ea perpetuo perſeveret.* Ex Concilio Claromontano eodem anno habito, Canone XIII. *Ut omnes Clericus ad eum Titulum ad quem primum ordinatus eſt, ſemper ordinetur.* Titulus alius tunc non erat a Beneficio: unde Canon XII. ſtatuit; *Ut nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas Præbendas obtinere, cum duos Titulos non poſſit habere.* Ex Concilio Londinenſi anno 1125. Canone VIII. *Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, niſi ad certum Titulum ordinetur, qui vero abſolute fuerit ordinatus, ſumpta careat dignitate.* Ex Canone V. Concilii Lateranenſis Œcumenici ſub *Alexandro III.* quo Epiſcopus adſtringitur ad ſubſtentationem Presbyteri vel Diaconi, quem abſque Titulo ordinaverit, donec ei in aliqua Eccleſia Beneficium contulerit; niſi ſufficiens Patrimonium habeat. Hoc Patrimonialium Titulorum initium. Unus ex Romanis Pontificibus qui *Alexandro III.* ante annum 1203. ſucceſſerunt, Concilii Lateranenſis Decretum de ſolis Presbyteris & Diaconis editum ad omnes Ordines inferiores extendere voluit. Contra Legem Epiſcopis gravem ac pene intolerabilem *Stephanus* Epiſcopus Tornacenſis interceſſit, obſecravitque Chriſti Vicarium ut eam reſtringeret, Epiſtola 194. *Cum in Sancto*, inquit, *Lateranenſi Concilio ſub felicis recordationis Beatiſſimo Papa Alexandro, cui plures ex nobis interfuerunt, ſuffragium ſuam omnibus qui aderant præſtantibus, de Presbyteris tantum & Diaconibus ſtatutum fuerit & decretum, id libenter amplectimur fideliter approbamus, obedienter Deo volente ſervabimus, & ſervamus. Impoſſibile autem nobis eſt nomina vel numerum eorum, quos infra Diaconatum ordinavimus, memoriter tenere, nec minus impoſſibile eſt omnibus eis vel conferre Beneficia, vel neceſſaria providere. Satius erit nobis amodo non celebrare Ordines quam hæc importabilia ſuſcipere onera. Quod ſi forte ceſſantibus nobis contigerit, quantum periculum futuris temporibus vel perſonis immineat, nemo dubitat vel ignorat. In Gallicanis etiam partibus ad hoc tantum plerique literas addiſcunt, ſive parvuli, ſive adulti, ut in Eccleſia Dei gradatim per Ordines promoti Deo ſerviant & miniſtrent. Quod ſi Ordinatores defecerint, deficient Ordinandi: & ceſſabunt Myſteria, ſi Miniſteria ceſſare contigerit. Attendat & pius & Juſtus Pater, quia lex nova in obſervatione ſua debet eſſe poſſibilis; in conſtitutione ſua, non præteritis dare formam negotiis, ſed futuris. Pro his omnibus Paternitati veſtræ ſupplicamus, & preces fundimus, ut Mandatum iſtud arduum intolerabile, & onerosum ſi placet, temperetis, cui nos obtemperare & difficultas prohibet, & impoſſibilitas non permittit.*

Patrimonialium Titulorum initium.

Lex in obſervatione ſua debet eſſe poſſibilis, nec præteritis dare formam negotiis, ſed futuris.

Ordinandorum ætas.

II. Epiſcopi & Presbyteri ante annum ætatis trigeſimum, Diaconi ante vigeſimum-quintum non ordinabantur ſæculo undecimo, niſi ſumma neceſſitate urgente, aut ob ſingulare ſapientiæ ac ſanctitatis meritum Epiſcopo diſpenſandum videretur in Presbyterorum Ordinationibus; qui tamen ante annum 25. non poterant inaugurari. Ita ſanxit Concilium Toloſanum anno 1056. & Rothomagenſe anno 1074. Canone VI. *B. Petrus Damiani* Libro qui inſcribitur *Gratiſſimus*, cap. IV. ejuſdem diſciplinæ teſtis eſt. *Urbanus II.* in Concilio Melfitano Canone IV. Subdiaconos anno ætatis decimo-quarto aut decimo-quinto permiſit ordinari. *S. Malachias* Presbyter ordinatus eſt annos natus dumtaxat viginti quinque; de qua diſpenſatione *S. Bernardus* ita ſcribit in ejus Vita: *In qua ejus Ordinatione, ſi quid præter Canonum formam proceſſiſſe videtur, at vere videtur donandum ſane tum zelo Ordinatoris; tum meritis Ordinati. Ego vero iſtud nec in Sancto redarguendum, nec uſurpandum conſulo ei, qui Sanctus non fuerit.* Summus Pontifex *Alexander III.* & Concilium Œcumenicum Lateranenſe ab ipſo celebratum Canone XIII. Epiſcopos ante annum ætatis trigeſimum conſecrari vetant, Presbyteros anno vigeſimo-quinto inaugurari permittunt. Pueris Eccleſiaſticas Dignitates non eſſe conferendas etiam Principum filiis, docuit *S. Bernardus* ſuamque interceſſionem *Theobaldo* Comiti negavit pro *Willelmo* ejus filio promovendo (Epiſtola 271.) *Honores*, inquit, *& Dignitates Eccleſiaſticas non ignoro deberi his, qui eas digne ſecundum Deum adminiſtrare & velint & poſſint. Porro eas acquiri parvulo filio veſtro, precibus meis, vel veſtris, nec vobis juſtum, nec mihi tutum eſſe noveritis..... Sane Willelmulo noſtro cupio bene per omnia, ſed ante omnia Deum. Hinc eſt quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quod ſi alius ſecus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum.*

III. Epiſcopus beneficiorum omnium ſuæ diœceſeos collator erat præſentandi jure Patronis ſervato. Id conſtat ex Concilio Salegunſtadienſi Canone XIII. *Nullus laicorum*, inquit, *alicui presbytero ſuam commendet Eccleſiam præter conſenſum Epiſcopi: ſed eum prius mittat Epiſcopo, vel ejus Vicario, ut probetur ſi ſcientia, ætate, & moribus talis ſit, ut ſibi populus Dei commendetur.* Ex Concilio Pictavenſi anno 1078. Canone I. *Nullus*, inquit, *Epiſcopus, Abbas, Presbyter, vel qualibet perſona de clero, accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cujuſcumque laica perſona, donum Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Eccleſia, vel aliquarum Eccleſiaſticarum rerum: ſed Epiſcopus a ſuo Metropolitano, Abbas, presbyter, & cætera inferiores perſonæ, a proprio Epiſcopo.* Ex *Urbano II.* in Epiſtola ad *Pibonem* Tullenſem Epiſcopum, XVII. Appendicis. *Epiſcopus*, inquit, *omnia ſui Epiſcopatus membra, videlicet Archidiaconatus, Archypresbyteratus, Decanias, vel aliquas Præpoſituras Eccleſiæ ſuæ Canonicas, gratis abſque omni venalitate diſtribuat.* Idem in Concilio Melphitano Canone I. decrevit. Circa hæc tempora, *Joannes* S. R. E. diaconus Cardinalis & Cancellarius Epiſtolam hiſtoricam ſcripſit ad Abbatem Moliſmenſem, de tranſlatione parochialium Eccleſiarum plurimarum ad monachos, qua jus Epiſcoporum in Beneficiorum collatione luculenter aſſeruit. *Omnes Eccleſiarum res* (inquit) *in manu Epiſcoporum Canonica decreta conſtituunt. Sed præteritis temporibus, Principibus ſæcularibus licuit etiam*

Collatio Beneficiorum omnium ad Epiſcopos Jure ſpectabat: Laicis vetita erat.

etiam Ecclesias monasteriis tradere. Hac vero licentia nimis laxe Principes usi sunt, ut etiam Ecclesias monachis venderent. Hoc Papa Gregorius VII. acriter prohibuit. Propter quam prohibitionem Episcopi monasteria acrius spoliare cœperunt. Unde idem moderatione hac uti voluit in Concilio antepenultimi anni sui, ut quæcumque res vel Ecclesia, ante ipsum Concilium a principibus data monasteriis fuerunt, ea eorum possessione persisterent. Post hac, secundo Pontificatus sui anno Dominus noster Urbanus Papa Concilium apud Melfiam urbem Apuliæ celebravit. Sane quia Gregorii Papæ præceptio Henriciana persecutionis urgente periculo minus celebrata fuerat, ipse quoque Dominus Urbanus Papa præcepit in eodem Concilio Melfitano, ut quæ usque ad illud Concilium per Principes data monasteriis fuerunt, firma & integra permanerent. De cætero Abbates ob acquisitione hujusmodi abstinerent. Verba Concilii Melfitani canone V. subjicio. *Nullus laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut quidquid Ecclesiastici juris est, sine consensu Episcopi, vel Romani Pontificis, monasteriis aut canonicis offerre præsumat.*

Concilium Lateranense I. sub *Callisto II.* anno 1123. Canone IV. statuit; *juxta Stephani Papæ sanctionem ut laici, quamvis religiosi sint, nullam tamen de Ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem: Sed secundum Apostolorum Canones, omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante, dispenset. Si quis ergo Principum, aut laicorum aliorum dispensationem vel donationem rerum sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vindicaverit, sacrilegus judicetur.* Clarum est quosvis laicos etiam jure patronatus res sive possessiones Ecclesiasticas, adeoque nec Beneficia conferre potuisse, & sacrilegii obnoxium fuisse judicio qui id usurparet; omnem vero rerum Ecclesiasticarum dispensationem ad Episcopum pertinuisse secundum Canones. Neque vero Patronorum Ecclesiasticorum major erat in Beneficiis conferendis potestas, ut ex Canone VII. compertum est: *Nullus omnino Archidiaconus*, inquit, *aut Archipresbyter, aut Præpositus, vel Decanus animarum curam vel Præbendas Ecclesiæ sine judicio vel consensu Episcopi, alicui tribuat: immo sicut sanctis Canonibus constitutum est, cura & rerum Ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi judicio & potestate permaneat. Si quis vero contra hæc facere, aut potestatem ad Episcopum pertinentem sibi vendicare præsumpserit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* De Parochialium vero Ecclesiarum collatione Canon XVIII. ita decernit: *In Parochialibus Ecclesiis presbyteri per Episcopos constituantur, qui eis respondeant de animarum cura, & de iis quæ ad Episcopum pertinent.* Concilium Londinense anno 1125. Canone IV. *Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omnino monachus, vel clericus, Ecclesiam sive decimam, seu qualibet Beneficia Ecclesiastica, de dono laici sine propriis Episcopi authoritate & assensu suscipiat. Quod si præsumptum fuerit, irrita erit donatio, & ipse canonicæ ultioni subjacebit.*

Abbates, Abbatissas, vel alias personas Ecclesiasticas, sine assensu vel consilio Canonicorum suorum, cum quibus unum corpus ipsi sunt, Episcopis instituere vel destituere vetat *Alexander III.* Epistola ad Patriarcham Hierosolymitanum: & refertur Cap. *Novit, de his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli*, Lib. III. Decretalium. *Novit tua discretionis prudentia*, inquit, *qualiter tu & Fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, & illi membra esse probantur. Unde non decet, te, omissis membris, aliorum consilio negotiis Ecclesiæ tuæ uti: cum id non sit dubium & honestati tuæ, & Sanctorum Patrum institutionibus contraire. Innotuit siquidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum, Abbates & Abbatissas, & alias Ecclesiasticas Personas instituis & destituis ... ideoque id Authoritate Apostolica prohibemus... Nos enim tales institutiones & destitutiones carere decernimus robore firmitatis.* Idem confirmat cap. *Quanto*. Eam tamen disciplinam universalem non fuisse probat Epistola 182. *Yvonis* Carnotensis; qui hanc consuetudinem in Ecclesia Carnotensi se non invenisse asserit; sed Episcopum solum absque Canonicorum consilio, Ecclesiæ suæ Beneficia contulisse.

Testis est ejusdem disciplinæ *Hildebertus* Cenomanensis Episcopus Epistola LV. *Universæ*, inquit, *Dignitates Ecclesiæ suam quærunt electionem. Si Apostolos consideremus, de illis Dominus ait:* Nonne ego vos duodecim elegi? *Si septuaginta duos, etiam illos a Christo fuisse designatos Lucas meminit. Stephanum, & cum eo sex diaconos, nulli dubium est Apostolos elegisse. In his & eorum successoribus præscripta est Ecclesiæ forma, quam in electione vel consecratione Summorum & inferiorum Sacerdotum, seu etiam Diaconorum, non custodiri causalis est & vicinus ruinæ profectus. Cæteros quoque gradus, ad minimum usque clericum, pro Episcoporum deliberatione substituendos & distribuendos, judicandos & reformandos, Canonica censent & præjudicant instituta. Perit autem solis Pontificibus collata hæc a Domino potestas, si substituendi canonicum, vel aliud in Ecclesia disponendi, hæreditas alicui facultatem acquirit. Quid enim Episcopo in commissa licebit Ecclesia in qua clericus arbitrio assignetur alieno? Quid ibi sacra poterunt sanctiones, ubi nascitur, non fit Canonicus; ubi plus nuptiis debetur quam meritis, ubi plus genituræ, quam gratiæ; plus foro, quam cœlo? Numquid oblaturus est gratum Sacrificium Deo, cui altaria cubile destinat, cui Sacerdotium natales despondent, non mores; parentela, non scientia: Laicus generans, non Præsul adoptans? Quem non moveat in Ecclesia Christi laicum principari, qui dum in ea substituit heredem, Pontificum evacuat libertatem?* Pontifices & Concilia XI. & XII. Sæculo frequentibus decretis confixere laicos Ecclesias absque Episcoporum consensu dare præsumentes, vel Beneficia quælibet Ecclesiastica conferre; & clericos ea de manu laicorum accipientes anathemati pariter devoverunt. Legatur dissertatio nostra de *Investituris II.* Parte historiæ istorum sæculorum. Legantur & quæ infra dicemus de Jure Patronatus.

Reges Christianissimi Beneficia pleraque pleno Jure conferebant.

Reges Christianissimos beneficiorum quorumdam & dignitatum Ecclesiasticarum, jure ex ipsius Ecclesiæ concessione quæsito, sive Patronatus, sive Regaliæ, seu quavis alia ratione, aut consuetudine approbata, collatores fuisse pleno jure duodecimo sæculo, fidem facit *Philippi Augusti* Testamentum. *Præcipimus etiam*, inquit, *Reginæ & Archiepiscopo, ut omnes honores, qui, dum vacant, pertinent ad donationem nostram, quos honeste poterunt retinere, sicut Abbatia nostra & decanatus, & alia quadam dignitates in manu sua teneant, donec a servitio Dei redierimus: & quos retinere non poterunt, donent secundum Deum & assignent Consilio F. Guillelmi, & hoc faciant ad honorem Dei & utilitatem Regni. Si autem in via moriemur, volumus ut honores & dignitates Ecclesiarum donent illis, quos magis dignos viderint.* Observanda sententia! Honores & dignitates Ecclesiasticas non dignis tantum, sed dignioribus dare tenentur quicumque jure patronatus, nominationis, electionis, aut alio quocumque ab Ecclesia instituto seu approbato Beneficia conferunt, aut ad collationem concurrunt. Hacque justitiæ & pietatis atque caritatis erga Deum & Ecclesiam lege Reges ipsos teneri agnovit *Philippus Augustus*.

Dignioribus conferenda agnoscebant.

Mandatorum Pontificiorum de Beneficiorum collatione initia.

IV. Romani Pontificis Mandata in Collationibus Beneficiorum locum habere cœperunt duodecimo sæculo. *Hadrianus IV.* qui Sedem Apostolicam conscendit anno 1154. Parisiensem Episcopum rogavit Epistola XIII. ut primum Canonicatum aut Dignitatem in ejusdem Ecclesiæ Capitulo vacantem *Hugoni* Regis Christianissimi Cancellario conferret. *Rogamus attentius, quatenus pro Beati Petri, & nostrarum reverentia Literarum, primum Personatum vel honorem, qui in tua vacabit Ecclesia, ei concedas; ut & ipse nostras sibi preces sentiat fructuosas, & nos de nostrarum precum admissione gratiarum tibi exsolvere debeamus actiones.* Vacante Præpositura, idem Pontifex Parisiensibus Canonicis mandavit ut eam *Hugoni* conferrent, Epistola 24. *Universitati vestra præcipiendo per Apostolica Scripta mandamus, & mandando præcipimus quatenus Præposituram, quæ in Parisiensi Ecclesia, & domos quæ in claustro ejusdem Ecclesiæ dehinc primum vacaverint, ei, omni contentione & appellatione seposita, concedatis.* Alexander III. Petro Abbati *S. Remigii* mandavit ut Præbendam primo vacaturam in Ecclesia *S. Timothei*, Magistro Uberto, *intuitu devotionis & literaturæ* ipsius, assignaret. (Epistola VII.

Ap-

Appendicis I.) Idem *Ludovicum VII.* Regem Christianissimum rogavit ut Archidiaconatum Carnotensem cuidam Aulæ Pontificiæ Clerico, bonis suis omnibus tempore Schismatis spoliato, a se conferri pateretur. *Rogantes attentius & monentes*, &c. (Epist. XCVI. Append. II.) Idem Decano & Capitulo Parisiensi mandavit Epistola CVIII. ut *Philippo* Episcopi Meldensis nepoti Præbendam vacantem concederent. Mandatum autem istud se dare significat precibus Regis, Reginæ, & Magnatum. Scripsit ad *Lucium* Papam *Stephanus Tornacensis* Epistola XC. ut Apostolica Decessoris sui *Alexandri*, suaque mandata in gratiam *Hervei* Subdiaconi ad Capitulum Aurelianense *S. Aniani* directa, impleri curaret. *Scripsit*, inquit, *pro eo felicis recordationis Pater Alexander Decano & Canonicis S. Aniani Aurelianensis. Scripsistis & vos primo & secundo. Sed neque preces, neque præceptum vestrum, quamvis tres Præbendæ vacaverint, voluerunt audire. Absit, Pater, ut inanes sint preces vestræ, contemptibilis authoritas, elusorium præceptum; & nunc demum tanta, si places, virtute super eos intonet Majestas vestra, ut qui blanditiis juvari non potuerunt, imperio discant vinci.* Idem *Stephanus* Mandatum Apostolicum in favorem *Guillelmi* Scriptoris Domini Papæ, Episcopo Aurelianensi significavit, ut ipse testatur Epistola 92. ad eumdem *Guillelmum* data. *Secundum mandatum Domini Papæ*, inquit, *pro negotio tuo secutus sum usque Magduaum Dominum Aurelianensem Episcopum, & ibi coram Canonicis illius Ecclesiæ, post sacros apices lectos, reddita prius gratiarum actione Episcopo de promisso tibi, ad preces Domini Papæ, Beneficio, subsequenter & constanter authoritate Mandati mihi injuncti eidem prohibui, ne alii, antequam tibi, Beneficium in Ecclesia Magdunensi conferret; & Canonicis, ne alium quam te in Concanonicum reciperent, aut investiri permitterent: & si quam Episcopus fecisset, vel facturus esset de nondum vacante Præbenda promissionem, concessionem, vel investituram, totum Authoritate Domini Papæ irritum esse & fore denunciavi. Homo ille obedienter, ut solet, respondit, & Mandatum Domini Papæ sese completurum promisit.* Cum interdum Episcopi, & Capitula Mandatis Pontificis accurate non parerent, Summus Pontifex eorum executionem viris Apostolicæ Sedis devotis in partibus committebat. Idem *Stephanus* Decanum & Capitulum Sanctæ Crucis Aurelianensis hortatus est Epistola CXIV. ut Summi Pontificis Mandato in gratiam cujusdam Clerici ad ipsos directo parerent; seque cum Archiepiscopo Remensi delegatum monet, ut illius Mandati executionem urgeat. *Et quoniam*, inquit, *pro Joanne latore præsentium Clerico vestro in Ecclesia vestra enutrito & educato Summus Pontifex monendo, rogando, & mandando scripsit vobis: ego quoque sicut Clericus & amicus vester moneo & consulo, ut in petitione prædicti Clerici benevolam simul & beneficam manum vestram aperiatis ei, quoniam tanto Patri non parere, perire est; non obedire, obire. ... Accedit ad cumulum & stimulum petitionis hujus, quod Dominus Papa Domino Remensi Archiepiscopo executionem negotii commisit, parvitatem meam tantæ potestati, tamquam hylam Herculi, & urticam lilio jungens, qui mandatum Apostolicum, si desides apparueritis, implebit non minus celeriter quam potenter. Noverit autem Prudentia vestra, quoniam acceptius est spontaneum beneficium, quam involuntarium; gratuitum, quam extortum.*

Jus Patronatus. Regula circa illud statuta & observata.

V. Circa Patronorum Jura hæ receptæ Regulæ duodecimo sæculo. Si Patroni dissentirent, ac plures eorum discordia præsentarentur ad Beneficium, dignior, & a pluribus electus præferri debebat. Si id absque scandalo fieri non posset, Episcopus Beneficium conferre poterat, nulla præsentationis ipsorum habita ratione. Idem ipsi jus competebat, si quæstio de Jure Patronatus inter aliquos emergens, infra quatuor menses finita non esset. Ita statuit Concilium Lateranense sub Alexandro III. Canone XVII. & refertur Capite *Quonium de Jure Patronatus*. Idem Concilium Patronos Laicos, qui *Episcoporum Authoritate neglecta Clericos instituunt in Ecclesiis, & removent eum cum voluerint*, anathemate decernit feriendos. Presbyterum vero sive Clericum, *qui Ecclesiam per Laicos, sine proprii Episcopi Authoritate, receperit tenendam*, Communione privat: & si perstiterit, a Ministerio Ecclesiastico & Ordine deponendum edicit. (Canone XIV. & refertur Cap. *Præterea, De Jure Patronatus*.) Si Laici Episcopis nescientibus, aut non consentientibus, Ecclesias Clericis concederent, in quibus habebant Jus Patronatus, & postea pœnitentia ducti, alios ad easdem Episcopis præsentarent, eorum stabat institutio, *qui Authoritate Episcopi erant instituti*, concessione priori rescissa. *Non enim licet Laicis, Clericos in Ecclesiis præsumptione propria ordinare.* Decretum est *Alexandri III.* Cap. *Cum Laici, De Jure Patronatus.*

Si quis Clericus ab Ordinario in aliqua Ecclesia fuerit institutus, ad præsentationem ejus qui Patronus credebatur, & postea jus Patronatus alius evicerit in Judicio, Clericus ab eo præsentatus, qui Patronatum Ecclesiæ possidebat, removeri judicata lite non potest: Secus si ille a quo nominatus est, Patronatum non possideret. Ita decrevit *Alexander III.* in Rescripto ad Abbatem *S. Albani* & refertur in Appendice Concilii Lateranensis III. Parte XV. Cap. XX. & Cap. *Consultationibus, De Jure Patronatus.*

Cum Beneficiorum Collatio differebatur, sive propter Patronorum dissensum, quia personas minus idoneas præsentaverant, vel ob alias causas canonicas, Episcoporum erat Œconomos constituere, qui redditus Ecclesiarum perciperent, & eos expenderent in utilitatem Ecclesiarum, aut futuro servarent Successori. Ita statuit idem Pontifex in Rescripto ad Cantuariensem Archiepiscopum, ibid. cap. 21.

Jus Patronatus vendi non posse, quia *est spirituali annexum*, idem Pontifex declaravit, cap. *De Jure*, Tit. XXXVIII. *De Jure Patronatus.*

Cum Patronus Clericum idoneum Episcopo præsentavit; & postulat postmodum, eo non refutato, alium æque idoneum in eadem Ecclesia admitti: quis eorum alteri præferatur, judicio Episcopi relinquendum est, si Laicus fuerit, cui Jus competit præsentandi. Si patronus est Ecclesiasticus, *Qui prior est tempore, jure potior esse videtur*. Ita statuit *Lucius III.* in Rescripto ad Norvicensem Episcopum, Cap. *Cum autem, de Jure Patronatus.*

Causæ Patronatus ab Ecclesiasticis dumtaxat Judicibus dirimi poterant. Ita statuit *Alexander III.* in Rescripto ad Regem Anglorum, quod legitur in Appendice Concilii Lateranensis, parte 47. Cap. IV. *Causæ Patronatus Ecclesiarum*, (inquit) *ita juncta sunt & connexa Ecclesiasticis causis, quod nonnisi Ecclesiastico Judicio valent diffiniri, & apud Judicem Ecclesiasticum solummodo terminari.*

Patroni Ecclesiastici, qui indignos nominant *eligendi potestate privantur* Canone III. Concilii Lateranensis III. Præbendas seu qualibet Ecclesiastica Beneficia infra sex menses a die vacationis conferri jussit idem Concilium Cap. 8. *De Patronis Ecclesiasticis* hunc intelligi Canonem sequentia verba ostendunt: *Si Episcopus, ubi ad eum spectaverit, conferre distulerit per Capitulum ordinetur. Quod si ad Capitulum electio pertinuerit, & infra prædictum terminum hoc non fecerit, Episcopus hoc cum virorum religiosorum consilio exequatur.* Patronis autem Laicis quatuor dumtaxat menses concessit Canone 17.

Ne quis Judicum sæcularium sententia Patronatus Ecclesiarum, vel Ecclesiastica Beneficia sibi vindicet sub anathemate prohibuit *Alexander III.* in Rescripto ad Archiepiscopos & Episcopos per Angliam constitutos, Extra *De Jure Patronatus*, Cap. XXVII. primæ Collectionis Decretalium & Appendicis Concilii Lateranensis 3. Cap. 33. ubi idem Decretum inscribitur, *Archiepiscopis & Episcopis per Galliam constitutis*. Refertur etiam lib. 3. Decretalium, Tit. *De Jure Patronatus*, cap. *Relatum est*, his verbis: *Relatum est nobis quod nonnulli occasione Laicæ recognitionis, non requisita Episcopi audientia, Beneficia Ecclesiastica sibi præsumunt in vestris Parochiis vindicare. Quoniam igitur hujusmodi Personæ non intrant per ostium, sed aliunde conscendunt, ac per hoc indigni sunt Pastoris nomine vel prærogativa gaudere: Mandamus, quatenus eos, si commoniti prædicta minime designaverint [nisi Episcopali concessione muniti fuerint] ab Officio reddatis & Beneficio alienos.* Addunt antiquæ Collectiones: *Si vero nec sic destiterint, eos vinculo Anathematis innodetis.*

Si

Si quis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit ex eo jus Patronatus acquirit. (Ex Clemente III. Cap. *Nobis*, *De Jure Patronatus*.)

In Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestius Patroni postulatur assensus : nisi aliter de sua Jurisdictione abstineat ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ. Secus tamen est in Capella, in qua unus Presbyter a Patrono eligitur, & pro Institutione habenda loci Episcopo præsentatur. (Ex eodem, ibidem.)

De Juribus honorificis Patronorum, deque obligatione Ecclesiæ erga ipsos, idem Pontifex statuit : *Pro fundatione Ecclesiæ, honor Processionis Fundatori servatur : & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succurritur, sicut in sacris est Canonibus institutum.*

Principum preces pro Beneficiorum collatione.

VI. Principum preces & commendationem ad impetranda Beneficia a Collatoribus quandoque Clerici adhibebant, quarum nullam interdum rationem habendam censebant Episcopi, ne in jus deinde verterentur. Id probat Epistola I. Abbatis *S. Memmii* Catalaunensis ad *Ludovicum VII.* Francorum Regem, quæ apud *Duchesnium* Tom. IV. *Historiæ Franciæ Scriptorum* legitur pag. 668. Ab eo rogatus Rex, ejus nepotem septennem G. ad Catalaunensem Episcopatum electo commendaverat, necnon Decano & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ. Respondit electus Antistes, se plurimum optare ut votis suæ Majestatis concederetur Præbenda vacans, quam postulare dignata erat pro Abbatis nepote: sed nihil amplius juris ad illius collationem se tunc habere quam ceteros Concanonicos. Decanus primas & secundas Literas Regis in Capitulo susceperat. Quidam Canonici Majestatis ejus petitioni annuendum esse senserunt : alii ipsas eludere, tum quia nondum Episcopum habebant, tum quia Clericus, pro quo rogabat, septimum dumtaxat ætatis annum attigerat. Apud Regem institit Abbas *S. Memmii*, ut excusationis Canonicorum rationem nullam haberet, ac Regia Authoritate usus, Archiepiscopo Remensi mandaret, ut puerum a sua Majestate commendatum investiret Præbenda, quam ipsi conferre Catalaunense Capitulum recusarat. Indecorum enim esse Regi preces adhibere, periculo repulsæ obnoxias: cum imperare pro sua authoritate possit. „ Cum, *inquit*, plane & perspicue malitiosam „ Canonicorum duplicitatem intelligatis, quod ve„ strum est, & honori vestro expedit prædictum Ne„ potem nostrum de Præbenda, quæ vacat, investiri „ faciatis. Universi mirantur. Universi obstupescunt „ super hoc quod rogatis & supplicatis pro eo quod „ absque precibus & supplicationibus, sola authori„ tate vestra facere potestis & debetis. Non expe„ dit juri & potentiæ suæ derogare & quod quis in „ manu tenet, ab alio postulare. Restat igitur hoc „ solum, ut Literis vestris Fratri vestro Domino Re„ mensi, exclusa omni ambiguitate, occasione, & „ dilatione significetis, quatenus prædictum Nepo„ tem nostrum de prædicta Præbenda investiat: cum „ nec Electus possit, nec Decanus precibus vestris „ voluerit eum investire.

S. Hugo Lincolniensis Episcopus Regi Angliæ vacantem Præbendam pro quodam Aulæ suæ Clerico roganti respondit : *Non Aulicis, sed potius Ecclesiasticis personis Ecclesiastica sunt conferenda Beneficia: Habet Dominus Rex unde tribuat mercedem servientibus sibi : nec debet Summo Regi famulantes privare proventibus suis, ut inde servis suis provideri possit a nobis.* Ita refert Vitæ ipsius Author apud *Surium* ad diem 17. Novembris.

Rectores Parochiarum amoveri ad nutum non poterant.

VII. Rectores Parochiarum ad nutum Episcoporum amoveri non poterant, sed Canonico Judicio erat opus ut destituerentur. Id constat ex Concilio Nemausensi anno MXCVI. *Urbano II.* Præside celebrato, Canone 9. *Sacerdotes, quando regendis præficiuntur Ecclesiis, de manu Episcopi curam animarum suscipiant, ubi & in tota vita sua Deo deserviant, nisi Canonico degradentur Judicio.* Ex Concilio Londinensi anni MCXXV. Canone IX. *Nullus Abbas, nullus omnino Clericus, vel Laicus, quemquam per Episcopum in Ecclesia ordinatum, absque proprii Episcopi judicio præsumat ejicere.* Concilium Remense anni MCXXXI. Canone IX. Lateranense II. anni MCXXXIX. Can. X. aliud Remense an. MCXLVIII. Canone X. Turonense anni MCLXIII. Canone V. Ecclesias conductitiis Presbyteris committi vetuerunt. Posterius Remense ita de Sacerdotum amotione a Parochiis statuit : *Non ab ejus regimine, alicujus, nisi Episcopi, in cujus Parochia fuerit, vel Archidiaconi Canonico Judicio devellatur.* Idem constat ex *Alexandro III.* Epistola XIV. Appendicis I. Canonici Regulares Sedis Apostolicæ privilegiis ab hac lege erant excepti, quibus licebat istius Ordinis Abbatibus Fratres regimini Parochiarum suarum Præpositos vel pro Monasterii utilitate, vel pro correctione culparum revocare, ut Articulo sequenti dicemus.

Resignationes in favorem, & permutationes Beneficiorum, an licita? Et qua authoritate?

VIII. Resignationes in favorem, his sæculis erant incognitæ : permutationes pariter absque Authoritate Episcopi vetitæ. Concilium Turonense anni 1163. Canone I. ita sanxit : *Divisionem Præbendarum, aut Dignitatum permutationem fieri prohibemus.* Canonem interpretatur *Urbanus III.* cap. *Quæsitum*, De rerum permutatione. *Quæsitum est*, inquit, *si commutationes fieri valeant Præbendarum, cum commutatio Dignitatum in Turonensi Concilio fuerit interdicta ..... Generaliter itaque teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas : ut qua uni loco sunt minus utiles, alibi se valeant utilius exercere.* Petrus Cantor Parisiensis cap. XL. Summæ suæ, de hoc Disciplinæ capite ita censet : *Commutatio & personarum & beneficiorum Authoritate Ecclesiæ facta, & ob utilitatem ejus, admittitur. Quæ vero fit propter temporale commodum, ubi attenditur scilicet magis propria utilitas quam Ecclesiæ, nævum habere videtur.* Ecclesias Clericis tali tenore conferre, quod post eorum obitum alii nominatim succederent, iniquum esse, & *Sacris Canonibus inimicum : & hujusmodi successiones frivolas & inanes* fore declaravit *Alexander III.* in Rescripto ad Eboracensem Archiepiscopum, cap. *Accepimus De Pactis*. Idem Pontifex beneficiis spoliandos edixit, qui ea pactione facta majores solito solvendi ex ipsis Ecclesiis pensiones adepti sunt, cap. *Cum Clerici*, eodem Titulo. Idem rescidit compositionem factam inter Priorem & Monachos *de Arca*, & Clericum de Ecclesia & Capella quadam litigantes, ea conditione ut Monachi Clerico contendenti tres marcas argenti pro expensis litis solverent, ipse vero liti cederet, ac ab infestatione Monachorum cessaret. *Cumque compositionem istam Authoritate Apostolica peterent confirmari : nos eam non duximus admittendam, pro eo quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.* (Cap. *Cum pridem*, *De Pactis*.)

Permutationes ob Ecclesiæ utilitatem, non ob temporale commodum facienda.

Pactiones & conventiones simoniaca.

Contra Canones factam haud dubium est conventionem de Archidiaconatu quodam Eboracensis Ecclesiæ inter *Petrum de Dinam* & *Adamum de Tornovere*, a Capitulo ejusdem Ecclesiæ approbatam anno 1196. quam his verbis refert Rogerius Hovedenus : „ Dominus Rex Angliæ, prece Arthuri Ducis Bri„ tanniæ, & aliorum virorum potentum, dedit Pe„ tro de Dinant licentiam agendi contra Adam de „ Tornovere super Archidiaconatu de Westrihing, „ quem Rex præfato Adæ dederat, inter quos tandem „ convenit in hunc modum : quod Magister Simon „ Apulus Eboracensis Ecclesiæ Decanus, & Capitu„ lum ejusdem Ecclesiæ, concessione & voluntate præ„ dicti Adæ receperunt Petrum de Dinant in Archi„ diaconatum de Westrihing, & in stallum miserunt „ tam in Choro, quam in Capitulo : & ipse Petrus „ vices suas, & illius Archidiaconatus administratio„ nem commisit ipsi Adæ de Tornovere sub annua „ pensione LX. Marcarum ; statuens quod prædictus „ Adam Archidiaconatum illum in integrum habeat, „ & teneat omnibus diebus vitæ suæ, & reddat ei „ singulis annis inde LX. marcas de pensione ; & „ si Petrus supervixerit Adam, recipiat Archidiaco„ natum sine aliqua contradictione vel diminutione. „ Præterea inter illos statutum est, quod quandocum„ que simul fuerint in Eboraco, unus illorum una die „ tenebit stallum in Choro nomine Archidiaconi, & „ alter altera die similiter, & sic mutabunt vices „ suas.

Beneficia Ecclesiastica dimittere poterant Clerici, absque consensu Episcopi, ut Monachi fierent.

Clerici Beneficia Ecclesiastica absque consensu Episcoporum dimittere poterant, ut Monasticam vitam profiterentur. Unde *S. Anselmus* Cantuariensis Archiepiscopus *Goffridum* Parisiensem Episcopum admonuit, ut *Waleramnum* ejusdem Ecclesiæ Cantorem, qui in Cœnobio *S. Martini de Campis* Monachum induerat, ex quo deinde ipsum vi abstraxerat, liberum dimitteret. (Epistola XII. Libri III.) *Si omnia facienda sunt cum consilio* (inquit) *cujus magis consilio, quam ejus, qui admirabilis, Consiliarius, Deus fortis dicitur? Ipse quippe consulit ad perfectionem nitentibus ut omnia relinquant & se sequantur. ... Hoc consilium magis in Monachico quam alio vitæ proposito impleri sancti Patres intellexerunt. Beatus namque Gregorius in Lib. XIV. Registri, scitis quid mandet Desiderio Episcopo, qui divina inspiratione compunctus gratiam Monachicæ conversationis appetierat; quo modo scilicet hortetur eumdem Episcopum ut propositum ejus nullo modo impediat: sed magis eum, quantum valet, Pastorali admonitione succendat, ne fervor conceptus in eo tepescat: nec ullatenus debere eum qui Monasterii portum petiit, rursus Ecclesiasticarum Curarum perturbationibus implicari. In Toletano Concilio IV. legitis, Clericos Monachorum propositum appetentes, quia meliorem vitam sequi cupiant, liberos esse debere ab Episcopis ad Monasteriorum ingressus. Si ergo docere contra Dominum, & contra tot Sanctos Patres dicta Domini veraciter intelligentes, est peccatum: facere contra monitus, quid est? Si qui separat pretiosum a vili, id est animam a sæculo, tamquam os Dei* [*sicut scriptum est*] *erit: ille cujus os & manus retrahunt animam adhærentem consilio Domini ad sæculum, quid erit? Absit, mi Domine nolit Deus ut super Episcopum cadat quod Deus dicit:* Qui non colligit mecum, dispergit: & qui non est mecum, contra me est. *Horrendum enim est etiam auditu; ut quos Christus elegit de mundo, Episcopus eligat in mundo: ut quos Christus trahit ad portum de procellis & tempestatibus mundi, hos Episcopus retrahat a portu in naufragosos turbines mundi: Et quos Christus abscondit in ovili a multitudine insidiantium luporum, hos Episcopus rapiat de ovili, & exponat multitudini luporum.*

XII. De eodem disciplinæ capite *Stephanus Tornacensis* ad *Robertum* Pontiniacensem Monachum ita scripsit Epistola LXXI. *Parochiales Presbyteri obedientiam quam promittunt, debent Episcopis suis & sacramentaliter alligati sunt Ecclesiis quas regunt, tamquam uxoribus propriis. Lege autem communi Canonum, sine licentia Episcoporum suorum, quibus obedientes esse debent, nec ipsi recedere, nec alii excipere eos debent: lege autem privata, quæ instinctu Spiritus Sancti in corde scribitur, si ad Monasterium vel Canonicam Regularem transierint, tales etiam, contradicentibus Episcopis recipi possunt: ait enim Urbanus Papa:* „ Si quis in Ecclesia sua sub Episcopo populum „ retinet, si afflatus Spiritu Sancto, in aliquo Mo„ nasterio, vel Regulari Canonica salvare se volue„ rit, etiam Episcopo suo contradicente, erat liber „ authoritate nostra. Justo enim non est lex posita, „ sed ubi Spiritus Domini, ibi libertas; &, si Spi„ ritu ducimini non estis sub lege. *Ecce quoniam nec obedientia Episcopo promissa, neque Ecclesia commissa Presbytero, ad frugem melioris vitæ transire volentem poterant impedire.*

Urbanus II. apud Gratianum Causa XIX. Quæst. III.

Beneficiorum pluralitas vetita.

X. Beneficiorum pluralitas, præcipue vero Parochialium Ecclesiarum, Præbendarum, vel Dignitatum, frequenter prohibita fuit a Conciliis, & Summis Pontificibus undecimi & duodecimi sæculi, nempe a Concilio Romano anni 1059. sub *Nicolao II.* Turonensi anno 1060. Canone V. Pictavensi anno 1068. Canone II. Claromontano Canone XII. Pictavensi anno 1100. Canone XVI. Londinensi anno 1125. Canone XII. Œcumenico Lateranensi III. Canone XIII. & XIV. Lege quæ in Dissertatione singulari de isto Concilio dicemus §. V. Contra spiritualem illam polygamiam *S. Bernardus* Epistola XLII. ad *Henricum* Senonensem Archiepiscopum ita scribit: *O insinita semper ambitio, & insatiabilis avaritia! cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia: Meruerint autem vel vitæ merito, vel pecunia, sive etiam carnis & sanguinis, quæ Regnum Dei non possidebunt, prærogativa: non ideo corda quiescunt duplici semper æstuantia desiderio; quo utique magis ac magis & dilatentur in pluea, & ad celsiora sublimentur. Verbi gratia, cum factus quis fuerit in quacumque Ecclesia Decanus vel Præpositus, Archidiaconus, aut aliquid hujusmodi; non contentus uno in una, plures sibi, immo quotquot valet, conquirere honores satagit tam in una, quam in pluribus, &c.* Et Epistola 272. *Honores & Dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas digne secundum Deum administrare & velint, & possint.. ... Nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet: nisi dispensatorie quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem.* Quæ tamen utilitas non ad personam, sed ad Ecclesiam referatur.

Dispensatio non concedenda nisi ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personæ utilitatem.

Ivo Carnotensis Epistola XCV. ad *Paschalem II.* de *Drogone* qui Thesaurariam Catalaunensis Ecclesiæ malis artibus impetraverat, ita scribit: „ Drogoni præ„ dicto objectum est, quod, secundum ordinem Ec„ clesiasticum prædictum honorem habere non posset „ nisi ipsius Ecclesiæ Canonicus quod ipse nec fue„ rat, nec esse poterat, cum jam esset in alia Ec„ clesia, & in alia provincia factus Canonicus, & „ Archidiaconus.... Quod autem prædictus Clericus „ in duarum civitatum titulari non possit Ecclesiis, „ tam ex vestris, quam Prædecessorum vestrorum „ comprobamus sententiis; intelligimus etiam ex di„ ctis Papæ Gelasii: Quia si quid fuerit contra A„ postolica Decreta manifeste præsumptum, non o„ pus esse ut tamquam res dubia devocetur in judi„ cium, quod tam frequenter Apostolica falce est præ„ cisum, & Generalium Conciliorum sententiis dif„ finitum.

Clericorum damnanda cupiditas.

Eumdem abusum insectatur *Petrus Blesensis*, in cap. 1. Job „ Plerique sunt, *inquit* qui non dicam ani„ marum, de quibus respondere tenentur in die tremen„ di judicii, sed vix Ecclesiarum suarum numerum „ cognoverunt. Adjungunt Ecclesiam Ecclesiæ, Præ„ bendam Præbendæ, domum domui, agrum agro. „ De talibus dicit Isaias: Væ qui conjungitis do„ mum ad domum, &c. Clerici, qui nihil possidere de„ buerant, præsumunt omnia possidere: non laborant, „ non arant, non seminant, non ædificant, non navi„ gant, neque pugnant: & ut verbo Psalmistæ utamur; „ In labore hominum non sunt, & cum hominibus „ non flagellabuntur: ideoque tenuit eos superbia, „ &c. Certe qui cum hominibus temporaliter non „ flagellabuntur, æterno sunt cum dæmonibus flagella „ passuri.

Contra eumdem *Stephanus* Tornacensis Episcopus in Statutis Synodalibus hæc habet: „ Homines seipsos „ amantes, quærentes quæ sua sunt, in pluribus Ec„ clesiis connumerari & intitulari volunt, & in sin„ gulis percipere stipendia, quamvis vel tenuiter non „ deserviant in una. Nos multitudini parcentes, & „ Fratrum compatientes infirmitatibus, eos de Colle„ gio nostro, qui amodo instituentur Canonicis in Ec„ clesia nostra, si assidue in ea mansionarii non fuerint, „ nec omnino privare volumus Beneficio, nec plena „ cum aliis percipere stipendia, qui in vinea Domini „ pondus diei portant, & æstus.

Petrus Cantor Parisiensis, in Verbo Abbreviato, Cap. 31. 32. 33. 34. Clericos plurium Beneficiorum possessores monstra vocat, quæ Trinitatem perverse imitentur. „ Velut Geryones [*inquit*] Bria„ rei, bicorpores, tricorpores, belluæ multarum ca„ pitum monstruosæ, contendunt Deo uni trino in „ personis, & uni in substantia assimilari. Horum enim „ quilibet cum sit unus in substantia, & in persona; „ tamen plures esse appetit personæ in Personatibus, „ & Dignitatibus Ecclesiæ. Multisque ipsos exagitat vir pius & eruditus.

Residendi in Beneficiis Ecclesiasticis obligatio.

XI. Sacra residendi lege Beneficiarii tenebantur, ut constat ex decretis Concilii Œcumenici Lateranensis III. *Alexandri III.* Ab hac lege pro tempore dispensabantur studentes. & qui Episcopo ad Ecclesiæ regimen inserviebant. Decreta illa inserta sunt lib. 4. Decretalium, *Tit. de Clericis non Residentibus*. Concilii Lateranensis Canon 13. ita statuit: *Cum Ecclesia, vel Ecclesiasticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit; & qui receperit, quod contra sacros canones*

nones

nonet accepit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate privetur. Refertur Cap. *Quia nonnulli*, Tit. mox laudato.

Dispensatio a Residentia in gratiam studiorum

XII. Clericos non residentes a beneficiis *amoveri posse, nisi de licentia suorum prælatorum, vel studio literarum, vel pro aliis honestis causis contigeris eos abesse: nec patrocinari eis appellationis diffugium, si contra hujusmodi intentionem decreti fuerit interjectum*, declaravit *Alexander III.* Lateranensis Concilii statutum explicans, Cap. *Relatum est*. Id confirmatur ejusdem Pontificis rescripto ad Eboracensem Archiepiscopum, in Appendice Concilii Lateranensis, parte 30. cap. 6. *Si Clerici* (ait) *qui in Ecclesiis tuæ jurisdictionis beneficia sunt adepti, ad aliam diœcesim absque tua conscientia & assensu morandi causa transierint, beneficiis quæ a te habuerint, liceat tibi eos spoliare: nisi forte disciplinis scholasticis invigilaverint, aut causam rationabilem tibi ostenderint quare reverti non debeant.* Distinctio Beneficiorum in competibilia & incompatibilia, in exigentia & non exigentia residentiam, undecimo & duodecimo sæculo nondum recepta erat, ut liquet ex istis decretis. Idem Pontifex *Gerardo* cuidam professori concessit, ut beneficii sui fructibus per quadriennium, absens licet, frueretur. (Epist. 4. Append. cc.) *Cum sub magisterio tuo*, inquit, *multi per Dei gratiam proficiant in scientia literarum: Authoritate Apostolica tibi duximus indulgendum, ut usque ad quadriennium, si scholas rexeris, redditus tui, quos habet in Anglia, nullius contradictione vel appellatione obstante, libere tibi, & sine diminutione qualibet reddantur in scholis..... Nec cogaris infra terminum ipsum scholas dimittere, nisi alicui Ecclesiæ, in qua Personatum vel magnum beneficium habeas, ea necessitas imminuerit, quod merito tuam sibi debeat præsentiam & patrocinium exhibere.* Hinc colligere est, immunitatem a lege residendi nondum professoribus universim fuisse concessam.

Immunitas a Residentia nondum Professoribus universim concessa ea ætate.

Qui Episcopo assistunt in Ecclesiæ regimine, a Residentia dispensantur.

Denique Canonicos Episcopo in Ecclesiæ Regimine assistentes a residendi obligatione absolvit, Cap. *De cætero, de clericis non residentibus*; cujus hæc sunt verba: *Statuimus, ne canonicis, donec in servitio tuo fuerint, quidquam subtrahi debeat, vel auferri, quod de communitate sibi beneficio debetur, nisi forte sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi.*

SCHOLION.

In hoc Articulo, Num. III. pag. 705. Edit. primæ Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Reges Galliæ jure Regaliæ quædam beneficia conferebant.*

R. Mera facti quæstio est, sed non ita scripsi. *Reges Christianissimos* (Inquam) *beneficiorum quorumdam JURE EX IPSIUS ECCLESIÆ CONCESSIONE QUÆSITO, sive patronatus, sive Regaliæ seu quavis alia ratione, aut consuetudine approbata, collatores fuisse pleno jure duodecimo sæculo, fidem facit Philippi Augusti Testamentum*, &c. Nullum jus nominandi ad beneficia principibus convenire umquam dixi aut censui, nisi ex Ecclesiæ concessione.

ARTICULUS VII.

De Canonicis Regularibus.

Ordinis Canonici Reformatio & propagatio.

I. CAnonicus Ordo, quem a Sanctis Apostolis institutum, a *Sancto Augustino* renovatum ac reformatum, Summi Pontifices Paschalis II. Benedictus XII. Eugenius IV. Sixtus IV. Pius IV. & Pius V. Apostolicis Diplomatibus prædicarunt, quorum excerpta apud *Pennotum* lib. 11. cap. 4. legere est, sub *Caroli Magni & Ludovici* Pii Imperio restitutus: cui Synodus Aquisgranensis I. anno Christi octingentesimo decimo-sexto Regulam ex diversis Patrum sententiis & priscorum Conciliorum Canonibus condidit; quam lege lata promulgavit, & in omnibus Ecclesiis ditionum suarum servari jussit *Ludovicus Pius*: decimo sæculo ab observantia Regulari cecidit: undecimo, viris religiosis ac sanctis urgentibus florentior surrexit, ac propagatus est. Cœpit sanctæ reformationis opus *B. Petrus de Honestis* in Ecclesia *Sanctæ Mariæ in Portu* in agro Ravennate, ubi Canonicis quibus præerat, scripsit Regulam, *tam ex sanctorum Patrum authoritate, quam religiosorum virorum exemplis, & morum honestate conceptam*, ut loquitur *Paschalis II.* qui illam confirmavit 12. Kalendas Januarii anno 1115. *B. Petrus de Honestis*, qui sibi cognomen indidit *Peccatoris*, anno millesimo centesimo decimo-nono ad vitam migravit immortalem. Quem qui cum *B. Petro Damiani* confuderunt, & *Portuenses* Constitutiones ab ipso editas *Regulam Damianam* appellarunt fœde sunt hallucinati. Contra hunc errorem legendi *Hieronymus Rubeus* lib. 5. Historiæ Ravennatensis & *Pennotus* lib. 11. Historiæ Tripartitæ, cap. 48. Edita est *Petri de Honestis* Regula ad calcem Operum *B. Petri Damiani* Editionis Parisiensis anni 1642. Portuensis Ecclesiæ Regulam in Ecclesiam Eugubinam SS. Martyrum *Mariani & Jacobi* intulit *S. Ubaldus* Canonicorum Regularium ibidem Prior, ac Eugubinus paulo post Episcopus. Quæ miraculo est approbata: Cum vir sanctus Ravenna rediens, illam sub dio forte reliquit, ac reversus ut conquireret, invenit integram & ne minimum quidem madefactam, quamvis imber copiosissimus ac vehementissimus totum locum perfudisset; ut testatur Vita *S. Ubaldi* inter Acta SS. mensis Maii, ad diem 16. edita a *PP. Henschenio & Papebrochio* Societatis Jesu.

Cœpta a B. Petro de Honestis.

Nicolaus II. & Alexander II. Canonicorum Reformationem decrevere.

Divinum istud opus reformationis Canonicorum decreverant *Nicolaus II. & Alexander II.* Pontifices Maximi, qui in Synodis Romanis, annis 1059. & 1063. de vita communi Clericorum huncce Canonem condiderunt. *Et præcipientes statuimus, ut hi prædictorum Ordinum, qui Prædecessoribus nostris obedientes castitatem servaverint, juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet Religiosos Clericos, simul manducent, & dormiant; & quidquid eis ab Ecclesia competit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apostolicam communem vitam summopere pervenire studeant, quatenus perfectionem consecuti, cum his qui centesimo fructu ditantur, in cœlesti patria mereantur adscribi.* Sed perfectam peculii abdicationem ipsis non imperaverant Pontifices illi, suaserant dumtaxat. Præceperant quidem ut communiter haberent quidquid eis ab Ecclesia competebat, id est, Beneficiorum proventus: non vero interdixerant ne Patrimonio fruerentur. Primus id in Italia hac ætate aggressus est *Petrus de Honestis*. Hunc æmulati sunt S. Frigdiani Lucensis, Lateranenses, & Mortarienses Sanctæ Crucis Canonici, quæ Ecclesiæ celeberrimarum Congregationum capita progressu temporis evaserunt.

Canonici Regulares S. Rufi, vulgo Saint Ruf.

Undecimi sæculi initio celebris erat Canonicæ Regulæ observantia Abbatia *S. Rufi* extra muros Avenionenses, quæ ad Albigensium usque tempora stetit, quorum furore eversa, Valentiam translata est anno 1210. Hujus Monasterii, *Paschali II.* Summo Pontifice Abbas erat *S. Oldegarius*, qui Barcinonensis postmodum Episcopus, ac deinde Archiepiscopus Tarraconensis, & Legatus Apostolicus, Canonicorum Regularium Institutum in Hispaniam provexit. E vita migravit anno 1137. die 6. Martii. Ejus Vitam inter Acta Sanctorum istius Mensis edidere *PP. Henschenius & Papebrochius* Tom. I *Canonicorum* Regularium *S. Rufi* cum laude meminit *Anselmus Halvelburgensis* Episcopus lib. 1. Dialogorum cap. 11.

Ordo Sempringhamensis.

Anno 1135. *S. Gilbertus Sempringhamensis* Ordinem Canonicorum Regularium in Anglia renovavit, qui ab ipso eo in regno Ordo Gilbertinorum, & Sempringhamensis nuncupatus est. Ejus elogium contexuit *Willelmus Neuburgensis* suppar Author, lib. 1. cap. 16. ejusque spiritum a Sancto Bernardo probatum fuisse tradit, atque singulari gratia fuisse donatum ad fœminas Christianæ pietatis, & Vitæ Religiosæ præceptis informandas. Ordinis Sempringhamensis innocentiam a fœdis calumniis quibus impetebatur, vindicavit *Willelmus* Norvicensis Episcopus ab *Alexandro III.* ad inquirendum hac in causa delegatus. Ipsius Epistolam ex Codice MS. vulgavit *Joannes Pichardus* in Notis ad *Guillelmum Neuburgensem*. His porro verbis *Gilbertum* & ejus Ordinem commendat: *Gilbertus de Sempbringham, tum ex vicinitate, tum ex celebritate sanctitatis, qua præmi-*

net, mihi incognitus esse non potest. Anima ejus sedes sapientiæ est, & mens ejus haurit de Spiritu Sancto, quæ aliorum auribus excellenter infundit. In lucrandis & conservandis animabus tam studiosus & efficax est, ut ex comparatione ejus tædeat me ignaviæ meæ ...... In Sanctimonialibus, quarum multitudinem innumeram Deo acquisivit, fervet & religionis amor, & castitatis diligentissima custodia, & se ab hominum visu & colloquiis gloriantur esse exceptae, ut merito eis conveniat quod scriptum est: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. *De Canonicis, quorum innocentiæ apud Clementiam vestram audio esse derogatum, testor Deum, & animam meam, quod nec verbum infamiæ memini me audisse, cum ex propinquitate loci, & frequentia venientium ad nos ignorare non possem. Accessus ad Sanctimoniales his eis penitus inhibitus est, ut nec Priori quidem eorum videndi vel loquendi cum aliqua licentia pateat: & in perceptione Eucharistiæ, & dant, & accipiens, invicem ignorantur. Habent siquidem domos suas, Claustrum, & Oratorium, in quo dormiunt, meditantur & orant. A conversis fuit tantum exigit, ut vitam, quam professi sunt, inviolabiliter observent*, &c. Obiit *S. Gilbertus Sempringhamensis*, die 4. Februarii anno 1189. Sanctorum albo adscriptus est ab *Innocentio III.* ut Martyrologium Anglicanum testatur. Ejus Vitam ab Authore coævo scriptam inter acta Sanctorum mensis Februarii ediderunt & Commentario prævio illustrarunt *Bollandus* & *Henschenius*, Tom. I.

Ordo Canonicus ab Yvone Carnotensi *Episcopo in Galliis reformatur.*

Canonicorum Regularium Ordo in Ecclesia Gallicana authore *Yvone Carnotensi* restoruit, ut *Sigebertus* in Chronico ad annum 1078. *Vincentius Bellovacensis* in Speculo Historiali, & *S. Antoninus* Chronici P. II. Tit. XV. cap. XVI. testantur. *Ecclesia S. Quintini* *, cujus erat Præpositus, illustre fuit sanctæ Reformationis Seminarium. Neminem Clericorum a communi vita excipi, nec civilis, nec suburbanæ Ecclesiæ Presbyterum, prolatis *SS. Clementis & Urbani* Pontificum apocryphis Decretalibus asserit *Yvo*, Epistola 213. *Quod vero*, inquit, *communis vita in omnibus Ecclesiis pene defecit, tam Civilibus quam Diœcesanis non authoritati, sed desuetudini & defectui adscribendum est, refrigescente caritate, quæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate, quæ non quærit ea quæ Dei sunt, & proximi, sed tantum, quæ propria.*

* Saint Quentin de Beauvais.

Abbatia S. Victoris *Parisiensis.*

Cœnobium Canonicorum Regularium *S. Victoris* ad muros Parisienses Regia munificentia excitavit *Ludovicus VI.* Rex Christianissimus. Primus Abbas fuit *Gilduinus* vir religione & regulæ observantia spectatissimus. Regalis hæc Abbatia plurimarum aliarum parens & caput celeberrimæ Congregationis fuit: multosque peperit, sanctimonia, & doctrina insignes viros, quorum aliquos Ecclesia illustriorum ornavit infulis Dignitatum. De hac institutionis Canonicæ & sacræ eruditionis Academia *Jacobus de Vitriaco* S. R. E. Cardinalis ita scribit, *Historia Occidentalis* cap. 24. *Primus & præcipuus hujus sanctæ Religionis Conventus extra muros Parisiensis civitatis, in Ecclesia quæ dicitur S. Victoris, quasi lucerna Domini super candelabrum posita, non solam propinquam civitatem, sed remotas circumquaque regiones, & ad Dei cognitionem illuminat, & ad caritatem inflammat, tamquam piscina probatica, & later unent in Templo Domini; Scholaribus Parisiis commorantibus, & variis populis undique confluentibus aquas purificationis subministrans, &c.* Primæ Constitutiones hujus Congregationis extant MSS. in Bibliothecis Abbatiarum *S. Victoris* & *S. Genovefæ*.

Abbatia S. Genovefæ.

V. Postrema hæc Abbatia, Victorinæ filia. In Ecclesiam *S. Genovefæ*, jubente *Eugenio III.* Pontifice Maximo, *Sugerio* Sandionysiano Abbate, ac Regni Administro exequente, Canonici Regulares e Cœnobio *S. Victoris* selecti, loco sæcularium introducti sunt anno Christi 1148. Monachos ex Cœnobio *S. Martini de Campis* duodecim illuc transferre primum decreverat, ac *Sugerio* mandaverat *Eugenius*: sed intercedentibus sæcularibus Canonicis ne Ordo immutaretur, Regulares Canonicos, *pro bono pacis*, ibi constitui jussit; quibus *Odonem*, Sancti Victoris Priorem, Abbatem præfecit. In possessionem eos misit *Sugerius* Summi Pontificis ac Regis Christianissimi *Ludovici VII.* nomine, die 24. Augusti *S. Bartholomæo* sacra, anno 1148. die vero sequenti, *Regulum, ex parte Domini Regis cujus vices agebat potestatem consulit, fidelitatem virorum ad eos pertinentium, & juramenta securitatum eis fieri fecit.* Rei gestæ seriem exponit ipse *Eugenio* Epistola ad illum data, quæ apud *Duchesnium* Tom. 4. Historiæ Francorum Scriptorum pag. 305. legitur. Legendæ & *Eugenii III.* Epistolæ hac in causa datæ 14. 15. 16. 18. 19. 20. & 28. *Sugerio* de reformatione Ecclesiæ *S. Genovefæ* gratulatus est *S. Bernardus* Epistola 356. *Benedictus Deus*, inquit, *qui in manu vestra operatus est salutem in Ecclesia Sancta Genovefa: ut Domus Dei restitueretur ordini & disciplinæ. Agit vobis gratias Apostolica ipsa Authoritas, quod fideliter & efficaciter opus magnificum incœpistis. Agimus & nos, quas possumus gratias, & quicumque Deum diligunt in veritate.* Reformationis Ecclesiæ *Sanctæ Genovefæ* historiam accurate descripsit coævus Author Vitæ *Sancti Willelmi* Roschildensis Abbatis in Dania, cap. 1. narratque fœlicis illius mutationis occasionem fuisse rixam inter Ministros *Eugenii* Pontificis & Ecclesiæ Genovefianæ ortam, cum ibi ad Sacrum faciendum se pararet. Erat porro Canonicorum sæcularium unus *Willelmus*, collegiis suis ob morum innocentiam, & studium vitæ regularis exosus, quam introductis Victorinis Canonicis, devote ac alacriter professus est, ac in virum sanctissimum evasit. A Rege *Waldemaro*, filio *Sancti Canuti* Regis & Martyris, & *Salomone* Roschildensi Episcopo in Daniam accersitus collapsam Canonicorum disciplinam in Eschil Insula prope Roschildam restituit Abbas ab Episcopo creatus. *S. Willelmi* Vitam ex MS. *S. Victoris* Parisiensis edidere *Henschenius* & *Papebrochius*, inter Acta Sanctorum mensis Aprilis, Tomo I. ad diem 6. Canonicorum Regularium Ordinem illustravit 11. Sæculo *S. Petrus de Chavanon*, Fundator ac primus Præpositus *S. Mariæ de Piperaco* * in Episcopatu *S. Flori*, in Arvernia. Ejus Vitam Tom. II. Spicilegii Dacheriani pag. 691. legere est.

* De Pebrac.

Ordo Præmonstratensis, vulgo De Premontre.

VI. Anno 1120. novum Canonicorum Regularium Ordinem condidit *S. Norbertus* in Diœceseos Laudunensis loco qui *Præmonstratus* * dicitur in Vosago sylva, quem ipsi *Bartholomæus* Episcopus Laudunensis concessit, ac nascentem Ordinem fovit, atque propagavit, quinque Monasteriis, in Diœcesi sua conditis. *S. Norberti* Institutum approbavit Callistus II. Pontifex Maximus, Honorius II. confirmavit Innocentius II. Lucius II. Eugenius II. Hadrianus IV. Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Clemens III. Privilegiis donarunt, quæ in Bibliotheca Præmonstratensi sunt excusa. *S. Augustini* Regulam sectantur Canonici Regulares Præmonstratenses, Constitutiones austeras observant ex *S. Norberti* disciplina. De Ordinis Præmonstratensis institutione ita scribit *Hermannus* Monachus coævus Author lib. 3. De Miraculis Sanctæ Mariæ Laudunensis, *cap.* 1. „ Quis, „ *inquit*, digne poterit referre quantus postmodum in „ Episcopatu Laudunensi, & de ipso per totum pe„ne terrarum urbem, fulgor Religionis & novi lu„minis refulserit? Post paucos siquidem annos, il„le novi luminis, novæque conversionis, non so„lum interioris, sed etiam exterioris candoris novus „ inventor & incœptor, Dominus scilicet Norbertus, „ de Lotharingia Franciam adveniens, divina præ„cedente & comitante gratia, in Episcopatu Lau„dunensi primam illam vineam plantavit, quæ in „ caritate radicata, & fundata, jam implevit terram, „ extendensque palmites suos usque ad mare, & us„que ad flumen propagines suas, vino fortitudinis „ suæ quod lætificat cor hominis, jam obertim in„ebriavit plures Principes, & Judices terræ, juve„nes & Virgines, senes cum junioribus, ita ut for„titer inebriati, nihil aliud quærant, nisi laudare „ nomen Domini & cantare Canticum novum; quo„niam veterem hominem cum actibus suis exuen„tes, & novum, qui secundum Deum creatus est, „ induentes, carnales illecebras funditus abjiciunt, „ & quasi de aqua in nuptiis a Domino in vinum „ conversi, quæ retro sunt obliviscuntur, & ad ea, „ quæ ante sunt, extenduntur: sicque licet in terris „ corporaliter consistant, tamen quæ sursum sunt

Ordinis Præmonstratensis commendatio.

sapiunt,

„ sapiunt, non quæ super terram ; dicentes cum Apostolo ; Nostra autem conversatio in cœlis est : Cœlestibusque Seraphim mente conjuncti solo Christi jugiter ardent amore, qui corpora etiam sua exhibent hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, candorem virtutum quo intrinsecus nitent, etiam in exteriori veste præferentes.

Laurentius de Leodio, in historia Episcoporum Virdunensium Tomo XII. *Spicilegii*, pag. 325. Præmonstratensem ordinem una cum Cisterciensi, egregie commendat. „ Illa duo Cherubin, *inquit*, expandentia alas suas in medio Ecclesiæ, & versis vultibus in propitiatorium se mutuo respicientia, id est, duo præclarissimi ordines devotione sua Ecclesiam protegentes, & conversis ad Deum cordibus, se mutua caritate æmulantes, quorum unus Cisterciensis, duce Bernardo sanctissimi nominis Abbate monasticum ordinem jam pene lapsum ad primam Apostolicæ vitæ normam reparavit : alter merito & nomine a Deo Præmonstratus, Duce Norberto Parthenopolitano Archipræsule inceptus, Ecclesiasticum ordinem de luto mundanæ vanitatis excussit. Credas hos duos ordines esse de libro Apocalypsis duos Prophetas circa finem mundi a Deo missos, & sacco pœnitentiæ amictos, duas olivas clementiæ cœlestis, divinæque duo candelabra gratiæ : ita se in omnibus cruciant, ita verbo fidei mundum irrigant, ita meritorum luce illuminant. Primaria Præmonstratensis ordinis statuta lib. IV. bibliothecæ Præmonstratensis edita sunt : Ex quibus nostræ FF. Prædicatorum constitutiones maxima ex parte sunt derivatæ.

Ordinis Præmonstratensis propagatio.

Herimannus in historia restaurationis Abbatiæ *S. Martini Tornacensis* pag. 448. Tom. 12. *Spicilegii*, ubi de captione *Paschalis II.* Romani Pontificis ab *Henrico IV.* Imperatore, privilegio de investituris ab eo extorto, sermonem fecit, *Norbertum* qui Imperatori erat a Sacris, hujusque facinoris spectator, pœnitentia ductum ob nequitiam, Principis absolutione *Paschali* suscepta, vitæ sæculari nuntium misisse, in Franciam venisse, & *Præmonstrati* Deo sub regula *S. Augustini* immo multum rigidiori & arctiori servire cœpisse commemorat : *Sicque*, inquit, *per Dei gratiam brevi tempore profecit, ut nullum post Apostolos videamus hodie tantum fructum in Ecclesia fecisse. Nam cum needum conversionis ejus trigesimus annus sit, jam fere centum monasteria a sequacibus ejus per diversas orbis partes constructa audivimus : ita ut etiam in Jerusalem usque regula eorum servetur.* Monasterio Præmonstratensi *Hugonem* socium suum præfecit *S. Norbertus* : Conventui *S. Martini* Laudunensis *Walterum*, sub quo infra duodecim annos fratrum numerus ad quingentos auctus est. Tantas fuisse paupertatis ipsorum angustias *Hermannus* monachus commemorat, ut præter unicum asellum aliud pene nihil haberent, quem in proximam sylvam Vosagum mane ducentes, lignaque cæsa dorso ejus imponentes, Laudunum reducerent, & ex venditis lignis panem sibi emerent : multoties tamdiu jejuni manentes, donec panis ille emptus post nonam eis deferretur. Sed Deo caritatem ipsorum & hospitalitatem munerante, ditissimi intra breve tempus evaserunt. Statuit sanctissimus Fundator, ut quotannis Abbates Ordinis universi Præmonstratum ad Capitulum generale convenirent, ad Festum *S. Dionysii*. Ita vero propagatus est Ordo sacer, ut Abbates pene centum convenerint non solum ex Francia vel Burgundia, sed ex Alemannia etiam ex Saxonia, quo tempore ista scribebat *Hermannus*, licet nondum anni triginta ab Ordine condito effluxissent : jamque una S. Martini Laudunensis Ecclesia duodecim monasteriorum mater erat. Quin etiam trans maria, Hierosolyma usque novus ordo pervaserat. Nec viros dumtaxat, sed etiam fœminas ad cœlestis vitæ normam informavit. Ultra decem millia Sanctimonialium in monasteriis Præmonstratensis Ordinis reclusæ, in summa austeritate & silentio Christo famulabantur, cum scribebat *Hermannus*. Præmonstratensem ordinem commendat Cardinalis *Jacobus a Vitriaco* Occidentalis historiæ, cap. 22. Plura de hoc ordine docebit Bibliotheca Præmonstratensis P. *le Paige*. Legatur & *Aubertus Miræus* in Chronico Præmonstratensi.

Lib. 3. Cap. 5.

Summa nascentis Ordinis paupertas.

Cap. VI.

Sanctimoniales Præmonstratenses.

VII. Canonicis Regularibus nec Patrimonium, nec ulla bona quovis modo quæsita proprio nomine possidere, aut peculium habere ullatenus licebat : cum *S. Augustini* institutum sectarentur, de quo *Possidius* in ejus Vita scribit Cap. V. *Factus Presbyter, Monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei servis vivere cœpit secundum modum & Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam : Maxime ut nemo quicquam proprium in illa Societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur unicuique, sicut opus erat.* Verba sunt Augustinianæ Regulæ, quam professos fuisse Canonicos Regulares undecimo & duodecimo sæculo certum est : *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Bertoldus Presbyter ad annum MXCV. scribit *Lutolphum* Tullensis Ecclesiæ Decanum in Monasteria a se condita *Clericos secundum Regulam B. Augustini vivere professos* congregasse : & *Urbanum II.* decrevisse *ut Clerici illius loci Regulam S. Augustini in perpetuum custodirent.* Yvo Carnotensis *B. Augustini* Regulam Canonicis suis tradidit, ut testantur Canonici Regulares *S. Joannis* in Valle Carnotensi, in Literis Associationis cum Monasterio *S. Quintini* Bellovacensis datis anno MCXXVIII. *Cum igitur*, inquiunt, *a longe retroactis temporibus, a visceribus Matris nostræ Ecclesiæ beati Quintini Belvacensis fuerimus spiritualiter propagati, & ab ipsa tamquam a fonte, sacræ Religionis fluenta sumpserimus per Venerabilem Patrem Yvonem, qui cum floreret in eadem Ecclesia Religionis novella plantatio sub B. Augustini Regula, digne Omnipotenti militunt, Fratribus ibidem Deo servientibus Abbas præfuit.* Hæc certe Regula est, cujus fit mentio in Charta Institutionis Canonicorum Regularium *S. Quintini* Bellovacensis in Ecclesia *S. Gregorii* Trecensis a *Philippo* Episcopo, anno MLXXXV. *Domno itaque Yvone Abbate Trecis in Capitulo B. Petri, residente, hæc ratio approbata est ex utraque parte, ut Fratres S. Gregorii a Sancto Petro suu teneant, a beato autem Quintino Regulam ; in qua quidem si offenderint, illius sit Ecclesiæ aut aliquid in eis corrigere, aut aliquem ex eis transmutare.* Regulam *S. Augustini*, viris accommodatam commentario illustravit *Hugo a Sancto Victore* : quod argumento est Canonicos Regulares Congregationis Victorinæ hanc regulam fuisse professos. Idem probant primæ Constitutiones MSS. quæ ad *S. Genovefa* asservantur. Cap. *De susceptione Novitiorum*, Abbas Novitium alloquitur dicens : *Frater, reddis te Deo ad serviendum ei in Societate & obedientia Congregationis hujus, & ad tenendam vitam Canonicam secundum Regulam B. Augustini, & Constitutiones hujus loci, quæ vel jam in præsenti instituta sunt, vel post hæc, Domino annuente, instituenda sunt ?* Respondet : *Reddo.* Idem testantur *Anselmus* Havelburgensis Episcopus, lib. 1. cap. 10. Dialogorum & *Jacobus de Vitriaco*, Historiæ Occidentalis cap. 24.

Cap. 7.

Canonicorum Regularium Evangelica paupertas.

Tom. XI. Spicilegii Dacheriani *pag.* 367.

Tom. XI. Spicilegii *pag.* 301.

Concoquere non potuerat *B. Petrus Damiani*, quod Canonici peculium haberent : Regulam a Synodo Aquisgranensi I. sub *Ludovico Pio* Imperatore approbatam, cujus se authoritate tuebantur, sugillavit, ejus proculdubio ignorans Authores & Approbatores : Canonicos omnes in Congregationes viventes ad peculii abdicationem teneri, SS. Augustini, Hieronymi, & Prosperi, seu potius Juliani Pomerii, testimoniis probare conatus est, *Opusculo XXIV. contra Canonicos proprietarios*. Eorum excusationem ex Regula petitam, non quidem *S. Augustini*, quam non profitebantur, sed Synodi Aquisgranensis, his verbis refellit : *Sed cum hæc illis objicimus, ipsi Regulæ suæ librum nobis protinus offerunt, ad Regulæ suæ authoritatem redeunt : eaque sibi proprietatis peculium concedente, pati se præjudicium conqueruntur. Quam nimirum Regulam nos nec funditus improbamus, nec authoritatem illi omnino tribuimus. Probamus enim in quantum sanctis Ecclesiæ Doctoribus consonat : abjicimus autem atque conspuimus, in quantum authenticis eorum institutionibus non concordat.*

Legendum ejusdem sancti viri Opusculum XXVII. *De communi vita Canonicorum*, Cap. II. *Plane*, inquis, *qua pacto quis valeat dici Canonicus, nisi sit Regularis ? Volunt Canonicum, hoc est Regulare nomen habere, & non regulariter vivere. Ambiant communia*

Eccle-

Ecclesia bona dividere, aspernantur autem apud Ecclesiam communiter habere. Enimvero non est hæc Primitivæ Ecclesiæ forma, satis exorbitat ab Institutionis Apostolicæ disciplina, &c.

Clemens III. Pontifex Maximus Canonieum Regularem eum peculio morientem Christiana sepultura privari decrevit, Cap. *Super quodam*, *De Statu Monachorum*, lib. III. Decretalium. " Super quodam Canonico Regulari *inquit*, qui in articulo mortis agens, licet a Priore suo commonitus, proprium, quod contra Regulam latenter habuerat, noluit resignare, & sic diem clausit extremum, & fuit inter alios Fratres traditus sepulturæ .... Inquisitioni tuæ taliter respondemus, Quod ille Canonicus non tantum fuit Christiana sepultura privandus; verumetiam si sine maximo scandalo fieri potuit, de ipsa projici dignus est Ecclesia. Hoc autem eum forte contigerit, in similibus est agendum.

Canonici Regulares ad Regimen Parochialium Ecclesiarum assumpti.

VIII. Parochiales Ecclesias regere poterant Canonici Regulares. Id primum Suessionensi Abbati concessum videtur, ab *Urbano II.* Pontifice Maximo Epistola XVIII. " Ut igitur, *inquit*, propositi vestri ordinem secundum B. Augustini Regulam, commissi tibi Fratres tranquille valeant, absque sæcularium tumultuum perturbationibus, annuente Domino, custodire, postulationi tuæ libenter annuimus, ut in Parochianis Ecclesiis, quæ ad vestrum Monasterium pertinent, Regulares vobis liceat Claustri vestri Clericos ordinare, qui & Ecclesiis ipsis religiose serviant, & adjacentis populi Parochiam secundum timorem Dei, salvo Episcopi jure debito, sollicite procurare non negligant. *Concilium Pictavense, Præsidentibus* Paschalis II. *Papæ Legatis anno* 1100. *celebratum Canone IX. statuit*, Ut Clericis Regularibus, jussu Episcopi sui baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, mortuos sepelire liceat.

Yvo Carnotensis Epistola LXIX. occasione Lemovicensis Episcopi scripta, qui omnibus Regularibus Clerieis & Regimen Parochiarum, & Confessionem Pœnitentium interdixerat, ea de re ita scribit: " Rectius quidem fecisset, si omnes Sacerdotes ad Regularem vitam invitasset, quam Regulariter viventes a Dominicarum ovium custodia penitus removisset: quibus tanto plus displicet aliena malitia, quanto longius discesserunt a sua. Hoc vero interim ad inquisita respondeo; Quia Clerici Regulares ab hoc Officio nec penitus sunt removendi, nec indiscrete admovendi. Nam si penitus removentur, Canonico Ordini indigna fit injuria, cui tanto securius est credenda correctio vitæ alienæ, quanto majorem diligentiam adhibuit vitæ suæ corrigendæ. Si vero indiscrete Regularibus Clericis hoc onus imponitur, in quibusdam Ecclesiastica Disciplina frangitur: & ipsi Fratres, qui in Claustris, tamquam in castris, contra tentationes fortiter stabant & vincebant, cum soli ad pugnam prodeunt, in tentationibus facile superantur... Si qui ergo sunt in Collegio vestro viri prudentes & maturi, & igne tentationum examinati, quibus hoc onus imponi velitis, eos deducite ante præsentiam Episcopi, ut ab eo curas animarum suscipiant, sine cujus arbitrio, secundum Canonicas Sanctiones nec criminales Pœnitentias quilibet Presbyter potest injungare, nec peracta Pœnitentia Pœnitentes sacris Altaribus reconciliare. Sie enim facientes, & Episcopali reverentiæ, quod suum est deferetis, & Canonicæ Institutionis nulla dispendia facietis, qui ideo Canonici appellati estis quod Canonicas Regulas vos velle observare cæteris arctius devovistis. *Idem argumentum tractat Epist.* 213. ad Joannem *Aurelianensium Episcopum*. " In Primitiva, *inquit*, Ecclesia nullus constitutus est Rector animarum, nisi de communi vita assumptus: quia nemo rectius custos præponitur vitæ alienæ, quam qui prius custos est factus vitæ suæ. Quod nullo in loco melius probatur, quam inter eos in quibus Regularis vita vigere videtur.... Constanter asserimus non esse audiendos, qui Clericos Regulariter viventes a regimine animarum judicant repellendos, quia sæculo renunciaverunt; sed ideo potius ad hoc assumendos, quia voluptates & pompas sæculi contempserunt. Non enim mundi contractus est animas a vitiis avocare, & ad virtutum celsitudinem provocare. Ideo convenientius ista docent, qui ea quæ dicunt, opere complent, quam ii qui sunt Doctores legis, & non factores legis. Non tamen ad hoc officium alii assumendi sunt, nisi quos vita & doctrina commendat, & Episcopalis authoritas ad hoc agendum idoneos probat.

Canonici Regulares Parochiis Præpositi, ad nutum suorum Abbatum amoveri & revocari poterant.

IX. Canonici Regulares Parochiis Præpositi a suis Abbatibus, amoveri ad nutum, & in Monasterium revocari poterant. Id probat Epistola 95. *Stephani* Abbatis *Sanctæ Genovevæ*, postea Tornacensis Episcopi, qua *Lucium III.* Pontificem Maximum rogat, ut Canonicos *S. Joannis Suessionensis*, adversus Abbatem eos a Parochiis revocantem contumaces reprimat. " Per Obedientias, *inquit*, inobedienter vivunt, nec Abbati revocanti respondere, nec corrigenti volunt acquiescere, nec credere corripienti. Hujus nequitiæ suæ velamentum, & excusationis opponunt cansam authoritatem Episcopi sui qui contra sacram, quam professi sunt Disciplinam, armat eos & animat, ne Abbati suo reverentiam exhibeant, quam ei inter prima suæ conversionis auspicia, coram Deo & sanctis ejus Reliquiis, tamquam cœlestis Reipublicæ jurati Milites promiserunt. *Et Epistola* 162. Quia compassionis affectu Fratrem & Compresbyterum nostrum, Abbatem S. Joannis Suessionensis suscepistis, totus apud nos Regularium Ordo in plenam vobis gratiarum actionem assurgit. Laborat, & murum se opponit contra filios inobedientiæ, qui extra Claustrum sub obtentu Parochialium Curarum morari desiderant, atque mori: satagentes ne per Abbatem suum, quando excesserint, corripi valeant & corrigi, sed ad defensionem Episcopi revertentes per pecuniariam pœnam, Canonicam redimunt Disciplinam. Si pestis ista convaluerit, perit Ordo Canonicus, pereunt & SS. Patrum Regularia Instituta, solvuntur fines & funes obedientiæ, & erunt in Collegiis nostris tot Abbates, quot Presbyteri Parochiales. Verum perhibemus testimonium, quod ab exordio Ordinis nostri Parochiales Canonicos nostros in Episcopatibus in quibus sunt, libere & absque ulla contradictione, pro necessitate, vel utilitate Ecclesiarum nostrarum, vel pro suarum correptione culparum, consuevimus amovere, & in Claustrum reducere, & quoties res urgebat, excommunicare.

ARTICULUS VIII.

De Monachis & Sanctimonialibus.

Congregatio Vallis Umbrosæ.

I. UNdecimo & duodecimo sæculo, in Italia, in Galliis, in Anglia, maxime floruit Ordo Benedictinus, cujus surculus fuit Vallis Umbrosæ Congregatio a Beato *Joanne Gualberto* instituta anno 1030. ab Alexandro II. Gregorio VII. & Urbano II. confirmata. Obiit *S. Joannes Gualbertus* anno 1073. die 12. Julii. Vitam ejus apud *Surium* Tom. 4. legere est.

Andreas Monachus ex illa Congregatione sanctissimus, cum aliis Fratribus Abbatiam *Casalis Benedicti*, * in Galliis condidit, in Diœcesi Bituricensi, celeberrimæ Congregationis Caput, in qua Regularis, observantia viget. Ad annum 1093. refertur hujus Cœnobii fundatio sub *Aldeberto* Archipræsule, in Gallia Christiana Sammarthanorum fratrum: At sub *Leodegario* perfectum; qui *Andream* primum Abbatem confirmavit, Ecclesiamque dedicavit, constat ex *Patriarchio Bituricensi*, cap. 61. Tom. 2. Bibliothecæ novæ MSS. Librorum, editæ a *P. Labbè* S. J. Obiit *Andreas* Abbas die 21. Januarii anno 1112. Ejus Gesta compendio narrat Epistola Encyclica Monachorum *Casalis-Benedicti* Tom. 11. *Spicilegii*, pag. 518.

* Chezal-Benoist.

Eremus S. Crucis Fontis Avellani. Congregatio S. Crucis Fontis Avellani.

Membrum etiam fuit Ordinis Benedictini, Eremus Sanctæ Crucis Fontis Avellani, quæ Beatos *Rodulphum*, Eugubinum Episcopum, *Dominicum Loricatum*, *Petrum Damiani*, *Joannem Laudensem*, aliosque sanctimonia insignes viros peperit: Singularia Congregationis istius Instituta exponunt B. *Petrus Damiani* Opu-

feulis

Monachorum istius Congregatione austera disciplina. seculis 14. & 15. & B. *Joannes Laudensis* in ejus Vita: *Abstinentia* (inquit ille) *modus hic erat, ut quatuor in Hebdomada diebus pane & aqua contenti, tertia & quinta feria pauxillum leguminis sumerent, quod videlicet singuli in suis cellulis decoquebant. Jejuniorum quippe diebus nequaquam pro suo libito cuiquam de pane sumere licebat: sed id quod praefixa mensura praebebat. Porro de vini usu quid memorem, cum nisi pro Sacrificio, seu forsitan pro aegro vinum ibidem tunc prorsus deesse feratur. Nudipedalia passim per Eremum cunctis temporibus exercebant: in Cellis vero nec caligas induebant ... Porro Vigiliarum hunc morem servabant, ut signo temporis personante, totum post Synaxim Psalterium ante lucem complerent.*

De jejunio & abstinentia Eremitarum suorum scribit *Petrus Damiani* Opusculo 14. *Jejunare illos dicimus, qui panem cum sale, & aqua percipiunt: ubi autem praeter haec aliud aliquid additur, perfectum jejunium non vocatur .... A vino aliquanto tempore continuimus.... Sed quoniam & hic manentes coeperunt aegrotantes desistere, & quidam ad Eremum transire cupientes, hujus rigoris observantiam penitus abhorrere: fraterna, sive [ut verius dicam] communi imbecillitati dispensatorie condescendentes indulsimus, ut vinum hic, servata sobrietatis moderamine biberetur ... Veruntamen in duabus praedictis Quadragesimis, (omnium ante Natale Domini & ante Pascha) consuetudo tenuit ut neque monachis, neque laicis, vini vel etiam piscis perceptio concedatur.* Ad communem monasteriorum observantiam, ut foris non comederent, qui eadem die erant ad monasterium reversuri, id addiderant, ut, sive ipso, sive alio die quis fuisset egressus, jejunus semper ad Eremum reverteretur. Cum duo Fratres in cella una morabantur, duo singulis diebus psalteria persolvebant, unum pro vivis, alterum pro defunctis. Brevi tempore longam poenitentiam implebant, disciplinis, metaneis, sive prostrationibus, palmatis, sive manuum ad terram allisionibus brachiorum prolixis in modum crucis extensionibus, Psalteriis, Missis ad certum numerum praefinitis. *Dabantur ex more tria millia scoparum pro unius anni poenitentia, sive viginti Psalteria, aut viginti-quinque Missae* (inquit B. Petrus Damiani). Strictum in cellis silentium servabant Eremitae, sicut in Oratorio; summa vestium vilitas, & cubilium austeritas atque duritia: caritas tanta, ut unusquisque se non sibi, sed omnibus natum crederet; quod alienum erat, possideret; quod suum in omnes exteoso amore transfunderet. Maxima de infirmis cura, quibus non solum necessaria quaeque suggerebant, sed etiam semetipsos ad eorum custodiam ultroneos offerre gaudebant. Pro defunctis fratribus unusquisque septem dies jejunabat, septem disciplinas cum millenis scoparum ictibus accipiebat, septingentas metaneas, sive prostrationes faciebat, triginta psalteria decantabat, pro ipso etiam triginta continuis diebus Missarum solemnia specialiter celebrabantur. Si quis injunctam consummare non potuerat poenitentiam, a fratribus, parili facta inter eos divisione suscipiebatur, & brevi spatio per diversos afflictionum modos ovanter explebatur. Ita refert *B. Petrus Damiani*.

Congregatio Cassinensis florentissima. Du Mont Cassin. Florentissima tunc erat Congregatio Cassinensis sub Abbatis *Desiderii* regimine, quem inter & *B. Petrum Damiani* necessitudo maxima intercessit. Hic Author fuit Cassinensibus, *Desiderio* annuente, ut *sexta feria per totam annum pane & aqua contenti, disciplinam singuli facta confessione perciperent: insuper & triduanum jejunium in capite Quadragesima per annos singulos agerent*. Ita refert *Leo Ostiensis* in Cassinensi Chronico, lib. III. cap. XXI.

Congregatio Cluniacensis, de Cluni *XI. & XII. Secula Celebris.* Celebre etiam erat Monachorum Cluniacensium nomen. Cluniacensibus praefuere undecimo seculo, *Odilo*, & *Hugo* viri sanctitate illustres: quibus sequenti seculo successere *Pontius*, vir inquietus, *Hugo II. Vir totius religionis, ac religiosae opinionis.* (Sic eum vocat Petrus Venerabilis lib. II. Miraculorum.) Petrus Mauritius, sanctimonia & doctrina clarissimus, Hugo III. Stephanus I. Rodulphus, Galtherus, Guillelmus I. Theobaldus ad Cardinalitias Infulas assumptus, & Hugo IV. Obiit *S. Odilo* Silviniaci anno 1040. Kalendas Januarii. Vitam ejus *Lotsaldus* Cluniacensis Monachus, ejusque Discipulus, & B. *Petrus Damiani* scripsere. Utramque apud *Bollandum* inter Acta Sanctorum mensis Januarii, Tom. I. legere est. E vivis excessit *S. Hugo* anno 1109. die 29. Aprilis. Ex ejus Schola prodiere *B. Morandus*, & *S. Udalricus*, *Urbanus II.* & *Gregorius VII.* Pontifices Maximi, *Geraldus* Cardinalis Episcopus Ostiensis, *Durannus* Archiepiscopus Tolosanus, *Goderannus* Episcopus Xantonensis, *Hugo*, Dux Burgundiae, &c. *Araldus* Carnotensis, & *Isembardus* Aurelianensis Antistites, & eorum Capitula, Fraternitatem cum Cluniacensibus iniere, ut constat ex Instrumentis Tom. VI. *Spicilegii Dacheriani* editis. *S. Hugonem*, & sanctam Cluniacensium Congregationem, singulari observantia colebant seculi Principes, *Henricus II.* Imperator, cujus filium *Henricum* e sacro Fonte suscepit; *Henricus IV.* Germaniae Rex, qui post exauthorationem suam se resque suas ejus arbitrio commisit, sic ad ipsum scribens: *Totum consilium nostrum tuae fidei committimus: & quidquid de nostra cum Apostolico reconciliatione, quidquid de pace & unitate Sanctae Romanae Ecclesiae, salvo honore nostro, faciendum esse decreveris, totum nos facturos sine dubio, Deo tibique promittimus.* Philippo I. Francorum Regi poenitentiae sensum ita interdum afflavit, ut ei pene persuaserit Monachum fieri. Sed ex corde Principis carnalibus vitiis dediti cito evanuit pia cogitatio. *Alphonsus VI.* Rex Hispaniae apud fratrem *Sancium* diu captivus *S. Hugonis* Monachorumque Cluniacensium precibus vitam, libertatem, Regnum debere se existimabat. Cluniacenses Monachos in Hispaniam mitti a *S. Hugone* postulavit, & *Robertum* Monachum in vita & morte sibi adfuturum, in Regno suo relinqui: & censum duplicavit, quem Reges Hispaniae Coenobio Cluniacensi solvebant: ut constat ex ejus Epistola ad *S. Hugonem* edita in Miscellaneis *Spicilegii Dacheriani*, Num. 19. *Tom. VI. Spicilegii, Miscellaneis Epist. X. Ibidem Epist. XVIII.* Marciniacense Monasterium fundavit *S. Hugo* & ad Sanctimoniales ibi congregatas piam scripsit Epistolam, quae in Bibliotheca Cluniacensi edita est. Vitam ipsius ab *Hildeberto* Cenomanensi Episcopo scriptam vulgarunt *PP. Henschenius* & *Papebrochius* S. J. inter Acta Sanctorum mensis Aprilis Tom. III.

Venerabilis *Petrus* Abbas Cluniacensis disciplinam in Congregatione sua sub *Pontio* collapsam restituit, praeclaris editis Statutis, quae a generali capitulo curavit approbari. Extant in bibliotheca Cluniacensi. *Diversa disciplina, diversique usus in ejusdem Regulae observantia dissidii causa inter Religiosos esse non debent.* Cum inter Cluniacenses & Cistercienses orta esset dissensio, *Petrus Venerabilis* Epistolam scripsit 229. ad *S. Bernardum*, quae tota caritatem & pacem spirat, & causas dissidiorum exscindit. Diversam disciplinam, variosque usus in ejusdem regulae observantia, dissidii causam esse non debere multis probat, quia *talia de numero praeceptorum mobilium sunt: & quando caritas imperat, absque aliquo transgressionis timore movenda sunt. Nec suspecta esse debet hoc respectu regulam professis, regulae praevaricatio, quia Regula illius S. Patris ex illa sublimi & generali caritatis regula pendet, ex qua, & in qua universa lex pendet & prophetae. Quod si universa lex, tunc & illius regula lex. Monachus ergo regulam Patris Benedicti profitens, tunc eam vere servat, quando in servatis vel mutatis quibuslibet ejus capitulis, caritatis legem ubique conservat.* Petri Venerabilis in Cluniacensis Coenobii reformatione adjutor fuit Domnus *Matthaeus*, Prior *S. Martini de Campis* postea Cardinalis Episcopus Albanensis; cujus Acta *Petrus* ipse scripsit lib. II. *De miraculis*. *Ordines Benedictini propagati per Cluniacenses Monachos.* Cluniacensis Congregatio sacrarum expeditionum tempore religiosam coloniam in Palaestinam transmisit, habuitque monasterium celeberrimum in monte Thabor, ut discimus ex Epistola *Petri Venerabilis* ad fratres ibi Domino servientes, 44. libri II. Cluniacensis Congregatio regularem in Hispania propagavit observantiam, teste *Roderico* Archipraesule Toletano, lib. VI. *De rebus Hispaniae*, cap. XXV. *Cum Rex* (inquit) *Aldefonsus vellet Sanctorum Facundi & Primitivi monasterium ampliare, misit ad venerabilem Hugonem Cluniacensem Abbatem ut ei virum providum & religiosum mitteret, qui in praedicto monasterio SS. Facundi & Primitivi Abbatis officio fungeretur: & sicut in Galliis illud monasterium praecellebat, ita & istud omnibus monasteriis ejusdem Ordinis in Hispaniis praesideret. Praedictus autem Abbas*

Clu-

Cluniacensis, Bernardum, quem ob sanctitatis meritum charum habebat, cum aliis monachis destinavit. Qui mox veniens, factus Abbas, omnibus se exhibuit amabilem & benignum; adeo quod, cum Deus omnipotens Toletam Christianæ restituit potestati, mox ipse post modicum intervallum fuit electus in Archiepiscopum & Primatem. De Henrico I. Angliæ Rege scribit Willelmus Malmesburiensis lib. V. *Radingense Cœnobium inter duo flumina Kenetam & Tamesim construxit, loco ubi omnium pene iterantium & ad populosiores urbes Angliæ posset esse diversorium, posuitque ibi monachos Cluniacenses, qui sunt hodie præclarum sanctitatis exemplum, hospitalitatis indefessæ & dulcis indicium*. Cluniacensi quoque congregationi monasterium prope Constantinopolim dederat, ac obedientiæ Prioris *De Caritate* subjecerat *Alexius Comnenus*, Orientis Imperator, ut constat ex ejusdem Abbatis Epistolis 39. & 40. Libri III. Congregationem Cluniacensem commendat *S. Bernardus* in Apologia ad *Guillelmum Abbatem* cap. II.

Tironiensis Congregatia O.B. Tiron.

Anno Christi 1109. Nova Benedictini Ordinis congregatio condita est a beato *Bernardo* Tironii in diœcesi Carnotensi primo Abbate, nec in proximis dumtaxat Galliæ regionibus, non in Burgundia tantum, Aquitania, Normannia, Britannia propagata est, sed in Angliam quoque & Scotiam penetravit, ut constat ex Vita *B. Bernardi Tironiensis*, a *Gauffrido Grosso* ejus discipulo scripta, quæ a PP. *Henschenio* & *Papebrochio* edita est inter Acta Sanctorum mensis Aprilis, ad diem 14. quo e vita migravit anno 1114.

Abbatia Saviniacensis. Savigny.

Saviniacensem Abbatiam anno 1112. fundavit *B. Vitalis* in Diœcesi Abrincensi, in confinio Normanniæ, & minoris Britanniæ, *Radulfi* Fulgeriarum Domini sumptibus adjutus. Hæc Abbatia sub regula *S. Benedicti*, & propriis observantiis instituta, quinquaginta & octo Cœnobiorum mater extitit, a Tironiensi pendentium, tam in Gallia, quam in Anglia, quorum Catalogum edidit *Souchetus* in Observationibus ad Vitam *S. Bernardi Tironiensis*. Inter filias Saviniacenses tertia fuit Abbatia de *Furnesio* in Anglia, quæ in monastico Anglicano pag. 704. fuisse, *De ordine Saviniacensi, id est Tironiensi, sub regula S. Benedicti*: Et monachi in illa Deo servientes, griseo colore induti dicuntur.

Congregatio Silvensis O.B. Silva-major, *vulgo* Seauve-majeur.

Undecimo etiam sæculo *Silvæ-majoris* Cœnobium Silvensis congregationis caput in Aquitania prope Burdigalam a *S. Geraldo* primo ejusdem Abbate conditum fuit, sub regula *S. Benedicti*: nec in Gallicanis tantum regionibus, sed in Hispaniis etiam Silvensis Congregatio propagata est, teste *Christiano* monacho in Vita *S. Geraldi*, quam cum altera ab Auctore fappari Anonymo scripta, PP. *Henschenius & Papebrochius* inter Acta SS. mensis Aprilis, Tomo I. edidere, ad diem IX. Ad vitam immortalem migravit anno 1095. Nonis Aprilis. A *Cælestino III.* Pontifice Maximo inter Sanctos relatus est. Epitaphia in ejus laudem scripsit *Baldricus* Burguliensis Abbas, quæ inter ejus carmina historica leguntur apud *Duchesniam* Tom. IV. *Historiæ Francicæ Scriptorum*. Officium S. Geraldi, & Sermonem in ejus laudem composuit *Stephanus* Tornacensis Episcopus.

Ordo Camaldulensis. Des Camaldules.

II. *S. Ramualdus* Ordinis Benedictini lumen, Eremiticæ & Cœnobiticæ vitæ exemplar, Monasterii Classensis Abbas, quam Præfecturam unanimi electione Fratrum, *Ottonis III.* Imperatoris precibus suscepit; Discipulos habuit sanctitate illustres, *Bonifacium* Russorum Apostolum & Martyrem, *Joannem* & *Benedictum* in Poloniam ad prædicandum Evangelium missos, & Martyrii corona pariter decoratos. Cum ordinem *S. Benedicti* pluribus conditis Monasteriis propagasset, novum instituit sub ejusdem Sanctissimi Patriarchæ Regula, peculiaribus Statutis obstrictum: qui *Camaldulensis* appellatus est a loco Primariæ Eremi ac Monasterii derivato nomine. Camaldulum, ager amœnus est, qui *Campus-Bellus*, & *Campus amabilis* olim dicebatur, in vertice Montis Apennini, inter fines Aretinæ Diœceseos, & inter altissimos colles, quibus Etruria ab Æmilia Provincia disterminatur. Fundum *S. Romualdo* dedit *Maldulus* Nobilis Aretinus, a quo nomen *Camaldulum*, quasi *Campus Malduli*, deductum inde ad universi Ordinis appellationem traductum est. An. 1012. cœlesti viso scalæ mysticæ a terra ad cœlum usque pertingentis, per quam rutila albatorum Monachorum ascenderet, descenderetque multitudo, recreatus *Romualdus*, sacrum Ordinem instituit. Aretinæ Ecclesiæ sacris *Theodaldus* religiosissimus Antistes præerat, qui sancto viro ad condendum Eremum adjutor fuit, templumque suis extructum impensis in honorem Salvatoris consecravit. In inferiori parte montis domus recipiendis hospitibus ædificata, ne silentium Eremi turbaretur. Loco nomeo *Fonti bono*, quod hospitium a *B. Rodulpho*, Camaldulensis Eremi IV. Priore, in Monasterium redactum est, nova Constitutione lata, ut nimirum Novitii per annum tyrocinii ibi probati, postea consensu Majorum obtento, ad Eremum ascenderent: Ut imbecilles, qui diutius Eremiticam austeritatem ferre non possent, ad Monasterium descenderent: Ut infirmi illuc delati curarentur ac refoverentur: Ut Monasterium ipsum ac Monachi in perpetuum Eremitis subessent, & ab eis regerentur. Obiit *S. Ramualdus* die 19. Junii anno 1027. septuaginta annos natus, non centum & viginti, ut apud *B. Petrum Damiani* vitiatis numeris, legitur. Qua de re videsis Cardinalem *Baronium* Tomo X. ad annum 1027. & *Bollandum* in Commentariis præviis ad Vitam *S. Romualdi*, §. 3. Vitam ejus scripsere *S. Petrus Damiani*, & *S. Hieronymus Pragensis*, ejusdem Ordinis Eremita, Apostolus Lituanorum. Ordinem approbarunt & confirmarunt Leo IX. Nicolaus II. & Alexander II. Pontifices Maximi. De Camaldulensium Institutis legi possunt Acta *S. Romualdi a S. Hieronymo Pragensi* scripta, & Historia Ordinis ab *Augustino Florentino*, & a *F. Luca* Eremita Hispano edita.

III. *Ordo Grandimontensis* anno millesimo septuagesimo sexto Mureti institutus est, loco sterili & aspero, tribus leucis ab urbe Lemovica distante. Quia vero Monachorum Ambazaceosium infestatione coacti M rero ad Grandem-Montem migrarunt anno MCXXIV. Ordini *Grandis-Montis* nomen factum est. Fundatorem habuit *S. Stephanum de Tierno*, ex Arvernia oriundum, nobili genere, qui in Italiam a patre ductus, & *Miloni* Archiepiscopo Beneventano commendatus, ab eo institutus est. Cujus post obitum Romam adiens, Ordinis Eremitici instituendi facultatem a Gregorio VII. Pontifice Optimo Maximo impetravit. In Galliam itaque reversus in Montem Muretum secessit, ibique, sumpto annulo, quem de omni substantia mundi solum retinuerat, se Deo consecravit his verbis: *Ego Stephanus, abrenuntio Diabolo & omnibus pompis ejus, & offero me ac reddo Deo Patri, & Filio ejus, & Spiritui Sancto Trino & uni Deo vivo & vero*. Fratribus, quos illuc congregavit, Regulam propriam dedit, Apostolicam sane & imprimis austeram, quam Cardinales duo Sedis Apostolicæ Legati *Gregorius de Papareschis & Petrus Leonis*, qui ipsum honoris gratia Muretum adiere, anno MCXXIV. quo e vivis excessit, approbarunt, & Summi Pontifices *Urbanus III.* & *Clemens III.* confirmavere. Quare Grandimontensium Ordinem sub Regula *S. Benedicti* militare, perperam asseruerunt *Volaterranus* lib. XX. Commentariorum Urbanorum, *Genebrardus* in Chronologia ad annum MLXXVI. *Azorius* lib. XII. Institutionum Moralium, *Haftenus* Disquisitionum Monasticarum lib. II. Tract. VI. *Aubertus Miræus* Chronici Benedictini cap. LXV. Clarissimi *Sammarthani* Tom. IV. *Galliæ Christianæ*. & ante hos omnes *Trithemius*, Abbas lib. I. *De Viris Illustribus Ordinis S. Benedicti*, Cap. III. Falsus est & *Chrysostomus Henriquez*, in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis lib. 2. Dist. II. *S. Stephanum* Grandimontensis Ordinis authorem Regulam & Constitutiones Cistercienses observasse asserens; & in Menologio ad diem 20. Augusti, eum *Cisterciensibus legibus se suosque filios subjecisse* scribens. Nam 22. annis Ordinem suum ante fundaverat *S. Stephanus*, quam Cisterciensium nomen auditum esset. *Stephanus* Abbas *S. Genovefæ*, postea Tornacensis Episcopus Epistola LXXI. ad *Robertum* Pontiniacensem Monachum data, summis laudibus Grandimontenses extollit. „ Grandimontensium grande nomen ... Hominibus „ placent, & servi Christi sunt. Boni homines appel-

Ordo Grandimontensis. De Grand-mont.

S. Stephanus propriam Regulam alumnis suis dedit.

Grandimontensis Ordinis commendatio.

„ pellantur: Nam bonitatis illorum testis est & exclusa cupiditas, & inclusa paupertas. Porro ambitio, quæ fere omnes impugnat, & plures expugnat, tam remota est ab eis, quam longe est ab hominibus, qui numquam se adepturos Cistertium certi sunt. Cumque terram dederit Deus filiis hominum, ipsi funiculum suum & sortem in cœlestibus extendunt, viros Evangelicos exprimunt, nec soliciti sunt quid manducent & bibant, aut quid induant, quoniam a Patre suo qui in cœlis est, pascuntur, cum volucribus, & cum liliis vestiuntur. Orationes eorum nec balantes greges impediunt, nec mugientia turbant armenta, nec universos familiæ strepitus interrumpunt. Et quoniam radix omnium malorum cupiditas inter eos aruit, recessit ambitio, litigandi materia sublata est, solitudo claudit, paupertas premit, humilitas ligat: hi cum disciplinam quæ est in morum ordinata correptione apprehenderint, profecto nec irascetur eis Dominus, nec peribunt de via justa. Videint ipsi quid intra domesticos parietes agant, & testimonia secretorum intus operum suorum invicem accusantium & defendentium ei publicent, cui omne cor patet, & quem nullum latet secretum: nobis ignorare libet, quibus non licet intrare. Credimus autem, quia nec labor eorum sine mercede, nec certamen erit sine victoria, nec exercitium sine fructu, cum inter alios consolationis filios habituri sint & ipsi coronam pro cinere, gaudium pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. „ Falso denique *Crusenius* in Monastico Augustiniano, parte II. c. 18. scribit *S. Stephanum Regulam S. Augustini* Grandimontensibus tradidisse. Id enim refellitur *Stephani Tornacensis* verbis, in epistola mox laudata: „ Si ab iis quæsieris, cujus Ordinis sunt: respondent: Peccatores sumus. Si ab aliis, Bonos homines esse dicunt: Nam & in provincia illa unde originem habent, ubi est caput & sedes eorum, cellulæ ipsorum bonominæ appellantur. Sed & Canonicos Regulares nostri temporis sub Regula B. Augustini Christo deservire scimus, & sub ea in domo unius moris habitare. Ipsi autem non Augustinum, sed quemdam (ut dicunt) bonum hominem Stephanum de Mureto, Magistrum suum profitentur. Libellus etiam, qui eorum Constitutiones continet, non Regula ab eis appellatur, sed Vita. Inde est quod sicut a Regula quam observant Canonici nostri, dicuntur Regulares: sic etiam ipsi necesse est a Vita quam profitentur, dicantur Clerici seu Laici Vitales. At licet Regulam suam ea tempestate forsan inscriberent *Vitam S. Stephani*, vel *Vitam Fratrum de Grandimonte*, dubium non est quin Sanctus ipsorum Pater eis Regulam tradiderit, quam præ manibus habent siquidem ipsos his verbis commonebat, quemadmodum ejus acta referunt: *Tantum in Regula de Evangelio per me sumpta perseveretis*.

Fratres Laici Clericis dominari volunt.

Rerum temporalium procuratio, & administratio Fratribus Laicis relicta est a *S. Stephano* Grandimontensi, cap. 54. Regulæ, ut Clerici tranquillius rebus divinis vacarent. Inde orta Clericos inter & Laicos gravissima dissensio. in maximum Ordinis sanctissimi dispendium & scandalum plurimorum sub *Lucii III.* Pontificatu. Eo scilicet proruperunt audaciæ Fratres Conversi, ut Clericis ordinem & tempus Divinorum Officiorum præscriberent, ipsosque suo imperio parere recusantes, vexarent rerum necessariarum subtractione. Tunc præerat Grandimonti *Guillelmus de Treynbaco*, qui suæ Domus & Clericorum libertatem cum strenue propugnaret, a Laicis depositus & ejectus est, una cum suis Clericis. A quibus appellatus *Lucius III.* Pontifex Maximus Judices dedit, Carnotensem Episcopum & Abbates Cisterciensem, Clarevallensem, S. Dionysii, S. Germani a Pratis, S. Victoris Parisiensis, & S. Genovefæ. Lata secundum Clericos sententia, Prior, cæterique Clerici restituti; Laici, ægre licet, ac post multos tumultus ad officium redacti, & in Spiritualibus subesse jussi, de Divinis Officiis nihil præcipere aut ordinare, in temporalium procuratione Ordini servire, quam ipsis Clerici non inviderent. Illa constat ex Epistolis *Stephani* Abbatis *S. Genovefæ* CXXXIV. CXXXV. CXLIII. & CXLIV.

Ad officium rediguntur.

Editionis P. *Du Moulinet*, & ex *Jacobo* Cardinali *de Vitriaco*, cap. XIX. *Historiæ Occidentalis*. Obiit *S. Stephanus Grandimontensis* octava Februarii, Feria sexta, anno Christi millesimo centesimo vigesimo quarto, ut constat ex primo ejus Epitaphio, & ex Breviario Lemovicensi. Ejus Vita a *Geraldo* Priore Grandimontensi VII. scripta, quæ inter Acta Sanctorum mensis Februarii a PP. *Bollando* & *Henschenio* edita est, obitum ejus sexto Idus Februarii Feria sexta consignat. Porro dies octava Februarii anno millesimo centesimo vigesimo-quarto incidit in Feriam sextam, litera Dominicali F. eo anno bissextili dominante usque ad diem intercalarem, quo in E. mutata est. Unde emendandus est Baronius ejus obitum ad annum 1126. referens. Ejusdem sancti viri Gesta descripsit *Vincentius Bellovacensis* noster libro XXV. *Speculi Historialis*, a Cap. XLVI. ad LI. Legisse juvabit & *Bernardum Guidonis* Lodovensem Episcopum, ex nostro FF. Prædicatorum Ordine assumptum, in Opusculo *De Ordinibus Grandimontensi, atque Artigia, & Monasterio S. Augustini Lemovicensis*, edito in Nova Bibliotheca MSS. Librorum *P. Labbè* S. J. Tom. II. pag. 275. ubi *S. Stephani* Actis breviter delibatis, hæc subdit de Ordine ab ipso instituto: *Multi mundum deserentes, secuti sunt eum, quibus eum vivendi normam ostendit, & Regulam scripsit, scriptamque reliquit suis Professoribus observandam, in qua omnem esum carnium, eumque ac consortium mulierum, substantium pecorum seu animalium, proprietatem quoque terrarum, exceptis Eremis in quibus degerent, Discipulis ac Fratribus suis perpetuo interdixit. Quam Regulam tam Urbanus, quam Adrianus, quam Alexander III. ac Lucius III. Romani Pontifices confirmarunt, munientes Ordinem multis privilegiis gratiosis. Verum pro Patribus nati filii, quibus regula austerior videbatur, eam moderari fecerunt per Romanos Pontifices, & maxime per Innocentium Quartum, ac demum per Clementem Quintum.* Postremo eam temperavit in nonnullis Capitibus *Joannes XXII.* In numerum Sanctorum relatus est Beatus *Stephanus* Grandimontensis a *Clemente III.* anno 1189.

Annus mortis S. Stephani de Mureto.

Regula Grandimontensium a Romanis Pontificibus confirmata & refrigescente fervore temperata.

Prætermittere non possum, quæ ad Grandimontensis Ordinis commendationem scripsit *Joannes Saresberiensis*, Episcopus Carnotensis lib. 7. *Polycratici*, sive *De Nugis Curialium*, Cap. XXIII. *Hypocritarum* (inquit) *nomen & notum cautissime & fidelissime declinant Carthusienses, & Magni-Montis nova professio, in antiqua virtutis culmine, Salvatore prævio, solidata. .. Porro Magni-Montis incolæ vitam perarduam elegerunt, & non modo avaritiæ, sed ipsius naturæ quodammodo domitores omnia necessitatis imperia excluserunt, abjecerunt solicitudinem crastini, omnia mundi oblectamenta contemnere, parum est apud eos, quæcumque ad portas eorum quis pulset imagine, excluditur, & confusus abscedit: in eas quippe solus Christus ingreditur, cujus innituntur gratiæ; jactantes cogitatum suum in eum qui parvulos enutrit, dat jumentis escam, pullisque corvorum, Lilia vestit agri, & omnibus sperantibus in se, aut Constitutionis suæ obtemperantibus legi, necessaria præstat, ut nihil desit his qui se ejus non subtraxerunt voluntati. Totam ergo solicitudinem suam, & omnem in eum projiciunt curam, cui de Fidelibus cura est, adeoque providentia devitant angustias, ut vita eorum tota nonnullis tentatio videatur. Sancti siquidem Patres genus tentationis definiunt, cum quis agendorum habenas divino dumtaxat committit miraculo, humano nondum auxilio destitutus. Cæterum ego vitam placentem Deo arbitror, cupiditatis ignaram, insistentem innocentiæ, & pervigilem in opere caritatis.* Grandimontenses quoque Ascetas commendat *Petrus Abbas Cellensis*, & postea Carnotensis Episcopus Epistola VIII. libri III. & Epistola VII. & XXII. lib. octavi, qua eorum consuetudinem laudat quotannis conveniendi Grandimontem ad Capitulum Generale, in Festo *S. Joannis Baptistæ*; seque eorum orationibus commendat, & singularem de illis æstimationem, teneramque in Ordinem sacrum amorem testatur.

Grandimontensis ordinis elogium.

IV. Angelicus *Carthusiensium Ordo*, a *S. Brunone* Remensis Ecclesiæ Magistro & Cancellario in rupe altissima & asperrima Gratianopolitanæ Diœceseos, cui *Carthusia* * nomen, coadjuvante *S. Hugone* Gra-

Ordo Carthusiensis.

* La Chartreuse.

Causa secessus S. Brunonis in Eremum.

Terribilem anastasim Clerici, qui in feretro positus damnationem suam in Ecclesia coram omnibus denuntiaverit, occasionem fuisse institutionis Carthusiensium fabula est.

Gratianopolitano, institutus est anno 1086. ut colligitur ex *Guigone* Priore Carthusiensi in Vita *S. Hugonis*, Cap. III. Secessui *S. Brunonis* in Eremum occasionem dedisse damnati Doctoris aut Canonici Parisiensis horrendas in feretro voces, dum solemnes exequiæ celebrarentur, & caneretur Lectio *Responde mihi* inclamantis prima die: *Justo Dei judicio accusatus sum*: altera die: *Justo Dei Judicio judicatus sum*: Tertia demum die: *Justo Dei judicio damnatus sum*: Viri quidam eruditi asseruere: negarunt alii. Stupendam Clerici cujusdam Anastasim qui in feretro positus damnationem suam coram ingenti Clericorum populique multitudine denuntiavit, *Cæsarius Heisterbacensis*, Ordinis Cisterciensis Scriptor, Dialogi Miraculorum Distinctione XI. Cap. XLIX. commemorat; idque in Regno Franciæ contigisse. At nec locum indigitat, nec tempus nec S. Brunonis vel Carthusiensis Ordinis ibi meminit. Supra-dictam vero secessus *S. Brunonis* in Eremum & Institutionis Ordinis sacri Carthusiensium causam referunt Venerabilis *Joannes Gerson* Cancellarius Parisiensis, in Tractatu De Simplificatione cordis, *S. Antoninus* Chronici pag. 3. Tit. 15. Cap. XXII. *Dionysius Carthusianus* Opusculo de laudibus Carthusianorum cap. 3. *Petrus Sutor lib. de Vita Carthusiana* & alii quibus suffragantur *Andreas de Saussai* Tullensis postea Episcopus, & *Theophilus Raynaldus* S. J. in *Antemurali adversus fortia ingenia*. Id maxime confirmant ex ritu Parisiensis Ecclesiæ quæ ex Lectione Quarta Officii Defunctorum illud exordium *Responde mihi*, expunxerit, quod Clerico hæc verba in Officio funeris canenti responderit homo damnatus: *Justo Dei judicio accusatus sum, judicatus sum, damnatus sum*. Joannes Launojus Theologus Parisiensis, narrationem illam evertendam suscepit, & inter aniles fabulas amandandam in Dissertatione, *De vera causa secessus S. Brunonis in Eremum*. Argumenta quibus id probat, negativa sunt. Laudat in primis *S. Brunonem* in Epistola, quam ex Calabriæ finibus ad *Radulphum Viridem* Remensis Ecclesiæ Præpositum scripsit, in qua suo secessui, & Carthusiani Ordinis institutioni datam occasionem testatur ex collatione habita Remis, de opum & deliciarum terrenarum vanitate, & gaudiorum cœlestium æternitate. *Reminiscitur*, inquit, *dilectio tua, quod cum ego, & tu, & Fulcius Monoculus quadam die simul fuissemus in hortulo adjacenti Domui Adæ, de falsis oblectationibus & perituris mundi hujus divitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis, aliquandiu, ut opinor, tractaremus, unde divino amore ferventes promisimus ac vovimus Spiritui Sancto in proximo fugitiva sæculi relinquere, & æterna captare, necnon Monachicum habitum recipere; quod & in Vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset, ad hujus reditum peragenda distulimus, quo moram faciente, aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, refriguit animus, fervorque evanuit. Quid ergo superest, Carissime, nisi ut tanti debiti nexibus te citius expedire, ne pro tam gravi tamque diuturno mendacii crimine iram incurras Potentissimi, & propter hoc cruciatus immanes?* Locus hic erat, inquit *Launojus*, inculcandi *Radulpho* horrendum illud spectaculum hominis damnationem suam e feretro denuntiantis, quo velut acerrimo stimulo ad exolvendum votum urgeretur. Secundo *Guigonem* Quintum Carthusiæ Priorem *Launojus* appellat, qui in Vita *S. Hugonis* Gratianopolitani agens de Secessu *S. Brunonis* & Sociorum, in Carthusiæ solitudinem, terribilis illius portenti non meminit. Tertio *Guibertum Novigentinum* Abbatem, qui in lib. 1. *De Vita sua* cap. XI. Carthusiensium originem & institutum prolixe exponens, aliam secessus *S. Brunonis* in Eremum causam non adducit, quam pravos *Manassis* Remensis Archiepiscopi mores: *Fuit*, inquit, *non longe ab his diebus Bruno quidam in urbe Remensi, vir & liberalibus instructus Artibus, & Magnarum Studiorum Rector, qui conversionis initia ex subjectu nactus occasione dinoscitur. Manasses quidam prædictæ urbis regimini simoniace se intrusit.... Is cum Milites summopere affectaret, Clerum negligeret, dixisse aliquando refertur: Bonus esset Remensis Archiepiscopatus, si non Missas inde cantari oporteret. Hujus erga mores prorsus improbos & stupidissimos habitus cum omnis honestus horreret, Bruno in Ecclesiis tunc Galliæ opinatissimus, cum aliis quibusdam Remensium Clericorum Nobilibus, infamis illius odia excessit ab Urbe.* Et infra: *At Bruno urbe deserta, sæculo etiam abrenunciare proponit, qui suorum notitias horrens, ad Gratianopolitanum processit territorium. Ibi in ardua & admodum terribili Promontoria, ad quod difficillimum & valde insolens iter intenditur, sub eo etiam præruptissimæ vallis vorago dehiscit, habitare deligens, & sequaces ejus hodieque sic vivunt, &c.* E Remensi urbe Gratianopolim discessisse *Brunonem* ob improbos *Manassis* mores *Guibertus* refert, non Lutetia Parisiorum, ubi occasione Doctoris redivivi, & inter solemnes exequias se damnatum ter inclamantis, consilium de solitudine petenda inierit. Quarto laudat *Launojus* Authores gravissimos, tum veteres, cum recentiores, qui de Sancto *Brunone*, & Carthusiensibus agentes, eorumque mores exponentes, vel commendantes Ordinem, terribilis Anastaseos ne per umbram quidem meminerunt; scilicet *Chronicon Mauriniacense* lib. II. sub finem; *S. Bernardum*, seu potius *Guillelmum* Abbatem *Sancti Theodorici*, in Tractatu De Vita Solitaria ad Fratres de Monte Dei; Venerabilem *Petrum* Abbatem Cluniacensem, lib. II. *De Miraculis*, cap. XXVIII. *Petrum Cellensem* Abbatem, lib. I. Epistola XXIII. & lib. VI. Epistola XIII. *Joannem Saresberiensem*, lib. VII. *De Nugis Curialium*, cap. XXI. & XXIII. *Petrum Blesensem* Epist. LXXXVI. ad *Alexandrum* Monachum; *Petrum Cantorem* Parisiensem in *Verbo abbreviato*, cap. XXVIII. *Joannem Bramton* in Chronico ad annum 1077. & ad annum 1103. Authorem Vitæ *S. Godefridi* Ambianensis Episcopi, lib. 3. *Sigebertum* Gemblacensem Monachum, in Chronico editionis *Pistorii*, ad annum 1084. *Robertum de Monte* in Tractatu de Abbatibus & Abbatiis, cap. II. *Jacobum* Cardinalem *de Vitriaco*, cap. XVIII. Historiæ Occidentalis; *Chronicon Malleacense* ad annum 1496. *Robertum de Corceon*, Apostolicæ Sedis in Gallia Legatum, in Summa MS. Quæst. VII. de Simonia, cap. XVII. *Monachum Autissiodorensem* in Chronico, ad annum 1081. *Vincentium Bellovacensem* in Speculo Historiali lib. XXVI. capit. XXVIII. *Chronicon Turonense*, ad annum 1086. *Hugonem* Cardinalem, in cap. VI. Epistolæ ad Corinthios, *Humbertum* V. Ordinis FF. Prædicatorum Generalem Magistrum, Sermone XXIV. ad Carthusienses; *Joannem Frasquetum*, Sancti Germani Autissiodorensis Monachum, in Chronico; *Guillelmum de Nangis*, in Chronico ad annum 1132. Ex quorum silentio colligit *Launojus* narrationem illam de Canonico, vel Doctore Parisiensi, qui post obitum redivivus, denuntiatione feralis de se judicii circumstantes exterruisse fertur, meram esse fabulam. Et sane *Launoio* favent viri eruditi, qui Romanum Breviarium Summi Pontificis mandato correxerunt. Ex Lectionibus quippe in Festo *S. Brunonis* recitandis narrationem illam expunxere.

Quod vero de immutatione in Lectione quarta Officii Defunctorum facta occasione hujus portenti vulgo jactatur, fabulosum esse ostendit. Siquidem plures reperiuntur Ecclesiæ, quæ eamdem cum Parisiensi Lectionem recitent a versu 23. Capitis 13. *Quantas habeo iniquitates & peccata?* scilicet Remensis, Andegavensis, Redonensis, Venetensis, Eduensis, Carnotensis, Nivernensis, Rothomagensis, Lexoviensis, Ebroicensis, Bajocensis, Sagiensis, Constantiensis, & Abrincensis, ut eorum Manualia probant. Nec tamen inde colligi potest olim ab extremis verbis versu 22. Ecclesias laudatas hanc Lectionem incœpisse, ac postea verba illa, *Responde mihi*, expunxisse, ob casum aliquem funestum illi similem, quem immutationi ritus Parisiensis occasionem dedisse fingunt. Præterea sunt Ecclesiæ quæ in Officio Mortuorum Lectionem illam quartam omnino non habent, quam recitat Ecclesia Parisiensis, nimirum Senonensis & Catalaunensis. An ideo sublata ex earum *Manualibus* dici potest propter ferale hominis damnationem suam e feretro denuntiantis prodigium? Tertio, sunt Ecclesiæ nonnullæ, quæ octavam & nonam Lectionem ex libro Job non recitant, sed ex Apostolo, ut Metensis, Ambianensis, & Nivernensis,

sis; vel nonam ex Apocalypsi depromunt, ut Laudunensis & Trecensis. Au propterea quis somniabit has Lectiones in locum earum, quæ ex Libro Job in aliis Ecclesiis sumuntur, suffectas fuisse ob terribilem defuncti alicujus anastasim, qui inter solemnes inferias se ex vulva eductum conquestus sit, aut qui pelli consumptis carnibus ossa adhærentia exhibuerit? Aut ita somnianti credemus? Quinto, in quibusdam Ecclesiis novem olim Lectiones in Vigiliis Mortuorum recitabantur ex Libro Sapientiæ, ab illa sententia: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum Convivii*. In aliis recitabantur ex *S. Augustino*, ut docent *Joannes Beleth*, Parisiensis Theologus, lib. *De Divinis Officiis*, cap. 161. *Durandus* Mimatensis Episcopus lib. 7. *De Divinis Officiis*, & *Petrus Ciruelus* Complutensis Theologus in *Expositione Missalis*, cap. 115. Incertum autem est unde Lectiones Officii Mortuorum Ecclesia Parisiensis desumeret *S. Brunonis* ætate. Maxime cum paulo post ejus obitum primi & secundi Nocturni Lectiones ex Evangelio depromerentur, quod in *Dagoberti* Regis Anniversario faciendum præscripsit Adam Sandionysianus Abbas *Sugerii* Successor, ut habetur in calce veteris Martyrologii. Sexto, incertum est an Officium Mortuorum eo modo dispositum esset quo nunc est, an iidem Psalmi, an Lectiones aliquæ, & Responsoria in eo recitarentur ante annum 1086. quo *S. Bruno* in Eremum secessit. Nullas Lectiones in Agenda seu Officio Mortuorum fuisse olim recitatas, non obscure indicat coævus Author *Joannes Abrincensis* Episcopus in lib. *De Officiis Ecclesiasticis*. Denique nullam aliam rationem fuisse putat Launojus, cur Ecclesia Parisiensis, & aliæ plurimæ Lectionem quartam Officii Mortuorum ab his verbis non incipiant, *Responde mihi*, sed ab his *Quantas habeo iniquitates*, nisi quod ipsis convenientius visum est ab initio versus 23. quam ab extremo versu 22. incipere: præsertim cum cæteræ Lectiones ab alicujus commatis seu versus exordio, non ab extremo commate seu versu incipiant. Hæc summa Launojanæ de secessu *S. Brunonis* in Eremum Dissertationis. Ut ut est, ipsi Launoji adversarii fassi sunt, damnatum hominem pro cujus ferali anastasi vindicias scripsere, neque Canonicum insignis Ecclesiæ Parisiensis, neque Parisiensis Universitatis alumnum fuisse, quod nullum extet nec in Ecclesia illa, nec in Academia, eventus hujusce monumentum: illumque altissimo silentio obvolvant coævi & suppares Authores, qui de rebus Francorum scripsere. Sane *Launojus*, & qui cum illo sentiunt, de Angelico PP. Carthusiensium Ordine male meriti non videntur, quod fabulam excindere conati sint, quæ nec ad *S. Brunonis* gloriam, nec ad sacri honorem Instituti aliquid confert.

Sacri Carthusiensium Ordinis commendatio.

VI. Conferunt vero plurimum quæ scripsit Venerabilis *Guibertus* Abbas B. *Mariæ de Novigento*, lib. 1. *De vita sua*, cap. 11. ubi de Carthusia & primævis Carthusianorum moribus hæc habet: „ Ecclesia ibi est non longe a crepidine montis, paulo sinuatum devexum habens; in qua tredecim sunt Monachi; Claustrum quidem satis idoneum pro Cœnobiali consuetudine habentes, sed non claustraliter, ut cæteri, cohabitantes. Habent quippe singuli cellulas per gyrum claustri proprias, in quibus operantur, dormiunt, ac vescuntur. Dominica a Dispensatore escae, panem scilicet ac legumen accipiunt, quod unicum pulmenti genus a quoque eorum apud se coquitur. Aquam autem tam hausti, quam residuo usui, ex ductu fontis, qui omnium obambit cellas, & singulorum per certa foramina ædiculis influit, habent. Pisce & caseo Dominicis & valde Festis diebus utuntur: pisce dixerim, non quem sibi ipsi emerunt, sed quem bonorum aliquorum virorum largitione susceperint. Aurum, argentum, ornamenta Ecclesiæ, a nemine: Nihil enim ibi præter Calicem argenteum. Ad eamdem Ecclesiam non horis solitis, uti nos, sed certis conveniunt. Missas, nisi fallor, Dominica, & Solemnibus audiunt. Nusquam pene loquuntur; nam si quid peti necesse est, signo exigitur. Vinum, si quando bibunt, adeo corruptum, ut nihil virium, nil pene sapo-

Austeritas primæva.

ris utentibus afferat, vix communi sit unda præstantius. Ciliciis vestiuntur ad nudum, cæterarum vestium multa tenuitas. Sub Priore agunt: vices autem Abbatis ac Provisoris Gratianopolitanus Episcopus, vir plurimum religiosus exequitur. Cum in omnimoda paupertate se deprimant, ditissimam tamen Bibliothecam coagerant; quo enim minus panis hujus copia materialis exuberant, tanto magis illo, qui non perit, sed in æternum permanet, cibo operose insudant. In tantum, inquam, suæ sunt custodes inopiæ, ut hoc ipso, quo agimus, anno, Nivernensis Comes, vir omnino religiosus ac potens, eos causa devotionis, & optimæ quæ hinc emanat opinionis, inviserit: multumque super sæculari eos cupiditate, ut caverent inde, monuerit. Cumque regressus ad sua, eorum indigentiæ, quam viderat, meminisset, & monitorum, quæ eis intulerat nequaquam memor esset, nescio quæ argentea, scyphos videlicet & scutras * pretii plurimi eis misit: sed eorum quæ dixerat illis, nequaquam obliviosos invenit. Communicato namque mox consilio, quæcumque dixerat ad integrum refutata recepit &c.

Paupertas arcta, Bibliotheca dives.

* *Forte* Scutellas.

Chronicon Mauriniacense lib. 15. sub finem, breve istud, sed præclarum Carthusiensis Ordinis habet elogium: *Erant Carthusienses in jugis Alpium Angelicam degentes vitam, supereminentissimæ religionis, & incomparabilis authoritatis viri*.

Venerabilis *Guillelmus* Abbas *S. Theodorici*, in Epistola seu Tractatu *de vita solitaria ad Fratres de monte Dei* *, novum ordinem his verbie commendat „ Fratribus de monte-Dei; Orientale lumen, antiquum illum in religione Ægyptium fervorem tenebris Occiduis, & Gallicanis frigoribus inferentibus, vitæ scilicet solitariæ exemplar & cœlestis formam conversationis: occurre & concurre in gaudio Sancti Spiritus anima mea, & visu cordis in fervore pietatis, & in omni obsequio devotæ voluntatis. Quidni? Etenim epulari & gaudere in Domino oportet, quia Christianæ devotionis ac religionis speciosissima portio, quæ cœlos propinquius tangere videbatur, mortua erat, & revixit; perierat de mundo, & inventa est. Auditu auris audiebamus, nec credebamus; legebamus in libris, & mirabamur de antiqua vitæ solitariæ gloria, & magna in ea gratia Dei; cum subito invenimus eam in campis silvæ, in monte Dei, in monte pingui. Ubi jam pinguescunt speciosa deserti, & exultatione colles accinguntur. Ibi enim jam per vos offert se omnibus, & in vobis se demonstrat, & ignota hactenus innotescit in paucis simplicibus ipso etiam vobis ingerente, qui in paucis simplicibus totum olim sibi mundum subjecit, ipso mundo mirante.... Vestra simplicitas jam multos provocat ad æmulationem: Vestra sufficientissima & altissima paupertas jam multorum confundit cupiditatem: Vestrum secretum, jam earum rerum quæ tumultum faciunt, vel facere videntur, pluribus incutit errorem.... Altissima est professio vestra. Cœlos transit, par Aogelis est, Angelicæ similis puritati. Non enim solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, &c.

* Mons Dei, Carthusia in Diœcesi Remensi.

Vitæ Solitariæ exemplar.

Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, lib. II. *De miraculis*, cap. 28. Carthusiensium Ordinem, qui maximum ipse miraculum est, & miraculorum officina his verbis describit: „ Servatur in Burgundiæ partibus, inter omnes Europæ nostræ monastici ordinis Professiones, Professio quædam multis aliis ejusdem monastici propositi sanctior & cautior, instituta nostro tempore a quibusdam Patribus magnis Doctis, & Sanctis, Magistro Brunone Coloniensi Magistro Landuino Italico, ac quibusdam aliis vere magnis, ut dicam, & Deum timentibus viris. Qui quorumdam antiquorum monachorum tepiditate, negligentia, ac desidia prædocti, sæculo abrenuntiare volentes, cautius sibi, suisque in via Dei Sectatoribus consuluerunt, & vigilanti oculo ordinem contra omnes pene Satanæ insidias circumspectum instituerunt. Nam ut contra superbiam, & contra ejus nefandam sobolem, invidiam dico, ambitionem, & vanam gloriam, ac si qua sunt alia, Ordo ab eis institutus armaretur, vestes

Carthusienses contra omnes pene Satanæ insidias armati.

vilissimas, ac super omne religionis propositum abiectissimas, ipsoque visu horrendas assumpserunt. Quantitate enim breves & angustæ; qualitate, ita ut vix aspici possint, hirsutæ & sordidæ, nullum gloriandi vitium se posse admittere indicant..... Cupiditatem insuper vel avaritiam ita radicitus avulserunt, ut certos terminos, juxta locorum suorum fertilitatem aut sterilitatem, in circuitu cellarum suarum majores minoresve præfigerent, extra quos, etiamsi totus eis offerretur mundus, nec saltem quantum pes humanus occupat, terræ spatium acciperent, &c. Multa quidem in illo sacro Ordine miracula contigisse, a pluribus accepi: sed quia ipsius humilitatis virtute, qua semper servi Dei miranda opera sua, quanto possunt nisi occultant, vix aliquid ex his prodere alicui voluerunt, rara immo rarissima quibus omnimoda fides accommodanda esset, ad me miracula pervenerunt.

Eorum vestes.

Cupiditatis radix ab iis avulsa.

Laurentius de Leodio in historia Episcoporum Virdunensium: „ Carthusiensis illa religio, *inquit*, mundo hactenus inaudita, de sanctissima schola Reverendissimi Brunonis processit, qui in carne extra carnem vivendo, Angelos in terra, Paulum in Paradiso, Joannem Baptistam & Paulum Eremitam in deserto nobis hodie repræsentat, ut merito hanc religionem florem mundi nomines, ut hanc esse animal simile aquilæ in cœlum volanti jure pronunties, &c.

Joannes Saresberiensis, lib. VII. *Polycratici*, cap. XXIII. sacrum Carthusiensium ordinem his verbis prædicat: „ Carthusienses cupiditati suæ, immo necessitati limites præfixerunt, & moderationis habenis omnem avaritiam cohibent, & interdum ipsi necessitati aliquid subtrahunt, ne sub obtentu illius quidpiam avaritia moliatur. Magni proculdubio viri, & inter præcipuos numerandi, cum non modo professiones, sed jam senescente mundo, in tanta multitudine labentium sæculorum pauci processerunt homines, qui satietatis sibi aliquos præscripserint terminos.

Petrus Cellensis Abbas Epistola XXIII. lib. I. ad *Eskilum* Archiepiscopum Lundensem, de Carthosiensibus, quos mitti in Daniam rogaverat, ita scribit: „ De illo Ordine, qui quasi Cherubim sive Seraphim, immediate residenti Agno, qui habet oculos septem & cornua septem, in throno gratiæ accedunt, gazas vestras exornare voluistis. Ecce factum est ut imperastis. Adquievit Sanctos Carthusiensium Fratrum Conventus justis petitionibus vestris.

Petrus Blesensis, Epistola LXXXVI. ad magistrum *Alexandrum* monachum, qui Carthusiensium Ordinem deserere proposuerat, quod quotidie in eo sacris operari non posset, aliasque forte ob causas, in laudem incomparabilis Ordinis excurrit. „ Cur, *inquit*, Sanctum & gloriosæ opinionis Ordinem Carthusiensem prævaricando depravas? Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Ibi sane inveneras locum pœnitentiæ, secretum solitudinis, pacem animæ, contemplationis arcanum, gaudium in Spiritu Sancto, munus salutis, & efficax beneficium medicinæ. Verum manna cœleste fastidiens, & suspirans ad ollas carnium, domum illam appetis quæ desiderio tuo satisfaciet, quæ tibi delicatius & indulgentius ministrabit. Ideoque tumultum frequentiæ popularis, silentio, & solitudini anteponis solicitudinem: Licet noveris scriptum esse, quia qui jugum Domini accepit, sedere debet solitarius & tacere. Hoc in Ordine Carthusiensi causaris & arguis, quod singulis diebus Missas non faciunt, atque hujus religionis, aut potius superstitionis obtentu, tuum machinaris egressum. Tuæ literæ faciunt te insanum... Si attendas domum Carthusiensem, quam relinquere desideras, consideres unde venias, aut quo vadas. Jerusalem pro Babylone, terram promissionis pro Ægypto, pro exilio patriam, cœlum pro inferno, quietem & pacem pro labore & miseria derelinquis. Domus siquidem Carthusiensis, & locus habitationis illius situs est in montibus, & speluncis & in petris; ut sit potius inhabitatio Angelorum quam hominum, ad dandam Altissimo vocem confessionis & laudis, sicut scriptum est: *Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces*... Vere terribilis est locus iste, nec est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cœli. Et licet domus illa sit in terra horroris, & vastæ solitudinis, nominatissima tamen est in observantia religionis & ordinis. In omnem terram per gratiam Dei exivit fama ejus, & in fines orbis terræ suæ odorem suavitatis effudit. Plantatio enim Dei est, & vinea Domini Sabaoth: Ideoque jam excrevit in immensum, & multiplices fructos fecit. Vide si jam non operuit montes umbra ejus; si non extendit palmites suos usque ad mare, & usque in Angliam propagines ejus.

Missam quotidie non celebrabant.

Jacobus de Vitriaco Cardinalis cap. 18 *Occidentalis Historia*, de Carthusiensium Institutis pene eadem habet quæ *Guibertus Novigentinus*, & *Petrus Cluniacensis*, eosque insuper a litium fuga commendat. *Si quis*, inquit, *aliquid eis abstulerit, vel alio modo injuriatus fuerit, nullam contra ipsum in Judicio causam movent. Unde nec proximos sibi licet inimicantes scandalizant, nec Advocatis ad lites & jurgia indigent, nec Curias sæculares in detrimentum animæ suæ eos oportet adire.* Consuetudo illa bona sua nusquam omnino in Judicio repetendi apud Carthusienses exolevit XIII. cadente sæculo, cogente sæcularium hominum improbitate, ut colligitur ex Epistola *Humberti Delphini* Viennensis, data, anno 1283. in Vigilia Natalis Domini, qua Judicibus suis jubet ut Carthusiensium lites motæ & movendæ *Juris solemnitate non servata, simpliciter & de plano & sine strepitu Advocatorum* finiantur. Edita est hæc Epistola a Domno *Mabillonio*, Tom. III. Veterum Analectorum pag. 499.

Lites fugiebant, sua in Judicio non repetebant.

VII. Ordo Cisterciensis, a *B. Roberto* Molismensi Abbate, Ordinis Benedictini, institutus est anno millesimo nonagesimo-octavo. *Alberico & Stephano*, qui post ipsum Abbates fuere, adjuvantibus, annuente *Hugone* Lugdunensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato, favente *Odone* Burgundiæ Duce. Ordinis caput Cistercium, * in Diœcesi Cabilonensi, in loco uliginoso & nemore vastissimo, quod a Cisternis nomen sortitum putant. *Sancti Benedicti* Regulæ, propriisque Statutis devincti sunt Cistercienses. *Roberto* ad Molismenses suos Apostolica Authoritate revocato, substitutus *Albericus*, sanctitate non impar, novi Confirmationem Ordinis a *Paschale II.* impetravit. Varia est de tempore obitus *B. Roberti* opinio. Ante annum. 1112. obiisse certum est, die 17. Aprilis. Ab *Honorio* III. Pontifice Maximo in numerum Beatorum relatus est anno 1222. Vitam a Monacho Molismensi Anonymo scriptam sub *Alone* Abbate, sæculo 12. inter Acta Sanctorum mensis Aprilis Tom. III. ad diem XXIX. *PP. Henschenius & Papebrochius* S. J. edidere. Obiit *S. Albericus* secundus Abbas Cisterciensis anno 1107. die 26. Januarii. Ejus Vitam scripsit Chrysostomus *Henriquez* in Fasciculo SS. Ordinis Cisterciensis, Lib. I. Distinct. II. & ex eo *Bollandus* inter Acta Sanctorum mensis Januarii, Tom. II. *S. Alberico* substitutus est *Stephanus* vir quoque sanctissimus, qui *S. Bernardum* cum triginta Sociis Cistercium ingredientem suscepit, anno 1113. primum Capitulum Cistercii congregavit anno 1116. *Chartam Caritatis*, id est, unionis Monasteriorum anno 1119. promulgavit, a *Callisto II.* Pontifice Maximo subinde confirmatam. Plurima condidit Monasteria, inter quæ eminent *Firmitas*, * *Pontiniacum*, *Claravallis*, & *Morimundus* quatuor primæ Cistercii Filiæ: Quorum Abbatibus jus visitandi Cistercium illique providendi, mortuo Abbate, tribuit *Charta Caritatis*. Obiit *Beatus Stephanus* anno 1134. die 28. Martii. Ejus memoria sacris Ecclesiæ Tabulis inscripta est ad diem 17. Aprilis. Ejus Vitam ex Historicis Ordinis descriptam edidere *PP. Henschenius & Papebrochius* inter Acta Sanctorum mensis Aprilis Tomo II. De Cisterciensis Ordinis Institutione, Primisque Patribus, lege Parvum & Magnum Exordium Cisterciense, Collationes SS. Patrum de initio Cisterciensis Ordinis, Authore Claravallensi Monacho Anonymo, *Cæsarium Heisterbacensem* in Dialogis, *Manriquez* in Annalibus, *Chrysostomum Henriquez* in Fasciculo Sanctorum, & in Menologio Ordinis Cisterciensis-

Ordo Cisterciensis.

Molismum *vulgo*, Molesme.

* Cisteaux.

* La Fertè, Pontigny, Clairvaux, Morimond.

Ext. Tom. I. Bibl. Cisterc. pag. 9.

ciensis, in cujus Apparatu colligit elogia, quibus Summi Pontifices, aliique spectati in Ecclesia viri Ordinem Cistercienfem exornarunt; & *Carolum de Visch* in Bibliotheca Cisterciensi.

Cisterciensis Ordinis commendatio.

Joannes Saresberiensis lib. VII. *Polycratici* cap. XXI. Cistercienses his verbis commendat: *Cistercienses Beati Benedicti, quem omnium Justorum spiritu plenum fuisse constat, praecepta & vestigia sequuntur ad unguem.* De his *Petrus Cellensis* Abbas Epistola XXIII. Libri VI. ad *Nicolaum* Monachum Sancti Albani: „Cisterciensium, *inquit*, nugas nescio, quos præ aliis mortalibus, feriis & sine fine mansuris intendere video. Hi sunt qui monetam nostri jam in agonia positi Ordinis reformaverunt. Hi sunt qui Regulam Beati Benedicti pene combustam, sicut Esdras veterem Legem, restauraverunt. Hi cum Apostolo Corinthiis, id est, agricolis, & rusticis sæcularibus onerosi non sunt, sed propriis manibus laborantes, se & alios pauperes pro posse exhibent. Claustra illorum Castra Dei sunt: ubi nocte in Psalmis & Orationibus parati sunt, suscitare Leviathan, qui sub umbra dormit in locis humentibus; & in die in agro Jericho Principi militiæ occurrunt, qui tenet gladium bis acutum, ut superflua resecet cogitationum & operationum.

Primæva Cisterciensium paupertas.

De his *Stephanus* Abbas *Sanctæ Genovevæ*, postea Tornacensis Episcopus, Epistola LXXI. ad *Robertum* „Pontiniacensem Monachum, Cisterciensium Ordinem quasi lucernam supra montem positam, quis in Ecclesia Dei maximum & præcipuum culmen non dicat attingere? Evangelium implentes, Monasticam Regulam, quam supererogavit Benedictus Pater, fidelis Samaritani stabularius, ut nec unum ex eo iota præterire videantur. Beata paupertas eorum, quæ licet eos fame premat & frigore, non tamen aut mendicare compellit, aut divitibus adulari. Suis aut suorum manibus victum exquirunt, & vestitum: non veriti sequi Paulum qui cum licite posset de Evangelio vivere, ac spiritualia seminans, carnalia metere: maluit tamen manibus suis operari, ne quod offendiculum dares Evangelio Christi. Honorant Dominum de sua, non de aliena substantia: & de primitiis frugum non alterius, sed suarum, dant pauperibus: Quamquam rectius non sua, sed omnium dixerim, quæ universis secundum gradus ordinatæ caritatis in commune deserviunt. Nec enim buccellam suam comedunt soli, & non comedit cum eis pupillus ex ea: non despiciunt prætereuntem, & absque operimento pauperem, sed benedicunt eis latera pauperum, & de velleribus ovium suarum calefaciunt: & eorum quidem lateribus pannos circumdant sicut despicabiles pretio, sic inapplicabiles ornamento. Conqueritur ipsa natura quæ modico solet esse contenta, quod tegumenta eorum ei non sufficiant in hyeme, & officiant in æstate. Ostium eorum viatori patet, nec foris remanet peregrinus. In sudore vultus sui vescuntur pane suo, nec eos lascivire aut rixari faciunt otium & alienus cibus. Tanta in cibo parcimonia, ut duobus tantum pulmentis utantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus offert. Ipsi pisce tanto rarius utuntur, quanto frequentius apud eos audiri solet, quam videri. Terram disrumpunt voluntarii, & violenti diripiunt cœlum. Si numeres quot ab eis beneficia profluunt in populum, plura conferunt universitati, quam universitas ipsis. Prava sunt hæc, & quæ terrenus vel alliciant, vel occupent appetitus. In eis nec fœcunditati Liæ Rachel invidet, nec Rachel pulchritudinem Lia minuit, sed munit. Non murmurat Martha de silentio Mariæ, & mirum dictu! Maria sedens ad pedes Domini Martham solam ministrare non relinquit. Inter eos juge gaudium, communis exultatio, ubi nihil extra disciplinam, nihil contra. Mirantur omnes, delectantur his Angeli, fugiunt partes adversæ, quoniam Sancta illa Congregatio terribilis est ut castrorum acies ordinata. Illic bobus præfertur aratrum, nec a capite deorsum pendet Dominus, nec idiota docet Clericum, nec Laicus imperat Sacerdoti; ibi majores minoribus, prudentiores præsunt indoctis qui & vitæ sanctitate præeminent, & intelligentia Scripturarum. In Arca illa non est virga sine Moysis tabulis Testamenti, quia qui potestatem habet corripiendi, habet & scientiam corrigendi. Divina Officia cum tanta solemnitate & devotione celebrant, ut in eorum concentu voces Angelorum sonare putes; Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus ad laudes Dei invitant homines, & Angelos imitantur. Laicorum fabulis interesse non delectantur, & tanto remotius sunt ab eis, quanto Christo devotius famulantur. Extra Oratorium, aut operi manuum dant operam, ut semper eos Diabolus inveniat occupatos, aut legendo concipiunt, aut sanctis meditationibus cœlos penetrant, ut in Paradiso audiant illa arcana verba quæ non licet homini loqui. Regressi a Superis tantam oti suo ponunt custodiam, tantum ostium labiis suis, ut cultum justitiæ silentium ne articulatis quidem vocibus interrumpant. Non bini aut terni seorsum per angulos claustri fabulis vacant, qui nec inter se seria serere permittuntur. Tenent memoriter, Quoniam in multiloquio non effugient peccatum, & quasi naturæ bellum indicentes, modicum illud membrum, quod magna exaltat, non modica disciplina coercent.... Viri illi Evangelici & Angelici non sunt filii noctis, nec tenebrarum, quoniam sic lucet lux eorum coram hominibus, ut videntes opera eorum, glorificent Patrem suum qui in cœlis est. Spectaculum sunt & Angelis, & hominibus, ut ex eorum manifesta conversatione & Angeli congratulationis gaudium, & homines sumant imitationis exemplum. In illo Sancto Collegio de fermento Pharisæorum vel simulatio nihil penitus intermiscet. Intrat quilibet quaslibet eorum officinas, & singulorum officia certis distincta finibus attrectare manibus, oculis curiosis inspicere, æstimare animo, lingua dijudicare potest: Nec enim declinant humanum judicium qui solum timent divinum.

Edit. P. Du Monlinet.

Opus manuum.

Caritas.

Parcimonia in cibo.

Disciplina.

Officii Divini celebratio.

Occupationes sanctæ.

Silentium.

Conversatio in omnibus exemplaris, & virtus sine fuco.

De his legendus & *Willelmus Malmesburiensis* lib. 4. *De Gestis Regum Anglorum*, ubi ipsorum Instituta vivendique rationem describit, ac prædicat; subditque de *Beato Stephano*, tertio Cistercii Abbate: „Beatum se computat terræ illius indigena, quisquis per illius manum pecunias suas transmittit ad Deum. Plura quidem ille accepit, sed paucis in suorumque usus expensis, cætera in egenos, Monasteriorumque ædificationem confestim dispersit. Est enim Stephani marsupium, omnium egentium publicum ærarium. Abstinentiæ illius est indicium, quod nihil ibi, sicut in cæteris Cœnobiis videas fulgurare auro, renitere gemma, micare argento. Nam (ut Gentilis ait) *In sancto quid facit aurum?* Nos in sacratis vasis parum putamus actum nisi crassi crustam metalli obumbret honor lapidum, vel topaziorum flamma, vel ametistorum viola, vel smaragdorum lux herbida, nisi tunicæ Sacerdotales auro ludant, nisi multicoloribus parietes picturis reniteant, & solem ad lacunar solicitent. At vero illi, ea quæ prima mortales falso in secundis habentes omne studium in ordinandis moribus ponunt, magisque amant splendidas mentes, quam auratas vestes...... Quin etiam laudabilis Abbatis clementia, cum vel vult, velle se simulat aliquid de jugo Regulæ inflectere, illi contra nituntur; non multum vitæ suæ superesse dicentes, nec tamdiu se victuros quam vixere: sperare se duraturos in proposito, & successuris futuros exemplo, qui si flexi fuerint, peccabunt..... Sed ut omnia quæ de illis dicta sunt vel dici possunt, in unum conferam: Sunt hodie Monachi Cistellenses omnium Monachorum exercitium, studiosorum speculum, desidiosorum œstrum.

Abbatis marsupium, egentium ærarium.

Simplicitas in templorum ornamentis, & sacris vestibus.

Constantia in observantia Regulari.

De his *Petrus Blesensis* Epistola 82. ad Abbatem & Conventum Cisterciensem: *Inter universas*, inquit, *Ordinum varietates, quibus decorata est Sponsa Christi, nullus Ordo virtute flagrantior, nullus sancti nominis odore suavior est in Christo, quam vester ... Una omnium vox est, quia Cisterciensis Ordinis Professores tanto differentius præ cæteris triumphales sanctitatis titulos referent, quanto expressius Religionis Apostolicæ vestigiis inhæserunt; cum in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliis, in Confessionibus,* in

in disciplinis, in Psalmis, in humilitate, hospitalitate, obedientia, caritate, & cæteris, quibus fructus vitæ seminatur in terris, deprimatis carnem, spiritum erigatis. Et Epistola 86. ad Magistrum *Alexandrum* qui e Carthusiensi ad laxiorem Ordinem migrare decreverat: *Ferrem*, inquit, *patientius si ad Cisterciensis Ordinis observantiam te transferres. Si enim in proposito Religionem habes, ibi probatissima Religionis Schola est, summus ibi modestiæ usus, morum regularitas, fraternitatis affectio, pax animi, omnium communicatio, mutua obsequela, disciplinæ vigor, amor obedientiæ, vinculum caritatis, carnis servitus, hospitalitatis exhibitio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, quies meditationis, devotio psalmodiæ.*

Cisterciensem Ordinem pariter commendant *Anselmus* Havelburgensis Episcopus lib. I. Dialogorum pag. 113. Tom. 13. Spicilegii Dacheriani; & *Jacobus de Vitriaco* S. R. E. Cardinalis in Historia Occidentali Cap. XIV. ubi eorum Instituta & mores accurate exponit. Ab eorum verbis describendis studio brevitatis abstineo. Legatur & Diploma *Clementis IV.* quo *Charta Caritatis* explicatur, aliaque pro bono regimine ordinis Statuta promulgantur. Extat Tom. I. Bullarii Romani. Incipit his verbis: *Parvus fons qui crevit in fluvium, & in lucem, solemque conversus, in aquas plurimas redundavit Cisterciensis est Ordo prælucidus.*

Ordo Fontis Ebraldi, *vulgo* De Fontevraud.

VIII. Ordo sacer *Fontis Ebraldi* anno centesimo supra millesimum a Venerabili *Roberto de Arbrisello* fundatus est, in sylva quæ Monasteria principi totique Ordini nomen dedit. Regulam a religiosissimo parente fœminis virisque traditam, *Paschalis II.* & *Callistus II.* Pontifices Maximi confirmarunt. Abbatissa Fontis Ebraldi, totius Ordinis Mater est, caput, & Antistita, cum Sanctimonialium, tum Monachorum. Ita nempe statuit Venerabilis *Robertus de Arbrisello*, virosque Ancillarum Christi obsequiis ac regimini singulari voto devinxit, Ordine super verbis Christi in cruce pendentis fundato, dum Matri dicebat, *Mulier ecce Filius tuus*: Discipolo vero: *Ecce Mater tua*: Ex qua hora *Accepit eam Discipulus in suam*. Nec vero rem prorsus novam tentavit *Beatus Robertus de Arbrisello*, cum Sanctimonialium obsequiis ac Imperio Monachos addixit.

Rem novam non tentavit Robertus de Arbrisello, cum viros obsequiis Ancillarum Christi addixit ac voto adstrinxit.

Id enim de Streaneshalensi *Hilda* Abbatissæ Monasterio *Beda Venerabilis* commemorat lib. IV. *Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum*, cap. XXIII. eamque laudat, quod *tantum lectioni Divinarum Scripturarum suos vacare subditas, tantum operibus justitiæ se exercere faciebat, ut facillime viderentur ibidem, qui Ecclesiasticum gradum, hoc est, Altaris Officium apte subirent, plurimi posse reperiri.* Et quinque *ex eodem Monasterio Episcopos, omnes singularis meriti ac sanctitatis viros* suis temporibus assumptos testatur. Idem in Monasterio *Sanctæ Crucis* in Urbe Pictavensi a Beata *Radegunde* condito servatum est, ut docet Capitulare *Ludovici Pii* de Regio illo Parthenone, Articulo VII. quo statutum est, *Ut omnino provideatur, ne Clericorum numerus plusquam triginta augeatur: & ipsi per omnia ad dictam Congregationem Sanctæ Crucis honeste & perfecte obedientes sint atque subjecti.*

Ordo Sancti Joannis Hierosolymitani.

IX. Duodecimo Sæculo instituti sunt Ordines Equestres, Regno Hierosolymitano per *Godefridum Bullonium* restituto. Inter hos celeberrimi fuere Hospitalarii S. Joannis Hierosolymitani, Milites Templi, Ordo Sanctæ Mariæ Teutonicorum, & Ordo de Calatrava. Hospitale *Sancti Joannis* initium habuit cum adhuc sub Saracenorum dominio Civitas Sancta captiva teneretur. Princeps enim Ægyptius, qui regiones universas a Laodicea Syriæ ad extremam usque Ægypti civitatem Alexandriam possidebat, quartam Civitatis Hierosolymitanæ portionem, juxta Dominicum Sepulchrum, Surianis & eorum Patriarchæ, sub conditione annui tributi ad habitandum concesserat: regiones urbis reliquas incolebant Saraceni. Ex Occidente frequentes ad Terram Sanctam Christiani conveniebant: pars negociationis, pars devotionis causa. Longobardorum, & maxime Amalphitanorum Mercatorum major erat concursus. Hi principem Ægypti tributis ac muneribus cum sibi devinxissent, ab eo facile impetrarunt, ut in honorem *B. Mariæ* prope Ecclesiam Dominici Sepulchri alteram construerent, Divinis Officiis Latinorum Ritu celebrandis consecrandam. Ædes sacra, mox ut perfecta est, Abbati & Monachis Latinis tradita fuit, ipsique *Sanctæ Mariæ de Latina* nomen impositum. Postea, peregrinis mulieribus excipiendis aliud Monasterium in honorem *Beatæ Mariæ Magdalenæ* conditum est, in quo Sanctimoniales Hospitalariæ constitutæ. Demum peregrinorum ad Loca Sancta confluentium crescente numero, Abbas & Monachi *Sanctæ Mariæ de Latina* infirmis & egenis suscipiendis Hospitale & Capellam in honorem *Sancti Joannis Eleemosynarii* condidere, nullis tunc redditibus ac possessionibus locupletes; unde fragmenta dumtaxat quædam & reliquias mensarum utriusque Monasterii, ac obventitias Fidelium eleemosynas pauperibus & infirmis distribuebant.

Ordo Sancti Joannis Hierosolymitanus, Hospitalis primum, deinde Equestris.

Postquam vero Hierosolymitanam Civitatem Ducis *Godefridi*, aliorumque Fidelium armis a Saracenorum tyrannide liberatam, Christiano cultui penitus restitui Deus voluit, *Gerardus* quidam vir nobilis & vitæ sanctimonia insignis, qui in *Sancti Joannis* Hospitali pauperibus & infirmis sub Abbatis *de Latina* directione ministraverat, adjunctis sibi nonnullis honestis, religiosisque viris, habitum Regularem suscepit, ac vestibus suis alba cruce exterius insignitis, Redemptionis nostræ signum in pectore palam præferens, Regulæ salutari, piisque Institutis professione solemni se obstrinxit. Sanctum propositum æmulata est *Agnes* nobilis & religiosa fœmina. Hi devote Domino servientes, & infirmis pauperibus de paupertate sua diligenter ministrantes, in agro qui vocatur *Haceldama* mortuos sepeliebant. Abbati *Sanctæ Mariæ de Latina* Hospitalis Conditori atque Directori parebant: multo magis Patriarchæ Hierosolymitano, cui *de Bonis suis decimas, secundum sacros* Canones, *& utriusque Testamenti præcepta, absque contradictione, reddebant. Orationi autem vacantes, vigiliis & jejuniis seipsos affligentes, operibus misericordiæ affluentes, parci sibi & austeri; pauperibus autem & infirmis, quos Dominos suos appellabant, largi & misericordes existebant. Panes de pura simula largiebantur infirmis, residuum vero cum furfure ad usus proprios reservabant. Si quis autem inter ipsos in aliquo delinquebat, nullo modo relinquebatur impunitum, ne facilitas veniæ præberet incentivum delinquendi*, &c. Progressu temporis Milites cum Servientibus in suum Collegium admisere ad Terræ Sanctæ defensionem contra Saracenos, ac demum Ordo Hospitalis totus in Equestrem mutatus est. (Hi olim Rhodii, nunc Melitenses Equites.) Ista constant ex Jacobo Cardinali de Vitriaco, Historiæ Hierosolymitanæ, Cap. LXIV. De eorum instituto ac rebus gestis, legi possunt editi libri a *Pantaleone*, *Bossio*, *Boissato*, &c.

Ordo Militum Templi.

X. Ipsis vero in militiæ Religiosæ professione præivere Templarii, anno Domini 1118. qui ad pedes Hierosolymitani Patriarchæ se adstrinxerunt ad viarum publicarum custodiam, & peregrinorum defensionem contra prædones & sicarios. Initium Ordini dedere viri nobiles *Hugo de Paganis*, & *Gaufridus de sancto Aldemaro*, septem cum sociis. Quibus Rex Hierosolymorum *Balduinus II.* partem palatii sui juxta Templum Domini concessit ad tempus habitandum; Abbas autem & Canonici Templi Domini plateam quam juxta Regis palatium habebant, eisdem ad construendas officinas tradiderunt. Inde *Fratres militiæ Templi* sunt appellati. Novus Ordo in Concilio Trecensi anno 1128. celebrato confirmatus est, ipsisque tradita regula, & vestes candidæ præscriptæ, quibus *Eugenius III.* postea rubeam Crucem attexi curavit. Præfuit Concilio *Matthæus* Cardinalis Episcopus Albanensis, Remensis & Senonensis Archiepiscopi cum suffraganeis suis, *Stephanus* Cisterciensis, & *Sanctus Bernardus* Clarevallensis, Abbates adfuere. Hæc discimus ex *Joanne Michaelensi* Concilii Scriba, ex *Willelmo Tyrio* lib. 12. & ex Cardinali *Jacobo de Vitriaco*, Historiæ Hierosolymitanæ, cap. 65.

Regula Templariorum in Collectionibus Conciliorum edita, post Concilium Trecense interpolata videtur.

Quæ in collectionibus Conciliorum edita est *Regula pauperum Commilitonum Templi*, interpolata videtur quibusdam additamentis post Synodi Trecensis tempora: nam Capite 21. *In Domo Dei ac suorum militum Templi, sine discretione ac consilio communis*

Ca-

Capituli quædam succrevisse dicuntur, *penitus amputanda*: nempe quod *olim famuli & armigeri alba vestimenta haberent*. Quæ solis militibus cap. 22. conceduntur. Id vero repugnat *Willelmo Tyrio*, & *Jacobo de Vitriaco*, asserentibus milites Templi usque ad Concilium Trecense fuisse in habitu sæculari, talibus utentes vestibus, quales pro remedio animarum suarum populus largiebatur: & illo in Concilio præscriptam ipsis esse Regulam, & vestes albas. Quomodo itaque armigeri & famuli ipsi ante Concilium albis vestibus promiscue usi dici possunt? Ex eodem cap. 25. colligitur militum Templi numerum magnopere jam auctum fuisse ac propagatum. *Surrexerunt namque*, inquit, *in Ultramontanis partibus quidam Pseudofratres, conjugati, & alii dicentes se esse de Templo, cum sint de mundo*. Hæc autem Concilii Trecensis temporibus non conveniunt; cum ante illius celebrationem novem duntaxat milites novo ordini nomen dedissent. *Albericus* in Chronico, ad annum 1153. ex *Guidone Catalaunensi* asserit, *S. Augustini* regulam Templariis a Patribus Concilii Trecensis fuisse impositam, sed fallitur: Ipsis namque in Concilio Trecensi *institutam esse regulam de mandato Domini Honorii Papæ, & Domini Stephani Patriarchæ Hierosolymitani*, asserit *Willelmus Tyrius* suppar Author. Quæ verba, novam ipsis compositam ac præscriptam regulam, non aliquam ex Veterum Patrum regulis traditam significant. Idem colligitur ex præfatione Concilii Trecensis: *Placuit itaque Concilio, ut consilium ibi lima & consideratione Divinarum scripturarum diligenter examinatum, tamen cum providentia Papæ Romanorum, ac patriarchæ Jerosolymorum necnon etiam assensu Capituli pauperum Commilitonum Templi, quod est in Jerusalem, scripto commendaretur, & inamovabiliter servaretur*, &c.

De religiosa Templariorum conversatione legendus *S. Bernardus* in *exhortatione ad milites Templi*, cap. 4. Eumdem Ordinem commendat *Anselmus* Havelburgensis Episcopus, lib. I. dialogorum, pag. 113. Tomo. 13. *Spicilegii Dacheriani*.

Ordo Beatæ Mariæ Teutonicorum.

XI. Ordinis Templariorum fœtus est *Ordo Beatæ Mariæ Teutonicorum*, Hospitalis simul & Equestris, sub eadem Regula militans, hoc tantum discrimine, quod isti Cruces nigras albis chlamydibus intextas haberent. Teutonicorum dicitur, quod a Teutonicis inchoatus, pro susceptione pauperum peregrinorum & infirmorum ex Teutonica gente, sive ex Germania, fundatus fuerit: & nobiles Germani illi Xenodochio & militiæ solemni voto se obstrinxerint. Dicitur autem *Beatæ Mariæ*, quia sub Deiparæ Virginis patrocinio institutus est, & oratorium ab ipsis juxta Xenodochium erectum & Deo consecratum in honorem ejusdem cœlorum Reginæ. Ita constant ex *Jacobo de Vitriaco*, Historiæ Hierosolymitanæ, cap. 66. Quod ita concludit: *Et quoniam usque ad tempora præsentia in humilitate paupertatis & fervore religionis permanserunt, avertat Dominus ab eis superbas, avaras, litigiosas, & solicitudine anxias, & religioni inimicas divitias*.

Ordo Calatravæ.

XII. Sequens *Calatravæ* militiam in Hispania instituit *B. Raimundus* Abbas *Fiterii*, quod Cisterciensis Ordinis celebre monasterium est in Navarra. Ordini condendo Calatravæ arcis discrimen occasionem dedit. Hanc Mauris ereptam *Alphonsus VII.* Rex Hispaniæ Templariis concessit militibus, ut arcis instar esset ad barbarorum incursus arcendus; ut *Rodericus* lib. VII. De rebus Hispaniæ, cap. IV. & *Mariana* lib. X. cap. XIV. testantur. Ab iis, metu Saracenorum quorum propulsandis incursibus impares se existimabant, *Sancio III.* Castellæ Regis *Alfonsi* filio reddita. Quam ille *Raimundo Fiterii* Abbati, *Didaco* & *Velasqui* monacho, viro bellicæ fortitudinis gloria quondam celebri dedit. Hi ope *Joannis* Archiepiscopi Toletani, & civium, collecto exercitu, Saracenos repressere, quibus impugnandis *B. Raymundus* militarem ordinem Cisterciensis instituti condidit, anno millesimo centesimo quinquagesimo-nono, ut docet Kalendarium Cisterciense, ad diem 15. Januarii; aut certe anno præcedenti, ut *Bollandus* probat in Commentario historico de *Beato Raimundo Fiterii* Abbate ad diem 1. Februarii. Obiit *B. Raimundus* Kalendis Februarii anno millesimo centesimo sexagesimo-tertio. Ejus Reliquiæ ad montem Sion, quod Cœnobium est Ordinis Cisterciensis, non procul Toleto, translatæ sunt. Ordinem Calatravæ laudat *Rodericus Ximenius* Raimundo & Didaco Velasqui suppar Author, lib. VII. cap. XXVII. *Suscepit*, inquit, *militiam contemplatio, & egressus fratrum a Fiterio. Rex Aldefonsus educavit eos, & possessionibus pluribus ditavit eos: Zuritam, & Almocharam, Machedam, Aceeham, & Cuculatum obtulit eis, & subsidiis sarcinam paupertatis, & superaddidit divitias competentes. Multiplicatio eorum corona Principis: Qui laudabant in Psalmis, accincti sunt ense, & qui gemebant orantes ad defensionem Patriæ; victus tenuis pastus eorum, & asperitas lanæ tegumentum eorum: Disciplina assidua probat eos, & cultus silentii comitatur eos, frequens genuflexio humiliat eos, & nocturna vigilia macerat eos, devota oratio erudit illos, & continuus labor exercet eos: Alter alterius observat semitas, & frater fratrem ad disciplinam*. Eumdem ordinem commendant Cardinalis *Jacobus de Vitriaco* historiæ Occidentalis, cap. XVII. Mariana lib. XI. cap. VI. *Chrysostomus Henriquez* in fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis, *Angelus Manrique* in Annalibus. Ordinem Calatravæ *Alexander III.* Pontifex Maximus confirmavit. De his Ordinibus legendi *Aubertus Miræus*, & *P. Labbè* S. J. in Originibus Ordinum Equestrium.

Ordo Sancti Antonii.

XII. Ordinem *Sancti Antonii* Viennensis pene prætermisi, quod undecimo, & duodecimo Sæculo, nondum inter Clericos Regulares, aut Monachos censerentur, sed pia duntaxat societas esset, ac veluti Confraternitas sæcularis ad exercendas caritatis actiones instituta. Ipsi initium dedere *Gasto* e Viennensi Provincia vir nobilis, & *Girinus* seu *Girondus* ejus filius, qui a morbo gravissimo *Sancti Antonii* ope liberati votum serviendi perpetuo *Sancto Antonio* nuncuparant. Is *Gastoni* conspicuum se præbens, votum laudavit, Deoque acceptum esse renuntiavit; jussit ut ægris, qui sacro igne consumpti ac mutilati in perpetua calamitate vivebant, ministraret. Cœlesti viso, & baculi ad figuram signi Tau efformati, mox ut humi defixus est efflorescentis miraculo in spem erectus *Gasto*, cum filio, & sex aliis viris nobilibus ac piis, Antonianam Congregationem instituit, ad Oppidum *Sancti Antonii* quod olim *Mota* vocabatur, anno millesimo nonagesimo-quinto. Signum Tau vestibus suis attexuerunt pii Confratres cum in miraculi memoriam, tum ut se baculum ac sustentaculum ægrorum & sacro igne mutilatorum esse velle hoc signo profiterentur. Domus Eleemosynariæ *Sancti Antonii* primus Præceptor *Gasto* e vita migravit anno millesimo centesimo vigesimo. Pia Societas in religiosum Ordinem non evasit ante annum millesimum ducentesimum decimum-octavum quo *Falco* Domus Eleemosynariæ *Sancti Antonii Viennensis** Præceptor septimus ab *Honorio III.* Pontifice Maximo obtinuit pro se suisque trium votorum emittendorum potestatem. Denique *Bonifacius VIII.* Domum *Sancti Antonii* a subjectione Abbatiæ Montis majoris Ordinis Benedictini, cui hactenus obnoxia fuerat, absolutam, anno millesimo ducentesimo nonagesimo-septimo in Abbatiam erexit, Aymonem Præceptorem XVII. Abbatem renuntiavit Generalem & Ordinis caput, eique subjecit omnia per universum orbem Xenodochia Laicæ administrationis quæ a ducentis & amplius annis sub *Sancti Antonii* patrocinio constructa fuerant. Fratres autem Hospitalis, seu Domus Eleemosynariæ, & omnium membrorum ejusdem, secundum Regulam *Sancti Augustini* deinceps vivere, & Fratres seu Canonicos Monasterii *Sancti Antonii* nuncupari jussit, servato signo Tau seu Cruce cœrulea, quam vestibus intextam semper gererent. Ista constant ex *Aymaro Falcone* Baroducanæ Domus *Sancti Antonii* Præceptore, in Historia Antoniani Ordinis.

* S. Antoin le Viennois.

Pueri a Parentibus vitæ Religiosæ consecrati & Monasteriis oblati.

XIII. Pueros a parentibus offerri Monasteriis, ac vitæ Religiosæ dedicari, mos erat XI. & XII. Sæculo adhuc in Ecclesia receptus, quamvis minus probatus fuerit viris quibusdam religiosissimis, scilicet *Udalrico* in Prologo ad Consuetudines Cluniacenses, *Willelmum* Hirsaugiensem Abbatem laudanti quod pueros, per quos Monastica Disciplina detrimentum non leve passa erat, a Monasterio suo exclusisset: *Beata*

to *Petro Damiani*, Cassinenses ob simile Decretum commendanti Opusculo VI. cap. XVI. *Guiberto* Abbati Novigentino lib. I. *De Vita sua*, cap. VIII. *Guigoni* Carthusiæ Priori Generali V. & *Petro Venerabili* Abbati Cluniacensi, qui similia Statuta ediderunt. Quatuor Formulas oblationis puerorum Monasteriis a parentibus factæ edidit vir de Sacris literis bene meritus Dom. *Joannes Mabillonius* Tom. III. *Veterum Analectorum*. Secunda quæ est *Ademari* & *Garsindis* uxoris offerentium *Geraldum* filium suum Sancto *Willelmo Gellonensi*, facta est anno 1088. regnante *Philippo* Rege Francorum. Ea autem lege illum offerunt, ut si ante viriles annos mortuus fuerit, *pro hoc ipsa donatione alius filius loco illius subrogetur, & sic unus succedat alteri, donec aliquis Missam cantet ex his sub Monachali habitu dicto loco serviens*. Tertia quæ est *Petri* pueri, a *Dino de Andora* & *Stephana* uxore Monasterio Conchensi facta est an. 1110. regnante *Ludovico* Francorum Rege. Quarta quæ est Gerardi pueri in Monasterio Canonicorum Regularium facta est anno 1113. *Lanfrancus* in Decretis pro Ordine *Sancti Benedicti*, cap. XVII. ritum offerendi pueros sic præscribit: *Offerendus puer, facta sibi prius corona, manibus portans Hostiam, & Calicem cum vino, sicut mos est, post Evangelium Sacerdoti, qui Missam celebrat, a parentibus offeratur. Qua oblatione a Sacerdote suscepta, involvant prædicti parentes manus pueri in palla, qua Altare coopertum est, & cujus pars anterius pendet, & tunc suscipiat eum Abbas. Quo facto, præfati parentes coram Deo & Sanctis ejus statim promittant quod per se, aut a se suppositam personam susceptum Ordinem puer nunquam relinquat; neque se ei aliquid scientes daturos, unde puer, quod absit, perire possit. Hanc promissionem prius scriptam coram testibus verbis ibi prius edicant, & postea super Altare ponant.*

Ritus oblationis puerorum.

Idem constat ex *Sancto Bernardo* Epistola I. ad *Robertum* Nepotem suum, qui a Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat: & cujus receptionem duabus rationibus excusabant isti; quod nimirum Cluniaco fuisset a parentibus oblatus, & quod licentiam ad suum Ordinem transeundi a Romano Pontifice obtinuisset. Contra quos Sanctus Abbas ita scribit: *Videat Legislator noster Benedictus, quid regularius fuerit, utrum quod factum est de infantulo nesciente ipso, an quod ipse per se postmodum prudens & sciens fecit, cum jam ætatem haberet ut de se loqueretur. Quamquam dubium non sit promissum illum fuisse, non donatum. Nec enim petitio quam Regula præcipit, pro eo facta fuit a parentibus: nec manus illius cum ipsa petitione involuta palla Altaris ut sic offerretur coram testibus*, &c. Legatus & Epist. CCCXXIV. ad *Leonium S. Bertini* Abbatem.

Idem confirmat *Alexander III.* Pontifex maximus, cap. *Significatum*, Tit. *De Regularibus*, Lib. III. Decretalium. *Mandamus*, inquit, *quatenus si inveneris quod G. non fuisset a parentibus oblatus & infra decimum-quartum annum facti voti pœnitens a Religione recesserit: ab illo voto Professionis quod fecit, denuncies absolutum. Si autem a parentibus fuerit oblatus, seu decimum-quartum annum compleverit, cum Religionem intravit, seu post decimum-quartum annum Professionem a se prius factam ratam habuerit; cum ad eamdem, vel ad aliam Religionem transire compellas.* Ita & Clemens *III.* cap. *Cum virum*, eodem Titulo. *Utrum*, inquit, *ea quæ infra discretionis annos a parentibus Monasterio tradita, habitum Religionis induens, benedictionem accepit, & exiens postmodum se cuidam Militi copulavit ad Monasterium redire cogatur: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod cum juxta Concilii Toletani censuram, Monachum aut paterna devotio, aut propria professio faciat: quidquid horum fuerit alligatum, tenebit, revertendi ad sæculum aditu penitus interdicto. ...... Nec obloquitur, quod de Prædecessoris nostri Leonis Papæ Constitutione per contrarium sensum sumitur: Ut puellæ, quæ coactæ parentum imperio virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deserere: cum de ea recte possit intelligi, quæ in ætate nubili noscitur constituta: tunc enim quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem.*

Pueri a parentibus oblati, redire ad sæculum non poterant.

S. Leo epist. ad Narbonensem.

Hanc Disciplinam immutavit *Cœlestinus III.* Cap. *Cum simus*, ibidem, statuens ut, si pater se cum bonis suis, & filio impubere obtulit Monasterio, filius major factus ad sæculum redire, & patrimonium a Monachis repetere possit. *Discretioni tuæ*, inquit, *taliter respondemus, quod si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem: si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, & bona paterna quæ sibi ex successione proveniunt, postulare.*

Disciplina immutata a Cælestino III.

XIV. Monachos ad Professionem admissos non fuisse ante annum decimum-quartum ætatis completum probant *Alexandri III.* Decreta in Appendice Concilii Lateranensis III. Parte XX. Cap. I. & Parte L. Cap. X. & Cap. *Ad nostram*, Tit. *De Regularibus*, Lib. III. Decretalium. *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis inter suæ Congregationis Statuta istud recenset, *Ut nullus etiam ex concessione futurus Monachus Regularibus usque ad XX. annos vestibus induatur.* Causam subdit, quod nimirum puerorum receptio totam pene disciplinam Regularem pessumdasset. *Causa Instituti hujus fuit, immatura nimisque celer infantium susceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere possent, sacris Religionis vestibus induebantur, & admixti aliis puerilibus ineptiis omnes perturbabant.*

Monastica Professionis ætas.

XV. Diuturnam Religiosæ vestis gestationem vim habere Professionis, ac proinde fœminam quæ diu Sanctimonialium habitu in Monasterio induta fuerat, illoque abjecto, redierat ad sæculum, voti ream teneri, etsi Professionem solitam non legisset, nec ab Episcopo fuisset consecrata, docet S. Anselmus Epistola CLVII. Libri III. ad quamdam Dominam scripta. *Quamvis*, inquit, *ab Episcopo sacrata non fueris, nec coram ipso Professionem legeris: hoc solum tamen est manifesta, & quæ negari non potest Professio; quia publice & secrete habitum sancti propositi portasti: per quod omnibus te videntibus Deo dicatam te esse, non minus quam Professionem legendo affirmasti. Nam antequam fieret ista nunc usitata Monachici Propositi Professio & Sacratio; multa millia utriusque sexus hominum, solo habitu se ipsius esse propositi profitentia celsitudinem & coronam consecuta sunt. Et qui tunc habitum sine sacratione ipsa & professione assumptum rejiciebant, Apostatæ judicabantur. Inexcusabilis ergo es, si deseris sanctum Propositum, quod diu habitu & conversatione professa es, quamvis Professionem nunc usitatam non legeris, & ab Episcopo consecrata non fueris.*

Diuturna Religiosæ vestis gestatio vim habebat professionis.

XVI. Pretium pro ingressu Monasterii, seu pro receptione ad Religiosam Professionem exigere, simoniæ damnavit Ecclesia undecimo & duodecimo Sæculo. Id constat ex Concilio Melphitano, quod anno 1089. celebratum est Canone VII. & ex Concilio Romano anni 1099. Canone XVII. ex Londinensi anni 1127. Canone III. ex Turonensi anni 1163. Canone VI. ex Londinensi anni 1175. Canone VIII. ex Lateranensi III. Œcumenico, Canone X. ex *Goffrido* Vindocinensi Abbate, Epistola XLIX. ad *Herveum Inclusum* scribente: *Quoscumque honesta vita Clericos inveneritis, nobis transmittere non differatis. Plus itaque in hominibus diligimus honestam paupertatem, quam superbas eorum divitias; quas si habuerint, respuendæ non sunt: habeat eum & illa locum suum. Nihil tamen pro faciendis Monachis quærimus, sed si quid oblatum fuerit, quia illud Regula suscipi jubet, suscipimus. Ordo siquidem noster exigit ut tales simus qui non lucris temporalibus, sed lucrandis animabus operam demus.*

Pretium pro ingressu in Monasterium, aut professione Religiosa recipi nefas.

De hoc Disciplinæ capite accurate scripsit *Petrus* Cantor Parisiensis in *Verbo Abbreviato*, Cap. XXXVIII. *Sit*, inquit, *quod aliquis accedens ad Monasterium, vel ad Ecclesiam, dicat: Offero me & mea Ecclesiæ huic vel Monasterio ad serviendum in eo perpetuo, si sine distinctione recipitur, sanus erit ingressus ejus. Si autem plura quam oblata ab eo exigantur; vel si distinguatur inter sua & illum, ut sua scilicet sint causa cur recipiatur, vitiosus erit ingressus. Si autem inter sua & illum distinguatur, ut scilicet ille sit causa, cur sua cum ipso recipiantur, sanus & licitus erit ingressus. Si autem Monasterium eguerit, ita quod offerentem se illi sine pecunia recipere non possit, vel sustentare, spiritualem fraternitatem ei concedat, non corporalem: vel in exceptionem paupertatis suæ, & sustentationem vitæ illius exigere potest ab eo, ut eum recipiat, &*

tem-

temporales redditus, quibus tantum substentetur, dum vixerit. Quod si perpetuos exegerit, jam manifesta cupiditas vitiosum facit ingressum. Ex his autem liquet, non debere construi Monasterium sine certo numero agrorum, pecorum, & personarum.

Monasteriorum & Monachorum Immunitates.

XVII. Immunitates & Privilegia Monasteriis concessa sunt a Romanis Pontificibus undecimo & duodecimo Sæculo, quibus ab Episcoporum jurisdictione absolvebantur. Jus tamen Ordinationis Episcopis ita servatum est, ut absque ipsius licentia Monachi ab alio Episcopo non possent in ejus Diœcesi ordinari. Id constat ex Actis Concilii Ansani* celebrati anno millesimo vigesimoquinto, in quo prolatum est Privilegium Cluniacensis Monasterii a *S. Odilone* Abbate, & nihilominus ab Archiepiscopis & Episcopis judicatum est, non licuisse Archiepiscopo Viennensi Monachos Cluniaci ordinare sine licentia Episcopi Matisconensis. *Surgens itaque Domnus Odilo cum suis Monachis ostendit Privilegium quod habebant a Romana Ecclesia, quod eis talem libertatem tribuebat, ut nulli in cujus territorio degebant, nec alicui aliquatenus subjacerent Episcopo: sed quemcumque vellent, vel de qualibet regione adducerent Episcopum qui faceret Ordines vel Consecrationes in eorum Monasterio. Relegentes ergo S. Chalcedonensis & plurimorum Authenticorum Conciliorum sententias, quibus præcipitur, qualiter per unamquamque regionem Abbates & Monachi propriæ subesse debeant Episcopo, & ne Episcopus in Parochia alterius audeat Ordinationes vel Consecrationes, absque licentia ipsius Episcopi facere; decreverunt Chartam non esse ratam, quæ Canonicis non solum non concordaret, sed etiam contrairet Sententiis.*

* *Ansa, vulgo Anse, non longe a Lugduno.*

Jurisdictio Ecclesiastica & Civilis in tota Insula Glastoniensi Abbati & Conventui concessa.

Kanutus Rex Anglorum & Danorum Glastoniensi Monasterio Immunitatem amplissimam confirmavit, insuper & Jurisdictionem Ecclesiasticam & Civilem in tota Insula Abbati & Conventui asseruit, cæteris Potestatibus exclusis, *Cum consilio & Decreto Archipræsulis Edelnothi, simulque cunctorum Dei Sacerdotum, & consensu Optimatum.* Verba Privilegii adscribo: *Verum,* inquit, *illud præcipue ex omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti Authoritate perpetuæ Virginis interdictione prohibeo, & universis Regni mei Præpositis & Primatibus super salutem suam præcipio, ut nullus omnino illam Insulam intrare audeat cujuscumque ordinis aut dignitatis sint: sed omnia tam in Ecclesiasticis quam in sæcularibus causis tantummodo Abbatis judicium Conventus expectent: sicuti Prædecessores mei sanxerunt, & Privilegiis confirmaverunt.* Datum est privilegium istud anno Christi 1032. & refertur a *Willelmo* Malmesburiensi lib. II. *De Gestis Regum Anglorum* pag. 75.

Leo Nonus Corbejensis Abbatiæ immunitatem confirmavit habita ratione consensus quem olim huic immunitati præbuerant Episcopi Ambianenses, Remenses Archiepiscopi, aliique Præsules Gallicani. *Sicut ipsi Monasterio jamdudum, concessum cognovimus, & collaudatum ab Episcopis Ambianensibus, & Archiepiscopis Remensibus, cæterisque Episcopis Galliarum, prohibentes ne quis unquam Ambianensis Episcopus potestatem habeat ipse, vel Oeconomus, vel Archipresbyter, vel Archidiaconus ejus, accedendi ad vestrum Monasterium, ejusque cellas, nisi forte vel necessitate vel dilectione ab Abbate Monasterii fuerit vocatus: ea tamen ratione, ut nec in Ecclesiis eidem Monasterio subjectis, vel in earum Ecclesiarum Clericis, molestationem vel perturbationem agere audeat vel novam consuetudinem Abbati vel Fratribus statuat, disponens aliquid contra voluntatem eorum. Qui tamen Monachorum, vel Canonicorum, & quas Abbas cum Fratribus petierit, Ordinationes differre non debebit; similiter Altarium & Basilicarum consecrationem, tum in ipso Monasterio, quam in possessionibus ejusdem; Chrisma quoque & oleum consecratum singulis annis, nec aliquod propterea munus exposcere.* (Epistola XVI.)

Nicolaus II. Westmonasterium, rogante *S. Eduardo* Angliæ Rege, ab Episcopi Jurisdictione exemit. *Nulli omnino personæ* (inquit) *nisi Regi subdantur: habeantque potestatem secundum Regulam S. Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates. Absolvimus etiam eum locum ab omni servitio & dominatione Episcopali, ut nullus Episcopus illic introeat ordinaturus aut præcepturus aliquid nisi ex petitione & consensu Abbatis & Monachorum.*

Vindocinensis Abbatia Sedi Apostolicæ immediate subjecta.

Alexander II. Vindocinensis Abbatiæ immunitatem amplissimam, qua uni Sedi Apostolicæ subest, confirmavit Epistola XL. voluntatis Fundatorum, & consensus Carnotensis Episcopi, qui a *Clemente II.* Privilegium istud postulaverat, habita ratione. *Hoc itaque Monasterium studio bonæ voluntatis fundatum, & juri Beati Petri contraditum, juxta Fundatorum institutionem, & tuæ Religionis petitionem, Carissime Fili Abba Odrice, ita Apostolica Authoritate munimus quatenus inter primæ & Apostolicæ Sedis Pontificem, & Vindocinensis Monasterii Abbatem, nulla cujuscumque dignitatis vel ordinis persona sit, media habeatur ...... Neque illud omittendum est, quod Theodoricus Sanctæ Mariæ Carnotensis Ecclesiæ Episcopus, in cujus Diœcesi prædictus Vindocinensis locus situs noscitur, Clementi Papæ Epistolam suam transmiserit, rogans eum quatenus hic locus consilio ejus & voluntate Beato Petro oblatus tali per eum corroboraretur authoritate: ut neque illi neque successoribus suis hujus loci rebus vim vel calumniam inferre, sive de his quidquam subtrahere; vel pro qualicumque causa excommunicare, sive interdicere seu quamlibet potestatem aut dominationem in ipso loco exercere liceret vel qualibet occasione Rectorem loci, vel Fratres molestare præsumeret. Quod benigne Clemens Papa annuit, & sua authoritate firmavit. Et nos nostra authoritate dignum annuere censemus: & perpetuo anathemate prædicti Episcopi damnamus Successorem, his præceptionibus refragantem.*

Cur Immunitas ab Episcopali Jurisdictione pluribus Monasteriis concessa?

Immunitatem ab Episcopali Jurisdictione multis Monasteriis concessam, quia Episcopi, authoritate sua abusi, Monachos, & Sanctimoniales infestabant, *Gregorius VII.* testatur Epistola 69. Libri II. ad *Cunibertum* Episcopum Taurinensem data, qui Monachis Abbatiæ *Sancti Michaelis* molestus erat. *An ignoras,* inquit, *quod sancti Patres plerumque & Religiosa Monasteria de subjectione Episcoporum, & Episcopatus de Parochia Metropolitanæ Sedis, propter infestationem Præsidentium diviserunt, & perpetua libertate donantes, Apostolicæ Sedi, velut principalia capiti suo membra adhærere sanxerunt? Percurre Sanctorum Patrum Privilegia, & invenies ipsis etiam Archiepiscopis Officium, nisi ab Abbate vocatis, in plerisque Cœnobiis facere prohibitum esse, ne forte Monastica quies sæcularium personarum frequentia & conversatione turbaretur. Hoc itaque ne & nos illorum authoritate & exemplo de præfato Sancti Michaelis Monasterio facere cogamur, nec vel tu, dum immoderata quæris, ea quæ ex æquo tibi attinere videbantur, juste amittas, Apostolica te Authoritate monemus atque præcipimus, &c. Si deinceps Monasterio infestationes aliquas inferre pertentaveris, Nos divina & Apostolica fulti Authoritate, ut Monasterium illud cum omnibus suis pertinentiis in perpetua libertate consistat, ut nullius Magisterio vel Judicio post Deum nisi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, subditum, in proposito sanctæ Religionis sine laceratione Deo servire valeat, Deo adjuvante, procurabimus.*

Urbanus II. Cavense Cœnobium *ab omni tam sæcularis, quam Ecclesiasticæ personæ jugo, liberum esse* decrevit Epistola X. & tam ipsum, quam Ecclesias ab eo pendentes in Salernitana Diœcesi *ab omni jure & Jurisdictione Episcopali exemptas* declaravit *de plenitudine potestatis, & gratia speciali.* Concessit etiam Abbati ut cum Monachos vel Clericos sæculares sibi subditos ad sacros Ordines vellet promoveri, ad eorum Ordinationem Catholicum quemvis Episcopum vocare posset, sed in aliis Diœcesibus, requisito duntaxat primitus Diœcesano.

Cœnobii Vezeliacensis immunitas.

Paschalis II. Cœnobium Vezeliacense Libertate donavit, Epistola LI. Abbatibus Cluniacensibus vices Apostolicas in eo concessit: Monachorum & Clericorum Ordinationes ab Episcopo Diœcesano fieri jussit Vezeliaci, aut alibi ab Episcopis locorum, si gratiam Romanæ Sedis habuerint, & gratis dare voluerint: ut Episcopo, nisi ab ipsius Monasterii Abbate invitatus fuerit, stationes agere publicas, aut privatas Missas celebrare in eodem Monasterio non liceat: Ut post mortem Abbatis, nullus vi aut subreptione intrudatur; sed quem Fratres communi consensu, vel pars Fratrum sanioris consilii, secundum Regulam *B. Benedicti* elegerint, &c.

Cistercienses Monachi jurisdictionem Episcoporum olim colebant.

Cistercienſis Ordinis Monachi Epiſcoporum jurisdictionem colebant, nec in aliqua Diœceſi condebant Cœnobium, niſi Epiſcopus eorum Statuta rata haberet, teſte *Eugenio III.* Epiſtola LXXI. ad Ciſtercienſes data. *Statuiſtis inter vos* (inquit) *ne in alicujus Antiſtitis Diœceſi Ordinis veſtri Abbatia fundetur, donec ipſe Antiſtes Decretum, quod inter Eccleſias Ordinis veſtri ad cuſtodiam diſciplinæ firmatum eſt, ratam ſe habere promittat.* Profeſſionem obedientiæ, quam Epiſcopis faciebant Ciſtercienſes Abbates, refert *Honorius III.* Cap. *Ne Dei Eccleſiam*, Tit. *De Simonia*, Lib. V. Decretalium. *Adjicimus*, inquit, *ut Archiepiſcopi & Epiſcopi ea ſint forma Profeſſionis contenti, quæ ab origine veſtri Ordinis noſcitur inſtituta, quæ talis eſt: Ego Frater N. Abbas Ciſtercienſis Ordinis ſubjectionem & reverentiam, & obedientiam a Sanctis Patribus conſtitutam ſecundum Regulam Sancti Benedicti, tibi, Domine Epiſcope, tuiſque Succeſſoribus canonice ſubſtituendis, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, ſalvo Ordine meo, perpetuo me exhibiturum promitto.*

S. Bernardus quæſitas ab Eccleſiis & Monaſteriis immunitates improbat.

Sanctus Bernardus adverſus immunitates Eccleſiis & monaſteriis ſua ætate nimio ambitu quæſitas vehementer declamavit Epiſtola XLII. ad *Henricum Senonenſem* Archiepiſcopum. *Miror*, inquit, *quoſdam in noſtro Ordine monaſteriorum Abbates hanc humilitatis Regulam odioſa contentione infringere, & ſub ſimili, quod pejus eſt, habitu & tonſura tam ſuperbe ſapere, ut cum ne unum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos prætergredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnant Epiſcopis. Spoliant Eccleſias ne emancipentur, redimunt ſe ne obediant. Non ita Chriſtus: Ille ſi quidem dedit vitam ne perderet obedientiam, quam iſti ut careant, totum fere ſuum ſuorumque victum expendunt... Sed non propter me*, inquit, *facio, ſed quæro Eccleſiæ libertatem. O libertas omni, ut ita loquar, ſervitute ſervilior! patienter ab hujuſmodi libertate abſtineam, quæ me peſſimæ addicat ſuperbiæ ſervituti. Plus timeo dentes lupi, quam virgam Paſtoris. Certus ſum enim ego monachus & monachorum qualiſcumque Abbas ſi mei quandoque Pontificis a propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quod ſatanæ mox tyrannidi me ipſum ſubjicio...... Quid igitur vos, o monachi, Sacerdotum gravat authoritas? Metuitis infeſtationem? Sed ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Sæcularitatem contemnitis? Sed nemo ſæcularior Pilato, cui Dominus aſtitit judicandus.* „ Non haberes, *inquit*, in me poteſtatem, „ niſi tibi data eſſet deſuper. *Jam tunc per ſe loquebatur, & in ſe experiebatur, quod poſtea per Apoſtolos clamavit in Eccleſiis:* „ Non eſt poteſtas niſi a „ Deo: Et Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſi„ ſtit. *Ite nunc ergo, reſiſtite Chriſti Vicario, cum ne ſuo adverſario Chriſtus reſtiterit. Verum aperte indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore ac pretio Apoſtolicis adeptis privilegiis, per ipſa ſibi vindicant Inſignia Pontificalia, utentes & ipſi more Pontificum, mitra, Annulo, atque Sandaliis. Sane ſi attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret profeſſio: ſi miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus.*

Celebre monaſterium *S. Maximini* juxta Treviros ab Archiepiſcopi *Alberonis* juriſdictione eximi, & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiici, ægre tulit *Sanctus Bernardus*, & literas ab *Innocentio II.* pro ejus libertate & exemptione conceſſas, veluti per ſubreptionem obtentas, revocari poſtulavit Epiſtolis CLXXIX. & CLXXX. *Hic quæſo*, inquit, *hic evigilet oculus pietatis, & ſemotis paulisper occupationibus, conſideret quantum ſubreptum ſit ei.... Hoc ſolet habere præcipuum Apoſtolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod a ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum ... Adſit Dominus cordi Domini mei* (Innocentii) *ne iterum poſſit ei ſubripi a monachis, non tam* [*ut ſimulant*] *appetentibus libertatem, quam fugientibus diſciplinam.*

Et libro III. *De conſideratione ad Eugenium*, capite IV. contra Eccleſiarum & monaſteriorum exemptiones ita ſcribit: *Murmur loquor & querimoniam Eccleſiarum; truncari ſe clamitant ac demembrari. Vel nullæ, vel pauca ſunt, quæ plagam iſtam, aut non doleant, aut non timeant. Quæris, quam? Subtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis... Sic factendo, probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ forſan non ita. Facitis hoc quia poteſtis; ſed utrum & debeatis, quæſtio eſt. Honorum ac dignitatum gradus & ordines quibuſque ſuos ſervare poſiti eſtis, non invidere.... Quomodo non indecens tibi, voluntate pro lege uti, & quia non eſt ad quem appelleris, poteſtatem exercere, negligere rationem? Tune major Domino tuo, qui ait:* Non veni facere voluntatem meam? *Quid item tam indignum tibi, quam ut totam tenens, non ſis contentus toto, niſi & minutias quaſdam atque portiones ipſius tibi creditæ univerſitatis, tamquam non ſint tuæ, ſatagas neſcio quo modo adhuc facere tuas? Ubi etiam meminiſſe te volo parabolæ Nathan, de homine qui multas oves habens, unam, quæ erat pauperis, concupivit. Huc quoque veniat factum, immo facinus Regis Achab, qui verum ſummam tenebat, & unam vineam affectavit. Avertat Deus a te, quod ille audivit:* Occidiſti & poſſediſti. *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipſius: Nullus eſt enim, niſi quod inde Epiſcopi inſolentiores, monachi etiam diſſolutiores fiant? Quid quod & pauperiores? ...... Quidni peccet licentius vagum & male liberum vulgus, cum non ſit qui arguat? Quidni licentius quoque ſpolietur ac deprædetur inermis Religio, cum non ſit qui defendat? Quo enim refugiunt illi? Numquid ad Epiſcopos dolentes injuriam? Ridentibus profecto aſpiciunt oculis, ſive quæ faciant mala, ſive quæ patiuntur.... Quid ſi forte nec licet? Ignoſcer mihi, non facile adducor licitum conſentire, quod tot illicita parturit. Tune denique tibi licitum cenſeas Eccleſias ſuis mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos quos poſuerunt Patres tui? Si juſtitiæ eſt jus cuique ſervare ſuum, auferre cuiquam ſua juſto quomodo poterit convenire?... Monſtrum facis, ſi manu ſubmovens digitum, facis pendere de capite, manui ſuperiorem, brachio collateralem. Tale eſt ſi in Chriſti corpore membra aliter locas, quam diſpoſuit ipſe.... Nec vilem reputes hanc formam, quia in terra eſt, exemplar habet e cœlo. Viderat hoc qui dicebat:* „ Vidi Civitatem „ ſanctam Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo, „ a Deo paratam. *Ego enim propter ſimilitudinem dictum reor; quod ſicut illic Seraphim & Cherubim, ac cæteri quique uſque ad Angelos & Archangelos, ordinantur ſub uno capite, Deo ita hic quoque ſub uno Summo Pontifice Primates, vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non eſt parvipendendum, quod & Deum habet authorem, & de cœlo ducit originem. Quod ſi dicat Epiſcopus: Nolo eſſe ſub Archiepiſcopo; aut Abbas: Nolo obedire Epiſcopo, hoc de cœlo non eſt. Niſi tu forte Angelorum quempiam dicentem audiſti: Nolo ſub Archangelis eſſe, aut ex alio quolibet inferiorum Ordinum aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquam, niſi Deo: Quid, inquis, prohibes diſpenſare? Non, ſed diſſipare ... Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas dico, communis, non propria: Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Ex quibus colligitur, *S. Bernardum*, quantumvis exemptiones monaſteriorum ambitione quæſitas improbaverit, illas tamen legitimas agnoviſſe, quæ neceſſitatis, aut communis utilitatis intuitu a Sede Apoſtolica concedebantur. Unde ibidem ſubdit: *Nonnulla tamen monaſteria ſita in diverſis Epiſcopatibus, quod ſpecialius pertinuerint ab ipſa ſui fundatione, ad Sedem Apoſtolicam pro voluntate fundatorum, quis neſciat? Sed aliud eſt quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens ſubjectionis.*

Quædam Monaſteria ab ipſa ſui fundatione Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta.

Hac exceptione Cluniacenſis Monaſterii tuebatur Immunitatem *Petrus Venerabilis* Epiſtola XXVIII. lib. I. Cum enim retuliſſet accuſationes quæ contra Cluniacenſes circumferebantur, decimam ſeptimam quæ talis erat, *Contra totius orbis morem proprium habere Epiſcopum refugitis*; ita retundit: *Nos reſpondemus, iſtud veritati contrarium, oppoſita fronte exiſtere; quoniam patet nos proprium Epiſcopum habere: Quis enim rectior, Quis verior, Quis dignior Romano Epiſcopo Epiſcopus poteſt inveniri?... Hoc ipſius Sanctæ Sedis irrefragabilis ſanxit authoritas, nec unius tantum, ſed multorum Decreta inde apud no-*

Cluniacenſis immunitas a Petro Venerabili vindicata.

ſtram

ſtram Matricem Eccleſiam conſervantur. Hæc ipſi ita conſiderunt non ut hanc, de qua loquimur, Cluniacenſem Eccleſiam alteri Epiſcopo prius eam poſſidenti auferrent, ſed a Fundatoribus, qui eam in proprio alodio conſtruxerunt, rogati, in propriam retinuerunt, utque ſoli Romano Pontifici eam in æternum ſubjacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirmarunt ..... Hoc non ſoli Cluniacenſes obtinent, ſed & quampluribus datum cernimus, & longe ante Cluniacum conditam multis aliis Monaſteriis in eadem Apoſtolica Sede conceſſam videmus.

In Exemptionum abuſus invehitur Petrus Bleſenſis.

Petrus Bleſenſis Epiſtola LXVIII. ad Alexandrum III. ita Exemptionum abuſus perſtringit. Niſi huic malo maturius remedium adhibeatur, verendum eſt ne ſicut Abbates ab Epiſcopis, ita Epiſcopi ab Archiepiſcopis, & a Prælatis ſuis Decani & Archidiaconi eximantur. Et quæ eſt hæc forma juſtitiæ, aut potius juris deformitas, prohibere ne diſcipuli Magiſtri conſentiant, ne filii obediant patri, ne milites ſequantur principem; ne ſervi domino ſint ſubjecti? Quid eſt eximere ab Epiſcoporum juriſdictione Abbates, niſi contumaciam ac rebellionem præcipere, & armare filios in parentes? Videant, quæſo, ipſi & judicent, qui judicent orbem terræ, ne inde emanare videantur injuriæ, unde jura ſumuntur.... Scimus equidem quod ob quietem Monaſteriorum, & Epiſcoporum tyrannidem, has Exemptiones plerumque Romani Pontifices indulſerunt: veruntamen in contrarium res verſa eſt. Monaſteria enim, quæ hoc beneficium damnatiſſimæ libertatis, ſive Apoſtolica authoritate, ſive, quod frequentius eſt, Bullis adulterinis adepta ſunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt: ideoque & multæ Domus quæ nominatiſſimæ ſunt in ſanctitate & religione, has Immunitates aut numquam habere voluerunt, aut habitas continuo rejecerunt. Si ergo Malmesburienſis Abbas ad vos venerit vel miſerit, vitam & opinionem illius in libra juſtitiæ appendatis; nec illius admittatis Privilegia, donec manifeſte liqueat ex collatione ſcripturæ & Bullarum, quo tempore, & a quibus Patribus ſint indulta. Falſariorum enim præſtigioſa malitia ita in Epiſcoporum contumeliam ſe armavit ut falſitas in omnium fere Monaſteriorum Exemptione prævaleat, niſi in deciſionibus & examinationibus faciendis Judex veritatis exactor diſtrictiſſimus intercedat.

Epiſcoporum quorumdam gravamina Monachos aliquando compellebant, ut Immunitatis Privilegium a ſummo Pontifice poſtularent.

Fatendum tamen eſt, Epiſcoporum gravamina ſeu præſentia, ſeu quæ merito metuebantur, fuiſſe rationem legitimam cur Monachi Privilegia a Sede Apoſtolica poſtolarent. Unde S. Anſelmus ad Urbanum II. Epiſtola XXXII. Libri II. ſcripſerat pro ſuo Beccenſi Monaſterio: Noſtrum Monaſterium nec adhuc ulla antiquitate, aut ullius Apoſtolica authoritate, aut privilegio confirmatum: ſed veſtris temporibus, & veſtræ Clementiæ juſſioni divinitus ſervatum. Ut ergo aliquo veſtræ auctoritatis dono prout veſtræ viſum fuerit Religioſæ diſcretioni, ſe gaudeat honorari, & confirmari, nulla noſtra merita obtendimus, ſed divinæ voluntati & veſtræ pietati committimus. Non enim ignotum eſſe puto veſtræ Excellentiæ, quia plures Epiſcopi non tantum gaudent Monaſteria paterna pietate nutrire, & Epiſcopali cura erudire, quam auſtera quadam dominatione, & propria voluntate gravare. Quod tamen ſub paterna Sanctitate Reverendi Archiepiſcopi noſtri Guillelmi fideles dilectoris noſtri non timemus. Vindocinenſe Monaſterium cum fundationis tabulis tum octo Pontificum diplomatibus, id privilegii habebat, uni ut Romanæ Eccleſiæ ſubeſſet, ut teſtatur Goffridus Vindocinenſis Epiſtola 18. libri 5.

Abbatum electio.

XVIII. Abbates ex Monachis & a Monachis undecimo ſæculo eligebantur. Principes nonnullos, præcipue Germanos Imperatores, electionem Canonicarum in Monaſteriis opprimentes libertatem Eccleſia execrata eſt, ut in Diſſertatione De Inveſtituris exponemus. Obtinuerat tamen conſuetudo ut Regum Chriſtianiſſimorum aſſenſus in Galliis quæreretur, ut conſtat ex Sugerio in Vita Ludovici Groſſi Regis, ubi de ſua in Sandionyſianum Abbatem electione ſcribens, ait: Sed quia inconſulto Rege factum fuerat, meliores & religioſiores Fratrum, Milites etiam nobiliores cum obtuliſſent Domino Regi electionem, ut aſſenſum præberet, multis affectos convitiis, Aurelianis Caſtello incluſos reportant. Et infra: Cum graviſſime anxia-

Libertas electionum.

remur, Dei omnipotentis larga propitiatione, inopinate redeunt, qui Domini Regis pacem, captorum ſolutionem, electionis confirmationem reportant.

Idem Rex Chriſtianiſſimus anno 1115. Canonicis Regularibus Abbatiæ Sancti Victoris ad Muros Pariſienſes Privilegio Catalauni in Comitiis Regni dato conceſſit, ut Regibus, aut quibuſlibet aliis perſonis inconſultis, Abbatem libere eligerent: Ita ut pro illa Abbatis electione, nec Regis authoritatem ullatenus expectarent, nulliuſque alterius perſonæ voluntatem vel laudem attenderent: ſed quem Deus eis concederet, inconſulto [ut diximus] Rege, vel qualibet alia perſona, canonice eligerent, & Pariſienſi Epiſcopo irrefragabiliter conſecrandum offerrent. Ita refertur in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis, Tom. 2. pag. 37.

Anno 1185. cum Guillelmus Sandioo yſianus Abbas Præfectura ſacra ſe abdicaſſet, Monachi Philippum Auguſtum, ea de re certiorem fecere, Liberam ab eo petentes electionem. Rex de conſueta benignitate, ſine mora liberam licentiam eligendi eis conceſſit, rogans illos & benigniſſime deprecans, quatenus intuitu Dei, & honore ipſius Regis, ſine diſſcaſione & diſcordia, utilem perſonam & honeſtam, & bonis moribus approbatum, in tam celebri Eccleſia, quæ corona Regni Francorum eſt, eligant. Electus eſt Hugo Cœnobii Prior. Et ſtatim a Chriſtianiſſimo Rege in ipſo Capitulo, aſtante Clero & populo, electio illius eſt confirmata. Tali tamen conditione, Regiaque prohibitione adjecta, quod in illa novitate ſeu promotione ſua, alicui de parentela Regis, Clerico ſeu Laico, vel alicui alii de Curia ſua, munus aliquod nec daret, nec promitteret. Ita refert Rigordus Philippi Auguſti Chronographus.

Ex ſolis vero Monachis Abbates eligi potuiſſe, vel unus Toloſanæ Synodi anno 1056. celebratæ Canon quintus ſatis probat, cujus hæc ſunt verba: Statuit ſancta Synodus, ut ſi quis Clericorum, adipiſcendæ Abbatiæ gratia Monachus effectus fuerit, in Abbatia quidem Monachus permaneat, ſed ad ipſum honorem, ad quem aſpirabat, nullatenus accedat. Quod ſi præſumpſerit, excommunicetur. Romana etiam Concilia annis 1059. & 1063. habita decreverunt, Ut nullus habitum Monachi ſuſcipiat, ſpem aut promiſſionem habens ut Abbas fiat. Conradus II. Imperator rogantibus Monachis Caſſinenſibus ut eis Abbatem deſignaret, anno 1038. reſpondit: Nequaquam; ſed de Congregatione veſtra ſicut B. Benedicti Regula præcipit, Abbatem idoneum vobis eligite. Interdum tamen Epiſcopis commendatas Abbatias, colligitur ex Gregorio VII. Eppiſtolis 27. & 28. libri ſexti: quibus Viennenſem Archiepiſcopum Burgidolenſis Monaſterii Abbatem ſe conſtituiſſe ſignificat, jubetque Monachis ut ipſi pareant.

Ex ſolis Monachis Abbates eligi potuerunt.

Abbatiæ interdum Epiſcopis commendatæ.

XIX. Monachi ad Eccleſiaſticas Dignitates, & Hierarchica Officia paſſim aſſumebantur undecimo & duodecimo ſæculo. Id innumera momenta probant, ſed præſertim S. Petri Cluniacenſis Abbatis Epiſtola 29. Libri primi ad S. Bernardum ſcripta qua Monachum quemdam Cluniacenſem ad Lingonenſem Epiſcopatum recens aſſumptum a calumnia purgans ait: Nec æſtimet Sanctitas veſtra, me ad deferendum Monacho noſtro Epiſcobandis gradum, hoc dicere: quoniam Epiſcopari Monachos noſtros, nec novum, nec admirabile nobis eſt: cum cot, ut ipſe noſti, de Eccleſia illa, famoſa Eccleſiarum ſulſerint & fulgeant ſydera: ſed quia malum nomen diffamari ſuper filios Iſrael, nec verus Iſraelita facere, nec verus Iſraelita poteſt ſufferre. Quod ſi Lingonenſi Eccleſiæ multi ſæculares Clerici, quorum nec multa religio, nec multa ſcientia eminebat, Epiſcopali nomine, non tantum patiente, ſed etiam laudante Eccleſia, olim principati ſunt: quid indecens, ſi religioſæ Eccleſiæ religioſus, ſapiens, literatus Monachus inde in Pontificem Lingonenſem electus eſt, unde Epiſcopales, Patriarchales, & ipſa omnium vertex Eccleſiarum Apoſtolica & Romana Sedes Patres ſibi aſſumere conſueverunt?

Monachi ad Eccleſiaſticas dignitates aſſumpti.

Cœnobium Cluniacenſe olim Epiſcoporum Seminarium.

Clarevallenſes Monachos S. Bernardi diſcipulos ad primarias Eccleſiæ Dignitates aſſumptos fuiſſe, Alanus in ejus vita teſtatur, cap. 20. ita de S. Bernardo ſcribens: Quot Eccleſiæ deſtitutæ Paſtoribus eum ſibi in Epiſcopum elegerunt! Elegit eum domeſtica mater Lingonenſis Eccleſia, elegit Catalaunenſis. Intra Italiam Civitas Januenſis, & Mediolanum Ligurum Metropolis hunc Paſto-

Clarevallenſes Monachi S. Bernardi diſcipuli, ad primarias Eccleſiæ dignitates aſſumpti.

rem & Magistrum optaverunt. Rhemus nobilissima Franciæ Civitas secundæ Belgicæ Provinciæ caput, ejus Prælationem ambivit. Omnibus his vocationibus postpositis, non sollicitavit animum ejus honor oblatus, nec motus est per ejus ut se ad sublimia inclinaret. Promotionem tamen, quam in sua persona, quoad potuit, evitavit, in filiis, quos de diversis regionibus congregatos divino mancipavit servitio, Domnus adimplevit. De his enim Roma Eugenium Summum meruit habere Pontificem. Prænestæ Stephanum habuit totius gloriæ virum: Ostia virum magnum Hugonem. Prope Urbem sub Osberto Pontifice Nepa refloruit: In Tuscia Pisis magnum Ecclesiæ lumen Balduinus Præsul effulsit. Citra Alpes Lausanno datus est Amedeus, Seduno Guarinus, Lingonis Godefridus, Alanus Antissiodoro, Nannetis Bernardus, Belvaci idemque Rhemis Henricus, Tornaco Gerardus, Eboraco Henricus, Andreas Attrebatis: in Hibernia Episcopi duo re & nomine Christiani: In Alemania civitate Curia Algotus, sapientia, ætate, & gratia reverendus. In ipsa quoque Romana Curia, Henricus & Bernardus, alter Presbyter, alter Diaconus ordinati sunt Cardinales. Hæc luminaria de Claravalle & doctrina viri Dei Bernardi Abbatis, fulgore religionis prædictas illustravere civitates.

Vindocinenses Abbates, Titulo S. Priscæ Cardinales.

Alexander II. B. Priscæ Ecclesiam Titulum Presbyteri Cardinalis in Monte Aventino Abbatibus Vindocinensis Monasterii, Ordinis Benedictini, cum dignitate Cardinalitia concessit, ita ut quicumque legitimi Vindocini Abbates forent, iidem Romanæ Ecclesiæ hujus Tituli Cardinales essent, ut constat ex ejus Epistola ad *Oderisum* Abbatem anno 1062. scripta. Quod beneficium eidem *Oderico Gregorius VII.* confirmavit, anno 1079. Lege P. *Sirmondum* in Notis ad Epist. 9. Libri primi *Goffridi Vindocinensis*.

Benedictini Monachi in Ecclesia Cantuariensi constituti.

Idem Pontifex Ordinis Benedictini Monachos in Primatiali Ecclesia Cantuariensi perpetuo conservari jussit, quos Antistites ex Clero sæculari assumpti, *Wilelmo* Rege, ac Principibus suam in sententiam adductis ejicere moliebantur, & Canonicos eorum in locum introducere, ut idem postea in aliis Ecclesiis obtinerent. Ita refert Eadmerus libro primo Historiæ Novorum & Alexandri III. Diploma exhibet.

Archiepiscopi Cantuarienses pene omnes olim ex Ordine Monastico assumpti.

Archiepiscopos Cantuarienses ex Ordine monachorum semper assumptos fuisse testantur Acta Concilii Windleshorensis, in quo electus est *Radulfus* anno 1114. *Ad Curiam venimus* (inquit Eadmerus lib. V. Histor. Novor.) *& ecce omnia plena erant de Abbate, quo audieramus. Et revera regia voluntas hoc proposuerat, ut propter id ipsum jussus a Rege idem Abbas curiæ se præsentaverit. Animus tamen Episcoporum & quorumdam Magnatum in aliud vergebat, præoptantium videlicet, aut quemlibet Episcopum de ordine clericali aut clericum aliquem de Capella Regis, in opus illud adsciscî. Verum ubi eis objectum est nullum a Beato Augustino, nisi de monachico ordine unquam Pontificatui Cantuariensi præsedisse, uno duntaxat excepto, qui & ob bonæ præsumptionem, & alia quædam perverse ab eo commissa, depositus per Romanum Pontificem fuit; & ea re tam antiquam & authenticam consuetudinem, cum nulla ratio vel necessitas exigeret, subverti non oportere; desistere cœpto, quod plurimo conatu perficere laborabant, compulsi sunt.* Cum *S. Thomas* Cantuariensis Archiepiscopus didicisset a prima fundatione Cantuariensis Ecclesiæ omnes fere Archiepiscopos monachos fuisse; nec secundum veterum historias, aliquam regni scissuram accidisse, nisi dum quis alterius professionis illi Ecclesiæ præfuerat: habitum monasticum a Summo Pontifice postulavit. Sic refertur in ejus Vita, lib. II. cap. 13.

Jaccenses & Pompelonenses Episcopos ex Monachis eligi Concilia quædam & Reges Hispaniæ decreverunt.

Decretum *Sanctii Majoris* Aragoniæ Regis de non eligendis Episcopis Aragonensibus sive Jaccetanis, nisi ex monachis *S. Joannis de la Pegna*, confirmatum est a Synodi Aragonensis Patribus anno 1062. ut *Hieronymus Blanca* in rerum Aragonensium commentariis testatur. Aderat Rex *Ranimirus*, qui patris sui Synodique decretum in perpetuum observari jussit. Synodum illam anno 1034. probabilius celebratam non spernendis conjecturis adstruit vir eruditus P. *Gabriel Cossartius* S. J. in notis. Idem observat *Sanctium* Regem pariter statuisse in Concilio Pompelonensi anno Christi 1023. ut ex monachis monasterii Leirensis *Sancti Salvatoris* Pompelonenses Episcopi cooptarentur. Extat decretum hoc, sive (ut vocatur) Privilegium Regale & Pontificale, apud *Sandovallium* in notitia Episcoporum Pompelonensium.

De Nismes.

Monachorum æmuli Concilii Nemausensis decretis coerciti.

Synodus Nemausensis anno millesimo nonagesimo-sexto celebrata *Urbano II.* Præside, monachorum æmulos duobus canonibus damnavit, asserentes ipsos ad Hierarchicos gradus & officia promoveri non debere; declaravitque illos convenientius ad hæc assumi quam presbyteros sæculares. Canones integros exhibeo. Sic habet canon secundus: *Sunt nonnulli stulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotali officio indignos neque pœnitentiam aut Christianitatem, seu Absolutionem largiri posse per Sacerdotalis Officii injunctam gratiam. Sed omnino falluntur: nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ Sedis compar B. Gregorius monachico habitu pollens, ad Summum Apicem nullatenus conscenderet, cui ligandi solvendique potestas concessa est. Augustinus quoque ejusdem Sanctissimi Gregorii discipulus, Angelorum Prædicator egregius, & Pannoniensis Martinus, aliique quamplurimi viri sanctissimi, pretioso Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrharentur: Neque enim Benedictus monachorum præceptor sanctissimus hujus rei aliquo modo interdictor fuit: sed eos sæcularium negotiorum dixit expertes esse debere. Quod quidem Apostolicis documentis, & Sanctorum Institutis, non solum monachis, verum Canonicis summopere imperatur: Utrisque enim perspicuis Sanctorum exemplis, ut mortui mundo sint, præcipitur.*

Sacramenti pœnitentiæ administrationem Sacerdotibus Monachis ab Episcopis committendam judicat Synodus.

Credimus igitur a Sacerdotibus monachis ligandi solvendique potestatem digne administrari: si tamen condigne contigerit eos hoc ministerio sublimari. Quod evidenter affirmat, quisquis statum monachorum & habitum considerat: Angelus enim Græce, Latine nuntius dicitur. Sacerdotes igitur monachi atque canonici, qui Dei præcepta annunciant, Angeli vocantur. Sed unusquisque Angelicus Ordo quanto vicinius Deum contemplatur, tanto sublimius dignitate firmatur. Numquid non ut Cherubim monachi sex alis velantur? Duæ in capitio, quo caput tegitur, veris demonstrantur assertionibus. Illud vero quod brachiis extenditur, alas duas esse dicimus: & illud quo corpus tegitur, alas duas. Decernentes igitur contra monachos in hac re, Sacerdotalis potentiæ arceri officio præcipimus, ut ab hujuscemodi nefandis ausibus in posterum reprimantur: quia quanto quisque excelsior, tanto potentior.

Canon vero tertius sic habet: *Oportet eos qui sæculum reliquerunt, majorem sollicitudinem habere pro peccatis hominum orare, & plus valere eorum peccata solvere, quam Presbyteros sæculares. Quia hi secundum Regulam Apostolicam vivunt, & eorum sequentes vestigia communem vitam ducunt, juxta quod in Actibus eorum scriptum est:* „ Erat illis cor unum, „ & anima una, & erant illis omnia communia. *Ideoque videtur nobis, ut hic qui sua relinquunt pro Deo, dignius liceat baptizare, Communionem dare, Pœnitentiam imponere, necnon peccata solvere. Unde considerare nos oportet quantæ virtutis apud Deum sint qui sæculum reliquerunt, Domini obedientes præcepto dicentis:* Relinque omnia quæ habes, & veni, seque„ re me. *Unde censemus eos qui Apostolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, Communionem dare, suscipere Pœnitentes, peccata solvere.* (Cum nimirum illis ab Episcopis hæc provincia demandatur.)

Qua vivendi ratio Episcoporum ex Monasteriis assumptorum esse deberet?

XX. Episcopi ex Monasteriis assumpti Monasticum habitum deferre, & vitæ regularis instituta servare tenebantur. Ita docet Londinense Concilium anno MCXXXVIII. celebratum, Canone XIV. cujus hæc sunt verba: *Item adjicimus hoc Decretum Innocentii Papæ dicentis Victricio Rothomagensi Archiepiscopo: Monachi diu morati in Monasteriis, si postea ad Clericatum pervenerint, non debent aliquatenus a priori proposito deviare. Sicut in Monasterio positi fuerint, ita & in Clericatus Ordine degere debent: & quod diu servaverunt, id in altiori gradu positi amittere non debent.* Episcopis ex Monachorum statu assumptis, vel assumendis exemplo fuit *Matthæus* Episcopus Albanensis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ex Monacho Cluniacensi, de quo *Petrus*

Venerabilis Cluniacensis Abbas libro II. *De Miraculis*, cap. XIV. ita scribit; *Provectus ad sublimem Pontificalis Ordinis gradum, & super Ecclesiæ candelabrum ad lucendum omnibus, qui in domo Dei erant, magnifice exaltatus, nihil de Monacho, quorumdam more dimisit, sed sicut de Magno Martino legitur, eadem in corde ejus humilitas, eadem in veslitu ejus vilitas mansit. Nihil de Officiis, nihil de cantibus, nihil de prolixa Cluniacensi Psalmodia quarumlibet curarum prætextu reliquit. Servabat in Palatio Instituta claustri, & mundo expositus, firmo & longo usu, velut innato Religionis proposito, a sæcularium vanitatibus se quasi septo firmissimo secernebat. Cohibebat se intra se, numquam magis negotiosus, quam cum solus erat. Præferebat cunctis operibus suis, omnibusque sanctis studiis, sacrificandi Deo illum suum quotidianum usum, a quo nec rei familiaris cura, nec multiplex occupatio, nec ipsa continua post Summum Pontificem omnium Ecclesiarum sibi imposita solicitudo eum retrahere poterant.* Abbates Cisterciensis Ordinis in Comitiis Generalibus anni MCXXXIV. hanc Episcopis ex Monasteriis suis assumptis imposuere legem: *Episcopi assumpti de Ordine nostro consuetudines nostras tenebunt, in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in observantia jejuniorum, in officio horarum regularium: excepto, quod mantellum de vili panno, & pelle ovina, & pileam similem aut simplicem de lana habere poterunt, qui voluerint.*

Opus manuum.

XXI. Opus manuum statis horis a Monachis & Sanctimonialibus frequentabatur, ut constat ex Magno Exordio Cisterciensi, & ex *S. Bernardo* Sermone I. in Cantica, & Sermone X. in Psalmum *Qui habitat*, & Epistola quam suo & Pontioiacensi Abbatis nomine ad Abbatem Majoris Monasterii scripsit: ex *Willelmo Gemmeticensi* libro VI. Historiæ Normanniæ ad annum MXXXIV. ubi de *Herluino* Beccensis Monasterii primo Abbate, ejusque successore *S. Anselmo* sermonem facit. Idem constat ex *Hermanno* Monacho, lib. III. *De Miraculis Sanctæ Mariæ Laudunensis* Cap. XVII. ex *Willelmo Malmesburiensi*, Lib. I. *De gestis Pontificum Anglorum*, pag. 205. ex Constitutionibus Ordinis Præmonstratensis &c. Verum opus manuum quo maxime victus acquiritur, non esse S. Benedicti *præceptum*, sed tantummodo *permissum*, sive *patientia consilium* probat *Rupertus* Abbas Lib. III. in Regulam ejusdem sancti Patris, Cap. V. Et *Petrus* Cluniacensis Abbas Epistola XXVIII. Libri primi Opus manuum in Regula non præscribi ostendit, nisi ad vitandum otium; ideoque Monachos bonis quibusvis operibus occupatos Regulam implere. *Quocumque bono exercitio, otiositate fugata Regula custoditur: nemo hac agentium juste transgressor dicitur, calumnia illata longe rejicitur. Nisi autem essent opera præter rusticationem Deo acceptabilia, nequaquam Judæis diceret Dominus:* "Operamini non cibum qui periit, sed qui permanet in vitam æternam. *Si sane corporalia opera spiritualibus exercitiis præferrentur, nequaquam Maria ad pedes Domini sedere & verba ejus indesinenter audire a cæteris operibus otiosa elegisset: nequaquam Sororem suam solam ministrare permisisset, nequaquam Dominus eam optimam partem elegisse dixisset. Ergo si orando, legendo, psallendo, injuncta religiose implendo, vel aliaqualibet hujusmodi bona agendo animus occupatur, Regula [ut diximus] perfecte servatur: quoniam hæc operando Monachus non otiosus, sed bene negotiosus in omnibus comprobatur. Discipulum Beati Benedicti S. Maurum, ad has Galliarum partes pro construendis secundum ipsius doctrinam Cœnobiis ab ipso directum, legimus hunc morem in Monasterio quod in Andegavensi Episcopatu construxerat, tenuisse, ut quia eis sine proprio labore cuncta necessaria suppeditabant, misso manuum opere, spiritualibus, ut diximus, exercitiis exercitati, otiosi non essent, sicque sibi nuper a Sancto traditam Regulam, bona semper operando, optime conservarent.* Ibidem ex Regula, & Sanctorum exemplis probat Monasteria bona immobilia possidere posse, ex quibus victus & vestitus Fratribus subministraretur. Cæterum agriculturam, aliaque opera rustica & servilia Monachos nec exercere posse, nec decere. "Et ut primo impossibile demonstremus (inquit) quomodo fieri potest ut gens languida oleribus & leguminibus fere nullas vires corpori dantibus, immo ipsam vitam vix sustentantibus enutrita, & idcirco non parum debilitata, asperrimum ipsis quoque bubulcis & rusticis agriculturæ laborem ferat, & tam duram ruris eversionem & subversionem; aliquando æstus ardore, aliquando imbrium, nivium, & frigoris importunitate sauciata patiatur? Et qui sibi ipsis ipsum etiam vilem & debilem cibum abstinentiæ causa plerumque subtrahunt: quomodo tanti laboris asperitatem & assiduitatem ferre poterunt? An videtur indecens, immo indecentissimum, ut Fratres qui assidue in claustro morari, silentio, orationi, lectioni ac meditationi, ac cæteris Regulæ præceptis, & Ecclesiasticis Ministeriis intentissime operam dare præcipiuntur, his omnibus dimissis, rusticationi & vulgaribus operibus intendant?

A *Petro* Cluniacensi Abbate non discordat *S. Bernardus* Epist. 228. ita scribens: "Simplici oculo tu uteris, qui opus manuum secundum Regulæ preceptum observas: quia & Regulæ obedire, & otiositatem inimicam animæ, secundum ejusdem Regulæ dicta, talibus exercitiis, tam sacris non solum Monachicis, sed & Apostolicis Institutionibus vis cavere, & in quantum facultas datur, juxta Patres antiquos, & vitæ necessaria providere. Simplici oculo & tu uteris, qui hoc opus manuum ex parte postposuisti: quia non in sylvis, nec in desertis, sed in medio urbium, & castrorum constitutus & undique populis circumseptus, nec toties & toties ire ac redire horum causa operum, per promiscuam utriusque sexus multitudinem, absque aliquo vel plurimo periculo potes: nec insuper opportuna loca, ubi talibus exerceri operibus possis, plerumque possides. Sed ne inimica Religiosis otiositas, te vacante, locum tibi nocendi inveniat, aut ubi & quando potes, manibus operatis; aut ubi non potes, opus hoc manuum operibus divinis per vices variando compensas: sicque ne domum pectoris tui vacantem nequam spiritus sibi vendicet, quibus potes sacris studiis totum vitæ tuæ tempus occupas.

Sacra studia, scriptio Librorum ad Ecclesiæ utilitatem, dignus Monachis labor, & manuum operi præferendus.

Convenientius Religiosis viris opus est in sacris studiis exercitatio, lectio, scriptio, editio Librorum ad publicam utilitatem. De qua *S. Petrus* Cluniacensis Abbas Epist. 20. Libri primi ad *Gislebertum* præclare dicit: "Plantari non possunt arbusculæ, rigari nequeunt sata, neque aliquid ruralis operis exerceri .. .. Sed, quod est utilius, pro aratro convertatur manus ad pennam, pro exarandis agris, divinis Literis paginæ exarentur; seratur in Chartula verbi Dei seminarium, quod maturatis segetibus, hoc est, libris perfectis, multiplicatis frugibus, esurientes lectores repleat, & sic panis cœlestis lethalem animæ famem depellat. Sic plane, sic verbi divini poteris fieri taciturnus Prædicator: & lingua silente, in multorum populorum auribus manus tua clamosis vocibus personabit. Clausus tenebris spelæo tuo, & in Codicibus tuis terras ac maria peragrabis: in publicis Ecclesiæ Conventibus Lectoris ore verbum Dei de sublimi loco speculator inclamabis, in remotis claustrorum & domorum angulis illud idem servis Dei silentibus insusurrabis. Animet te ad hoc agendum non parvum laboris præmium quod pro omnibus consequeris, quibus hoc laudabili studio subvenire potueris. Nam quotquot tuorum Voluminum lectione superbiam prostraverint, luxuriam subegerint, avaritiam contempserint, iram domuerint, a quibuslibet malis vel caverint, vel pœnituerint; ut manipuli sudoribus tuis collecti, æternarum frugum tuarum horrea cumulabunt. Et dum cum vita hominis opera ejus finiri soleant, & cum deficiente deficere: tu nec mortuus morieris, nec a vita deficiens, a bono opere cessabis, quando Operibus tuis ad vitam mortuos vocabis. Tantoque tempore etiam post mortem tuam apud Deum extendetur lucrum operum tuorum, quanto (ut ita dicam) durare potuerit vita Librorum tuorum.

Possessæ a Monachis Decimæ.

XXII. Monachi Decimas Ecclesiasticas ex Episcoporum concessione possidebant sæculis undecimo & duodecimo, & ex restitutione a Laicis, qui illas olim usur-

Primi Cistercii Monachi decimarum possessioni renuntiarunt.

usurpaverant, Monasteriis facta, Ecclesia approbante. Huic possessioni renuntiarunt Cistercienses, ut constat ex Cœnobii Cisterciensis Exordio a *S. Stephano* Cisterciensi Abbate edito, cap. XV. Ubi de primorum Cistercii Monachorum ex Molismo venientium Institutis ita scribit: „ Decimas quoque ajebant a Sanctis Patribus, qui organa erant Spiritus Sancti, quorumque statuta transgredi, sacrilegium est committere, in quatuor partes distributas: unam scilicet Episcopo, alteram Presbytero, tertiam hospitibus ad istam Ecclesiam venientibus, seu viduis & orphanis, sive pauperibus aliunde victum non habentibus; quartam restaurationi Ecclesiæ. Et quia in hoc computo personam Monachi, qui terras possidet suas, unde per se & per sua pecora laborando vivat, non reperiebant; idcirco hoc, veluti aliorum jus, injuste sibi usurpare detrectabant.

Monachos Beneficia & Decimas juste & canonice possidere posse ostendit Petrus Abbas Cluniacensis.

S. Petrus Cluniacensis Abbas Epistola 28. libri primi, inter accusationes adversus ordinem suum factas istam refert de possessione decimarum: „ Deinde subjungitis, *interrogando*; quæ ratio vel authoritas possessiones Ecclesiarum parochialium, Primitiarum & decimarum nobis contulerit, cum hæc non ad monachos, sed ad clericos canonica sanctione pertineant? *Ad quam criminationem sic respondet*: Nos sicut in supra dictis, sic & in istis, Catholicæ Ecclesiæ authoritatem prætendimus: atque ipsius sanctionibus nos Parochiales Ecclesias, & idcirco ipsarum primitias & decimas legitime possidere, confirmamus: Nam si tribui Levi hæreditas inter fratres suos data non est, ut expeditiores ad Dei cultum, & circa divina Mysteria redderentur, neque ab eis sæcularibus impedimentis revocarentur, atque ideo primitiis, decimis, & oblationibus aliorum uterentur: recte eadem monachis conceduntur, qui sicut illa tribus, rerum temporalium hæreditate privati sunt, ac divinis servitiis diu noctuque insistunt. Qui namque justius fidelium oblata suscipiunt, monachi, qui assidue pro peccatis offerentium intercedunt; an clerici, qui nunc (ut videmus) summo studio temporalia appetentes, spiritualia, & quæ ad animarum salutem pertinent, omnino postponunt? ..... Quia ergo monachi ex maxima parte fidelium saluti invigilant, licet Sacramenta minime ministrent: æstimamus ipsorum Primitias, decimas, & oblationes, & quæque Beneficia, eos digne posse suscipere, quoniam & reliqua populo Christiano necessaria a presbyteris & clericis faciunt exhiberi. Ista vero dicendo, nequaquam clericos ab Ecclesiarum & Ecclesiasticarum rerum possessionibus excludere volumus: sed Monachos hæc omnia legitime posse obtinere, istis rationibus & authoritatibus approbamus. Si enim ipsi pro officio Baptismatis, Pœnitentiæ, Prædicationis, ac cæterorum Sacramentorum populo exhibitorum, de redditibus Ecclesiasticis vivere volunt; cur monachi pro orationibus, pro psalmis, pro lacrymis, pro eleemosynis, ac multiplicibus bonis ob salutem populi Deo oblatis, rebus Ecclesiasticis & devotorum oblationibus non utantur? Et ut hæc non a nobis commentata ratione, sed magis canonum authoritate roborata videantur, eorum verba in medium deducantur. *Tum prolatis Concilii Toletani III. decretis, ita colligit*: Ergo secundum hæc & similia, quæ ob prolixitatem hic ponere recusamus, Ecclesias, & earum universa bona, ab Episcopis, absque venalitate nobis collata, libere, juste, canonice possidemus.

Immunitas a decimarum solutione Cisterciensibus concessa.

Ut Cistercienses decimas possidebant nullas, ita immunitatem a decimarum solutione concessit *Innocentius II.* Pontifex maximus omnibus novi Ordinis monasteriis: quo de privilegio graviter conquestus est *Petrus Venerabilis Abbas* Cluniacensis apud eumdem Pontificem; & apud *Aymericum* S. R. E. Cardinalem & Cancellarium, Epistola 33. & 34. libri I. maxime quod interdicti sententiam in Gigniacense monasterium Cluniacensis congregationis, ob Decimarum repetitionem a monachis *De Miratorio* Cisterciensis ordinis Pontifex promulgasset. Cum Abbatibus etiam Cistercii in Capitulo Generali congregatis ea de re *Petrus* expostulavit Epistola 36. & 37. ejusdem libri. *Patrum*, inquit, *temporibus, decimas non tantum laici, sed Ecclesia Ecclesiis, monasteria monasteriis & de rusticorum operibus, & de propriis laboribus persolvunt. Si igitur horum metus exceditis, quid nisi maledicis detrahendi occasionem datis? Sed de lucro res agitur. Quod certe, quod lucrum putatur, ubi & fama læditur, & caritas periclitatur? Nam (ut quod verum est fratribus & amicis fatear) hoc uno verbo velut uno jaculo, amicorum pariter & æmulorum pectora terebrastis; & Episcopos, clericos, Abbates, monachos, ipsos etiam, ad quos pervenire potuit, laicos adversum vos unanimiter concitastis. Nec potuit Satanas nequitia sua utilius invenire consilium, quam ut eos, quos mundus admirabatur, ne admirans imitaretur, nota cupiditatis inureret; & alios læsionis suæ dolore stimulatos ab eorum amore revocaret.*

Petri Cluniacensis Abbatis ea de re gravis expostulatio.

Non æstimandum lucrum ubi fama læditur, & caritas periclitatur.

Defectionem a sancta Paupertate Cisterciensibus exprobrat Alexander III.

Non multo post *Alexander III.* defectionem a sancta illa paupertate, quam initio Ordinis coluerant, Cisterciensis Congregationis Abbatibus exprobravit, data ad ipsos Epistola. *Ab illo sancta Institutione dicitur declinatum*, inquit, *in tantum ut aliqui ex vobis patrin institutionis obliti, contra Ordinis vestri Regulam Villas, Ecclesias & Altaria possident; fidelitates & hominia benigne suscipiant; Justitiarias & tributarias tenent, & omne studium adhibent ut termini eorum dilatentur in terris quorum conversatio in cælis debet esse. Inde est quod vobis ab iis qui foris sunt, contentiones & litigia suscitentur. & Abbatibus in causis forensibus occupatis ut plurimum, in commissis domibus & tepor Ordinis, & dissolutio nascitur caritatis, maxime quia cum paupertate charitas plus proficit.*

Cum paupertate caritas plus proficit.

Monachi paternam hereditatem colligere poterant.

XXIII. Monachi paternam aut propinquorum hereditatem colligere poterant sæculis undecimo & duodecimo. Id constat ex cap. *Statutum est*, apud *Gratianum* Causa 18. Quæst. 2. quod ex Concilio apud *Altheim* in Germania sub *Conrado* Rege celebrato laudat. *Statutum est, & rationabiliter, secundum Sanctos Patres, a Synodo confirmatum, ut Monachus quem canonica electio a jugo Regulæ Monasticæ professionis absolvit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea jure vendicandi habeat potestatem. Sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat, & Abbatis sui, qui fuerit secundum Regulam S. Benedicti, arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad Altare ad quod sanctificatur & titulatur, secundum sacros Canones, quod acquirere poterit, restituat.* Hereditas itaque Monacho obveniens, colligebatur a Monasterio; at quæ ipsi ad Episcopatum forte assumpto contingebat, Ecclesiæ Cathedrali vindicabatur.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, num. XVII. pag. 789. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Privilegia concessa a Papa contra Canones, non sunt rata.*

R. Hæc propositio non est mea. Refero dumtaxat eo loci Sententiam Concilii apud Ansam celebrati anno vigesimo-quarto supra millesimum, in quo de Privilegio quodam Cluniacensis Monasterii a S. Odilone prolato dicitur: *Decreverunt* Episcopi *Chartam non esse ratam, quæ Canonicis non solum non concordaret, sed etiam contrarret Sententiis.* Non quæro quid juris sit: Sed refero quod in Synodo gestum ac pronuntiatum est, & quæ fuerit illius sæculi Disciplina.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, num. citato, pag. 792. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Immunitas Monachorum a Jurisdictione Episcopali, quia ea abutebantur Episcopi.*

R. Non ita scripsi: *Sed Immunitatem ab Episcopali Jurisdictione multis Monasteriis concessam, quia Episcopi authoritate sua abusi Monachos & Sanctimoniales infestabant, Gregorius VII. testatur Epist. LXIX. Libri secundi.* Gregorium VII. cujus verba profero falsi accusare non possunt Religiosi Censores: Cur ergo me reprehendunt?

SCHO-

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 794. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *S. Bernardus improbat Exemptionem Monachorum ab Episcopis*.

R. Revera *S. Bernardus adversus immunitates Ecclesiis & Monasteriis sua ætate nimio ambitu quæsitas vehementer declamavit Epistola XLII. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum*. Subjicio S. Bernardi verba. Facti mera quæstio est. Addo pag. 797 S. Bernardum *immunitates illas legitimas agnovisse, quæ necessitatis, aut communis utilitatis intuitu a Sede Apostolica concedebantur*. Quod ibidem probo S. Bernardi verbis. Sanctissimum Patrem carpere quis audeat?

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, num. citato, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Etiam Petrus Blesensis male loquitur de hujusmodi exemptionibus*.

R. Petrum Blesensem de Exemptionibus male loqui, Religiosi Censores ajunt, non ego. *Petrus Blesensis* (inquam) *Epistola LXVIII. Ad Alexandrum III. ita Exemptionum abusus perstringit*. Tum ejus verba describo. Sicut de Sacramentis non male loquitur, qui invehitur in impietatem & Sacrilegia eorum qui Sacramentis abutuntur; nec de Indulgentiis male loquitur, qui stylum acuit in eos qui illis abutuntur ad quæstum: ita, proportione servata, de Exemptionibus non male loquitur, qui earum abusus perstringit.

SCHOLION V.

In eodem Articulo, num. XVIII. pag. 800. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: In Gallia *Abbates non eligebantur, nisi habito consensu Regis*.

R. Abbates ex Monachis & a Monachis undecimo sæculo electos scripsi: Obtinuisse tamen consuetudinem ut Regis consensus in Galliis ad electionis confirmationem quæreretur. Mera facti quæstio est eo loci ex veteribus Monumentis probata.

Nota.

P. Abbas Guido Grandi, multis nominibus non solum apud Italos, sed apud Exteros etiam celebris, in suis Dissertationibus Camaldulensibus hæc de S. Romualdo scripsit. In prima tabula chronologica ipsius ortum consignat anno 917. cumque an. 937. coactus fuerit assistere singulari certamini, quod Pater cum suo habuit consanguineo, Romualdus tamquam hujus necis reus in Classense monasterium pœnitentiam acturus se recepit. Postquam vero diu sub Marino in finibus Venetorum agente in omnibus Virtutibus se exercuit, an. 961. una cum Guarino Abbate, qui ex Aquitania Venetias contenderat, eodemque Marino in Aquitaniam se contulit, quibus socii fuere Petrus Urseolus ad Dalmatiæ Principatum evectus, Jo: Gradenicus & Maurocenus. Iis ibi monasticam vitam in Cœnobio S. Michaelis sub Guarino professis, Marinus, & Romualdus prope Monasterium eremum instaurarunt, ut vitæ solitariæ incumberent. Cum vero anno sequenti communibus suffragiis Romualdum in Priorem elegissent, videtur jam tunc sui Ordinis fundamenta jecisse. Refert deinde plures eremos construxisse, quas in tabula chronologica recenset, ac tandem anno 1026. cum jam esset ætatis annorum 109. Camaldulensem eremum assentiente Theobaldo præsule Aretino, illumque in campo Maldoli fundasse, quia ipse Maldulus eidem narravit visionem habitam scalæ Monachorum albescentium & in cœlum conscendentium. Anno demum 1037. ad superos miraculis etiam clarum evolasse putat. In secunda vero tabula chronologica Romualdum natum Ravennæ an. 907. scribit, & post alias constructas eremos Camaldulensis eremi fundationem an. 1012. factam credit, obiisse vero an. 1027. Ita contra ea quæ vulgo circumferuntur, Camaldulensis eremus prima non fuit, ubi novi Ordinis jecerit fundamenta. Visio scalæ mysticæ a terra ad cœlum pertingentis, per quam alborum Monachorum turba ascenderet descenderetque, ante Camaldulensis eremi fundationem accidit; neque hæc vidit Romualdus, sed Maldulus nobilis Aretinus. Centum viginti annos natum Romualdum obiisse dicit contra Baronium, & Bollandum, quibus subscribit Natalis. Non omnia tamen evidentibus rationibus demonstrasse agnoscit Abbas Grandi, at probabilibus rationibus, nec infirmis conjecturis suas dissertationes roboratas non diffitetur.

Nota.

Rationes quæ impulerunt Pontifices ad communiendos Regulares varia privilegia indulgendo adversus episcoporum jurisdictionem, ad sequentia capita reducuntur. Labes simoniaca, qua quandoque episcopi, clericique tabescebant. Vita Præsulum sæcularis, divitiarumque ambitus, unde potius ab eis destruenda quam promovenda regularis disciplina videbatur. Improba Episcoporum dominatio; unde non tamquam patres, sed tamquam rigidiores domini monasteria pro sola regebant voluntate. Hæc quæ Natalis etiam non præterit, & alia gravamina quæ recensentur *cap. nimis iniqua, & cap. nimis prava de excess. Prælat.* Quod si veritatem dissimulare nolimus, fatendum etiam sane est Romanos Pontifices quampluribus privilegiis Regulares fovisse, ne prorsus remuneratione carerent tot labores, quæ pro ecclesia Dei subiere. Compertum est Deum in Ecclesia Regularium Ordines suscitasse, ut illos veluti suos milites hæreticis opponeret, vitiisque irruentibus objiceret. Illos etiam veluti Fidei satores omnis ætas inspexit; atque ita non solum pluribus in locis hæresibus, verumetiam idololatria eradicatis, ipsorum sudore, vigiliis, ac sanguine veræ fidei disseminatum frumentum coluere. Ob hæc ergo incommoda, quæ Regulares non otio torpescentes, nec pravis moribus irretiti, sed omnium virtutum exemplis mundo illucescentes subiere, Romani Pontifices pluribus privilegiis decorarunt, & sua sub immediata tutela tutos quiescere voluere.

Cum vero sæpe conquererentur Episcopi a Regularibus adversus ipsorum jurisdictionem obtenta privilegia præter jus objici, eorumdem revocationem non semel expostularunt, atque ad id obtinendum suum tractatum hac de re concinnatum obtulit Concilio Viennensi Willelmus Durandus, Episcopus Mimatensis. At nec Concilium, nec Clemens V. ipsorum votis annuendum putarunt; quapropter, teste Nangii Continuatore Clementem VI. an. 1351. Avenione commorantem adierunt, ut concessa Regularibus privilegia revocarentur. Neque tamen tunc ipsorum supplicationibus cessit Clemens, sed ipsemet sub Episcoporum oculos exposuit, quos Regulares pro excolendis ipsorum diœcesibus subirent labores quanti episcopis, parochisque essent levaminis, quam pro universa ecclesia adlaborarent. Verum Concilium Constantiense *sess.* 43. irrita voluit quæcumque privilegia obtinuissent Regulares post obitum Gregorii XI. sive ea ficti sive veri Pontifices concessissent. Ea solum excepit quæ in fundatione, aut quæ obtenta fuerant cum assensu illorum, quorum intererat.

Summopere vero in Privilegia Mendicantium exarsere episcopi in Concilio Lateranensi V. an. 1515. ac non amplius sessionibus adfuturos unanimiter professi sunt, ni Pontifex Bullam, quæ *Mare Magnum* appellatur, revocasset. Quod expostulabant tandem obtinuissent, ni Cardinales non exigua mala metuentes apud Pontificem intercessissent: ex quo factum est ex aliqua tantum parte, ægerrime id ferentibus Episcopis, Bullæ privilegia Leonem X. irrita voluisse. Legantur Raynaldus ad an. 1515. & 1516. & Spondanus ad an. 1516. Quæ vero moderatum fuerit Concilium Tridentinum Regularium privilegia variis in locis expendunt Canonistæ, & præcipue Fagnanus *in cap. Grave de Offic. Ordin.*

Cæterum cum ex privilegio facultas oriatur vel præ-

præter vel contra jus agendi, si Papæ concedendi privilegii potestas non desit, neque deest authoritas tribuendi ne canones privilegiis adversantes attendantur. PP. ergo Concilii Ansani privilegium a S. Odilona prolatum sane ex ea solum ratione respuere non poterant, quia sacris canonibus contrairet. Ita exorbitans fortassa ipsis visum est, ut judicaverint in ipsius concessione ubrepeum subreptumve Romano Pontifici fuisse.

Illud demum fatandum optimum essa, si Regulares ab usu suorum privilegiorum abstineant, quoties Episcopi illos sincero charitatis affectu prosequuntur, & solius ecclesiasticæ disciplinæ amore quædam aggrediuntur, quæ in ipsorum grava non cedunt præjudicium. Tunc privilegiorum obtentu obstrepere, non est sina gravi fidelium scandalo, ac ille mutuus charitatis nexus dissolvitur, qui intercedere debet inter ecclesiæ Antistites eosdemque Regulares; unde fit reverentiam tantæ dignitatis culmini debitam quandoque minui, ac morum reformationem non satis promoveri. Omnibus notum est, quæ S. Franciscus suis Fratribus responderit, dum ipsum hortarentur, ut a Pontifice diploma expostularet, quo citra Episcopi permissionem fas illis esset concionari. *Adhuc, ait, & vos sine intellectu estis, nec scitis Dei voluntatem. Illa enim est ut prius per sanctam humilitatem, & dignam reverentiam convertamus, & lucremur prælatos, deinde sancta verbo & opere illis subjectos. Dum enim Episcopi sanctam vestram conversationem, & laudabilem vitam conspexerint, neque velle vos illorum authoritati præjudicare, ipsi vos rogabunt ut eis cooperemini. Hoc itaque sit nobis singulare privilegium nullum habere privilegium, per quod elevemur in superbiam, vel in quo confisi velimus illis præjudicare, vel lites excitare*: Wadingh. ad an. 1213. n. 56. & ad an. 1219. num. 26. Sed & videnda quæ dixi tom. 3. pag. 115. *& seq.*

Quam longe ergo absunt ab ea quam commendabat S. Franciscus humilitate Regulares illi, qui sub dignitatis, quam in sua religione obtinent, prætexto, renuunt ecclesiæ Præsulibus subjici etiam ubi privilegia non possunt opponere? Vidimus quandoque hujusmodi Regulares a subeundo pro excipiendis confessionibus examine alienos, quasi nimis suam deprimerent dignitatem, quando inspicere debebant non ex eo satis constare sufficiens doctrinæ penu comparasse, quia Dignitatem in sua assequuti fuerint Religione.

Nota.

NOn diffitendum etiam in Abbatum electionibus Principes suam authoritatem immiscuisse, ut apud Thomassinum *Vet. & nov. eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 38. & seq.* Hinc factum est Innocentium III. adlaborasse, ut a necessitate consensus Principum electiones eximeret, ut apud eumdem Thomassinum *c. 39. n. 9.* Quid modo concessum sit Galliæ Regibus vi Concordatorum exhibet *cap. 40. n. 2.*

ARTICULUS IX.

De Bonis Ecclesiæ, & eorum Administratione, Saeculis XI. & XII.

Clerici bonorum Ecclesiasticorum dispensatores, non domini.

I. ECclesiasticorum bonorum Clericos esse dispensatores dumtaxat, non dominos, doctrina erat undecimo & duodecimo seculo recepta: quidquid proinde ultra victum & vestitum supererat, in pauperum subsidium cedere debere. Ita docuit *S. Bernardus* Epistola II. ad *Fulconem* data. *Conceditur ergo tibi* (inquit) *ut si bene deservis, de altario vivas: non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi frana aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea a collo & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Orabat quidem Sapiens tantum victui sua tribui necessaria, non superflua. Habentes* [*ait Apostolus*] victum & vestitum; *non victum & ornatum. Et quidam alius Sanctus*: Si dederit [*inquit*] mihi Dominus panem ad manducandum, & vestimentum quo operiar. *Nota*, quo operiar. *Sic ergo & nos contenti simus vestimentis quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus mulierculis vel similari, vel placere studeamus.* Et Epistola 42. ad *Henricum* Senonensem Archiepiscopum: *Clamant nudi* (inquit) *clamant famelici: Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, & nos Sanguine Christi redempti sumus: Nos ergo fratres vestri. Videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros: vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando permitis*, &c. Idem in Apologia ad *Guillelmum* Abbatem cap. 12. superfluum Ecclesiarum ornatum improbat, quo patrimonium pauperum exhauritur; illumque sæpe cupiditatis fœtum essa potius ostendit, quam pietatis. *An hoc totum*, inquit, *facis avaritia, quæ est idolorum servitus, & non requirimus fructum, sed datum? Si quæris quomodo? miro, inquam, modo. Tali quadam arte spargitur æs, ut multiplicetur. Expenditur ut augeatur & effusia copiam parit. Ipsa quippe visu sumptuosarum, sed mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum, quam ad orandum. Sic opes opibus hauriuntur, sic pecunia pecuniam trahit, quia nescio quo pacto ubi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro tectis Reliquiis saginantur oculi & loculi aperiuntur. Ostenditur pulcherrima forma Sancti vel Sanctæ alicujus, & eo creditur sanctior, quo coloratior: currunt homines ad osculandum, invitantur ad donandum, & magis mirantur pulchra, quam venerantur sacra ...... O vanitas vanitatum, sed non vanior, quam insanior! Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget; suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum serviuntur oculis divitum. Inveniunt curiosi quo delectentur, & non inveniunt miseri quo sustententur.*

Prov. 30. 1. ad Tim. 6. Gen. 28.

Superfluum Templorum ornatum S. Bernardus improbat.

His gemina sunt quæ *Gaufridus* Clarevallensis Abbas scripsit §. 17. Declamationum in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia*, ex *Sancti Bernardi* sententiis contextarum „ Sed esto, *inquit*, studiose „ quis & fructuose laboret: Dignus *plane* est ope„ rarius mercede sua: ut qui altario servit, de al„ tario vivat. Vivat, *inquam*, de altario, ut jux„ ta eumdem Apostolum, Alimenta & quibus te„ gatur habens, his contentus sit. Tertium enim „ huc periculum est: De altario, inquit, vivat: „ Non superbiat, non luxurietur, denique non „ ditetur: Nun, contra Sancti cujusdam plane „ dignam omni acceptione sententiam, ex Cleri„ cato ditior fiat. Non sibi de bonis Ecclesiæ am„ pla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis; „ nec loculos inde congreget; nec in vanitate aut „ superfluitate dispergat; non extollat de facul„ tatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes „ (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum „ non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse „ dignoscitor. Sane patrimonia sunt pauperum, fa„ cultates Ecclesiarum: & sacrilega eis crudelitate „ surripitur, quidquid sibi Ministri & Dispensatores „ non utique domini & possessores, ultra victum ac„ cipiunt & vestitum.

S. Hieronymus ad Nepotianum.

Bonorum Ecclesiasticorum abusus.

Audiendus hoc de argumento *Arnulphus* Lexoviensis Episcopus in Sermone habito in Concilio Turonensi. „ Paupertatem Christi (*inquit*) verbo prædi„ camus, sed minus exhibemus exemplo: Nisi quia „ fortasse paupertatem ejus in nobis spiritualiter di„ vitiarum contemptus, & humilitas sancta restaurat. „ Neque enim requiritur a nobis divitiarum indi„ gentia, sed contemptus. Divitiæ, inquit, si affluant „ nolite cor apponere: Non dixit, ne affluant, „ sed ne cor apponatur: Porro cor prohibuit appo„ nere, sed non manum. Profecto Propheta in om„ ni affluentia divitiarum pauperem se prædicat & e„ genum; possumus itaque licite divitias possidere, si „ tamen earum nos non reputaverimus dominos, sed „ ministros: Si intellexerimus patrimonium pauperum

Proventus Ecclesiastici, Patrimonia pauperum. Qui illis abutuntur, fures sunt.

rum esse patrimonium Christi, si proventibus Ecclesiæ, si pauperum necessitatibus erogantur. Alioquin fures & latrones nos ratio manifesta convincet, si res alienas invitis dominis, nostro præsumpserimus arbitrio contrectare.

Virorum Nobilium qui ad Ecclesiæ regimen assumuntur generositatem ad sumptus extraordinarios faciendos, Episcopalis modestia cohibere debet.

Idem docet *Petrus Blesensis* Epistola XV. ad *Rainaldum* Episcopum Carnotensem electum. „ Hodie [*inquit*] in promotione quorumdam prima quæstio est, quæ sit summa redditRuum, non quæ sit conversatio subjectorum : Verumtamen Deus non irridetur. Ad honorem vocavit te propter onera, non ad multiplicandum numerum familiæ aut equorum : non ad dandas parentibus dignitates, sed ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Majus gaudium Deo & Angelis ejus, si convertatur peccator a via sua mala Prælati officio, quam si per ejus industriam pompa Episcopalis eminentiæ in evectionibus & familiie augeatur. Non est in hoc gaudium Angelorum, in quo est pauperum domorum subversio, a quibus procurationes exigis importunas. Conqueruntur & dicuot : Quia multiplicasti gentem & non magnificasti lætitiam. Si te illius Discipulum profiteris qui venit ministrare, non ministrari; sic ministrabis pauperibus, ut non vituperetur ministerium tuum ut patrimonium Christi & pauperum ejus, quod tibi commissum est, in egentium necessitates. non in usus extraordinarios expendatur. Patrimonii hujus zelator est Dominus, rationem tecum districtissimam positurus, & usque ad novissimum quadrantem exiget universa. Nec te poterunt excusabilem reddere tuæ generositatis eminentia, & numerositas clientelæ, Si quia filius Comitis, aut consobrinus Regis es, manu effusiore teneris expendere : necessitas hæc Christi patrimonium non continet. Expensas, quas de rebus mundanis fecisses, alias fortassis enormes pro tua generositate, debet in rebus Ecclesiasticis Episcopalis modestia cohibere. *Et Epistola* XX. *de redditRuum Ecclesiasticorum dispensatione per Episcopum facienda sic loquitur :* „ Beneficiorum quæ pauperibus conferuntur, mensura debet esse immensitas. Non militibus, sed pauperibus erogare tenetur patrimonium Crucifixi; cujus ipse non dominus, sed tutor est, ut misereatur & commodet ad usus egentium tamquam testamentarius dispensator.

Episcopalis Eleemosyna.

Possessiones ex Ecclesiæ bonis acquisitas, aut pecunias ex redditibus Ecclesiasticis residuas, Clerici transmittere non poterant ad hæredes.

II. Episcopi, cæterique Clerici, possessiones ex Ecclesiæ bonis acquisitas, aut pecunias ex redditibus Ecclesiasticis residuas transmittere non poterant ad heredes. Id constat ex *Gratiano* Causa 12. Quæst. 3. 4. & 5. cap. *placuit*, quod ex Concilio Carthaginensi 3. Cap. 49. desumptum est. Cap. *Quicumque*, quod ex Concilio Toletano 9. Canone 4. Cap. *Pontifices*, quod ex Concilio Agathensi Canone 6. Cap. *Episcopus*, quod ex Concilio Toletano 9. cap. 6. Cap. *Sacerdotes* ex eodem Concilio, cap. *Presbyter*. ex Concilio Agathensi, Canone 54. cap. *Nulli*, ex *Gregorio* Epistola 42. libri 10. cap. *Obitum*, ex eodem, Epistola 22. libri 4. cap. *Fixam*, quod ex Concilio Parisiensi 6. lib. 1. cap. 24. & ex lib. 5. Capitolarium cap. 175. est depromptum, cap. *Si Episcopus*, quod ex Agathensi Concilio Canone 51. cap. *Sicubi*, quod ex Concilio Tarraconensi, Canone 12. & cap. *Quicumque*, quod ex Concilio Triburiensi. Hæc disciplina undecimo & duodecimo sæculo in Ecclesia vigebat, ac summa religione observabatur. Eadem disciplina confirmatur lib. 3. Decretalium Tit. 25. *De peculio Clericorum*, cap. *Ut unusquisque* quod *Pio* Papæ, & Capit. *Inquirendum est*: quod Remensi Concilio tribuitur. Cap. *Cum in Officiis*; Tit. sequenti *De Testamentis*, quod ex Concilio Lateranensi 3. Canone 15. desumptum est, cujus hæc sunt verba : *Cum in officiis caritatis primo loco illis teneamur obnoxii, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse : e contra quidam Clerici, cum ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eas acquisita in alios transferre præsumunt. Hoc igitur quia antiquis Canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* Ibidem Cap. *Ad hæc*, & cap. *Qui nos*, Alexandri 3. Decreta de eodem disciplinæ capite referuntur. Primum his verbis conceptus est : *Ad hæc præsentibus innotescat, quod Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possunt : Viventes tamen & sui compotes, moderate valent aliqua de bonis ipsis non ratione testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare, in ægritudine constituti :* Alterum vero Caput sic habet : *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod licet Clerici de his quæ paterna successione, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant : de his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum.* De mobilibus dumtaxat per Ecclesiam acquisitis, in pios usus, sive intuitu eleemosynæ, & moderate, aliquid largiri, Clericis seu viventibus, seu morientibus licebat; non propinquos, aut extraneos heredes ex asse instituere : bonorum etiam mobilium, multo minus immobilium, ex Ecclesiæ redditibus acquisitorum. Idem Pontifex cap. *Relatum est*, Canonem Concilii Lateranensis 3. supra laudatum de omnibus omnino bonis Clericorum per Ecclesiam acquisitis intelligendum esse declarat. *Respondemus* (inquit) *quod generaliter bona qualibet per Ecclesiam acquisita, sic debent juxta Lateranense Concilium, post acquirentis obitum remanere. Nomine autem Ecclesiæ non Episcopus vel Successor clerici morientis, ubi est Collegium Clericorum, sed communis Congregatio intelligitur, quæ rerum illarum debet Canonicam distributionem & curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum unus est ordinandus, is ea bona [sicut & alia ipsius Ecclesiæ] in Dei timore dispenset. Licet autem mobilia per Ecclesiam acquisita, de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint ; consuetudinis tamen est non improbandæ, ut de his pauperibus & religiosis locis & illis qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Cæterum quæ ex hereditate, vel artificio, vel doctrina proveniant, distribuantur pro arbitrio decedentis. Quia vero nonnulli in diversis Ecclesiis beneficia possident, dividantur quæ habuerant, per æstimationem congruam inter ipsas.*

S. Bernardus Epistola 276. apud *Eugenium III.* Pontificem Maximum questus est *Hugonem* Autisiodorensem Episcopum ex primo Abbate Pontiniacensi moribundum, & parum sui compotem *Stephano* quodam suadente & suggerente, totum quod acquisierat, nepoti suo, carnali adolescentulo, sæculari, inutili dimisisse : & tam irreligiosum reilamentom a Summo Pontifice in irritum mitti postulavit ; *Adest*, inquit, *homo qui peccare fecit Israel Sanctum loquor Episcopum : qui cum in morte aliquantum stupidus esset & turbatus, iste eum fecit mori pene intestatum. Cum enim pauperibus & Ecclesiis, aut nihil aut parum daret, nepoti suo, carnali adolescentulo, sæculari, inutili totum pene quod acquisierat mensa Episcopali Stephano suggerente & sollicitante dimisit .... Quis credat virum spiritualem, si sapuit, si compos sui fuit, testamentum tale fecisse ? Quis vel sæcularissimus hoc dixerit testamentum sacerdotis ? Haeccine dispositio hominis sobrii & spiritualis illius qui omnia dijudicat, & ipse a nemine judicatur ? A quo enim, si ita remanserit, sive in cælo, sive in terra, iste non judicabitur ? Tu ergo, serve Dei ? qui tenes gladium Petri, amputa confusionem opprobrii a Religione, scandalum ab Ecclesia : crimen a persona, a spiritualium omnium qui eum in spiritu & non carnaliter diligebant, & tuo ipsius corde amaritudinem & dolorem. Exurge Phinees ! Sta & placa, ut cesset quassatio. Sta, inquam, inflexibilis adversus carnem & sanguinem, quo ariete murum tuæ constantiæ filii hujus sæculi proculdubio concutere conabuntur. Vera pietas est in avunculum, si super hujusmodi impius extiteris in nepotem.*

ARTICULUS X.

De Immunitatibus & Oneribus Ecclesiarum.

Possessiones Ecclesiarum a publicis exactionibus, personæ Clericorum a publica servitute liberæ.

I. POssessiones Ecclesiarum a publicis exactionibus immunes erant undecimo & duodecimo sæculo, ut & personæ clericorum ab omni servitute pu-

publica liberæ. Hanc libertatem tuita est Melfitana Synodus anno millesimo octogesimo-nono, Canone XI. *Ne gravamen aliquod* (inquit) *Sancta patiatur Ecclesia, nullum jus laicis in clericos esse volumus & censemus. Unde cavendum est, ne serviles conditionis aut Curialium Officiorum obnoxii ab Episcopis promoveantur in clerum. Neque liceat laicis exactionem aliquam pro Ecclesiæ beneficiis, aut paternis maternisve facultatibus quærere.* Sanctus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, & libertatis Ecclesiasticæ martyr, pacem cum Angliæ Rege *Henrico* inire noluit, nisi ab Ecclesiarum oppressione temperaret, ablatosque ipsis reditus restitueret. Fuere qui hanc sancti Archipræsulis severitatem improbarent. At ipsum a calumnia vindicavit, eumque propterea laudavit *Petrus* Abbas Cellensis Epistola X. libri I. ad ipsum data. *Dicunt enim* (inquit) *Non debet Archiepiscopus tam instanter sua repetere a Rege Angliæ, ut dimittat reconciliationis pacem pro amissa pecunia. Falluntur specie veri, vel adulatione falsi. Qui specie veri decipiuntur, instruendi sunt: Qui adulatione falsi, repellendi.... Cæterum pensandum est in omni tam contractu, quam actu, quid, propter quid faciendum, vel dimittendum sit. Pensanda etiam sunt tempora, & diversi status temporum, secundum quos mutantur merita causarum. Nam in primitiva Ecclesia sola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam dimitteret & pallium. Alius enim erat, & alibi, id est, extra Ecclesiam, qui persequebatur; alius & alibi, id est, intra Ecclesiam, qui patiebatur. Modo vero jam adulta Ecclesia, non licet filiis Ecclesiæ, quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, sicut decuit pupillum tolerare adversarium.* Ex quibus colligitur, Ecclesiam spiritalibus armis libertatem suam adversus potestatum sæcularium indebitas exactiones & gravamina tueri posse.

Œcumenica Synodus Lateranensis III. Canone XIX. Ecclesias a publicis oneribus liberas & immunes esse jubet. *Non minus*, inquit, *pro peccato eorum qui faciunt, quam pro illorum detrimento qui sustinent, grave nimis esse dignoscitur, quod in diversis partibus mundi Rectores & Consules civitatum, necnon & alii qui potestatem habere videntur, tot Ecclesiis frequenter onera imponunt, & ita gravibus eas crebrisque exactionibus premunt, ut deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui divinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis servituti subjectis, Sacerdotes suos & eorum possessiones in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. Isti vero universa fere onera sua imponunt Ecclesiis, & tot angariis eas affligunt, ut illud eis, quod Jeremias deplorat, competere videatur:* Princeps provinciarum facta est sub tributo. *Sive quidem fossata, sive expeditiones, sive quælibet sibi arbitrentur agenda: de bonis Ecclesiarum, clericorum, & pauperum Christi usibus deputatis cuncta volunt fere compilari .... Quocirca sub anathematis districtione severius prohibemus, ne de cætero talia præsumant attentare, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla coactione, ad relevandas communes necessitates; ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem Consules, aut alii, de cætero id præsumpserint, & commoniti desistere forte noluerint, tam ipsi, quam eorum fautores, excommunicationi se noverint subjacere, nec communioni fidelium reddantur, nisi satisfactionem fecerint competentem.*

Decimarum & Donorum gratuitorum a Clero ob Reipublicæ necessitates contributio.

II. Duodecimo sæculo Clerus ob publicas Ecclesiæ ac Reipublicæ necessitates, decimas, & dona gratuita contribuit. Ita cum *Robertus* Normanniæ Dux in expeditionem Hierosolymitanam proficisci decrevisset, & pro decem mille marcis argenti *Willelmo* Regi Angliæ fratri suo Ducatum impignorasset, omnibus Angliæ Ordinibus ad conferendum aliquid ad hanc summam conficiendam compulsis, conventus est & *S. Anselmus* Cantuariensis Archiepiscopus & „ Ut ipse quoque manum auxilii sui in tam rationabili causa Regi extenderet, a quibusdam suis est amicis admonitus. Intellexit ille & rationis esse, & honestatis, hoc facere, sed propriarum rerum tenuitate constrictus, unde expleret, quod faciendum fore videbat, non habebat. Usus igitur consilio Magnorum virorum, Walchelmi videlicet Wentani Pontificis, & Gundulfi Roffensis, necnon aliorum, quorum in hujusce negotii consilio par credi judicabatur, de thesauro Ecclesiæ Cantuariensis partim in auro, partim in argento, valens ducentas argenti marcas, connivente majori parte conventus accepit, quod præfato Regi cum illis quæ de suis habere poterat, pro instanti necessitate, ut rebus consuleret, pariter contulit. Verum in hoc facto nullum Successoribus suis, quod imitarentur, exemplum relinquere volens, suam dominicam villam suam quæ Peccheham vocatur, spatio septem annorum ejusdem Ecclesiæ juri concessit, quatenus ea redditibus ipsius villæ qui circiter triginta libræ denariorum illis diebus erant, illatum Ecclesiæ damnum restitueretur. Refert *Eadmerus* lib. II. *Historiæ Novorum*. Sic pro expeditione in Terram Sanctam promovenda *Philippus Augustus* Rex Christianissimus in Comitiis Regni anno MCLXXXVIII. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & totius Regni Baronibus consentientibus, Decimarum solutionem Clero etiam impetravit, quæ *Saladinæ* dictæ sunt. Non Clericis duntaxat, sed Laicis impositum fuit hoc onus, ad annum tantum, cum assensu Cleri, & propter instantem necessitatem, teste *Rigordo* in Vita Philippi Augusti. *Et propter hanc instantem necessitatem* (inquit) *quippe enim iter Hierosolymitanum Rex affectabat, cum assensu Cleri & populi, quasdam Decimas ab omnibus esse accipiendas eo tantum anno decrevit, quæ dictæ sunt Decimæ Saladinæ.* Easdem in Anglia decrevit Rex *Henricus II.* teste *Rogerio de Hoveden* ad annum MCLXXXVIII. *Dispositum est,* (inquit) *a Regibus, & Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Principibus terræ, quod omnes tam Clerici quam Laici, Decimas redituum mobilium dabunt.* De hac Decimarum exactione Authores quidam minus æque scripsere, si modus in iis exigendis servatus est.

Decimæ Saladinæ.

Petrus Blesensis Aurelianensem Episcopum hortatus est Epistola 112. ut Regi Christianissimo persuaderet, orationum duntaxat, non pecuniarum subsidium a Clericis pro bello sacro exigendum esse; atque immunitatem Ecclesiasticam apud ipsum tueretur. *Bellorum lex publica est* (inquit) *ut munificentia Principalis suis commilitonibus de castrensi obventione stipendia largiatur. Quæ ratio est, ut qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spoliis, & donis triumphalibus ampliare debuerant? Putant ne insipientes & miseri, quod Christus, qui summa justitia est, velit sibi de injuriis, & sacrilegio exhiberi sacrificium, aut sustineat commissa ex his spolia prosperari? Numquam pauperum, numquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt eventus auspicium. Ideo in ultima peregrinatione effusa est contentio super Principes, & errare fecit eos Dominus in invio, & non in via. Patrimonium Christi & Ecclesiæ suæ hodie vertitur in occasionem scandali, & materiam servitutis. Certe sub Pharaone, cum ex Principali Decreto omnes ad collationem quintæ partis generaliter urgerentur, Sacerdotes tamen fuerunt ab observantia & onere illius Constitutionis immunes. In Libro etiam Numeri, ad figuram perpetuæ libertatis præcipit Dominus Leviticam Tribum ab omni publica functione liberam esse, Summique Pontificis duntaxat arbitrio subjacere. Quid aliud a Pontificibus, vel a Clero potest vel debet Princeps exigere, quam ut incessanter fiat oratio ab Ecclesia ad Deum pro eo? Scio quod si Rex tuus angariis, parangariis, exactionibus, capitationibus, cæterisque sordidis & extraordinariis muneribus Ecclesiam decreverit prægravare, quamplures Episcopos hujus rei fautores inveniet. Ipsi enim Evangelicæ libertatis obliti, qua non solum filios Dei, sed amicos facit, in ignominiam servitutis perpetuæ sibi permittunt aurem subula perforari. Sic olim Rege Antiocho jura Templi & Sacerdotii pervertente, multi de Israel egressi sunt, qui solius adulationis, aut vani timoris instinctu, in consensum illius tyrannidis transierunt. Tu vero, Reverendissime Pater, pro domo Israel ex adverso ascendas, & pro Testamento Dei murum inexpugnabilem te opponas. Enorme namque famæ & animæ Discrimen incurres, si hanc injuriam Christi silentio aut neglectu dissimules. Doctrina & exhortatione tua recolat*

Illarum exactionem decimarum non probat Petrus Blesensis.

De-

Dominus Rex, se non ad oppressionem pauperum, sed ad tuitionem Ecclesiæ, potestatem gladii ab Ecclesia sust episse. Idem Epistola XX. de eadem Decimarum exactione scribit: *Exiit Edictum a Philippo Rege, ut describeretur Gallicus orbis, & oneraretur Ecclesia Decimationibus recidivis. Sic paulatim transibit Decimatio in consuetudinem, & præsumpta semel abusio ignominiosam Ecclesiæ servitutem infliget.*

Matthæus Paris ad annum 1188. Decimationem universo Clero populoque Angliæ impositam nomine subventionis pro Bello Hierosolymitano, verbis etiam asperioribus perstringit. *Eadem tempore* (inquit) *Decima pars mobilium generalis concessa per Angliam, ut collecta ad subventionem Terræ Sanctæ impenderetur, tam Clerum, quam populum exactione violenta perterruit, quæ sub eleemosynæ titulo vitium rapacitatis inclusit.*

Ecclesia laboranti Reipublicæ Regique sponte subvenire debet.

Cum Rex *Philippus Augustus*, exhausto ærario ad belli sumptus pecunia indigeret, rogavit Clerum Remensem ut sibi opem ferret, sicut Ecclesia solet juvare Patronos in necessitate constitutos. Respondit Clerus, se ad orationes pro Rege & ejus exercitu fundendas, non ad pecuniæ collationem teneri. Tunc Rex dissimulavit injuriam. Sed cum postea idem Clerus ejus Majestati supplicaret ut ab infestationibus & vexationibus quorumdam Comitum Ecclesiam populumque Remensem liberaret, respondit *Philippus Augustus*, se ipsis eodem modo subventurum, quo sibi in necessitate opem tulerant. Comites rogavit; precibus Regiis non essere. Tunc, sero licet, agnovere Clerici, Ecclesiam laboranti Reipublicæ, Regique subvenire debere, cum subsidium rogat ad hostes coercendos: siquidem ejus defensione indiget ad bona sua, ac libertatem tuendam. Ita refert *Willelmus Brito* Lib. I. *Philippidos*:

Tempore cujusdam guerræ, Rex prodigus æris,
Cum Rex exigeret numerare stipendia multis,
Clerum Remensem petiit, scriptoque rogavit,
Ut sibi subsidium fieret, quo gratior illi
Ad tantos vellet sumptus impendere gratis,
Ut solet Ecclesia Patronos sæpe juvare.
Qui pro Rege suo Regi suffragia summo
Fundere cum precibus ajunt se jure teneri,
Non solidos dare, vel censum, ne postea forte
Ecclesiæ pariant ex consuetudine damnum.
Postmodo cum bello fruerentur pace sepulto
Rex Proceresque sui, res ardua protinus egit
Clerum Remensem versa vice poscere Regem,
Restella, Cocii Comites, Dominusque Roseti.
Non attendentes Regisve Deive timorem,
Certatim Ecclesiæ patrimonia dilapidabant,
Damnosis populum Clerumque premendo rapinis.
Gaudet, & hoc breve Rex responsum dedit eisdem:
Vos prece me sola nuper juvistis, eadem
Lege relata nunc vice prælia vestra juvabo.
Dixerat, & scripto Comites rogat, Ecclesiarum
Ut spoliis, Cleroque velint desistere damnis,
Acrius hoc illi perstant, gravioraque damna
Clero non cessant inferre, locisque sacratis:
Nec magnum reputant Comites a Rege rogari,
Qui minimo potuit illos compescere jussu.
Denique cognovit Clerus, [vexatio quippe
Rem docuit] quanto studio, quantoque labore
Debeat Ecclesia sibi quærere Regis amorem,
Summopereque ejus sibi procurare favorem,
Quo sine defendi nequeant patrimonia Christi.
Mox Regi supplicant, & se peccasse fatentur,
Atque satisfaciunt plene super hoc, quod ab illis
Nil tulit auxilii contra sua bella petiti.

Anno 1102. Petro Aragonum Regi, sub initia belli sacri adversus Mauros, posterisque Regibus atque Regni Proceribus concessit *Urbanus II.* ut Templorum quæ denuo extructa essent, Decimas & redditus ipsi perciperent, exceptis tantum iis, quæ Episcoporum Sedes erant. Tanta erat cupiditas impiæ gentis extirpandæ, ut quid incommodi ea indulgentia allatura esset in posterum, non satis considerare viderentur. Ita refert *Mariana*.

Episcopi & Abbates Militiam Regibus subministrabant.

III. Episcopi & Abbates feuda Regia possidentes Militiam Regibus subministrabant sæculis undecimo & duodecimo. De hac servitute *Beatus Petrus Damiani* Opusculo vigesimo itu scribit ad *Alexandrum II.* laudans *S. Bonitum* Arvernorum Episcopum, qui Episcopatum de manu Regis susceptum dimiserat: *Quid rogo iste faceret, si tormenta quibus nostri cruciantur Episcopi & ipse perferret? Si scutatorum & lanceatorum turmæ post equitantis terga confluerent? Si eum tamquam gentilis Militiæ Ducem in procinctu positum armati undique manipuli constiparent? Et quem decuerat reverenter incedere cum choro Psallentium, audire cogeretur hinc & inde perstrepentium tinnitus armorum? Unde fit ut modo Pontificem non comitentur, ut dignum est, diversi Clericorum Ordines; sed castra potius, & armati telis vibrantibus bellatores. Pensemus etiam quale hoc sit, quia hæc nonnulli & inviti perferunt; & tamen eos, quos tolerant prædiis ac facultatibus Ecclesiæ, velint nolint, carius emunt.*

Ejusdem testis est servitutis *Yvo* Carnotensis Episcopus Epistola XXVIII. ad *Philippum* Regem. *Excellentiæ*, inquit, *vestræ Literas nuper accepi, quibus submonebar ut apud Ponteſium vel Calvum-montem, cum manu Militum vobis die, quem statueratis, occurrerem iturus vobiscum ad Placitum quod futurum est inter Regem Anglorum, & Comitem Normannorum, quod facere ad præsens magna & multa causa me prohibent ..... Casati Ecclesiæ, & reliqui Milites pene omnes vel absunt, vel pro pace violata excommunicati sunt quos sine satisfactione reconciliare non valeo, & excommunicatos in hostem mittere non debeo.*

Idem testatur Vita *Sancti Arnulphi* Suessionensis Episcopi a *Lisiardo* ejus Successore scripta, quæ apud *Surium* legitur ad diem 15. Augusti. Narrat scilicet Cap. XVII. ipsum, cum Abbas esset *Sancti Medardi*, dignitate se abdicasse, quod Rege *Philippo I.* jubente, ad bellum proficisci nollet: *Egone* (inquit) *relicta causa Dei, rursus militibus stipabor, cum militibus rursus arma tractabo? Grande profecto id nefas fuerit. Malim sane Abbatis & nomine & loco perpetuo caruisse, quam sub hujus dignitatis prætextu iterum sæculo inservire. Id ubi comperit Philippus Rex, a malis Consiliariis depravatus, misit Legatos qui dicerent, Abbatiam magnis opibus & possessionibus instructam, Militibus, qui Regis essent Beneficiarii, circumfultam, qui antiquitus consuevissent cum Abbate Regiæ expeditioni adesse. Faceret ergo quod mos haberet antiquus, aut loco cederet, quo Regis jussa complerentur. His auditis, vir eximius cellam repetit, sese in ea concludit, pro nihilo ducens illud culmen honoris.*

Anno 1049. cum *Leo IX.* Pontifex Maximus ad Concilium Remis celebrandum se pararet, Episcopi quidam & Abbates, qui Censuram Pontificiam & Synodicam ob crimina metuebant, *Henrico I.* Regi Christianissimo suggessere *Nullum Antecessorum ejus id aliquando concessisse, ut ob similem causam in Franciæ urbes ingressus pateret alicui Papæ. His vero agendis pacis & tranquillitatis congrua esse tempora ... . Regiæ dignitati congruere utilitati Reipublicæ sapienter consulere potius, quam Synodis intendere, Principes suos, & totius exercitus sui potentiam in rebelles commovere. Ipsos etiam Episcopos & Abbates penes quos maxima pars facultatum Regni est, immunes hujus expeditionis esse non debere; ante alios Abbatem Sancti Remigii ...... Has igitur versipelli persuasione Rex emollitus, Papæ per Sylvanectensem mandat Episcopum, se suosque Pontifices cum Abbatibus cogi ad comprimendam pervicaciam sibi resistentium, ideoque non posse occurrere illi in præfixo termino ad peragendum Concilium ... Unde adventum suum in Franciam in aliud tempus differat; quo absolutis hujusmodi negotiis, cum debito eum honore suscipiat. Ad hæc Papa remandat Promissionem Beato factam Remigio nequire se irritam facere, sed ad Basilicam ejus dedicandam proculdubio venturum: ubi, si qui divinæ Religionis amatores convenerint, cum eis Synodi rationem se fatetur habiturum. Cujus Mandati ad Regem relatione perlata, ipse tamen in rebelles iter aggreditur, coacta in unum ingenti exercitus sui Militia, sed & Episcopis, & plerisque Abbatibus contra voluntatem suam illo euntibus.* Ita referunt Acta Concilii.

Illi servituti subjectos fuisse in Galliis Episcopus sub

sub Regno Ludovici VI. testatur *Ordericus* Vitalis lib. XI. *Historia Ecclesiastica* ad annum 1108. *Ludovicus* (inquit) *ad comprimendam tyrannidem prædonum & seditiosorum, auxilium totam per Galliam deposcere coactus est Episcoporum. Tunc ergo Communitas in Francia popularis statuta est a Præsulibus, ut Presbyteri comitarentur Regi ad obsidionem vel pugnam cum vexillis & Parochianis omnibus*. Et ad annum 1119. ubi narravit Regem, re infœliciter gesta in Normannia adversus Anglum, Parisios tristem rediisse, ait *Almaricum*, qui bello non interfuerat ejus Majestatem gratia consolationis adiisse, ipsique animos addidisse his verbis: *Nunc ergo confœderatis opibus Galliæ, & immensis viribus collectis, undique insurgens, ad reparanda laudis nostræ damna & potentiæ, salubre quoddam consilium accipe: Episcopi & Comites, aliæque Potestates Regni tui ad te conveniant, & Presbyteri cum omnibus Parochianis suis tecum, quo jusseris eant: ut communis exercitus communem vindictam super hostes publicos exerceat, &c. His itaque dictis exhilaratus Rex omnia fieri decrevit, ut præfatus Heros insinuavit. Celeres igitur veredarios direxit & Edictum suum Episcopis mandavit, Illi vero gratantes ei paruerunt, & Presbyteros Diœcesis suæ cum Parochianis suis Anathemate percusserunt, nisi Regis in expeditionem statuto tempore festinarent, & totis viribus rebelles Normannos protererent*. Et infra. *Noviomensis Episcopus & Laudunensis, aliique plures in illa expeditione fuerunt, & pro malevolentia quam in Normannos habebant, suis omne nefas permiserunt. Sacra etiam loca quasi ex divina authoritate violari concesserunt, ut ita legiones suas pluribus modis leniendo multiplicarent, fasque nefasque illis annuentes, in adversarios animarent*.

Idem constat ex *Sancto Bernardo* Epistola 42. seu Tractatu *De moribus & Officiis Episcoporum*, ad *Henricum* Archiepiscopum Senonensem, cap. 8. *Porro vos* (inquit) *si Cæsaris Successori, id est Regi sedulus in suis curiis, consiliis, negotiis exercitibusque adestis: indignum erit vobis cuicumque Christi Vicario taliter exhiberi, qualiter ab antiquo inter Ecclesias ordinatum est?*

Idem constat ex Privilegio quod *Ludovicus VI.* & *Ludovicus VII.* Reges Christianissimi Cœnobio *Sancti Martini a Campis* contulere. *Concedimus etiam* (inquiunt) *quod Beati Martini homines numquam in expeditionem vel equitatum ex consuetudine, nisi ex amore solummodo, & prece, & voluntate & licentia Prioris ibunt*.

Idem probat Edictum *Ludovici VII.* quo ortam inter Abbatem Tornodorensem, * & Oppidi incolas controversiam composuit, quod in historia Tornodorensi editum est. *Abbas* (inquit) *super Burgenses nullam deinceps faciet talliam, nisi pro auxilio, aut procuratione nostra, aut procuratione Domini Papæ, aut alicujus Cardinalium, si Abbas submonitus fuerit ad Concilium, vel ad Curiam Domini Papæ, aut pro incremento Ecclesiæ suæ, aut diminutione defendenda Dominum Papam adierit, aut ad nos venerit pro expeditione, aut pro regali nostro recipiendo, aut pro alio negotio nostro vel Ecclesiæ, quod fuerit grande, tune rationabile, secundum qualitatem aut quantitatem negotii quæret auxilium & capiet ab hominibus suis*.

* De Tournus.

De Anglia idem testatur *Sanctus Anselmus*, Epistola 33. libri 6. ad *Walterum* Cardinalem & Sedis Apostolicæ legatum data, qui ipsum rogaverat ut aliquem in locum de causis Ecclesiasticis acturi convenirent. *Est & aliud*, inquit, *quia ego a Cantuarberia elongari nullatenus audeo; quoniam quotidie expectamus, ut hostes de altra mare in Angliam per illos portus qui Cantuarberiæ vicini sunt, irruant. Propter quod Dominus meus Rex ore suo mihi præcepit, antequam ab illo apud Notingeham discederem; & postquam Cantuarberiam redii, mihi mandavit per literas proprio sigillo signatas, ut Cantuarberiam custodiam & semper paratus sim, ut quacumque hora nuntium eorum, qui littora maris ob hoc ipsum custodiant audiero: undique convocari jubeam equites & pedites, qui accurrentes, violentiæ hostium obsistunt. Et idcirco de Cantuaria exire non audeo, nisi in illam partem ex qua expectamus hostium adventum*. Legatur & Epistola 36.

De *Willelmo Conquestore* ad annum 1070. scribit Matthæus Paris: *Episcopatus & Abbatias omnes, quæ Baronias tenebant, & eatenus ab omni servitute sæculari libertatem habuerant, sub servitute statuit militari, irrotulans singulos Episcopatus & Abbatias pro voluntate sua, quot milites sibi & Successoribus suis hostilitatis tempore, voluit a singulis exhiberi. Et rotulos Ecclesiasticæ servitutis ponens in thesauris, multos viros Ecclesiasticos huic constitutioni pessimæ reluctantes a Regno fugavit*.

De Hispania in bellis præsertim adversus Saracenos gestis testes sunt *Blanchæ* Reginæ Matris *S. Ludovici* ad Comitissam Campaniæ literæ, quibus se relationem ex Hispania accepisse narrat de prælio adversus Saracenos commisso, & ordinem exercitus describit: *In prima acie fuit Didacus Lupi, & Garsias Romanus, & Abbas Cisterciensis, cum CCC. militibus hinc inde collectis, in secunda acie fuerunt omnes Episcopi, & omnes clerici, & omnes ordines, & Michael de Lusia. In tertia acie Reges in hunc modum; Rex Navarræ habuit dextrum latus, Rex Aragoniæ sinistrum, Rex Castellæ fuit in medio*. Extat apud *Duchesnium* Tom. V. *Scriptorum historiæ Francorum*. Episcopi & Abbates arma non tractabant, sed consiliis, mandatis, precibus, adhortationibus, sumptibus, militibus expeditionem promovebant. Hoc munere præclare glorioseque functus est *Martinus* Toletanus Archiepiscopus, quem *Aldephonsus* Rex Hispaniæ Ducem exercitus adversus Mauros constituit. Quem his verbis commendat *Rodericus* lib. 7. *De rebus Hispaniæ*, cap. 28. *Dux ejus Præsul Toleti. Magnates Regni in consiliis Præsulis, & exercitus omnis sub Præsule dignitatis nomen ejus Martinus Magnus. Et genus ejus a Pisorica: honor gentis vita ejus. Et stola ejus diadema Ecclesiæ: sapientia ejus pax multorum. Et lingua ejus informatio disciplinæ, manus ejus ad subsidium pauperum. Et cor ejus ad compassionem humilium, cingulum ejus zelus fidei. Et arma ejus ad persecutionem blasphemiæ. Agmen omne ad nutum illius, sanguis Arabum in conspectu illius. Regio Bætica flammis succenditur, & factum Præsulis prosperatur. Processit enim per castra Bætica terras & oppida succendendo, feliciter autem ad propria est reversus*.

IV. Genus aliud servitutis Ecclesiis impositum lego sæculo duodecimo; scilicet cum Reges pacem inibant, fidejubere interdum cogebantur Episcopi vel Abbates, & certam pecuniæ summam polliceri, si Princeps, pro quo spondebant, pacta conventa violaret. Id factum anno 1196. cum *Richardus I.* Angliæ, & *Philippus Augustus* Franciæ Reges, pacem jurarunt. *Walterum* Archiepiscopum Rothomagensem & ejus Capitulum compellere voluit *Richardus* Rex ut pro ipso Regi Francorum fidejussores essent. *Walterus* recusavit, quod in pactis quædam contra Ecclesiasticam jurisdictionem & libertatem continerentur. Exilium spontaneum, & redditnum suorum captionem proterea passus, paulopost Regis Christianissimi *Philippi*, quem Pontisaræ degentem adiit, benignitate recreatus est. *Noveritis* (inquit) *dilecte Archiepiscope & Sacerdos Christi, etiam cum contradictione Satraparum & Consiliariorum nostrorum, nos intuitu Dei & personæ vestræ non tantum preces vestras velle exaudire, sed & illis hoc conditionaliter superaddere; videlicet non solum vos, & Episcopos & Abbates, omnes Conventus & Ecclesias Diœcesis vestræ, qui fidejusserunt pro Rege Angliæ, absolvi a plegio & fidejussione qua nobis obligati sunt si Episcopos, Abbates, Conventus & Ecclesias, qui pro nobis erga eum fidejusserunt, voluerit & concesserit absolvi: Indecens enim & iniquum est, Ecclesias Dei, & Ecclesiasticas personas, pro excessibus nostris & Regis Angliæ puniri; vel eas sic extra voluntatem Ecclesiæ, juxta voluntatem Principum coarctari & obligari*. Ita *Walterus* ipse commemorat Epistola ad *Radulfum* Decanum Londoniensem, apud *Radulphum de Diceto* in *Imaginibus Historiarum* pag. 690.

Episcopi & Abbates interdum pro Regibus fidejubere cogebantur.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, Num. II. pag. 818. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem reprehendunt: *Rex Galliæ pro expeditione in Terram Sanctam* impe-

imperavit Clero solutionem Decimarum, consentientibus Episcopis.

R. Philippum Augustum Regem Christianissimum in Comitiis Regni anno 1188. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & totius Regni ordinibus consentientibus, Decimarum solutionem clero imperasse, quæ *Saladinæ* dictæ sunt, quia pro expeditione in Terram Sanctam promovenda impositæ, eo loci observo. Non clericis tantum, sed laicis etiam impositum hoc onus, ad annum tantum, cum assensu Cleri, propter instantem necessitatem, teste *Rigordo* in Vita *Philippi Augusti*. Historiæ res est: Factum refero, nihil ex eo colligo.

SCHOLION II.

Eidem Articulo, pag. 831. Edit. primæ religiosi Censores hanc notam appingunt: *Approbat quod cogantur clerici ad subveniendum Regi in suis necessitatibus, ut in Gallia id modo faciant sub titulo donativi voluntarii.*

R. Quæstionem illam ne quidem attingo. Verbum *cogendi*, aut æquivalens, hac in materia non usurpo. Eventum refero singularem, seu factum historicum ex Willelmo Britone lib. I. *Philippidos*; verbum *rogandi* usurpo, quo usus est ille historicus. Mihi perperam affingitur quod approbem *cogi clericos ad subveniendum Regi*. Ipsum *Doni gratuiti* nomen, de quo tamen eo loci non loquor, ostendit clerum Gallicanum non cogi ad subveniendum Regi, sed sponte donum conferre, Regesque precibus uti erga sacrum Ordinem, non jussionibus, ut ejus Majestati subsidio veniat. Cæterum falso me accusant RR. Censores quod Galliæ mores, bonos licet ac justos, in aliarum nationum Ecclesias invehi velim.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 836. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *In Gallia Ecclesiastici ibant ad bellum, & suppeditabant necessaria.*

R. Episcopos & Abbates XI. & XII. Sæculo militiam Regibus subministrasse. Illi servituti subjectos fuisse in Galliis Episcopos sub Regno *Ludovici sexti* observavi & probavi. Facti Quæstio est. Quot & quanta hujusmodi refert Vir Eruditus *Ludovicus Thomassinus* in suis de nova & antiqua Ecclesiæ disciplina libris, cui propterea nemo succensuit.

Nota.

Bonifacius VIII. ea constitutione *Clericis Laicos de immunit. eccl. in 6.* sancivit nullum onus a Principibus clero imponendum, nisi etiam summi Pontificis accederet consensus, eamque Constitutionem suum robur etiam in Gallia obtinuisse id ostendit, quod Rex rogavit Clementem V. ipsius opera ad Pontificatum evectum, ut vellet eam temperare. Præstitit id Clement *Clement. unic. de immunit. eccles.* eam tamen servandam voluit conditionem, ut Concilii Lateranensis III. sub Alexandro III. cap. 19. & Lateranensis IV. sub Innocentio III. cap. 46. decreta servarentur, quibus jubetur quod antequam hæc subsidia præstentur, summi Pontificis licentia postuletur. Et re vera huic paruit conditioni Philippus IV. apud Odericum Raynaldum ad anno 1306. num. 4. & alii Reges apud Spondanum ad an. 1336. Necessitatem ejusdem consensus immotam voluere alii Pontifices, & Concilia, & specialiter Synodus Constantiensis.

CAPUT VIII.

De Imperatoribus Orientis XI. & XII. Sæculo.

Ad annum usque vigesimum quintum undecimi sæculi imperavit *Basilius Bulgaroctonus* cum *Constantino* fratre. Hi anno nongentesimo septuagesimo-quinto Imperium fuerant auspicati. Triennio post obitum fratris superstes vixit *Constantinus*, ad annum scilicet millesimum vigesimum-octavum. Utriusque historiam delibavimus in Synopsi historiæ sæculi IX. & X. Cap. VI. Articulo VIII. Cæterorum Augustorum, qui XI. & XII. sæculo in Oriente imperarunt gesta hoc in capite exponimus.

ARTICULUS I.

De Romano Argyro & Michaele Paphlagone.

Romanus Argyrus.

I. Romanus Argyrus a *Constantino* Imperatore jam morti proximo vocatus, uxorem dimittere jussus est, & filiam ipsius ducere aut oculorum jacturam pati. Hæsitavit primum, sed ipsi audaciam afflavit uxor, quæ ipso carere maluit, & Sanctimonialem induere, quam esse in causa ut vel luminibus orbaretur, vel Imperio ipse careret. Filiam itaque *Constantini* duxit *Romanus* cum Imperii dote. Huic *Zoe* nomen. Initio religiosum se præbuit ac munificum erga Ecclesias, justum erga omnes. Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ reditus auxit. Allelengium, tributum immane abolevit. Publica debita condonavit, privata persolvit, captivos redemit, viros Ecclesiasticos sublevavit. *Prusiani* Bulgari, & *Constantini Diogenis* conjurationes dissipavit. Bellum in Syria gessit adversus Arabes, infœlici primum exitu, deinde prospero, damnis *Georgii Maniacis* virtute resarcitis. Missus deinde ab Imperatore *Theoctistus* Patritius ingenti cum exercitu, inito fœdere cum *Pinzaracho* Tripolis Amera, Barbaros profligavit. In Sicilia superiores fuere Saraceni: *Orestis* inertia, Romana pessumdata res est. *Constantinum Patritium Diogenem* conjurationis reum, a turri eductum Monachatu damnavit. *Theodoram* quoque sororem suam in Monasterium detrusit Imperatrix. Fœdus cum Præfecto Chalepi *Romanus* pepigit. Edessam recepit *Georgii Maniacis* armis. Subditos oppressit gravibus exactionibus, Monasterii, & Templi in honorem Deiparæ extruendorum prætextu. Nullis ex *Zoe* Augusta susceptis liberis, ipsam contemnere cœpit. Illa *Michaelis*, unius ex Imperialis cubiculi Ministris, amore capta, & adulterii consuetudine ipsi devincta, maritum veneno peremit, ut absque censore ejus amplexibus frueretur. Periit anno millesimo trigesimo-quarto, die undecima Aprilis, Feria V. Majoris Hebdomadæ, cum annos quinque & sex menses imperasset. Ista constant ex *Curopalate*, *Cedreno*, & *Zonara*.

A Zoe uxore adultera veneno extinctus.

Michael Paphlago.

II. *Michaelem Paphlagonem* adulterum suum in solium extulit *Zoe* Imperatrix, inito cum ipso connubio, sperans fore ut ipsi ad nutum pareret. Sed spe sua excidit: is enim clavum Imperii per se, & *Joanne* Eunucho Fratre suo Administro tractans, ab ipsa Eunuchos, & fidissimas ancillas abstraxit, Romani exemplo sibi metuens; ac selectas Matronas ipsi comites & custodes dedit. Eo imperante, *Georgius Maniaces* Siciliam a Saracenorum tyrannide ereptam recuperavit. Sed cum *Stephani* Classis Imperialis Præfecti calumniis Constantinopolim revocatus, & in vincula conjectus esset, eo absente, amissa Sicilia est, una Messana servata. Mutatio frumentarii tributi in pecuniariam exactionem, Bulgaros ad defectionem compulit. At paulo post ab *Alusiano* Theodosiopolis Præfecto, *S. Demetrio* Martyre opem ferente, cæsi sunt ad quindecim millia Bulgari, totidem capti, tota recepta Provincia est. *Michael Paphlago* seu Dæmonis vexatione, seu amentia, seu epileptico morbo identidem correptus, scelerum, quibus ad Imperium pervenerat, pœnas luit. Acto de Bulgaris triumpho, de seipso triumphavit magnificentius: deposita siquidem purpura & diademate, Vitam Monasticam professus est, expiandis criminibus & Deo promerendo vacans, reliquo, quod brevissimum fuit, vitæ tempore. *Joannem* ejus fratrem Constantinopolitano Patriarchatui inhiasse, & Metropolitas atque Episcopos ejus impulsu de *Alexii* Patriarchæ legitimi dejectione consilium iniisse tradunt Historici. Ut ab ipsis contra Canones intrusus dicebatur, illos hoc responso confudit: *Quando* [*ut vos*

Bulgari perduelles domiti.

Michael deposito diademate Vitam Monasticam profitetur.

dicitis

Theophanis Thessalonicensis Archiepiscopi exauthoratio ob avaritiam.

divitiis] *non suffragiis Pontificum, sed jussa Basilii Imperatoris hoc Solium contra Canones conscendi, agedum quos constitui Metropolitas per* 11. *annos ac semissem Ecclesiam gubernans, deponantur: Anathema quoque renuntietur tribus Imperatoribus, quos coronavi & cedo Solium volens*. Theophanis Thessalonicensis Archiepiscopi, Clericis frumentarium Canonem solvere recusantis, Thesauros excussit *Michael Paphlago*, inventisque auri centenariis triginta-tribus, ex his solvi jussit Clericis pretium frumenti, quod a primo Pontificatus anno ipsis debebat, reliquum pauperibus erogari; Theophanemque ob immanem avaritiam, ad quam perjurium addiderat, exauthoratum, in prædium quoddam jussit deportari: *Prometheo*, quam ejus in locum Archiepiscopum Thessalonicensem designavit, onus imposuit alimentorum ipsi præbendorum. Ita refert *Cedrenus*. Obiit *Michael Paphlago* anno 1041. die 10. Decembris; cum annos septem & menses octo Imperium, non sine clementiæ & æquitatis laude moderatus esset. De ipso legendi *Curopalates*, *Cedrenus*, *Zonaras*, &c.

ARTICULUS II.

De Michaele Calephato, Constantino Monomacho, & Theodora sorore Zoes.

Michael Calephatus.

I. M*ichaelis Paphlagonis* obitu summa rerum in *Zoen* recidit, quæ molem Imperii considerans, eique sustinendæ, ac tantis rebus tractandis imparem sciens esse fœminam, *Michaelem Calaphatum*, Cæsarem, defuncti Imperatoris ex sorore filium adoptavit, ac Augustum renunciavit, *Joanne Orphanotropho* in Monasterium relegato. Tanti ejus immemor beneficii *Calaphatus* de Augusta Matre in ordinem redigenda cogitavit, *Joannis Orphanotrophi* literis & *Constantini* Domestici, quem Nobilissimum creaverat, consiliis inductus ab ipsa ut sibi metueret. Id tentatis civium animis exequi tuto se posse confidens, Decretum de Imperatrice releganda, tondendaque perscripsit, promulgavitque, necnon de *Alexio* Patriarcha summovendo, quem Augustæ addictissimum noverat. Verum in contrarium versa sunt populi studia: seditione facta Imperium *Calaphato* cum oculis ademptum, *Zoe* ac *Theodora* sorori assertum est, anno 1042. Menses dumtaxat quatuor, & dies quinque *Calaphatus* imperavit.

Constantinus Monomachus.

II. *Constantinum Monomachum* Imperii thorique consortem *Zoe* Augusta ascivit. Magnas hoc Imperatore clades Græcis illatas commemorant Historici: in Servia primum, ubi septem Duces Milites ad 40. millia periere: deinde in Apulia, ubi *Maniaces* privatarum ultionem injuriarum publicæ rei anteponens, rebellavit, juvantibus Normannis; quo sublato, iidem Normanni Provinciæ istius domini permansere. *Theophili Erotici*, in Cypro Insula, & *Leonis Tornicii*, Adrianopoli, defectio fœlicius compressa. Rossi sive Scythæ navali prælio profligati, Duce *Basilio Theodorocano*. Eosdem terrestri certamine cæcidit Catacalo Besta Ambustus *Cecaumenus* Anii & Majoris Armeniæ Princeps ad deditionem compulsus. Per id tempus Turcæ Perside & Babylonia potiti sunt. Grave præterea fuit *Constantino Monomacho* adversus Patzinacas bellum. Res a *Michaele* Patritio Acoluthu, & *Bryennio* Ducibus strenue gesta, varia tandem fortuna belli, induciæ ad triennium pactæ. *Romani Boïle*, viri ex obscuro loco ad Senatoriam dignitatem, & ad Imperatoris familiaritatem evecti, detecta in ipsius Majestatem conjuratio. Crimen authori condonatum: conscii capite damnati sunt. *Monomachus* publicæ pecuniæ non tam liberalis quam prodigus, exhausto ærario Provincias quasdam a vectigalibus immunes insolitis exactionibus oppressit. Inde factum ut Provinciæ illæ quæ Barbarorum aditum ab Imperio publicis impensis prohibebant, tributorum loco, ipsorum incursionibus patuerint. Libidini deditus fuit, pellicesque habuit regio cultu. *Lichudem* Senatus Principem integerrimum, qui ipsi iniqua jubenti summa libertate & constantia resistebat, exauthoravit. Ejus impensis Hierosolymitanum Templum Dominicæ Resurrectionis a fundamentis instauratum est anno 1048. teste *Willelmo Tyrio*. Magnificum etiam Constantinopoli Monasterium extruxit in Manganis *S. Georgii* Martyris nomine Deo consecratum, ædificia ad senes, peregrinos, & mendicos excipiendos, alendosque adjunxit, ac sumptus necessarios subministravit. *Ad id tempus* (inquit Cedrenus) *tantum insignioribus Solemnitatibus in Magno Templo, & in Sabbatis ac Dominicis diebus, incruentum Sacrificium peragebatur: reliquis diebus nequaquam. Omittebatur enim ob redditum defectum. Hunc Monomachus liberaliter supplevit, ut quotidie Missa celebraretur eo in Templo*. Constantino imperante, *Michael Cerularius* Patriarcha creatus est, cujus schismati non adhæsit Imperator, sed *Leonis IX.* Romani Pontificis Legatos benigne excepit, illisque paruit. Finem vivendi fecit anno 1054. cum annos duodecim imperasset. Ista constant ex *Cedreno*, *Zonara*, *Glyca*, *Manasse*, &c.

Lib. 1. *cap.* 7.

Constantinus Monomachus Missam quotidianam fundat.

Theodora Augusta.

III. Mortuo Monomacho, *Theodora* Zoe Soror sola rerum potita, anno uno, summa tranquillitate & pace imperavit. E vivis excessit anno 1055. Augusto mense, ut testatur *Cedrenus*.

ARTICULUS III.

De Michaele Stratiotico, & Isaacio Comneno.

Michael Stratioticus.

I. POst obitum Theodoræ, Palatini Spadones Imperium *Michaeli Stratiotico* detulerunt homini propter ætatem pene decrepitam, & rerum imperitiam ineptissimo. Is Principes viros Ducesque eximios *Catacalum Ambustum*, & *Isaacium Comnenum*, cum superbe ac inhumane accepisset, eorum a se animos alienavit. Quibus ad excutiendum indignissimi Principis jugum Sacramento fœderatis, *Isaacius Comnenus* Imperator salutatus est, octavo Junii anno 1057. Mox occupata Nicæa, *Michaelem* justo prælio vicit. Ille missa ad *Comnenum* Legatione, pacem exoravit, Imperii consortium ipsi pollicitus. Verum Patriarcha, Senatusque *Stratioticum* abdicare coegerunt, *Comnenum* Imperatorem proclamantes; *Stratioticus* Episcopos, quos ad se privatæ vitæ persuadendæ causa Patriarcha miserat, interrogavit, quod sibi abdicati Imperii præmium foret. *Regnum cæleste*, respondentibus, insignia posuit, anno 1057. die ultima Augusti. [*Ex Cedreno*, & *Zonara*.]

Isaacius Comnenus.

II. *Isaacius Comnenus*, acris vir ingenii, sed arrogantis, imaginem suam districto ense numismatibus insculpi jussit, propriæ virtuti & rei militaris peritiæ Imperium acceptum referens. Ecclesiasticarum rerum procurationem penes unam Ecclesiam esse voluit: Cum enim ad id usque tempus & Magnus Œconomus, & sacrorum Vasorum Custos ab Imperatore designari solerent, utriusque electionem Patriarchæ potestati permisit. Exhaustum a Decessoribus animadvertens ærarium, acerbus fuit vectigalium ac debitorum publicorum exactor: Officiorum donationem primus amputavit; agros acquirere studuit Imperio, ut fisci penuriam suppleret. Qua de causa civium plerosque possessionibus spoliavit; quin etiam ditioribus Monasteriis adempta prædia, reddituſque publico vindicavit, relictis tantummodo sumptibus ad victum necessariis. Superbum Patriarcham sibi ademptionem Imperii intentantem, calceosque coccineos insolenti fastu usurpantem, exilio mulctavit. Ejus in locum legitimis suffragiis substitutus *Constantinus Lichudes*, quem consecrari prohibuit Imperator, donec certa quædam jura suæ Majestati cederet. Expeditione contra Hungaros & Scythas suscepta utrosque ad pacem deprecandam compulit. Unus Scytharum Ducum *Selces* Imperialium vires tentare ausus, multis suorum cæsis, fugam arripuit. Biennio ac tribus mensibus Imperii exactis, morbo correptus, Imperatorem designavit *Constantinum Ducam*, & in Studiense Monasterium concessit; ubi recepta sanitate, Vitam Monasticam nihilosecius professus est, tantaque modestia vixit, ut nec Janitoris officio ex obedientia fungi dedignaretur. Vir fuit castissimus, adeo ut periculosa quon-

Isaaci Comneni virtus.

Imperium cum vita Monastica commutavit.

quondam ægritudine afflictus, suadentibus fornicationem Medicis, vel cauterium minitantibus quo procreandæ facultas sobolis in perpetuum adimeretur, ferro & igne, quam illicita volupeate curari maluerit. In Monasterium pariter secessit *Æcaterina* Augusta ejus uxor, quæ mutatione conditionis nihil novi sibi accidisse ajebat, quod Regnum cum Regno commutasset. Ista constant ex Joanne *Curopalate*, & *Zonara*.

ARTICULUS IV.

De Constantino Duca, Romano Diogene, Michaele Duca, & Nicephoro Botaniate.

Constantinus Ducas.

I. C*Onstantinus Ducas* anno 1059. iniit Imperium, pius in Deum Princeps, moribus commodis, justitiæ amans, ingenio tardo & hebeti. Structas initio Principatus insidias, favente Deo, declinavit. In reos privatione bonorum animadversum est. Duarum præcipue rerum studiosus fuit, augendi nimirum ærarii qua de causa Curias rationibus quæstoriis destinatas quibusvis vendebat, & vectigalium collectionem Publicanis cum pacto auctarii credebat: & munera causarum audiendarum ac judicandarum. In jure dicendo, Legum præscripta non semper observabat, sed interdum erat ipsi pro ratione voluntas. Rem militarem cum negligeret, debilitatum est ac imminutum Imperium, impune grassantibus Barbaris, Uzi (quæ Scythica gens est) ultra fines suos effusi, victis Romanis legionibus, captis fortissimis Ducibus *Nicetoro Botaniate*, & *Basilio Apocape*, in Græciam usque penetrarunt populabundi. Passim convitiis proscindebatur Imperator, quod sumptibus parcens, contra hostes non duceret. Quare Urbe egressus, & ad Chærobachos castra metatus est, centum quinquaginta dumtaxat militibus stipatus. Enimvero de conscribendis copiis solicito subitum gentis nuntiatur excidium, cum sævissima pestilentia, tum Pazinacarum & Bulgarorum gladio. Divino id præsidio, & Imperatoris pietati tributum. Interea *Constantino Lichude* Patriarcha defuncto, in Sedem Constantinopolitanam evectus est *Joannes Xiphilinus*, ex Monachorum ordine, vir exquisitæ eruditionis, qui *Dionem Cassium* in compendium redegit. Lethali correptus ægritudine *Constantinus Ducas*, filiis tribus reliquit Imperium, *Michaeli* & *Andronico*, quos privatus genuerat; & *Constantino Porphyrogenito*, quem susceperat Imperator. His *Eudociam* coniugem tutricem dedit rerum administratione ipsi commendata, quod modesta videretur, nec minus ad Rempublicam regendam apta, quam educationis filiorum studiosa. Sed prius ab ipsa scriptum Jusjurandum exegit, quod apud Patriarcham depositum est, quo se a secundis nuptiis temperaturam pollicebatur. Sed & Senatores nullum se præter ejus liberos Imperatorem, illis viventibus, agnituros jurarunt. Obiit anno 1067. Viros eruditos colebat, fovebatque. dicere solitus, *Malle se ex doctrina, quam Imperio nobilitari*.

Constantinus Ducas virorum literatorum amator.

Romanus Diogenes.

II. *Eudocia* contra fidem jurisjurandi secundo nupsit *Romano Diogeni*, viro bellicoso & forti, post septimum viduitatis mensem, intelligens in labantibus Orientis rebus, id suæ filiorumque saluti, & conservationi Imperii necessarium. Jurisjurandi vero syngrapham callide a Patriarcha prius recepit, cum se illius nepoti nupturam, eique Imperium tradituram simulasset. E squallore carceris ad solium ascendit *Diogenes*: Insidiarum namque & affectatæ post *Constantini Duca* obitum tyrannidis convictus, in vincula conjectus fuerat, & capite damnatus. Hunc *Eudocia* absolvit, eumque in thori & Imperii consortium ascivit, sperans illi se imperaturam, quem contra spem omnem ad tantum fastigium extulisset. Sed fœminæ quamvis suæ dignitatis & fœlicitatis auctrici servire indignum ratus, libera & absoluta potestate usus est. Secundis aliquot expeditionibus in Turcas factis, mutata belli fortuna victus, *Andronici* proditione in Sultani potestatem venit, cujus de pace Legatos superbe respuerat. Huic nomen *Axani*. Qui prostratum, & pede calcatum pro more gentis *Diogenem* erexit, amplexus est benigne ac honorifice accepit. Interim *Joannis* Cæsaris, *Constantini Duca* fratris artibus & authoritate *Romano Diogeni* abrogatur Imperium, *Eudocia* in Monasterium relegata. *Michael Ducas* Constantini filius Imperator salutatur. *Diogenes* a Sultano dimissus, *Chataturii* Ducis auxilio dignitatem tueri conatur. Ad extremum deditionem facit *Andronico*, ea conditione ut positis Insignibus, rasaque coma, privatam vitam agat. Missi a novo Imperatore Sacerdotes jorejurando confirmant nihil eum molestiæ passurum. Nihilominus contra fidem effossis crudeliter oculis, tumente ex vulneribus capite, et vermibus scatente, in Protam Insulam deportatur, ibique vitæ & calamitatis finem facit, anno 1071. annis tribus, octoque insuper mensibus Imperii exactis. Nazianzenum Episcopatum ad jura Metropolitana perduxit. Ista constant ex *Joanne Curopalate*, & *Zonara*.

Michael Ducas.

III. *Michael Ducas*, ineptus Imperio Princeps, *Joannem* Sidensem Metropolitanum rebus gerendis præfecit. Alium deinde spadonem *Nicephorum* nomine, Peloponensi Prætorem, supremum Logothetam designavit, qui ejus ita occupavit animum, ut Sidensi Archipræsule summoto, summam rerum administrationem ipsi permitteret. *Michaelis Duca* ignavia Turcis animos viresque addidit, qui in Orientales Provincias non jam ut prædabundi, sed ut victores & domini irruperunt, obsistente nemine. Contractis adversus ipsos copiis *Isaacius Comnenus*, & *Rufelius* Latinus Duces præfecti. *Rufelius* defecit ad Barbaros. *Comnenus*, fusis copiis, direptisque impedimentis in hostium potestatem venit. *Rufelio* Joannem Cæsarem Patruum opponit Imperator. Qui a *Rufelio* victus, deinde Imperatoris nomine ornatur, pacto fœdere ut Turcas, quos contra se mercede vocatos intellexit, communibus viribus propulsent. Prælio adversus hostes commisso, multisque Barbarorum cæsis, ambo Duces longius a suis provecti, in eorum manus incidunt. *Rufelium* uxor redimit, Cæsarem Imperator. Qui Constantinopolim dum perducitur, Monachum induit, ne ob usurpatum Imperii titulum det pœnas. *Rufelius* in Armeniam cum suis se recipit, quem *Alexius Comnenus* Præses illuc ab Imperatore missus cum copiis, dolo magis quam viribus capit, pacta Turcis, si eum tradant, pecunia. Qui Regiam in Urbem perductus, in turri quadam inclusus est. Nondum tamen tuta *Michaelis Duca* Majestas. Duo siquidem *Nicephori*, *Botaniates* & *Bryennius*; ille in Oriente, hic in Occidente, ubi Dyrrachio præerat, Imperium usurpant. *Botaniates* Turcarum opera Nicæa potitus, ac demum, 25. Martii in Regia Urbe Imperator proclamatus est. *Michael* in Studiense Monasterium adductus, purpuram cum lacerna pulla mutare coactus est, 7. Aprilis, quæ Vigilia Paschatis erat, anno 1078. Illi *Parapinaci* cognomen calamitas publica fecit: quia ipso Imperatore tanta fuit annonæ caritas, ut non integer medimnus numismate venderetur, sed pinacio minus, qui est medimni quadrans. His temporibus *Joannes Xiphilinus* Constantinopolitanus Patriarcha obiit; cui *Cosmas* Hierosolymitanus Monachus, magna sanctitatis opinione ab Imperatore *Michaele Duca* sublectus est. Hæc ex *Joanne Curopalate*, *Zonara*, *Glyca* & *Constantino Manasse*.

Bellum Turcicum

Nicephorus Botaniates.

IV. *Nicephorus Botaniates*, ut primum coronatus est Imperator, publica debita expunxit, novasque tabulas instituit, civium animos ut sibi devinciret. *Bryennium* conditiones pacis, & Cæsaris oblatam dignitatem superbe respuentem, per *Alexium Comnenum*, Nobilissimi, & Magni Domestici, Præfectique Romanarum Legionum auctum honoribus, debellavit, cepit, excæcavit. Non absimilis *Basiliaci* sors fuit, qui post *Bryennium* Imperium usurpaverat, omnibus a Dyrrachio ad Thessalonicam in potestatem redactis. Hujus quoque factio *Alexii Comneni* virtute fracta & dissipata est. *Mariam* Augustam, *Michaelis Duca* nuper Imperatoris uxorem *Nicephorus* duxit, viro superstite. Sacerdos qui nefarias nuptias conciliaverat, ab ordine excidit Antistitum sententia. Conscripto contra Turcas Orientem incursantes exercitui *Constantinum Ducam* cognominis quondam Imperatoris filium præfecit. Is Chrysopolim cum trajecisset, affectavit Imperium, faventibus legionibus. At muneribus a *Nicephoro* tentati milites, juvenem Tyrannum ipsi

tra-

tradidere, quem attonsum & Monastica indutum veste in Iusulam relegavit. Fœda tunc erat facies Imperii: *Nicephorus* enim ob ingravescentem ætatem, insitamque mollitiem, publicæ rei tractandæ ineptus, servorum duorum arbitrio permittebat omnia. Quamobrem in contemptum suorum venit, & a *Comnenis*, quos nequissimi servi conjurationis accusaverant, Imperio spoliatus, Monachum induere coactus est anno Christi 1081. cum annos tres regnasset. Ex *Comnenis* vero duobus, *Isaacio*, & *Alexio*, Imperator prælectus est *Alexius* natu minor, nequicquam repugnante fratre. Ipsi a *Sancto Joanne* Evangelista prædictum Imperium *Anna Comnena* commenta est. *Comnenorum* partibus *Georgius Palæologus*, & Cæsar *Joannes Ducas* adhæsere. Defectionis *Comnenorum* Historiam accurate describit *Anna* Alexii filia Lib. II. *Alexiados*.

ARTICULUS V.

De Alexio Comneno.

ALexius *Comnenus* a *Cosma* Patriarcha Imperator coronatus, *Isaacium* fratrem *Sebastocratorem*, novo dignitatis adinvento titulo, quasi secundum Imperatorem creavit, infra quem Cæsar esset ab Imperatore tertius. Cæsar vero appellatus est *Melissenus*. Matrem religiosum secessum cogitantem Imperii administrationi cum summa potestate præfecit, Aurea Bulla hac de re edita. Ipsi *Dalassena* nomen, cujus elogium texuit *Anna Comnena* Lib. 3. *Alexiados*. Ipsam laudat inprimis, quod plurimam noctis partem divinis hymnis juxta descriptionem Ecclesiasticam in diurna toto anno pensa dispensatis recitandis insumeret, & negotiis sub diloculum vacaret: Quod Liturgiæ quotidie interesset; Monachos vero ita coleret, ut eos familiariter adhiberet ad mensam, & quidem ita assidue ut nemo illam accumbentem viderit sine Monachis convivis. *Alexium* Imperatorem in cœtu Sacerdotum & Monachorum, cui *Cosma* Patriarcha præerat, defectionis culpam, & omnia criminis consectaria, & circumstantias sigillatim & accurate confessum: idemque præstitisse defectionis conscios; & in salutarem pœnitentiam jejunium quadraginta dierum, totidemque noctium humicubationem accepisse atque implevisse, eadem testatur Historica Princeps. Hinc *Robertum Guiscardum* Apuliæ Ducem, inde Turcas infestos habuit *Alexius Comnenus*. Scripsit ad Præfectos urbium Illyrici, ad Romanum Pontificem, ad Archiepiscopum Capuanum, ad Principes Ducesque Galliarum, ad Ducem Longobardiæ, eos omnes qua promissis, qua donis in *Robertum* incitans. Ad *Henricum* Germaniæ Regem Legationem misit ac pecuniam, ejusque affinitatem expetiit, quem nimirum plus cæteris Occidentis Principibus contra *Robertum* posse persuasum habeter. Turcarum vero ad Bosphorum sive Damalim cuncta vastantium incursiones coercuit, maritimisque pulsos oppidis pacem petere coegit, quam iis metu *Roberti* largitus est. Interim Dyrrachium validis copiis terra marique oppugnat *Robertus*, Georgio propugnante Palæologo. De urbis periculo monitus *Alexius* Turcas, Venetosque in auxilium vocat. *Robertum* ab obsidione nec fœderatorum multitudo, nec hyemis asperitas, nec pestis famesque exercitum vastans, retrahunt. *Alexius* adversus *Robertum* proficiscitur, & in conspectum hostium venit. *Robertus* persuadet suis ut impedimenta comburant, navesque mergant, ut pugnare possint tamquam ibi nati, moxque morituri. Nocte ante prælium tota orat in Templo *S. Theodori* Martyris cum exercitu universo, & Sacra Mysteria percipit. Tum aciem instruit, prælium committit, post velitationes nonnullas Romanam disjicit aciem, magnamque Græcorum stragem edit: vulneratur, fugitque, relictis impedimentis *Alexius*. Dyrrachium in potestatem *Robertus* redigit. *Gaitam* ejus conjugem consortem fuisse gloriæ *Anna Comnena* tradit, quæ scilicet velut Pallas altera, conspicata fugientes, acri fixos intuitu magna voce increpuit. Qui cum haud sisterentur clamore, hasta correpta, effusis habenis ignavos persecuta est, collectosque ad pugnam redire compulit. *Robertum* in Italiam revocavit tuendi Principatus ab armis *Henrici* Germaniæ Regis necessitas. *Boamundum* filium in Oriente reliquit cum exercitu. Hic a parentis fortitudine minime degener multas urbes redegit in potestatem, bis *Alexium* Imperatorem acie vicit, fugavit. Summa pecuniæ difficultas, exhaustumque ærarium, a sacris opibus subsidium quærere coegit *Alexium*. Convocata ea de re Synodus. *Leo* Chalcedonensis Archipræsul ob Templorum spoliationem in *Alexium* acriter declamans, perniciosæ doctrinæ accusatur, & deponitur. *Boamundus* tertio ad Larissam prælio non plene victor, quamquam nec omnino victus, redire cogitur ad patrem conspiratione suorum, quos contra illum *Alexius* concitaverat. Post hæc contra Turcas feliciter bellum gessit *Alexius*, Gallorum ope. Plures etiam contra Scythas expeditiones suscepit, vario eventu. Ad extremum uno prælio gentem delevit universam. Comanos semel iterumque vicit. Francis ad bellum sacrum properantibus *Godefrido Bullionæo* Duce, infestus fuit, ab exercitibus tam numerosis, tam fortibus sibi timens. Eorum expertus virtutem est oppugnata ab ipsis Constantinupoli. *Anna Comnena*, quæ Patri adulatur, Latinis detrahit, Græca fides suspecta. Latinos Sacerdotes calumniis proscindit lib. 10. occasione sumpta ex sacris expeditionibus, quibus & Præsules, & Presbyteri aderant, non quidem pugnaturi, sed consiliis, adhortationibus, precibus, administratione Sacramentorum opem Christianis laturi. *Non enim* (inquit) *quæ apud nos viget Sacerdotalis lenitatis disciplina, Latinis in usu quoque est. Nos videlicet sacris jussi Canonibus, ac legibus, Evangelicoque ipso persuasi dogmate, sancimus illud observatione inviolata teneri solitum, Ne stringas, ne inclames, ne tangas, Sacerdos enim es. At Barbarus Latinus, simul atque initiatus sacris primitias Sacrificii libaverit, clypeo statim in lævam inserto, correpta in dexteram vibrataque lancea, simul divinum communicat corpus & sanguinem, simul torvum ac sanguinarium tuetur, designans ad cædem homines oculis vir sanguinum. Adeo barbarum hoc genus non minus sibi belli ac gladii jus usumque arrogat, quam Sacerdotii apicem devolvit*. Interim Galli multis & ingentibus præliis Turcas profligant, Nicæam, Antiochiam, Hierosolyma, urbesque alias in suam redigunt potestatem. *Godefridum Bullionæum* Hierosolymorum Regem creant cui successit ejus frater *Balduinus*. Galli, & reliqua Latinorum sacrum bellum gerentium natio paulo minus infensum habuit *Alexium Comnenum* quam Turcas communes Imperii utriusque hostes. Illos enim fraudibus primum, deinde aperto marte infestavit. Apud Antiochiam extrema tolerantibus venire se in auxilium simulavit, sed Legatis orantibus ut maturaret, Sultani metu primo cunctatus est, mox ipsos deseruit. *Anna Comnena* ignoscendum, quod patrem excuset, nisi intempestivo Gallorum vituperio fulciret excusationem lib. 11. *Accedebat* (inquit) *ad hujus sententiæ momentum recordatio indolis Francorum levis, inconsultæ, temerariæ, indocilis parendi, uno vigentis primo impetu stolidæ ferociæ, per quem Duces juxta, Militesque, ubi æstu elati fervente ira in medias hostiles statim phalanges insilierint, intolerabiles illic tunc quidem sunt, & facile perrumpunt, sternuntque obvium robur quodcumque: Verum si primorem istam rabiem arte declinaveris, si cautas insidias posueris, si lassis & circumventis supervveneris, non agnoscas audaciam priorem; immo nihil impeditius, nihil superatu facilius experiaris. Nam & oneratum armis corpus se præbet ictibus, & cæcus atque amens animus consilii nihil expedit: nimirum frustrato confusoque, quem unum operum omnium instrumentum habet, vecordi ac præcipiti furore. Quorsum igitur ita turbidis, ita desperatis Gallorum rebus miserere suus Romanus curet?* &c. Turcis oppugnationem Antiochiæ urgentibus Galli propugnantes ad extremam necessitatem redacti, & ab *Alexio* fœde fraudulenterque deserti, ad Deum placandum, *Petri* Episcopi consilio, se convertunt. Sacrum clavum, sive mucronem lanceæ quæ Christum pupugit, auspicato reperiunt. Comes Flandrensis tribus dumtaxat comitantibus in Turcas irruit, ac tantam illorum stragem edit, ut prædæ comportandæ vix triginta dies sufficerent, ut

refert

Dalassena Imperatricis Matris pietas.

Alexii Comneni Pœnitentia.

Robertus Guischardus Apuliæ Dux Dyrrachiam expugnat, Alexium Comnenum vincit.

Gaita uxoris Roberti Guiscardi heroica fortitudo.

Boamundus Roberti filius bellum contra Græcos feliciter gerit.

Alexius Comnenus Scythas delet.

Francis ad bellum Sacrum properantibus infestus.

Anna Comnena in Latinos Sacerdotes calumnia.

Francorum res in Oriente fortiter & præclare gesta.

Godefridus Bullionæus Rex Hierosolymorum creatus.

Gallos inique vituperat Anna Comnena.

Pax inter Boamundum & Alexium Comnenum sancita.

refert *Anna Comnena*. Boamundus Normannus Heros *Roberti Guischardi* filius acerrimum adversus *Alexium Comnenum* bellum gessit, magnasque illi glades intulit. Cujus fortitudini unum dolum Grecasque fraudes opposuit Imperator. Tandem pax inter eos inita, *Boamundo* utilissima, *Alexio* honorifica. Una ex conditionibus fuit, ut Antiochiæ præesset semper Græcus Patriarcha, Ecclesiæ Constantinopolitanæ alumnus, ab Imperatore designandus. Pacta conventa exhibet *Anna Comnena* libro 13. Post hæc in Turcas semel, iterumque arma movit *Alexius*, illustresque de ipsis victorias reportavit. Literarum studia, favente *Alexio Comneno*, promovente *Michaele Psello* floruisse *Anna* filia testatur.

Novatores insectatur, & coactis Synodis damnari curat Alexius Comnenus.

Plures eo Imperatore Novatores priscam fidem convellere tentarunt, quos damnari curavit coactis Synodis, authoritate suprema coercuit, privatis adhortationibus ab errore revocare studuit. Inter illos famosus fuit *Italus* quidam Sophista, qui Patriarcham ipsum *Eustratium Garidam* pervertit. Undecim pravi dogmatis capita damnata, & anathemate confixus Author, qui demum errores de transmigratione animarum, contra venerationem Sacrarum Imaginum, circa Ideas, aliosque revocavit. Non multo post *Nilus* hæreseos virus diffudit, quo Armenos infecit. Palmaris error, Humanitatem Christi natura fuisse deificatam. In frequenti Synodo hæresis damnata, Præside Patriarcha *Nicolao*. Eadem in Synodo Blachernita presbyter, qui Enthusiastarum consuetudine luem contraxerat, cum pravis dogmatibus anathemate confossus est. *Nilum* Theologiæ Scholasticæ ignorantia in hæresim præcipitasse, testatur *Anna Comnena* lib. 10. Bogomilos tandem exterminavit, de quibus cap. III. Art. VI. diximus. Obiit anno 1118. cum annos triginta septem, menses quatuor, & dies aliquot imperasset, anno ætatis circiter septuagesimo, sub mortem ab omnibus pene destitutus, ne Imperatorio quidem funere est elatus, filio licet Imperii relicto successore, ut *Zonaras testatur*. Patris res gestas libris quindecim *Alexiados* scripsit, ornavitque Anna Comnena. *Alexium Comnenum* omnibus viri privati, non item Imperatoris virtutibus præditum fuisse, *Zonaras* scribit, quod nec vetera tueretur instituta, nec Senatus rationem haberet, nec se rerum administratorem publicarum, sed Dominum censeret. Ideoque nec inter optimos, nec inter malos Imperatores habendum. Hic porro suos Annales *Zonaras* absolvit.

ARTICULUS VI.

De Joanne, & Manuele Comnenis.

Joannes Comnenus.

ALexio in Græcorum Imperium successit *Joannes Comnenus*, a Patre Augustus appellatus, *Irene Matre*, *Anna* sorore, cæterisque cognatis primum repugnantibus, & *Nicephoro Bryennio* Cæsari, *Annæ* marito studentibus. Pace domi recepta & firmata, de hostibus compescendis cogitavit. Scythas & Hunnos Istrum transgressos in Thracia, Persamenios in Occidente debellavit.

Hostes debellat. Triumphum B. Virgini decernit.

Triumphi honorem Deiparæ Virgini decrevit, cui victoriam acceptam ferebat; ejusque effigiem quadrigis albis impositam solemni pompa per urbem vehi jussit. Currui ipse crucem manu gestans anteibat. Gratiarum actiones Deo, cui soli honor & gloria in Sapientiæ Templo actæ, triumphalem apparatum finiere. Antiochia Latinos pellere frustra aggressus, suburbanis Militi in prædam datis per Ciliciam reversus est: Ubi in venatu sagittam in aprum dirigens, ejus cuspide veneno perfusa manum perstrinxit. Grassante paulatim veneno, neglectum vulnus immedicabile factum est, ex quo occubuit anno MCXLIII. mense Aprili, cum annos viginti quatuor, & menses octo imperasset.

Joannis Comneni pietas ac moderatio.

Princeps bellicosissimus, pietate in Deum, magnificentia in sumptibus & donationibus, modestia in domestico apparatu, veræ gloriæ cupiditate illustris. Inania & obscœna verba a publicis conventibus; & luxum vestium ac mensarum tamquam corruptelam & vitæ pestem ablegavit. Toto Principatus tempore vita vel membris subditorum privavit neminem. Duos filios reliquit, *Isacium & Manuelem*. Hunc *Isaacio* natu majori posthabito Successorem designavit, quod *Isaacius* iræ impotens, *Manuel* indole moderata esset atque ad clementiam pronior. Hæc ex *Niceta Choniate* Annalibus, & *Willelmo Tyrio*, Lib. 15.

Manuel Comnenus.

II. *Manuel Comnenus* ut Principatum firmaret, *Isaacium* fratrem natu majorem in monasterio reclusit. A Bysantinis ob eximias dotes cupide susceptus, a *Michaele* Patriarcha coronatus, & cum fratre reconciliatus est. Tum in Persas movens, perterritos in fugam dedit. Alemannam egregia forma & heroico animo fœminam ex principe familia duxit uxorem, qua neglecta, incestu propria cum nepte se polluit. *Conradi* Germanorum Imperatoris, contra Turcas ducentis exercitum, Legatos benigne suscepit in speciem, sed clam insidiatus est, & Græcorum legiones Germanicum exercitum, Philippopolitani Episcopi aulica facundia circumventum, comitari jussit.

Ejus in Germanicum exercitum perfidia.

Orta brevi Germanos inter & Græcos dissidia, *Conradi* copiis incommoda gravissima crearunt, perfidus *Manuel* in locis opportunis & angustis tramitibus insidias collocavit, quibus milites innumeri periere. *Manuelis* exemplo Græci ferro, fraudibus, veneno in Germanos sæviebant, calce etiam farinæ immista, fallaque moneta probatissimæ loco commutata. Cum Turcis demum in exitium Germanici exercitus *Manuel* conspiravit. Commissa pugna, Turcæ cæsi, & illustri victoria *Conrado* liberum ad ulteriora patuit iter.

Bellum Siculum.

Rogerius interim Siciliæ Rex Corcyram occupat, Acarnaniam, Ætoliam, & oram maritimam vastat, Bœotiam, Corinthum diripit, Acrocorinthi arce recepta. *Manuel* instructo terra marique exercitu Siculos persequitur, Corcyram oppugnat, quam post diuturnam obsidionem, deditione recipit. Servios & Hungaros debellat postea *Manuel Comnenus*, deque eis triumphum agit. Auspiciis non ita fœlicibus rem gessit adversus Siculos; penes *Rogerium* Regem stetit victoria. *Alexius Bryennius*, *Joannes Ducas*, & *Constantinus Angelus* Orientalis exercitus Duces a Siculis capti. Quos ut reciperet Græcus Imperator, atque damna ex bello difficili accepta resarciret, pacem cum Siciliæ Rege pepigit haud diu duraturam.

Bellum Persicum.

Expeditionibus subinde in Hungaros, Armeniosque susceptis, parum promovit. Adversus Persas bellum renovavit suorum clade multiplici funestum; propria ignavia, qua reliquis in summo discrimine relictis clandestinam fugam decreverat, indecorum. Italos contra *Fridericum Ænorbardum* Imperatorem concitavit, Anconitanis ad defectionem solicitatis præsto fuit.

Manuel Comnenus de Monachorum reformatione solicitus.

In luxum & libidinem effusus Princeps, de reformandis Monachis solicitus videri voluit. Insigne Monasterium in Ponti faucibus cum a fundamentis extruxisset in loco cui Catascepe nomen, ibique selectos Monachos collocasset, nullas eis vineas, nullos agros, nullas possessiones assignavit, sed ex fisco tantum pendi jussit, quantum ad victum & cultum opus esset. *Nicephori Phocæ* Sanctionem de non augendis Monasteriorum latifundiis revocavit, alios Imperatores incusans, qui Cœnobiis prædia contulerant amplissima. Monachorum habitationes non in urbibus & locis frequentatis, sed in antris, & montium cacuminibus censebat assignandas.

Controversiis de Religionis dogmatibus se immiscet.

Militarem neglexit disciplinam, stipendiis militaribus in fiscum redactis, & donativis incolarum cupiditatem exercituum levans. Aula Militiaque perturbatis, animum ad Theologiam applicuit, de divinis temere definiens Dogmatibus. Orta de illo dogmate quæstione, quo Incarnatus Deus offerre simul & offerri dicitur, ipse piæ sententiæ, post solertem controversiæ explicationem, assensum præbuit, Doctores contra sentientes loco movit. Quæstione de Christi dicto, *Pater major me est*, postea proposita, peregrinam explicationem attulit, & Edicto firmavit.

Anathema in Deum Mahometi ex Catecheticis tabulis expungi decernit.

Ex Catecheticis tabulis Anathema in *Mahometi* Deum, quem nec genuisse nec genitum, sed Holosphyron esse affirmat expungi decrevit; idque ratione probabili, quod nimirum blasphemiæ in Deum qualescumque Saracenis offensioni essent ac impedimento ne ad Christianam Religionem converterentur. Ipsi restitere Præsules, *Theodosius* imprimis Constantinopolitanus Patriarcha, & Eustathius Archiepiscopus Thessa-

Thessalonicensis, a quibus subscriptionem frustra exegit, majoris Concilii minas intentans, in quo ipso veteris Romæ Papa arbitro ac judice controversia disceptaretur. Tandem post diuturnas contentiones consenserunt Episcopi, ut Anathema a Deo Mahometi in ipsum Pseudoprophetam, omnemque ipsius doctrinam, & Sectam, in Catecheticis transferretur. Astrologorum vanitate deceptus, longiora sibi Imperii vitæque tempora pollicebatur, sed spem superstitionis plenam mors abrupit. Antequam spiritum emitteret, Astrologiam Judiciariam damnavit, monente Patriarcha, & Monasticum habitum postulavit. Anno ætatis trigesimo-octavo, Christi MCLXXX. Septembri mense, vivendi finem fecit. *Manuelis Comneni* res gestas libris septem *Nicetas Choniates* complexus est, ex quibus hæc delibavimus. Immeritum hoc ornat elogio *Willelmus Tyrius* lib. XXII. cap. V. *Vir eminentissimus & immortalis memoriæ, omnium Principum terræ munificentissimus, Dominus Manuel Constantinopolitanus Imperator, onere carnis deposito, animam cælo reddidit: cujus memoria in benedictione, cujus eleemosynas & beneficia largissima enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.*

ARTICULUS VII.

De Alexio Porphyrogenito Manuelis filio, & Andronico Comnenis.

Alexius Porphyrogenitus.

ALexius Manuelis filius, duodecim annorum puer, in Patris Imperium successit, cujus ætas infirma, & improbitas Aulicorum, res Orientales pessumdedit, *Andronicus* Manuelis Patruelis, tyrannidem affectans, Imperatricem Matrem proditionis accusatam, in carcerem detrusit, & capite damnari curavit a subornatis Judicibus. Ferali sententiæ in Matrem latæ subscribere compulit Imperatorem filium. Crudelis facinoris ministri *Manuel Primogenitus Andronici* & *Georgius Augustas* ejusdem affinis, electi. Qui cum scelus execrarentur, ipsam a perditissimis homuncionibus suffocari jussit. Mox Imperii consors a conjuratis Proceribus *Andronicus* renunciatur, & paulo post *Alexium* crudeliter necat, & in mortuum sævit. Franci, Latinique cæteri, quorum consilio ac præsidio plurimum usus erat *Manuel Comnenus, & qui junioris Alexii* tuebantur Majestatem, quod filiam *Ludovici* Regis Francorum duxisset *Agnetem*, partim Constantinopoli pulsi, partim trucidati, priusquam *Alexius* e medio tolleretur. Annos pene tres imperavit; nondum quippe expleto quinto decimo ætatis anno extinctus est, Christi, 1183. Horum authores habemus *Nicetam Choniatem*, & *Willelmum Tyrium* lib. 22. cap. 10. 11. & 12.

Andronicus Comnenus.

II. *Andronicus Comnenus*, provecta jam ætate, *Agnetem* Augustam *Alexio* desponsatam, undecim annorum adolescentulam sibi Matrimonio junxit. Imperio & uxore Sobrini potitus, a Patriarcha & Synodo absolutionem rogavit a jurejurando quod *Manueli* & *Alexio* Imperatoribus præstiterat, & quod tam immaniter violaverat; eamdemque gratiam rogavit pro conjuratis omnibus. Quam adulatores ambitiosique Præsules, nolla imposita pœnitentia concessere, honoris umbram ceu præmium violatorum Canonum consectati; ut nimirum subselliis juxta Solium Imperatoris collocatis, illi assiderent. Qui paucis diebus duravit honos, pristina consuetudine revocata. Nicæam expugnavit, Prusam cecidit. Interim *Alexius Comnenus* Manuelis ex fratre nepos, arma Siculorum in Græcos concitavit, qui Dyrrachium & Thessalonicam occuparunt, ac populati sunt. Tyrannica ea fuit *Andronici* dominatio, quippe qui in Duces eximios, virosque nobilitatis primariæ, in familiares & consiliarios, in cognatos & affines sævierit. Solis blandus erat meretricibus ac lenonibus salacissimus senex, fœdisque voluptatibus immersus. Cæterum animum habuit ab avaritia alienum vectigalibus modum imponens, & subditis quietem procurans, exactoribus dissipatis. Pauperes largitionibus fovebat, si qua spes suberat sibi ob scelera infensos non esse. Publica non vendidit munera, neque munusculis conciliatus contulit, sed gratuito, & habitu delectu. Naufragorum spoliatores repressit, constituto in reos supplicio. Faciles aures præbebat iis qui de violentia Potentum querebantur, nulla personarum habita ratione. Cum *Theodorum Dadibrenum* Aulicorum unum agricolæ quidam accusassent, quod apud se divertisset, cum servitiis ac jumentis, ac omnibus necessariis acceptis nihil solvisset, ipsum duodecim plagis fuste castigavit, & ex fisco agricolarum damnum abunde resarciri jussit. Viros eruditos coluit, fovitque; sed disputationes de Religione institui haud passus est; & Novarum Patrarum Episcopo *Euthymio*, & *Joanni Cinamo*, de illa Christi sententia, *Pater major me est*, disserentibus minatus est, se jussurum ut in Rhindacum flumen projicerentur, nisi ab illa disputandi sacris de dogmatibus prurigine sibi temperarent. Crudele de omnibus seditiosorum cognatis, quamvis insontibus, e medio tollendis iniit consilium, ac Edictum ferale promulgavit. *Manuel Sebastocrator* Andronici filius tyrannici Edicti executionem dissuasit. Hydromantiæ nefariam artem adhibuit, ut nosset quis sibi erepturus esset Imperium, aut sibi successurus. Obscuro turbatus oraculo, *Isaacio Angelo* necem molitus est. Iste in Templum fugiens, concurrentem populum concitat, a quo Imperator salutatur, & a *Basilio Camatero* Patriarcha, invito licet, coronatur. Abjectis Insignibus, fugere cogitur *Andronicus*, navem conscendit cum uxore & pellice; at navi in littus elisa comprehensus, Constantinopolim vinctus adducitur, ubi abscissa manu, effossoque oculo, scabioso per urbem camelo vectus, a furenti plebe ludibriis, contumeliis, verberibus innumeris cruciatus, ad extremum pedibus suspensus, gladio transfixus est. Forti ac ad pœnitentiam converso animo tot supplicia pertulit, pias illas voces identidem repetens; *Domine miserere*: Plebem vero his verbis, *Quid calamum contritum infringitis?* ad commiserationem inflectere frustra conatus. Post necem insepultus aliquandiu jacuit, donec ejus cadaver ex theatri fornice, in quem projectum fuerat, quorumdam humanitate eductum juxta *Ephori* Monasterium infimo loco conditum est. Periit anno 1185. Biennio dumtaxat Imperio potitus. *S. Pauli* Epistolas supra modum amabat, earumque lectione delectabatur. Imminens ejus exitium lacrymis ex ejusdem Apostoli imagine defluentibus prænuntiatum, Græci mentiuntur. Ejus Imperii seu potius tyrannidis Historiam duobus libris conscripsit *Nicetas Choniates*, ex quibus hæc desloravimus.

Disputationes de Religione compescit.

Andronici infelix exitus.

Pœnitens obiisse videtur.

ARTICULUS VIII.

De Isaacio, & Alexio Angelis.

Isaacius Angelus.

I. COmmoda satis ac læta fuere *Isaaci Angeli* initia. Erga eos qui ab *Andronico* male fuerant habiti benignum se præbuit ac liberalem; adversus *Andronici* filios, quos cæcitate afflixit, crudelem. Siculorum classem vicit, terrestrem dissipavit exercitum, *Branæ* opera, captis Ducibus Cyprum ab *Isaacii Comneni* tyrannide eripere frustra conatus est. Cum Mysis seu Walachis haud prosperum bellum gessit. Id excepit *Branæ Alexii* seditio, qui Imperatorio usurpato nomine Byzantium oppugnavit. *Isaacio*, Urbique Regiæ tulit opem *Conradus* Cæsar Montisferrati Marchio, monuitque non solis precibus, quas congregatis in palatium nudipedibus monachis Deo fundebat, sed & armis contra hostes pugnandum, nec parcendum pecuniæ ad conscribendum militem. *Isaacio* excussus torpor *Conradi* adhortatione. In hostes itum; *Conradus* facto impetu eorum acies dissipavit, fugavit; *Branam* civilis belli facem Ducemque cecidit. Victoria haud moderate usus est *Isaacius*, Branæ capiti inter epulas illato insultans, captivæque ipsius uxori exhiberi jubens. Conjuratis veniam concessit, sed in Clementiæ proposito parum constans, militibus & pauperculæ plebi annuit ut eorum ædes extra Urbem diriperent incenderentque, qui ad *Branam* defecerant. Altera in Walachos expeditione suscepta, pedem referre coactus est, magna accepta clade *Fridericum Ænobarbum* Occidentis Imperatorem, qui Cruce insignis in Palæstinam

Constantinopolim ab hoste oppugnatam defendit.

Victoria immoderate usus.

Bello infelix.

va-

valido enim exercitu trajiciebat, instructis intercludere conatus insidiis, illius arma in se concitavit. Exercitus utriusque facto concursu, Alani *Theodora* Duce primum pugnæ impetum soli sustinentes, pene omnes cecidere: Græci præcipiti ac turpi fugæ se dederunt. Renovato tandem inter utrumque Imperatorem fœdere, *Fridericus* libere trajecit. Indignissimis hominibus in Reipublicæ administratione usus est. Luxui maxime indulgebat. Sacra vasa atque donaria profanos in usus adhibuit. Vectigalium auxit exactiones, Magistratus vendidit. Hæc tamen inter vitia scintillæ quædam virtutum in *Isaacio Angelo* prominuere: pietas erga Deiparam Virginem, liberalitas in Templa & Monasteria, beneficentia in pauperes; ad quam erat ita pronus, *Ut quidquid undecumque per vim & injuriam partum acceperat, id rursus utraque manu effunderet. Eaque de causa, etsi pecunia a pauperibus exigebatur, in eo errore versabatur, ut se non peccare persuasum haberet, quod hoc modo iisdem restitueretur*, (inquit *Nicetas Choniates* lib. 3.) Re contra Walachos infœliciter gesta, tertia expeditione ab *Alexio* fratre Imperio & oculis privatus est, nondum quadragenarius, cum annos novem & menses octo imperasset. Annus Christi numerabatur millesimus centesimus nonagesimus-quintus ... Ejus gesta tribus libris enarravit *Nicetas*, ex quibus hæc excerpsimus.

Isaacii Angeli vitia & virtutes.

Alexius Angelus.

II. *Alexius Angelus*, Gentilitio repudiato nomine, quod cum fratre sepultum voluit, *Comneni* nomen assumpsit. Fratricidio partum Imperium firmare studuit pecuniæ profusione, quam in rei militaris usum *Isaacius* advexerat, prædiorum etiam & vectigalium donatione, demum publicarum indiscreta collatione dignitatum. Ab ignavo Patriarcha in Ecclesiam, cujus liminibus excludi debuerat, nulla indicta pœnitentia admissus, Imperii coronam infaustis ominibus accepit. Luxui & otio se dedit, posthabita Reipublicæ cura. Divisum cum ipso Imperium habuit *Euphrosyna* ejus uxor, superba & impudica mulier, cæteroqui virilis animi, & ad res gerendas supra sexum capacis. Trimestri ab ejus inauguratione nondum elapso, Cilix quidam *Alexium Manuelis* filium mentitus, a Principe susceptus Ancyrano, finitimas Imperii urbes populabatur, adversus quem irrita fuit *Alexis* expeditio, Persis Tyranno faventibus. Atque longius grassata fuisset seditio, nisi jugulatus in Zungra Castello incerta manu fuisset. Conditiones pacis ab *Alexio* oblatæ superbe aspernati Walachi, in Bulgariam agrum juxta Serras irruptione facta, Castella plurima expugnaverunt, prædamque fecere maximam. Missus in eos cum Imperio *Isaacius Sebastocrator*, Barbarorum insidiis irretitus, maxima suorum edita strage, in ipsorum venit potestatem, ac in vinculis obiit. Scytharum & Walachorum incursiones Persicum bellum excepit. Dadibram urbem munitissimam Persæ expugnarunt, pulsisque incolis, popularium suorum coloniam illic constituere. Ab *Henrico Friderici Ænobardi* Imperatoris filio, quem *Nicetas Amerigum* vocat, pacem redimere pecunia coactus est *Alexius*, aurique talenta sexdecim numerare. Quo nomine tributum a Provinciis exegit, quod Alemannicum appellatum est, Clero, Senatui, populoque, contributione impetata. Id cum ex voto non cederet, aurea & argentea donaria, quorum nullus ad Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi erat usus, ab Ecclesiis postulavit. Qua etiam petitione rejecta, effossis Imperatorum sepulcbris, pretiosa quæque ornamenta detraxit, & ad 70. auri & argenti centenarios corrasit. Alexiani Imperii labem ex munerum publicorum licitatione ortam *Nicetas* testatur. Ita enim factum est ut hominum quisquiliæ ad summas Dignitates veherentur. Id indigne ferens Imperatrix, aut venales esse non debere Magistratus censuit, quemadmodum Imperator Principatus exordio edixerat, aut collectam pecuniam in fiscum referendam. Ejus rei Administrum elegit *Constantinum* Mesopotamitanum, cujus crescens paulatim authoritas, in ipsum ac Imperatricem Aulicorum concitavit invidiam. *Euphrosynæ* igitur struunt insidias, ipsam adulterii accusant, *Batatzen* adolescentem nobilissimum, illius (ut calumnia ferebat) amasium, crudeliter discerpi impetrant, Imperatricem in Monasterium amandari, ex quo post sex menses revocatur, iterumque rerum administrationem ad se trahit, Imperatore blanditiis delinito. His temporibus excitata quæstio est, utrum Christi Corpus in Eucharistia incorruptibile vel corruptioni obnoxium esset. Saniori sententiæ adhæsere Patriarcha *Joannes Camaterus*, & Imperator. Vitio tamen Patriarchæ datum, quod Monachum Siciditem impii dogmatis de Christi Corpore in Eucharistia corruptibili authorem non damnarit, aliisque ejus exemplo silentium indixerit; sed disserendi arte in rebus humani captum ingenii excedentibus usus sit, humanisque rationibus dedocere voluerit adversarium.

Alexiani Imperii labes ex munerum publicorum licitatione.

Excitata quæstio de Corpore Christi in Eucharistia, utrum corruptibile vel incorruptibile sit.

Variis seditionibus fractum Imperium, in ruinam præcipitavit, *Isaacius Angelus* Alexii frater, quem juxta duas columnas in freti litore libere vivere patiebatur oculis orbatum & Imperio, arcana de ulciscendis injuriis, & fratris eversione consilia cum Latinis communicabat, & scriptis ad *Irenem* filiam, *Philippi* Germanorum Regis conjugem Literis, auxilium ab illa rogabat, & ab ipsa per literas docebatur, quid facto opus esset. *Alexius* Isaacii filius e custodia eductus, ad sororem Constantinopoli profugit: cujus hortatu Veneti, *Henrico Dandulo* Duce, cum *Balduino* Flandriæ Comite, Montis-ferrati Marchione *Bonifacio*, aliisque ad sacram Militiam Cruce insignitis Principibus, adversus *Alexium Comnenum* fœdus iniere. Validissima instructa classe, in qua centum & decem Naves equestres numerabantur, Jadara fœliciter appulere, inde Epidamnum; tum Corcyram, & Chalcedonem provecti, urbes illas ad ditionem compulere. Tandem Constantinopolim delati, dissipatis ac direptis Græcorum triremibus Urbem oppugnarunt, ceperunt, incenderunt. *Alexius* Debeltum fugit spoliatus Imperio, quod annos octo, menses tres, & dies octo tenuerat. *Isaacius Angelus* cæcus iterato cum *Alexio* filio imperavit. Annus tunc vertebatur millesimus ducentesimus-tertius, ad quem usque progressi sumus, ut *Alexii* Historiam una serie exponeremus, ex *Nicetæ Choniatis* libris tribus excerptam.

Constantinopolis a Latinis Principibus Cruce-signatis expugnatur.

Alexius Imperio exuitur. Isaacius Angelus iterum imperat.

CAPUT IX.

De Imperatoribus Occidentis XI. & XII. Sæculo.

ARTICULUS I.

De Henrico I.

I. OTTONE III. sine liberis defuncto, anno secundo supra millesimum, *Henricus* Bavariæ Dux, Germaniæ Rex, ejus nominis secundus, & primus Imperator renunciatus est, & a *Villigiso* Moguntino Archiepiscopo inauguratus. Italiæ Regnum *Ardoinus* Longobardus invasit. Obstitit *Arnulphus* Mediolanensis Archipræsul, habita Synodo, quod injussu Mediolanensis Archiepiscopi Rex Italiæ eligi & coronari non posset, jusque illud Ecclesiæ suæ a *Caroli Magni* temporibus nulla temporum iniquitate fuisset interruptum. Proinde Ardoini electionem cum Synodo vitiosam & irritam dixit. *Henrico* Germaniæ Regi delatum Italiæ Regnum est: qui *Ottonem* Ducem cum exercitu contra *Ardoinum* in Italiam misit. Hunc lacessivit *Otto*, non debellavit. Nam *Henricus* aliis distentus bellis necessaria suppeditare non valuit auxilia. Ipsum quippe bellum adversus Sclavos exercebat: quo confecto, Bambergensem Episcopatum cum Basilica Deo sub *S. Georgii* invocatione sacra, & duo Monasteria condidit ac dotavit. Coram Episcoporum Synodo prostratus religiosissimus Princeps se bonaque sua Deo obtulit in tam sanctum opus impendenda. Ad quod etiam dotem suam contulit Imperatrix sanctissima Cunegundis. *Deoderico* Metensi Episcopo Augustæ fratri id ingratum, qui propterea adversus Cæsarem rebellavit. Hic vero Metensi urbe obsessa & pene vastata, perduellis Episcopi fregit audaciam. Eadem tempestate bellum *Henrico* fuit adversus *Bal-*

Henrici res præclare gestæ, & pietas eximia.

duinum Flandriæ Comitem. Gandavo ab Imperatore occupata, Valentianisque receptis, pax inter illos sancita est. Inde in Italiam profectus, *Ardoino* debellato, Rex ab *Arnulpho* Mediolanensi Archiepiscopo coronatus est. Conventum habuit in Roncaliis, Leges optimas tulit, Longobardiam lustravit. Mox Romam adiit, ubi a *Benedicto VIII.* Pontifice Maximo, quem Sedi restituerat, insignia Imperii accepit anno 1014. jurata prius Romanæ Ecclesiæ, ipsique *Benedicto* ac Successoribus fidelitate ac defensione, ut *Ditmarus* initio libri 7. testatur. Capuæ a Saracenis oppugnatæ tulit opem: Græcis Trojam in Apulia eripuit, pacem Italiæ reddidit anno 1022. In Ecclesias ac Monasteria fuit munificentissimus, præsertim in Cassinense, ubi graviter ex calculo laborans, *B. Benedicti* intercessione sanatus est, teste *Leone Ostiensi*, Lib. II. Cap. XLIV. Ejus opera Merseburgensis Episcopatus erectus est, & multis donis ornatus, eique præfectus *Ditmarus*. *Roberto* Regi Christianissimo amicissimus fuit Henricus, cum quo congressum habuit ad Mosam, invicemque de munificentia certarunt, anno 1023. teste *Glabro Rodulpho* lib. 3. cap. 1. Cum *Roberto Guischardo* Normannorum in Apulia Duce contraxit amicitiam.

Henrico contra Græcos auxilio fuere in Italia Normanni Principes.

Nobiles Normanni undecimo ineunte sæculo in Italiam adventare cœperant Hierosolymitanæ peregrinationis occasione numero quadraginta & *Gaimaria* Apuliæ Principi auxilio fuerant contra Saracenos tunc Salernum obsidentes; in quos irruptione facta, ingentique edita strage, mirabilem obtinuerat victoriam. His alii successere bellica fortitudine & magnanimitate pares, qui *Pandulpho* Capuæ Dynastæ, aliisque Principibus adjuncti, contra Græcos & Saracenos utilem & gloriosam navarunt operam. Postea Apulia, Calabria, & Sicilia potiti, Provincias istas beneficiario jure a Sede Apostolica, Ducum titulo, impetratas, possederunt. De Normannorum in Italia gestis legendi *Leo Ostiensis* lib. II. Cassinensis Chronici, *Glaber Radulphus* lib. III. Cap. 1. *Gaufredus Malaterra* Benedictinus Monachus, libris quatuor; *Alexander* Abbas Celesinus libris totidem *Willelmus Gemmeticensis* &c. Sed in gentem meam sum ingratus, nisi præclarum *Thomæ Fazelli* de Normannis Apuliæ & Siciliæ Comitibus atque Ducibus adscribam elogium lib. 6. posterioris Decadis *De Rebus Siculis*, cap. 11. *Sed quoniam* (inquit) *Normannorum, quibus quod in solo patrio sumus, quod liberi vivimus, quod Christiani Siculi omnes hodie sunt, ingenue acceptum ferimus, mentionem incidimus, de eorum exordiis scitu quidam dignissima præmittere duxi*, &c. Et cap. 385. *Normanni gens audax, bellicosa, & in rebus gerendis sagax, & qua suo tempore nulla alia in Europa vel militia fuit fœlicior ... Gens demum non solum fortitudine, verum & pietate quoque insignis. Nam cum hi tum septem Italiæ regiones, tum Siciliam in Regna contraxerint, Christianæ Fidei columina, Christianorum tutores acerrimi fuerunt, fundatores templorum, Cœnobiorumque illustrium, quæ ad memoriam usque nostram mira visuntur.* Huic longe antiquius, nec minus locuples testimonium addo *Glabri Rodulphi* de Normannorum fortitudine, pietate, justitia, lib. 1. cap. 5. *Illorum*, inquit, *Ducamine Principatus fuit Metropolis civitas Rothomagorum. Cum igitur prædicti Duces ultra cæteros viguerint Militia armis, tum perinde præ cæteris gratia communis pacis ac virtute liberalitatis. Nam omnis Provincia, quæ illorum ditioni subjici contigerat, ac si unius consanguinitatis domus familia inviolatæ fidei concors degebat. Nempe furi ac prædoni apud illos comparabatur, quicumque hominum in aliquo negotio plus justo, vel falsum quippiam vendendum metiens subtrahebat alteri. Egenorum quoque & pauperum, omniumque peregrinorum, tamquam parentes filiorum, curam gerebant assiduam. Dona etiam amplissima sacris Ecclesiis pene in toto orbe mittebant, ita ut etiam ab Oriente, Monte scilicet denominatissimo Sina, per singulos annos Monachi Rothomagum venientes, qui a prædictis Principibus plurima redeuntes auri & argenti suis deferrent xenia. Hierosolymam vero ad Sepulchrum Salvatoris centum auri libras secundus misit Richardus, ac quosque cupientes illuc devote peragrare, donis juvabat immensis.* Sed ad Henricum Imperatorem redeamus; qui Normannorum virtutem contra Græcos expertus est.

Normannorum Principum virtus.

Cum *Stephano* Ungarorum Rege affinitatem contraxit, *Gisla* sorore ipsi in matrimonium data: ipsique & toti Genti conversionis ad Christum author fuit. Coluit maxime viros sanctos *Ramualdum* Abbatem *Sancti Emeranni* Ratisponensis, cujus corpus ad sepulturam propriis humeris detulit, *Heribertum* Coloniensem Archiepiscopum, *Odilonem* Cluniacensem Abbatem, & *S. Ramualdum* Camaldulensium parentem. Obiit anno Christi MXXIV. nulla relicta prole, quippe qui perpetuam cum *S. Cunigunde* uxore sua virginitatem servaverit, eamque imminente obitu, propinquis commendaverit his verbis: *Hanc ecce mihi a vobis, immo per Christum, consignatam ipsi Christo Domino nostro & vobis reconsigno Virginem castam.* In Bambergensi Ecclesia sepultus est. Ipsum *Eugenius* III. in Sanctorum numerum retulit, absque Synodo, quamvis Sanctorum Canonizationem sine authoritate Synodi fieri insolitum esset, ut idem Pontifex testatur: *Tametsi*, inquit, *hujusmodi petitio nisi in Generalibus Conciliis admitti non soleat; authoritate tamen S. Romanæ Ecclesiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquiescimus, atque ejusdem memorabilis viri, cujus exaltationem requiritis, Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio, memoriam inter Sanctos fieri censemus.* Imperavit annos 23. menses quinque, & dies sexdecim. Legenda sunt ejus Acta vulgata Tom. VI. Antiquæ Lectionis *Canisii*. *Ditmarus* Merseburgensis Episcopus coævus Author lib. 6. & 7. Chronici, *Marianus Scotus*, & *Sigebertus* in Chronicis, *Otto Frisingensis* lib. 6. cap. 26. *Abbas Ursbergensis*, *Sigonius* lib. 8. *De Regno Italiæ*, &c. Ex quibus hæc excerpta. Post ejus obitum *Cunigundis* Augusta ejus uxor, quæ a marito de zelotypia tentato in suspicionem adducta, virginitatem nudis pedibus vomeres candentes calcans probaverat, virgo (ut diximus) ab ipso relicta, inter Sanctimoniales Confugiensis Monasterii, Ordinis Benedictini quod ipsa fundaverat, nomen dedit. Ejus Vitam apud *Surium*, & inter Acta Sanctorum Mensis Martii, a PP. *Henschenio* & *Papebrochio* editam legere est.

Henrici Pii castitas.

Canonizatio.

S. Cunigundis.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 38. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Eugenius canonizat Sanctum sine Concilio, contra consuetudinem.*

R. Eugenius III. in Sanctorum album retulit Henricum I. Imperatorem, absque Synodo, quamvis Sanctorum Canonizationem sine authoritate Synodi fieri ante insolitum esset. Mera quæstio facti, cujus testis idem Pontifex. Ejus verba eo loci descripsi.

Nota.

QUicumque velit exhibere quam servaverit Ecclesia disciplinam in Sanctorum canonizatione, tria tempora distinguere oportet. Primum ab Ecclesiæ exordio usque ad sæculum decimum, ac eo tempore Episcopos cum populi suffragio Sanctos ad publicum cultum destinasse comperitur; quamvis deinde etiam Synodi, ac Principis accesserit authoritas. Id ipsum agnoscit Bellarminus, quapropter & ab Episcopis in honorem Sanctorum festivitates instituebantur, ut habetur ex *Tertulliano l. de cor. milit. c.* 3. ex S. Cypriano *ep.* 34. & 37. & Eusebio *l. 4. cap.* 14. Hæ tamen particulares canonizationes tunc generales evadebant, quando totius ecclesiæ consensu probabantur. In iis vero hæc intercedebat solemnitas, quod Altare vel oratorium super tumulum illius, qui ut Sanctus habebatur, erigebatur; unde S. Antonius teste S. Hieronymo *in Vit. S. Hilarion.* in loco ignoto sepulturam sibi parandam curavit, ne quidam homo dives super eam ædificaret martyrium, ædiculam nempe sacram. Ammianus etiam Marcellinus, tametsi author profanus, narrat *lib.* 22. *cap.* 11. SS. martyrum Dracontii & Diodori cadavera concremata fuisse, cineresque in mare projectos, ne super ea Ædes a Christianis construerentur. Ubi vero in una Ecclesia diversa Sanctorum corpora fuerant tumu-

lata

lata, diversa super ea assurgebant altaria, ut suus cuique honor tribueretur: unde S. Gregorii ætate tredecim in una numerabantur ecclesia, ut ipse narrat *l. 5. ep. 50.* Ille etiam ritus ad has Sanctorum canonizationes pertinebat, quod ipsorum corpora elevabantur non quidem in summum locum, sed ipsorum loculos super pavimentum erigendo. Quando vero extra ecclesiam corpora erant humata, novis indota vestibus in eam inferebantur, ac in novo erecto tumulo recondebantur. *Beda lib. 4. cap. 19. & 30.*

A sæculo decimo absque Romani Pontificis authoritate nullus in Sanctorum albo inscribebatur; nec ante id tempus aliquod indubitatæ fidei extat monumentum, quo ostendatur ejusdem consensum in Sanctorum canonizatione fuisse necessarium. Primum indubium diploma, quod a Romano Pontifice pro aliarum ecclesiarum Sanctis canonizandis dimanaverit, fuit diploma Jo. XV. qui rogante Liutolfo episcopo Augustano, in frequenti Episcoporum conventu Udalricum ejusdem ecclesiæ episcopum ann. 995. literis suis ut Sanctum colendum esse decrevit. Frequenter deinde Sedem Apostolicam pro Sanctorum canonizatione consuluere, quod & factum credo, quia ubi Romani Pontificis interveniebat authoritas, statim late Sanctorum cultus propagabatur, cum particulares Episcopi in sola sua ecclesia possent, quem canonizarent, velle esse colendum.

Quamvis autem a sæculo decimo Romani Pontifices suam in Sanctis canonizandis interposuerint authoritatem, nihilominus Metropolitani antiquum morem retinendo, etiam sola sua authoritate pro suis ecclesiis Sanctos canonizabant. Id evenisse in canonizatione S. Bertini & Angilberti a Remensibus Archiepiscopis inter Sanctos adscriptorum, sicut & in canonizatione S. Guiberti Archiepiscopi Coloniensis suffragiu, & S. Gualteri Archiepiscopi Rothomagensis concessione peracta, observat Mabillonius *præfat. in sæcul. 5. Ord. S. Benedicti §. 6. n. 91. &c.* Nihilominus vel Romani Pontificis, vel particularium ecclesiarum Præsulum authoritate fieret canonizatio, in Concilio etiam aliorum Episcoporum, seu saltem suffraganeorum factam antiqua monumenta demonstrant. Id vero sæpe præstitum in œcomenicis conciliis habetur ex literis Eugenii III. apud Natalem; adeoque præter consuetum morem Henricum Imperatorem Sanctis adscriptum asserit: non tamen Eugenius Archiepiscoporum, Episcoporumque, qui aderant, consilium expostulare omisit.

Eo demum tempore, quo Alexander III. ad Petri cathedram evectus fuit, Sanctorum canonizationem, tamquam unam ex majoribus causis respiciens, uni Sedi Apostolicæ reservavit, quod & subinde præstitit Innocentius III. Cessarunt proinde Episcopi novos Sanctos in propriis diœcesibus colendos proponere. Varios vero ritus Romani Pontifices in aliquem ad Sanctum honorem elevando adhibuere, & diversimode, quamvis semper diligentissime, de heroica illorum sanctitate, signisque, quibus eam Deus testatam voluit, inquisiere.

ARTICULUS II.

De Conrado II. & Henrico II.

Conradus. I. C*Onradus*, Wormatiæ Ducum sanguine ortus, a *S. Burchardo* ejusdem urbis Præsule institutus, Germaniæ Rex & Imperator *S. Henrici* consilio, post ejus obitum electus est. *Misiconem* Polonorum Ducem, *Boleslai* filium edomuit Poloniamque fecit tributariam. In Italiam profectus, a *Joanne XX.* Imperator coronatus est, anno 1027. Ad hunc *Rodulfus* Burgundiæ Rex coronam suam cum Regno destinavit: seu ad *Henricum ejus* filium Germaniæ Regem designatum anno 1032. Id ægre ferens *Odo* Celticæ Comes, *Rodulphi* sororis filius, in *Conradum* armavit. Quem ille, ejus Dynastia ferro igneque vastata, coercuit. Anno sequenti a Burgundiæ Principibus & Lugdunensi Primare Sacramentum fidelitatis accepit. Tum in Italiam rediens ut motus quosdam sedaret lustrata Longobardia, Placentinum, Cremonensem & Vercellensem Episcopos reos majestatis, damnavit exilio. Parmensibus ob Dapiferi sui necem iratus, eorum civitatem igne delevit. Mediolanensem Archipræsulem perduellem Romanus excommunicavit Pontifex. Secundum hæc Romam orationis gratia perrexit Imperator. Cassinense Monasterium a *Pandulphi* Principis vindicavit injuriis, teste *Leone Ostiensi* in Chronico lib. 11. Obiit apud Trajectum Frisiæ, pridie Nonas Junii, an. 1039. cum annos pene quindecim imperasset. Ejus corpus Spiram delatum in Ecclesia Deiparæ Virgini sacra conditum est. Hæc ex *Hermanno Contracto*, *Mariano Scoto*, *Sigeberto* in Chronico, *Ottone Frisingensi* lib. 6. capp. 28. 29. 30. & 31. Abbate *Urspergensi*, *Sigonio*, lib. 8. *De Regno Italiæ*, &c.

Henricus II. II. *Henricus* Germaniæ Regum eo nomine tertius, Imperatorum secundus, a *Conrado* susceptus est *Gisila* uxore, ex *Caroli Magni* Regia stirpe oriunda, post ejus obitum solus regnavit, magna eum moderationis laude. Bohemos, Ungarosque bello subegit. Habitis Constantiæ ad Rhenum Comitiis, pacem inter Principes & Magnates conciliavit, privatis inimicitiis extinctis. Quidquid vero Fisco debebatur, expunxit. *Agnetem* sororem *Guillelmi* Ducis Pictavorum & Aquitaniæ duxit uxorem. Nuptiæ apud Ingelheimium celebratæ. *Comœdos expellit.* Mimis & Comœdis qui ad scenam exhibendam ludosque faciendos in urbem confluxerant, spe magna quæstus illecti, vacuos abire jussit; dignius Christiano Principe spectaculum exhibens; Effusa scilicet liberalitate *pauperibus distribuit, quæ membris diaboli subtraxerat:* (inquit Otto Frisingensis.) *Dignum Christiano Principe spectaculum.* A *Clemente II.* Pontifice Maximo Coronam Imperialem accepit anno 1047. Rebus in Italia ordinatis in Germaniam, reversus, Concilium convocavit, ad simoniacam hæresim, quæ longe lateque grassabatur, exterminandam: ac simoniacos omni honore destitutos, privatosque Dignitatibus ac Beneficiis Ecclesiasticis, anathemate mulctari statuit, Synodi Decreta promulgans, vimque publicæ Legis ipsi addens. *Synodum contra Simoniacos in Germania haberi curat.* Militi, equum cui insidebat, repetenti ceu furto sibi ereptum, ac ejus majestati ablatum, permisit ut illum, seque abduceret, donec ipsi pro furto fieret satis: tam stupendo exemplo subditos admonitos volens ut ab alieno usurpando ac retinendo manum abstinerent; alioqui id se non laturum impune. Ita refert *Glaber* lib. V. cap. 5. ubi & Synodi memoratæ meminit, orationemque Imperatoris gravissimam ad Episcopos refert, conceptumque his verbis pium *Ejus justitia.* Propositum: *Sicut mihi Dominus coronam Imperii sola miseratione sua gratis dedit; ita & ego, quod ad religionem ejus pertinet, gratis impendam.* Godefridum Lotharingiæ Ducem, & Balduinum Comitem Flandriæ, perduelles, ob idque a Romano Pontifice excommunicatos, ad deditionem compulit. Manichæos Goslariæ repertos patibulo damnavit. *Leoni nono* Pontifici maximo adversus Normannos Ecclesiæ Romanæ ditionibus infestos tulit auxilium. Obiit in Germania anno 1056. Confessione expiatus, condonatis injuriis, restitutione facta, cum annos 17. & menses 4. imperasset. Ista discimus ex *Hermanno Contracto*, *Mariano Scoto*, *Lamberto Schafnaburgensi*, *Sigeberto* in Chronicis, & *Leone Ostiensi*, lib. II. ex *Ottone Frisingensi* lib. 6. cap. 32. & 33. Abbate Urspergensi, ex *Sigonio* lib. 8. *De Regno Italiæ*, &c.

ARTICULUS III.

De Henrico III. Rodulpho, Hermanno, & Henrico IV.

Henricus III. I. H*Enrico II.* successit *Henricus* filius, Regum Germaniæ eo nomine IV. Imperatorum III. sub *Agnetis* tutela matris, cui ipsum subduxit post annos quippe *S. Anno* Coloniensis Archiepiscopus, de consilio Principum, ipsiusque institutionis curam suscepit, ne a Ministris & Aulicis, quorum coercendæ nequitiæ muliebre impar erat Imperium, Augustus puer depravaretur. *Bertam* Ottonis Marchionis Itali filiam duxit uxorem: cui postea repudium di-

cere

Henrici III. vitia.

cere cum decrevisset, *Alexandri II.* Pontificis Maximi, & *B. Petri Damiani* ejus Legati adhortationibus ab eo facinore deterritus est. Regni administratione cum se *S. Anno* abdicasset; Rex Juvenis, annos scilicet unum & viginti natus, tamquam severissimo Pædagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiæ & temperantiæ frænis præcipitem se dedit. Episcopos & Abbates, partim pretio, partim privata authoritate constituere aggressus est, quam *Investituram* appellamus. Tyrannidem etiam in subditos exercuit. Propter Simoniam, & Ecclesiasticæ violationem libertatis a *Gregorio VII.* Sancto & Magnanimo Pontifice communione privatus est anno 1076. & simulata sequente anno pœnitentia reconciliatus, sed subinde anathemate confixus iterum, cum ad pristinos mores rediisset, nec excommunicatos ab Aula dimitteret; immo & Regno dejectus, cujus jura ad *Rodulphum* Sueviæ Ducem, ad quem antea Saxones ob *Henrici* tyrannidem defecerant, ab eodem Pontifice translata. Sententia *Gregorii* actus est in præceps *Henricus*, & facto Schismate, in Brixinensi Conciliabulo *Guibertum* Ravennatem Archiepiscopum in Cathedra *S. Petri* Antipapam contra Gregorium erexit. *Henricum* inter & *Rodulphum* vario primum eventu de Imperio decertatum est. Vicit tandem *Henricus*. *Rodulphus* abscissa in prælio dextera occubuit anno 1080. cum tres annos & dimidium regnasset. Hoc ipsum ornat elogio *Bertoldus* Constantiensis Presbyter: *Ille alter Machabæus, cum inter primos hostium instaret, in servitio S. Petri occumbere promeruit: & postea uno die superstes, omnibus suis rite ordinatis, ad Dominum migrasse non dubitatur, Idibus Octobris. De cujus obitu omnes Religiosi utriusque sexus, & maxime pauperes doluerunt. Erat enim Pater Patriæ, servantissimus Justitiæ, indefessus Propugnator Sanctæ Ecclesiæ.* Ipsi a fœderatis Catholicarum & Pontificiarum partium Principibus substitutus est *Hermannus* Lotharingus, & anno 1082. die Protomartyri *Stephano* sacra inauguratus.

Excommunicatio

Exauthoratio.

Translatio Imperii ad Rodulphum a Gregorio VII.

Rodulphus ab Henrico victus occumbit.

Ipsi a Fœderatis substituitur Hermannus.

Romæ coronatur a Guiberto quem constituerat Antipapam.

Interim *Henricus* Rex Urbi Romæ cum exercitu imminebat, ubi *Guibertum* ab Episcopis Mutinensi & Ariminensi jussit coronari circa Pentecosten an. 1083. At a Romanis tunc temporis repulsus, Transtyberinas one pare non valuit regiones. Anno vero sequenti, magnam pecuniæ vim quam ab *Alexio* Imperatore Orientis acceperat, ut in *Robertum Guiscardum*, a quo fuerat cum centum & septuaginta millibus superatus arma converteret, contra fidem Pacti & Jurisjurandi Religionem, ad conciliandum sibi Romanum vulgus expendit, cujus ope Lateranense Palatium Feria V. ante Dominicam Palmarum occupavit, cum Antipapa suo, a quo Imperii accepit Insignia die Sancto Paschatis. De rebus Romæ ab *Henrico* gestis legenda ejus Epistola ad *Theodoricum* Virdunensem Episcopum, in Historia Trevirensi descripta, Tom. 12. *Spicilegii*, pag. 228. Post Kalendas Majas *Robertus Guiscardus* Normannus Princeps Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ Dux, cum exercitu in Urbem advolans, perduelles coercuerunt, Castra, civitatesque plurimas Pontificiæ ditionis Henricianis eripuit, ac *Gregorio VII.* restituit, *Henricum* in fugam dedit, ac in Germaniam quantocyus redire compulit. *Gregorio*, & ejus Successore *Victore III.* defunctis, *Urbano II.* in Cathedra *S. Petri* sedente, Saxones cum *Henrico* reconciliati, ipsum ut Regem ac Imperatorem legitimum coluere. Quamobrem ab iis in Lotharingiam secedere coactus est *Hermannus*, ubi e vita migravit anno 1088. Regni VII. Metisque sepultus est. Strenuam inter alios Ecclesiæ Romanisque Pontificibus adversus *Henricum* navarunt operam *Welpho* Dux, & *Mathildis* Magna Comitissa. Quorum partes *Conradus* Henrici filius contra Patrem adjuvit, a Mediolanensi Archiepiscopo Rex coronatus anno 1093. Quam ei dignitatem *Urbanus II.* anno 1095. confirmavit, cum sibi fidelitatem de vita, membris, & Romano Pontificatu jurasset: illique coronam pollicitus est Imperii, salva Romanæ Ecclesiæ Justitia, & Statutis Apostolicis, maxime de Investituris in spiritualibus Officiis a Laico non usurpandis. Nova Regi filia *Rogerii* Siciliæ Ducis desponsa est. Obiit *Conradus* Rex, *Henrici* filius perduellis, Florentiæ, anno millesimo centesimo-primo.

A Roberto Guiscardo Apuliæ Duce fugatur.

Henricus Imperatoris Filius in Patrem rebellis.

Henrico Imperatori, sedatis anno 1103. Saxonum motibus, paceque in quadriennium constituta, spes affulgebat fortunæ lætioris, cum *Henricus* filius ejus alter, permittente Deo, ut ejus in Ecclesiam suam injurias domesticis armis ulcisceretur, adversus ipsum Religionis specie rebellavit, quibusdam ex Orientali Francia, Alemannia & Bajoaria Principibus tractis in partes, anno 1105. Mox in Saxoniam properans, gentis Proceres universos ad voluntatem suam inclinavit. Eodem anno exeunte, circa Natale Domini, Imperii Principes Moguntiam congregati, ubi & Sedis Apostolicæ Legati adfuere, toties repetitum a Romanis Pontificibus in Imperatorem Anathema promulgantes, ipsum Regni Insignia deponere ac filio resignare compulerunt, a quo per fraudem comprehensus, & in Castro quodam conclusus fuerat. Ita spoliatus, Leodium secessit, ubi ipsi quieto esse vix licuit persequente filio. De calamitate sua scripsit ad *Philippum* Regem Francorum, ejusque auxilium imploravit. Scripsit etiam ad Germaniæ Episcopos & Principes, de vi sibi illata cum ipsis expostulavit: Paratum se esse professus est ad reverentiam & obedientiam Romano Pontifici exhibendam, & ad disponendum de statu Ecclesiæ, & honore Regni, consilio *S. Hugonis* Cluniacensis Abbatis, spiritualis Patris sui, aliorumque Religiosorum virorum. Proinde filium commonerent, ut a sui infestatione cessaret, nec ipsi contra se auxilio essent. Quæ interpellatio si inutilis fuerit, Romanum Pontificem, & Sanctam universalem Romanam Sedem & Ecclesiam appellat. Legationem Patri destinavit *Henricus IV.* eique rescripsit ex Principum sententia, his verbis: „ Post inveteratam, id est, per annos circiter quadraginta „ discissionem Imperii Romani, quæ tam divinas quam „ humanas jam pene Leges abolevit, & exceptis mortibus omnimodis, sacrilegiis, perjuriis, rapinis & „ incendiis, ipsum Regnum nostrum non tantum in „ solitudinem, sed etiam ad apostasiam Catholicæ fidei sive in ipsum Paganismum propemodum redegit respiciente tandem suam Ecclesiam divina „ Clementia, nos ejusdem Christi Sponsæ filii per „ Spiritum Sanctum in unitatem fidei æquanimes resipuimus, ipsum incorrigibile schismatum illorum „ caput, Henricum scilicet dictum Imperatorem nostrum, zelo Dei & Apostolicæ Fidei obedientia „ abdicavimus, Catholicum nobis licet ipsius de „ semine natum Regem elegimus. Cujus Regni principium, sui finem esse conspiciens, etiam ipse tamquam voluntarius, sed ut jam ejus fatentur literæ nimis invitus collaudavit, Regalia reddidit, filii curam cum Regno, nostræ fidei lacrymando „ commisit: de reliquo nullam se Regni pompam, „ sed animæ potius suæ medelam ulterius affectaturum spopondit. At nunc ecce pristinis se reddens „ tergiversationibus, præjudicium se passum per orbem terrarum conqueritur, Gallorum, Danorum, „ Anglorum, cæterarumque finitimarum gentium „ gladios cordibus nostris infigere meditatur, super „ illatis etiam injuriis recuperari sibi justitiam precatur, consiliis quoque nostris amodo promptum „ se obedire pollicetur. Re autem vera solitis argumentis, castra hæc Domini dispergere, Christi exercitum exarmare conatur, & vineam Domini, quæ „ jam sero florescere cœpit, tam per se singularem „ utique ferum denuo depascere, quam per vulpes „ illas, nimirum qui sibi adhærent, pestilentes homines, demoliri, ac per sacrilegia Sacerdotum „ Belial anathemati recidivo reddere; immo Christum jam iterum in Ecclesia sua surgentem omnium cordibus, crucifigere meditatur. Quapropter „ placet tam Regi, quam universis Regni Principibus, immo cuncto Exercitui orthodoxo, quo Senior idem, ne ulla sibi pateat adversus nos justa „ querela, quacumque elegerit securitate, quacumque maluerit statione, coram præsenti Senatu simul „ & Populo causam suam agat, justitiam suscipiat, „ justitiam & reddat, quatenus ab ortu Schismatis, „ omnibus seditionum causis, ac si nihil inde jam „ fuerit diffinitum, undique discussis, tam filio quam „ patri sua justitia respondeat. Ecclesiæ vero Regnique status, non (ut ipse mute suo proponit) post „ longas inducias, sed impræsentiarum his controversiis

Cui Pater insignia Imperii resignare cogitur.

„ fiis diremptis, vacillare desinat. Has Epistolas refert Abbas Urspergensis in Chronico ad annum 1116. Legatur & *Hermonnus* in Historia Restaurationis Abbatiæ *S. Martini Tornacensis*, pag. 446. Tom. 12. *Spicilegii*.

Henrici III. obitus.

Interim Leodii obiit *Henricus* Senior, septimo Idus Augusti, anno ætatis quinquagesimo-quinto, cum annos pene quinquaginta regnasset. Nullus fuit de ipsius morte luctus, immo communis lætitia, ut testatur Abbas Urspergensis, qui & corpus ejus *Henrici* filii consensu Spiram delatum, in lapideo sarcophago, insepultum extra Ecclesiam solido quinquennio remansisse testatur: & a *Catholicis, id est, cunctis Beato Petro, suisque Successoribus, fidem & obedientiam lege Christiana conservantibus*, Archipiratam, Hæresiarcham, & Apostatam appellatum; animarumque magis quam corporum persecutorem: utpote qui nec naturalibus, nec consuetudinariis contentus sceleribus, nova & a sæculis inaudita, ideoque nonnulla incredibilia exercuisse infamabatur. Cæterum

Henrici III. Imp. dotes naturales.

neminem suis temporibus natu, ingenio, fortitudine, audacia, statura etiam totaque elegantia corporis fuisse fascibus imperialibus aptiorem, si in conflictu vitiorum homo non degenerasset, vel succubuisset interior, asserit idem Abbas. Quæ decora Vitæ ejus Author, seu potius Panegyrici, Tom. 1. Rerum Germaniæ *Urstisii* in Proemio magis exaggerat, ejusque præsertim in pauperes prædicat caritatem. *Non ante januam*, inquit, *sed ante mensam ejus Lazarus jacuit: nec micas, sed Regias delicias expectavit.*

Beneficentia in pauperes, qua Schismatico non profuit.

In ipsa mensa famem & fœtorem ulcerosi non abhorruit, cum minister mensæ contra fœtentem nares corrugaret aut obstiparet. In cubiculo ejus cæci, claudi, & diversis morbis confecti jacebant: hos ipsemet excalceabat, hos collocabat, hos de nocte consurgens tegebat, nec abhorrebat vel ejus tactum, quem ægritudo compelleret usque ad sordidandum lectum: Iter ejus pauperes præcedebant, comitabantur, sequebantur: quorum curam tametsi suis intimis commendasset, ipsemet tamen eos tamquam nulli commendatos curabat; sed & per curtes suas usquequaque stipendia pauperibus disposuerat, quorum numerum & obitum ipse scire voluit, ut & defuncti memoriam ageret, & in ejus locum alterum subrogatum nosset. Sed quando sterilitas anni famem indixit, multa millia pavenda suscepit ... Imperavit mundo, pauperes illi: Mundus illi, pauperibus ipse ministravit. Hæc si non finxit, sane amplificavit Orator *Henrico III.* addictissimus. Quamquam

Bellica fortitudo.

homini in Schismate pertinaci, & Romanæ Ecclesiæ hosti infensissimo, eleemosynæ minime profuerint. Verius a bellica fortitudine laudatur quæ tam insignis erat, ut bis sexagesies signis collatis pugnaverit. Quæ de isto Imperatore diximus, deflorata sunt ex Lamberto Schafnaburgensi, Mariano Scoto, Dodechino Abbate, Ottone Frisingensi lib. 7. Bertoldo Constantiensi, ex Authore Anonymo Vitæ ipsius ab Urstitio editæ, ex Abbate Urspergensi, &c. Plura in Dissertationibus dicemus.

Henricus Quartus.

II. *Henricus* Regum Germaniæ eo nomine V. & VI. Imperator, Ecclesiæ, Regnique compositis in Germania rebus, Ungaris haud secundo Marte lacessitis, habito triginta millium Equitum delectu in Italiam profectus est. Romam veniens *Paschali II.* vim intulit, ab eoque Investiturarum Privilegium extorsit, & imperii accepit Insignia anno millesimo

Ejus cum Romanis Pontificibus dissidium ob Investituras.

centesimo-undecimo. Ob studium in illis retinendis pertinax, gravissimum ipsum inter & *Paschalem II.* ejusque Successores *Gelasium. II.* cui *Burdinum* Antipapam opposuit, & *Calixtum II.* dissidium exarsit, a quo excommunicatus, paternæ calamitatis exemplo rediit ad officium, & dimissis Investituris, anno 1122. absolutus est. Sed de his plura in Dissertatione *De Investituris*. Hollandos subegit, anno 1124. Mox comparato in *Ludovicum* Regem Christianissimum exercitu, ut *Henrico* Angliæ Regi, cujus *Mathildem* filiam duxerat, pro vindicanda Normannia opem ferret, Francorum ingenti exercitu ad congressum parato absterritus, pedem retulit, ad frangendam Wormatiensium rebellium conversus audaciam. Obiit Trajecti, Christianis Sacramentis pie perceptis, 10. Kalendas Junii, 1125. Imperii 14. Acer ingenio, fortis, & audax, licet parum fœlix in præliis; at nimius in appetendis alienis, ab Urspergensi Abbate dicitur, Spiræ sepultus est juxta patrem, cui, concedente demum *Paschali II.* Sacerdotibus Germanis asserentibus ipsum peccatorum suorum pœnitentem obiisse, Christiano ritu parentaverat. Quæ de *Henrico V.* diximus, excerpta sunt ex Ottone Frisingensi lib. 7. a cap. 13. ad 17. ex Dodechino Abbate, ex Sigeberto, & Roberto de Monte, ex Abbate Urspergensi, &c.

ARTICULUS IV.

De Lothario II. & Conrado III.

Lotharius.

I. HEnrico absque liberis defuncto, Regnum in *Lotharium* Saxonum Ducem, invitum licet ac repugnantem, Principum suffragiis translatum est. Quem virum sapientem & industrium, & Ecclesiastico juri devotum, præpotentem divitiis & victoriis, *Sigebertus*, prædicat. Adversus ipsum rebellarunt *Fridericus, & Conradus*, Henrici Imperatoris sororii. *Conradus*, cum exercitu superatis Alpibus, a Mediolanensibus susceptus, & ab *Anselmo* Archiepiscopo Italiæ Rex Modoetiæ coronatus est, atque inde perlustrata Lombardia, civitates ad se plerasque omnes traduxit. *Conradum & Fridericum* perduelles Principes diris devovit *Honorius II.* Pontifex Maximus, Archipræsulem Mediolanensem exauthoravit. Lotharius *Innocentium II.* adversus *Anacletum* Pseudopontificem & *Rogerium* Siciliæ Ducem defendit, ducto in Italiam exercitu anno 1133. Quo Romæ ab eodem *Innocentio* Imperator coronatus est. Inde in Germaniam redux, *Fridericum & Conradum*, sequestre *S. Bernardo* Clarevallensi Abbate, in gratiam recepit. Post hæc Italiam secunda expeditione petens, Campaniam, & Apuliam subegit, compulso in fugam *Rogerio* tum Ecclesiæ hoste. *Rainaldum* Apuliæ Ducem constituit. Orta eam ob rem contentio est Pontificem inter & Imperatorem, utroque Ducatum Apuliæ sui esse Juris allegante. Controversia hoc modo composita fuit, ut in tradendo Duci vexillo manum uterque adhiberet. Dum in Germaniam rediret *Lotharius*, Tridenti obiit anno 1138. Imperii VI. Regni XIII.

Jus civile ab Irnerio Jureconsulto meliorem in formam redactum.

His temporibus, *Irnerius* Jus civile in meliorem ordinem redegit, nempe Instituta *Justiniani*, quæ principia sunt & Introductio quædam Juris: Edicta Prætorum & Ædilium Curulium, quæ Digestis continentur, & Juri Civili firmamentum præstant; Codicem, qui Imperatorum Leges complectitur: & Authenticas Constitutiones; quas ad supplementum & emendationem Juris *Justinianus* adjecit. Id vero operæ non navavit *Irnerius* jubente *Mathilde* Comitissa, ut scripsit Urspergensis Abbas, cum illa ante *Lotharii* Imperium e vita migrasset; sed ipsius, ut par est credere, *Lotharii* jussu, quem Lege lata sanxisse ut ex uno Jure Civili Romano posthac Judicia fierent, constans doctorum hominum monumentis est fama. Tunc Juris Civilis studia majori diligentia, & fervore in Italiæ Gymnasiis coli cœpere, ac Bononiæ præsertim, ubi maximo cum applausu docuit *Irnerius*.

Lotharii bellica virtus, & pietas.

Pietatis non minus quam bellicæ virtutis laude insignis fuit *Lotharius*, quem Urspergensis Abbas hoc exornat elogio: *Erat strenuus belli ductor, præcipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei & Sanctæ Ecclesiæ, qui quamdiu vixit, totum Romanum Imperium titubare non potuit.* Ejusdem pietatem his verbis prædicat *Petrus Diaconus* lib. IV. Chronici Cassinensis cap. 125. *Quis tanti Imperatoris animum non admiretur? Sederat ad sedandas dissensiones Fratrum in Capitulo, a prima diei hora usque ad vesperam absque cibo potuque perdurans, dum paci unitatique consuleret: Nempe enim sub Imperii chlamide cœlesti militabat Regi. Nam [ut ipse testis sum] in expeditione constitutus, summo diluculo Missam pro defunctis, dehinc pro exercitu, tertiam postremo diei Missam audiebat. Demum viduis & orphanis cum Augusta pedes lavans, tergebat crinibus & osculabatur, cibumque illis ac potum large distribuens, qua-*

stio-

ſtiones & oppreſſiones Eccleſiarum prius relevans, ultimo in loco Imperium ponebat. Quamdiu vero in Caſſinenſi Clauſtro remoratus eſt, ita omnes officinas Monaſterii, ac ſi Abbas vel Decanus, circuibat, ſcire cupiens quomodo quiſque ſub Beati Benedicti Magiſterio viveret: Factoque mane orans, Monaſterii Eccleſias nudis pedibus circuibat. Et hæc agens numquam a conſortio Epiſcoporum & Abbatum avellebatur, & cum Sapientibus ſermocinatio ejus. Erat cæcorum baculus, eſurientium cibus, miſerorum ſpes, lugentium conſolatio, atque ita ſingulis eminebat virtutibus, ut omnes perfecte haberet. Sacerdotes honorabat, ut Patres: pauperes fovebat, ut filios: viduas, ut matres. Erat in orationibus pervigil, lachrymaſque creberrimas contriti cordis Deo offerebat. Quæ de *Lothario* Imperatore diximus, excerpta ſunt ex Ottone Friſingenſi, lib. VII. a cap. XVII. ad XXI. ex Petro Diacono lib. IV. Chronici Caſſinenſis, Dodechino Abbate, Roberto de Monte, Abbate Urſpergenſi, Sigonio lib. X. De Regno Italiæ, &c.

Conradus Tertius.

II. Defuncto abſque filiis *Lothario Conradum* Friderici Sueviæ Ducis ac ſororis Henrici IV. Imperatoris filium, rejecto ob ſuperbiam *Henrico* Noricorum Duce, *Theoduino* S. R. E. Cardinali & Sedis Apoſtolicæ Legato præſente, & Summi Pontificis, Romani populi, urbiumque Italiæ aſſenſum promittente, plerique Principes habitis Confluentiæ Comitiis elegere; quem idem Legatus Aquiſgrani inauguravit. Frequentiora deinde Comitia Bambergæ indicta. Saxones, & *Richinza* Auguſta *Lotharii* vidua, Novo Regi ſe dedidere. Solus ex Principibus abſuit Dux *Henricus* Regalia apud ſe retinens Inſignia. Ipſi propterea dicta dies Ratiſponæ ad Feſtum Apoſtolorum *Petri & Pauli*, ubi promiſſis illectus, *Conrado* Inſignia reddidit: cum Rege tamen minime reconciliatus eſt. Tandem Principum quorumdam judicio Herbipoli proſcriptus, ac in proximo Natali Domini habitis Goſlariæ Comitiis, Ducatu ſpoliatus eſt. Ad *Conradum* Romanorum Regem ſcripſit *Sanctus Bernardus* Epiſtolam 183. *Bernardum* honorifice & amice ſalutabat, querebatur quod *Lothario* faviſſet olim contra ipſum. Reſpondit cum reverentia ſanctus Abbas, & occaſione data Regem ad obſervantiam Sedis Apoſtolicæ hortatus eſt. *Querimoniæ Regis*, inquit, *noſtra ſunt, & maxime illa, quam dignanter expreſſistis de invaſione Imperii. Regis dedecus, Regni diminutionem numquam volui. Volentes odit anima mea. Legi quippe:* „ Omnis anima Po„ teſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: *Et* qui pote„ ſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. *Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire, in exhibenda reverentia Summæ & Apoſtolicæ Sedi, & Beati Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab univerſo ſervari Imperio.* Interim *Reginaldo* mortuo, *Rogerius* Apuliam, Campaniamque recuperavit. Romanorum Arnaldiſtarum deſpexit Legationem *Conradus*, Sedis Apoſtolicæ Legatos honorifice ſuſcepit, florentiſſimo Urbis Clero collata priſcis ab Imperatoribus Privilegia confirmavit. Ad eumdem Regem ſcripſit *Sanctus Bernardus* Epiſtolam CCXLIV. qua ipſum hortatus eſt ad defenſionem Authoritatis Pontificiæ contra rebelles Romanos. Tunc in Cathedra *Sancti Petri* ſedebat *Eugenius III.* adverſus quem perduellis Arnaldiſtarum factio populum concitaverat. Docet quam arcta eſſe debeat Imperii & Sacerdotii concordia, quam ſtudioſa conſenſio. *Non veniat*, inquit, *anima mea in conſilium eorum qui dicunt, vel Imperio pacem & libertatem Eccleſiarum, vel Eccleſiis proſperitatem & exaltationem Imperii nocituram. Non enim utr uſque inſtitutor Deus in deſtructionem ea connexuit, ſed in ædificationem.... Quo ignobilior atque abjectior, tanto liberior ſum ad loquendum quod caritas ſuggerit. Unde & adhuc addo in eadem inſipientia mea: Si quis aliud quam locutus ſum vobis [quod non credimus] ſuadere conabitur, is profecto aut non diligit Regem, aut parum intelligit quid Regiam deceat Majeſtatem: aut certe quæ ſua ſunt quærit, & non valde, quæ vel Dei, vel Regis ſunt, curare convincitur.* Eodem hortante *S. Bernardo* Crucis inſigni ſumpto, Hieroſolyma cum exercitu profectus eſt, rebuſque infœliciter geſtis in Italiam rediit, inito fœdere cum *Manuele* Græcorum Imperatore adverſus *Rogerium* Siciliæ Regem. Obiit Bambergæ anno 1152. XV. Kalendas Martii Regni XIII. non ſine ſuſpicione veneni a Medicis Italis a *Rogerio* Siculo ſubmiſſis propinati. Coronam Imperii non accepit, quod Italia & Roma ipſa bellis civilibus arderent: ſed in proximo coronandus erat, niſi Deus ipſum ad meliorem coronam vocaſſet. Filios duos ex conjuge ſuſceperat; *Henricum*, quem Principum conſenſu Regem creaverat, & *Fridericum*. Henricus biennio defunctus eſt ante patrem. *Fridericum* minorennem nepoti *Friderico* Suevorum Duci, quem approbantibus Principibus Succeſſorem dixit, commendavit. De *Conrado III.* legendi Otto Friſingenſis lib. VII. Chronicorum cap. XXII. & ſequentibus, & lib. I. de Geſtis Friderici; Dodechinus Abbas, Robertus de Monte, Abbas Urſpergenſis, Sigonius lib. XI. *de regno Italiæ*, &c.

S. Bernardi litera ad Eum ſcripta.

ARTICULUS V.

De Friderico I.

FRidericus I. dictus *Ænobardus*, Aquiſgrani Rex Germaniæ & Romanorum a Colonienſi Archiepiſcopo inauguratus, Legationem miſit ad *Eugenium III.* Pontificem Maximum, & cum ipſo concordiam iniit. Pacti conditiones fuere ut pacem cum Romanis, & cum *Rogerio* Siciliæ Rege, ſine conſenſu Romani Pontificis non faceret: Ut Romanos Pontifici ſubjugaret: Ut honorem Papatus, & Regalia *Beati Petri* tueretur, & ad eorum, quæ direpta fuerant recuperationem, præberet auxilium: Græcorum Imperatori nullam in Italia terram concederet: ſi quam invaderet, ipſum ejicere totis Regni viribus niteretur. Pontifex vero Regem coleret, Imperatorem coronaret, ejus hoſtes ad ſatisfactionem compelleret, armiſque ſpiritualibus feriret.

Friderici I. expeditio in Italiam.

Anno 1155. profectus in Italiam *Fridericus* Terdonam expugnavit, direptiones dedit, igne delevit, civibus vita ac libertate donatis. Inde Papiam progreſſus, Regni Italiæ coronam accepit. Ab *Hadriano IV.* Pontifice Maximo Romæ ſummo cum honore ſuſceptus, Imperator coronatus eſt. Perduelles Romanos compreſſit, magna ipſorum clade. *Arnaldum* turbarum incentorem vinctum ad Pontificem & Cardinales duci juſſit, a quibus Eccleſiaſtico Judicio damnatus, Urbis Præfecto traditus eſt. Roma Spoletum perrexit Imperator, civitatem rebellem, turribus munitam pene centum. Quam ſex horis, vi cepit, igne videlicet ac gladio; & infinitis ſpoliis acceptis, pluribus igne conſumptis, funditus deſtruxit. Inde Anconam divertens, *Palæologum* Græcorum Principem, & Oratores Imperatoris *Manuelis* obvios habuit, qui ipſum rogarunt magna pecuniæ vi oblata, ut in Apuliam arma convertens, *Willelmum* Siciliæ Regem, utriuſque hoſtem Imperii contereret. *Fridericus* re cum Principibus communicata, fatigatum & imminutum exercitum in Germaniam reducere maluit, quam novi belli aleæ exponere. *Palæologus* cum ſuis copiis in Apuliam deſcendit, Barium occupavit, munitionem diruit: ſed ejus morte Græcorum conatus diſſipati ſunt, ſpes præciſæ. *Willelmus* enim Siciliæ Rex congregato exercitu in ipſos irruit, & paucis captis; cæteris occiſis omnem pecuniam aſportavit. Italicæ iſtius expeditionis Hiſtoriam ex Epiſtola *Friderici* I. ad Patruum ſuum *Ottonem* Friſingenſem Epiſcopum & ex ipſius *Ottonis* libro II. *De Geſtis Friderici* excerpſimus.

Friderici cum Romanes Pontificibus pertinax diſſidium.

Anno 1157. adverſus Polonos movit *Fridericus*, iiſque debellatis, *Boleſlaum* Ducem in deditionem recepit. Magna huc uſque fuit apud omnes gloria: ſed violata Eccleſiæ concordia, & pertinax cum Romanis Pontificibus, *Hadriano IV. Alexandro III.* cui Antipapam *Octavianum* oppoſuit, *Lucio III.* & *Urbano III.* diſſidium omnem ejus lucem ſplendoremque infuſcavit. De his porro diſſidiis legenda, quæ ſcripſimus Cap. II. Articulis VIII. IX. X. & XI. & in Diſſertatione de Concilio Lateranenſi Tertio, Œcumenico XI. ſub *Alexandro III.* Mediolanenſes, Brixienſes, Cremenſeſque rebellantes contudit *Fride-*

ricus

vicus, eorum urbibus agrisque vastatis anno 1162. Tandem prave gestorum pœnitentia ductus bellum Saladino ob Hierosolyma ab illius tyrannide eripienda indixit, & accepto ab *Henrico* Episcopo Albanensi, S. R. E. Cardinali, Crucis insigni, eum ingenti exercitu in Orientem profectus est, anno 1189. Multis ibi fortiter præclareque gestis, de quibus Anonymi Epistola post *Radevici* Historiam edita legenda est, in fluvio quodam per æstivos calores corpus abluens atque refrigerans, undæ torrente abreptus, naufragium fecit, anno millesimo centesimo nonagesimo, Regni trigesimo octavo, Imperii trigesimo-quinto. Præter *Ottonem Frisingensem*, de Gestis *Friderici* legendi sunt *Radevicus* Canonicus Frisingensis, *Otto a Sancto Blasio*, *Dodechinus*, *Robertus de Monte*, & Urspergensis, Abbates: *Gotfridus Viterbiensis*, Chronicorum parte 17. *Sigonius*, de Regno Italiæ, Lib. 12. 13. 14. & 15. Hujus Imperatoris elogium *Radevicus* Capite postremo Libri II. scripsit in quo hæc animadversiona digna: *Antelucanos Basilicarum & Sacerdotum suorum cœtus, aut solus, aut minimo comitatu expetit, eosque tam grandi sedulitate veneratur, ut omnibus Italis erga Episcopos & Cleros servandi honorem & reverentiam, ipse formam & exemplum tribuerit. Officiis Divinis tantam prabet venerationem, ut omnem horam qua coram ipso Deo psallitur, competenti veneratur silentio, nec ullus interim eum audeat de quolibet solicitare negotio. Peractis vocie & post Missarum solemnia divinis consignatis Reliquiis mane reliquum curæ Regni administrandi deputat... Erga familiares suos in proferendo alloquio non minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu investigando persequax, Scripturas & Antiquorum Gesta sedulo perquirit, Eleemosynas in ministerio pauperum plerumque ipse manu sua distribuit. Pecuniarum suarum decimam Ecclesiis & Monasteriis fideliter dividit.*

Bellum sacrum animo Pœnitente susceptum.

Obitus.

Elogium Friderici I.

ARTICULUS VI.

De Henrico V. Imperatore, & de Ottone ac Philippo Electis.

Henricus V.

I. HEnricus V. *Friderici I.* filius, Regni consors factus a patre, *Constantiam* Rogerii primi Siciliæ Regis filiam, pacta cum *Willelmo* Siciliæ Rege pace, uxorem obtinuit. Imperii coronam a *Cœlestino III.* Pontifice Maximo consecutus est, anno millesimo centesimo nonagesimo-primo. Mortuo interim absque liberis *Willelmo* Siciliæ Rege, Regni hereditas ad *Henricum* Imperatorem per *Constantiam Augustam* devoluta est, prout dotalibus tabulis pactum erat; Siculi Germanorum dominationem metuentes, *Tancredum* Rogerii Ducis Calabriæ filium, Rogerii Regis nepotem, ex concubina susceptum, Regem creant, favente Cœlestino III. *Henricus* indicto bello Regnum repetit, Salernum expugnat, Neapolim invadit: & mortuo post biennium *Tancredo*, ejusque filio, Apulis, Calabrisque in fidem receptis, in Siculos pariter deditos, violata pactorum fide omne genus immanitatis exercet. *Richardum* Angliæ Regem e bello sacro redeuntem & a *Leopoldo* Austriæ Duce Viennæ interceptum ad seque missum, tyrannice detinuit, magnamque ab eo pecuniæ vim redimendæ gratia libertatis extorsit. Quamobrem ipsum anathemate ferit *Cœlestinus III.* Sacram expeditionem promovit, scelus ut expiaret, teste *Willelmo Neuburgensi* Lib. V. *De Rebus Anglicis*, Cap. XX. Anno 1197. Messanæ pœnitens obiit, pio condito Testamento, & Anglorum Regi extortam pecuniam, Romanæ Ecclesiæ ereptas a se suisque Prædecessoribus ditiones restitui jussit: Quod executioni mandatum est.

Regni Siciliæ hereditatem bello vindicat.

Henrici V. obitus.

Contentio de Imperio inter Philippum Henrici fratrem, & Ottonem Saxoniæ Ducem.

II. Defuncto *Henrico*, de Regno inter se decertarunt *Philippus* ejus Frater, & *Otto* Saxoniæ Dux, *Frederico* Henrici filio adhuc in cunis vagiente, & ad Regni successionem a Germanis Principibus nihilominus destinato, *Philippo* Rex Franciæ, *Ottoni* Innocentius III. Pontifex Maximus, & Rex Angliæ favebant. *Richardi* Regis Anglorum ad *Innocentium* pro Ottone suo nepote literas, quibus egregia sua erga Ecclesiam studia, parentis *Ottonis* ac Majorum merita, contra a *Philippo* Suevo ac Progenitoribus incussas Sedi Apostolicæ injurias, & damna proposuit, exhibet *Odericus Raynaldus* ad annum 1198. Primis electus Comitiis non fuit *Otto*, sed electo *Philippo*, qui ob invasum Ecclesiæ patrimonium excommunicatus fuerat, pars Principum Regem creaverat *Bertolphum* Zaringiæ Ducem. At ille potentiam *Philippi* veritus jure suo cesserat, undecim millibus marcarum ac Ducatu ab ipso acceptis. Rei tam indignæ fama ad Principes delata, *Ottonem* ipsi in *Bertolphi* locum elegere, qui ab *Adolpho* Coloniensi Archiepiscopo Aquisgrani coronatus est. *Philippus* in communionem restitui supplex postulaverat, ac *Innocentio* Romano Pontifici promiserat se facturum satis. Legatos misit in Germaniam Pontifex, qui ipsum his conditionibus absolverent, ut Archiepiscopum Salernitanum, quem in carcere detinebat, libertate donaret, ac Ecclesiæ se parituram præstito Sacramento confirmaret. Archipræsulem e carcere quidem eduxit: sed Ecclesiæ terras, quarum ob invasionem fuerat excommunicatus, non restituit, nec ad restitutionem cautione aut Sacramento se devinxit. A Sutrino tamen Episcopo Legationis Apostolicæ prævaricatore furtivam obtinuit absolutionem. Id ex Authore coævo Vitæ *Innocentii III.* discimus. Controversiæ de Imperio exortæ cognitionem ac finitivum Judicium Sedi Apostolicæ vindicavit *Innocentius III.* in idque studiis omnibus incubuit ut Germani eum Regem reciperent, cujus electionem Sedes Apostolica approbaret. Id ex ipsius Literis ad Archiepiscopum Moguntinum, & Episcopum Sabinensem, aliisque ad universos Germaniæ Principes datis certum est, quas exhibet *Odoricus Raynaldus*, ad annum 1199. Misit interim *Philippus* Oratores ad *Innocentium* ut illius gratiam sibi conciliaret, eumque inclinaret ad electionem suam confirmandam. Respondit Pontifex, jampridem ad Sedem Apostolicam fuisse recurrendum, ad quam negotium istud *principaliter & finaliter* pertinebat. Principaliter, *quia ipsa transtulit Imperium ab Oriente in Occidentem: finaliter, quia ipsa concedit coronam Imperii.* Cæterum se maturius ea de re cum Fratribus deliberaturum.

Idem Pontifex *Constantiæ* Imperatrici Henrici V. viduæ, & filio *Friderico*, Regni Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Capuani Principatus Investituram contulit, ea lege, ut hominium Sedi Apostolicæ præstarent, certumque censum singulis annis persolverent. Qua de re legenda est *Innocentii* Epistola CCCCVIII. Libri I. anno 1198. scripta. Eodem anno, die 27. Novembris, diem suum obiit *Constantia* Imperatrix, & supremæ voluntatis tabulis Romanum Pontificem *Friderici* Regis tutorem, & *Balium* seu Moderatorem Siciliæ designavit, triginta millia tarenorum, quod monetæ erat genus, ex Regis Siculi redditibus pro Regni defensione attribuit; Filium vero Archiepiscopis Panormitano, Montis Regalis, & Capuano, necnon *Gualterio* Cancellario commisit educandum. Pontifex curas suas ad moderandam Legatorum opera Siciliam contulit, ac *Marcualdum* Tyrannum anathemate & piorum armis contrivit, anno 1199.

CAPUT X.

De Regibus Francorum, Sæculis XI. & XII.

ARTICULUS I.

De Roberto Rege.

ROberto Regi pacatissimum Regnum fuit: Bellum unicum pro Burgundiæ Ducatu vindicando, quem Dux *Henricus* in ipsius Regis nepotis sui legitimique heredis injuriam *Willelmo* privigno testamento reliquerat. Favebat Willelmo *Landricus* Nivernensis Comes. Utrumque domuit *Robertus*, Richardo III. Normanorum Duce suppetias ferente. *Leothericum* Senonensem Archiepisc. pro quibusdam causis probationem per Corpus & Sanguinem Christi quærentem, acerrimis literis objurgavit, eique periculum ho-

Roberti Regis pium pro fide & Religione Catholica studium.

„ honoris minatus est, nisi resipisceret. *Cum sit tibi nomen scientiæ* (inquit) *miror qua ratione quæsieris pro tuis iniquissimis imperiis, & pro infestato odio quod erga servos Dei habes, examinationem ex Corpore & Sanguine Domini : & cum hoc sit quod a* „ *donis Sacerdote dicitur*, Corpus Domini nostri Jesu „ Christi sit tibi salus animæ & corporis, *cur ta temeraria ore & polluto dicas* : Si dignus es, accipe : *Cum sit nullus qui habeatur dignus ? Jurans Domini fidem Princeps Dei, Privaberis* (inquit) *honore Pontificis, nisi ab his resipueris*. Ita refert *Helgaldus* Floriacensis. Catholicæ Fidei vindex fuit acerrimus : cujus integritatem cum *Lisoius & Stephanus* novi Manichæi depravassent, eos cum pravitatis hæreticæ conscios Aureliaois igne damnavit. Christianæ mansuetudinis & caritatis eximia dedit exempla. Duodecim viros conjurationis in Sacram suam Personam convictos triduo ante Pascha, jussit ipsa die SacroSanctæ Dominicæ Resurrectionis Communione Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi donari, & Regalibus epulis recreari. Sequenti die quæstione habita, capite damnati sunt. At ipsos absolvit Rex mansuetissimus, dicens, *Non debere damnari, qui fuerant præmuniti cibo potuque cælesti*. Nusquam absque pauperibus erat Christianissimus *Robertus*. Duodecim pauperes domesticos habebat, qui ipsum quocumque iret, asellis vecti præcedebant. Hoc Sancti Regis Satellitium. Mille in Regiis urbibus & castris, scilicet Parisiis, Sylvanectis, Aurelianis, Divione, Autisiodoro, Avalone, Meleduno, Stampis, alebat. Quadragesimali tempestate ducentis quotidie panem pisces ac vinum subministrari curabat. In Cœna Domini trecentis propria manu panem, legumina, pisces ac denarios flexis genibus, hora tertia viritim distribuebat. Selectis centum pauperibus Clericis uberiorem hora sexta erogabat eleemosynam. Cum a mensa surrexisset, positis Regalibus vestimentis, cilicio indutus, pauperum pedes pietate & humilitate admirabili abluebat. Sacras ædes & Monasteria ingenti numero a fundamentis erexit, de quibus legendus *Helgaldus* in ejus Vita. In Dei laudibus erat assiduus. Sacros quosdam Hymnos composuit, & inter alios Prosam, *Veni Sancte Spiritus*. Justitiæ pacisque fructus sub Pissimo *Rege Roberto* Galli decerpserunt ac degustarunt. Regiam Domum turbavit *Constantia* superba mulier. Ex ipsa filios quatuor suscepit *Robertus Hugonem, Henricum, Odonem, & Robertum*, necnon & filiam nomine *Adelaidem*. Hugo quem in Regni consortium asciverat, quique spes tantas de se excitabat, ut jam *Magnus* appellaretur, obiit anno 1025. & Compendii ad *Sancti Cornelii* sepultus est.

Roberti Regis mansuetudo & caritas.

S. Benigni Abbatis Divionensis verba Regibus terribilia.

Regem ac Reginam gravissimo ob ejus mortem mœrore confectos consolatus est his verbis *Sanctus Willelmus* Abbas *Sancti Benigni* Divionensis, referente *Glabro Radulpho* in ejus Vita : *Non infælices vos putare debetis, quia talem amisistis : Quia potius fælices valde, quia talem habere meruistis. Ego ex ulla hominum grada non tam paucissimos salvos futuros æstimo, sicut & Regum*. Qui cum attoniti responderent, Cur hoc dicis, Pater ? Respondit : *Non audistis sacer Canon quomodo refert, vix tres de triginta Regibus bonos extitisse ? Idcirco cessat quæso nunc Juvenem flere mortuum : sed potius congratulamini ei, sicut requieti datum & a malis liberatum*. Trium filiorum superstitum majorem natu *Henricum* successorem dixit *Robertus* eique coronam imposuit anno 1027. repugnante *Constantia* Regina, quæ natu minorem *Robertum* volebat anteponi.

Quæstiones in Synodis disceptatæ.

Per hæc tempora quæstiones quasdam in Synodis Episcoporum disceptatas refert *Glaber Rodulfus* lib. 3. cap. 3. Primam de jejuniis inter Ascensionem Domini & Pentecosten a plerisque fidelium observatis, ad quæ neminem imperio Sacerdotum adstringendum præterquam sabbato Pentecostes, sancitum fuit. Altera quæstio fuit de hymno *Te Deum laudamus*, quem Adventus & Quadragesimæ tempestate monachi contra Romanæ Ecclesiæ morem decantabant. Qui cum *S. Benedicti* institutione ritum suum tuerentur, suus illis usus permissus est. Tertia quæstio fuit de celebratione Annuntiationis Beatæ Virginis XV. Kalendas Januarii, Hispaniensis Ecclesiæ ritu. Prævaluit vero Ecclesiæ Romanæ, Gallicanæ, ac cæterarum consuetudo die 25. Martii illam solemnitatem celebrantium, quæ etiam cœlesti viso Cluniaci confirmata est.

Roberti Regis sanctitas.

Obiit sanctitate & miraculis clarus *Robertus* Rex anno Christi millesimo trigesimo primo, decimotertio Kal. Augusti, quem calculum variis monumentis confirmant Viri Eruditi *P. Ægidius Lacarri* S. J. in Dissertatione de morte *Roberti* Regis & Dom. *Mabillonius* lib. II. *De re diplomatica*. Ad annum 1033. *Roberti* Regis obitum differunt *Baronius & Petavius* freti *Helgaldi* testimonio, qui cum eclipsi illius anni ejus obitum componit, Sed nonnisi recapitulatione quadam hæc duo ab *Helgaldo* simul commemorari compertum est, cum scribat *Robertum* obdormivisse in Domino *XIII. Kalendas Augusti, lucescente aurora diei tertiæ Sabbati*, id est, die Martis, quæ dies cum XIII. Calendas Augusti seu 20. Julii, non anni 1033. sed 1031. concurrebat. Nec *Baronii* Epochæ robur majus accedit ex *Glabri Rodulphi* testimonio, ejusdem Regis obitum ad annum 1033. referentis. In Chronologia enim haud semel lapsum *Glabrum*, certum est. Cum hoc ipso anno *Fulberti* Carnotensis Episcopi, & *Benedicti* Papæ mortem consignet ; quamvis *Fulbertus* anno 1029. obierit. Anno vero 1033. *Joannes XIX*. Papa, non *Benedictus* e vivis excesserit. *Roberti* Regis corpus Meloduno, ubi obierat, in *S. Dionysii* basilicam illatum est. Annos vixit sexaginta & unum, regnavit 45. & sex menses: Novem scilicet annos & dimidium cum *Hugone* patre, trigintaquatuor ab ejus obitu. Quod hodie visitur monumentum cum effigie & hoc titulo, *Robertus Rex*, positum statim non fuisse colligitur ex his *Hildegaldi* Floriacensis verbis : *Inter alia unum quiddam doloris nobis hoc offert, quod talis ac tantus vir sine titulo ornati lapidis, sine nomine, sine literis jacet, cujus in toto terrarum orbe gloria & memoria in benedictione est*. In ejus funere a subditis acclamatum est : *Roberto imperante & regente, securi viximus, neminem timuimus. Patri pio, Patri Senatus Patri omnium bonorum, felix anima & salus, felix, ad superas ascensus, felix cum Christo Rege Regum per sæcula cohabitatio*. Hoc ipsum elogio exornat Helgaldus. *Ei indesinenter adhæsit Ecclesiasticus, & sibi semper amabilis monasticus ordo .... Sermocinans quis cum eo, non est lætificatus gaudio magno ? Pacem quis desiderans, in ejus conspectu non abhorruit iram ? Vultus sui præsentiam aspiciens, quis non est oblitus dolus ? Orationibus ejus quis monachorum non habuit requiem, & non est amatus, dilectus, & veneratus ? Ejus sanctissima admonitione, quis clericorum non fuit amator castimoniæ ? Ipsius amicabilia verba, quibus non fuerunt medicamina ? Aspectus ejus quibus non profuit insipientibus ut virga ? Oculos ejus humiles quis aspiciens, non est meditatus cælestia ? Pauper & esuriens quis non satiatur ab ejus cessit mensa ? Viduæ & pauperes ad exemplum bonæ Dorcadis non ab eo datas ostenderunt vestes ? Omnis miserorum multitudo non eum patrem & nutritium inclamavit ? ... Non fuit ei similis post sanctum David de cunctis Regibus terræ, in Sanctis virtutibus, humilitate, misericordia, pietate & caritate : quia semper adhæsit Domino, & non recessit a mandatis ejus corde perfecto*. Fulbertus Carnotensis Episcopus Epistola 87. *Robertum* Regem *Sanctum Patrem* ; eumdem *Willelmus* Aquitaniæ Dux in Charta pro cœnobio Burguliensi *Theosophum* appellat. Varia pro variis Ecclesiis & monasteriis diplomata edidit ac præcepta, pro Fossatensi, pro Autisiodorensi *S. Germani*, pro Latiniacensis * restauratione, pro Compendiensi, cui prædium dedit prope Vermeriam. Edita sunt a Domno *Mabillonio* lib. VI. *De re diplomatica*.

Roberti Regis elogium.

Bourgueil.

* Lagny.

ARTICULUS II.

De Henrico I. & Philippo I.

I. HEnricus Rex *Constantiam* matrem expertus est adversariam, quæ nimirum urbes quasdam & castra occupaverat, & multos Franciæ ac Burgundiæ Proceres sibi devinxerat, ut *Robertum* quem Burgundiæ Ducem creaverat *Henricus*, eo exauthorato

in

in solium eveheret. Sed inquietæ mulieris conatus repressit, *Roberti* Normannorum Ducis auxilio. *Odonis* Carnotensis Comitis rebelles filios *Theobaldum* & *Stephanum*, qui *Odonem* Regis fratrem spe Regni delusum sollicitabant, per *Gotfredum* Andegavensium Comitem vicit Fratremque Aurelianis in custodiam tradidit. *Willelmum Nothum*, Richardi Normannorum Ducis filium, quem pater fidei suæ commendaverat, tuitus est, & Normannorum millibus triginta fusis, cum ipse tria dumtaxat millia in exercitu haberet, gentem pertinacem ad parendum ipsi compulit. Ex *Anna* Russorum Regis filia, quam duxerat uxorem, tres filios suscepit, *Philippum*, *Robertum*, & *Hugonem*. Anno sexagesimo supra millesimum habitis Lutetiæ Parisiorum Comitiis, consilium suum, de filio primogenito *Philippo* in Regem promovendo Proceribus exposuit. Cum id omnes laudassent, seque jurisjurandi religione ad fidelitatem ipsi servandam obstrinxissent, Rex Lutetia Remos profectus, ipsos ad solemnem ejus inaugurationem eo vocavit. Ipsum hoc ritu a *Gervasio* Remensi Archiepiscopo unctum testatur Formula vetus ex MS. Codice Petaviano edita a *Francisco Duchesnio* Tom. IV. pag. 161. *Inchoata Missa, antequam Epistola legeretur, Domnus Archiepiscopus vertit se ad eum, & exposuit ei Fidem Catholicam: sciscitatus ab eo utrum hanc crederet, & defendere vellet. Quo annuente, delata est ejus Professio: quam accipiens, ipse legit, dum adhuc septennis esset, eique subscripsit. Erat autem Professio hæc: Ego Philippus, Deo propitiante, mox futurus Rex Francorum, in die Ordinationis meæ promitto coram Deo & Sanctis ejus, quod unicuique de vobis commissis Canonicum Privilegium, & debitam legem atque justitiam conservabo: & defensionem, quantum potuero, adjuvante Domino, exhibebo, sicut Rex in suo Regno, unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet. Populo quoque nobis credito me dispensationem legum in suo jure consistentem nostra authoritate concessurum. Qua completa posuit eam in manus Archiepiscopi. Accipiens Archiepiscopus Baculum Sancti Remigii, disseruit quomodo pertineat ad eum electio Regis ex qua S. Remigius HLudovicum Regem baptizavit & consecravit ..... Tunc annuente Patre ejus Henrico, elegit eum in Regem.* Aderant honoris & amoris gratia Sedis Apostolicæ Legati: quamvis absque Romani Pontificis nutu Reges Francorum inaugurari possunt (ut ea in Formula notatum est) Episcopi viginti-duo, Abbates ac Proceres quamplurimi. Ab omnibus acclamatum est: *Laudamus, Volumus, Fiat*. Paulo post obiit *Henricus* Vitriaci prope Lutetiam annis Regni ab obitu patris viginti-tribus completis, ætatis quinquagesimo-quarto bellicosus ac religiosus Princeps. Basilica *S. Martini a Campis* Henricum I. fundatorem agnoscit. In ea constituit Clericos quibus ob pravos mores pulsis, *Philippus I.* Monachos Cluniacensis Congregationis ibi collocavit.

Bellum Normannicum.

Rex Henricus Philippum filium Regem inaugurari jubet.

Ritus antiquus Regiæ Consecrationis.

Fulco Senior Comes Andegavensis.

Henrico I. regnante obiit *Fulco* Senior Comes Andegavensis, anno circiter 1040. *Gaufrido* filio, cui *Martello* cognomen, vivens Principatu cesserat. Ille superbe in Patrem, inhumane in subditos se gerens, Comitatum facesque deponere jussus, arma in Patrem sumere ausus est. *Fulco* filium insolentem adeo infregit, ut per aliquot milliaria sellam dorso vehens, pronum se cum sarcina ad ejus pedes abjiceret. Senex pede jacentem pulsans, & ictum terque quaterque ingeminans, id responsi a magnanimo Juvene tulit: *Tibi, Pater, soli quia Pater es, victus; cæteris omnibus invictus sum.* Quo mollitus responso, gratiam illi suam ac Principatum restituit. Eodem anno Hierosolyma pœnitentiæ & pietatis motu profectus est, ubi a duobus servis Sacramento adactis, ut quod juberet, facerent per publicum ad sepulchrum Domini nudus tractus est. Alter restem ligneum collo ejus intorserat, alter flagellis terga exspoliati urgebat: Quod ille opprobrium ac vulnera sponte passus, ad Deum clamabat: *Accipe, Domine, miserum Fulconem, perjurum tuum, fugitivum tuum; confessum dignare animam meam, Domine Jesu Christe.* Ita refert Willelmus *Malmesburiensis*, lib. 3. *De Gestis Regum Angliæ*.

Fulconis Comitis Hierosolymitana peregrinatio & pœnitentia.

Anno 5. *Henrici* Regis habitum Episcoporum Conventum, quo Monasterio Caxanensi Ecclesia *Sanctæ Mariæ Inter-ambas aquas* confirmata est, ejusque loci immunitas constituta, discimus ex Monumento edito a *P. Mabillonio* Lib. 6. *De Re Diplomatica*. Ejusdem Regis Placitum pro Cœnobio *S. Medardi* adversus *Rubertum* Codiciacensem cap. 155. ejusdem libri legere est.

In Catalonia.

Cap. 204.

II. *Philippo* Regi septenni puero, *Henricus* Pater tutorem dedit ac Regni Moderatorem *Balduinum* Comitem Flandriæ, Principem integerrimum. Is Wascones a se alienos, & ad defectionem pronos, consilio & arte magis quam armis coercuit, ac Regi sibique devinxit, ductis in Wasconiam copiis, quasi Pyrenæum transmissuris, belli in Saracenos Hispaniam infestantes gerendi simulatione. *Richildis* Comitissæ Hannoviæ, & filiorum ejus ad Flandriæ Comitatum Jura *Philippus* Rex armis tuenda suscepit; sed re infœliciter gesta ipsorum partes reliquit, & *Roberto* favit puerorum Principum patruo, qui *Richildis* rebus profligatis, Comes Flandriæ salutatus est. Inter *Gaufridum Barbatum*, Andegavensium Comitem & *Fulconem* fratrem cognomento *Asperum*, Comitem Wastinensium orto dissidio, *Fulco* inito cum Rege fœdere, ei Wastineto cessit, ne fratri, cui bellum inferebat, in auxilium veniret. Armis superior evasit *Asper*, Barbatum cepit, in perpetuam custodiam tradidit. *Philippus* Rex dissimulationis minime Regiæ mercedem accepit Wastinetum. *Bertam*, *Florentii* Hollandiæ Comitis filiam, in matrimonium duxit; ex qua *Ludovicum* genuit & *Constantiam*. Ipsi deinde repudium renuntiavit, affinitatem causatus. Postmodum *Bertradam* Fulconis Andegavensium Comitis uxorem, consanguinitate sibi junctam, rapuit, & in uxorem assumpsit, quibusdam Episcopis approbantibus, quibus Regis favor divinis Ecclesiasticisque legibus erat antiquior. *Yvo Carnotensis*, & alii priscæ integritatis Antistites nuptias incestas & adulteras palam improbarunt & earum celebritati interesse recusarunt. Qua de re legenda est Epistola 15. *Yvonis* ad *Philippum* Regem scripta: *Sicut serenitati vestræ dixi præsens ante juramentum vestrum, ita nunc scribo absens: Quia huic nuptiarum solemnitati ad quam me vocatis, interesse nec volo, nec valeo, nisi prius generalis concilii definitione decretum esse cognoscam inter vos & uxorem vestram legitimum intervenisse divortium, & cum ista, quam ducere vultis, legitimum vos inire posse matrimonium: si autem invitatus fuissem ad hujus rei discussionem in eo loco, in quo cum Coepiscopis canonicas secure possem conferre sententias, ubi temerariam non timerem multitudinem, libentissime ad hoc venirem, quod lex & justitia dictaret, cum audientibus audirem, cum dicentibus dicerem, cum facientibus facerem. Nunc vero quia absolute vocor ut Parisius cum uxore vestra veniam, de qua nescio utrum possit esse uxor: Propter conscientiam meam quam coram Deo conservare debeo, & propter famam, quam Christi Sacerdotem bonam habere oportet apud eos qui foris sunt, malo cum mola asinaria in profundum mergi, quam per me mentibus infirmorum tamquam cæco offendiculum poni. Nec ista contra fidelitatem vestram, sed pro summa fidelitate dicere me arbitror: cum hoc & animæ vestræ magnum credam fore detrimentum, & coronæ Regni vestri summum periculum.* Apostolica libertas *Yvoni* Regis odium, fructuum Episcopii sui captionem, aliasque molestias creavit; de quibus ad eumdem Regem scribit Epistola XXII. *Quoniam præcedente divina gratia, de stercore pauper usque ad solium Principum per manum vestram elevatus sum, fateor me post Deum pro posse meo cuncta vobis debere, quæ vestro congruunt honori & saluti. Sed quia exasperatus, propter salubres monitus, quos Serenitati vestræ ex summa fidelitate & caritate direxi, me diffiduciastis, & bona Episcopalis Domus diripienda adversariis nostris exposuistis, gravia & grandia inde perpessus incommoda, Regali Curiæ ad præsens nec secure possum interesse, nec honeste. Supplico itaque majestati vestræ, ut Regia interim me mansuetudine supporteis, donec possim aliquantulum respirare, & damna, quæ mihi pene usque ad penuriam punis inflicta sunt, reparare. Expecto etiam per misericordiam Dei cito futurum, ut verum esse cognoscatis illud Proverbium Salomonis: Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis.*

Philippus I.

Philippi I. Matrimonium.

Bertam repudiat uxorem. Bertradam superducit.

Yvo Carnotensis & alii Episcopi incestas & adulteras Nuptias palam exsecrantur.

De tanto scandalo certus *Urbanus II.* Pontifex Maximus

Urbani II. ad Gallicanos Episcopos literæ.

ximus, scripsit ad Gallicanos Episcopos, præcipiens Regem commonerent, & nisi resipisceret, Ecclesiasticæ disciplinæ severitatem in eum exercerent. Has literas aliquandiu apud se retinuit *Yvo Carnotensis*, remque communicavit cum *Widone* Regis dapifero, ut ejus majestati significaret, quo dimitteret adulteram, nec excommunicationem in caput suum traheret. *Vidi* (inquit) *literas, quas misit Domnus Urbanus Apostolicus ad omnes Archiepiscopos & Episcopos Regni sui, ut eum ad rationem mittant: & nisi resipuerit, Ecclesiastica eum disciplina ad emendationem venire constringant. Hæ quidem literæ jam publicatæ essent, sed pro amore ejus feci eas adhuc detineri: quia nolo Regnum ejus, quantum ex me est, adversus eum aliqua ratione commoveri. Hæc omnia volo ut dicas Domino nostro Regi, & secundum hoc quod apud eum inveneris, mihi facias remandari*.

Yvonis Carnotensis prudentia.

Interim *Urbanus* Papa sacris *Philippo* Regi interdixit, nisi *Bertradam* dimitteret, omnibusque vetuit Episcopis, ne illi coronam imponerent. Id ei significavit *Yvo Carnotensis*, Epistola 28. profectionem suam ad Aulam excusans multis rationibus. *Quod facere*, inquit, *ad præsens magnæ & multæ causæ me prohibent. Prima, quia Domnus Papa Urbanus interdicit vobis Authoritate Apostolica thorum mulieris, quam pro uxore habetis, & quia Sacramentum de securitate Concilii, quod vobis mandaverat, fieri vetuistis. A cujus commixtione, si amodo non cessatis, separat vos eadem Authoritas a participatione Corporis & Sanguinis Dominici. Interdicit etiam omnibus Episcopis, ne capiti illius mulieris coronam imponant, quam* [*ut ubique pene terrarum dicitur*] *lateri vestro illicite copulastis. Parcens igitur majestati vestræ, dissimulo vestram adire præsentiam, ne Sedis Apostolicæ jussione compulsus, cui vice Christi parere me oportet, quod nunc dico in aure, cogar in vestris & multorum auribus publicare. Ego autem nolo vos scandalizare, vel Regiam majestatem vestram minuere, quandiu possum aliqua honesta ratione dissimulare*.

Urbanus II. sacris Philippo Regi interdicit, nisi Bertradam dimittat.

Apostolica Legatio Hugoni Lugdunensi Archiepiscopo imposita.

Hac tempestate, *Urbanus II.* Apostolicam Legationem *Hugoni* Lugdunensi Archiepiscopo demandavit; Quam ille in tanta rerum perturbatione ac difficultate obire cunctabatur. Ipsi animos addidit *Yvo Carnotensis* Epistola 24. *Hanc meam lætitiam perturbavit, quod mihi dictum est, te in tanta perturbatione humanorum huic oneri nolle supponere, dissuasione quorumdam dicentium, propter languidum caput, ægrotanti corpori, & pene viribus destituto, non posse commode subveniri. Sed imperitorum medicorum est tale consilium, tumores palpantium, & palpando putredines digestantium; amantium suam tranquillitatem, non ægrotantium sanitatem, nec attendentium quod Veritas dicit: Non est opus sanis medico, sed male habentibus. Licet enim in Regno Italico surrexerit alter Achab, in Gallico autem altera Jezabel, quærentes altaria suffodere, Prophetas occidere; non est tamen dicendum Eliæ:* „ Relictus sum solus, & quærunt animam meam: *ne divinum dicat ei responsum:* Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Baal. *Licet ad placitum Herodis, saltet Herodias, petat caput Joannis, concedat Herodes, dicat tamen Joannes: Non licet tibi uxorem tuam inordinate relinquere, & contribulis tui conjugem vel pellicem in conjugium habere. Licet Balaam doceat Balac edere & fornicari, Phinees tamen non pareat Israeliti cum Madianite fornicanti*.

Legatus in Synodo Augustodunensi Regem excommunicat.

His literis excitatus Legatus Apostolicus, congregata Augustoduni Synodo, Regem excommunicavit, anno millesimo nonagesimo quarto, ut *Bertholdus* Constantiensis Presbyter testatur. Hoc percussus fulmine *Philippus* Rex Oratores misit ad *Urbanum II.* Synodum Placentiæ celebrantem Quadragesimali tempore anno 1095. & inducias ad Pentecostem usque impetravit. Quæ dum agerentur, *Yvo Carnotensis* ad Summum Pontificem scripsit Epistolam 46. qua ipsius Sanctitatem adhortatus est, ne quorumdam suggestionibus ac minis concuteretur, & a via Justitiæ se sineret adduci. *Venturi sunt*, inquit, *ad vos in proximo Nuntii ex parte Regis Francorum, per quorum os locutus est Spiritus mendax, qui infatuati adeptione vel promissione honorum Ecclesiasticorum, infatuare moliuntur Sedem Justitiæ. Contra quorum calliditatem Parvitate mea Vigilantiam vestram volo esse præmonitam & præmunitam, quatenus rigorem vestrum promissiones eorum non emolliant, comminationes non exterreant. Quidquid enim dicant, jam securis ad radicem arboris posita est, nisi aut arcam remittatis, aut gladium suspendatis. Qui ergo venturi sunt confidentes in calliditate ingenii sui, & venustate linguæ suæ, prædictis de causis impunitatem flagitii se impetraturos Regi a Sede Apostolica promiserunt: Hac ratione ex parte usuri, Regem cum Regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam restituatis, nisi Regem ab anathemate absolvatis. Si autem impœnitenti venia concedatur, quanta spes impune peccandi peccantibus de cætero relinquetur, non est meum instruere vestram Prudentiam, cujus potissimum interest delinquentium errata non fovere, sed ferire. Si autem aliqui subdoli evidenter ab unitate Matris suæ discedunt, qui jampridem mente discesserunt: Consoletur Sanctitatem vestram divinum responsum: Reliqui mihi septem millia virorum. Et illud Apostoli, Oportet Hæreses esse, ut hi qui probati sunt, manifesti fiant.*

Yvo Carnotensis Urbano II. author est ne Regis aut aulicorum minis via Justitiæ se abduci sinat.

Philippus *Rex ab* Urbano II. *non est exauthoratus.* *Cardinalis* Perronius *hac Historia abusus ad potestatem indirectam in temporalia Regum Romano Pontifici asserendam confutatur*

Ex his verbis *Yvonis Carnotensis* ad *Urbanum II.* scribentis, *nisi coronam restituatis*, perperam colligebat Doctissimus Cardinalis *Perronius* in Oratione ad Tertium Regni Ordinem, Summum Pontificem indirectam in temporalia Regum authoritatem habere, & subditos ipsorum a juramento fidelitatis absolvere posse certis in casibus. Scilicet Magno Cardinali visum est his verbis significari, *Urbanum Philippo* regnandi potestatem ademisse. At non ita se res habet. Per coronam enimvero non hic intelligitur regnandi jus, & suprema regendæ Reipublicæ Authoritas, sed corona quam inter Sacra, præcipuis anni Festis ab aliquo Episcoporum solemni ritu impositam, Reges ad ornatum magnificentiorem olim gestabant. Quod in *Philippo* Rege fieri prohibuerat Summus Pontifex *Urbanus*: tum ne ab Episcopis hunc honorem ferret Princeps cum totius orbis Christiani scandalo impudicus, & ad Ecclesiæ Censuras pervicaciter obdurescens; tum quod Sacris interesse excommunicato omnino non liceret, multo minus cum pompa & dignitatis insignibus, cui potius inter pœnitentes gemendum. Unde hæc duo junxit Yvo: *Nisi coronam restituatis, nisi Regem ab Anathemate absolvatis*. Hunc porro morem coronæ Regio capiti per Episcopos imponendæ Festis solemnioribus, discimus ex eodem *Yvone* Epistola 66. ad *Hugonem* Sedis Apostolicæ Legatum. *Turonensis*, inquit, *Archiepiscopus, prædictæ Ecclesiæ pædagogus & incubus in Natale Domini, Regi, contra interdictum vestrum, coronam imposuit, &c.* Et Epistola 67. ad Urbanum II. *Sciatis etiam quia Turonensis Archiepiscopus, contra Interdictum Legati vestri, in Natale Domini, Regi coronam imposuit*. Pluries coronatos fuisse Reges docet quoque *Sugerius* Abbas in Vita *Ludovici Crassi* scribens: *Primæ Regiæ Coronæ primitias ad jus Remensis Ecclesiæ spectare*. Hugo de Cleriis *Fulconis* Comitis ad *Ludovicum VI.* Legatus: *Si*, inquit, ad *coronamenta Regis Comes ire voluerit*, &c. Rigordus in *Vita Philippi Augusti*, scribit ipsum an. 1181. in Ascensione Domini, *secundo imposuisse sibi diadema*. Hermannus lib. 3. *De Miraculis S. Mariæ Laudunensis*, cap. 22. loquens de *S. Joannis* Abbatia a *B. Salaberga* Lauduni condita: *Tantæ vero dignitatis erat eadem Abbatia, ut quandocumque Rex Francorum in diebus solemnibus Lauduni coronandus esset, in ipsa præcipue coronam auream portaret*. Neque vero quidquam accedebat Regii Juris per hanc iterationem coronandi: Trimestres alioqui ut plurimum Reges fuissent, quibus ab una Solemnitate ad aliam potestas cum corona traderetur: Quod si nihil repetitis illis coronationibus Juris datum; nihil etiam sublatis ademptum est. *Urbanum* Pontificem eadem Epistola monitum voluit Religiosissimus Antistes, Regem Conventum Episcoporum Trecis indixisse, acceptis Sanctitatis ejus responsis celebrandum. Cui adesse non vult *Yvo*, nisi consilio Papæ munitus, *timens ne quid contra Justitiam & Sedem Apostolicam moliatur ille Conventus*.

Urbanus II. Philippum & Bertradam excommunicat.

Eodem anno, 4. aut 6. Kalendas Decembris, *Urbanus II.* in Claromontana Synodo de Sententia Patrum *Philippum* Regem, & *Bertradam* pellicem excommunicavit, ut Bertoldus, Sigebertus, & Willelmus Malmesburiensis lib. IV. cap. II. referunt. Addit Willelmus, eodem Anathemate confixos omnes, *Qui eum*

vel

Romanus Pontifex Philippum I. Regno non privavit.

vel Regem, vel Dominum suum vocarent, & ei obedirent. As falsum esse illud *Willelmi* ad Historiam istam additamentum, suadet aliorum Authorum silentium, & summa tunc temporis Galliæ pax: quam hujusmodi sententia turbatam non fuisse, siquidem in Regem lata fuisset, incredibile est. Quis enim sibi persuadere possit, *Philippum* æquo animo laturum fuisse abdicationem illam, pacatasque mansuras Gallias, abrogato sibi Rege, eum Germania atque Italia, propter *Henrici IV.* exauthorationem gravissimis bellis exarserint: Quod demum nec Pontifex, nec Episcopi ipsi devoti, de alio Rege sufficiendo usquam egerint. Dicendum itaque bonos optimo exemplo, non a Regis Imperio; sed a sceleris communione recessisse. Unde *Paulus Æmilius* lib. III. in Gestis *Philippi I.* ait: *Francia sub Rege minus probato ita incolumem Majestatem ei servavit, ut ipsa a sanctitate Majorum non degeneraret.* Yvo etiam Carnotensis in Epistolis suis, Philippum, licet excommunicatum, *Francorum Regem*, & *Dominum Regem* appellat. Cur porro tunc non negares *Philippum* esse Regem vir pro Pontifice satis acer, exemplo eorum qui in *Henricum IV.* Germaniæ Regem fuere erecti, apud quos nefas erat ipsum Regem appellare, ut ex *Stephano Halberstatensi* ad *Waldramnum* scribente compertum est? *Miror autem*, inquit, *si in te vel gutta sanguinis est, quod non erubescis Dominum Henricum Regem dicere.*

Seu Waleranum.

Formula Regnante Christo, in publicis Actis usurpata non probat Philippum Regem exauthoratum fuisse.

Chronicon Fuxense testatur morem consignandi *Philippi I.* annos in publicis Instrumentis interruptum fuisse, quandiu sub excommunicatione jacuit, tuncque non fuisse *Regnante Philippo*, sed, *Regnante Christo*. At unus id asserit Chronici illius obscurus & imperitus Author, quem falsi convincit vir inter Heterodoxos eruditus *David Blondellus*, in Diatriba *De Formula Regnante Christo*, cap. XIX. ex veterum Chartarum fide, post annum MXCIV. quo primum excommunicatio in *Philippum* lata est in Synodo Augustodunensi, die 13. Octobris scriptarum. In his enim omnibus, anni *Philippi* Regis consignantur, vel hæc legitur Formula, *Regnante Philippo Francorum Rege*. Quod etiam in Scriptorum coævorum Historiis observatur. Ad annum MXCV. id testantur Charta *Falconis* Comitis in gratiam Monasterii *Sancti Sergii* Andegavensis, ita Regnum exprimens: *Francia ex adulterio Philippi indigni Regis fœdata*: Charta Furnensis: *Regnante Rege Francorum Philippo*, Chartæ, Majoris Monasterii S. Dionysii ab *Elinando* Laudunensi scripta, Burgoliensis, Lemovicensis, eamdem temporis notam & Formulam habent. Concordatum inter Canonicus Lemovicenses & Monachos Dolenses consignatur *temporibus Urbani II. Papa, qui tunc in Galliis morabatur, Philippi Francorum Regis, Regnante in perpetuum Christo Rege Regum.* Anno 1092. quo nondum excommunicatus erat *Philippus I.* ejus anni cum Formula *Regnante Christo*, in Diplomate *Gaufredi* Aquitanorum Ducis conjunguntur. *Anno ab Incarnatione Domini* 1092. *Papa existente Urbano, Philippo quoque Francorum Rege .... In universo mundo Regnante Domino nostro Jesu Christo.* Refert *Beslius* lib. *De Comitibus Pictaviensibus*, pag. 397. Annos *Philippi* Regis eodem tempore adscripsere Author Libelli *De tribulationibus Majoris Monasterii*, Anonymus ejusdem Cœnobii Monachus e Bibliotheca *Laurentii Bochelli*, *Fulcherus* Carnotensis lib. 1. *Guibertus Novigentinus* lib. II. *De Gestis Dei per Francos*, cap. III. *Willelmus Tyrius* Archipræsul lib. I. cap. XIV. Ad annum 1096. idem testantur Chartæ, Angeriacensis, S. Nicolai Andegavensis, Rotæ Sancti Martini de Campis, Gilo Parisiensis, *Viæ Hierosolymitanæ* lib. I. Ad annum 1100. quo jam affecto *Philippus* Rex in Concilio Pictavensi tertio excommunicatus est, idem confirmant Charta Angeriacensis, & Chronicon Turonense. Ad annum 1101. Chartæ, Affligemensis, *Sancti Benigni* Divionensis, Lascariensis, Sancti Hilarii Pictavensis. Ad annum 1102. Burgoliensis, Angeriacensis, Sancti Hilarii Pictavensis, & Sancti Nicolai Andegavensis. Ad annum 1103. Cluniacensis, Jotreosis, & Regulæ. Ad annum 1104. Chartæ Sancti Martini a Campis, Sancti Hilarii Pictavensis, Angeriacensis, Sanctæ Crucis Pictavensis, Fontis Ebraldi a *Fulcone-Richino* scripta, cujus uxorem *Bertradam* retinebat *Philippus*, & Placitum inter Angeriacenses & *Sancti Maxentii* Fratres. Ad annum 1105. Chartæ S. Andreæ prope Brugas, S. Cypriani Pictavensis, S. Nicolai Andegavensis & Harlebecensis. Perperam itaque ex Chronico Fuxensi omissam in publicis Instrumentis formulam, *Regnante Philippo*, quandiu fuit excommunicatus, falso asserente, colligunt Pontificiæ in temporalia Regum potestatis Assertores, *Philippum* Regem a Pontificibus aut Synodis exauthoratum fuisse.

Nec vero magis ipsis favent hæc verba *Yvonis Carnotensis* Epistola 15. ad ad Philippum I. scribentis de nuptiis cum *Bertrada* ab ipso celebrandis, quibus interesse recusabat: *Nec ista contra fidelitatem vestram, sed pro summa fidelitate dicere me arbitror: cum & animæ vestræ magnum credam fore detrimentum, & coronæ Regni vestri summum periculum. Caveat ergo sublimitas vestra, ne cum diminutione terreni, Regnum amittatis æternum.* Hæc, inquam, verba non significant periculum exauthorationis, quod Regi a Summo Pontifice immineret: alioqui solam *Regni terreni dominationem* ejus Majestati metuendam esse non scripsisset *Yvo*, sed terreni pariter æternique Regni jacturam ipsi fuisset comminatus. Coronæ ergo periculum denuntiat; primo quia Rex odium & contemptum plurimorum propter incestas & adulteras cum *Bertrada* nuptias incurrebat, & cultum ac reverentiam populorum imminutum ibat fœdissimum crimen, & imminens ipsius capiti excommunicatio, turbarumque & conjurationum in Regno occasio esset poterat. Secundo, quia bellum atrox in Regem concitare poterant scelestæ illæ nuptiæ. Hinc enim *Fulco Richinus* Comes Andegavensis *Bertradæ* maritus, *Alani* Britonis socer, dira minabatur. Inde *Guillelmus Rufus* Rex Angliæ ad Regnum Francorum aspirare dicebatur, teste *Sugerio*: & *Stephanum* Blesensium & Carnotensium Comitem, *Adelæ* sororis maritum, *Robertum* Comitem Flandriæ consobrinum, *Berthæ* olim derelictæ merinum fratrem, & *Hugonem* Trecensium Comitem in partes adversus *Philippum* trahere facile poterat. Hoc coronæ Regni periculum imminens significabat Carnotensis Antistes. Tandem summum Regni dedecus periculi nomine indigitabat *Yvo*, ut constat ex ejus Epistola XIII. ad *Rainaldum* Remensem Archiepiscopum, in qua de Nuptiis Regis cum *Bertrada* scribit: *Quoniam igitur confido de Religione vestra, nihil vos de re tam periculosa, & fama vestra, & honestati totius Regni tam perniciosa, facturum dicturumve, quod non authoritate vel ratione nitatur*, &c. His contra *Bellarminum* & *Perronium* Cardinales doctissimos, *Joannem a Costa*, & alios qui indirectam potestatem in temporalia Regum Ecclesiæ asserunt, & *Philippi I.* Historia ad opinionem suam confirmandam abutuntur, observatis, ad seriem Historiæ regredior.

Quale periculum coronæ Regi significet imminere Yvo Carnotensis.

Philippus Bertradam dimittit, moxque revocat.

In Synodo Pictavensi a Legatis Apostolicis rursus excommunicatus denuntiatur.

Tandem resipiscit.

Concilium ad ejus Conversionem probandam celebratur Balgenciaci, vulgo Baugency.

Urbani & Claromontanæ Synodi sententia *Bertradam* dimittere coactus *Philippus*, ipsam paulopost reduxit. Quam ob causam Synodus Pictavis habita a *Joanne* & *Benedicto* Cardinalibus, Sedis Apostolicæ Legatis, 14. Kalendas Decembris, anno Domini 1100. qui Regem a piorum cœtu alienum iterum pronuntiarunt, ut *Hugo Flaviniacensis* in Chronico, & *Gaufredus Grossus* in Vita *Sancti Bernardi* primi Abbatis Tironiensis testantur. Resipuit tandem *Philippus* anno circiter millesimo centesimo quarto; resipuit & *Bertrada* & *Paschali II.* Pontifici Maximo pro absolutione sua supplicarunt. Annuit *Paschalis* ea conditione, ut uterque tactis Sacrosanctis Evangeliis, omnem carnalis copulæ consuetudinem abjuraret, & mutuum contubernium, immo & colloquium, nisi sub personarum minime suspectarum testimonio. Negotium illud commisis *Richardo* Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, qui propterea Diœceseon Remensis ac Senonensis Episcopos ad Synodum convocavit *Balgenciaci*; quod municipium est Aurelianensis Episcopatus, celebrandam. At cum Episcoporum consilium ea de re exquireret, illi se hujus consilii comites & non duces esse debere dixerunt. Quæ difficultas prohibuit ne finiretur negotium. Id discimus ex Epistola CXLIV. *Yvonis Carnotensis* ad *Paschalem* Papam, qua & ipsum rogat ut de severitate disciplinæ aliquid remittat hac in causa.

Yvo Carnotensis Paschali II. suadet ut de severitate disciplinæ aliquid remittat hac in causa.

sa. *Per se*, inquit, *& per nos adhuc pulsat ad aures Paternitatis vestræ, ut secundum moderationem Literarum vestrarum, & verba quæ Domno Galoni Coepiscopo nostro injunxistis, causam ejus temperetis, ne contingat de eo illud Salomonis:* Qui multum emungit, elicit sanguinem. *Dispensationis autem modus nulli unquam sapientum displicuit. Unde Beatus Cyrillus ad Gennadium Presbyterum:* „ Sicut enim qui „ mare navigant, tempestate urgente, navique peri„ clitante, quædam exonerant, ut cætera salva per„ maneant: ita & nos cum non habemus salvan„ dorum omnium negotiorum certitudinem, despici„ mus ex eis quædam, ne cunctorum patiamur dis„ pendia. *Et quia hæc suggerendo dicimus, non docendo, nostræ suggestionis summa est, ut imbecillitati hominis amodo, quantum cum salute ejus potestis, condescendatis, & terram quæ ejus anathemate periclitatur, ab hoc periculo liberetis.* Absolutionis *Philippo & Bertradæ* dictis conditionibus impartiendæ *Paschalis* Pontifex Epistola 35. *Lamberto* Atrebatensium Episcopo, cum trium Provinciarum Episcopis, Remensi, Senonensi, ac Turonensi, potestatem fecit, si forte *Richardus* Cardinalis e Galliis excessisset. Secundum Pontificis Literas, habita Synodus est Parisiis IV. Nonas Decembris anno 1105. in qua *Lambertus* cum aliis Præsulibus Regem absolvit, cum jurisjurandi religione pœnitentiam suam confirmasset, cujus hæc Formula: *Audias, tu, Lamberte Episcope Atrebatensis, qui hic Apostolica vice fungeris: audiant Archiepiscopi, & præsentes Episcopi, quod ego Philippus Rex Francorum peccatum & consuetudinem carnalis & illicitæ copulæ, quam hactenus cum Bertrada exercui, ulterius non exercebo; sed peccatum istud & flagitium penitus & sine omni retractatione abjuro. Cum eadem quoque fœmina mutuum colloquium & contubernium, nisi sub testimonio personarum minime suspectorum, non habebo. Hæc omnia, sicut Literæ Papæ dicunt, & vos intelligitis, sine omni malo ingenio observabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sacrosancta Jesu Christi Evangelia.* Idem Sacramentum præstitit *Bertrada*, ut absolutionem impetraret. Id constat ex *Lamberti* Epistola ad *Paschalem II.* quam ex Codice MS. Igniacensi a *P. Sirmondo* descriptam, Tomo X. Conciliorum Labbeanæ Editionis, pag. 742. legere est.

Rex Pœnitens in Concilio Parisiensi absolvitur secundum literas Summi Pontificis.

Francorum Cruce signatorum in Oriente victoria.

Regnante *Philippo* Rege, Francorum genti gloria Sacris expeditionibus accessit amplissima. Expugnatio Nicææ, & Antiochiæ, editio Lycaoniæ, Lyciæ, Ciliciæ, & Pamphiliæ, Solymani Turcarum Principis, Soldanorum Babyloniæ & Ægypti debellatio, ad extremum Hierosolymorum in Christianorum potestatem redactio, primarum expeditionum præclari fructus extitere. Penes *Godefridum Bullionæum* & inferioris Lotharingiæ Ducem, Christiani Generalem Præfectum exercitus, præcipua laus victoriarum tam insignium fuit, cui Regnum Hierosolymitanum Principum electione delatum est. *Promotus autem, humilitatis causa, corona aurea, Regum more, in Sancta Civitate noluit insigniri, ea contentus, & illi reverentiam exhibens, quam humani generis Reparator in eodem loco usque ad Crucis patibulum pro nostra salute spineam deportavit.* Verba sunt *Willelmi Tyriorum* Archiepiscopi lib. 10.

Godefridi Bullionæi Hierosolymorum Regis humilitas.

Munificentiæ ac pietatis *Philippi I.* in Ecclesias & Monasteria, egregia Monumenta edidit Dom. *Mabillonius* lib. 6. *De Re diplomatica*; scilicet Placitum pro Monasterio *S. Medardi* adversus *Albericum Cociacensem*. Diploma pro Milidunensi Cœnobio *S. Petri*, datum anno 1094. & pro Mauriniacensi cui *Veteres Stampas* attribuit. *Philippus Ludovicum* filium, quem ex *Bertha* legitima conjuge susceperat, Regem designavit anno 1103. Juvenis Princeps, annos tunc viginti circiter natus, in Regni administrationem toto studio incubuit: ac principatus exordia defensione consecravit Ecclesiarum, quas a variorum tyrannulorum infestationibus liberavit. Interim *Paschalis II.* Pontifex Maximus in Gallias venit, *Ut Regem Francorum, & filium Regem designatum Ludovicum & Ecclesiam Gallicanam consuleret super quibusdam molestiis, & novis Investituræ Ecclesiasticæ querelis quibus eum & infestabat, & magis infestare minabatur, Henricus Imperator.* Ipsi ad *S. Dionysii* Pater & Filius Reges occurrerunt, *Amore Dei Majestatem Regiam pedibus ejus incurvantes, quemadmodum consueverunt ad sepulchrum Piscatoris Petri Reges submisso diademate inclinari.* Ita refert *Sugerius* in Vita *Ludovici Grossi* Regis. Obiit *Philippus I.* pene sexagenarius, Meloduni, anno millesimo centesimo-octavo, cum annos prope quadraginta & octo a patris obitu regnasset. Ejus corpus in Cœnobium Floriacense illatum est, filio Rege funus ejus comitante, & humeros feretro interdum supponente. Præter *Ludovicum* Regem, ex *Bertha Constantinam* filiam reliquit, *Boamundo* Antiochiæ Principi collocatam. Ex *Bertrada* superducta *Philippum*, *Florum*, & *Ceciliam*, *Philippum I.* Regem Monasticum habitum in Cœnobio Floriacensi induisse scripsit *Willelmus Malmesburiensis* falso, cum Rex obierit, non Monachus: non Floriaci, sed Meloduni, forsan Monachus *ad succurrendum* (ut vocabant) factus desperata valetudine, in Religiosa veste apud Floriacenses Monachos sepeliri voluit: Sed de re incerta nihil asserere malim. Certius est *Bertradam*, uxorem tandem ipsius ex Pontificia dispensatione legitimam, ac Reginam florenti adhuc ætate & specie, Velum Religionis in Monasterio Fontis-Ebraldi sumpsisse, nec multo post defunctam.

Philippus I. Romanum Pontificem Paschalem II. summa reverentia & devotione in Galliis recipit.

Philippi I. liberi.

Willelmus Malmesbur. refellitur.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 76. Edit. primæ Religiosi Censores hanc propositionem notant. *Ex eo quod Papa rogatur ab Yvone Carnotensi ut iterum Galliæ Regi det Coronam, non sequitur Papam habere aliquod jus supra Reges Galliæ.*

R. Ex his verbis Yvonis Carnotensis ad Urbanum II. de *Philippo I.* scribentis, *Nisi Coronam restituatis*, ostendo perperam colligere Cardinalem *Perronium* Summum Pontificem indirectam in temporalia Regum authoritatem habere. Quæstionem ipsam non tracto eo loci, hujus dumtaxat argumenti infirmitatem ostendo.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 78. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Est falsum Additamentum, quod Gallis præceptum fuerat ne Philippum I. Regem vel Dominum suum vocarent.*

R. Urbanum II. in Claromontana Synodo Philippum I. & Bertradam ejus pellicem excommunicasse certum est. Addit Willelmus Malmesburiensis eodem Anathemate confisos omnes qui eum vel Regem vel Dominum vocarent, eique obedirent. Falsum esse Willelmi ad Historiam illam additamentum probavi. Historiæ res est.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 79. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Est falsum, in publicis Instrumentis ab eo tempore positum fuisse* REGNANTE CHRISTO, & non REGNANTE PHILIPPO. Ex Authore Hæretico id probat (loquiunt.)

R. Hæc rursus Historiæ & facti quæstio est, non dogmatis. Argumentum istud cum erudite tractaverit Blondellus, quamvis Hæreticus, citari potuit, siquidem argumentum istud Religionem non spectat. *Hæreticorum* enim *libri, qui de Religione non tractant, a Theologis Catholicis jussu Episcoporum & Inquisitorum examinati & approbati permittuntur*, ex secunda Regula Indici præposita & a Pio Quarto approbata Constitutione quæ incipit, *Dominici Gregis*. Cæterum *Blondelli* testimonio istud Historiæ caput non probo, sed firmissimis argumentis ex antiquorum Monumentorum & Instrumentorum fide petitis.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, pag. 80. Edit. primæ, hanc propositionem notant Religiosi Censores: *Perperam ex hoc Chronico inferunt Assertores Pontificiæ Authoritatis*

tatis in temporalia Regum, Philippum Regem fuisse exauthoratum.

R. Perperam utique ex Chronico Fuxensi omissam in publicis Instrumentis formulam, *Regnante Philippo*, falso asserente colligunt Philippum Regem a Pontificibus aut Synodis exauthoratum fuisse. De particularis dumtaxat argumenti pondere quæstio est, dogma nihil attinens.

Nota.

NIl certi colligi potest ex iis, qui Urbani II. vel Philippi res gestas scripsere, unde habeatur Urbanum Philippi regit exauthorationem intentasse, seu illi id *Ivonem* Carnotensem suasisse; quamvis certum sit Gregorium VII. bis hoc minitatum esse. Primo igitur Gregorius variis Galliarum episcoporum querelis excitatus, quia Philippus rex sacerdotia pretio venderet, eamque ob causam nollet episcopum Matisconensem admittere, scripsit ad Rodericum episcopum Cabilonensem regis familiarem, ut de hoc scelere regem commoneret ea adjecta comminatione, nisi resipisceret, se effecturum ut Franci ab eodem descisceret: *Moneat Regem*, ait l. 1. epist. 35. *tam turpi mercimonia quæstuque abstineat; episcopo Matisconensi legitime & regio etiam nutu electo negotium, & moras ne faciat, alioquin censuris feriendum, regnoque casurum. Quod si facere noluerit, indubitanter noverit nos hanc ecclesiæ ruinam nequaquam diutius toleraturos; nam aut rex ipse repudiato turpi simoniacæ hæresis mercimonio, idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo, nisi fidem christianam abjicere maluerint, generalis anathematis mucrone percussi illi ulterius obtemperare recusabunt &c.* Gregorio se pariturum Philippus suis literis significavit; quia tamen paulo post scelera sceleribus addidit, Pontifex Manassem Remensem, aliosque Galliæ primarios episcopos, ac Guillelmum Comitem Pictaviensem hortatus est, ut regem ad bonam frugem reducerent; eumque in perversitate perdurantem minitatus est in proxima Romana Synodo a corpore & communione sanctæ Ecclesiæ sequestrare cum omnibus, qui ei regalem honorem ac obedientiam deferrent, & ejus excommunicationem quotidie super altare S. Petri confirmare. Legendus Spondanus in Epitome ad an. 1073. n. 15. 1074. n. 10.

ARTICULUS III.

De Ludovico VI.

Ludovicus VI. Aurelia Rex inauguratur a Senonensi Archiepiscopo.

LUdovicus, cui ob molem corporis *Crassa* nomen, Aureliæ Rex inauguratus est a Senonensium Archiepiscopo. Id factum contra morem majorum *Radulphus* Remensis Archiepiscopus, & illius Ecclesiæ Clerus arguebant, asserentes Regum unctionem ad *S. Remigii* Successores pertinere. *Yvo* Carnotensis Præsul, qui Sacris illis interfuerat, elegantem super ea controversia Apologiam scripsit, qua ostendit Remensem consecrationem expectari nec potuisse, nec debuisse. *Erant enim quidam Regni perturbatores, qui ad hæc omni studio vigilabant, ut aut Regnum in aliam personam transferretur, aut non mediocriter minueretur.* Ludovicum merito in Regem consecratum ait, *cui jure hæreditario Regnum competebat, & quem communis consensus Episcoporum & Procerum jampridem elegerat.* Nec adversus Legem, nec adversus consuetudinem commisisse Episcopos, qui Aureliæ ipsum inaugurarunt, *Quæ enim ratio est Belgicorum, Regem suum creare & consecrare, quamvis in aliis Provinciis regnaturus sit, si ita ipsorum Regum voluntas & temporum atque locorum opportunitas se obtulerit, eadem est Celticorum & Aquitanorum, qui Belgicorum Provinciæ nihil debent, Regem suum, quamvis & in Belgica regnaturus sit, eligere & omne Regi debitum obsequium exhibere.* Multos præterea Reges Francis imperasse, qui Remis Regni insignia & sacram unctionem non acceperunt. Possibile non fuisse ut Remis *Ludovici* inauguratio fieret ab Archiepiscopo non-

Remensem Consecrationem expectari non debuisse nec potuisse, probat Yvo Carnotensis.

dum inthronizato, sine summa perturbatione, & sanguinis effusione. Secundo, locum opportunum non fuisse, *quia civitas sub anathema posita erat.* Neque commodum tempus, *quia si consecratio Regis differretur, Regni status & Ecclesiæ pax graviter periclitaretur.* Proinde justam fuisse dispensationem, qua extra Ecclesiam Remensem Rex inauguratus est.

Bellum Anglicanum.

Cum plerosque Dynastas, qui tyrannidem in Ecclesias, & in Regios subditos exercebant, *Ludovicus* Crassus repressisset, bellum gessit cum *Henrico I.* Anglorum Rege cujus theatrum Normannia; causa Gisortium castrum; quod secundum pacta evertere recusabat *Henricus*: varia fortuna fuit: Pax a *Calixto* Pontifice maximo conciliata est. *Henricus* Imperator adversus Regem Christianissimum furore percitus, quod Romani Pontificis & Ecclesiæ causam adversus ipsum defendisset, ac in Synodo Remensi ipsum damnari passus esset, quam maximas potuit ex Transrhenanis gentibus copias contraxit, in Gallicas ditiones quamprimum irrupturus. *Ludovicus* ingentem adversus ipsum conscripsit exercitum, in quo amplius ducenta hominum millia numerabantur. Formidandus adeo apparatus Cæsarem induxit ut receptui caneret, resque cum Pontifice componeret. *Adelaidem* Humberti Comitis Mauriennæ filiam *Ludovicus* Rex duxit uxorem, ex qua sex filios genuit, & filiam unam. *Philippum* primogenitum Regem appellavit, ac Remis a *Rainaldo* Archiepiscopo jussit inaugurari anno 1129. sed biennio post ab equo ferociente dejectus & ad terram illisus, miserabiliter necatus est. Infaustum casum *S. Bernardus* Prophetico spiritu prædixerat. Cum enim Episcopos, quibus Rex infensus erat *Ludovicus*, ad pedes ejus prostratos, & frustra gratiam exorantes Sanctus Abbas vidisset, ipsi vindictam divinam de contemptu & vexatione Sacerdotum his verbis denuntiavit: *Hæc obstinatio Primogeniti tui Philippi Regis morte mulctabitur;* Ita refert *Gaufridus* lib. 4. Vitæ *S. Bernardi* cap. 11. Senonensem præcipue Archiepiscopum, & Episcopum Parisiensem *Stephanum* afflixit. Hunc bonis spoliavit omnibus, quod Ecclesiæ libertatem constantissime tueretur, ut docet Epistola cujusdam familiaris ad ipsum *Stephanum*, Tomo 3. *Spicilegii Dacheriani* edita. Episcopus Regem excommunicavit, ejusque indignationem declinans, ad *Henricum* Senonensem, tum ambo ad Capitulum Cisterciense confugientes, fraternitatis jure, qua tum ipsi, tum etiam Rex Cisterciensi Congregationi se sociaverant, Literas ad flectendum Regis animum a Religiosissimis Abbatibus, & Monachis impetrarunt: quas *S. Bernardus* cum *Hugone* Pontiniacensi, multisque aliis Prælatis ejus Majestati supplex offerens, repulsam indigne passus est. Scripta est hæc Epistola anno 1127. estque inter Epistolas *S. Bernardi* 45. Cælestis vindictæ denuntiatio quam a *S. Bernardo* factam *Ludovico* Regi diximus, animum ipsius inflexerat: sed *Honorii* Pontificis Maximi Literis, quibus ab excommunicatione absolvebatur, male in malo confortatus, quod promiserat, minime executus est, teste *S. Bernardo* Epistola 47. ad *Honorium II. Gaufridi* Carnotensis Episcopi nomine scripta. Ad eum Pontificem scripsere pro *Henrico* Archipræsule Senonensi *Stephanus* Cisterciensis, *Hugo* Pontiniacensis & *Sanctus Bernardus* Claravallensis. Est inter Bernardinas Epistolas 49. *Rex Ludovicus* (inquiunt) *non tam Episcopos, quam in Episcopis justitiæ persequitur zelum, pietatis cultum, habitumque ipsum Religionis. Quod vestra quoque prudentia Sanctitatis vel ex eo facile advertere potest, quod qui ante in habitu actuque sæculari honorati sunt sublimes, judicati fideles, habiti familiares: modo inimici facti sunt, digne Sacerdotio suo conversantes, & per omnia honorificantes ministerium suum. Hinc gravibus contumeliis & injuriis Episcopi Parisiensis innocentia pulsata est, sed non quassata, quia Dominus supposuit manum suam, cum vestram opposuit. Hinc & nunc Domini hujus Senonensis constantiam concutere & labefactare conatur: ut Metropolitano [quod absit] dejecto facile prout voluerit, grassetur in Suffraganeos. Postremo quis ambigit non aliud eum quam oppugnare Religionem, quam nimirum aperte sui Regni destructionem, sua corona pronunciat inimicam? Et alter Herodes Christum non jam in cunabulis habet suspectum, sed in Ecclesiis*

Gisors.

Ludovic. VI. Episcopos affligit.

Vindicta cælestis a S. Bernardo illi denuntiatu.

sis invidet exaltatum. Nec aliud sane credimus eum habere adversus Archiepiscopum nisi quod Spiritum in ipso, sicut in cæteris laborat extinguere. Mortuo *Philippo* Rege primogenito suo, *Ludovicum* filiorum superstitum natu majorem, *Ludovicus Crassus* Regni Successorem atque consortem declaravit, ac Remis inaugurati curavit ab *Innocentio II.* Pontifice Maximo, anno 1131. in Synodo quam ibi contra *Petrum Leonis* Antipapam celebrabat. Bellica expeditione adversus *Theobaldum* Campaniæ Comitem, & Dynastam Sancti Brictionis ad Ligerim perfunctus, in Castro Montis-Treherii gravi dyssenteria correptus est. Quem morbum sibi lethalem fore præsentiens, *Anima sua frequentata Confessionis & orationum devotione providebat: hoc unum toto animi affectu præoptans, apud Sanctos Martyres protectores suos Dionysium, Sociosque ejus, se quomodocumque deferri, & ante sacratissima eorum corpora Regni & coronæ depositione, coronam pro corona, pro Regalibus Insignibus & Imperialibus ornamentis humilem B. Benedicti habitum commutando, Monasticum Ordinem profiteri*: inquit *Sugerius* Abbas in ejus Vita, qui & subdit: *Videant, qui Monastica paupertati derogant, quomodo non solum Archiepiscopi, sed & ipsi Reges, transitoria vitæ æternam præferentes, ad singularem Monastici Ordinis tutelam securissime confugiunt.* Ingravescente morbo, Sacerdotibus convocatis, Exomologesim coram facere, & Dominici Corporis & Sanguinis Viaticum suscipere decrevit. Quod cum deferretur, præter omnium expectationem electo surgens, sumptis vestimentis, camera *obviam Corpori Domini nostri Jesu Christi exit, devotissimus assistit. Ubi videntibus cunctis tam Clericis quam Laicis, Regem exuens, Regnum deponit, peccando Regnum administrasse confitetur, filium suum Ludovicum annulo investit; Ecclesiam Dei pauperes & orphanos tueri, jus suum unicuique custodire, neminem in Curia sua capere si non præsentialiter ibidem delinquat, fide obligat. Ubi etiam aurum & argentum, & vasa concupiscibilia, & pallia, & palliatas culcitras, & omne mobile quod possidebat & quo ei serviebatur, Ecclesiis, & pauperibus & egenis pro amore Dei distribuens, nec clamydibus, nec Regiis indumentis usque ad camisiam pepercit.* Pretiosissima vero Capellæ suæ ornamenta, Sandionysianæ Ecclesiæ offerenda tradidit *Sugerio*. Tum flexis ante sacratissimum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi genibus, hanc Fidei Catholicæ Professionem edidit: *Ego peccator Ludovicus, confiteor unum & verum Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum; unam ex hac Sancta Trinitate personam, videlicet unigenitum & consubstantialem & coæternum Dei Patris Filium, de Sacratissima Maria Virgine incarnatum, passum, mortuum, & sepultum, tertia die resurrexisse, cœlos ascendisse, ad dexteram Patris consedere, vivos & mortuos extremo & magno Judicio judicare. Hanc autem Sacratissimi Corporis ejus Eucharistiam illud idem credimus Corpus quod assumptum est de Virgine, quod Discipulis ad confœderandum, & uniendum, & in se commanendum, contradidit. Hunc Sacratissimum Sanguinem, illum eumdem, qui de latere ejus in Cruce pendentis defluxit, & firmissime credimus, & ore & corde confitemur: hocque securissimo Viatico decessum nostrum muniri, & contra omnem aeream potestatem certissima protectione defendi præoptamus. Cum autem*, inquit Sugerius, *facta primum peccatorum Confessione, devotissime Corporis & Sanguinis Jesu Christi communicasset, tamquam illico convalescere incipiens, ad cameram redit, omnique sæcularis superbia rejecta pompa, sola linea culcitra decubuit.* Paululum ex infirmitate respirans, ad Sanctum *Dionysium* gratias Deo & Sanctis Martyribus acturus descendit. Cum ad Castrum Bestisiacum divertisset, *Guillelmi* Ducis Aquitaniæ Nuntios excepit, ejus ad Compostellanam *S. Jacobi* Ecclesiam voti causa profectionem, in itinere mortem; ante susceptum iter, & deinceps morti proximum, filiam unicam, *Alienoram Ludovico Juniori* Regi, *Crassi* ipsius filio desponsandam, cum Aquitaniæ dote, suprema voluntate deliberasse & dimisisse denuntiantes. Laudato Ducis Testamento, Filium eum selecto quingentorum & amplius Nobilium exercitu, cujus Duces erant Palatious Comes *Theobaldus*, Comes Viromandensis, & *Radulfus* Princeps, in Aquitaniam abire jussit ad Sponsam Serenissimam ducendam. Nuptiarum solemnitas Burdigalæ celebrata est, Wasconiæ, & Sanctoniæ Pictaviæ præsentibus optimatibus. Obiit *Willelmus* Dux postremus Aquitaniæ, die nona Aprilis anno 1137. quem cum *S. Guillelmo* Magno Eremita, in Stabulo-Rodis in Etruria, anno 1157. die 10. Februarii defuncto, a quo Guillelmitarum Ordo, Sæculo XIII. propagatus, nomen sumpsit, *Dubouchetus* in Annalibus Aquitaniæ, & alii Scriptores, perperam confundunt, *Theobaldum* fabulatorem, qui Vitam *S. Guillelmi* interpolavit, secuti. Lege *Bollandum* in Commentario prævio ad hanc Vitam, inter Acta Sanctorum mensis Februarii, Tomo II. ubi prolixe & erudite hoc de argumento disserit.

Ludovicum Filium Regem designat, & Remis ab Innocentio II. inaugurari curat.

Monasticum Ordinem profiteri decreverat.

Pia Ludovici VI. ad mortem præparatio.

Obitus Willelmi Aquitaniæ Ducis.

Alienoram filiam Ludovico Juniori Regi destinaverat cum Aquitania dote.

Extrema gaudii ob *Ludovici Junioris* nuptias luctus occupavit ob mortem Patris, qui interim Parisiis e vita migravit, repetita in procinctu obitus Confessione, & percepto Dominici Corporis Viatico. Cumque se deferri ad Sandionysianam Ædem juberet, votum persoluturum, morbi angustiis interceptus, pium propositum implere non potuit. Præcipiens ergo tapetem terræ & tapeti cineres in modum Crucis imponi, ibi a suis extensus religiose obiit, Kalendis Augusti, anno Christi 1137. Regni 30. ætatis pene 60. Ejus corpus in Sandionysianam Basilicam illatum. Vitam ejus scripsit *Sugerius* Abbas. Cœnobium *S. Victoris* ad Muros Parisienses fundavit. Præter *Ludovicum* Regem, quinque filios reliquit, & filiam unam. Filii fuere *Henricus*, qui Cisterciensi Ordini apud Claramvallem nomen dedit, ex qua ad Bellovacensem Episcopatum assumptus est, *Hugo Robertus* Druidum Comes, *Petrus* qui *Isabellam Raynaldi* Domini *De Cortenaco* filiam unicam & hæredem duxit, unde stirps Cortenacorum Principum; *Philippus* ex Archidiacono Parisiensi ejusdem urbis Episcopus designatus, qua dignitate cessit in gratiam *Petri Lombardi*. Filia *Constantia Eustachio* Boloniæ Comiti primum, *Raymundo V.* Comiti Tolosatum secundo nupsit.

Mors Ludovici VI.

Ludovici VI. liberi.

Ludovico VI. regnante, grave dissidium ortum est inter monachos cœnobii Mauriniacensis, & Stampenses Canonicos. *Philippus I.* & *Ludovicus* Reges Mauriniacensi monasterio ordinis S. Benedicti in diœcesi Senonensi Ecclesiam de veteribus Stampis dederant ea conditione ut Canonici ejusdem Ecclesiæ suis præbendis, earumque redditibus, quamdiu viverent: pacifice fruerentur. Regium donum authoritate sua monachis confirmavit *Daimbertus* Archiepiscopus Senonensis, ut constat ex ejus literis in Chronico Mauriniacensi relatis. Porro *Callisto II.* Ecclesiam regente, quæstio de sepulturis monachos cum Canonicis commisit. *Thomas* Abbas privilegium a Summo Pontifice impetravit. Canonici ad Regem confugerunt, & coram ejus majestate & Senonensi Archiepiscopo querimonias habuere de Abbate & monachis. Archipræsul gravissimis literis ipsos velut invasionis reos increpuit, donec Romanus Pontifex proximo venturus, privilegium per obreptionem obtentum ipse rescinderet. Archiepiscopi literis Abbas respondit, canonicos violatorum canonum reos esse, qui ad sæcularem curiam contra Privilegium a Sede Apostolica concessum confugerent. Secundo ipsos putide mentiri, qui assererent monachos sepulturas usurpare, parochianorum suorum corpora sibi violenter auferre, Parochiæ terminos occupare. Episcopi esse, monachos contra invidos clamores clericorum tueri, qui sibi ademptum putant quidquid monachis pietate fidelium donatur. *Canonici, Spreta Senonensis Ecclesiæ authoritate, ad sæcularem curiam fugiunt, Regem pecunia contra privilegium Romanæ Ecclesiæ conducunt, contra canones faciunt. Deinde, mendaciter & impie dicunt, Sepulturam loci illius non ex parte cantravisse, parochiæ terminos occupasse. Nihil enim horum facimus. Scimus namque quam detestabile malum sit accipere sepulturam & divinarum Scripturarum eruditione, & pauperum oppressione, quos in vicinia nostra, & solum in Diœcesi vestra, videmus ad sepulchra mortuorum plorare magis amissiones bonorum, quam corpora defunctorum... Cæterum pace vestra dixerim, vestrum esset, si vestræ paternitati placuisset, contra latratus eorum, qui se putant amittere quidquid nobis datur a fidelibus baculum defensionis opponere.* Ad id vero quod scripserat Archipræsul, Regem audivisse clamores clericorum, causæ ipsorum favere, monachorum impetus dete-

Mauriniacum, Morigny, O. B. in Diœcesi Senonensi.

Gravis controversia de sepulturis inter Monachos Mauriniacenses, & Cano. Stampenses.

Monachorum confidentia & constantia in defensione Privilegii.

detestari respondet Abbas: *Didici præcepto primi pastoris, & Deum timere & Regem honorificare. Satis & illius & habuimus & habemus, præter hoc negotium, familiaritatem & in multis, si dici fas est, ei necessarii fuimus. Sed quibus multoties abducatur consiliis, vos qui totius vestræ regionis caput estis experimento aliquando didicistis. Sed ne multis immorer, timeant enim qui divitiis & deliciis suffocantur vel ad utilitatem proximorum Ecclesiasticis honoribus occupantur. Nam nos Christi pauperes sumus. Vulgare, mi Domine, proverbium est*, Nudus homo non potest expoliari. *Nemo timet amittere, quod appetit sponte sua deserere. Ut veritatem vobis pandam, Ante mori paratus sum quam contra Privilegium aliquid facere.* Canonici interim ad Summum Pontificem Senones adeunt, Regis commendatione freti. Hinc redeuntes, privilegium monachorum privilegio penitus contrarium se reportasse mentiuntur. Credunt, obstupescunt plurimi. Stamparum Primores, populusque canonicos execrantur: ad Summum Pontificem Oratores dirigunt de rei veritate quæsituros. Abbas scribit ad *Chrysogonum* Cardinalem S. R. E. Cancellarium & Bibliothecarium, causam monasterii, & privilegii conservationem ipsi commendat; immo fidelium jus, quibus liberum semper fuit sepulturam sibi quisque eligere ubi vellent, scandala ex tumultibus canonicorum excitata exponit. „ Contra patrium morem, „ [*inquit*] contra consuetudinem omnium Ecclesiarum, contra jus, contra canones, contra Deum; „ sepulturas graviores exigunt, & omnibus, ut alibi „ pro salute animæ suæ sepeliri non possint, contradicunt. Dici non potest quantus hinc populi tumultus oriatur, quantæ nobilium querimoniæ, quanta convitia, quantæ maledictiones. Scandalum „ hoc jam multa homicidia seminavit. Stupent & admirantur omnes, a vobis, qui sepulturam tam severe damnastis, tanti mali fomenta progredi potuisse. Non enim diversas, sicut se res habet, sed penitus contrarias canonici sententias asseverant; & „ quod solo auditu nefas est, privilegio privilegium „ contrivisse se jactitant. Precor igitur excellentiam „ tuam ut subvenias animabus, pro quibus Christus „ mortuus est, ne princeps tenebrarum & prædo nocturnus eas rapiendi per vos inveniat occasionem. „ Ut enim juvarentur orationibus sancte ac regulariter viventium, & sua, & amicorum corpora, non „ solum in loco nostro, verumetiam & alia loca, „ & temporibus nostris & antequam locus noster „ fundaretur, consuetudinarie faciebant portari, libere sepeliri. Quod quam justum sit, & ratio monstrat, & authoritas firmat, & consuetudo clamat. Addit S. Augustinum libertati eligendæ pro se, suisque, ubi lubuerit, sepulturæ, in libro *De cura pro mortuis agenda*, suffragari cum ait: *Provisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum. Quoniam si nonnulla religio est ut sepeliantur, non potest nulla esse, quando ubi sepeliantur, attenditur.* Denique ipsum orat ut audientiam civium Stampensium oratori a Summo Pontifice impetret, ejusque Sanctitati causam Mauriniacensis Ecclesiæ, quam ipsa dedicavit commendet. Orator a Tortona Italiæ civitate regressus, literas Papæ retulit, quibus se privilegium monachis concessum non rescidisse, nec aliud contrarium canonicis contulisse testabatur: si quid vero quæstionis inter ipsos haberetur, totum id *Cononis* Cardinalis, & Apostolici per Gallias Legati judicio committebat.

Eligendæ in Monasteriis & quibusvis piis locis sepulturæ libertatem ratio monstrat, authoritas firmat, consuetudo clamat.

Ecclesiæ Compendiensis *SS. Cornelii & Cypriani* libertati consuluit Ludovicus sextus, sacrorumque ministrorum continentiæ, qui concubinas uxorum nomine honestatas habebant, fovebantque, quod edicto suo prohibuit. Id ex tabulario cœnobii *S. Cornelii* Compendiensis descriptum subjicio. *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Inter cæteras quas Prædecessores nostri ob suam suorumque salutem in regno suo construxerunt, ac de suis facultatibus amplissime ditaverunt Ecclesias, una est sancta videlicet ac venerabilis Ecclesia Compendiensis quæ usque ad tempora nostra honorifica atque liberrima extitit, quam nos quoque multum diligimus ac præ cæteris honorare, magnificare, atque exaltare gaudemus. Universis igitur Ecclesiæ sanctæ filiis, præsentibus scilicet ac futuris notum fieri volumus ac certum haberi, quod ego LUDOVICUS Dei gratia Francorum Rex prædictæ sanctæ Compendiensi Ecclesiæ omnes omnino consuetudines, omnem prorsus libertatem, quam temporibus patrum nostrorum, Roberti videlicet Francorum Regis: Henrici quoque atque Philippi, & usque ad nos tenuit, libere atque integerrime habendas perpetualiter concedimus & tenendas, & in tali ordine in quo nunc usque fuit permaneat; videlicet ut clerici, ejusdem Ecclesiæ sicut usque modo vixerunt, sine ulla commutatione deinceps permaneant. Hoc tantum præcipimus ut presbyteri, diaconi atque subdiaconi nullatenus deinceps uxores concubinas habeant: cæteri vero cujuscumque Ordinis clerici propter fornicationem, licentiam habeant ducendi uxores. Hoc denique Præceptum nostrum ut firmum permaneat & inconvulsum, literarum memoriæ commendari, & nostri nominis charactere & sigillo nostro signari, & corroborari præcipimus.* Istud *Ludovici VI.* Præceptum ex Tabulario celeberrimi cœnobii *S. Cornelii* Compendiensis descripsit, & ad me misit vir sacræ Antiquitatis studiosissimus & humanissimus Dominus *Jacobus Lancelot*. Ludovici VI. erga Ecclesiam & monasteria munificentiam inter alia testantur ejus Præcepta pro cœnobiis, *Mauriniacensi*, *Compendiensi*, *Usiceampi*, quæ Dominus *Mabillonius* edidit lib. VI. *De re diplomatica*.

Ludovici Sexti præceptum pro Ecclesia Compendiensi S. Cornelii.

ARTICULUS IV.

De Ludovico VII. Juniore nuncupato.

LUdovicus VII. *Junior* cognominatus, accepto de obitu patris nuntio Parisios properavit, ubi congregatis Ordinibus, Ecclesiæ, Regnique negotiis providit. *Henrico I.* Anglorum Rege paulo post absque prole defuncto, *Mathilde* Henrici filia, quæ *Gotofredo* Andegavensi Comiti nupserat, ex eoque *Henricum & Guillelmum* procreaverat, & *Stephano* Comite Bononiensi, ejusdem *Henrici* Regis ex sorore nepote, de Regno contendentibus, *Ludovicus* Rex Andegavensi Comiti favit, eumque Normanniæ Ducatu investivit, cum hominium præstitisset, & Normanno Volcassino Regem ipsum munerasset. Verum conversis Angliæ rebus, & *Stephano* in Regni successione firmato, ejus filio *Eustachio* Normanniam beneficiario jure potiundam tradidit, cum ipsi Sororem *Constantiam* despondisset. Electus interea in Bituricensem Archiepiscopum *Petrus de castra*, quem Rex Biturigibus recipi vetuit, quod absque assensu suo consecratus esset. *Innocentius II.* Pontifex Maximus Archipræsuli favens, illatam a Rege violentiam Interdicto ultus est tam severo tamque gravi, ut triennio integro nullus tota Gallia locus fuerit, qui Regem ad Sacra admitteret; *Tantum religio illis temporibus, & Romani Pontificis nomen apud Gallos poterat* [inquit *Papirius Massonus*.] Partibus Archipræsulis studuit *Theobaldus* Campaniæ Comes potentissimus ac religiosissimus. Quæ res ipsum cum Rege commisit *Ludovico*. Accessit novus irarum fomes. *Radulphus* Viromanduorum Comes, justa uxore repudiata, *Petronillam* sororem Reginæ *Leonora*, auspicibus aliquot Episcopis, matrimonii nomine ducebat. Prioris uxoris causam, utpote cognatæ suæ, tuebatur *Theobaldus*, eoque rogante, Summus Pontifex *Ivonem* Cardinalem Latere Legatum in Gallias misit, qui Episcopos divortii authores a Sacris suspendit, *Radulphum & Petronillam* excommunicavit. Rex *Theobaldum* armis aggressus: Comes animis ingens, sed armis impar, pacem exorare, iniquas conditiones accipere compulsus est, jurare se effecturum ut Legatus Apostolicus Interdictum solveret. Quod obtinuit, viris sapientibus & piis Legato persuadentibus, id œconomia quadam faceret, ne *Theobaldus* Comes opprimeretur. Spondebat *Radulphus* legitimam uxorem se reducturum. Promissis non stetit. Iteratum Anathema comminatus est *Innocentius*. Rex *S. Bernardum* rogavit ut, qua pollebat gratia & authoritate apud Summum Pontificem, diras a Radulphi capite averteret, ex qui-

Ludovicus VII. electum absque consensu suo Archiepiscopum Biturigibus recipi vetat.

Innocentius II. vim a Rege Ecclesiæ illatam ulciscitur Interdicto.

Rex Theobaldum Campaniæ Comitem bello lacessit.

bus tot mala erant sequutura. Id se prohibere non posse respondit sanctus Abbas. *Doleo quidem de malis* (inquit Epistola 220) *Si inde proveniant, sed non ideo tamen debemus facere mala, ut veniunt bona; satius utinsque hoc totum profecto omnipotentie Dei judicio & dispositione relinquimus, qui potest facere, ut & bona qua ipse vult fieri, & fiant, & maneunt; & mala qua muli moliuntur, non venient: aut in eos ipsos potius, qui volunt & quarunt, veniunt.* Rex bellum in *Theobaldum* redintegravit; Victoriacum, quod sub ejus erat ditione, diripuit, incendit, nec templorum sanctitatem reveritus, nec ætati parcens, aut sexui. Frustra pacem *Theobaldus* deprecatur; frustra Regem orat ut pacta teneat. Novas ille rationes quærit abrumpendæ pacis. Quod Comes affinitatem cum Flandrensi, & Suessionensi Comite, filii ac filiæ suæ matrimoniis jungere velit, conqueritur. Misso Catalaunum *Roberto* fratre suo eum copiis, hanc primum Ecclesiam, deinde Remensem vexat, populatur, electiones Episcoporum prohibet, vacantium annuos fructus Ecclesiarum sibi vendicat. Sanctus Clarevallensium Abbas *Bernardus* Regem severe corripit Epistola 221. quod malis Consiliariis aures animumque præbeat; se Ecclesiæ injurias dissimulare non posse contestatur, seque deinceps veritati minime defuturum. Epistola 222. apud *Josleunm* Suessionensem Episcopum, & *Sugerium* Sandionysianum Abbatem, qui Regi ab intimis Consiliis erant, conqueritur de iniquis ejus contra *Theobaldum* molisionibus, contra fidem pactorum, contra juratam pacem. Regis ipsius malefacta, & vim, injuriasque Ecclesiæ illatas per literas exponit *Stephano* Prænestino Episcopo S. R. E. Cardinali, ut de iis Summum Pontificem certiorem faciat. *Putabam*, inquit, *me deferre Regi pacifico & ecce invenior gravissimo Ecclesia hosti assentusse. Conculcatur apud nos Sancta, Ecclesia turpiter ancillatur. Nam & electiones Episcoporum prohibentur fieri: & sicubi id præsumptum a Clericis fuerit, electus episcopari non sinitur. Denique sedet in tristitia Ecclesia Parisiensis, proprio destituta Pastore, & nemo est qui de substituendo alio mutire audeat. Non sufficit spoliari bonis præsentibus domos Episcopales: etiam in terras, & in homines manus sacrilega circumquaque desævit: totius insuper anni ex eis sibi redditus vendicando. Vestra Catalaunensis fecit quidem electionem, sed qui electus est ecce jam diebus multis debito honore frustratur, & scitis quam non absque gravi gregis Dominici detrimento. Commisit Rex Germano suo Roberto vices Episcopi, & ille in cunctis terris rebusque Ecclesia potestative versans; & pro vice sua ubique haud segniter agens, infert cælis quotidianas hostias, non plane pacificas, clamores pauperum, lachrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, sanguinem interfectorum. Verum angustus est malitia ejus ille Episcopatus. Remensem invadit, atque in terra sanctorum iniqua gerit, non Clericis, non Monachis, non Sanctimonialibus parcens. Denique S. Maria, S. Remigii, S. Nicasii, S. Theodorici terras fructiferas & villas populosas, ita in ore gladii vastavit, ut pene in solitudinem redegerit universas. Frequens in omnium auribus vox:* Hereditate possideamus Sanctuarium Dei. *Sic Rex emendat, quod in Ecclesiam Bituricensem Herodiano juramento commisit. Præterea Rex quidem, non parum laborantibus, pacem cum Comite Theobaldo fecerat, firma, ut putavimus, amicitia fœdus inierat & ecce occasiones quærit quomodo recedat ab amico. Atque hoc grande crimen quod impingitur Comiti, quia cum Baronibus Regis, de liberis suis contrahit matrimonia: suspecta est illi dilatatio caritatis, nec se putat Regem, si se amaverint Principes.* Epistolam denique 226. *Hugonis* Autissiodorensis Episcopi, suoque nomine ad Regem ipsum scribit: qua de re pertinacia ejus in male cœptis, & quod sui in concilianda pace labores inanes fuerint, non sine Regni exitio, conqueruntur. Tandem vero calamitosum hoc dissidium *Eugenio IV.* Pontificatum ineunte, ejusdem *S. Bernardi* opera sedatum. Quo tempore *Ludovicus VII.* Sacram Militiam ejus hortatu professus est. Idibus Maiis anni 1147. ingenti cum exercitu iter aggressus, *Alienora* uxore comite, Regni administratione *Sugerio* Sandionysiano Abbati commendata. Res infœliciter gesta, irritis conatibus

S. Bernardus Theobaldo Comiti javet, illiusque causam gravissimis Epistolis tuetur.

Vim & injurias Ecclesiæ a Rege illatas stylo vehementi describit.

S. Bernardus Theobaldum Comitem Regi conciliat.

obsessa Damascus, belli sacri progressus quorumdam proditione Ducum, quos Barbari pecunia corruperant, impeditus est. Rex domum rediis inglorius, tacitum etiam vulnus referens in pectore ob impudicam uxoris, dum Antiochiæ ageret in patrui Palatio, levitatem, & thori conjugalis fidem violatam. Quamobrem congregato Concilio Balgentiaci, in quo Remensis, Senonensis, Rothomagensis, & Burdigalensis Archiepiscopi, eorumque Suffraganei consedere, matrimonium objecta ac juridice probata affinitate diremptum est, anno Christi 1151. die Martis ante Festum Paschatis Floridi, (ut scribit Author libri *De Gestis Ludovici VII.* quem *Sugerium* falso aliqui putant) id est ante Dominicam Palmarum. Corrigendus proinde *Binius*, qui id non advertens, Concilium istud *Floridi* in Castro *Balgentiaci* habitum scripsit, quasi *Floridum* loci nomen esset. Ad an. 1151. hanc Synodum refert *Robertus de monte*, in Appendice ad *Sigebertum* edita a Domno *Luca Dacherio* cum Operibus *Guiberti Novigentini*. *Alienoram* conjugem eodem anno duxit *Henricus* Normannorum Dux, & Andegavorum Comes, & dotalibus tabulis Dux Aquitanorum, & Comes Pictonum factus, quibus Angliæ Regnum postmodum adjunxit.

Ludovici Regis expeditio Sacra.

Willelmus Tyrius l. 17.

Matrimonium Ludovici VII. cum Alienora dirimitur in Concilio Balgentiacensi.

Binius emendatur.

Matrimonium istud, & translata ad *Henricum* Aquitania, diuturni belli inter utrumque Regem immo & inter eorum Successores, seminarium fuit. Filias duas ex *Alienoride* Regina susceperat *Ludovicus VII.* *Mariam*, quam *Henrico* Campaniæ Comiti, & *Alaidem*, quam *Theobaldo* Comiti Blesensi copulavit. Ipse vero *Constantiam Alphonsi* Regis Hispaniarum filiam, uxorem duxit.

Secundæ Ludovici VII. Nuptiæ.

Orto in Ecclesia schismate, *Alexandrum III.* Pontificem Maximum suscepit, eique, de sententia Gallicanæ Ecclesiæ Stampis congregatæ, obedientiam cum toto Regno professus est. Exemplum tam illustre Reges alii sequuti. *Alexander Fridericum* Imperatorem *Victori* Antipapæ faventem fugiens, in Galliam, solitam Romanorum Pontificum aram, asylumque se recepit: quem omnibus reverentiæ & amoris officiis Rex Christianissimus prosecutus est. Maxima etiam pietate & observantia suscepit, fovitque sanctissimum Cantuariensium Archiepiscopum *Thomam*, pro institia & defensione Ecclesiasticæ libertatis exulem, *Henrici III.* Junioris Angliæ Regis adversus *Henricum* patrem rebellis partes suscepit, juvitque. Belli causa inter Regias non injusta erat. Scilicet *Margaritam* immaturam Virginem, ex secunda uxore susceptam, ceu pignus pacis affinitate sanciendæ, *Ludovicus* Seni *Henrico* dederat, filio cognomini, Regni Successori designato, jungendam, cum matura viro foret. Gisortium, aliaque Normanni Volcassini* oppida ac Dynastias dotales Templariis crediderat sequestribus, ad celebritatem usque nuptiarum. Puellam nimis diu servabat senex *Henricus*, nec ejus, ubi maturuit, copiam filio & Regni & splendidissimi conjugii cupido faciebat. Is itaque morarum impatiens, ad *Ludovicum* Regem defecit, a quo Normanniæ Ducatu investitus est. Hinc bellum Francos inter & Anglos redintegratum. Quod tandem anno 1177. inita pace, & sacra expeditione contra Turcas jurata, finitum est. Interim e re Ecclesiæ esse judicarunt Albigenses Hæreticos, qui in Tolosatum finibus grassabantur, exterminare. Sed postea deliberatum est, præmittendos viros religiosos & eruditos, qui Hæreticos prædicatione & doctrina ad fidem Catholicam revocare niterentur. *Petro* Tituli *S. Chrysogoni* Presbytero Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato, adjuncti comites, & in sancto opere coadjutores, Bituricensis & Narbonensis Archiepiscopi, *Reginaldus* Bathoniensis, & *Joannes* Pictavensis, Episcopi, *Henricus* Clarevallensis Abbas, multique alii Viri Ecclesiastici. *Raimundo* Tolosano Comiti, Vicecomiti *De Turenna*, *Raimundo de Castro-Novo*, aliisque viris potentibus a Regibus mandatum est, ut Legato & Sociis pro Christi fide auxilium ferrent, ac pertinaces Hæreticos ab illis finibus expellerent. Ita refert *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis.

Alexandrum tertium in Gallia recipit, ejusque electionem tuetur.

Bellum Anglicanum.

* Le Vexin Normand.

Bellum in Hæreticos Albigenses a Ludovico septimo & Henrico Angliæ Rege decretum.

Præmissi cum Legato Apostolico Episcopi, &c. ad Hæreticorum Conversionem tentandum.

Secunda uxore defuncta, tertiam duxerat *Ludovicus*, *Adelam*, *Theobaldi* Campaniæ Comitis filiam. Quæ duas ipsi filias peperit, quarum una *Richardo* Angliæ Principi desponsa, rescissis pactis, *Guillelmo*

Pon-

Tertia Ludovici Septimi Naptiæ.

Pontivii Comiti : altera nomine *Agnes*, *Alexio Comneno*, *Manuelis* Imperatoris Græcorum filio nupsit ; & filium. Natus ille est Sabbato infra Octavas Assumptionis Deiparæ Virginis anno 1165. Die Dominica a *Mauritio* Episcopo Parisiensi baptismo initiatus. Ipsum e sacro fonte suscepere *Hugo*, S. Germani de Pratis Abbas, *Hervæus* Abbas S. Victoris, *Odo* quondam Abbas S. Genovefæ, *Constantia* Regis Soror, *Raimundi* Comitis S. Ægidii conjux, & duæ Viduæ Parisienses : nomeq ipsi *Philippo* impositum. *Adeodatus* cognominatus est, quod Regis, Reginæ, Cleri populique votis a Deo concessus esset. Anno 1179. periculosa correptum ægritudine *Ludovicus* parens *S. Thomæ* Cantuariensi Archiepiscopo, voto divina inspiratione nuncupato, commendavit : obtenta ab Anglorum Rege securitate, Cantuarium adiit ad sepulchrum Martyris, vas aureum ingentis pretii cum devotis orationibus obtulit, Monachis ejusdem Ecclesiæ centum vini modios Pissiaci annis singulis recipiendos, & Immunitatem ab omni telonio, & pedagio, omnibus quæ ad illorum usus in Francia emerentur, concessit scripto Diplomate. Domum redux, *Philippum* filium sanitati restitutum gavisus est. Dicta dies ejus inaugurationi. Principes tum Ecclesiastici, eum Laici ad Kalendas Novembris Durocortorum Edicto vocati. *Willelmus* Archipræsul, Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legatus *Adelæ* Reginæ frater, *Augustum* Principem nepotem suum consecravit, coronavitque solemni ritu. Sacris adfuit *Juvenis Henricus* Rex Anglorum, idemque Dux Normannorum, Regiæ Franciæ beneficiarios, Coronam auream manibus gestans, novo Regi mox imponendam. Præibat & *Philippus* Flandriæ Comes gladium Regni *Augusto* Principi antefetens. Duces, Comites, Barones, diversis officiis deputati, hi præibant, illi sequebantur. *Ludovico* patri paralysi detento adesse non licuit. Agebat *Philippus* tunc annum ætatis decimum-quintum. Ista constant ex *Gestis Ludovici VII.* ex *Rogerio Hovedeno* & ex *Rigordo* in *Gestis Philippi Augusti*.

Votum Deo nuncupat pro filii valetudine, eumque S. Thomæ Cantuariensis intercessioni commendat.

Philippi Ludovici Regis filii inauguratio.

Ludovici Septimi obitus.

Barbeaux.

Parisiis obiit *Ludovicus VII.* anno Christi millesimo centesimo octogesimo, die 18. Septembris, Regni 44. ætatis circiter sexagesimo-quarto. Ejus corpus in Ecclesia B. Mariæ de Sacro Portu prope Melodonum, quæ Cisterciensis Ordinis Abbatia est ab eodem Rege fundata, & *Barbellum* vulgo nuncupata, translatum, ibique conditum est. *Adela* Regina ejus uxor ipsi Monumentum erexit. *Homo intrepidæ devotionis in Deum, & eximiæ lenitatis in subditos, Sacrorum quoque Ordinum præcipuus venerator*, a Guillelmo Neuburgensi prædicatur. *Paulo autem simplicior quam deceret Principem, illius verbi Apostolici*, Corrumpunt bonos mores colloquia prava, *perspicuam in quibusdam actibus suis veritatem expressit. Quorumdam quippe Procerum, ut honesto vel æquo minus curantium, plus justo se credens consiliis, non levi plerumque macula mores egregios denigravit ; veluti quando causam nequam filii contra pium patrem suscepit, & totius Regni opibus hostem naturæ adjuvit*. Verba sunt ejusdem Authoris, lib. 3. *De Rebus Anglicis*, cap. 4. Ecclesiarum, sub finem vitæ præsertim, se defensorem acerrimum præbuit. Cabillonensem, & Nivernensem Comites, hunc Vezeliacensi Monasterio, illum Cluniacensi, infestos domuit, & ad satisfactionem compulit. Cabillonensem ob graves injurias Cluniacensibus Monachis illatas comitatu spoliavit. Ejus authoritate Ecclesiæ Sanctæ *Genovefæ* Parisiis, & *SS. Cornelii & Cypriani* Compendii, reformatæ sunt, introductis in priorem quidem Canonicis Regularibus *S. Augustini*, ex Abbatia *S. Victoris* ; in posteriorem vero, Monachis Benedictinis. Utriusque reformationis procurator fuit *Sugerius* Sandionysianus Abbas, Regni Administer. Seditiosi Clerici, Duce *Philippo* Regis fratre, in Monasterium prædabundi irruperunt, & sacras Reliquias diripere conati sunt. Quas inter spineæ Domini Coronæ partem, & sacram ejusdem Salvatoris Syndonem fuisse locupletissimus testis affirmat *Sugerius* Epistolis 159. & 63. apud *Duchesnium* Tom. 4. Scriptorum veterum Historiæ Francorum pag. 543. & 545. Has ad *Carolum Magnum* ab *Irene* Græcorum Imperatrice missas, & Compendii in Æde *SS. Martyrum Cornelii & Cypriani* depositas, fama est, conjecturis minime spernendis fulta. Syndonem vero aliam esse constat ab ea qua Corpus Jesu involutum est a *Josepho* & *Nicodemo*. Linteaminibus constabat illa bipartitis : pars Augustæ Taurinorum, pars Vesontione asservatur & colitur. Syndonem quæ Compendii deposita est, sudarium ipsum esse quod fuerat super caput Salvatoris, ea illius magnitudine conjicere est. Cujus sudarii speciatim meminit *S. Joannes*, illudque a linteaminibus reliquis distinguit cap. 20. *Venit ergo Simon Petrus, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in locum unum.*

Ludoviri Septimi elogium.

Juvenis Henrici Regis Angliæ.

Sacrum Salvatoris Sudarium Compendii depositum.

Ludovici sexti moderatio in Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione.

Immortali laude digna est *Ludovici VII.* in Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione moderatio, *cui* ab expeditione Hierosolymitana regresso anno Christi 1148. *cum quidam Clericus Papale Privilegium attulisset, quod in omni Cathedrali Ecclesia Regni sui primam vacaturam haberet cum fructibus medio tempore provenientibus. Ille confestim combussit Literas dicens, se malle tales comburere Literas, quam animam suam in inferno torqueri*. Rem scilicet spiritualis periculi plenam esse intelligebat religiosissimus Princeps Beneficiorum collationem. Ita refert *Thomas de Walsingham*, in Ypodigmate Neustriæ. *Ludovicum VII.* summis præconiis ornavit *S. Thomas Cantuariensis* Epistola 86. *Generi*, inquit, *prudentia suffragatur, delinquentes coerces rigore Justitiæ, subditos obtemperantes juri mansuetudinis moderatione gubernat, Ecclesiam veneratur & protegit, in Ministris suis suscipit Christum, & universorum gratiam benignitate provocat, & obsequiis & beneficiis obligat affectiones. Non sævit in subditos, nec occasiones Justitiæ prætextu quærit, quibus cruciet pauperes, exhauriat & spoliet copiosos. Hæc fuit quondam Nobilium generositas Augustorum, quam iste præter conterminalium & coætaneorum morem exercet, qui saluberrime & honestissime novit & consuevit parcere subjectis & debellare superbos*. Eo regnante florebat Ecclesia & Universitas Parisiensis : de quibus *Joannes Saresberiensis* ad *S. Thomam Cantuariensem* scribebat : *Parisius deflexi, ubi cum viderem victualium copiam, lætitiam Populi, reverentiam Cleri, & totius Ecclesiæ majestatem & gloriam : & varias occupationes Philosophantium, admiratus velut illam scalam Jacob cujus summitas cælos tangebat, eratque ascendentium & descendentium Angelorum, læta peregrinationis urgente stimulo coactus sum profiteri quod*, Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. *Illudque Poeticum ad mentem redit*. Felix exilium cui locus iste datur !

S. Thomas Cantuariensis Ludovicum 7. commendat.

Laus urbis, Ecclesiæ, & Academiæ Parisiensi.

ARTICULUS V.

De Gestis Philippi Augusti duodecimo sæculo.

PHilippus II. *Adeodatus*, & *Augustus* nuncupatus, post obitum *Ludovici* patris solus regnare cœpit annorum pene sexdecim adolescens, *Willelmo* Remensi Archipræsule avunculo suo sapientia & consiliis ipsum in Regni Administratione dirigente. Annos regnavit quadraginta-tres. Viginti priorum ad sæculum duodecimum pertinentium Historiam hoc Articulo exponimus. Regni exordia Ecclesiæ & sacrorum hominum defensioni consecravit. *Hebonem* scilicet *de Carantanio* in Biturigibus, *Ymbertum de Bello Joco* in agro Lugdunensi, & Comitem Cabilonensem, qui tyrannidem & prædam in Ecclesias & Clericos exercebant, ducto in eorum Dynastias exercitu, domuit & ad satisfactionem compulit. Principum quorumdam in se conjuratorum, ac civile bellum incendentium conatus fregit, subegitque perduelles. Primo Principatus anno *Elizabetham*, *Balduini* Hannoniæ Comitis filiam ex sorore *Philippi* Flandri, duxit uxorem. Cum Judæos, quorum ingens multitudo Franciam incolebat, Christianis molestos esse nosset, *Bernardi* Sancti Eremitæ, qui in Nemore Vincennarum degebat, consilio, primum debita omnia quæ Judæi creditores a Fidelibus exigere poterant, remisit, quinta summæ totius parte sibi retenta : Deinde fundos eorum & res non mo-

Philippus Augustus Judæos e Regno expellit.

Blasphemos coercet.

ventes Fisco addixit: Tandem omnes e Regno exire jussit Edicto promulgato. Quæ circumcisorum hominum transmigratio mense Julio facta est anno 1182. Ipsorum vero Synagogæ Christianis expiatæ ritibus in sacras ædes Regis pietate versæ sunt. Blasphemos coercuit lege lata, ut qui cor, caput, aliave membra Dei jurando appellarent, gravi multa pauperibus eroganda punirentur, vel in flumen ut Regni sordes projicerentur. Nundinas, quæ *Sancti Lazari* dicebantur, quarum nempe jus ad Leprosos pertinebat, ipsis annua pensione compensatis, Parisios transtulit, in locum cui *Campellus* nomen: Plateamque muris cingi, & tectis adornari jussit ad commodum mercatorum. Urbem luto fœdam sterni pavimentis, publicum *SS. Innocentium* Cœmeterium, & Vincennarum Nemus concludi muris curavit. Illud Religioni, id Regiæ oblectationi datum. Hinnuli cervorum, damuli, capræ sylvestres, aliæque id genus feræ ab *Henrico* Rege Anglorum missæ fœtibus eo in saltu propagandis.

Cotrellos delet.

Cotrelli hæreticis nequiores in Provincia Bituricensi ferro flammisque grassabantur, Ecclesias diripiebant, vasa sacra distrahebant violatis altaribus, Christi corpore conculcato: Sacerdotes religiososque viros opprobriis, carcere, verberibus affligebant: Uxores sub virorum oculis constuprabant. Sacrilegos immanesque prædones confœderati pro aris domibusque defendendis populi armis persecuti, septem millia cæcidere. *Philippus* Rex missis auxiliaribus copiis, omnium internecione publicam tranquillitatem constituit anno 1183.

Pietas in Deiparam Virginem feroces inimicitias extinguit.

Per hæc tempora, gravis diuturnaque inter Aragonum Regem & comitem S. *Ægidii Raimundum* discordia flagrabat. Sed & proceres alii privatas injurias privatis bellis impune ulciscebantur, insuperhabitis legibus quæ de Treuga & pace a Summis Pontificibus & Synodis sancitæ fuerant cum omnium interminatione dirarum. Istani flammas furoris pietas in Virginem Deiparam extinxit. Anicii (Alverniæ civitas est quæ & Podium appellatur) fabro cuidam lignario, viro simplici & humili cui *Durando* nomen, cœleste visum oblatum est, traditaque divinitus Charta Beatæ Virginis *Mariæ*, Puerum Jesum manibus gestantis, adumbratam exhibens effigiem, cum hac circum inscriptione: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Rei fama longe lateque disseminata Principes, nobiliumque, ac plebis infinita multitudo ad Assumptionis Deiparæ annua Sacra Podium concurrit. Episcopus *Durandum*, cujus ante revelationem probaverat, e suggestu loqui jussit, mandatum divinum de pace sancienda exponere, tesseram cœlestem palam omnibus ostendere. Rei novitate commoti omnes, & pœnitentiæ pietatisque spiritu afflati, pacem tactis sacris Evangeliis jurarunt: cujus sanctissime servandæ tesseram, Beatæ Virginis cœlestem illam imaginem in stanno expressam in pectore gestabant, cum lineis caputiis ad formam Scapularis monachorum alborum concinnatis. Ferociores inimicitias reverendum signum exarmabat.

* Le Vermandois.

* Saint Quentin. Peronne.

* Vergy

Anno 1184. *Philippum*, qui mortua uxore, Viromanduis,* quos dotales semel possederat, cedere pertinaciter recusabat, ductis in illum copiis *Augustus* ad pacem compulit exorandam. Quæ ea conditione data est ut in fidem rediret Flander, in vita *Quintino** *& Peronæ* uteretur frueretarque: ejus morte ad Regem venirent. *Hugonem* Burgundiæ Ducem, qui castrum Vergiaci* *Guidoni* Dynastæ eripuerat, propugnaculis ejus eversis inde expulit. Castellionem expugnavit, Ecclesiarum libertatem ab ipsius tyrannide vindicavit, satisfactione imperata. Ad Regum nostrorum pietatem commendandam operæ pretium est quod *Rigordus* observat, ipsos fundatas sua majorumve munificentia *Ecclesias in sua libertate semper custodire cupientes, quibuscumque principibus terras custodiendas tradidissent, tamen Ecclesias sub potestate sua & protectione retinere decrevisse: ne Principes, quibus terra custodienda a Regibus delegabatur, Ecclesias vel clericos ibidem Domino servientes, aliquibus angariis, talliis, vel aliis exactionibus gravare præsumerent.*

Ecclesiarum libertatem tuetur Philippus Augustus.

Anno 1185. *Margaritam* sororem, *Henrici* Regis Anglorum viduam, *Belæ* Regi Hungarorum ejus nuptias ambienti *Philippus Augustus* collocavit. Habita cum Archiepiscopis, Episcopis, & Principibus Regni majoribus deliberatione, *quorum consilio & sapientia in negotiis suis pertractandis frequentius uti consueverat* (inquit *Rigordus* ipsius Chronographus) histriones Joculatoresque Aula abegit, pauperibus erogare statuens pecuniam vestesque quibus illos donasset in memoriam revocans, quod a Sanctis Viris olim didicerat: *Histrionibus dare, est dæmonibus immolare.*

Histriones abigit.

Bellum Anglicanum.

* Yssoudun.

*Chateau Raoul.

Margarita sorore Hungaro Regi collocata, Gisortium, aliaque loca in Velocassino Normanno dotis nomine ipsi assignata, quorum pacta erat restitutio, si gener nullos ex ea liberos procrearet, ab *Henrico III.* Anglorum Rege repetiit: una etiam *Richardo* ejus filio mandavit ut pro Pictavensi Comitatu clientelare præstaret Sacramentum. Anglorum cunctatio belli causa fuit. *Philippi* Regis arma in Aquitaniam versa. Exoldunum* Biturigum oppidum captum, munitiones quamplures eversæ, tota regio usque ad Castellum Radulphi* longe lateque vastata. Angliæ Rex Comesque Pictavensis conscripto exercitu advolarunt. Castra castris collata. Sed viribus suis diffidentes Angli, congressum detrectarunt, & legatorum Sedis Apostolicæ interposita authoritate obtinuerunt inducias, cautione data quod super rebus controversis judicium Curiæ Regis Francorum subirent, eoque starent. Id factum anno Christi 1187.

Interim Saladinus Hierosolyma, capto Rege, & Palæstinæ partem maximam armis subegerat. Oratores ex Syria ad *Augustum* venire ad opem reliquiis Christiani in Oriente nominis implorandam. Die quarta Septembris natus ipsi filius est, *Ludovicus* in sacro baptismate appellatus. *Philippus Augustus & Henricus* Angliæ Rex dexteras animosque junxere, crucisque sumpto signo, sacram militiam sunt professi. Anno sequenti, mense Martio, conventus Antistitum, Procerumque Parisiis habitus, sacrum bellum decretum, innumera equitum peditumque multitudo nomen dedit. Sancitum ut qui domi manerent sive laici sive clerici, Decimas mobilium ac fructuum suorum in belli sumptus darent. Soli Carthusiensium, Cistercensium, Fontis Ebraldi Ordines Religiosi, leprosique excepti. Decimas illas *assensu cleri & populi*, ad annum duntaxat impositas, *Saladinas* appellarunt. *Philippi Augusti* diploma ea de re datum in *Rigordi* historia legere est. Novi Anglorum motus expeditioni sacræ moras attulerunt. *Richardus* Pictavorum Comes Tolosatium comiti Regis Francorum feudatario bellum intulit contra pacta anno superiori Gisortium inter & Calvum montem, nec pauca oppida illius cepit, in quibus *Moissacum*. Id ubi accepit Rex *Augustus*, in ditiones Anglorum irrupit, castrum Radulphi Busenzacum, Argentonum, Leurosium, Montem Tricardi, Palvellum, Montesbriom, Vindocinum, & quidquid in Biturigibus & Alvernia possidebant Angli, expugnavit. Cladem illam *Henrici* Regis Anglorum, domesticum dissidium excepit. *Richardus* Pictavensis Comes, *Adelam Augusti* Regis sororem sibi desponsam, jamque viro maturam petiit a patre, una & Regnum, secundum pacta. Senex *Henricus*, qui Virginem Principem in castro servabat, non absque suspicione, filii postulata repulit. *Richardus* ad Regem Francorum transiit, in ejusque verba juravit. *Augustus* Rex ducto in Anglum exercitu, Firmitatem Bernardi, aliaque castra munitissima, Cenomanum, Turonesque, per vadum exploratrice lancea inventum, Ligerim miraculo quodam cum exercitu transvectus, expugnavit. Hæc gesta anno 1189. mense Majo. Aliquot post dies *Henricus* Rex Anglorum obiit. *Richardus* Pictavensis Comes ejus in Regnum successor, pacem cum *Philippo* Rege pepigit, recepitque Cenomanum, Turones & Castrum Radulphi, singulari pacifici Victoris benignitate: cedens ipse in grati animi signum feudis omnibus quæ Exolduni & in Alvernia possederat. Lætitiam de pace subditis data perturbavit obitus *Elisabethæ* Reginæ uxoris *Philippi* castissimæ, Idibus Martii, quæ ad Beatæ Virginis a *Mauricio* Episcopo in Regia Urbe funerata est. Una ex conditionibus pacis inter Franciæ & Angliæ Reges initæ erat, ut ad ferendum profligatis Christianorum rebus auxilium una in Syriam navigarent. *Augustus* Rex sacra pera & baculo peregrinationis, necnon vexillo de Martyrum Altari in Æde Sandionysiana, tradente *Guillelmo*

Bellum Sacrum decernitur.

Bellum Anglicanum.

Pax cum Anglo.

Philippi Augusti Sacra in Syriam expeditio.

lelmo

lelmo Remensi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ Legato, acceptis, filio *Ludovico* bimulo, Regnique administratione fidei *Adelæ* Matris, ac avunculi Remensis Archiepiscopi commendati, scripto etiam Testamento profectus est, Feria quarta post Octavas Sancti Joannis Baptistæ anno 1190. Testamentum *Augusti* Regis apud *Rigordum* legere est. Sic incipit : *Officium Regium est subjectorum commodis modis omnibus providere, & sua utilitati privatæ publicam anteferre.* Sacrarum electionum libertati, & Beneficiorum, Regii Juris, collationi providit. Præbendas & Dignitates Ecclesiasticas conferri jussit *Viris honestis & literatis*. Episcopos & Abbates eligi, qui Deo placeant, insigni probitate & pietate : *& utiles sint Regno scientia & industria in rebus gerendis*. De Justitia facienda ita sanxit : *Volumus & præcipimus, ut charissima Mater nostra Adela* * *Regina statuat cum Charissimo Avunculo nostro, & fideli Guillelmo Remensi Archiepiscopo, singulis quatuor mensibus diem unum Parisius, in quo audiant clamores hominum Regni nostri, & ibi eos finiant ad honorem Dei, & utilitatem Regni. Præcipimus etiam insuper, ut eo die sint ante ipsos de singulis Villis nostris & Baillivi nostri, qui Assisias tenebunt, ut coram eis recitent negotia terræ nostræ.* De novis tributis non imponendis ita decrevit : *Prohibemus etiam universis Prælatis Ecclesiarum, & hominibus nostris, ne talliam vel toltam donent ; quandiu in servitio Dei erimus. Si vero Dominus Deus de nobis suam faceret voluntatem, & nos mori contingeret, prohibemus districtissime omnibus hominibus terræ nostræ tam Clericis, quam Laicis, ne talliam vel toltam donent, donec Filius noster veniat ad ætatem, in qua gratia Sancti Spiritus possit regere Regnum. Si autem aliquis Filio nostro vellet movere guerram, & redditus sui, quos habet, non sufficerent, tunc omnes homines nostri adjuvent eum de corporibus suis & averis, & Ecclesiæ tale faciant ei auxilium, quale solitæ sunt facere nobis.*

Profecturi Mandata & testamentum.

* Alix.

Accona expugnatio & deditio.

Ubi in Syriam pervenit *Philippus Augustus*, Christianis Ptolemaidem, seu Acconam obsidentibus, opem tulit, perfractisque muris, *Limathosium & Carachosium* Satrapas, urbem propugnantes, ad deditionem coegit anno 1191. Lege deditionis fuere, ut *Saladinus* Crucem Dominicam redderet, atque Christiani generis captivos libertate donaret. Secundum hæc, gravi infirmitate correptus Rex *Augustus*, simul & suspicione adversus Anglum, relicto in Castris Burgundiæ Duce cum exercitus parte maxima, reditum in Gallias decrevit. Ante discessum, Christianorum rogatu, *Richardo* Regi Anglorum juravit se in ejus ditiones arma non illaturum intra quinquagesimum, quam ille domum redivisset, diem. Pactis deesse visus est *Augustus*, bello Normannos lacessens, dum *Richardus* ab *Henrico* Imperatore in Germania detinebatur. At se fidem juris jurandi nequaquam violare contestabatur, quandiu temperaret a quibus jus fasque foret. Justum porro esse, ut ab Anglo, qui sororem suam *Adelam* repudiarat, ejus dotem repeteret ac extorqueret. Hujus belli eventus *Rigordus* commemorat, pacemque demum Reges inter constitutam anno 1196. Januario mense, cum Anglus pro Normanniæ Ducatu, & Pictavensium Andegavensiumque Comitatibus, hominium *Philippo Augusto* præstitisset. Bellorum necessitates, munitiones civitatum, extructiones Castrorum, stipendia militum, ipso pacis tempore tunc primum decreta, ut præsto semper esset exercitus, *Philippum* ad exactiones graves & insolitas cum a Populis, tum ab ipsis Ecclesiis compulerunt, ex quibus thesauros diversis in locis congessit, privatis alioqui parcens expensis. Eam ob rem avaritiæ notam ipsi ad temeraria judicia præceps, & ad maledicentiam pronum vulgus inussit. Quam ab Augusto Rege abstergit Rigordus : *Thesauros etiam multos* (inquit) *in diversis locis congessit expensa modica contentus, dicens, quod Prædecessores sui Francorum Reges pauperes existentes, tempore necessitatis stipendiariis militibus nihil ministrantes, ingruentibus bellis, Regni diminutionem passi fuerant non modicam : Principalis tamen intentio ipsius Regis erat in thesaurorum congregatione, Sanctæ Terræ Hierosolymitanæ a Paganis liberatio & Christianorum restitutio, & Regni Francorum ab inimicis strenua defensio. Licet quidam minus discreti, Regis ignorantes propositum & voluntatem, ambitionem & nimiam ei avaritiam objicerent. Sed quia tempus colligendi, & tempus spargendi quod collectum est, a sapientibus didicerat, nacta opportunitate multum collegit, ut tempore necessitatis pluribus plurimum spargeret. Quod in munitionibus civitatum, & murorum reparationibus, & Castellorum ædificationibus innumeris manifestissime declaratur.* Hæc licet ab avaritiæ labe *Philippum Augustum* purgent, excusari non potest quod Judæos Parisios revocaverit.

Philippi Augusti reditus.

Bellum Anglicum

Philippus Augustus ab avaritiæ labe vindicatur.

Canuti Danorum Regis Sororem *Ingeburgim* formosissimam & castissimam virginem anno 1193. *Philippus* duxerat, postridie vero nuptiarum, maleficorum artibus ab uxore aversus, ut *Rigordus* scribit, seu occulti alicujus defectus fastidio, novum conjugium appetiit. Porro ut divortio honestæ speciei colorem superduceret, Romano Pontifici per Oratores suggessit, surreptione quadam se consanguineam duxisse, postulans vinculi minus legitimi solutionem. Delegavit ille Judices ex Clero Gallicano, forti tamen mandato adstrictos, ut hancce causam secundum severitatem canonum integerrime judicarent. Illi vero injusto Regis desiderio faventes, affinitate a Bellovacensi, & Carnotensi Episcopis juramento asserta, matrimonium diremerunt. Ita refert *Guillelmus Neubrigensis* coævus Author lib. 4. cap. 27. Remensis Archiepiscopi, Sedis Apostolicæ Legati sententia Regem ab *Ingeburge* fuisse separatum, testis est *Innocentius* in cap. *Per Venerabilem*. Anno 1197. *Mariam*, Ducis Boemiæ Moraviæque filiam superduxit *Philippus*. De injuria sorori, sibique illata *Canutus* Rex Danorum apud *Cælestinum III.* Pontificem Maximum conquestus est. Pontifex duos in Galliam Legatos misit, *Meliorem* Presbyterum, Cardinalem, & *Censium* Subdiaconum, qui Regi Authoritate Apostolica denuntiarent, ut a consuetudine *Mariæ* temperaret ; & *Ingeburgim*, ceu legitimam conjugem, in Aulam revocaret. Concilium ea de re Parisiis habitum, considentibus Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus. *Sed quia facti sunt canes muti, non valentes latrare, timentes etiam pelli suæ, nihil ad perfectum deduxerunt* (inquit *Rigordus* ad annum 1193. simul & matrimonium Philippi cum *Ingeburge* referens, & ea quæ matrimonii occasione deinde contigerunt.) Defuncto *Cælestino* Papa, *Innocentius III.* ejus successor *Petrum Capuanum* Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum in Gallias misit, literisque ad Gallicanos Præsules datis, jussit ut sententiæ in Regem, superductam, & eorum familias, vel in Regnum etiam, a Legato Apostolico proferendæ, qualibet appellatione remota parerent, eamque ab omnibus subditis curarent observari. Gallicanorum Præsulum Synodus Divione a Legato congregata mense Decembri anno 1199. Rex, ut fulmen a Cardinali cæterisque Patribus vibrandum averteret, ad ipsum Pontificem per Oratorem appellavit. Legatus aliquandiu sententiam suspendit: Moxque altero Patrum Conventu, in Allobrogum urbe Vienna, celebrato, Regno universo Sacris interdixit mense Januario anni 1200. Id constat ex Gestis *Innocentii* a doctissimo præsule *Francisco Bosquetto* editis, *Rigordo Guillelmo Britone & Chronico Sambergiano*. Uni Concilio Divionensi hæc tribuunt *Rigordus*, & *Brito*, quod Viennense Divionensis complementum quoddam potius quam novum Concilium fuerit existimatum, Episcopos qui Synodo interfuerant, & Interdictum approbarant, Sedibus suis Rex iræ impotens exegit, Clericos illud observantes ab Ecclesiis ejecit, omnia bona fisco addixit ; *Ingeburgem* Reginam castissimam Stampis in Castro reclusit. Octo mensibus luit Gallia Sacrorum omnium expers : donec *Octavianus* Ostiensis & Velletrensis Episcopus Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus ab *Innocentio III.* in Gallias missus, ad hujus cognitionem causæ, Interdictum solvit anno ducentesimo super millesimum, Septembri mense. Id in Concilio Nivigillensi factum. (Nivigilla Brabantiæ oppidum est.) Hæ conditiones Regi imperatæ, ut Episcopis, cæterisque Clericis, pro injuriis ac damnis illatis satisfaceret, *Mariam* superductam a thoro & Regni finibus removeret, *Ingeburgim* recipe-

Botildam *Rogerius Hovedenus appellat.*

Philippus Augustus facto cum Ingeburge Regina divortio, Mariam superduxit.

Acta Pontificum & Conciliorum hac in causa.

Concilium Parisiense.

Ep. 189. Lib. 21.

Concilium Divionense.

Concilium Viennense. Interdictum Regni.

Concilium Nivigellense, De Nivelle.

peret ac Regio cultu haberet: joratoria cautione data, quod eam absque Ecclesiæ judicio non dimitteret. Sex mensium spatium ad proponendas objectiones contra matrimonium cum ipsa contractum, quæ in Concilio discuterentur, auditis *Canuti* Regis Danorum Oratoribus & Advocatis, assignatum est. Ita referunt *Innocentii III. Gesta*, & *Rogerius Hovedenus* posteriori parte Annalium. Post sex menses de divortii causa in Concilio Sucssionensi *Octaviano & Joanne* Legatis Apostolicis præsidentibus, quindecim dierum spatio disceptatum est. Aderant *Philippus* Rex, *Ingeburgis* Regina, & *Canuti* Regis Danorum Oratores. Post multas Jurisperitorum de Matrimonio confirmando vel dirimendo disputationes Rex morarum pertæsus, nec secundum se dicendam subodoratus sententiam, summo mane in equum insiluit, & post se receptam *Ingeburgim* in Regiam reduxit, Cardinalibus & Episcopis insalutatis. Ita Concilium nullo judicio facto dimissum est, non absque Patrum stupore. Ista constant ex *Gestis Innocentii III.* ex *Rigorda*, *Rogerio de Hoveden*, & *Chronico Aquicinctino*.

Concilium Sucssionense.

An Formula Regnante Christo *fuerit in publicis Instrumentis usurpata durante interdicto ob repudiatam a* Philippo I. Ingeburgim, & Mariam *superductam.*

Interdicto, de quo supra diximus, durante, in publicis Monumentis Instrumentisque positum non fuisse *Regnante Philippo*, sed *Regnante Christo* scripsit *Nicolaus Vignerius*, lib. 3. *Historiæ Francorum*. Ex quo *Bellarminus* & *Perronius* Cardinales argumentum duxere ad probandum Reges aliquando a Romano Pontifice exauthorari posse. Verum futile argumentum est, levique nixum fundamento. Primo *Vignerius* hujus observationis unum authorem laudat Fuxensem Chronographum, hominem recentem, obscurum & imperitum *N. Mediavilla*, qui anno 1456. Chronicon *Gastoni IV.* Fuxensium Comiti XVI. inscripsit. At Chronographus ille de *Philippo I.* id asserit, quod ad *Philippum Augustum* transfert *Vignerius*. Ait enim Formulam illam, *Regnante Christo*, usurpatam fuisse quo tempore ab *Urbano II. Philippus* Rex Francorum excommunicatus erat. *Juretus* in Notis ad Epistolam XLVI. *Yonis Carnotensis*, ad *Philippum I.* refert, quod de *Secundo* scripsit *Vignerius*: Chronicon tamen Fuxense non laudat, sed Sandionysianum. *Citatur etiam* (inquit) *Author prisci Chronici Cœnobii S. Dionysii adnotantis, toto tempore illius excommunicationis in Ecclesiasticis Actis publicis solitum scribi*, Regnante Christo, *non autem*, Regnante Philippo. *Quod tamen nonnullis commentum Monachale videtur*. At Chronicon illud nihil hujusmodi habet. Duplex interdictum passa Gallia est *Philippo Augusto* regnante: primum anno 1199. Sententia lata est a *Petro Capuano* Sedis Apostolicæ Legato, propter captionem *Petri de Duaca* Cameracensis Episcopi electi mense Majo factam ab *Hugone* de *Amelencourt*, ejusque detentionem a *Philippo* Rege. Trimestre fuit Interdictum illud, Junio scilicet, Julio & Augusto duravit. Alterum ab eodem Legato decretum est Januario mense, anno ducentesimo supra millesimum, in Concilio Viennensi, propter *Ingeburgis* repudium, & nuptias Regis cum *Maria*. Quod Interdictum octo mensibus duravit. Sed neutrius interdicti tempore *Philippum Augustum* Regni clavum abjecisse, constat ex *Rigordo*, aliisque Historicis. Nec durante Interdicto præsertim posteriori, de quo major quæstio est, mos consignandorum *Philippi* Regis annis Actorum interruptum fuisse, probant publicæ Chartæ hac tempestate scriptæ: scilicet Charta *Joannis* Anglorum *Regis* data anno 1200. mense Majo, ab Interdicti promulgatione quinto, in qua hæc habentur: *Noveritis quod hæc est forma pacis factæ inter Dominum nostrum Philippum illustrem Regem Francorum, & Nos*. &c. Charta *Amalrici* Glocestriæ Comitis, eodem anno & mense, in qua hæc habentur: *Domino Philippo Illustri Regi Francorum, & heredibus; de propria voluntate mea, & de mandato Domini mei Illustris Regis Angliæ, quittavi civitatem Ebraicensem*, &c. Charta *Balduini* Albæmarlæ Comitis, in qua hæc leguntur: *De mandato Domini mei Illustris Regis Angliæ, juravi super sanctas Reliquias, quod si ipse Philippo, Illustri Regi Francorum non tenet pacem sicuti Charta sua, quam idem Rex Francorum habet, testatur; ego infra primum diem competentem priusquam exinde supermonitus fuero, constabo me*, &c. Charta *Odonis III.* Burgundiæ Ducis data mense Januario anni 1200. quo promulgatum est

Doctissimi Cardinales Bellarminus, & Perronius *falsa colligebant, ex formula*, Regnante Christo, *in publicis Actis apposita, Ecclesiæ potestatem vel indirectam in temporalia Regum.*

Interdictum: *De Placito inter Herveum Comitem Antissiodorensem, & Guillelmum de Chaulita, si idem Guillelmus defecerit de recto in Curia Domini Regis mei Philippi, Illustris Francorum Regis*, &c. Chartæ denique Episcopi & Capituli Aurelianensis apud Capellam datæ, consignantur *Anno gratiæ millesimo ducentesimo, Regni Philippi vigesimo-secundo*. Hæc observat *Blondellus* in Diatriba *De Formula Regnante Christo*, Sectione III. Cap. IV.

Idem Author Sectione IV. ostendit de Formula *Regnante Christo* Actis sive publicis, sive privatis apponenda, nullam umquam legem fuisse latam, sed pro Scriptoris cujusque arbitrio vel admissum, vel omissum semper ejus usum fuisse. Monumentorum sola Formula, *Regnante Christo*, a Christianis consignatorum sub Ethnicis Principibus sine ulla Principum mentione, plura profert exempla cap. 1. ex Sanctorum Martyrum Actis. Sed & alia subjungit ex Actis Sanctorum qui sub Christianis Regibus vixere & obiere, quo tempore nulli Ecclesiæ Censuræ ipsi aut eorum populi subjacebant. Aliqua ex his selecta subjicio 1. Vita *Sancti Romualdi* Abbatis a *Beato Petro Damiani* scripta: *Obiit vir Beatissimus 13. Kal. Juliarum, Regnante Domino nostro Jesu Christo*, &c. Vita *Sanctæ Cunegundis* Imperatricis in MS. Rebdorfensi: *Transiit autem anno Dominicæ Incarnationis 1003. Indict. 3. V. Nonas Martii, Regnante In æternum qui est corona Virginum, Christo Domino nostro*. Vita *Sancti Hilarii* Arelatensis, a *Sancto Honorato* Massiliensi Episcopo scripta: *Quocirca ut ejus suffragium muniat, sed suis patrociniis meritam Sacerdotis in illa examinatione tremenda faciat inveniri: Regnante Domino nostro Jesu Christo*. Vita *Sancti Germani* Parisiensis, qui anno 576. die 28. Maii e vita migravit: *Victor evolavit ad cælos, Regnante Domino nostro Jesu Christo*. Sanctus Eulogius *Memorialis Sanctorum*, lib. 11. cap. 11. *Consummaverunt beati Martyres agonem suum 3. Idus Martias Æra 895. Regnante Domino nostro Jesu Christo*. Willelmus Gemmeticensis Lib. 4. Cap. 20. *Obiit apud Fiscannum Richardus Dux Primus, flentibus populis, gaudentibus Angelis, 996. anno ab incarnatione Domini, Regnante eodem Jesu Christo Domino nostro*.

Anno circiter 1027.

Cap. II. Ostendit Monumenta Formula *Regnante Christo*, & Infidelium Principum nominibus sæpius fuisse consignata. Tria vel quatuor exempla subjicio. Acta *Sancti Pionii* Martyris ad 1. Februarii: *Hæc acta sunt Julia Asia Proconsule, Proclo & Quintiliano Magistratum gerentibus, Consule III. Messio Quinto Trajano Decio Augusto...... ut nos autem loquimur, Regnante Domino nostro Jesu Christo*. Acta vetera *Sancti Marci* Evangelistæ edita a PP. *Henschenio* & *Papebrochio* ad diem 25. Aprilis: *Dormivit autem beatissimus Evangelista primus Domini nostri Jesu Christi Martyr apud Alexandriam Ægypti, die trigesimo, quod est apud Romanos VIII. Kal. Maii, anno Neronis Imperii quarto-decimo, Regnante Domino nostro Jesu Christo*. Passio *Sancti Cypriani* Martyris: *Passus est beatissimus Cyprianus Martyr die 18. Kal. Octob. sub Valeriano & Galieno Impp. Regnante vero Domino nostro Jesu Christo*. Passio *Sancti Dionysii* authore Methodio: *Passi sunt beati Martyres Christi Dionysius, Rusticus, & Eleutherius, sub Domitiano Imperatore, in partibus Galliæ, civitate Parisiis, Regnante Domino nostro Jesu Christo*.

Cap. III. & IV. Monumentorum, Formula *Regnante Christo*, Christianorumque Principum nominibus ante *Philippi I.* ætatem consignatorum profert exempla, a quibus pauca seligo. Capitulare Aquisgranense *Caroli Magni* anno, 789. editum: *Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum, Ego Carolus gratia Dei ejusque misericordia donante Rex & Rector Regni Francorum, & devotus Sanctæ Dei Ecclesiæ Defensor, humilisque Adjutor*. Concilium Forojuliense: *Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum, super omnes cælos & super omnem terram; Rege Regum & Domino dominantium...... de cujus largissima benignitatis manu invictissimi Principes Domini Carolus ac Pippinus, regalia sceptro prosperis gubernanda rebus probantur: Anno igitur fælicissimi Principatus eorum tertio & vigesimo*. Theganus Lib. de Gestis Ludovici Pii, ab initio: *Regnante Domino nostro*

stro Jesu Christo, anno Incarnationis ejus 813. Concilium Suessionense *II.* anno 853. celebratum. *Regnante in sempiternum Domino Deo aniversorum anno Incarnationis ejusdem Domini nostri Jesu Christi* 853. *anno vero Regni gloriosi Caroli filii Ludovici religiosissimi Augusti* 13. *Indict.* 1. *Episcopis juxta Instituta Canonum Synodum selebrare volentibus, annuit idem Rex Carolus*. Concilium III. Valentinum anno 855. *Regnante Domino nostro Jesu Christo, anno* 855. *ab Incarnatione ejus, gloriosissimo Lothario Imperante* 15. *Indict.* 3. *mense Januario*, 6. *Idus ejusdem mensis, apud urbem Valentinam in domo Basilica Sancti Joannis adjacente; cum propter causam Episcopi civitatis ipsiue criminibus diffamati, ex jussione præfati Pii Principis, Reverentissimi trium Provinciarum Episcopi in unum collecti sesedissent*, &c. His adde Notitiam *Judicati* pro *Ermengardo* Episcopo Urgellensi adversus *Durandum* Abbatem *Sancta Cacilia*, quam in Appendice Actorum Veterum post Capitularia edidit clarissimus *Baluzius* pag. 1545. quæ sic habet: *Domino nostro perpetim Regnante Jesu Christo, anno siquidem ejus sanctissimæ trabeationis post millesimum* 24. *Serenissimi quoque Roberti Francorum Regis* 29. &c. Eamdem Formulam, cum singulari quodam adornamento exhibent Literæ *Wadaldi* Episcopi Helenensis ab eodem *Baluzio* editæ pag. 1535. *Facta Scriptura Donationis* Anno 930. *sub die* 4. *Idus Aprilis, anno* 11. *Quod obiit Karolus filius Ludovici Regis, Christo Regnante, & Regem expectante*. Quam numerandi rationem in multis veteribus Monumentis pariter inveniri, Vir idem clarissimus observat. Anno Christi 1026. Regnante *Henrico I.* eadem Formula usurpata legitur in *Charta de Fontanellis*, quam exhibet *Chronicon Besuense* pag. 561. Tom. 1. Spicilegii Dacheriani. *Actum hoc publice in præfati Sancti Cænobio, & super ejusdem Altare; Regnante Domino nostro Jesu Christo cum Spiritu Sancto in Paterna Majestatis dextera. Anno Incarnationis ipsius* 1026. *Indict.* 4. *Epacta* 20. *pride Kal. Julii*, 4. *Feria III. Luna .... Rege Henrico in sceptris Francorum agente, Hugone vero in Pontificatus honore Ecclesiam regente Sancta Sedis Lingonica*.

Cap. V. Monumentorum Formula, *Regnante Christo*, dum *Philippus I.* rerum summa potiretus, consignatorum exempla percurrit *Blondellus*: In iis sunt, Charta Bellovacensis quæ sic habet: *Actum in ipsa Beati Vedasti Basilica; in præsentia populi & Cleri*, 15. *Kal. Julii, anno Incarnationis Dominica* 1072. *Indict.* 4. *anno Regni Philippi XIII. Episcopatus Domini Guidonis IX. Regnante Domino nostro Jesu Christo per omnia sacula saculorum, Amen*. Acta electionis Gregorii VII. *Regnante Domino nostro Jesu Christo, anno clementissima Incarnationis ejus* 1072. *Indict. & Luna XI.* 10 *Kal. Maii, Feria secunda, die sepultura Domini Alexandri bona memoria Secundi Papa*, &c. Charta Ausciensis quam *Janus a Costa* in Caput *Novit ille*. Tit. *De Judiciis* &c. laudat: *Anno Domini* 1080. *Regnante Philippo, & insuper Domino nostro Jesu Christo*, Charta *Charitatis* ad Ligerim; *Fuit ista Donatio facta anno ab Incarnatione Domini* 1081. *sed* 1085. *firmata, Christo Regnante in calis, Philippo Rege Francorum sceptrum tenente*.

Cap. VI. Monumentorum, Formula, *Regnante Christo*, post obitum *Philippi* I. consignatorum exempla recenset. In iis sunt Privilegium *Paschalis II.* de Investituris anno 1111. *Anno Verbi Incarnati* 1111. *Hoc confirmatum est in Basilica Sancti Petri*, 16. *Kal. Martii, Regnante in calis Domino nostro Jesu Christo cum Patre Æterno & Spiritu Sancto, Amen*. Vita Venerabilis *Roberti de Arbrisello*, anno 1115. die 16. Februarii defuncti, a *Baldrico* Dolensi Episcopo scripta: *In condigno sepultum Mausoleo, Ludovico in Francia Regnante, Paschale Urbis Roma Papatum administrante, Domino autem Jesu Christo Imperante*. Charto Ariensis: *Actum hoc anno Verbi Incarnati* 1169. *Kal. Augusti, per manum Roberti Cancellarii Flandria, & Ariensis Ecclesia Præpositi, Regnante Ludovico Francorum, Imperante semper Domino nostro Jesu Christo*.

Cap. VII Monumentorum, Formula *Regnante Christo*, sub *Philippo II.* ejusque posteris consignatorum dat exempla. In his sunt Vita *Stephani* Diensium Episcopi an. 1213. die 7. Septemb. defuncti: *Conditus est in Ecclesia Beatissima Maria sponsa sua, quemadmodum ipse jusserat, Regnante Domino nostro Jesu Christo*, &c. Jacobi de Vitriaco Epistola ad *Joannem de Nivella*, &c. *Nonis Novembris, Salvatore mundi Regnante, Domino Petro Albanensi Episcopo, Apostolica Sedis Legato solerter vigilante, anno gratia* 1219. *capta est Damiata*, &c. Passio *Sancti Dominici* pueri Cæsaraugustani: *Passus est B. Dominicus mense Augusto, anno Incarnationis Dominica* 1250. *Regnante Domino nostro Jesu Christo*, &c. Charta *Alfonsi* Castellæ Regis e Regesto Burdigalensi: *Factum apud Toletam, regnante Christo*, 10. *Kal. Maii, Æra* 1292. *idest anno* 1254. Ideo autem hanc Formulam in Monumentis apponebant, ut significarent omnia nostra sub Christi Regno geri, ab eo pendere, in ejus nomine fieri, & ad ejus gloriam referri debere: Reges ipsos rerum sub eo dominos se Summi Regis cum populis subditos profiteri, atque hac servitute, quam terrena dominatione fœliciores esse. Hæc observare operæpretium erat, ut pateat futile prorsus argumentum esse, quod ex hac Formula quidam Authores petunt contra supremam & ab Ecclesia seu directe seu indirecte independentem Regum ac Principum, qui ejusdem Ecclesiæ non sunt Beneficiarii, in temporalibus authoritatem.

Decimam apud Reclausas ad se pertinentem, Cœnobio Socri portus, sive Barbellensi, donavit *Philippus Augustus*, ea lege ut Monachi Divina Officia, & Missarum solemnia quæ messium tempore ob laborem & curam temporalium intermittebant, deinceps ab ea necessitate liberi, religiose celebrarent. Diploma ea de re datum anno 1186. edidit *D. Mabillonius* lib. VI. *De re Diplomatica*, cap. 185.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 113. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Beneficia quadam sunt de jure Regia*.

R. Hæc Propositio ibi non legitur. Quorumdam Beneficiorum Collationem ex Ecclesiæ concessione ad Reges Christianissimos pertinere, certum est: nec tamen id ibi scripsi, sed hæc dumtaxat: *Philippus Augustus sacrarum electionum libertati, & Beneficiorum Regii juris collationi providit. Prabendas & Dignitates Ecclesiasticas conferrè jussit viris honestis & literatis*. Mera facti quæstio est.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 119. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Futile argumentum pro exauthoratione Regis durante interdicto, ex Formula, REGNANTE CHRISTO*.

R. Inane re vera nullisque ponderis est. De hujus argomenti levitate Judicium audiant doctissimi Patris *Mabillonii* Monachi Benedictini, lib. II. *De Re Diplomatica*, cap. XXVI. *Caterum*, inquit, *non defuerunt his postremis temporibus qui assererent, Formulam* REGNANTE CHRISTO, *Actis publicis adscriptam fuisse occasione excommunicationis qua Philippus I. ob Berta repudium, & Bertradam superductam semel atque iterum percussus est. Quod quam a vero abhorreat, tam valide ac manifeste demonstrarunt Joannes Beslius & David Blondellus, ut nemo contra obmutire in posterum ausurus sit impune. Idem demonstrat Blondellus de divortio Philippi Augusti ab Ingelburge. Eam porro Formulam Actis sive publicis, sive privatis nulla umquam lege appositam fuisse: sed pro Scriptoris arbitrio vel admissam, vel omissam. Aliquando vero utraque Formula Christi Regnantis & Philippi apponitur in illius temporis Monumentis. Sic Donatio Guillelmi Tiernensis anno MIXXVII. acta ante Regis Divortium*, PHILIPPO REGE HUMANO, ET CHRISTO REGE SUPERNO. Hæc P. Mabillonius. De eo argumento vir eruditus *Franciscus Feu* Doctor Sacræ Facultatis Parisiensis, in Tractatu *De Legibus*, Quæst. IV. Art. IV. pag. 152. *Nullo modo*, inquit, *abdicatus fuit Philippus Interdicti tempore. Interdicti quidem incommoda moleste ferebant Regis subditi: sed non minus*

ideo

ideo Philippi II. addicti erant obsequio. Extant etiam administrationis Regiæ per biennium illud insignia. Anno quippe ipso 1199. Joannes Angliæ Rex Homagium Franciæ Regi Turonis fecit pro Comitatu Pictavensi: & Arturus Britanniæ Dux pro suo Ducatu. Ipse quoque Galliæ Rex Pallium sericum obtulit super Altare Sancti Dionysii. Item anno 1200. pacem composuit cum Rege Angliæ, sicuti referunt Rigordus & Matthæus Parisius ex illorum temporum Chartis. Pariter constat insertum semper fuisse Regis Philippi nomen Instrumentis publicis ut in Chartis Joannis Angliæ Regis, anno 1200. Balduini Comitis, Odonis III. Burgundiæ Ducis; Conventus Ordinis S. Benedicti Bimicicensis, & Hugonis Aurelianensis Episcopi, &c. Et licet quibusdam in Chartis inscriptum fuisset, REGNANTE CHRISTO, non REGNANTE PHILIPPO II. nihil inde sequeretur, ut ostendimus ubi de Philippo I. fuit actum. Hæc eximius Doctor.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 120. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Reges absoluti, qui non sunt Beneficiarii Ecclesiæ, non dependent in temporalibus a Papa.*

R. Reges ac Principes supremos (quos Censores *absolutos* vocant) sive qui non sunt Ecclesiæ Beneficiarii, in temporalibus a Summo Pontifice non pendere, non mea privata Doctrina est, sed Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ.

Nota.

VIdenda quæ infra de indirecta potestate Romani Pontificis in temporalia adnotabo.

CAPUT XI.

De Regibus Hispaniæ, Sæculis XI. & XII.

ARTICULUS I.

De Alfonso V. Veremundo III. Sanctio Majori & Ferdinando I. & Ramiro Aragonum Rege.

Alfonsus V.

I. VEREMUNDO *Podagrico* in Regnum Legionense successit *Alfonsus* filius, puer quinquennis anno nongentesimo nonagesimo-nono. Minorem ejus ætatem rexit *Melendus* Galæciæ Comes, Regnumque eximia fide procuravit, secundum supremam *Veremundi* Regis voluntatem. Ejus filia, nomine *Elvira*, adulto Regi connubio juncta est: ex qua *Veremundum & Sanctiam* procreavit. Sororem *Therasiam Obeydalla* Arabum in Hispania Regi uxorem dedit. Barbari nuptias congressumque virgo castissima detrectavit, nisi prius Christianis Sacris initiaretur. Ipso vitiato, divinitus percussus, illam cum amplis muneribus ad fratrem remisit. Legione in *Sancti Pelagii* Monasterio acceptam ignominiam religiosæ vitæ studiis solata est. Regni Ordinibus Ovetum convocatis, Priscas Gothorum Leges reformavit, Legionem urbem crebris Maurorum insultibus ad casas redactam instauravit, Templum Deo erexit *Sancti Joannis Baptistæ* nomine, Legionensium Regum sepulturæ destinatum. In *Visæ* Lusitaniæ urbis obsidione, quam eripere Mauris cupiebat, sagitta confixus est *Alfonsus V.* anno Christi 1028. Eo regnante: *Attilanus* Legionensis Episcopus, & *Florianus* Presbyter, divini verbi præco eximius, sanctitatis fama celebres fuere. Hæc excerpta sunt ex *Luca Tudensi* in Chronico, *Roderico* Toletano Archipræsule lib. V. *De rebus Hispaniæ*, cap. 18. & 19. *Roderico Sanctio*, Historiæ Hispanicæ parte 3. cap. 23. *Alfonso a Carthagena*, in *Anacephalæosi Regum Hispaniæ*, cap. 67. *Francisco Tarapha*, lib. de origine ac Rebus gestis Regum Hispaniæ, *Joanne Vasæo* in Chronico Hispaniæ. & *Joanne Mariana* lib. 8. cap. 10. & 11.

Veremundus III.

II. Post *Alfonsum* patrem regnavit *Veremundus III.* anno 1028. qui *Sanctio* Castellæ Comiti fatalis fuit. Huic in principatum successit *Garsias* filius, infra annum, in ipsa nuptiarum lætitia peremptus. *Sanctius* Rex Vasconum Castellæ Principatu auctus, Comitis honorem nomenque Regiis insignibus atque appellatione commutavit. *Veremundus* Legionensis Rex, converso ad Religionis studium & pacis artes animo, populos optime gubernabat, cum a *Sanctio* ad arma compulsus est. A quo magnis cladibus affectus, pacem fecit conditionibus Christianæ rei in Hispania commodis. *Sanctia* scilicet *Veremundi* soror *Ferdinando* Vasconum Regis filio pacta est cum Regni utriusque successione. Quidquid in controversiam veniebat, aut eo bello detractum erat, dotis nomine in præsentia datum. Post *Sanctii* mortem violatis pactis *Ferdinandum* sororium de finibus lacessivit. Ad Carrionis ripam in Damorionis valle commisso prælio, *Veremundus* occubuit anno 1038. Hæc ex *Luca Tudensi* in Chronico, *Roderico* præsule lib. V. de rebus Hispaniæ, cap. 20. & lib. 6. cap. 8. *Roderico Sanctio* parte 3. cap. 24. *Alfonso a Carthagena* cap. 68. *Francisco Tarapha*, lib. de Gestis Regum Hispaniæ, & *Joanne Mariana* lib. 8. cap. 12. & lib. 9. cap. 1. discimus.

Sanctius Major.

III. *Sanctius*, rebus militiæ domique præclare gestis *Majoris* cognomen promeritus, Vasconum, Castellæque Rex, Mauros bello lacessivit, attrivitque ditionibus eorum Cordubam usque vastatis. Victoriarum cursum domestica retardavit calamitas; crimen scilicet adulterii a *Garsia* filio nato majori Reginæ impositum, filio altero *Ferdinando* connivente. *Ramirus* Regis etiam filius ex impari matre insontis novercæ vicem miseratus, ejus innocentiam singulari certamine se adversus impios fratres probaturum professus est. Interim Sanctus quidam ex Anegorensi Cœnobio Monachus *cui confessi fuerant se in Matrem falso infamiam congessisse, timens ne in tanto periculo Regina innocens damnaretur, Regi, quæ perceperat, revelavit: & salvatus est Regina sanguis innoxius illa die.* Ita refert Rodericus Toletanus Archipræsul. Quod sane de Sacramentali Confessione non est intelligendum, quam vir sanctus absque sacrilegio revelari non posse novisset. Matri arbitrium de filiis a patre permissum est. Quæ ipsorum lachrymis, Procerumque precibus victa, veniam hac lege dedisse fertur, ut *Garsias* tragœdiæ totius author a Regni Castellæ hereditate excluderetur: *Ramiro* privigno innocentiæ defensæ merces Aragoniæ Regnum esset. *Sanctius*, Monasticæ Disciplinæ, quæ bellorum temporibus, ut usu venit, pessundata fuerat, restaurandæ animum adjiciens, Cluniacenses Monachos in Cœnobia Leirense, Oniense, & Sancti Joannis prope Jaccam, evocavit. *Et ne tantam multitudinem, quantam necesse erat tot domiciliis occupandis evocare ex Gallia necesse esset, providus Rex Paternum Sacerdotem, & duodecim Socios in Galliam dimiserat, ut Cluniacensis Collegii moribus informati, exculti institutis, eam vitæ rationem traducerent in Hispaniam.* (inquit *Mariana*.) Eo regnante, anno 1032. Synodus Pompelonæ habita, de Pompelonensi Episcopo ex Leirensi Monasterio in priscam Sedem reducendo. Leirensibus Monachis potestatem creandi Pompelonensem Episcopum a *Joanne* XIX. Pontifice Maximo se rogante, concessam idem Rex *Sanctius* Diplomate confirmavit. Palentiam urbem instaurasse, ibique designato Episcopo & Successoribus donasse traditur. Ovetum religionis causa profectus, ad Sanctorum corpora, quæ in ea civitate habentur, colenda ex insidiis in itinere interfectus est, die 18. Octobris, anno 1035. Hæc de Sanctio Majori commemorant *Lucas Tudensis*, *Rodericus* lib. 5. cap. 24. & 26. *Rodericus Sanctius* parte 3. cap. 25. *Joannes Vasæus* in fine Chronicorum, *Joannes Mariana* lib. 8. cap. 13. & 14.

Confessionis Sacramentalis inviolabile sigillum.

Rex Sanctius Monasticam Disciplinam restituit.

Ferdinandus I.

IV. *Ferdinandus I.* Castellæ Rex a *Sanctio* patre & *Nunaia* matre designatus, debellato cæsoque *Veremundo*, Legionensi Regno auctus est, & a *Servando* Legionensi Episcopo in Æde sacra *Beatæ Mariæ de Regula* coronatus, decimo Kalendas Julii anno MXXXVIII. Bellum in Mauros confecit, multis victoriis illustre. Arces, urbesque nobilissimæ barbaris ereptæ, quas inter Conimbrica. In ejus expugnatione haud inutiles esse reipublicæ monachos publico documento

Bellum Mauricum.

com-

comprobatum. *Erant* (inquit *Rodericus* Archipræsul) *sub Arabum potestate monachi religiosi in loco arcto, qui Loruanum adhuc hodie appellatur. Hi laboribus manuum insistentes, thesauros frumenti, hordei, & milii, & siliginis, ignorantibus Arabibus conservarant hæc omnia proprio victui subtrahentes. Verum quia protracta obsidio victualibus indigebat, de recessu ab omnibus tractabatur. Sed audientes monachi occurrunt & quæ a longis temporibus conservaram, Regi & obsidioni liberaliter obtulerunt.* Secundum hæc, *Benedetum* Regem, qui Mauris Hispali jura dabat, multis cladibus affectum, vectigalem fecit. Sacrum *S. Isidori* Episcopi quondam Hispalensis corpus, ab *Alvito* Episcopo, ejusdem Sancti præsulis revelatione inventum, Legionem translatum est, atque in templo *S. Joannis Baptistæ* nomini dicato, quod *Ferdinandus* Rex piissimæ conjugis *Sanctiæ* hortatu instauraverat, depositum est. Multa edita miracula. Ædes illa vetus *S. Joannis Baptistæ* nomen, *S. Isidori* appellatione postea mutavit. Anno Christi 1050. Concilium in Castrum Coyacam Ovetensis Diœcesis a *Ferdinando* Rege convocatum est. Ecclesiastica disciplina, & politia civilis tredecim canonibus sancitæ. De isto concilio suo loco egimus. Vasconibus imperabat *Garsias Ferdinandi* frater, quem in Castellæ fines irrumpentem, armis repellere compulsus est. Pugna ad Ataporcam, quod oppidum est sexto decimo ab Urbe Burgis lapide, commissa. *Garsias* repudiata pace, quam ipsi *Ferdinandus*, tametsi viribus longe superior amanter offerebat, a duobus Vasconibus transfugis hasta confossus occubuit anno 1053. Rerum præclare gestarum gloria *Ferdinando* non solum *Magni*, sed Imperatoris etiam appellationem, ultro deferentibus populis peperit. Id Henrico II. Germaniæ Imperatoris movit invidiam. Ad Concilii Turonensis Patres, quibus *Hildebrandus*, *Victoris II.* Pontificis Maximi Legatus præerat, querimonias detulit contra *Ferdinandum*, qui Imperii Romani majestatem offenderet, Imperatoris nomine usurpato. Id ipsi Anathematis interminatione vetitum. Missi ad Pontificem Legati, qui libertatis Hispanicæ causam perorarent. Missus cum numeroso exercitu *Rodericus Diazius*, qui contra Germaniæ Imperatorem illam tueretur. Pontifex *Rupertum*, Tituli *Sanctæ Sabinæ* Cardinalem ejus controversiæ cum Imperatoris Legatis componendæ gratia Tolosam ire jussit; ubi disceptata causa, pro libertate Hispaniæ pronuntiatum est: decretumque Germanis nullum deinceps jus in Hispaniæ Reges fore.

S. Isidori Hispalensis translatio.

Concilium Coyacense.

Ferdinandi cum Henrico II. Imperatore controversia.

Germanis Imperatoribus nullum jus in Hispaniæ Reges

Anno 1056. Concilium Compostellæ celebratum est. Sancitum inter alia, ut Episcopi atque presbyteri Missam quotidie celebrarent: Ut clerici, tempore jejunii & litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur, cilicio induerentur. Hæc ex *Antonii Augustini* Codice *Baronius* Cardinalis ad eumdem annum observat. *Ferdinandus* Rex victor ex Maurico bello rediens, anno Christi 1065. Decembri mense, Christianis expiatus Sacramentis, Legione religiose obiit ad *S. Isidori* sepulchrum. Quo sumpta Eucharistia, cum se deferri jussisset, pias illas ad Deum voces emiserat: *Tua est potentia, tuum est Regnum, Domine: Tu es super omnes Reges, tuo Imperio omnia sunt subjecta: Quod te donante accepi, restituo tibi Regnum. Tantum animam meam in æterna luce jubeas collocari.* Hæc dixit, & positis regalibus ornamentis, Pœnitentiam & Extremam unctionem ab Episcopis accepit, cilicioque indutus, & conspersus cinere, die Sancto *Joanni Evangelistæ* sacra Spiritum Deo reddidit. Ejus in Ecclesias & monasteria munificentiam Historici prædicant. In *S. Facundi* Cœnobio frequens, *Monachorum cibis contentus, pari ordine & consortio, quasi unus ex eis, & Divinis Officiis insistebat, & cibariis regularibus utebatur. Obtulit Cluniacensi monasterio de Regio Fisco mille aureos, annuatim, perpetuo solvendos*, ut *Rodericus* docet. Annos viginti & octo, sex menses, & dies duodecim in Castella simul & Legione regnavit; duodecim annis in Castella tantum, partem patre superstite, partem defuncto. Numerosam prolem reliquit. *Sanctium*, *Alfonsum*, & *Garsiam* filios, *Urracam* & *Elviram* filias. Regnum trifariam divisum filiis legavit. *Sanctio* natu maximo, Castellæ Regnum; Legionis, *Alfonso*, cum nonnullis Galæciæ civitatibus; reliquam Galæciæ partem, & Lusitaniæ ditiones Mauris ereptas *Garsiæ*. *Urracæ* filiæ Zamoram, *Elviræ* Taurum assignavit. Quæ urbes *Infantaticum* appellatæ sunt, voce usurpata ad eam hæreditatis portionem, quæ minoribus Regum filiis vitæ sustentandæ causa obveniebat, significandam. Eorum quæ de *Ferdinando* Rege dixi, Authores habeo *Rodericum* Archipræsulem lib. 6. *De rebus Hispaniæ*, cap. 6. & 11. 12. & 13. *Lucam Tudensem* in Chronico, *Rodericum Sanctium* parte 3. cap. 26. *Alfonsum a Carthagena* cap. 73. *Franciscum Tarapha* lib. *de Regibus Hispaniæ*, & *Joannem Marianam* lib. IX. cap. II. & quatuor sequentibus.

Concilium Compostellanum.

Pius Ferdinandi Regis obitus.

V. *Ramirus*, *Sanctii Majoris* filius, primus Aragonum Rex appellatus, re in Mauros strenue gesta, Cæsaraugustanum & Ilerdensem Regulos vectigales fecit. Oscæ Regem aliquot præliis debellavit. Pallarensem ditionem suo adjunxit Imperio. Eo regnante, anno 1060. ad Jaccam urbem Concilium habitum est, in quo Sacra omnia ex Romanæ Ecclesiæ ritu instaurata fuere. Jaccæ Sedes Episcopalis constituta, quæ Oscæ prius fuerat, statutumque ut quandocumque Osca a Maurorum dominatione eriperetur, illi Jaccetana Sedes subjiceretur, & tamquam filia matrem pie sancteque coleret. Ita referunt *Hieronymus Blanca* in commentariis rerum Aragonensium, & *Hieronymus Zurita* in rerum Aragonensium indicibus. Eodem Rege præsente, habita est Synodus altera apud *S. Joannem de la Pegna*, anno 1062. ut vult *Hieronymus Blanca*: quam tamen Chronologiam difficultate non carere, vir eruditus *G. Gossartius* S. J. in Nota ad hanc Synodum ostendit. A Patribus statutum, Ut Episcopi Aragonenses ex monachis cœnobii illius, in quo habita est Synodus, eligantur. Hoc aliaque decreta præsens *Ramirus* Aragonum Rex confirmavit, cum dirarum interminatione in eos qui illa temere violarent. Fragmentum ex vetusto Codice *S. Joannis* commentariis suis *Blanca* inseruit. In prælio adversus *Sanctium* Castellæ Regem *Ferdinandi* fratris filium cecidit *Ramirus* anno Christi 1063.

Ramirus Rex Aragonum.

Concilium ad Jaccam.

Synodus apud S. Joannem de la Pegna.

ARTICULUS II.

De Sanctio II. Alfonso VI. Castellæ: Et Sanctio ac Petro Aragonum Regibus.

I. SAnctius II. Castellæ Rex, impium ac nefarium in fratres *Alfonsum VI.* Legionis Regem, & *Garsiam* Galæciæ, cupiditate dominandi bellum suscepit. Ad Plantacam commisso prælio, *Alfonsus* magna suorum clade fugatus. Ad Vulpeculariam, oppidum ad Carrionis ripam situm, rursus belli fortunam tentavit: victæ fusæque *Sanctii* Castellæ Regis copiæ. At ille collectis viribus multo mane hostes de prælio nihil cogitantes agressus, partem cæcidit, partem in fugam compulit. *Alfonsus* ipse Carrione in Templo B. Virginis, quo præsidii causa confugerat, captus, missusque Burgos, in ejus urbis arce in custodiam traditus est. Clades illa contigit anno 1071. Inde concedente *Sanctio* Rege eductus, ea lege ut in Cœnobio *Sancti Facundi* Monachum indueret, vestem Religiosam, quam metu, non proposito sumpserat, abjecit; ad Regem Maurorum *Almenonem* Toletum confugit. Interim *Sanctius* fraternum Legionis Regnum occupat. Mox arma convertit in Galæciam, ubi *Garsias* frater natu minimus regnabat. Hic frustra Maurorum auxilia imploravit, alienatis suorum animis. *Sanctius* ad Scalabim urbem ipsi obviam procedens, cæsis ipsius copiis, ipsum ad Lunæ arcem missum, in custodiam tradi jussit. Spoliatis & in ordinem redactis fratribus, sororum quoque hereditatem invadere ferox *Sanctius* decrevit. Primum Zamoram urbem petiit, quæ in *Urraca* potestate erat. Qua in obsidione per insidias occisus est, cum annos sex regnasset.

Sanctius II. Castellæ Rex.

Civile bellum.

II. *Alfonsus* ad Legionis, Castellæque Regna sublato *Sanctio*, revocatus est anno 1073. Post triennium, missus a *Gregorio VII.* Pontifice Maximo Sedis Apostolicæ Legatus *Richardus* Massiliensis Abbas, Syno-

Alfonsus Sextus Rex Castellæ.

Romani Ritus in Ecclesias Hispaniæ introductio.

dum congregavit, in qua secundum Regis voluntatem, Ritu Gothico Sacrorum abrogato, Romanus Castellæ ac Legionis Ecclesiis, totique Hpispaniæ traditus est. Mortuo *Almenone* Toletano Rege, & *Hissemo* filio ejus natu maximo post annum ab obitu patris extincto, in Regnum Mauticum *Hyaiu Alurdibilis Hissemi* fratet succeffit, homo ob ignaviam, impudicitiam, & tyrannidem, Mautis æque ac Christianis exosus. *Alfonsi* Regis ab ipsis imploratum auxilium. Magnis ille delectibus habitis, Mauros, quorum res in Celtiberia & Bætica *Roderici Cidi* virtute

Toleti expugnatio.

jam profligatæ erant, *Almofala* Regulus captus, *Alfugius* victus, Barbari magno numero cæsi, in firmissimo totius ipsorum ditionis propugnaculo, Toleto nimirum, aggressus est. Urbs diuturna & pertinaci obsidione ad deditionem compulsa, octavo Kalendas Junii, anno millesimo octogesimo-quinto. Instaurata Sacrorum religio, *Bernardus* Ordinis Benedictini Monachus, a *Sancto Hugone* Cluniacensi Abbate institu-

Bernardus O.B. Monachus Toletanus Archiepiscopus creatur.

tus, ad *Alfonsum* Regem ab eodem missus Monasticæ Disciplinæ in Hispania restituendæ causa, & *S. Facundi* Cœnobio a Rege præpositus Abbas, Toletanus Archiepiscopus creatus est. Arces, oppida, municipia, magno numero Toletanæ Ecclesiæ a Rege attributa. Anno millesimo octogesimo-octavo; *Bernardus* Archiepiscopus Toletanus Romam pervenit; Pallium, Primatumque totius Hispaniæ & Galliæ Gothicæ ab *Urbano II.* Pontifice Maximo impetravit, per Gallias rediens, viros honestos & literatos ex variis Christianissimi Regni regionibus in Hispaniam secum du-

Viros literatos ex Galliis in Hispaniam ductos Episcopos creat.

xit, quos postea Episcopos creavit. Horum nomina celebrat *Rodericus* Archipræsul. Post annum Toleti habita Synodus, in qua de Gothico Sacrorum Ritu antiquando actum est. Legatus Apostolicus, Archiepiscopus *Bernardus*, Rex *Alfonsus*, uxore suadente *Constantia*, quam ex Regia Galliarum duxerat, in id consilii conspirarunt. Orta inde in Clero & populo antiqui Ritus studiosissimis contentio. Post multam altercationem, militiæ placuit controversiam singu-

Toletana Synodus.

lari certamine dirimi. Qui pro Gothico pugnabat Officio, palmam tulit. Nec tamen victa pars acquievit. Ignis itaque Judicio res permissa est. Officii Toletani & Gallicani Libri, jejunio & oratione præmissis, in ignem projecti. Posterior flammis absumptus. Prior, scilicet Gothicus, illæsus ex igne prosiliit. Rex propositi tenax Gallicanum, seu, quod idem e-

Gothici Ritus in Sacris abrogatio.

rat, Romanum Officium, Ritusque in omnibus ditionibus suis suscipi ac celebrari sanxit lege lata. Hinc locus vulgari Proverbio datus: *Quo volunt Reges, vadunt Leges*. Ita refert *Rodericus* Archipræsul Toletanus. Paulo aliter *Marianus*, sed *Roderico* trecentis annis antiquiori majorem fidem adhibuerim. Altera Synodus anno Christi millesimo nonagesimo primo

Synodus Legionensis.

Legione habita. Præfuit *Rainerius* Cardinalis Sedis Apostolicæ Legatus, adfuit *Bernardus* Toletanus Archipræsul. De Officiis Ecclesiasticis ordinandis, & restituenda disciplina deliberatum est. Gallici Characteres Gothicis communi Decreto substituti. Annis undecimi sæculi reliquis, novemque duodecimi prioribus, continuum gravissimumque bellum adversus Mauros in spem dominationis erectos pristinæ, multamque cladem Hispaniæ inferentes, *Alfonsum* Regem occupavit. E vita migravit anno nono supra centesimum & millesimum, Kalendis Julii, cum annis tribus & quadraginta a morte Patris regnasset. Hoc ipsum elogio exornat Rodericus Ximenius. *Hic fuit strenuitate maxima nobilis, virtute excelsus, gloria*

Alfonsi Sexti Castellæ Regis elogium.

singularis. Abundavit in diebus ejus justitia, finem accepit servitus, consolationem lachryma, augmentum fides, dilatationem Patria, audaciam populus. Confusus est inimicus, obtinuit gladius, cessavit Arabs, timuit Afer. Ploratus & ululatus Hispaniæ usque ad istum mansit absque consolatore: Dextera ejus Præsidium Patriæ, munimentum absque timore, fortitudo sine perturbatione, protectio pauperum, virtus Magnatum. Magnitudo cordis ejus infra angustias Asturiarum non potuit contineri, & elegit laborem individuam comitem vitæ suæ. Rex accrescens Magnanimus Aldefonsus, Rex accrescens sedit, areas ejus confisus in Domino invenit gratiam in oculis Creatoris, magnificavit eum in timore inimicorum, & in populo suo elegit eam zelare fidem, dilatare Regnum, exterminare inimicos, multiplicare Ecclesias, restaurare Sancta, restituere dissipata. De *Sancio II. Alfonso VI.* & *Garsia*, legi possunt *Rodericus* Archipræsul libro 6. *De Rebus Hispaniæ*, a cap. 15 ad 35. *Lucas Tudensis* in Chronico, *Rodericus Sanctius* Parte 3. *Historiæ Hispanicæ* cap. 28. & 29. *Alfonsus a Carthagena in Anacephalaosi*, cap. 74. & 75. *Franciscus Tarapha* lib. *De Regibus Hispaniæ*, & *Joannes Mariana* lib. 9. a cap. 8. ad finem, & lib. 10. cap. 1. & 7.

Sanctius Rex Aragonum.

III. *Sanctius*, *Ramiri* filius patri in Aragoniæ Regnum successit anno ætatis duodevigesimo, Christi millesimo sexagesimo tertio: ditionem suam late amplificavit, oppidis, castrisque plurimis Maurorum tyrannidi ereptis. Pompelonenses, *Sancio*, *Garsiæ*

Pampelonense Regnum Aragonum adjunctum.

Regis filio a *Raimundo* fratre ad Rotam interfecto, eumdem *Raimundum*, e Regni finibus expellentes, ne is apud eos regnaret, qui fraterna cæde pollutus esset, *Sanctio* Aragonum Regi se dedidere. Sic Pompelonense Regnum Aragonensi adjunctum est, in obsidione Oscæ, quam urbem tenebant Mauri, sagitta confossus occubuit, cum filio *Petro* Regnum tradidisset, fidemque ab eo & *Alfonso* fratre, ac Proceribus recepisset, ipsos ab urbe, donec expugnata esset, minime recessuros. Mortem ejus consignant Historiæ nonis Junii, anno millesimo nonagesimo-quarto. Præter *Petrum* & *Alfonsum*, tertium filium ex Christianis nuptiis susceperat, nomine *Ramirum*, quem

Sanctii Regis Aragonum pietas.

divino cultui consecravit, & Cœnobio *Sancti Pontii* Tomeriensis, in Provincia Narbonensi, adhuc puerum obtulit; ubi sub Abbatis *Frotardi* sanctissima disciplina institutus, Vitam Monasticam professus est. Idem Monasterium multis donis auxit Rex piissimus, oblationemque ac donationem scripto Diplomate confirmavit, quod in Rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum Indicibus editum est. Pietatem eximiam spirant hæc Diplomatis verba: *Ego volens placare in omnibus divinitatem, ob immensa beneficia a Deo collata: quoniam debet fœlicitas hominis beneficiis respondere Creatoris: calore Sancti Spiritus succensus, offero ambabus mihi vignas, scilicet Ramirum filium meum Deo, & gloriosissimæ semper Virgini Mariæ, & glorioso Martyri Pontio Cœnobii præscripti, atque Abbati, & Monachis ibidem degentibus in perpetuum, ea videlicet fideli devotione, quatenus sit Monachus secundum Regulam S. Benedicti, prascripti Cœnobii & imploret Domini bonitatem pro me & Matre sua, cunctisque propinquis suis*. Et in fine: *Vos igitur, confratres mei de Sancto Pontio, misereamini amantissimo filio meo Ramiro, quem dono & affero Deo, & prædicto Cœnobio, ea videlicet devotione, & fide, qua obtulit Abraham filium suum Isaac Deo, & Anna Samuel filium suum Sacerdoti Heli, in conspectu Dei, quatenus in Templo Dei semper deserviat: utque ejus exemplo & vita, ac doctrina provocatus, necnon precibus prædicti filii mei ac vestris adjutus, valeam pervenire ad virentis Paradisi gaudia*. Monasterio etiam *S. Joannis De la Pegna* antiqua Privilegia confirmavit, novaque concessit scripto Diplomate. *Do*, inquit, *concedo & confirmo Abbati Aymerico, & Monachis sub eo vel Successoribus suis Deo militantibus, talia Præcepta, & Privilegia, & Decreta, & Libertates, qualia habet Cluniacense Monasterium, de cujus sanctissimo fonte Ordo Beati Benedicti in hoc loco prius manavit. Do, concedo, & confirmo eis etiam Monasteria, & Ecclesias Parochianas, necnon & villas, & cellas, & molendina, & sylvas, & omnia alodia &c. Ut sicut Cluniacenses sunt liberi ab omni jugo humanæ servitutis, ita & isti sint tantummodo servantes debitam reverentiam Apostolicæ Sedi: ut liberi & expediti valeant exorare misericordiam Dei pro stabilitate Sanctæ Dei Ecclesiæ & pro quiete Regni mei, &c.* Diploma describit *Hieronymus Blanca* in Commentariis Rerum Aragonensium.

Petrus Rex Aragonum.

IV. *Petrus* secundum *Sanctiam* Patrem in Aragonia regnavit, in Oscæ expugnationem post ejus obitum majori virium contentione incumbens. In Maurorum ingentes copias, quæ obsessis in auxilium advolabant, ad pagum Alcoracensem acerrime dimica-

Victoria de Mauris reportata.

tum est. Quadraginta millia Barbarorum cæsa, Christianorum vix mille desideratis. Anno millesimo nonagesimo sexto 14. Kal. Decembris hæc parta victoria. Oscenses munitionibus diffidentes, mox urbem

Vi-

Oscæ deditio.

Victori dedidere. Templum Christiano ritu expurgatum, Sedes Oscensis restituta, *Petrus* Jaccetanus Episcopus, Oscensis deinceps appellatus est. *Sancti Victoriani* Martyris corpore ad stativa Castra perlato divinum Numen cœlestemque vim prælio suisse pugnantibus pro religione & libertate Christianis, *Rodericus Ximenius* author est. S. etiam *Georgii* Præsidio acceptas palmas tulere. Aragonici Regni Insignibus celebris illa victoria expressa est ad gentis decus sempiternum. Scuto argenteo punicea Crux apposita, index præsentis Numinis, quatuor capitibus in quadrum redactis, & sanguine delibutis discernitur: capitaque ipsa fasciis cretatis, tamquam diademate devincta, quatuor Reges Mauros eo prælio cæsos testantur. Alia deinde oppida, arcesque Mauris eripuit Rex *Felix*, *Pius*, *Victor*, *Maximus*. His eum titulis Historiæ decorant. Obiit in medio gloriæ cursu, 4. Kalendas Octobris, anno millesimo centesimo-quarto. Hæc ex Indice Rerum ab Aragonum Regibus gestarum, *Hieronymo Blancha*, aliisque probatis Authoribus accepta.

Aragonii Regni insignia.

ARTICULUS III.

De Urraca, & Alfonso VII. ejus filio, Castellæ Regibus: & Alfonso Portugalliæ Primo Rege.

Urraca Castellæ Regina.

Post *Alfonsi VI.* Castellæ Regis mortem, Regnum ad *Urracam* ejus filiam jure devolutum est, quam ex *Constantia* susceperat. Hæc primum nupserat *Raimundo* Comiti, Burgundi Comitis fratri, cui filium pepererat *Alfonsum*. Post ejus obitum *Alfonso* Aragonum Regi fuerat collocata. Is collecto exercitu, cum *Urraca* uxore statim in Castellam properavit, ejus hereditatem recepturus. Amplissimi Regni possessionem iniit; urbibus, arcibus, atque præsidiis Præfectos ex Aragonia gente dedit, Procerum Castellæ voluntatibus diffidens: Regnum pacifice moderatus est, a Maurorum incursibus fortiter defendit, fines propagavit. Repudiata non multo post ob furtivas libidines, & ob affinitatem matrimonium dirimentem, *Urraca*, Castellæ Regnum repetiit, & Castellanos, Legionenses, Calæcos, in verba sua adegit. *Alfonsus* Rex Aragonius, Imperii totius Hispaniæ obtinendi avidus, in Calæcos & Castellanos arma movit; eorum exercitum fudit. Cæsus in prælio *Comitius* Comes, Reginæ Amasius. *Petrus de Lara* Comes, & Amasius alter, extincto Rivali, totos sibi *Urracæ* amores vendicabat, ac nuptiarum securus, jam Regem agebat insolens. Indignati Proceres, *Alfonsum*, *Urracæ & Raimundi* Comitis, prioris mariti, filium, Regem salutarunt. *Petrus Lara* pulsus, Barcinonem fugit. *Urraca* in Legionis arce obsessa, conditionem illam pacis accipere coacta est, ut redditibus unde vitam sustentaret designatis, Regnum ipsa filio cederet.

Alfonsus Septimus Castellæ Rex.

II. *Alfonso VII.* ad Castellæ ac Legionis Regna Procerum populique eximia voluntate evecto, ingentem contrahere exercitum opus fuit ad Aragonii Regis frangendos impetus. Terribilis in utraque gente belli apparatus: insignis omnino Christiano clades parabatur, utravis parte vincente, victave. Maurorum incrementis intestina bella locum dabant. Id cum mature considerassent utriusque Regni Præsules, pacem ab Aragonio rogarunt, utque *Alfonsum* filii loco haberet, eique maternas ditiones restitueret, aliquo terrarum tractu, cujus ad Regnum Vasconum jus pertinere disputabatur, retento, fœliciter impetravere. Pax Hispaniæ adeo salutaris anno millesimo centesimo vigesimo-secundo sancita est. Dum his, quas diximus, dissensionibus ac bellorum procellis Castellæ & Aragoniæ Regna jactarentur, *Raimundus Arnaldus* Barcinonensis Comes Genuensium & Pisanorum confœderatorum auxiliis, Mauris Baleares Insulas occupantibus bellum intulit, urbem in majori Baleari præcipuam expugnavit anno millesimo centesimo decimo-quinto. At diuturnus non fuit victoriæ fructus. Barbaris enim in Barcinonenses fines invectis, omniaque populantibus, Comes domestico evocatus periculo, Balearibus fidei Ligurum commissis, in continentem trajecit. Mauros a Barcinonis obsidione depulsos magno numero fudit, debellavit. Interim Ligures Maurico auro corrupti, Baleares Insulas Barbaris reliquere. *Alfonsus VII.* Castellæ Rex, Imperator appellatus, Mauricum & Lusitanicum bellum gloriose confecit. Maurico Barbaris eripuit Cauriam urbem, regionemque universam quæ Ana & Tago Fluminibus continetur, populatus est. Plures urbes arcesque, variis expeditionibus Mauris ereptæ. Lusitanicum, in quo ancipiti marte pugnatum est, pax finivit ab *Alfonso* Imperatore Lusitano Comiti roganti concessa, iis, quas voluit, conditionibus. *Alfonsus* pariter vocabatur, *Henrici* Lotharingi Lusitaniæ Comitis, & *Therasiæ Alfonsi VI.* Castellæ Regis filiæ, quæ viro dotalem Lusitaniæ Comitatum attulerat, soboles. Mortuo *Henrico*, qui ditionis fines propagaverat, lacessitis pulsisque multis ex Præsidiis ac Civitatibus Mauris; Ecclesiæque statum, restitutis, *Bernardi* Toletani Archipræsulis opera, Sedibus Episcopalibus composuerat; *Therasia Ferdinando Poncio* Trastamaræ Comiti copulata est, impari certe matrimonio. *Alfonsus Henrici & Therasiæ* filius, major factus arma adversus vitricum arripuit. Signis collatis, vicit. *Ferdinandus & Therasia* in ejus potestatem venere. Ille Portugalliæ finibus pulsus: ista in custodiam tradita, *Alfonsi* Castellæ Regis opem imploravit. Adfuit ille miseræ captivæque matri contra filium. A Lusitanis victus, majori pertinacia bellum redintegrabat; Guimarane obsessa, qua se *Alfonsus* Comes continebat: Sed *Ega Nunnio*, qui minorem Comitis rexerat ætatem, pacem rogante, obsidio a Rege soluta est, anno millesimo centesimo vigesimo-sexto. Eodem anno *Urraca* Regina, & *Bernardus* Toletanus Archipræsul obiere. *Bernardo* successit *Raimundus* Uxamensis Episcopus.

Bellum Mauricum & Lusitanicum.

Synodi Palentina & Legionensis.

Palentiæ Synodus habita anno millesimo centesimo vigesimo-nono. Præter alia sancitum, ne oblationes aut decimæ excommunicatorum recipiantur: Ne Ecclesiæ Laicis præstimonii aut villicationis prætextu conferantur. Alteram Legione Synodum habuit *Humbertus* Cardinalis Sedis Apostolicæ Legatus: in qua de Regis conjugio cum *Berengaria*, *Arnaldi* Barcinonensis Comitis filia disceptatum est, quod propter cognationem irritum esse quidam objiciebant. Re discussa, Patres pronuntiarunt, Regem nullo cognationis gradu Canonibus vetito uxorem attingere.

Alfonsus Septimus Hispaniæ Imperator appellatus.

Mortuo *Alfonso I.* Aragonum Rege, omnem contra Iberum amnem Aragoniæ tractum occupavit. *Garsias*, quem Vascones Pompelone Regem creatrant, se *Alfonsi Regis* Beneficiarium professus est. Exinde Antistitum Procerumque Conventu Legione habito, Imperatoris nomen & insignia *Alfonso* Regi delata sunt, anno millesimo centesimo trigesimo-quinto. *Petrus Venerabilis* Cluniacensis Abbas, *Innocentio II.* supplicans, ut Salmanticensem Episcopum *Berengarium* Compostellam transferri permittat, *Alfonsum* Hispaniæ Imperatorem vocat. *Imperator Hispanus*, *Magnus Populi Christiani Princeps*, *devotus Majestati vestræ filius*, &c. Epistolam trecentesimam primam, *Sanciæ Sorori Imperatoris Hispaniæ* (Alfonsi nimirum) *S. Bernardus* inscripsit. Bellum in Bætica adversus Mauros, cum *Raimundo* Aragonio & *Garsia* Vascone Regibus confœderatis ac beneficiariis, non minori fœlicitate quam fortitudine confecit *Alfonsus* Imperator anno millesimo centesimo quadragesimo-septimo. Corduba ab *Avengamia* Regulo dedita est. Beatia & Almeria nobiles civitates captæ. Ab altera contra Mauros expeditione rediens, in itinere obiit *Alfonsus* die 21. Augusti anno 1157. ætatis quinquagesimo-secundo, cum annos circiter quinque & triginta regnasset. In Ecclesias & Monasteria, Cisterciensis præsertim Ordinis munificentissimus fuit. *De Alfonso VII.* legimus *Rodericum* cap. 3. 4. 7. 8. 11. *Lucam Tudensem* in Chronico, *Zuritam* in Indicibus Rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum, libro 1. *Marianam* libro 10. *Rodericum Sanctium*, *Carthagenam*, & *Tarapham*.

Alfonsus Rex Lusitaniæ.

III. *Alfonsus* Portugalliæ Comes, anno Christi millesimo centesimo trigesimo-nono, contractis undique ex tota ditione copiis, in Maurorum fines popula-

bundus penetravit. *Ismar* & quinque alii Reguli, numeroso cum exercitu ipsi obviam venere. Commissa pugna, cum pridie Lusitani milites *Alphonsum* in Castris Regem proclamassent, Mauri magno numero trucidati, plerique capti, victoria penes Lusitanos stetit. Quinque Regulorum signa victores abstulere. Hinc Regum Lusitaniæ Insignia in clypeo cæruleo quinque alia scuta minora esse cœperunt. Secundum celebrem illam pugnam, Scalabim ad Tagi ripam occupavit: Sintram municipium ad Promontorium Artabrum expugnavit; Olysiponem urbem totius Lusitaniæ nobilissimam diuturna, & acri fractam obsidione in potestatem redegit, anno millesimo centesimo quadragesimo-septimo. *Malfadam*, *Maurici Lara* Molinæ Reguli filiam uxorem duxit. Quo ex conjugio nati sunt *Sanctius*, *Urraca*, & *Therasia*, *Philippo* Flandriæ Comiti olim collocata. Jam ætate gravis, Almohades a Scalabis obsidione depulit, fuditque. Obiit Rex fortissimus & pissimus, Lusitanici Regni conditor, multorum Monasteriorum ac Templorum fundator munificus, anno 1185. ætatis nonagesimo-primo, die sexta Decembris. Inter Monasteria ejus munificentia extructa præcipuum est Conimbricense *Sanctæ Crucis*, cui Leiram oppidum ea tempestate Mauris ereptum dono dedit. Eo in Cœnobio sepultus est. Alcobatiæ Monasterium Cisterciensis Ordinis, ex Maurici belli manubiis extruxit, anno 1147. Legantur *Rodericus Ximenius* lib. 7. de Rebus Hispaniæ, capp. 5. & 6. & *Mariana* lib. 10. capp. 13. 17. 19. lib. 11. capp. 15. & 16.

ARTICULUS IV.

De Alfonso Bellatore, Ramiro II. & Raimundo Berengario, Aragoniæ Regibus.

Alfonsus Rex Aragonum.

I. ALfonsus Aragonum Rex Bellator & Imperator nuncupatus, *Sanctii* Regis filius, *Petri* Regis Frater, *Urracæ* Castellæ ac Legionis Reginæ conjux, fraterno jure Aragonum, Pompelonæ, Suprarbiæ, ac Riparcutiæ Regna adeptus, multa ditionibus adjecit oppida Mauris erepta. Cæsaraugustam, totius Maurici Imperii viribus propugnatam, in potestatem redegit, Francis suppetias ferentibus. Quadringentos ferme annos ejus urbis potiti fuerant Mauri. Sexdecim omnino Cæsaraugustanos Maurorum Regulos ab Hispaniæ clade ad hæc tempora *Hieronymus Blanca* in Aragonensium rerum Commentariis enumerat. *Petrus Librana* Cæsaraugustanus Episcopus consecratus est. Magistratus Urbani a Rege constituti. Nam antea militari fere modo Judicia ibi exercebantur. Ab antiquo illo Judiciorum more ducta fuisse duo illa Aragonensium Legum capita conjicit *Blanca*: Primum, *Quod in Aragonia omne tenearur Jure Militari; ac quasi in procinctu, minime aliis Juris Civilis solemnitatibus expectatis*. Alterum: *Quod in omnibus chartæ, id est, publicæ scripturæ standum est, nisi contineat aliquid quod fieri nequeat, vel sit contra jus naturæ*. Cæsaraugustæ expugnationem Æra 1153. id est, anno Christi 1115. contigisse probat laudatus Author ex Archetypo Privilegio eidem Urbi ab Alfonso Rege, cum eam vendicavit, concesso, quod ex Tabulario Cæsaraugustanæ civitatis eruit.

Cæsaraugustam expugnat.

Bellum contra Mauros gloriose conficit.

Secundum hæc Celtibericum & Ilergeticum bellum ab *Alfonso* Rege contra Mauros gloriose confectum est. In Celtiberia, Calatajubium deditione receptum. Darocenses subacti. Urbs cui Monti Regali nomen ad Silocæ amnis salientis edito loco ædificata, & Religiosis Equitibus *S. Joannis Hierosolymitani* attributa. In Ilergetibus, Alcolea oppidum expugnatum, Medina Zelimi urbs altera in Celtiberum & Carpetanorum confiniis capta: Maurorum ingentes copiæ, quas Cordubensis Rex contra Aragonios duxerat, ad Arinzolum fusæ. Undecim Maurorum Regulos eo prælio ab *Alfonso* Rege superatos, Annales tradunt. In obsidione Fragæ a Mauris confossus *Alfonsus* Rex occubuit anno Christi 1134. S. Joannis Hierosolymitani & Templariis Equitibus Regna testamento reliquit, legitimo deficiente hærede. Testamentum viribus caruit, quod Regnorum Juribus Rex moriens derogare minime potuisset. Aragonies ac Navarrenses Regni Proceres Comitia ad eligendum Regem indixerunt. Dissensione facta, Navarrenses Pompelonam profecti, *Garsiam* Montionis Dominum Regem salutarunt. Hoc pacto Navarræ Regnum ab Aragonensi, tunc sejunctum est.

Testamentum Regis contra jura Regni irritum.

II. Aragonenses *Ramirum Alfonsi* fratrem, in cœnobio Tomeriensi Ordini Benedictino ab infantia dicatum, & ad Burgensem, Pompelonensem, & Rosensem Episcopatus successive assumptum, Regem crearunt. Ejus diploma ex publicis tabulis *Zurita* laudat, quo se Octobri mense Barbastri in Regno paterno & Cæsaraugustano regnare testatur, & se *Regem & Sacerdotem* nuncupat. *Aragonii veriti* [*ut ferunt*] *ne deficiente Ramiri Regis stirpe, externo dominatui parendum esset, admituntur, uti Ramirus a Pontifice Maximo Sanctionibus canonicis solutus, quod pene infans votorum damnatus esset, & ita e Republica videretur, uxorem duceret. Ducit acta ferme ætate Agnem Gaillelmi Pictonum Comitis, Aquitaniæ ducis sororem*. Ita *Zurita*. Cui *Hieronymus Blanca* consentit. Susceptam ex eo matrimonio *Petronillam* asserunt, quæ *Raimundo* Barcinonensi Comiti collocata est, eique dotale attulit Aragoniæ Regnum. Pontificiam illam dispensationem fabulæ simillimam suspicor, quam *Zurita* ipse haud certo asserit, hac verborum cautione usus [*ut ferunt*] Et; *Quod confirmare liquido haud possum*. Præterea de Pontifice a quo hujusmodi concessa fertur dispensatio, non conveniunt Scriptores: quidam ab *Anacleto* Pseudopontifice, alii ab *Innocentio II.* datam tradunt. Tertio, Principem fœminam, quam uxorem duxit, quidam *Agnetem*, alii *Mathildem*, alii *Urracam* nominant, Quidam sororem, quidam filiam Ducis Aquitaniæ fuisse docent. Quarto, nullum sive Antipapæ *Anacleti*, sive legitimi Pontificis *Innocentii II.* diploma hac de re profertur. Quinto etsi monachum a votis absolvisset Pontifex, aut irrita vota declarasset, quæ forsan summa libertate non emiserat, quis sibi persuadeat ipsum Episcopo indulsisse ut uxorem duceret ac filios procrearet? Ubinam in tota Antiquitate Ecclesiastica exemplum tam insolens? Rem in dubio *Mariana* relinquit lib. 10. cap. 15. *Romani Pontificis venia* [*sic credimus*] *ut Rex conjux, & Sacerdos idem esset, impetratum*. Ut ut est, ab *Alfonso* Castellæ, & *Garsia* Navarræ, Regibus, armis lacessitus est *Ramirus*. Pacem aliquot oppidorum, & totius regionis, quæ Roncavallæ Biozalem usque continetur, cessione ad vitam, a *Garsia* redemit. Deinde *Raimundo* Barcinonensi Comite authore, pacem init cum Castellæ Rege. Una ex conditionibus fuit, ut Cæsaraugustanum Regnum beneficiario jure ab *Alfonso* teneret *Ramirus*. *Petronilla* (ut ajunt *Ramiri* filia obses data, & Regis utriusque consensu pacta *Raimundo* Comiti; eidemque paulo post cum Regno tradita a *Ramiro* patre. His omnibus constitutis, ad pristinum vitæ institutum rediisse fertur; in *S. Petri* Oscensi Ecclesia reliquum vitæ tempus exegisse. *Illud tamen omnibus dignum admiratione videri debet*, inquit Zurita, *tam celeri conversione rerum peragi hæc potuisse: ut vix trium annorum spatio decurso, Ramirus & Regnum hæreditarium adierit, uxorem duxerit, filiam ex eo matrimonio susceperit, generu nuptui tradiderit, & regni administratione cesserit*. Verius dicamus, illud esse incredibile, & commento simillimum.

Ramirus Episc. ex Monasterio assumptus, Rex Aragonum.

Fabula est quod Pontificia dispensatione nupserit.

III. Cataloniæ principatum Aragoniæ regno, quod uxorio nomine obtinebat, *Raymundus* Barcinonensis Comes, adjunxit. *Pontius Hugo* Emporitanus Comes, *Raymundo* Regi adversus *Roccabertinum* Vicecomitem militavit. Castra Carmenzonis & Roccabertini oppidorum diruta. Bellum terra marique adversus Mauros in Ilergaonibus a Rege gestum, Dertosa urbs munitissima, Ilerda, & Fraga, in deditionem acceptæ. *Lupus* Murciæ Regulus Maurus, vectigalis factus. Bellum deinde adversus Baucios confectum. Trencatajum municipium expugnatum. Obiit anno Christi 1162. 8. Idus Augusti. *Alfonsum* filium Regni heredem, sub *Petronilla* Reginæ matris tutela, reliquit. Hæc ex *Zurita* in indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum, lib. 1. & *Hieronymo Blanca* in Aragonensium rerum commentariis didiscimus.

Raymundus Berengarius Rex Aragonum.

Nota

Nota.

POst ea, quæ supra P. Natalis scribit de Innocentio II. adnotavi quæ verosimiliora putavi de dispensatione Ramiro II. concessa, ut uxorem duceret.

ARTICULUS V.

De Sanctio III. Castellæ; Ferdinando Secundo, & Alfonso, Legionis; Alfonso VIII. Castellæ, Alfonso II. & Petro II. Aragoniæ, & Sanctio Lusitaniæ Regibus.

Sanctius Tertius Rex Castellæ.

I. ALfonso Imperatore defuncto, *Sanctius & Ferdinandus* ejus filii, ditiones, prout Pater coostituerat, diviserunt. *Sanctius* natu major Castellam & contributas provincias obtinuit; *Ferdinandus* Legionis regnum & Calæcos. *Sanctium* Vasconum Regem, qui Burgos usque prædabundus penetrarat, misso cum exercitu *Pontio* Minervæ Comite, debellavit. Fusæ præliis duobus Vasconum copiæ. *Pontius* Comes, aliique Legionensis regni Proceres, a *Ferdinando* Rege male habiti, bonisque spoliati fuerant. In fratrem bellum parabat *Sanctius* ut ad restitutionem cogeret, cum ille fraterno se arbitrio permisit, ipsum absque armis conveniens, & ad ejus nutum se *Pontio* Comiti, cæterisque restituturum & majoribus honoribus illos cumulaturum pollicitus. *Sanctius* Rex immatura morte, ob quam ipsi *Desiderato* nomen, pridie Kalendas Septembris, ejusdem anni 1158. sublatus est in procinctu belli quod in Mauros Bæticam infestantes supremo conatu parabat. Regnavit annum & dies undecim. Ex *Blanca* uxore, *Garsiæ* Regis Navarræ filia, quadriennem filium reliquit *Alfonsum*, quem *Guterrii Ferdinandi Castri* curæ commendavit. *Sanctius Rex nobilium clypeus, pater pauperum, amicus religionum, defensor viduarum, tutor pupillorum, justus Judex omnium, a Roderico* Toletano Archipræsule prædicatur.

Ferdinandus secundus Rex Legionis.

II. Cum de Rege puero educando, Regnique procuratione, inter Castrios, Larasque, Castellæ principes familias dissidium ortum esset, Regnumque universum in partes traheretur; *Ferdinandus* Legionensis Rex, injuriam sibi factam causatus, quod se neglecto, aliis nepotis Regis educatio Regnique fraterni procuratio credita esset, correptis armis in Castellæ fines irruit, urbes & oppida aut vi aut deditione passim occupavit, ipsa etiam Urbe Regia Toleto potitus est: quæ tamen adulto Rege, ad ejus obedientiam rediit. *Ferdinandum* pium, hilarem, liberalem, strenuum, benignum, in præliis fortunatum, erga Monasteria & Ecclesias ita devotum, ut eis fere omnia Regalia largiretur; adeo communem omnibus, ut tamquam Regularis, in mobilibus fere proprium non haberet, *Rodericus* Archipræsul scribit. Sed eximias animi dotes regnandi libidine contaminasse visus est, præsertim Castellæ Rege minorenni. Obiit anno 1188. cum unum & triginta annos regnasset. Ex *Urraca* Regis *Alfonsi* Portugalliæ filia suscepit *Alfonsum* filium, quem Regni reliquit heredem. Is *Therasiam* primum *Sanctii* Lusitani Regis filiam uxorem duxit. Deinde *Therasia* jussu Romanorum Pontificum, præsertim *Innocentii III.* ob propinquitatem repudiata anno ducentesimo supra millesimum, *Berengariam Alfonsi* Castellæ Regis filiam in ejus locum ascivit. *Ferdinandi* Legionensis Regis tempore florebat *Martinus* Monachus & Presbyter sanctimonia & eruditione clarissimus Legione in *Sancti Isidori* Cœnobio. Multos libros scripsit huc usque ineditos.

Alfonsus Octavus Castellæ Rex.

III. *Alfonsus VIII. Sanctio* patri in Castellæ Regnum successit. Anno ætatis undecimo, salutis millesimo centesimo sexagesimo octavo, Regnum lustravit, Procerum qui ab ipso stabant consilio, cohorte præsidiaria centum quinquaginta Equitum Abulensium stipatus. Toletum urbem Regiam in fidem recepit, *Ferdinando Castrio* in fugam dato; urbesque alias & oppida præsidiis vacua occupavit; aliis in *Castrii* fide remanentibus, & Regis ætatem illegitimam excusantibus. An. Christi 1170. Castellæ Comitia Burgis habita, Proceres ad arcium & oppidorum, quæ minorenni Rege tenebant, deditionem compulsi, nulla causantum excusante, quoniam Rex annum ætatis decimumquintum attigerat, Patris testamento legitimum. *Ferdinandus Castrius*, traditis quæ in potestate retinebat, solum vertit & ad Mauros confugit. Bellum in *Ferdinandum* Legionensem Regem, nisi ereptas nepoti Regi *Alfonso* ditiones restitueret, decretum est. De nuptiis Regis actum. *Eleonora Henrici II.* Angliæ Regis filia ipsi destinata, & missa legatione impetrata. Anno circiter millesimo centesimo septuagesimo quinto, *S. Jacobi* Militia instituta est.

Militiæ S. Jacobi institutio.

A *S. Eligii* prope Compostellam Canonicis Regularibus, & *Petro Fernando a Ponte Encalato* cœptus Ordo, quem *Alexander III.* confirmavit, certa vivendi ratione Militibus præscripta, & optimis institutis temperata. Ad hanc Militiam ipsæ fœminæ admittuntur, conjugii sublata facultate, nisi Magister nubendi veniam concesserit. Insigne Militiæ crux rubra in gladii militaris modum conformata, quam vesti candidæ contextam habent. Primus Ordinis Magister *Petrus Fernandus*. Hæc ex *Mariana* lib. 11. cap. 13. *Alfonsus* Castellæ Rex, Vasconibus & Legionensibus bello castigatis, inito cum Aragoniæ Rege fœdere, arma in Mauros convertit. Concha urbs prævalida in Celtiberiæ finibus post diuturnam gravemque obsidionem expugnata anno 1177.

Bellum Mauricum.

Alarconium deinde oppidum & Ecclesia in potestatem venere. Eodem anno Placentia urbs in Regni finibus ædificata, & Episcopatu illustrata est. Plura oppida *S. Jacobi* & *Calatravæ* Militibus Rex dono dedit. Anno 1192. Castellæ Comitiis Carrione habitis, de pace cum Legionis & Vasconum Regibus concilianda actum est, bellum in Mauros decretum; *Martino* Toletano Archipræsuli mandatum, cum militari manu Bæticæ arma inferre. *Martinus* in illius Provinciæ agros invectus, domos, oppida, agros Maurorum vastavit, incendit, deformavit, incolumique, & præda gravi exercitu rediit in patriam. Mauri ex Africa ad opem suis ferendam advolarunt, Alarcum oppugnavere. Huc accurrit Castellæ Rex *Alfonsus*. Commissa pugna, Christiani Barbarorum multitudine oppressi; qui victoriam, urbemque obtinuere. Clades ea contigit anno 1195. Fœlicior fuit sacri belli ab eodem *Alfonso* post aliquot annos suscepti exitus; de quo Sæculo sequenti dicemus & de reliquis ejusdem Regis gestis. Vixit enim ad annum usque millesimum ducentesimum decimum-quartum. De prædictis Castellæ & Legionis Regibus legendi *Rodericus Ximenius* lib. 7. *Lucas Tudensis* in Chronico, *Rodericus Sanctius*, parte 3. Hispaniæ cap. 23. 33. & 34. *Alfonsus a Carthagena* in Anacephalæosi Regum Hispaniæ cap. 78. 79. 80. & 81. *Franciscus Tarapha* lib. de Regibus Hispaniæ, & *Joannes Mariana* lib. 11.

Alfonsus Secundus Rex Aragonum.

IV. *Alphonsus Raimundi* Barcinonensis Comitis & Regis Aragonum ex *Petronilla* Regina filius post obitum patris in Aragonia imperavit. *Casti* cognomen ob continentiam, matrimonii jus integrum semper servantem, promeritus est. *Sanctium Alfonsi* Hispaniarum Imperatoris filiam uxorem duxit. Ex ea filios habuit, *Petrum*, *Alfonsum*, *Sanctium*, & *Ferdinandum*; filias, *Constantiam*, primum *Emerico* Ungariæ Regi, post ejus vero mortem *Frederico* Imperatori collocatam; *Eleonoram* & *Sanctiam*, quæ duobus Comitibus Tolosanis nupsere, & *Dulciam* quæ inter sacras Virgines Monasticam vitam professa est. Regnum amplificavit *Alfonsus*, Ruscinonensi Comitatu, & Marchionatu Provinciæ suæ ditioni adjunctis. Expugnatæ Turolio novas Sepulvedæ Leges concessit; arcesque multas Mauris eripuit. Perpiniani diem obiit, anno Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto. *Petrum* ex liberis natu maximum Regni Aragoniæ, Principatus Cataloniæ, Ruscinonensis & Palliarensis ditionum heredem instituit: *Alfonsum* Provinciæ, Aimiliano, Gabaldano, & Rhodensi Comitatibus donavit; *Ferdinandum* in Populeti Cœnobio, quod a patre fundatum ipse perfecerat, Cisterciensem Ordinem profiteri placuit. Hæc ex *Zurita* in Indicibus Rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum lib. 1. *Hierony-*

ronymo *Blanca* in Commentariis Rerum Aragonensium, & *Hieronymo Paulo* in Serie & Elogiis Regum Aragoniæ.

Petrus II. Rex Aragonum.

V. *Petrus II.* cui *Catholici* cognomen, tutelæ *Sanctia* Reginæ matris creditus, donec annum ætatis vigesimum attigisset, Septembri mense habitis Darocæ Comitiis, Regni possessionem adiit. Regni exordio, Mauri, qui Carpetaniam populabantur, & Concam obsidere ausi erant, repellendi fuere. Dissidium cum matre Regnum paulisper turbavit. Concordia *Alfonso* Castellæ Rege arbitro sancita est anno Christi millesimo duecentesimo. Quæ deinceps a *Petro II.* Aragonum Rege sunt gesta, sæculo 13. cujus ad Historiam pertinent, exponemus.

Sanctius Lusitaniæ Rex.

VI. *Alfonso* Patri in Lusitaniæ Regnum successit *Sanctius*. Is magnas Mauris clades intulit, Sylvensemque urbem ad Promontorium Sacrum illis eripuit, Regni fines dilatavit. *Dulciam*, filiam *Raimundi Berengarii* Aragonum Regis & *Petronillæ* Reginæ duxit uxorem: ex qua suscepit *Alfonsum* Regni heredem, *Fernandum*, *Petrum*, *Henricum*, *Tarasiam*, *Mahaldam*, *Sanctiam*, *Blancam*, *Berengariam*. Obiit an. 1212. *Vir magna prudentiæ, & strenuus in agendis*, ab Archipræsule *Roderico* prædicatur. Lege *Duardium Nonium*, lib. *De vera Regum Portugalliæ Genealogia*.

CAPUT XII.

De Regibus Angliæ XI. & XII. Sæculo.

ARTICULUS I.

De Irruptione Danorum in Angliam.

Ethelredi Regis crudelitas.

Undecimo ineunte Sæculo, Anglis imperabat *Ethelredus*, cujus ignavia sævitiaque Regno exitiales fuere. Pacem a Danis continuo pene bello Insulam lacessentibus annui pactione tributi redemit. Nec multo post Danos omnes, quotquot in Anglia degebant, una die perimi jussit perfidus crudelisque Princeps. In mulieres quoque alvo tenus sub terra defossas, immissis in eas ferocissimis canibus, qui mammillas ipsarum lacerarent, horrendam exercuit carnificinam. Lactentes pueri ad domorum postes elisi, & excerebrati. *Suvenus* Rex Danorum injuriam ulcisci decrevit justo bello Anglis illato. Classem instruxit validissimam, ingentem exercitum in Angliam traduxit, urbesque ac Provincias ad defectionem pronas subegit. Soli pene Londonienses fidem Regi servarunt.

Cantuaria a Danis expugnata.

Anno millesimo ondecimo Cantuaria obsessa & a Barbaris expugnata est, incendioque & cædibus deformata. Qui Cantuariensis Ecclesiæ Sacris tum præerat *S. Elphegus*, ab ipsis in carcerem conjectus est. Dani LX. argenti talenta ab Archipræsule Sanctissimo postularunt, ut vitam ac libertatem redimeret, & ducenta a Rege procuranda pro redimenda pace. Rem impossibilem exigi respondit *Elphegus*. Suadebant amici ut hanc pecuniam ex Ecclesiæ thesauris colligeret. Negavit ille se facturum, potius mortem perpeti eligens quam Ecclesiasticas possessiones diripere, quæ sunt patrimonia pauperum, & Regi suadere rem ejus Majestati & patriæ indecoram. Quamobrem a Barbaris dire cruciatus 19. Aprilis anni 1012. Sabbato post Solemnitatem Paschalem securi percussus, Martyr occubuit. Ex Bathanici Monasterii Abbate Ordinis Benedictini, Wintoniensis primum Episcopus creatus fuerat, deinde ad Cantuariensem Archiepiscopatum translatus anno sexto supra millesimum. Vitam ejus scripsit *Osbernus* Cantuariensis Ecclesiæ Monachus. Edita est inter acta Sanctorum mensis Aprilis a PP. *Henschenio & Papebrochio* S. J. Tom. II. *Lanfrancus* anno 1070. ordinatus Archiepiscopus, apud *S. Anselmum* tunc adhuc Abbatem in Normannia Beccensem, postea illius in Sede Cantuariensi Successorem scrupulum movit, utrum recte coleretur ut Martyr. Ipsi Martyris coronam, nomen & cultum asseruit *S. Anselmus*, quod pro justitia passus esset, ac ne scandalum paterentur Christiani, si Ecclesias pro redemptione vitæ suæ spoliaret. Rex Danorum *Suvenus* sacrilegiorum, & cædium pœnas dedit, a *S. Edmundo* Rege apparente confossus. Miserabilem hujus Tyranni mortem ad annum 1014. referunt *Rogerius Hovedenus*, *Simeon Dunelmensis*, *Florentius Wigorniensis*, *Radulphus de Diceto*, *Joannes Bromton*, &c. Extincto *Suveno*, *Ethelredus* Rex qui cum *Emma*, uxore & communibus liberis *Eduardo* & *Alfredo* in Normannia ad *Richardum Ducem* fugerat, ab Anglis revocatus est. *Cnutus* seu *Canutus Suveni* filius Rex a Danis salutatus, anno 1015. in Angliam irrupit, quam mortuo *Ethelredo* Rege, ac *Edmundo* ejus filio debellato, *Edrici Streone* Ducis Merciorum & Comitis Salopiæ, patriæ proditoris qui ad ipsum defecit, auxiliis omnino subegit.

S. Elphegi Cantuariensis Archiepiscopi Martyrium.

ARTICULUS II.

De Cnutone seu Canuto Danorum & Anglorum Rege.

Anno 1017. *Canutus* Regnum injuste partum civiliter & magna cum justitiæ moderationisque laude regere cœpit, *Edmundi* occisoribus, & perfido *Edrico* ultimo supplicio affectis. *Emmam*, *Ethelredi* Regis uxorem e Normannia accersitam sibi copulavit, ut dum Angli consuetæ Dominæ deferrent obsequium, minus Danorum fastidirent Imperium; simul his nuptiis *Richardum* Normannorum Ducem sibi concilians, ut parum de nepotibus in Regnum paternum restituendis cogitaret, qui alios ex *Canuto* se suscepturum speraret (inquit *Willelmus Malmesburiensis*). Tum Anglos sibi devincire, æquum illis jus cum Danis suis in consensu, in concilio, in prælio concedere. Monasteria suis patrisque excursionibus partim fœdata, partim diruta reparavit. Super corpus S. Martyris *Edmundi* a veteribus Danis interfecti Basilicam Regia magnificentia construxit, ac Monasterium multis prædiis ac donis locupletatum. Corpus *S. Elphegi* Martyris Londino Cantuariam transferri curavit anno 1023. *Richardo II.* Normannorum Duci fatalis fuit annus Christi millesimus vigesimus-sextus. Huic *Richardus III.* ejus frater in Ducatum successit, qui anno sequenti veneno extinctus, successorem habuit *Robertum* fratrem. *Olaum* Norvegiæ Regem debellavit, suisque ditionibus Norvegiam adjunxit *Canutus* Rex anno 1028. Romam voti causa anno 1031. profectus, donis amplissimis Apostolorum Principi oblatis, a *Joanne* Papa & *Conrado* Imperatore obtinuit, ut Angli & Dani Romam religionis ergo adeuntes a clausurarum & teloneorum angariis immunes essent. Conquestus etiam est apud Summum Pontificem, quod Anglicani Archiepiscopi immodica pecuniarum exactione a Ministris Romanæ Curiæ gravarentur, dum pro pallio accipiendo Sedem Apostolicam, secundum morem adibant, quod ne in posterum fieret, Pontifex vetuit. Id discimus ex Epistola *Canuti* Regis ad Episcopos, & Proceres, totamque gentem Anglorum scripta, cum Roma digrederetur, quæ & Pœnitentiæ ipsius ac pietatis insigne monumentum est, & consilii de Regno juste administrando ad sepulchrum Apostolorum initi. Hanc Epistolam apud *Willelmum Malmesburiensem*, lib. II. *De Gestis Regum Anglorum* pag. 74. legere est. Leges tulit sanctissimas, in quibus multæ sunt Christianum cultum spectantes ac promoventes. Celebrationis Missæ, Jejunii Quadragesimalis, Quatuor Temporum, & Vigiliarum cujuslibet Festi *B. Mariæ* Virginis Deiparæ, & SS. Apostolorum, (excepto Festo SS. *Philippi & Jacobi*, quod Paschali tempore celebratur.) Item Feriæ VI. Confessionis Sacerdoti faciendæ, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Monachorum, Monialium, cœlibatus Sacerdotum, faciunt mentionem. Ad quæ velim attendant Protestantes Angli. Decimarum, Primitiarum, & Denarii *S. Petri* solutionem imperant. Eucharistiæ perceptionem ter saltem in anno: Dominicæ diei religiosam celebrationem ab hora Sabbati pomeridiana tertia ad primam lucem diei Lunæ, præcipiunt; Sacris illis diebus non solum nundinas

Romam voti causa Rex Canutus proficiscitur.

Leges condit sanctissimas.

dinas, profanosque coventus, sed etiam *venationem* & *opus* quodcumque *terrenum* prohibent. Matrimonia vetant infra sextum cognationis gradum. Pecuniam sepulchralem, quæ ex pia consuetudine in funeribus persolvebatur, statim effosso tumulo numerari jubent, eamque Parochiali Ecclesiæ solvi, etiamsi extra illius fines mortui sepeliantur. Episcopos vocant *Divini Juris Interpretes*. Cum solio in littore maris constituto, serio an jocose, mari imperallet, ne Dominatoris sui pedes fluctibus suis madefaceret, nec ipsi superbum elementum paruisset, *Vanam & frivolam Regum esse potentiam exclamavit, nec Regis quempiam nomine dignum præter eum cujus nutui cœlum, terra, mare, legibus obediunt æternis.* Nec deinceps coronam auream capiti suo imposuit, sed imagini Christi Crucifixi. Ita refert *Henricus Huntindoniensis*. Tres filios habuit, *Suvenum* & *Hardecnutum* ex *Emma* uxore, & *Haroldum* ex concubina. *Suvenum* Norvegis, Danis *Hardecnutum*, Anglis *Haroldum*, Reges dedit. Obiit Idibus Novembris, anno millesimo trigesimo-quinto, Regni 20. De Regno *Canuti* legimus *Willelmum Malmesburiensem*, *Henricum Huntindoniensem*, *Rogerium Hovedenum*, *Ingulphum*, *Simeonem Dunelmensem*, *Radulphum de Diceto*, *Joannem Bromton*, *Matthæum Westmonasteriensem*, *Henricum de Knigton*, & *Polydorum Virgilium*.

Fragilem ac infirmam esse Regum potentiam, agnoscit.

Eodem quo Canutus anno, obiit *Robertus* Dux Normannorum Niceæ, cum ex Hierosolymitana peregrinatione rediret. Successorem reliquit *Guillelmum* filium unicum, octo dumtaxat annos natum. Cirisiacensem Abbatiam in Diœcesi Bajocensi *Robertus* Dux fundavit. Anno ante ejus obitum scilicet 1034. *Herluinus* Monasticum habitum ab Episcopo Lexoviensi *Herberto* suscepit, ac Beccensis Cœnobii fundamenta jecit, cujus primus Abbas constitutus est.

Cirisiacensis & Beccensis Cœnobiorum fundatio.

ARTICULUS III.

De Haroldo, Hardecnuto, & S. Eduardo, Regibus

Haroldus.

I. HAroldus Anglis invisus fuit, qui unum ex *Ethelredi* Regis filiis, aut certe *Hardecnutum*, *Canuti* Regis ex *Emma* filium, Regem optabant. *Alfredus Ethelredi* Regis filius, mortuo *Canuto*, cum magno Normannorum comitatu in Angliam venit anno 1036. Sed *Godwini* Ducis perfidia plerique barbare eviscerati, aliterque trucidati sunt: *Alfredus* oculis erutis in Eliense Cœnobium relegatus, paulopost obiit. *Haroldus Emmam* Reginam Regno expulit, quæ ad Flandriæ Comitem *Balduinum* fugiens, ab ipso humanissime suscepta est. Obiit *Haroldus* anno 1040. cum annos quatuor regnasset.

Hardecnutus.

II. Post ejus obitum, *Hardecnutus*, a Danis Anglisque ad Regnum capessendum vocatus, in ejus cadaver sæviit, quod exhumatum, & capite truncatum projici jussit in Tamesim. Immane tributum imposuit subditis, quibus odio propterea fuit. *Gunhildam* sororem *Henrico* Imperatori collocavit. Interim *Magnus* Norvegiæ Rex, Daniam subegit, profligato *Suenone*, qui Regnum invaserat. Obiit inter pocula Rex *Hardecnutus* anno 1042.

S. Eduardus.

III. Anno 1043. *Eduardus*, *Ethelredi* Regis filius, ab *Edsio* Cantuariensi Archipræsule in Regem unctus est; quem *S. Petrus Brituvaldo* Wintoniensi Episcopo Sanctissimum Regem Angliæ futurum revelaverat. His verbis ipsum commendat *Willelmus Malmesburiensis*, subinde in eum, uxoremque ejus *Editham* parum æquus. *S. Eduardus suscepit Regnum, vir propter morum simplicitatem parum Imperio idoneus, sed Deo devotus; ideoque ab eo directus. Eo regnante, nullus tumultus domesticus, qui non cito comprimeretur; nullum bellum forinsecum, omnia domi forisque quieta, omnia tranquilla: quod eo magis stupendum, quia ita se mansuete ageret, ut nec viles homunculos verbo lædere nosset. Nam dum quadam vice venatum isset, & agrestis quidam' stabulata illa, quibus in casses cervi urgentur, confudisset; ille suo nobili percitus ira: Per, Deum inquit, & Matrem ejus, tantumdem tibi nocebo, si potero. Egregius animus, qui se Regem in talibus non meminisset, nec abjectæ conditionis homini se posse nocere putaret. Erat interea ejus apud domesticos reverentia vehemens, apud exteros metus ingens. Fovebat profecto ejus simplicitatem Deus, ut posset timeri, qui nesciret irasci.* Ejus pietati obrepsere *Goduvinus* Cantiæ Comes, aliique improbi Consiliarii, qui ipsi authores fuere ut matrem *Emmam* rebus omnibus spoliaret. Sed & violatæ pudicitiæ crimen ipsi *Goduvinus* intentavit, per *Robertum* Cantuariensem Archiepiscopum. Crimen diluit castissima Regina, novem ignitis vomeribus nudis pedibus calcatis, in Regis Procerumque conspectu, ut *Ranulfus* Cestrensis, *Harpsfeldius* & *Polydorus Virgilius* commemorant. Obiit *Emma* anno 1052. cujus Elogium a coævo scriptum Authore inter Historiæ Normannicæ scriptores a *Duchesnio* editum est. Importuna procerum suasione *Editham*, *Goduvini* Comitis filiam, uxorem duxit *Eduardus*, virtute non minus quam forma præstantem, & insignem castitate feminam. De ipsa scribit Willelmus Malmesburiensis: *Nuptam sibi Rex hac arte tractabat, ut nec thoro amoveret, nec virili more cognosceret. Quod an familiæ illius odio, quod prudenter pro tempore dissimulabat, an amore castitatis fecerit, pro certo compertum non habeo.* Sed in castissimos conjuges haud satis æquum fuisse *Willelmum*, constat ex *S. Eabredo* in vita S. Eduardi Regis. *Convenientibus* (inquit) *in unum, Rex & Regina de castitate servanda paciscuntur, nec huic fidei alium quam Deum testem æstimant adhibendum. Fit illa conjux mente, non carne, ille maritus mente, non opere. Perseverat inter eos sine actu conjugali, conjugalis affectus, &c.* Votum de Romana peregrinatione Deo cum nuncupasset Rex piissimus, ipsum *Leo IX.* Pontifex Maximus voti religione solvit, peregrinatione cum eleemosynis, & fundatione, vel restauratione Cœnobii sub nomine *S. Petri*, commutata. Westmonasterium itaque restituit, amplificavit, ornavit, ditavit. Pium tributum auxit ab Anglis Apostolicæ Sedi pendi solitum. *Nicolaus II.* Insignis Cœnobii privilegia rogante Rege confirmavit, illud exemit ab Episcopi Jurisdictione. Illius, & *omnium Ecclesiarum Angliæ tuitionem Regi* commisit. Tributum grave, a patre suo impositum remisit *Eduardus*, cum diabolum in pecunia collecta subsilientem vidisset. Leges tulit sanctissimas, seu potius ab *Edgaro* Rege quondam latas promulgavit, & ad usum revocavit, quibusdam adjectis capitibus, præcipue contra usurarios, quos omnibus facultatibus excidere, & exulum instar haberi jussit. In Aula Regis Francorum se frequenter audivisse referens, *Usuram omnium vitiorum esse radicem.* Obiit pridie Nonas Januarii, anno millesimo sexagesimo-sexto, cum annis viginti tribus, mensibus sex, & diebus viginti septem regnasset. Ejus sanctitas, dum viveret, ac post felicem obitum, miraculis comprobata & illustrata, & ab *Alexandro III.* vendicata est solemni canonizationis ritu. De *S. Eduardo* Rege legendi *S. Aelredus* sive *Ealredus*, in ejus Vita, inter Anglicanæ historiæ scriptores, & apud *Bollandum*, ad diem V. Januarii, *Willelmus Malmesburiensis* lib. 11. de Gestis Regum Anglorum, *Henricus Huntindoniensis* lib. 6. historiæ, *Rogerius Hovedenus* Annalium parte priori, *Ingulfus*, *Florentius Wigorniensis*, *Matthæus Westmonasteriensis*, *Ranulfus Cestrensis*, *Simeon Dunelmensis*, *Radulphus de Diceto*, *Joannes Bromton*, *Nicolaus Harpsfeldius*, *Polydorus Virgilius*, ex quibus hæc excerpta sunt.

Emma Regina Mater castissima.

Eduardi Regis castitas in conjugio.

Eduardi Regis pietas.

Leges Sanctissimæ.

ARTICULUS IV.

De Haraldo, & Willelmo I. Anglorum Rege, & Duce Normannorum.

Haraldus.

I. ORto inter *S. Eduardum* Regem & *Goduinum* Cantiæ Comitem dissidio, *Goduinus* cum suis proscriptus fuerat. Postea redierat multis cum navibus & valida militum manu. Civilis belli metu Principes veniam & pacem ipsi a Rege impetrarant.

rant. Obſides dederat *Ulnothum* filium, & *Hacun* nepotem, quos Rex ad *Willelmum* Normannorum Ducem cuſtodiendos tranſmiſit. *Haraldus*, *Godaini* filius & in Cantiæ comitatu ſucceſſor, cum Regis licentia in Normanniam transfretavit, fratrem ac nepotem repetiturus. Quibuſdam conditionibus juratis, nepotem impræſentiarum recepit, & ſecuritatem de fratris libertate, cum Dux in Angliam regnaturus veniret, cujus Regni heredem ipſum inſtituerat *Eduardus* Rex. Conditiones erant ut *Willelmi* ſororem in matrimonium duceret, ut filiam ſuam uni ex Normannis Principibus tranſmitteret collocandam, ut Duci in adeptione regni faveret. Ad Sanctorum reliquias præſtitum juramentum, quo ſolemnius eſſet, ac ſtabilius. Mortuo *Eduardo* Rege, Regnum *Haraldo* ab Anglis delatum eſt. Dux *Willelmus* qui *Henrici* Francorum Regis, & *Gaufridi Martelli* Andegavorum Comitis in Normanniam irrumpentium impetus fregerat, qui Cenomannicum Comitatum, & Britanniam *olim Normanniæ appendices*, ut vocat *Willelmus Malmesburienſis*, receperat, *Alano* Britanniæ Comite in verba ſua jurare compulſo; totque rebus præclare geſtis majori præluſerat victoriæ. *Haraldum* de pactis ſervandis fruſtra commonitum, juſto bello aggreſſus eſt, cauſæ æquitate *Alexandro II.* Pontifici Maximo per Legatos expoſita, acceptoque ab ejus Sanctitate vexillo. Valida claſſis ad *S. Valericum* inſtructa, Auguſto menſe anni 1066. e portu ſolvit ſecundis ventis, Hanſtingas appulit. Occurrit Normannis *Haraldus*, bello egregius. Commiſſo prælio acerrime, nec ſine mutua clade primo pugnatum eſt. Cæſo tandem *Haraldo* ad *Willelmi* partes inclinata victoria. Mox Dovera, Cantuaria, Londinum deditæ. In Natali Domini Rex inauguratus eſt apud Weſtmonaſterium ab *Ealredo* Eboracenſi Archiepiſcopo. A *Stigando* quippe Cantuarienſi Archipræſule, quem multorum criminum infamia laborare noverat, coronari noluit, ne maledictionem pro benedictione ſuſciperet.

Anglia a Vuillelmo Normanniæ Duce ſubacta.

Willelmus Angliæ Rex.

Qui tunc Anglorum & Normannorum mores.

Quinam tunc eſſent Anglorum, Normannorumque mores, *Willelmus Malmesburienſis* ex utriuſque gentis ſanguine originem trahens, ita deſcribit lib. 3. de Geſtis Regum Anglorum. *Literarum & Religionis ſtudia obſoleverant, non paucis ante adventum Normannorum annis. Clerici literatura tumultuaria contenti, vix Sacramentorum verba balbutiebant: Stupori & miraculo erat cæteris, qui Grammaticam noſſet. Monachi ſubtilibus indumentis, & indifferenti genere ciborum Regulam ludificabant. Optimates gulæ & veneri dediti, Eccleſiam more Chriſtiano mane non adibant; ſed in cubiculo & inter uxorios amplexus, Matutinarum Solemnia & Miſſarum a feſtinante Presbytero auribus tantum libabant. Vulgus in medio expoſitum præda erat potentioribus. Illud erat a natura abhorrens, quod multi ancillas ſuas ex ſe gravidas, ubi libidini ſatisfeciſſent, aut ad publicum proſtibulum, aut ad externum obſequium vendicabant. Potabatur in commune ab omnibus, in hoc ſtudio noctes proinde ut dies perpetuantibus, parvis & abjectis domibus totos ſumptus abſumebant. Sequebantur vitia ebrietatis ſocia, quæ virorum animos effæminant. Hinc factum eſt ut magis temeritate & furore præcipiti, quam ſcientia militari Willelmo congreſſi, uno prælio, & ipſo perfacili, ſervituti ſe patriamque proſternerent.*

Normanni erant tunc, & ſunt adhuc veſtibus ad invidiam culti, cibis citra ullam nimietatem delicati: Gens militiæ aſſueta, & ſine bello pene vivere neſcia, in hoſtem impigre procurrere, & ubi vires non ſucceſſiſſent, non minus dolo & pecunia corrumpere. Domi ingentia ædificia, moderatos ſumptus moliri, paribus invidere, ſuperiores prætergredi velle, ſubjectos ipſi vellicantes ab alienis tutari: Dominis fideles, moxque levi offenſa infideles. Cum fato ponderare perfidiam, cum nummo mutare ſententiam. Cæterum omnium gentium benigniſſimi, advenas æquali ſecum honore colunt; Matrimonia quoque cum ſubditis jungunt. Religionis normam in Anglia uſquequaque emortuam adventu ſuo ſuſcitarunt. Videas ubique in villis Eccleſias, in vicis & urbibus Monaſteria novo ædificandi genere conſurgere, recenti ritu patriam florere, ita ut ſibi periſſe diem quiſque opulentus exiſtimet, quem non aliqua præclara magnificentia illuſtret.

Leges optimas condidit Rex *Willelmus* maximeque eas obſervari juſſit, quæ a *S. Eduardo* fuerant promulgatæ. At quoſdam uſus invexit Eccleſiaſticæ Jurisdictioni ac libertati incommodos. *Pati* quippe (inquit *Eadmerus* lib. 1. Hiſtoriæ Novorum) *nolebat quemquam in omni dominatione ſua conſtitutum Romanæ urbis Pontificem pro Apoſtolico, niſi ſe jubente, recipere, aut ejus literas, ſi primitus ſibi oſtenſæ non fuiſſent, ullo pacto ſuſcipere. Primatem quoque regni ſui, Archiepiſcopum Cantuarienſem, ſi coacto generali Epiſcoporum Concilio præſideret, non ſinebat quidquam ſtatuere aut prohibere niſi quæ ſuæ voluntati accommoda, & a ſe primo eſſent ordinata. Nulli nihilominus Epiſcoporum ſuorum conceſſum iri permittebat, ut aliquem de Baronibus ſuis ſeu Miniſtris, ſive inceſto, ſive adulterio, ſive aliquo capitali crimine denotatum, publice, niſi ejus præcepto, implacitaret, aut excommunicaret, aut ulla Eccleſiaſtici rigoris pœnas conſtringeret.* Lanfrancum Cœnobii Cadomenſis Abbatem, ex Normannia acceſſitum, Cantuarienſem Archiepiſcopum deſignavit. Latrunculorum in ſui Regnique perniciem conjuratorum agmen, in Dunelmenſi Caſtro, cujus munitionibus ſecuri Danorum auxilia expectabant, penitus delevit. Monaſterium *De Bello* in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis ædificavit eo in loco, ubi *Haraldum* ejuſque exercitum fuderat, Angloſque ſubegerat, ibique Monachos ex Majori-Monaſterio Ordinis Benedictini conſtituit. Monaſterium *S. Stephani* Cadomi condidit, *Mathildis* vero Regina Parthenonem Sanctæ Trinitatis in eadem civitate. Sub ejuſdem Principatu alia Monaſteria nobiliſſima in Normannia fundata ſunt, ſcilicet *Lira* Beatæ Mariæ Sacra, O. B. in Diœceſi Ebroicenſi, *Cormelia* eidem Virgini Deiparæ dicata, O. B. in Diœceſi Lexovienſi: (ambæ *Willelmum Osberni* filium, cognatum *Guillelmi Nothi* Ducis fundatorem agnoſcunt) *Pratellum* O. B. in Diœceſi Lexovienſi, *S. Petro* Sacrum; ab *Hunfrido de Vetulis* Topateba de Ponte-Audomari fundatum, cum Parthenone ejuſdem Ordinis in eadem villa de Pratellis, ſub Invocatione *S. Leodegarii* Martyris: *S. Martini Sagienſis. O. B. Martini Troarnenſis*, O. B. in Diœceſi Bajocenſi, (utrumque fundavit *Rogerius de Montegommerici*, filius *Rogerii* Vicecomitis Oximenſis.) *Almonacha*, Monaſterium Virginum, O. B. in Diœceſi Sagienſi, ab eodem fundatum. *S. Petri ſuper Divam* O. B. in eadem Diœceſi, & *S. Petri* Lexovienſis. Monaſterium Virginum ejuſdem Ordinis a *Leſcelina* Aucenſi Comitiſſa condita: *Ulterior portus* O. B. in Diœceſi Rothomagenſi, in honorem *S. Michaelis* a *Roberto* Comite Aucenſi: *S. Victoris in Caleto*, O. B. Diœceſis Rothomagenſis, a *Rogerio de Mortuo Mari* fundatum: Monaſterium *S. Salvatoris* Ebroicenſis Virginum Ordinis Benedictini, a *Richardo* Ebroicenſi Comite: Monaſterium S. Trinitatis in Monte Rothomagenſi, O. B. a *Goſcelino* Vicecomite Archacenſi: *Greſtenenſe*, O. B. in Diœceſi Lexovienſi, ab *Herluino de Contevilla* conditum: auctum a *Roberto* Comite *Moritolii* ejus filio: *S. Severi* O.B. Diœceſis Conſtantienſis ab *Hugone* Vicecomite Abrincatenſi, poſtea Comite Ceſtrenſi: *S. Trinitatis Exaquii*, O.B. Diœceſis Conſtantienſis, ab *Eudone*: *S. Salvatoris Vicecomitis*, O. B. in eadem Diœceſi, a *Nigello* Vicecomite Conſtantienſi: *Lonlegum* O. B. in Diœceſi Cœnomanenſi, a *Guillelmo Talvatio* Comite Bellismenſi in Pertico: *Fontanetum* O. B. in Diœceſi Bajocenſi a *Rodulpho Taiſſon*, & *Erneiſo* ejus fratre: *Conche*, ſive *S. Petri Caſtellionis* O. B. in Diœceſi Ebroicenſi, a *Rodulpho de Toenejo*. Monaſterium *S. Ebrulfi*, O. B. Diœceſis Lexovienſis, anno 1050. a *Roberto* & *Hugone de Grentemaiſnil* inſtauratum, & quaſi de novo fundatum eſt. Iſta conſtant ex *Willelmo Gemmeticenſi* cap. 22. & 23. & *Roberto de Monte* in Tractatu *De Abbatiis Normannorum*.

Rex Willelmus uſus Eccleſiaſticæ libertati ac Jurisdictioni incommodos introducit.

Monaſteria ſub Vuillelmi Principatu in Anglia & Normannia condita.

Anno 1072. Rex *Willelmus Malcolmi* Scotorum Regis injuriis offenſus, ducto in Scotiam exercitu, illum ad hominium ſibi præſtandum compulit. Anno 1086. *Fecit deſcribi omnem Angliam quantum terræ quiſque Baronum ſuorum poſſidebat, quot feudatos Milites, quot carrucas, quot villanos, quot animalia, immo quantum vivæ pecuniæ quiſque haberet in omni Regno ſuo, a maximo uſque ad minimum, & quantum*

Angliæ deſcriptio juſſu Vuillelmi Regis facta.

tum

sum redditus quas ee possessio reddere poterat [inquit *Rogerius Hovedens*] & vexata est terra *multis cladibus inde procedentibus*. Anno 1087. cum ab excidio Meduntæ * Castri rediret, in quo nec Ecclesiis pepercerat, & duos Anachoretas Sanctos, plebemque multam igne urbem injecto consumpserat, morbo correptus, obiit in Ermentrudis villa contra Rothomagum arcana conscientiæ suæ apud *S. Anselmum* deponere vehementer exoptans, quem propterea Becco advocaverat; sed utriusque ægritudo gravis id prohibuit. Fratrem suum *Odonem* Bajocensem Episcopum, *Vulfnothum* Regis *Haroldi* germanum, & omnes quos tam in Anglia quam in Normannia in custodia detinebat, imminente obitu libertate donavit, thesauros Ecclesiis & pauperibus distribui jussit. Ejus corpus Cadomum delatum in Monasterio *S. Stephani* conditum est. Sepulturam absque lite defunctus non obtinuit, tot olim Provinciarum dominus. Miles enim locum illum avito jure suum esse contestatus est, cui *Henricus* Regis filius centum libris argenti persolutis silentium imposuit. Ob nimiam pecuniæ cupiditatem reprehensus est Rex *Willelmus*, necnon ob ferarum & venationis amorem impotentem adeo ut locum, quem *Novam Forestam* vocant, desertis villis, subrutis Ecclesiis, per triginta & amplius milliaria in saltus & lustra ferarum redegerit. *Exterarum nationum homines dignanter ad amicitiam admisit: indifferenter honoribus extulit, eleemosynæ curam habuit, Transmarinis Ecclesiis multas possessiones in Anglia largitus est, nec ullum fere Monasterium, præsertim in Normannia, vel ejus vel Ducum munificentia transiit, ut Angliæ copia tenuitas illorum sustentaretur.* Ita scribit *Willelmus Malmesburiensis*. Ejus erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum fidem ac pietatem commendat *Guillelmus Pictavensis*, Lexoviorum Archidiaconus: *Accipere*, inquit, *solitus est avido auditu, furvique gustu sacræ paginæ sermonem, tis ut anima epulum sumeret, delectari desiderans castigari, atque edoceri. Sumebat & honorabat concedenti reverentia Hostiam salutarem, Dominicum Sanguinem; sincera fide tenens quod vera doctrina præceperat, panem, & vinum, quæ altari superponuntur consecrata Sacerdotis lingua & manu Sancto Canone Redemptoris veram esse Carnem, & verum esse Sanguinem. Utique non ignotum est quanto zelo fuerit insectatus, atque exterminare sategerit e terra sua aliter sentientem pravitatem.* Quatuor filios & quinque filias ex *Mathilde* uxore suscepit. Filii fuere, *Robertus*, *Richardus*, *Willelmus* & *Henricus*. *Richardus* puer obiit. *Robertus* inquietus Princeps, Regni hereditate, jure Primogeniti sibi debita privatus a Patre, quod *Philippus I.* Francorum Regem adversus ipsum excitasset, solo Normanniæ Ducatu donatus est: *Willelmus* & *Henricus*, successione continua post Patrem in Anglia regnavere. Filiæ fuere, *Cæcilia* Cadomensis Abbatissa, *Constantia Alano* Comiti Britanniæ collocata, *Adela Stephani* Comitis Blesensis uxor, quæ defuncto viro apud Marciniacum Sanctimonialem Vitam professa est. Aliarum nomina exciderunt, unius quæ *Haroldo* promissa, infra maturos conjugio annos obiit: alterius quæ *Alfonso* Hispaniæ Regi pacta, a Deo impetravit ut virgo moreretur. Repertus in defunctæ genibus callus, crebrarum ejus orationum index fuit. Quæ de *Willelmo I.* diximus, excerpta sunt ex *Willelmo Malmesburiensi* lib. 3. de Gestis Regum Anglorum, ex *Guillelmo Pictavensi*, in libro de ipsius Gestis; ex *Eadmero* lib. 5. Historiæ Novorum; *Henrico Huntindoniensi*, lib. 6. *Simeone Dunelmensi*, *Rogerio Hovedeno*, *Willelmo Gemmeticensi*, *Radulpho de Diceto*, *Joanne Bromton*, *Henrico de Knigthon* lib. 11. de Eventibus Angliæ, *Matthæo Westmonasteriensi*, *Polydoro Virgilio* lib. 9. & *Thoma de Walsingham* in Ypodigmate Neustriæ.

* Mante.

Vuillelmi Regis obitus.

Vuillelmi Regis vitia, & virtutes.

ARTICULUS V.

De Willelmo II.

WIllelmo I. in Regnum Angliæ *Willelmus* filiorum alter successit, cui ob flavam Cæsariem cognomentum *Ruso*: qui veritus ne consecrationis dilatio rebus suis noceret, *Roberto* majori natu fratre ad coronam tamquam sibi præreptam aspirante, *Lanfrancum* Archiepiscopum Cantuariensem & Angliæ Primatem demereri studuit, fide Sacramentoque promittente Justitiam & misericordiam se per totum Regnum, si Rex foret, in omni negotio servaturum: Pacem, libertatem, securitatem Ecclesiarum, contra omnes defensurum, necnon præceptis & consiliis ejus per omnia & in omnibus obtemperaturum. Sed postea in Regno confirmatus, cum fidem quam juratus dederat, identidem violaret, ob idque a *B. Lanfranco* argueretur, furore percitus respondebat: *Quis est qui cuncta quæ promittit, implere possit?* Ipso Principatus exordio, bellum civile sustinendum ipsi fuit ab *Odone* Bajocensi Episcopo, Cantiæ Comite, patruo suo, aliisque Proceribus, ad Regnum ipsi eripiendum, & *Roberto* Normanniæ Comiti deferendum conjuratis. Anglorum ope fracti conjuratorum conatus. Versa deinde in Normannos arma; pugna frequens, alterna victoria, pax tandem inter fratres conciliata. Mox in Vallenses, post in Scotos a *Willelmo* Rege bellum illatum, haud secunda fortuna confectum est. Qui Scotis imperabat *Malcolmus*, pacem æquis conditionibus rogavit. Uxorem habebat *Margaretam* eleemosynis & pudicitia insignem fœminam. Quæ toto vitæ tempore viginti quatuor pauperes habuit, ubicumque locorum erat, quos cibis & vestibus reficiebat. Cæterum in Quadragesima Sacerdotum cantum præveniens, in Templo excubabat, triplicibus Matutinis insistens, de Trinitate, de Cruce, de Sancta Maria. Inde Psalterium recitabat cum lachrymis vestem infundentibus, pectus succutientibus. Templo digrediens, pascebat pauperes, primo tres, post novem, inde viginti quatuor, postremo trecentos: Ipsa cum Rege assistens, & manibus aquam infundens. Ita scribit *Willelmus Malmesburiensis*. Extincto *Malcolmo*, filium ejus *Edgarum* a patruo pulsum *Willelmus* Rex Principatui restituit.

Civile bellum.

Margareta Scotiæ Regina piissima.

Dubia diu fuit de *Willelmi II.* indole opinio. *Lanfranco* Archiepiscopo superstite, ab omni crimine abhorrere videbatur. Eo defuncto varium se præstitit, æquali lance vitiorum atque virtutum. Tandem in vitia fuit quam in virtutes propensior. Erat ita liberalis, quod prodigus; ita magnanimus, quod superbus; ita severus, quod sævus [inquit *Willelmus Malmesburiensis*.] Cantuariensis Ecclesiæ bona invasit, *Taxatoque victu Monachorum inibi Deo servientium, reliqua sub censu, atque in suum dominium redigi jussit*: teste *Eadmero*. Cupiditatem ejus fovebat *Ranulfus* Clericus, Ærario Præpositus. *Hoc authore, sacri Ecclesiarum honores mortuis Pastoribus venum locati. Audita namque morte cujuslibet Episcopi, vel Abbatis, confestim Clericus Regis admittebatur, qui omnia inventa scripto exciperet, omnesque in posterum redditus Fisco Regio inferret. Interea quærebatur quis idoneus in loco defuncti substitueretur, non pro morum, sed pro nummorum experimento: dabaturque tandem honor, ut ita dicam, nudus, magno tamen emptus. Hæc eo indigniora videbantur, quod tempore Patris, post decessum Episcopi vel Abbatis, omnes redditus integre custodiebantur substituendo Pastori resignandi, eligebanturque personæ religionis merito laudabiles; at vero pauculis annis intercedentibus omnia immutata.*

Vuillelmi Secundi cupiditas Ecclesiis incommoda.

Anno 1093. Rex gravi correptus ægritudine, *S. Anselmum* Abbatem Beccensem, qui tum in Anglia degebat, advocat, Confessione peccatorum apud eum edita, vitæ emendationem serio pollicetur; Scribi jubet Edictum Regioque sigillo muniri, ut captivi in omni ditione sua libertate donentur, debita remittantur omnia, injuriæ condonentur, bonas sanctasque Leges populo promittit, inviolabilis observantiam juris, injuriarum severum examen. Rogatos ut Ec-

Vuillelmus secundus apud S. Anselmum peccata deponit.

Quem designat Cantuariensem Archiepiscopum.

Ecclesiæ Cantuatiensi *a* quinque annis viduæ provideat, *Anselmum* designat Archiepiscopum. Recusat ille totis viribus Angelicis humeris tremendum onus. Episcopos illud ut subeat urgentes, his verbis convenit: *Indamitum taurum, & vetulam ac debilem avem, in aratro conjungere sub uno jugo disponitis. Et quid inde proveniet? Indomabilis atique feritas tauri sic ovem lanæ & lactie ac agnorum fertilem per spinas & tribulas hac & illac rapeam, si jugo se non excusserit, dilacerabit, at nec ipsa sibi nec alieni utilis existat. Aratram Ecclesiam perpendite, juxta Apostolam dicentem: Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Hoc aratrum in Anglia dua bovee cæteris præcellentes regendo trahunt, & trahendo regunt, Rex videlicet & Archiepiscopus Cantuariensis: Iste sæculari Justitia & Imperio; ille divinæ doctrinæ & Magisterio. Horum bonum unus, scilicet Lanfrancus Archiepiscopus mortuus est; & alius ferocitatem indomabilis tauri obtinens jam juvenie aratro prælatus: & vos loco mortui bovis me vetulam ac debilem ovem cum indomito tauro conjungere vultis?* Ita refert *Eadmerus* lib. 1. *Historiæ Novorum*. Sanitati restitutus *Willelmus*, ea ad Ecclesiæ & subditorum oppressionem abusus est, nihilque eorum quæ promiserat, executioni mandavit. Urget interim *Anselmum* ut Cantuariensem Archiepiscopatum suscipiat. Ille sa negat suscepturum, nisi Rex Ecclesiæ Cantuariensi terras omnes restituat, quas *Lanfranci* tempore possidebat, & de aliis, quibus ante *Lanfranci* tempora fruebatur, jus se redditurum promittat: Secundo in his, quæ ad Deum & Christianam Religionem pertinent, Episcopo credat, pareatque ut spirituali Patri: Tertio, *Urbanum II.* ceu legitimum Pontificem agnoscat. Terras *Lanfranci* tempore ab Ecclesia Cantuariensi possessas in præsentia se redditurum spondet; in aliis *Anselmi* consilio se arediturum. Consecratus est secundo Nonas Decembris.

Anno 1096. cum *Robertus* Dux Normannorum ad sacram expeditionem ab *Urbano II.* Pontifice Maximo nomen professus esset, pace cum *Willelmo* fratre Anglorum Rege composita, Normanniam ipsi pro pecunia decem millium marcarum vadatus est. Edictum Rex promulgavit, quo non sæculares tantum, sed sacri ipsi homines Abbates, Episcopi, tributum ad summam conficiendam conferre tenebantur. Sævi exactores ipsos ad sacra vasa conflanda cogebant, nisi aliunde pecunia suppeteret. *Anselmus* amicorum suasione quingentas argenti libras obtulit. Sprevit Rex exiguum, ut videbatur, munus. *Anselmus* in memoriam revocans, quod lectum fuerat Evangelium, cum Sedem Cantuariensem adiit: *Nemo potest duobus Dominis servire*, pauperibus erogare decrevit pecuniam, quam Rex indignabundo fastu recusabat. Post hæc Regi in Normanniam naviganti fausta precatus, ipsius Majestati supplicavit ut ad Christianæ restaurationem disciplinæ sibi ferret opem. Juberet primo *Concilia ex antiquo usu renovari, perperam acta in medium revocari, revocata examinari, examinata redargui, redarguta sedari.* Generale quippe Concilium, ex quo Rex factus fuerat, retroactis pluribus annis, celebratum non esse, ideoque multa erupisse crimina, & prava consuetudine robur accepisse. Secundo, Regiam authoritatem Episcopali adjungeret ad nefarium Sodomiæ scelus extirpandum *quod noviter in Anglia divulgatum, jam plurimum pullulaverat, multosque immanitate sua fœdaverat.* Tertio Abbatiis viduatis *Abbates institueret.* Repulsam in omnibus passus Sanctus Archipræsul, frustra Regem placare studuit, ac omnibus officiis promereri ut eum causæ Dei addiceret. Nova enim emersit occasio, quæ ipsum *Anselmo* fecit magis infensum. Is Romanum Pontificem adeundi licentiam ab ejus Majestate rogavit, *Urbanum II.* pro susceptione Pallii. Excanduit Rex audito *Urbani* Pontificis nomine; agnosci pro Pontifice non posse contestatus, quem nondum receperat: *Anselmum*, qui secus faceret, fidem sibi debitam violare, nec minorem inferre injuriam, quam si coronam auferre conaretur. Consilium, solatium, auxiliumque frustra petiit ab Episcopis, Regis voluntati magis quam Ecclesiæ bono studentibus S. *Anselmus*: Nullum se consilium dare posse contestati sunt, nisi quod Regi gratum esset. Quibus ista reposuit Sanctus Archipræsul: *Cum*

S. Anselmi magnanimitas & zelus pro disciplinæ Ecclesiasticæ restauratione.

Eadmerus l. 1. Hist. Novorum.

Vuillelmus Secundus, S. Anselmo infensus ab Romani Pontificis authoritatem vindicatam.

nos qui Christianæ plebis Pastores, & vos qui populorum Principes vocamini, consilium mihi Principi vestro nonnisi ad unius hominis voluntatem dare vultis, Ego ad Summum Pastorem & Principem omnium; Ego ad Magni Consilii Angelum curram, & in meo immo in suo & Ecclesiæ suæ negotio, consilium quod sequar ab eo accipiam. Dicit Beatissimo Apostolorum Petro: „ Tu es Petrus, & super hanc Petram ædi„ ficabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præ„ valebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni „ cœlorum, &c. *Communiter etiam Apostolis omnibus:* Qui vos audit, me audit, &c. *Hæc sicut principaliter B. Petro, & in ipso cæteris Apostolis dicta accipimus, ita principaliter Vicario B. Petri, & per ipsum cæteris Episcopis, qui vices agunt Apostolorum, eadem dicta tenemus; non cuilibet Imperatori, non alicui Regi, non Duci, non Comiti. In quo tamen terrenis Principibus subdi ac ministrare debeamus, docet idem ipse magni consilii Angelus dicens:* Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Hæc verba, hæc consilia Dei sunt. Quare cuncti noveritis, quod in his quæ Dei sunt, Vicario Beati Petri obedientiam; & in his quæ terrenæ Domini mei Regis dignitate jure competunt, & fidele consilium & auxilium pro sensus mei capacitate impendam.* Ita refert *Eadmerus* lib. 1. *Historiæ Novorum*. Rex pravi propositi tenax, iræque impotens, cum Dunelmensi Episcopo exauthorationem *Anselmi* Archipræsulis machinatus est, nisi *Urbani* Papæ obedientiam ejuraret. Violatæ fidei & Sacramenti postulatus *Anselmus*. Episcopi in causa Dei & Ecclesiæ silent, populus favet, & ob illatam Archipræsuli Sancto injuriam murmurat. Miles de turba prosilit, & ad pedes ejus provolutus, ipsum nomine multitudinis rogat, bono ut sit animo: *Domine Pater* (inquit) *rogant te per me supplices filii tui, ne turbetur cor tuum ex iis quæ audisti; sed memor esto Beati Job vincentis diabolum in sterquilinio, & vindicantis Adam, quem ipse vicerat in Paradiso.* Rex Episcopos acrius urget ut *Anselmum* deponant. Id se facere posse negant, cum totius Anglicanæ Ecclesiæ sit Primas, qui a solo Pontifice Romano judicari potest. Instat ut omnem obedientiæ fidem, ac fraternæ societatis amicitiam abnegent. Morem gerunt, illamque subjectionis, fidei, amicitiæ ejurationem Primati suo denuntiant Antistites Anglici. Major fuit Principum ac Magnatum religio, qui Episcoporum defectionem imitari jussi, & omnem fidem ac amicitiam Archipræsuli pariter denegare, sapienter responderunt: *Nos numquam fuimus homines ejus, nec fidelitatem, quam ei non fecimus, abjurare valemus. Archiepiscopus noster est; Christianitatem in hac terra gubernare habet; & ea re nos qui Christiani sumus, ejus Magisterium, dum hic vivimus, declinare non possumus, præsertim cum nullius offensæ macula illum respiciat, qua vos secus de illo agere compellat.* Agentibus Proceribus, induciæ *Anselmo* ad Octavas usque Pentecostes concessæ, facta ipsi potestas ad Ecclesiam suam redeundi. At induciarum tempore odia exercuit Rex *Willelmus*. *Baldainum* Monachum, cujus consiliis Archipræsul plurimum utebatur, & duos ipsius Clericos, e Regno expulit, ejus Camerarium in carcerem conjecit, omnes ipsius obsequiis addictos vexavit. Interim *VValterus* Albanensis Episcopus & S. R. E. Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, in Angliam appulit, Regemque adduxit ut *Urbanum II.* ceu legitimum Pontificem in omni Regno suo agnosci & coli ediceret. Stata die, qua Regi sistere se debebat *Anselmus*, ipsum Episcopi conveniunt, frustra urgent ut gratiam Regis pecunia redimat. Amicitiam venalem se nolle respondet: optare se ut Patrem *a* Rege diligi. Tandem Principum consilio Rex ipsum in gratiam recipit, & quæ officii sui sunt, per totam Angliam exercere concedit. Pallium Archipræsuli attulerat Apostolicus Legatus. Quidam Præsulum & Procerum *Anselmo* suadent, ut illud honoris gratia de manu Regis suscipiat, quo magis illius Majestatem sibi conciliet. Non acquiescit Sanctus Archipræsul, ostendens, *Hoc donum non ad Regiam dignitatem, sed ad singularem B. Petri pertinere authoritatem.* Convenit ut Pallium *a* Legato Apostolico Cantuariam deferretur, & super Altare Salvatoris depositum, inde ab *Anselmo*, *quasi de manu Beati Petri* sumeretur.

Anno

Explicat egregie S. Anselmus, in quibus parendum Summo Pontifici in quibus Regi.

Anglorum Procerum, quam Anglicarum Episcoporum major Religio.

Vuillelmus secundus S. Anselmum in gratiam recipit.

Magnanimitas Anselmi.

Nova dissensio Regem inter & Sanctum Archipræsulem.

Anno 1097. nova orta dissensio est Regem inter & *Sanctum Anselmum*, quod Romam S. Archipræsul proficisci vellet, ut Ecclesiasticæ Disciplinæ in Anglia erigendæ Pontificiam Authoritatem adhiberet. Licentiam e Regno discedendi semel, iterumque a Rege petiit Sanctus Archipræsul. Ipsam pertinaciter negavit superbus Princeps. *Anselmus* injuste negari certus, iturum se nihilominus asseruit, Apostolicam attendens sententiam: *Oportet obedire magis Deo quam hominibus*. Episcopi aura aulica afflati; Regis potius voluntati serviendum, quam juvandas Primatis Sanctissimi partes censuerunt, his ipsum verbis allocuti: *Domine Pater, scimus te Virum Religiosum esse ac Sanctum, & in cælis conversationem tuam. Nos autem impediti consanguineis nostris quos sustentamus, & multiplicibus sæculi rebus, quas amamus, fatemur ad sublimitatem vitæ tuæ surgere nequimus, nec huic mundo tecum illudere. Sed si volueris ad nos usque descendere, ea qua incedimus via nobiscum pergere, Nos tibi sicut nobis ipsis consulemus, & negotiis tuis, quæcumque fuerint, ubi opus fuerit, sicut nostris, opem feremus. Si vero te ad Deum solummodo, quemadmodum cœpisti, tenere delegeris solus, quantum nostra interest in hoc ut hactenus fuisti, & amodo eris, fidelitatem quam Regi debemus, non excedemus*. Reposuit Anselmus: *Ite ergo ad Dominum vestrum, ego me tenebo ad Deum*. Post multam altercationem, ægre Rex annuis Archipræsulis precibus, & summisso ad ejus benedictionem capite, ipsum Romam abire permisit. Obiit *Willelmus* Secundus anno centesimo supra millesimum, Regni XIII. Nonis Augusti, quadragenario major, inter venandum sagitta (ut ferebatur) fortuito confixus a *Waltero Tyrel*, quem ex Francia adductum in familiaritatem receperat. Quod tamen *Tyrellum* constanter negasse, testis est *Sugerius* abbas. Hunc finem habuit Princeps *Sacrati Ordinis hominibus pro damno animæ, cujus salutem revocare nequeant*, (nam impœnitens obiit) *maxime miserandus; stipendiariis militibus pro copia donativorum mirandus; Provincialibus quod eorum substantias abradi sinebat, non desiderandus*. Hoc ipsi elogium *Willelmus Malmesburiensis* appendit Libro IV. Præter quem etiam de ipso legendi sunt *Henricus Huntindoniensis* Lib. VII. *Rogerius Hovedenus* in Annalibus, cæterique rerum Anglicarum & Normannicarum Scriptores, quos consuluimus.

ARTICULUS VI.

De Henrico I.

Henricus Rex literis excultus.

HEnricus I. *Willelmi Primi* filius, Secundi frater pueritiam ad spem Regni literis munierat, patre etiam audiente proverbium illud identidem usurpans: *Rex illiteratus, asinus coronatus*. In Regem post mortem fratris Procerum suffragiis electus, & a *Sancto Anselmo* Cantuariensi Archipræsule coronatus, promulgato Edicto injusta *Willelmi II.* Acta rescidit, vinctos solvit, insolentia remisit tributa, *Ranulphum* exactionum authorem in carcerem conjecit, ex Aula ejecit effœminatos. Nupsit *Mathildi Malcolmi* Regis Scotorum filiæ. *Eduardi* Regis Leges servari jussit, furta, stupra, monetæ adulterationem, quæ vitia tunc in Anglia grassabantur, severissimis pœnis coercens. Normanniam, quæ fratris sui incuria in plures dominos distracta erat, una pene Rothomago in ejus potestate manente, illatis in eam armis prælio ad *Tenerchebrai*, Comitis Moritolii castrum, pene incruento, in quo Dux *Robertus* captus est, subegit anno millesimo centesimo-sexto V. Kalendis Octobris. Wallenses semper ad defectionem proclives domuit, traductis eam in provinciam Flandris omnibus Angliæ incolis. Bellum a *Ludovico VI.* Francorum Rege sustinuit haud diuturnum. Pax quippe inter eos composita hac conditione est, ut *Willelmus* Angli filius hominium Christianissimo Regi pro Normannia faceret, ejusque se Beneficiarium profiteretur. *Rogerium* Sarisburiensem Episcopum, Supremum Regni Administrum consti-

tuit, ab Anglia sæpe abesse coactus, ut Normannos in officio contineret. Refugiebat Episcopus tan„ tis se curis involvere, nisi tres Archiepiscopi Can„ tuarienses, Anselmus, Radulphus, Willelmus, po„ stremo Romanus Pontifex, ei munus obedientiæ „ injunxissent (inquit Willelmus Malmesbur.) *Henricum* Regem cum *Sancto Anselmo*, & *Paschali II.* commisit Investiturarum negotium, cujus seriem Dissertatione singulari exponimus. Remisit tandem Investituras per annulum & baculum. *Sancti Anselmi* in frænanda Clericorum incontinentia adjutor fuit continentissimus ipse Princeps. Scipionis Africani sententiam usurpabat; *Imperatorem me mater mea, non bellatorem peperit*. Quapropter *Sapientia nulli umquam modernorum regum secundus, & pene omnium Antecessorum in Anglia facile primus, libentius bellabat consilio, quam gladio. Vincebat, si poterat, sanguine nullo, si aliter non poterat, pauco* (inquit Willelmus Malmesburiensis.) Pietatis in Deum monumenta erexit, Monasteria in Anglia & Normannia. Defuncta *Mathilde*, ex qua filium unicum *Willelmum* genuerat, & *Mathildem* filiam *Henrico* Imperatori collocatam, alteram duxit uxorem, *Adelam* filiam Ducis Lotharingiæ. *Willelmum* filium immatura morte sibi præreptum luxit. Liberos ex *Adela* suscepit nullos. *Mathildem* filiam, defuncto viro *Henrico* Imperatore, ex Germania revocatam, *Gaufrido* despondit Andegavensi Comiti. Obiit Rex *Henricus* in Normannia, anno millesimo centesimo trigesimo-quinto, *Mathilde* Imperatrice filia sua, & ejus filio *Henrico*, Regni heredibus institutis. Adfuit morienti *Hugo* Rothomagensis Archipræsul, qui Christiano animo ipsum obiisse testatus est, scripta ad *Innocentium II.* Epistola. *Prout ei dicebamus*, inquit, *ipse ore proprio sua fatebatur peccata, & manu propria pectus suum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei & nostro, & Episcoporum, emendationem vitæ suæ observaturum se se promittebat. Sub ista promissione, pro nostro officio, tertio eum, & per triduum absolvimus. Crucem Domini adoravit, Corpus & Sanguinem Domini devote suscepit, eleemosynam suam disposuit ..... Et ipsius pia petitione, Oleo Sancto eum inunximus*. Corpus in Angliam delatum, in Radingensi Cœnobio conditum est. De illius Gestis legimus *Eadmerum* Lib. II. & IV. *Historiæ Novorum*, *Willelmum Malmesbur.* Lib. V. *De Gestis regum Anglorum* & Lib. I. *Historiæ Novellæ*; *Henricum Huntindoniensem* Lib. VI. *Rogerium Hovedenum* in Annalibus, *Guillelmum Neuburgensem* Lib. I. *De rebus Anglicis*, cap. III. *Matthæum Paris*, & alios Rerum Anglicarum & Normannicarum Scriptores.

Henricum Regem cum S. Anselmo & Paschali II. committit investiturarum negotium.

Henricus Rex bellator sapiens æque ac fortis.

Henrici I. Regis pius obitus.

ARTICULUS VII.

De Stephano Rege.

BOnoniensis Comes *Stephanus*, *Henrici I.* Angliæ Regis ex sorore nepos, ab eoque educatus, ipso defuncto, Regnum invasit, violato juramento, quo *Mathildi* Imperatrici obstrinxerat fidelitatem. Cantuariensis Archiepiscopus *Guillelmus*, aliique Antistites eodem Sacramento obstricti, pariterque perjuri, ipsum coronarunt, eique fidelitatem juravere, *quandiu libertatem Ecclesiæ, & vigorem disciplinæ conservaret*. Ipse vicissim Ecclesiasticæ libertatis, jurisdictionis consuetudinum & bonorum Ecclesiasticorum conservationem, cum viventibus Episcopis, tum vacante Sede, juravit. Refert Juramenti Formulam *Willelmus Malmesburiensis* lib. 1. *Historiæ Novellæ*, in quo hæc verba observatione digna sunt: *Dum vero Sedes propriis fuerint Pastoribus vacuæ, & ipsæ, & omnes earum possessiones, in manu & custodia Clericorum, vel proborum hominum ejusdem Ecclesiæ committantur, donec Pastor canonice substituatur*. Coram Legato *Innocentii II.* Pontif. Max. qui *Stephani* electionem approbaverat, istud editum Juramentum est. *Innocentii* Diploma exhibet *Richardus* Prior Hagustadensis in lib. *De Gestis Regis Stephani*, ad annum 1136. Sacramentum toto Regni tempore vio-

Juramentum Stephani Regis cum inauguratus est.

lavit : Ecclesiarum enim quarumdam thesauri direpti, possessiones terrarum Laicis datæ, Ecclesiæ Clericorum alienis venditæ, Episcopi capti, vel res suas alienare coacti; Abbatiæ vel amicorum gratia, vel relaxatione debitorum indignis concessæ (inquit *Willelmus Malmesburiensis*.) Domesticis, externisque motibus ac tempestatibus quassata Aoglia est, *Stephano* regnante : Hinc a *Davide* Rege Scotorum, qui *Mathildi* fidem obstrinxerat; hinc ab Anglis eidem Imperatrici faventibus; hinc a *Roberto* Glocestriæ Comite & *Mathilde* ipsa illius sorore lacessita. His Angliæ eum exercitu imminentibus, Arces a quibosdam Episcopis ædificatas sibi reddi jussit Rex Stephanus : capti Episcopi Saresberiensis & Liocolniensis, possessiones eorum & Castella occupata. Magnas hoc factum turbas excitavit : alii a Rege, alii ab Episcopis stabant. *Henricus* Wintoniensis Episcopus, Sedis Apostolicæ in Aoglia Legatus, Regis fratee, Episcoporum causam contra ipsum propugnavit, contendens : *Si Episcopi tramitem justitiæ in aliquo transgrederentur, non esse Regis, sed Canonum Judicium. Sine publico & Ecclesiastico concilio illos nulla possessione privari debuisse : Regem id non ex rectitudinis zelo; sed commodi sui compendio fecisse, qui Castella non Ecclesiis, ex quorum sumptibus, & in quarum terris constructa erant, reddiderit; sed Laicis, eisdemque parum religiosis contradiderit.* Quamobrem ex Canonum severitate agendum ratus, congregavit Synodum, Regem de satisfactione convenit, contestatus se *Canonum exestutioni, nec pro Regie amicitia, nec pro damno possessionum, nec etiam pro capitis periculo defuturum.* Rex mittit Comites, qui causam ejus in Synodo agunt, injurias ejus Majestati ab Episcopis *Rogerio* Saresberiensi & *Alexandro* Lincolniensi illatas exponunt. Regem compertom habuisse quod *Rogerius* ejus hostibus faveret; fama vulgari, quod ad Imperatricem cum suis nepotibus esset defecturus, eique arces traditurus. *Ipsum, captum non ut Episcopum, sed ut Regie servientem, qui & procurotiones ejus administraret, & solidatas acciperet.* Castella per vim Episcopis non erepta, sed sponte dedita, ut calumniam de tumultu quem in Curia concitaverant, evaderent. Pecunias in Castellis inventas, Regis esse, quas nimirom sempore *Henrici* Regis ex Fisei Regii redditibus *Rogerius* Episcopus collegerat. Negat *Rogerius* se *Stephani* Regis ministrom aliquando fuisse, instat ut sibi jus reddatur a Synodo, alioqui ad superius tribunal se causam delaturum. Legatus, quæ contra Episcopos objiciebantur, prius in Synodo proponi debuisse ait, tum in accusationum veritatem inquiri, prius quam sententia contra Canones in eos diceretur. Proiode æquum esse ut Rex ipsis ablatas possessiones restituat, secundum morem forensium judiciorum. Adfuit postridie Synodo Rothomagensis Archiepiscopus & pro Rege contra Episcopos acriter peroravit, dicens, *Se concedere ut Castella Episcopi haberent, si se jure habere debere per canones probare possent : quod quia non possent, extremæ improbitatis esse contra canones nisi velle. Et esto*, inquit, *justum sit ut habeant : Certe quia suspectum est tempus, secundum morem aliarum gentium, Optimates omnes claves munitionum suarum debent voluntati Regis contradere, qui pro omnium pace debet militare.* Albericus Regis Advocatus, ejus nomine durissima quæque minatus est Episcopis, si aliquos ex suis contra ejus Majestatem Romam mitterent : quin etiam ut illorum conatus frangeret, eodem nomine Sedem Apostolicam appellavit. *Quotropter ita discessum est, ut nec Rex censuram canonum pati vellet, nec Episcopi eam consultum exercere ducerent duplici ex causa : seu quia Principem excommunicare sine Apostolici licentia temerarium esset, seu quoniam audirent, quidam etiam viderent gladios circa se nudari. Non omiserunt tamen Legatus & Archiepiscopus, quin tenorem officii sui prosequerentur. Suppliciter enim pedibus Regis in cubiculo affusi, oraverunt ut misereretur Ecclesiæ, misereretur animæ & famæ suæ ne pateretur fieri dissidium inter Regnum & Sacerdotium.* Ipsis reverenter assurrexit Princeps, facti invidiam diluit, nihil tamen ipsorum precibus concessit. Ita refert *Willelmus Malmesburiensis* libro II. historiæ novellæ. *Mathildis* Imperatrix in Angliam trajiciens, urbes plurimas in deditionem accepit; sed mox Anglorom a se alienavit animos arrogans femina. Bellum vario eventu gestum. Interim *Gaufredus* Comes Andegavensis, *Mathildis* maritus, mortuo *Eustachio* Duce, *Stephani* Regis filio, Normanoiam sibi subegit, eoque Ducatu auxit *Henricum* suum ex *Mathilde* filium anno 1148. Is anno 1151. duxit *Alienoram* a *Ludovico VII.* Rege Christianissimo repudiatam & dotali Aquitaniæ Ducatu potitus est. Post hæc, *Stephanum* Angliæ Regem bello aggressus, magnam ipsi cladem intulit. Proceres veteris Sacramenti memores *Henrico* Duci plerique omnes studebant. Tandem eom *Stephanus Henricum* Ducem filium appellasset, Regnique denunciasset heredem, servatis quamdiu viveret Regis nomine & potestate, pax inter eos composita est anno Christi 1153. Chartam *Stephani* Regis, qua pacis conditiones continentur, exhibet *Joannes Bromton* in Chronico. Tuendæ Authoritate Ecclesiastica pacis, fractores censuris ecclesiasticis castigando, curam susceperee partis utriusque Episcopi, ut ex eadem Charta constat. Obiit Rex *Stephanus* anno 1154. Regni 19. Octobri mense. Eo regnante, *Rievallis*, *Fontium & Bellelondæ* monasteria, Cistereiensis Ordinis, in Anglia condita sunt, de quibus legendus est *Guillelmus Neuburgensis* lib. I. *De rebus Anglicis*, cap. 14. & 15. De gestis *Stephani* Regis legendi *Richardus* Prior Hagustadensis, *Willelmus Malmesburiensis* lib. 8. *Rogerius Hovedenus*, *Guillelmus Neuburgensis* lib. 1. *Henricus de Knigthon* lib. 11. de eventibus Angliæ, *Joannes Bromton* in Chronico, *Mattheus Westmonasteriensis*, *Mattheus Paris*, *Polydorus Virgilius* lib. 12. *Thomas de Walsingham*, in Ypodigmate Neustriæ, &c.

Stephani Regis & Episcoporum dissidium.

Gaufredi Comitis Andegavensis bellum cum Stephano Rege.

Pax composita.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 190. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *In Concilio provinciali sine consensu Papæ nequit Rex excommunicari.*

R. Hæc Propositio non est mea, sed Alberici Advocati Stephani Angliæ Regis in Synodo nationali, aut certe Willelmi Malmesburiensis ita scribentis : *SEU quia Principem excommunicare sine Apostolici licentia temerarium esset*, &c. Historiam refero, & verba Historici; dogma non constituo.

Nota.

OPtime animadvertit Natalis ex verbis regii Advocati, seu Willelmi Malmesburiensis dogma non constituendum; ubi erenim negari haud possit Reges esse oves particularium Episcoporum, necesse est fateri ipsorum directioni, eorumque etiam, si necesse sit, per censuras correctioni subjici, quoties Romani Pontifices non decernant absque ipsorum consensu hojusmodi pœnis non esse ab Episcopis plectendos. Ita legimus apud Gregorium Turonensem *hist. Franc. l. 4. cap. 26.* Germanum Episcopom Charibertum Regem excommunicationis vinculo innodasse, eo quod incestuosas nuptias contraxisset com Manovefa Merofledis sorore. Com vero quidam politici dictitarent Regem Lotharium ob legitimæ conjugis repudium non posse *a suis Episcopis, quidquid egerit, excommunicari* &c. & soli divino principatui subesse, ita respondit Hincmarus : *Hæc vox non est catholici christiani, sed nimium blasphemi, & spiritu diabolico pleni*. Opusc. de divort. Lotharii Regis & Teutbergæ Reginæ. Cæterum quis neget summam cautionem adhibendam, dum de Principibus excommunicandis agitur; optimumque esse, si particulares Episcopi numquam id præstent, Sede Apostolica inconsulta?

ARTICULUS VIII.

De Henrico II. & Henrico III.

STephano Angliæ Regi successit *Henricus* Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Andegavorum, Cenomanensium, & Pictonum Comes, *Gaufridi* Comitis Andega-

Henricus secundus.

dega-

degavensis, & *Mathildis* Imperatricis filius, *Henrici I.* Angliæ Regis ex filia *Mathilde* nepos, ingentis animi Princeps. *Ludovico VII.* Francorum Regi de Normannia, Aquitania, Andegavia, Cenomanis, & Turonibus Hominium præstitit anno 1155. Hominium accepit ipse a Scotorum Rege *Malcolmo*. Leges *Henrici I.* Avi sui toto Regno servari jussit. Exteros omnes, Flandros præsertim, Regno ejecit. Anno 1058. secundo coronatus est apud Lincolniam. Anno sequenti, in Paschali Solemnitate tertio coronatus est cum *Alienoride* conjuge: *Et cum ad oblationem venirent, deposuerunt coronas suas, & eas super Altare obtulerunt voventes Deo quod numquam in vita sua de cætero coronarentur*. Ita refert *Rogerius Hovedenus*. *Thomam* Cantuariensem Archidiaconum, suadente *Theobaldo*, Archipræsule, Regni Cancellarium creavit *Henricus II.* anno 1157. eodemque *Theobaldo* defuncto, Cantuariensem Archiepiscopum designavit anno 1162. Grave postea dissidium Regem inter & Sanctum Archiepiscopum ob Ecclesiæ Jura & libertatem pravis Legibus & consuetudinibus violata ortum est, quod Regis famæ labem maximam aspersit, *Thomæ* Coronam Martyrii procuravit. Hujus dissidii Historiam, & omnia ad ipsam spectantia, singulari Dissertatione exponemus. Anno Christi 1167. obiit *Mathildis* Imperatrix, & Rothomagi in Cœnobio *Sanctæ Mariæ de Pratis*, sepulta est, de qua illud ab incerto Authore editum Epitaphium in sua Britannia vulgavit *Cumdenus*:

Henrici secundi & Cantuariensis Archiepiscopi Thomæ dissidium, ob Ecclesiæ Jura pravis Legibus & consuetudinibus a Rege violata.

Mathildis Imperatricis obitus.

Ortu magna, viro major, sed maxima prole,
Hic jacet Henrici filia, sponsa, parens,

Filia scilicet *Henrici I.* Angliæ Regis, conjux *Henrici IV.* Germaniæ Imperatoris, mater *Henrici II.* Angliæ Regis. Hic ex *Alienora* uxore filios quatuor susceperat, *Henricum*, *Gaufridum*, *Richardum*, & *Joannem*. *Henricum* natu majorem Regni Anglici & Normannici Ducatus heredem dixit; *Richardum* Aquitaniæ; *Gaufridum* minoris Britanniæ, quam in potestatem redegerat, nulla *Joanni* relicta provincia, qui propterea, *sine terra*, nuncupatus est. *Henricus* patre superstite Angliæ Rex inauguratus & appellatus est. Postea coronata est *Margareta* conjux, *Ludovico VII.* Francorum Rege, cujus filia erat, urgente. Secundum hæc, *Henricus* Senior Angliæ Rex vindicem numinis dexteram super se sensit aggravatam, *Henrico* filio Rege Juniori, cum *Richardo* & *Gaufredo* fratribus in se conjuratis, ac bellum in Normannia, Aquitania, & Britannia moventibus. *Henrici Junioris* partes *Ludovicus* Rex Francorum tuebatur. *Henricus II.* hucusque tot hostium domitor, qui nempe Vallenses frænarat, *Gaufredum* fratrem, Chinone castro munitissimo complanato, tumultuandi fecerat impotentem, qui ducto in Wasconiam exercitu, Cadurcum, arcesque plurimas receperat; qui Aremoricam Angliæ Regno adjunxerat, seu potius *Gaufredo* filio tradiderat, juncta ipsi Ducatus herede: Qui subegerat Hiberniam; se in summo discrimine positum vidit totius amittendi Regni; domesticis, externisque hostibus simul irruentibus. Hinc sibi perduelles; inde Rex Francorum, cum Flandrensi Comite; illinc Rex Scotorum, cum singulis exercitibus imminebant. *Henricus* in tantis constitutus angustiis, Deumque ultionem de persecutione *Sancti Thomæ* Cantuariensium Archipræsulis repetere intelligens, ad Justitiam ejus Sancti Martyris intercessione, & sincera pœnitentia ac humilitate placandam animum convertit. Cantuariam itaque profectus, ex quo Ecclesiam in qua *Sancti Thomæ* corpus conditum est prospexit, ex equo desiliens nudis pedibus, pannis laneis asperisque indutus, corde compunctus, tria milliaria confecit. Cumque ad Sacrum locum pervenisset, supplicem se abjecit ad Sepulchrum Martyris, uberes lachrymas fudit, a Sacerdotibus & Monachis Cantuariensibus virgis cædi voluit, noctem in oratione, jejunio, & planctu, ad Sancti Martyris Sepulchrum prostratus transegit, Ecclesiam Cantuariensem multis donis ornavit, redditibus auxit; audita summo mane *Missa*, Londinum rediit. Hæc gesta anno Christi 1174. Humilem ac Pœnitentem Regem Deus contra hostes numero viribusque formidandos adjuvit. Ipsa die qua ad Sepulchrum *S. Thomæ* prostratus supplicabat, Scotiæ Rex ab exigua Anglorum Equitum manu captus est, & ad *Henricum II.* perductus, Scotorum acies mutuam in cædem sæviere. Subinde Rothomagum *Henricus* advolavit, cujus obsidionem Rex Francorum cum *Henrico III.* Rege ejus filio perduelli urgebat. Copiis per medios hostium cuneos traductis, urbem ingressus, ipsos obsidionem solvere compulit. Septembri mense die Natali Deiparæ Virginis, Rex Francorum, Junior Angliæ Rex *Henricus III.* & *Henricus II.* Angliæ Rex Pater colloquio Gisortii habito inducias pepigere, a quibus exclusus est *Richardus*, qui in Pictavia bellum etiamnum adversus patrem gerebat. Illuc properans cum copiis *Henricus* pater, ipsum ad veniam, gratiamque suam rogandam adegit. Colloquium alterum inter Principes indictum inter Turones & Ambasium Castrum, pridie Kalendas Octobris habitum est. *Ludovicus VII.* Rex Christianissimus, cum Baronibus Franciæ, pacis inter *Henricum II.* Anglorum Regem, & filios *Henricum III.* Regem, *Richardum* & *Gaufridum* arbiter fuit. Pacti conditiones *Henrico* Patri gloriosæ fuere, qui ditionum omnium, Angliæ scilicet, Scotiæ, Hiberniæ, Normanniæ, Aquitaniæ, Pictonum, Andegavorum, Cenomanorum, Aremoricæ supremum dominium, possessionem, administrationemque retinuit, quibusdam castris dumtaxat ac redditibus filiis ad vitam ac dignitatem sustentandam assignatis. *Richardus* & *Gaufridus* Hominium Patri præstiterunt: *Henrico* ad idem faciendum parato, propter dignitatem Regiam Hominii servitutem condonavit, securitate ab ipso accepta. Pacta conventa apud *Rogerium Hovedenum*, posteriori Annalium parte pag. 540. & 541. legere est. Anno 1175. *Willelmus* Rex Scotorum libertate donatus, cum *Davide* fratre, & universis Præsulibus ac Proceribus ditionum suarum, fidelitatem juravit, hominiumque præstitit Angliæ Regibus Patri & Filio, pacemque roboravit antea pactam dum Falesiæ in custodia teneretur. Anglicanæ Ecclesiæ jus in Scotorum Ecclesias assertum. Pactorum exemplar exhibet *Rogerius Hovedenus* pag. 545. & 546.

Henricus secundus acta ad S. Thomæ Martyris tumulum pœnitentia de Hostibus victor evadit.

Ludovicus septimus Rex Christianissimus pacis inter Anglum & ejus filios arbiter.

Anno millesimo centesimo septuagesimo-sexto, *Henricus II.* Notingæ Conventum habuit, ubi Regno sex in partes diviso in singulis tres Justitiæ Administros ac Præfectos itinerantes constituit, accepto ab ipsis Sacramento de Legum executione procuranda, quæ in Placitis, seu *Assisis* (ut illa ætate loquebantur) Clarenduni, & Nortanctonæ habitis conditæ fuerant ac promulgatæ. Has qui nosse cupit, adeat *Rogerium Hovedenum* pag. 549. Eodem anno *Joannam* filiam *Vuillelmo* Siciliæ Regi uxorem dedit. Chartam Dotalem exhibet *Rogerius* pag. 551. Eadem tempestate *Vivianus* S. R. E. Presbyter Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus ab *Alexandro III.* in Scotiam, & circumjacentes Insulas missus est, ut Ecclesiæ statum in illis regionibus componeret. Qui cum in Angliam appulisset licentia a Rege non petita, *Rex misit ad eum Richardum VVintoniensem, & Gaufridum Eliensem, Episcopos, ut interrogarent eum cujus authoritate ausus erat intrare in Regnum suum sine licentia ipsius. His igitur interrogationibus prædictus Cardinalis plurimum territus, de satisfactione juravit Regi, quod ipse nihil ageret in Legatione sua contra voluntatem ipsius & sic data est ei licentia transeundi usque in Scotiam*. Ita refert *Rogerius Hovedenus*.

Comitia Notingæ habita.

Henricus secundus Legato Apostolico succenset, quod ejus Regnum sine Majestatis suæ licentia ingressus sit.

Henrici II. Angliæ Regis amicitiam coluit *Manuel* Græcorum Imperator, qui prælii a Christiano exercitu contra Soldanum Iconii commissi Relationem accuratam ad ipsum misit anno ipso 1176. quam suis Annalibus inseruit *Rogerius de Hovedeu* pag. 554. *Alfonsus* Castellæ & *Sanctius* Navarræ, Reges post multa prælia, quibus eorum controversiæ de Castellis & terris aliquibus dirimi non potuerant, earum arbitrium *Henrico* Angliæ Regi detulerunt, qui ipsorum Oratoribus, querelis, & orationibus visis & auditis, in Conventu Præsulum ac Procerum Regni sui frequentissimo, Jus ipsis dixit. Omnia Instrumenta hancce causam spectantia *Rogerius Hovedenus* ad posteritatis memoriam transmisit, posteriori parte Annalium, ad annum 1177.

Ab Alfonso Castellæ & Sanctio Navarræ Regibus arbiter electus, eorum controversias finit.

Eodem anno *Petrus* Tituli *Sancti Chrysogoni* Presbyter Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus ab *Alexandro III.* Pontifice Maximo in Gallias missus est, habuitque in mandatis, ut Normanniæ & omnibus

Re-

Regis Angliæ ditionibus Sacris Officiis & Sacramentis interdiceret, nisi *Alesiam Ludovici* Francorum Regis Filiam, jam viro maturam, a Filio suo *Richardo*, cui desponsa fuerat, duci permitteret. Qua de re certior factus *Henricus*, Appellatione ad Summum ipsum Pontificem interjecta, Legati consilia elusit. Sacram expeditionem juravit, inita cum Rege Christianissimo concordia. Instrumentum ea de re confectum, apud *Rogerium de Hoveden* pag. 570. legere est. Eodem anno vertente, Marchiæ Comitatum emit ab *Andeberto* Comite, qui sæculo valedicere, & uni Deo vacare decreverat. Charta venditionis apud Grandemmontem data, legitur in Annalibus *Rogerii Hovedeni*, pag. 572.

Anno 1180. Leges a *S. Eduardo* Rege conditas & a *VVillelmo I.* renovatas, rursus promulgavit *Henricus II.* Has *Rogerius* ad hunc annum recenset. Anno 1183. *Henricum II.* inter & filios ejus *Henricum & Gaufridum* novum dissidium ortum est, quod Aquitaniæ Baronibus perduellibus contra patrem faverent. *Richardus* Cantuariensis Archiepiscopus, & Episcopi Roffensis, Bajocensis, Ebroicensis, Lexoviensis & Sagiensis, cum Normanniæ Abbatibus in Monasterio Cadomensi *S. Stephani* congregati, omnes qui pacem inter Regem & filios faciendam impedirent, diris omnibus Christiano ritu devoverunt, uno Rege filio excepto *Henrico Juniore*. Is eodem anno obiit prope Lemovicum, atque in extremis positus impietatem in patrem, cæteraque peccata, humillima pœnitentia expiavit. Corpus ejus Rothomagum delatum, in Ecclesia Metropolitana sepultum est. Anno 1186. *Gaufredus* Britanniæ Comes Regis *Henrici* filius Parisiis ab equo dejectus, & attritus obiit.

Mors Henrici Junioris Regis.

Anno 1189. cum *Philippus Augustus* Rex Francorum Henrico Anglorum Regi bellum indixisset, *Joannes Anagninus* Cardinalis Legatus Apostolicus ad pacem inter Reges componendam missus a *Clemente III.* Pontifice Maximo, *Interdictum* Regno Francorum minatus est, nisi *Philippus* cum Angliæ Rege pacem faceret. Rex Augustus respondit: *Quod Sententiam suam non timeret, nec teneret, cum nulla æquitate niteretur. Dicebat enim quod non pertinet ad Ecclesiam Romanam in regnum Franciæ per Sententiam, vel alio modo animadvertere, si Rex Franciæ in homines suos demeritos & regno rebelles, causa injurias suas & Coronæ dedecus ulciscendi insurgit.* Ita refert *Rogerius Hovedenus*. Insuperhabitis itaque Legati Apostolici minis, bellum Anglo intulit, plura oppida castraque, tandem Cenomanum, & Turones expugnavit. Rex Angliæ ad angustias redactus, pacem ad nutum Regis Francorum pepegit. Mox mœrore confectus ob filiorum defectionem, qui hanc adversus illum tempestatem excitarant, illis maledixit: ac febre ad mœrorem accedente, facta peccatorum exomologesi, & Communione Corporis & Sanguinis Domini pie suscepta, obiit Chinone in Octavis SS. Apostolorum *Petri & Pauli*, cum annos 34. menses 7. & dies 4. regnasset. Corpus ejus in Fontis Ebraldi Parthenone sepultum est. Præclaras animi dotes nonnullis vitiis infuscavit. Nam præter Sancti Cantuariensium Archipræsulis vexationem, & Ecclesiasticæ oppressionem libertatis, cujus diu multumque reus fuit, in libidinem pronior erat, conjugalem modum excedens; venationis plus æquo amans; Judæorum fautor propter emolumenta quæ ex eorum fœnerationibus percipiebat; pecuniæ supra modum avidus. A *Guillelmo Neuburgensi* etiam notatur, quod *Vacantes Episcopatus ut provenientia perciperet commoda, diu vacare voluit, & Ecclesiasticis potius usibus applicanda in Fiscum redegit.* Cæterum tuendæ publicæ pacis & justitiæ studiosissimus fuit: viros Religiosos coluit; & res eorum æquo eum suis dominiis jure conservari præcepit: Nullum grave onus subditis imposuit, una decimatione excepta, quæ Hierosolymitanæ causa expeditionis facta est. *Tributum more aliorum Principum, sub cujuslibet necessitatis obtentu, Ecclesiis sive Monasteriis numquam indixit: quibus etiam ab angariis & exactionibus publicis religioso studio Immunitatem servavit* (ut refert Willelmus Neuburgensis lib. III. cap. XXVI.) Anti„ quam inhumanam circa naufragos consuetudinem „ in ipsis Regni sui initiis eximia pietate correxit: „ atque hujusmodi hominibus ab æquoreo discrimine „ libertatis humanitatis officium exhiberi præcipiens, „ graves in eos pœnas sanxit, qui forte illis in ali„ quo molesti esse, vel de rebus eorum quippiam u„ surpare præsumerent (inquit idem Author) *Alexandrum III.* Pontificem Maximum inter primos recipiendo, ejusque partes adversus Schismaticos tuendo, optime de Ecclesia meritus est. Crucis insigne sumpserat cum Francorum Rege, biennio pene antequam e vita excederet; ac votum implevisset, nisi bellis ac negotiis domesticis fuisset retardatus, ac tandem morte interceptus. *S. Hugonem*, quem ad Lincolniensem Episcopatum ex Priore Carthusiæ provexerat, summa veneratione prosecutus est. In Monasterium Fontis Ebraldi totumque Ordinem munificentissimum se præbuit, quo nomine in Necrologio celeberrimi illius Parthenonis commendatur. Ejusdem munificentiam in cæteros Ordines, domosque Religiosas, Cluniacensis Congregationis, Carthusiensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Cisterciensis, Militiæ Templi, & hospitalis Hierosolymitani, profusasque eleemosynas ad pauperes & liberas fœminas omnium ditionum suarum honeste collocandas, testatur ipsius Testamentum anno 1182. conditum, quod Chronico suo ad eum annum inseruit *Gervasius Dorobernensis*. Mirum videtur ac insolens, quod paulo ante de *Rogerii* Eboracensis Archiepiscopi Testamento decreverat. Gravi correptus infirmitate, imminentem præsentiens, obitum, res suas in pauperum usus distribuit, & inter alia *Willelmo* Remensi Archiepiscopo & cæteris Regni Francorum Episcopis plusquam quingentas libras argenti misit, pauperibus erogandas: similiter Rothomagensi Archiepiscopo, & cæteris Episcopis Normanniæ: similiter Cantuariensi Archiepiscopo & cæteris Episcopis Angliæ. Cum autem regi nuntiatus esset Archipræsulis obitus, *Misit Ministros suos per Archiepiscopatum Eboracensem, præcipiens quod universa, quæ prædictus Archiepiscopus in infirmitate sua distribuerat, confiscarentur, sicque factum est: Nam tota divisa, quam ipse in infirmitate sua fecerat, per Præceptum regis ad nihilum redacta est. Dicebat enim Dominus Rex, quod præfatus Eboracensis Archiepiscopus judicium fecerat in vita sua, quod de jure non liceret alicui viro Ecclesiastico divisam facere, nisi prius quam ægrotare inciperet.* Ita refert *Rogerius Hovedenus* posteriori parte Annalium ad annum 1181. Præter quem de *Henrici II.* Gestis legendi sunt Authores Vitæ *Sancti Thomæ* Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris, *Guillelmus Neuburgensis* lib. III. de rebus Anglicis, *Gervasius Dorobernensis* in Chronico; *Radulphus de Diceto* in Imaginibus Historiarum, *Joannes Bromton* in Chronico, *Henricus de Knigthon* lib. II. de Eventibus Angliæ, *Matthæus Westmonasteriensis* in Floribus Historiarum, *Matthæus Paris*, *Polydorus Virgilius* lib. 13. &c.

Legato Apostolico Interdictum minitanti, nisi cum Anglorum Rege pacem faciat, libere respondet Philippus Augustus.

Henrici III. obitus.

Ejus vitia, & virtutes.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 196. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Legatus Papæ redarguitur a Rege Henrico II. quia in Angliam ingressus est sine ejus licentia.*

R. Facti Quæstio est, nec mea, sed *Rogerii de Hoveden*, verba sunt.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 198. hanc Propositionem notant RR. Censores: *Excommunicatio pro temporalibus negotiis Regnum, nulla.*

R. Hæc Propositio non est mea: factum dumtaxat refero singulare ex *Rogerio de Hoveden* probatæ fidei Historico. Legatus Apostolicus Interdictum regno Francorum minatus est, nisi Philippus Augustus cum Angliæ rege pacem faceret. Rex respondit: *Quod sententiam suam non timeret nec teneret, cum nulla æquitate niteretur. Dicebat enim quod non pertinet ad Ecclesiam Romanam in regnum Franciæ per sententiam vel alio modo animadvertere, si Rex Franciæ in homines suos demeritos & regno rebelles, causa injurias suas & Coronæ dedecus ulciscendi insurgit.* Hæc Ro-

gerius

gerius de Hoveden in Historia sua refert. Nullam ex hoc regis Augusti responso infero consequentiam; rem gestam simpliciter enarro.

ARTICULUS IX.

De Richardo I.

RIchardi, cui cognomen *Cor Leonis*, in paternas ditiones successio, subditis solatio fuit, qui tum illud usurpare potuere:

Mira canam, Sol occubuit, nox nulla secuta est. Namque, *Sol pater, & radius filius ejus erat*, (inquit *Rogerius Hovedenus*.) Normannici primum Ducatus gladio a *Waltero* Archiepiscopo Rothomagensi accinctus, redemptis Castris & Civitatibus, quas *Philippus Augustus* Rex Francorum superiori bello expugnaverat, & *Henrico* Patri suo eripuerat, promulgato Edicto, omnes quos pater in custodiam tradiderat, libertate donavit. Mox in Angliam secundis ventis delatus, tertio Nonas Septembris, die Dominica a *Balduino* Cantuariensi Archiepiscopo Londini Rex inauguratus est. Coronationis ejus Ordinem Ritumque describit *Rogerius* pag. 656. Judæis funesta fuit ea dies, multis in seditione occisis: non minor fuit in aliis Civitatibus circumcisorum hominum strages. Regis volontate facinus falso excusabatur: cui summopere displicuit. Anno millesimo centesimo-nonagesimo, *Richardus* Angliæ, & *Philippus Augustus* Franciæ, Reges, mutua pace jurata sacram expeditionem sunt aggressi. Rex Francorum prior Messanam appulit nobilem Siciliæ civitatem. Illuc postea pervenit Angliæ Rex. Cives duorum hospitio Regum se gravatos iri arbitrati, Anglo portas clausere. Urbem expugnavit *Richardus*, & a Messanensibus obsides accepit, donec *Tancredus* Siciliæ Rex sibi fecisset satis. Concordia inter Reges Franciæ & Angliæ renovata; Leges Clericis, Militibus, Nautis, Mercatoribus, Hierosolymitanum iter professis, ambobus a Regibus communi consilio latæ, quas inter hæc observatione digna: *Nemo in toto exercitu ludat ad aliquod genus ludi pro lucro, exceptis Militibus & Clericis, qui in tota nocte & die nonnisi viginti solidos amittent.* Qui hanc summam excesserint, centum solidis mulctantor. Pacem deinde fecit *Richardus* cum *Tancredo* Siciliæ Rege ea conditione ut Siciliæ Rex filiam suam *Arthuro* Britanniæ Duci, ipsius *Richardi* nepoti collocaret: accedente Summi Pontificis dispensatione, propter consanguinitatem necessaria. Id constat ex Conventorum Instrumento, & *Richardi* regis Epistola ad *Clementem* Romanum Pontificem, a *Rogerio Hovedeno* descriptis posteriori parte Annalium ad annum 1190.

Richardus & Philippus Augustus ad sacram expeditionem fœderati.

Supremam regni administrationem *Willelmo* Eliensi, Episcopo, Regni Cancellario, discedens *Richardus* commiserat, eique legationem Apostolicam insuper impetrarat a Romano Pontifice. Ille vero utraque potestate ad tyrannidem insolenter abusus est. Quamobrem a *Joanne* Regis fratre, Episcoporum & Optimatum consilio, in ordinem est redactus. & e Regno expulsus. Regni vero administratio *Waltero* Rothomagensi Archiepiscopo, viro prudenti & modesto, quem Rex e Sicilia in Angliam remiserat, ut Cancellarii in ministerio consors esset, tradita est. Interim Cyprum Insulam in potestatem redegit Angliæ Rex expugnata subinde a confœderato Christianorum exercitu Ptolemaide sive Accone, Rex Francorum noxium aerem causatus, in Gallias rediit. Interea Eliensis Episcopus a Regni administratione finibusque pulsus *Cœlestinum* appellavit Pontificem maximum, qui ipsum in pristinam dignitatem, honorem ac munus restitui jussit, omnibusque Angliæ Archiepiscopis mandavit, ut dejectionis ejus authores, consiliarios, complices & fautores anathemate confoderent. *Willelmus* Eliensis, Legationis Apostolicæ authoritate Episcoposae Proceres plurimos excommunicavit, inprimis *Walterum* Archiepiscopum Rothomagensem. At neque mandatorum Apostolicorum, nec excommunicationis ab eo latæ ratio habita ulla est; quoniam de re temporali agebatur, & *Willelmus* Cancellarii dignitate ad tyrannidem abusus erat, cum in Ecclesiam, tum in Proceres, plebemque Anglicanam, & Regios Thesauros dilapidaverat. Quamobrem Rothomagensis Archipræsul, magistratuum Regni consilio omnes Episcopatus Eliensis reditus in fiscum redegit, teste *Rogerio Hovedeno*. *Richardus* Rex in Syria Saladinum premebat, cujus cum exercitu commisso prælio, insignem victoriam reportavit, eumque adegit ad civitates plurimas evertendas, ne in Christianorum confœderatorum potestatem venirent. *Richardus* Rex de Christianæ rei in Syria promotione ob Christianorum Ducum dissensionem desperans, reditum adornavit, *Joppe* a Turcarum obsidione liberata, pactisque cum Saladino in triennium induciis. *Henrico* Campaniæ Comiti, suo Regisque Francorum nepoti, Regni Hierosolymitani reliquias tradidit annuente Guidone Lusignano olim Hierosolymorum Rege; cui Cypri regnum, sub hominii sibi præstandi conditione contulit. Rediens cum naufragium vix evasisset, sæviorem in continenti expertus tempestatem est. A *Leopoldo* scilicet Austriæ duce, privatæ injuriæ memore interceptus, *Henrico* Imperatori traditus est, qui eum in custodia detinuit. Interim *Philippus* Rex Francorum Normanniam infestabat; *Joannes Richardi* frater, Angliæ regno inhians turbas excitabat, captivi Regis calamitate abusi. *Cœlestinus* Pontifex *Henrico* Imperatori censuras ecclesiasticas minatus est, nisi Regem Anglorum dimitteret; item Regi Francorum, nisi ejus ditionibus parceret. Pax tandem Imperatorem inter & *Richardum* constituta. Centum & quinquaginta mille marcis argenti redemit iste libertatem, pecunia partim a fidelibus subditis liberaliter oblata, partim mutuo, partim ex Ecclesiarum thesauris ab Episcopis accepta, promissa sub juramento nomine Regis restitutione. Id constat ex Epistola *Richardi* ad *Alienoram* Reginam matrem, & magistratus Angliæ, quam apud *Rogerium Hovedenum* pag. 726. legere est, & ex forma compositionis inter *Henricum* Imperatorem & Regem Angliæ, apud eumdem scriptorem pag. 728. In Angliam redux *Richardus*, secundo coronatus est, die 17. Aprilis anni 1194. Induciis deinde cum Rege Francorum pactis, Justitiæ Præfectos per singulos Angliæ Comitatus misit. *Justitiarios errantes* vocat *Rogerius Hovedenus*. Promulgata capitula ex quorum præscripto jus dicerent, quæ idem Author suis annalibus inseruit pag. 744. & sequentibus.

Richardi Regis præclare gesta in Oriente.

Willelmus Eliensis Episcopus & Legatus Apostolicus sacra & civili Authoritate abutitur.

Richardus Rex in reditu a Leopoldo Austriæ Duce interceptus, & Henrico Imperatori traditus.

Justitiæ Præfecti per singulos Angliæ Comitatus a Richardo missi.

Anno 1196. Pax *Richardum* Angliæ Regem inter & *Philippum Augustum* Francorum inita est haud diu duratura. Brevi siquidem elapso tempore bellum redintegravit *Augustus*, & * Albemarlam obsidione cinxit. Anglus possessiones omnes & facultates Abbatum Cluniacensis, Majoris Monasterii, Sancti Dionysii, & Prioris Caritatis, in suis ditionibus capi jussit; illi namque fidejussores de pace servanda Regi Angliæ pro Rege Christianissimo fuerant, & 15. millia marcarum argenti Anglo promiserant, si *Philippus* Rex pacta conventa violaret; ut refert *Rogerius Hovedenus*. Anno 1197. inter *Walterum* Archiepiscopum Rothomagensem & Regem Angliæ ortum dissidium est, quod Rex in Villa Andeliaco, quæ Rothomagensis Ecclesiæ Patrimonium erat, arcem extruxisset absque ejus assensu. Hac de re legenda *Walteri* Epistola querelarum plena ad *Radulphum* Decanum Londinensem apud *Radulphum de Diceto* Injuriam damnumque Ecclesiæ, lato in totam Provinciam Interdicto, Archiepiscopus ultus est. Causa *Cœlestini III.* Pontificis Maximi arbitrio a partibus permissa. Rex missis Oratoribus factum excusavit, quod Villa, Castrumque ipsi necessaria essent ad incursus Regis Francorum in Normanniam prohibendos: & nihilominus Archipræsuli & Ecclesiæ Rothomagensi justam compensationem, proborum & sapientum virorum judicio obtulisset. Archipræsulem censuræ precipitis arguit Summus Pontifex, ipsique jussit negotium cum Rege amice componeret. Interdicto vero Normanniam absolvit, *Regi licere asserens infirmiora terræ suæ munire, ne perinde damnum sibi & suis contingat*. Richardus Rex, convocatis Episcopis, Abbatibus, Comitibus & Baronibus Normanniæ, *Waltero* Archipræsuli, ejusque Successoribus pro * Andeliaco *Deppam* * cum appendicibus, *Locoverim* *, *Butilum* *, Syl-

* Aumale.

Dissidium inter Walterum Rothomagensem Archiepiscopum & Richardum Regem.

Cœlestinus III. Archiepiscopo jubet ut negotium cum Rege amice componat.

* Andeli.
* Dieppe.
* Leuviers.
* Boteilles.

Alier-mont.

Sylvam *Alacris montis*, & Molendina Rothomagensis urbis in perpetuum concessit. Chartam Excambii describunt *Radulphus de Diceto in* Imaginibus Historiarum, & *Matthaeus Paris* ad annum 1197. Commutationem Pontificio Diplomate confirmavit *Innocentius III.* In obsidione *Calaci* *, quod Castrum est in Lemovicis, sagitta in brachio percussus, male curato vulnere, *Richardus* Rex occubuit. Corpus ejus ad *Fontem Ebraldi* sepultum est: Cor in Metropolitana Ecclesia Rothomagensi conditum. Christiane obiisse, Chronicon *Joannis Bromton* testatur. Jam ab anno 1195. *Richardum* Regem mores in melius mutasse, *Rogerius Hovedenus* testis est.

* Chalus.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 203. Edit. primæ Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Non æstimatur Excommunicatio Papalis in Anglia, quia causa erat temporalis.*

R. Hæc verba mea non sunt: Scripsi tamen nullam habitam fuisse rationem excommunicationis a Willelmo Eliensi Episcopo & Legato Apostolico in Episcopos & Proceres Anglicanos latæ in causa mere temporali, & ad Ecclesiæ Jurisdictionem non spectante. Refert *Rogerius de Hoveden* in Historia Anglicana; ego ex illo, ejusque verba lectorum oculis subjicio. Factum mere Historicum est: in jus eo loci non inquiro.

IN HISTO-

IN HISTORIAM
ECCLESIASTICAM
SÆCULI XI. ET XII.
DISSERTATIONES SELECTÆ.

JOANNIS DOMINICI MANSI
DISSERTATIO.

De Conciliis in causa schismatis Cadaloi cum Alexandro.

De Conciliis in causa Schismatis Cadaloi cum Alexandro Dissertationem olim adornavi, quam hic suo loco repetendam duxi, utpote quam satis opportunam ad res Alexandri Pontificis existimo.

INter ea quæ in historia ecclesiastica magnis adhuc obvoluta tenebris sedulam scriptoris operam efflagitant, ut offusa tandem depulsa caligine in eam producantur lucem, qua plura olim obscura, nunc diligentia summorum virorum perspicua effecta sunt; via dubito obscurius aliud occurrere præ historia schismatis in Alexandrum II. a Cadaloo Parmensi Episcopo, dein factione Germanorum Pseudo-pontifice excitati. Hujus quamvis exordia comperta sunt, exitus tamen latet; nam Baronius intra triennium claudit, ratus anno 1064. Mantuanum Concilium convenisse cujus sententia res ecclesiæ Romanæ composuit. Pagius ad annum 1067. prorogat; Ptolemæus Lucensis apud eumdem Pagium annum 1069. maluit. Mihi vero in meis ad Pagium annotationibus nova sententia sedit, eum ad annum usque 1072. eam Synodum exitumque schismatis promoverim. Hæc ergo olim; hæc nunc pariter sentio; quamquam secundis curis res tota discussa, alia plane nonnulla dispexisse mihi visus sum, quæ tunc scribentem fugerant. Ea omnia in peculiari hac dissertatione exponenda.

Totius hujus historiæ decurrendæ vix ducem mihi olim, & nunc pariter constituo Benzonem Albæ Pompejæ in Insubria Episcopum, qui tunc, cum illa omnia agebantur, non præses tantummodo aderat, sed & rerum gestarum author potissimus fuit. Erat ille quidem iniquissimo in legitimos Romanos pontifices animo, quod forte Simoniaci criminis reus ultorem pontificem Nicolaum II. senserit. Profecto Cardinalis Aragonius in vita Nicolai II. quam e Vaticanis monumentis collegerat, repressam ab eo pontifice audaciam Longobardorum episcoporum narrans, Benzonem Albensem inter eatenus recenset. Ipse vero Benzo in eo, quod scripsit panegyrico, seu historia Henrici III. Imperatoris non improbare se Sacerdotiorum emptionem significat. Quamquam igitur scriptoris hujus sublesta fides habenda est, dum crimina sanctissimorum pontificum Alexandri II. & Gregorii VII. tam multis exaggerat, in reliquis tamen, in quibus nihil odium, & detractio valet, fidem indubitatam meretur præ cæteris qui vel ætate vixerunt ab his remotiori, vel coævi licet, rerum tamen quas narrant, erant incuriosi. Quamquam & rara sunt quæ coævi scriptores his de rebus habent, quæ cum Benzone non cohæreant, ut subinde demonstrabimus. Hanc vero ipsam historiam vel panegyricum Henrici III. Imp. a Benzone scriptam præ oculis habere me sciant Lectores, eum authorem istum laudo, quod sane opus ad nostram usque ætatem latens prior edidit Joannes Burchardus Menkenius inter scriptores rerum Germ. To. 1. pag. 957. quam editionem ignorans Jo. Petrus Ludewig in Tom. IX. Reliquiarum an. 1731. iterato illam produxit. Ita ergo tota schismatis hujus historia ex Benzone, cui tamen ego annorum, & temporis certas notas suppeditabo, quo res ipsa planior fiat, & perspicua.

Nicolao II. rebus humanis exempto anno 1061. Longobardiæ Episcopi, illi forte, quos Nicolaus II. vel compuerat, vel loco amoverat, juncto cum Episcopis Germaniæ, qui Cæsarianas partes tuebantur, consilio, Basileam ad concilium convenerunt, ibique decreto prius emisso de Pontifice nonnisi ex Italia petendo e suis quosdam ad aulam Imperatoris ablegarunt, Pontificem pro suo voto postulaturi. Dum hæc agerentur, sanior cleri Romani pars in cœtum juncta Anselmum Lucensem Episcopum sub Alexandri II. nomine Pontificem renunciavit. Assumptus est ipsa die Kalendarum octobris ut asserit S. Petrus Damiani in concertatione Regii Romani defensoris. Redierunt interea ea aula legati Basileenses cum Regis facultate de eligendo Cadaloo. Parmensi Episcopo in Pontificem, quæ sane electio factione quorumdam obtinuit. Sic ego rem compono fidem præstare renuens Benzoni, qui in gratiam Pontificis sui narrationem suam ita instituit, ut Cadaloi electionem assumptioni Alexandri tempore præferat lib. 2. cap. 4. Cum vicissim Leo Ostiensis lib. 3. cap. 20. tradat Cadaloum integro fere mense ipsa scilicet die festa SS. Apostolorum Simonis & Judæ posteriorem esse Alexandro.

His actis Cadalous Romam transferendus erat, quam tamen adversus illum Alexander II. tuebatur cum Richardo Normannorum duce. Res igitur armis præstanda; quare comparatis militum copiis jussus est Benzo Albensis Episcopus electum suum Romam adducere; sed pluviis obstantibus, & Gothofredo Barbato, Beatricis, quæ Tusciæ principabatur, consorte itinera obsidente, res in annum sequentem protracta est. Die VIII. Kal. Apr. an. 1062. Sutrium ingressus est, teste Benzone lib. 2. cap. 9. ac deinde 14. Apr. ut in actis Alexandri a Card. Aragonio collectis adnotatum est, Romam propius successit. Romanorum animos munerum pellectu, verborumque lenocinio præmissus eo Benzo præparaverat: nihilo tamen secius urbem ingredi numquam datum est Cadaloo, qui in pratis Urbi adjacentibus cum exercitu suo consedit.

sedit. Hinc utrimque collocutiones & pacta quædam altrinsecus proposita, donec tandem Gothofredus id soggessit consilii; nimirum ut electus uterque in privatam diœcesim suam Parmensem nempe, & Lucensem concederent, donec ex aula oraculum expectaretur.

Uterque igitur electus abiit in diversa, Alexander Lucam, Cadalous Parmam. Sed hoc ipso forte anno antequam S. Petrus Damiani ad eremum secessisset, eodem præsente cum cæteris & ante profectionem Lucanam Alexander concilium habuit, in quo de causa Forosemproniensis ecclesiæ tractatum est. Acta hujus judicii, vel synodi extant apud Labbeum ad ann. 1062. Porro Alexander toto reliquo anno 1062. Lucæ egit, ut non obscure demonstrant temporis notæ adscriptæ Lucensi illi Concilio, de quo statim. Anno vero sequenti ineunte viæ jam se dederat rediturus Romam; nam die VII. Id. Jan. anni 1063. in Comitatu Senensi agens diploma illud signat, quod Florentinus in append. vet. monum. ad vitam Mathildis n. 9. producit.

Moram in civitate sua episcopali trahens Alexander convocato concilio judicium instituit de abbatissa monasterii S. Justinæ, quam sanctimoniales quædam per calumniam accusaverant. Concilium illud, quod hucusque Collectores latuit productis actis dedi in meo Conc. supplemento To. I. pag. 1368.

Ita pariter & Cadalous Parmæ confidens concilium factiosorum hominum convocavit, ut Benzo ipse tradit, & ex Benzone ego suo loco.

Quid vero actum sit in Germania operosiori disquisitione hic disputandum. Si enim historicos ecclesiasticos audias, Germani Episcopi cum Italis plane multis in Concilium Coeuntes (quod in locum ignotum Osborium indictum fuisse ex S. Petro Damiani affirmant) coeuntes, inquam, in Concilio definierunt Alexandri II. electionem ratam & legitimam esse, Cadaloi vero inauspicatam, quem postremum & lata sententia deposuerunt. Concilium hoc Germanicum veteres omnes Germanos scriptores etiam coævos latens, suspectum mihi olim efficiebatur. Nihil de illo Sigebertus, nihil Lambertus, nihil etiam Benzo qui in narratione hujus schismatis puppim, & proram facit. Sed, inquiunt, Leo Ostiensis, qui tunc florebat, id tradit verbis adeo perspicuis, ut interpretationem omnem respuant. *Eodem anno* (de Cadaloo loquitur) *idest in prædictorum Apostolorum Simonis & Judæ Vigiliis ab omnibus Theutonicis, & Italicis Episcopis, qui cum Rege tunc aderant, justo Dei judicio damnatus est ac depositus.* Congruit his omnibus S. Petrus Damiani, qui in disceptatione synodali inter Regis advocatum, & Romanæ ecclesiæ defensorem §. 1. scribit: *quoniam & in proximo ut speramus fiet hic Osboriense Concilium &c.* Quod ergo Concilium mox habendum enunciat Damianus, id reipsa habitum Ostiensis asserit.

Quamquam ego pariter concilium in Germania aliquod admitto; illi tamen asserendo alterius plane testimonio utendum est ac illo, quod ex recitatis Ostiensis verbis a Criticis doctissimis affertur. Nam ab Ostiensi concilium hoc cum Mantuano confusum facile intelliget quisquis noverit scriptorem illum asseruisse, Cadaloum in synodo illa damnatum aufugisse, *nec ultra venire ad has partes apposuisse*. Id enim sicut de Mantuano Concilio verum est, ita in Germanico omnino fallit. Rediit enim Romam Cadalous anno seq. 1063. ibique integro quinquennio substitit. Rejecto igitur Ostiensi concilium istud Germanicum, quod Osboriense dicendum esse ex S. Petro Damiani constat, multo validius asseritur ex eodem S. Petro Damiani, qui eadem ipsa verba recitat ab Ostiensi excripta, & interpolata. Cedo mihi verba ejus ex Ep. III. lib. IV. ad Conipertum. *Cadalous siquidem ipsa festivitatis die SS. Apostolorum Simonis, & Judæ quasi in Papam Deo reprobante, ac repellente, fuit electus; eodemque vertente anno in prædictorum Apostolorum vigiliis ab omnibus Theutonicis, & Italicis Episcopis, & Metropolitanis, qui cum Rege tunc aderant damnatus est, & depositus.* Testimonium hoc est tantæ authoritatis, ut a constanti omnium Germanicorum scriptorum silentio extundi nequaquam possit. Attamen ut embo ista concilientur & silentium scilicet cæterorum, & S. Petri Damiani assertio, reputandum est. non concilium quidem tunc convenisse, sed omnes illos Episcopos qui S. Annoni Coloniensi Episcopo consentiebant, habebantque in sua potestate Regem puerum, ab Agnetis Imperatricis parentisque ejus tutela subtractum, in unam sententiam coeuntes, Alexandri assumptionem approbasse, Cadaloi rejecisse.

Modo in viam redeundum. Igitur res Alexandri in Germania ita pertractata est, authore forte S. Petro Damiani, qui Pontificia legatione ibidem fungebatur, ut reditus in urbem illi permitteretur. Rediisse ineunte anno 1063. ex Lucensibus monumentis superius evici. Hoc ipso anno, quo absente Cadaloo, Romanæ urbis res erant satis pacatæ, habita credo gemina illa Romana concilia contra incestuosos, quæ Baronius, cæterique post illum nullo persuasi argumento anno 1065. assignant. Profecto anno illo ardebant jam bella civilia inter Romanos, turbæ urbem totam commovebant ut locus nullus esset quieti, habendis conciliis Episcoporum necessariæ.

Quando Cadalous redierit Romam, Aula Germanica jubente, ut Benzo ait, mihi est incompertum; credo tamen hoc anno, vel sequenti id actum, cum Benzo scribat, cognito Alexandri reditu ex Imperio literas redditas fuisse ut schismaticus Papa ad urbem cum copiis reduceretur. Tunc autem accidit, quod supra monui; nempe Arcis S. Angeli a copiis Cadaloicis occupatio. Hinc in subjectam urbem excurrebant milites, passimque strages edebantur. Quæ urbis facies per quinquennium perseveravit, id affirmante Alexandro in epistola ad Gervasium Remensem his verbis: *Tantis eo ingruente per quinquennium nunc callida tergiversatione, nunc hostili invasione oppressi periculis, ut intestina nostræ specialis ecclesiæ negotia vix possemus ventilare, nedum longinqua ad plenum investigare.* Quinquennium istud ducendum censeo ab an. 1063. circiter ac in anno 1068. sistit. Tunc enim Deus, qui ab alto rebus ecclesiæ suæ invigilat, Gothofredum Tusciæ ducem excitavit ut manus porrigeret lapsis in extremam angustiam, armisque suis in ordinem ita redegit adversarios, ut intra arcem velut in carcerem inclusos illos haberet. Tunc respiravit Alexander, & in urbe quietus confidens concilium habere potuit adversus Simoniacos, cui occasionem præbuit accusatio in Archiepiscopum Florentinum a monachis instituta, & insigni illo prodigio ignis, quam Petrus monachus ad probandam rei veritatem illæsus subivit, asserta. Hucusque Chronologi cum Baronio & Pagio concilium illud affixerunt anno 1063. sed modo ex adnotatione MS. Codicis Florentini apud cl. Lamium in opere de erud. Apost. pag. 279. assignandum anno 1068. constat. Ita enim illa: *Incipit textus miraculi, quod Dominus ad detractionem simoniacæ hæresis operari dignatus est in Episcopatu Florentino ab incarnatione sua millesimo LXVIII. Id. Feb. feria IV. prima hebdomada in quadragesima in monasterio de septimo.* Is est Petrus ab experimento ignis, nomen Ignei sortitus, quem dein meritis, & scientia insignem Episcopum Albanensem, ac S. Romanæ ecclesiæ Cardinalem egisse compertum est. Hanc in arce S. Angeli reclusionem *per tempus, & tempora & dimidium temporis* perseverasse scribens Benzo, cum Actis Alexandri fere congruit, in quibus biennalem reclusionem substinuisse Cadalous legitur. Si duos illos annos, & semis ex anno 1068. repetamus, in annum 1070. labentem deducemur.

Longius protractæ moræ pertæsus Cadalous cum nihil superesse prompti auxilii ex aula imperatoris intelligeret, fuga se ex arce S. Angeli proripuit. Id equidem electo suo non sane honorificum fucatis subdolo ingenio verbis narrat Benzo lib. 3. cap. 2. sed quam ille cohonestat evasionem, turpem fugam extitisse testantur acta Alexandri a Cardinale Aragonio collecta his verbis: *Per duos annos a fidelibus papæ Alexandri obsessus & calamitatibus multis afflictus exinde egredi non potuit, donec ab eodem Cencio trecentis libris argenti se redemit. Sic itaque uno ronzino, & uno cliente contentus, inops, & æger inter oratores occulte discedens ad montem Bardonis, & tandem ad Burgum Bereeti non sine multa confusione pervenit.* Hanc fugam post Gothofredi mortem cœptam Benzo ibidem scribit.

Igi-

Igitur dum sic res haberent sese, fama verax increbuit Gothofredum in castro Bullionis quod Galliæ Belgicæ est oppidum, decessisse. En Benzonis verba lib. 3. cap. 10. *Tandem Deo nos miserante Gothafredus cœpit languere, & arbitratus est, quia si mutasset aerem, ab imminenti valetudine posset convalere. Petiit proinde suum castrum Bulionem, ubi expiravit.* Narrat subinde ea, quæ de evasione Cadaloi superius admonuimus; tum addit se a ducibus partis suæ missum fuisse legatum ad Cæsarem sollicitaturum auxilia rebus Cadaloi restituendis necessaria. In aula principis res mature discussa est, ac decretum ut quantocius concilio in Germania habito, de justitia causæ Cadaloicæ ageretur. Id in se suscepit S. Anno Coloniensis, quo agente concilium illud reipsa in Germania est habitum. Sed enim forte minus frequentes episcopi convenissent, suspendendum interim ab ultima definitione patres consuerunt usque ad indictam tunc, & post annum habendam Synodum Mantuanam. Hæc omnia Benzo ibidem capite 26. qui & subjungit: *igitur completo spacio annuæ revolutionis* (nempe post concilium Germanicum) *incœpit Annos* (idest S. Anno) *iter suæ expeditionis, & venit Mantuam*, ubi habitum est concilium de cujus exitu, quod parti suæ parum faverit, plane silet Benzo.

Ex his omnibus constare arbitror, quam parum hucusque de epocha concilii Mantuani criticis etiam doctissimis constiterit. Non enim anno 1064. ut Baronius censuit, non anno 1067. ut Pagius reformavit, sed anno 1071. vel forte 1072. Mantuana synodus depositionis sententiam in Cadaloum pronunciavit. Quod ego his brevibus demonstro. Gothofredus Barbatus (nam de hoc agitur viro Beatricis, non de altero viro cognomine Mathildis marito, qui nimis sero, utpote post obitum Alexandri anno 1076. obiit) in pervigilio nativitatis Domini anni 1070. obiit, ut ex consensu veterum omnium scriptorum convenit inter omnes. Ut demus aliquid itineri Benzonis in Germaniam, non prius anno sequenti 1071. forte nondum adulto synodus in Germania coivit. Anno expleto, adeoque anno 1072. Mantuana synodus ex Italis Germanisque episcopis colligitur, qua pronunciante in Cadaloum conclamatum est; ille vero dein nunquam postea rediit in urbem, ac brevi obiit. Annus idem 1072 quamquam satis ex Benzone eruitur, veteris etiam, licet non coævi scriptoris testimonio adstrui potest nempe Antonii Nellii, qui sæculo XV. Chronicon Monasterii S. Andreæ Mantuani O. S. B. a Muratorio tom. 24. Rer. Ital. vulgatum scribebat. Hæc verba authoris, qui id accepisse ex vetustis ejus monasterii monumentis non immerito creditur. *Alexander II. Rogante Henrico Imperatore IV.* (idest Rege IV. Imperatore III.) *Mantuam cum venisset, generali ibidem celebrato concilio monasterio huic quod ab ejus erectione* (quam cum anno 1017. ibidem componit) *sine abbate perseveraverant annos circa quinquaginta quinque virum venerabilem Ubertum primum præfecit abbatem, annis videlicet Domini mille duobus septuaginta.*

Contra hanc ipsam epocham opponent chronologi authoritatem Sigeberti scriptoris coævi, & Landulphi junioris, qui S. Arialdi Mediolanensis Clerici vitam sæculo XII. ineunte scripsit. Ambo enim scriptores isti synodum Mantuanam anno 1067. adscribunt. Horum ego quidem testimonium admitterem, si æquo saltem pede cum Benzone non coævo tantummodo, & oculato, sed de rebus utcumque suis scribente consistere possent. Nunc vero cum priorum fides posteriori concedat: & cum alterutros errare necesse sit; id facilius de utroque illo scriptore, quam de Benzone concedendum arbitror. Hermannus Contractus Sigeberto suppar est; qui tamen assignans Mantuano concilio annum 1064. errat; errare ergo & Sigebertus potuit; potuit & Landulphus, qui aliquanto hac ætate posterior vixit.

Superest nunc nodus alius expediendus, qui me inter legendas S. Petri Damiani epistolas aliquanto tenuit adstrictum. Inter ejus epistolas ex Cajetani editione lib. I. ep. XV. quædam legitur ad Alexandrum II. in qua reditus e Mantuano concilio commemoratur. Porro S. Petrum Damianum anno 1072. die VIII. Kal. Martii obiisse Baronius ex Bertoldo Constantiensi probavit. Ex quo consequatur necesse est Mantuanum Concilium anno ut serius 1071. convenisse, adeoque minus accurate scripsisse Benzonem concilium illud Mantuanum coivisse *completo spacio annuæ revolutionis* post Germanicum concilium. Id profecto me de fide Benzonis in suspicionem vocaret, si de anno obitus S. Petri Damiani certiori documento constaret. Cum tamen id unice probetur ex fide Bertoldi, quem in chronologia rerum etiam ætate sua gestarum frequenter lapsum notat Pagius ad A. 1096. num. VI. ductum hinc argumentum adversus meam chronotaxim nihil valet. Forte igitur S. Petrus Damiani anno 1072. obierit; quod si contigisse admiserimus, salva sunt omnia.

DISSERTATIO I.

De causa Berengarii.

ARTICULUS I.

De Berengarii Patria, Ingenio, Studiis, Moribus.

Berengarii patria.

BErengarius Sacramentariorum parens de quo impræsentiarum disserimus, patriam Turones habuit, ut *Theoduinus* Leodiensis, *S. Anselmus*, *Bertoldus* Constantiensis, & alii testantur. Paulo ante annum millesimum natum esse oportet. Adolescens ad scholam Carnotensem missus, & in *Fulberti*, qui istius postea Ecclesiæ creatus est Episcopus, disciplinam traditus est, viri sanctissimi & doctissimi. Insigniter hallucinatus est *Gersonius* cum *Berengarium* illum *Petri Abaelardi* fecit Discipulum, qui annis post ipsum *Berengarium* plurimis obiit. *Berengarium* Andegavensem Archidiaconum, Sacramentariorum parentem, cum *Berengario* Pictavensi, qui pro *Abaelardo* præceptore suo Apolegeticum scripsit, confudit Academiæ Parisiensis doctissimus Cancellarius. Condiscipulum habuit *Adelmannum*, qui Brixiensis postea Episcopus fuit. *Cum juveniles in Scholis ageret annos elatus ingenii levitate, ipsius Magistri sensum non adeo curabat, Condiscipulorum pro nihilo reputabat, libros insuper artium contemnebat. Sed cum per se attingere Philosophiæ altioris secreta non posset; neque enim homo ita acutus erat, sed & tunc temporis liberales artes intra Galliam pene obsoleverant: novis saltem verborum interpretationibus singularis scientiæ laudem sibi arrogare, & cujusdam excellentiæ laudem venari, qualitercumque poterat, affectabat.* Verba sunt *Guitmundi* Lib. I. *De Corporis & Sanguinis Christi veritate in Eucharistia*. Sæpe adolescentem petulantis ingenii & ad novitates propensi Præceptor Sanctissimus hortabatur, ne a via regia, hoc est ab Apostolica Fide & SS. Patrum doctrina deflecteret, ut *Adelmannus* testatur in Epistola ad ipsum data. *Collactaneum te meum vocavi*, inquit, *propter dulcissimum illud contubernium, quod cum te adolescentulo, ipso ego majusculus, in Academia Carnotensi sub nostro illo venerabili Socrate* * *jucundissime duxi: cujus de convictu gloriari nobis dignius licet, quam gloriabatur Plato, gratias agens naturæ, eo quod in diebus Socratis sui hominem se, & non pecudem peperisset. Nos enim sanctiorem vitam salubrioremque doctrinam Catholicissimi & Christianissimi hominis experti sumus: & nunc ejus apud Deum precibus adjuvari, & sperare debemus: Neque enim putandus est memoriam, in qua nos tamquam in sinu materno semper ferebat, amisisse; aut vera caritas Christi, qua sicut filios amplectebatur, in eo extincta est. Sed absque dubio memor nostri, diligens plenius quam cum in corpore mortis hujus peregrinaretur, invitat ad se votis & tacitis precibus, obtestans per secreta illa & vespertina colloquia, quæ nobiscum in hortulo juxta capellam de civitate illa, quam Deo volente Senator nunc possidet, sæpius habebat: & obsecrans per lachrymas, quas interdum in medio sermone prorumpens, exundante sancti ardoris impetu emanabat, ut illuc omni studio properemus viam regiam directim gradientes, Sanctorum Patrum vestigiis ob-*

Berengarius S. Fulberti discipulus.

Gersonius emendatur.

Berengarii ingenium.

Adelmanni Epistola ad Berengarium.

*Fulbertum sic appellat.

servantissime inhærentes, at nullum prorsus in diverticulum, nullam in novam & fallacem semitam desiliamus, ne forte in laqueos & scandala incidamus. Trilliæ de *Berengario* vaticinatus est morti proximus *S. Falbertus*, eumque nomine dæmonis qui multos corrumperet, designatum, expelli jussit, ut constat ex veteri Fragmento, quod legitur in Bibliotheca Floriacensi, ex *Willelmo Malmesburiensi* lib. III. de Gestis Regum Anglorum, & ex *Henrico de Knigton* lib. I. *De eventibus Angliæ*, cap. 13.

Berengarius Scholæ Turonensi S. Martini præfectus.

Post obitum *S. Falberti*, *Berengarius* Turones rediit, ubi Scholæ *S. Martini* præfectus est, ut testantur veteres membranæ Lauriacensis Abbatiæ apud Andes, quæ in veteri Codice MS. Ecclesiæ Turonicæ *S. Martini* referuntur. Magnum sibi nomen peperit inter divinæ Philosophiæ sectatores, si *Baldricum* Burguliensem Abbatem audiamus, canentem:

Tota Latinorum facundia marcida flaret,
Dum Berengario Turoni viguere Magistro.

Necromanticum fuisse *Berengarium* vulgavit fama mendax. Hanc illi notam inurunt Lauriacenses membranæ supra laudatæ, *Guillelmus Naugiacus* in Chronico, Author Magni Chronici Belgici ad annum 1047. & *Polydorus Virgilius* lib. IX. Historiæ Anglicanæ, sed Authores coævi & suppares illum ab hacce calumnia suo absolvunt silentio. Levis erat literaturæ, sed in summo bonarum artium squallore peritus pro tempore videbatur, donec *Lanfranci* doctrina ipsius imperitiam prodidit. Ejus ingenium, eruditionis tenuitatem, superbiæ tumorem describit *Guitmundus* lib. I. *Factum est*, inquit, *ut pompatico incessu, sublimi præ cæteris suggesta, dignitatem Magistri potius simulans, quam rebus ostendens, profunda quoque inclusione inter cucullam, ac simulatione longa meditationis, & vix tandem satis desiderata diu vocis, lentissimo quodam quasi plangore incautos decipiens, Doctorem sese artium pene inscius profiteretur, sed postquam a Domino Lanfranco in Dialectica de re satis parva turpiter esi confusus; cumque per ipsum D. Lanfrancum virum æque doctissimum liberales artes Deus recalescere, atque optime reviviscere fecisset, desertum se iste a discipulis dolens, ad eructanda imprudenter Divinarum Scripturarum Sacramenta, ubi ille adhuc adolescens, & aliis hactenus detentus studiis, nondum adeo intenderat, sese convertit. Sed & ibi insipiens, & ea quarum novitate omnium corda permoveret, atque ad se omnium oculos traheret, studiose perquirens, maluit esse sub aliqua admiratione hominum hæreticus, quam sub oculis Dei private vivere Catholicus.* In Ecclesia *S. Martini* Turonensis, Camerarii, ac Thesaurarii dignitates gessit, ut Lauriacenses membranæ testantur. Turonibus relictis, Andes adiit, ubi ab *Eusebio* illius Urbis Episcopo amice susceptus, Archidiaconus & Thesaurarius illius Ecclesiæ creatus est. Id testantur veteres Chartæ insignis Ecclesiæ *S. Mauritii* Andegavensis, quibus subscripsit annis 1049. & 1055. ut observat *Franciscus de Roye* Antecessor Andegavensis vir clarissimus & eruditus in Commentario Canonis, *Ego Berengarius*. Andegavi hæresim vulgavit, indormiente *Eusebio Branone* illius urbis Episcopo, qui propterea hæreseos accusatus est ejusdem cum *Berengario*, quem fovebat, ut ex Epistola *Deoduini* Leodiensis Episcopi ad *Henricum I.* Regem Christianissimum constat.

Berengarius hæresim vulgat Andegavi.

ARTICULUS II.

De Erroribus Berengarii.

QUinque erroris capita *Berengario* tribuuntur. Primum est quod Baptisma parvulorum everterit. Secundum, quod legitima conjugia destruxerit, licitam esse cum fœminis omnibus scortationem, inverecunde effutiens. Tertium, quod Christum clausis januis ad Discipulos ingressum negaverit. Quartum quod sit inficiatus *Eucharistiam esse vere substantialiterque Corpus & Sanguinem Domini, sed sola voce sic appellari asseruerit, pro eo quod tamquam umbra & figura significativa sit Corporis & Sanguinis Domini*: ut constat ex Professionibus Fidei ab ipso editis, ex *Guitmundo* Aversano Episcopo, cujus ea verba sunt, & ex aliis qui ejus de hæresi scripserunt, vel eam impugnarunt. Quintum, quod *Panem & vinum quæ ponuntur in Altari, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram & propriam carnem & Sanguinem Christi* negarit, quod ex tertia Fidei Formula, cui in Romana Synodo anno 1079. subscribere coactus est, colligitur. Non alio modo intelligenda sunt *Hugonis* Lingonensis Episcopi verba ad *Berengarium* ipsum scribentis: *Dicis in hujusmodi Sacramento Corpus Christi sic esse* (tamquam in signo videlicet) *ut panis & vini natura & essentia non mutetur: Corpusque quod dixeras crucifixum, intellectuale constituis*, id est sola fide assensu manducari.

Falsum itaque est, quod *Berengario* nonnulli tribuunt, ipsum sensisse in Eucharistia simul cum substantia panis & vini esse substantiam Corporis & Sanguinis Christi, sive Christum ibi sub pane latere. Is quidem Berengarianorum quorumdam fuit error, qui hanc fuisse subtiliorem *Berengarii* sententiam jactitabant: sed non ipsius *Berengarii* fuit opinio. Id ex *Guitmundo* lib. 1. colligere est. *Non omnes*, inquit, *qui de istis Sacramentis errant, una incedunt via erroris. Nam Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, quia panis & vinum essentialiter non mutantur, sed ut extorquere a quibusdam potui, multum in hoc differunt, quod alii nihil omnino de Corpore & Sanguine Domini Sacramentis istis inesse, sed tantummodo umbras hæc & figuras esse dicunt. Alii vero rectis Ecclesiæ rationibus cedentes, nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliqua modo nobiscum esse videantur, dicunt ibi Corpus & Sanguinem Domini revera, sed latenter contineri, & ut sumi possint, quodammodo* [ut ita dixerim] *impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam ajunt.* Secundum hæc intelligendum est quod idem Guitmundus lib. 3. scribit: *Diligenter sane, si daretur locus, cum ipso Berengario discutere vellem, cum aliquos doceat nihil in cibo Altaris Domini Corporis & Sanguinis Christi, nisi umbram tantum & figuram haberi; aliquibus vero tamquam subtilius quærentibus satisfaciens, ipsum ibi Christi Corpus esse respondeat, sed impanatum latere: quid sibi in priore sententia displiceat, ut satisfacturus quærentibus transmigret in alteram; aut quid in posteriore abhorreat, ut redeat ad priorem? Migrando enim ad secundam, priorem reprobat: redeundo ad priorem, alteram damnat. Quo fit ut utramque defensanda, neutram teneat.... Exinde quoque id accidit, quod certissime novimus, quod Berengarius & sui, si ab eruditis Catholicis de sua fide discutiantur, id quod de Corpore Domini tenent, aut territi denegant, aut si profitentur, defendere non valent.*

Quidam Berengarii discipuli Christi impanationem in Eucharistia propugnarunt.

Impanationem a quibusdam *Berengarii* Sectatoribus potius quam ab ipso *Berengario* propugnatam, colligimus etiam ex *Algero* in Prologo librorum *De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini* scribente: *Nec solum de veritate Corporis Christi, sed & de Sacramento ipsius varii errores, variæque proveniunt hæreses. Alii enim panem & vinum non mutatum, sed solum Sacramentum, sicut aquam Baptismatis, vel oleum Chrismatis, Corpus Christi non vere, sed figurate vocari dicunt.* Qui Berengarii error fuit. *Alii autem dicunt, Panem non solum Sacramentum; sed in pane Christum quasi impanatum, sicut Deum in carne personaliter incarnatum.* Quem errorem cap. 6. & 8. lib. 1. refellit, nec ipsi *Berengario*, sed aliis Erronibus ipsius Discipulis tribuit. *Quamvis autem*, inquit, *Sacramentum superius a re Sacramenti, tamquam figura a veritate, satis distinctum sit: errantes tamen quidam de quibusdam Sanctorum verbis, dicunt ita personaliter in pane impanatum Christum, sicut in carne humana personaliter incarnatum Deum. Quæ hæresis quia nova & absurda est, rationibus & authoritatibus, prout Deus aspiraverit, radicitus est extirpanda.*

Prioribus erroribus abjectis, in illius dumtaxat hæreseos defensionem incubuit ac propagationem, quæ realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & conversionis substantialis panis & vini in idem sacratissimum corpus & sanguinem, verita-

tem

rem impugnat. Unde in Conciliis contra Berengarium celebratis, de una illa hæresi quæstio fuit. Qua de re ita scribit *Guitmundus* lib. 1. *Cum igitur superiores blasphemias, primam quidem propter injuriæ mutram, cæterorumque effectuum, secundam vero propter damnationem parvulorum suorum, nec aures etiam pessimorum sustinere possent: Ipse vero in Scripturis Sacris locum tuendi eas nullum penitus inveniret, maxime disputantis contra eas copiosissime B. Augustino, in hanc se defensandam totum contulit: ubi & quodam velut testimonio sensuum niti videbatur; nec tum copiosissime ab aliquo SS. Patrum [quippe non indigente adeo temporibus illorum Ecclesia; cum tamen quid inde tenerent perspicue & lucidissime sapientissimi eorum multi scripserunt] contra hanc disputatum sentiebat. Aucupatis erga nonnullis velut ratiunculis [Neque enim ulla unquam hæresis sine aliqua verisimilitudine rationis invalescere potuit] adhibitis quoque paucis male intellectis a se Capitulis Scripturæ Sacræ, quæ multis erraticibus laqueus est mortis, per egenos Scholasticos, jam per eleemosynam qua sustentabat eos, & per suas dulces sermones corruptos, quaquaversum potuit, clanculo hujus tanti mali nefandissimum virus effundit.* Ex Scriptis *Joannis Scoti Erigenæ*, quibus plurimam dabat operam, hausit hæresim, non ex libro *Josephi Albonis* Judæi *De fundamentis Legis Mosaicæ*, ut scripsit *Papirius Massonus* lib. 4. *De Episcopis Urbis*, in *Nicolao Secundo*. Repugnat enim ratio temporum, cum *Josephus Albo* librum suum non scripserit ante annum 1425. annis post *Berengarium* pene trecentis. Publicare cœpit hæresim *Berengarius* an. circiter 1047. *Clemente II.* Summo Pontifice, ut testatur Fragmentum Historiæ Franciæ a *Roberto* Rege ad mortem *Philippi I.* editum a *Duchesnio* ex veteri Exemplari Floriacensi, Tomo IV.

Papirius Massonus emendatus.

ARTICULUS III.

Lanfrancum in partes trahere conatus est Berengarius, data ad ipsum Epistola.

CUm ignobiles tantum Scholastici *Berengario* adhærerent, virum præstantissimum *Lanfrancum* Beccensis Priorem Cœnobii, trahere conatus est in partes, scripta ad ipsum familiari Epistola qua ipsi suadebat ne præproperam de *Joannis Scoti* doctrina sententiam ferret: quam circa Sacramentum Altaris hæreticam a *Lanfranco* judicari acceperat *Berengarius* ab *Ingelramno* Carnotensi. Hanc censuram eximio *Lanfranci* ingenio indignam scripsit, ac palam facere ipsum nondum Scripturam Sacram satis expendisse. Cupere se vehementer cum eo colloqui de hujusmodi argumento coram auditoribus & judicibus congruis. Interim ipsum rogat ne suam admonitionem aspernetur. *Pervenit ad me*, inquit, *displicere tibi, immo hæreticas habuisse sententias Joannis Scoti de Sacramento Altaris, in quibus dissentit a suscepto tuo Paschasio. Hac ergo in re, si ita est, Frater, indignum fecisti ingenio, quod tibi Deus non aspernabile contulit, præproperam ferendo sententiam. Nondum enim adeo sategisti in Scriptura Divina cum tuis diligentioribus. Et nunc ergo, Frater, quantumlibet rudis in illa Scriptura, vellem tantum audire de eo, si opportunum mihi fieret, adhibitis quibus velles, vel judicibus congruis, vel auditoribus. Quod quandiu non fit, non aspernanter aspicias quod dico. Si hæreticum habes Joannem, cujus sententias de Eucharistia probamus, habendus tibi est hæreticus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, ut de cæteris taceam.* Hujus Epistolæ meminit ipse *Berengarius* in altera quam ad *Ascelinum* dedit. *Verba autem mea*, inquit, *de Joanne hæc fuerunt: Non pervidisse omnia illius; quæcumque autem vidissem ad eam rem pertinentia, recitare me posse ex scriptis illorum, quos præfixeram, habendos esse hæreticos in Epistola ad Lanfrancum, si Joannes ille hæreticus haberetur.* Hæc *Berengarii* Epistola, cum in Clericorum Normannorum manus incidisset, perlectaque fuisset a pluribus, negotium *Lanfranco* facessivit, ipsumque in suspicionem erroris, aut favoris impensi Novatori, adduxit vehementem, ut ex ipsius verbis discimus inferius, cum de Synodo Romana sub *Leone IX.* contra *Berengarium* habita disseremus, referendis.

ARTICULUS IV.

Eusebius Bruno Andegavensis Episcopus Berengarii hæresi non favit.

HÆreseos infamiam apud nonnullos subiit *Eusebius Bruno* Andegavensis Episcopus, quod *Berengarium* Archidiaconum suum errores publicantem non coercuerit, non excommunicaverit, ac ejus Hæresim atque excommunicationem cæteris Episcopis encyclica Epistola notas non fecerit. Nempe conniventibus oculis monstri hujus irruptionem in Catholicam fidem non solum aspexisse existimatus est ab aliquibus, sed etiam eamdem pestem cum ipso afflasse in Ecclesiæ perniciem. De utroque *Deoduinus* sive *Theoduinus* Leodiensis Episcopus ad *Henricum I.* Regem Christianissimum scripsit: *Fama supremos Galliæ fines prætergressa, totam Germaniam pervasit, jamque omnium nostrum replevit aures, qualiter Bruno Andegavensis Episcopus, item Berengarius Turonensis, antiquas hæreses modernis temporibus introducendo, adstruant Corpus Domini non tam Corpus esse, quam umbram & figuram Corporis Domini: legitima conjugia destruant; & quantum in ipsis est, baptisma parvulorum evertunt.* Eumdem Præsulem ut hæreticum sugillat *Durandus* Troarnensis Abbas lib. *De Corpore & Sanguine Christi* parte IX. ubi de Synodo Parisios contra *Berengarium* congregata scribens, hæc habet: *Berengarius malæ conscientiæ perculsus terrore, ut jussus erat, eo venire distulit, seque cum Brunone suo, Episcopo videlicet Andegavensi, sub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maxime continuit, quia eodem errore, utpote tanti viri credulus & ipse noscebatur involvi.*

Sola tamen fama hac in parte mendaci nitebatur illa *Deoduini* & *Durandi* de *Brunone* Andegavensi Antistite opinio; quem etsi a negligentiæ reatu, cujus causa fuit nimius illius in *Berengarium* amor, purgare difficile sit: ab hæresi tamen Berengariana penitus immunem probare facillimum est. Primo, quia cæterorum Authorum, qui adversus *Berengarii* hæresim scripserunt, nullus *Eusebium Brunonem* Andegavensem Episcopum Berengarianæ hæreseos infamia infecit: Non *Hugo Lingonensis*, non *Lanfrancus*, non *Guitmundus*, non *Algerus*. Secundo, quia Illustris ille Præsul nec ullo in Concilio, nec apud ullum Summum Pontificem de hæresi delatus est. Immo cum aliis Ecclesiæ Gallicanæ Episcopis anno 1049. adfuit Synodo Remensi a *Leone IX.* celebratæ, ut constat ex Actis illius Synodi. Tertio, cum *Theoduinus* ad *Henricum I.* Regem Christianissimum scripsisset, *Brunonem* in iisdem erroribus cum *Berengario* Archidiacono suo versari, *Henricus* una cum *Berengario Brunonem* damnari curasset in Synodo Parisiensi, quæ adversus novam hæresim illius jussione celebrata est anno Domini 1050. nisi exploratum habuisset, falsum esse quod de *Brunone Theoduinus* scripserat; illumque integerrimæ fidei Præsulem esse nosset. Quarto, si vel levissima suspicione hæreseos fuisset aspersus, ipsi Professionem Fidei non minus quam ejus Archidiacono Pontifices imperassent. Quinto *Berengarius Magister hujus erroris* dicitur in Synodo Romana VI. sub *Gregorio VII.* celebrata, nulla ob erroris consortium invidia in *Brunonem* derivata est. Quin immo *Berengarium* post ejuratum errorem Sanctissimus Pontifex *Brunoni* Episcopo suo commendavit; quod certe minime præstitisset si vel levi hæreseos suspicione Andegavensis Episcopus laborasset. Sexto, idem Antistes fidei suæ integritatem luculenter probatam reliquit in Epistola ad *Berengarium* data, post ultimum Concilium Romanum in ejus causa habitum, cum *Berengarius* ipsum per literas obtestatus esset, *ut se & Gaufridum Martini* Clericum Andegavensem *sub Judice audiri faceret in libro B. Ambrosii de Sacramentis.* In illa scilicet Epistola, prolatis Christi Domini verbis, quibus Eucharistiæ Sacramentum instituit, hujus Mysterii fidem dilucide expo-

exponit ac luculenter propugnat. *Hujus verbi*, inquit, *per quod omnia facta sunt, virtute & effectu, panem post consecrantis in hæc verba Sacerdotis sacrationem, verum Corpus Christi, & vinum eodem modo verum Sanguinem esse credimus, & confitemur. Quod si quis hoc qualiter fieri possit, inquirat, non ei secundum naturæ ordinem, sed secundum Dei omnipotentiam respondemus: Et hoc, & omnia quæcumque voluit, fecit Deus in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Neque enim qualiter secundum naturæ ordinem Verbum Deus in principio apud Deum, de Spiritu Sancto & Virgine concipi, & quomodo post Resurrectionem verum Corpus Domini Jesu ad Discipulos clausis januis intromitti & palpari potuit, qualibet verborum affluentia disserere potest: Et tamen secundum Dei omnipotentiam in veritate facta esse, firmissime & fidelissime credi necessarium est. Si vero aliquis, quid de hac re Patres Doctoresque nostri senserint, quidve scriptum reliquerint, a nobis requisierint, ad eorum libros, si ad hoc idoneus est, eum mittimus, ut quid ibi invenerit, diligenter legat, pure intelligat, & quod accommodatius Evangelicæ veritati senserit, cum gratiarum actione & studio fraterna concordia sibi eligat. Porro nos non Patrum Scripta contemnentes, sed nec illa quasi Evangelium legentes, eorum sententiis, salva quæ eis debetur reverentia, in tanta rei disceptatione abstinemus, ne si Patrum sensa aut aliquo eventu depravata, aut a nobis non bene intellecta, aut non plene inquisita, inconvenienter protulerimus, scandalum illud quod tantopere fugimus, incurramus..... Cum salubriter, & cum quiete pacis Christianæ contenti vivere possimus, Sacrosanctorum illorum verborum Christi, quæ superius posita sunt, simplici compendio, sufficienti sanctæ fidei firmitate, quantum nos sentimus, & multos nobis satis superiores viros sentire cognoscimus.* Ex quibus colligitur, *Eusebium Brunonem* Andegavensem Episcopum, *Berengarii* hæresi non favisse.

ARTICULUS V.

Berengarii Hæresim, ut primum exorta est, Viri Doctissimi impugnarunt & confutarunt.

NUlla umquam nata hæresis est, cujus ad debellationem viros doctissimos periculosis Ecclesiæ temporibus Deus non excitarit. Id quod ex omnium sæculorum Historia compertum est, in Berengariana Hæresi comprobatur. Adversus *Berengarium* adhuc viventem scripsere, *Adelmannus* ejus olim sub *S. Fulberto* Condiscipulus, ex Scholastico Leodiensi, Brixiensis postmodum Episcopus; *Hugo* Episcopus Lingonensis; *Lanfrancus*, Prior Cœnobii Beccensis, deinde Cadomensis Abbas & Cantuariensis demum Archiepiscopus, *Durandus* Abbas Troarnensis in Neustria; *Guitmundus* ex Monacho Abbatiæ *Crucis S. Laufredi* in Normannia, Aversanus Archiepiscopus. Post illos, & annis circiter quadraginta ab obitu *Berengarii*, in eamdem hæresim scripsit *Algerus*, ex Leodiensis Ecclesiæ Scholastico Monachus Cluniacensis. Ordinis Benedictini summa hæc est immortalisque gloria, quod quatuor Viros præstantissimos, quatuor Catholicæ Fidei Defensores eximios, ad propugnandam Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia veritatem, & panis ac vini in idem sacratissimum Corpus & Sanguinem Transubstantiationem, & ad *Berengarium* ejusque Sectatores debellandos, Ecclesiæ suppeditaverit.

Berengarii nascentem Hæresim impugnant ac refellunt.

Adelmannus.

Adelmannus librum non scripsit, sed Epistolam ad *Berengarium*, ut eum revocaret ab hæresi, quam ipsum publicasse audiverat. *Avertat Dominus a te*, inquit, *semitas tales, & convertat pedes tuos in testimonia sua: mendaces ostendat qui famam tuam tam fœda labe maculare nituntur, spargentes usquequaque, ut non solum Latinas, verum etiam Teutonicas aures, inter quas diu peregrinor, repleverint, quasi te ab unitate Sanctæ Matris Ecclesiæ divulseris, & de Corpore & Sanguine Domini, quod quotidie in universa terra super Sanctum Altare immolatur, aliter quam Fides Catholica teneat, sentire videaris. Hoc est, ut illorum de te dictis utar, non esse verum Corpus Christi, neque verum Sanguinem, sed figuram quamdam & similitudinem.* Ipsum obsecrat *per misericordiam Dei, per suavissimam memoriam Fulberti, ut pacem Catholicam diligat, neque conturbet rempublicam Christianæ Civitatis bene compositam a Majoribus nostris: Pro qua tot millia Martyrum contra Idololatriam & regnum diaboli fortiter certantes triumphaverunt, subindeque Sancti Doctores bella civilia ab hæreticis commota salutaris eloquentiæ fluminibus restinxerunt, itaque eam circumquaque munierunt, ut jam novus hostis nullus oboriri queat, qui adversus eam aliquid nitens, non continuo mille jaculis desuper ruentibus obruatur. Ideo confusi sunt omnes & defecerunt. Ubi enim sunt Manichæi? Ubi Ariani? Quonam tota illa factio perditissimorum civium evasit? Computruit etiam memoria eorum.. At vero Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, & alii plures bestiarum talium oppressores, cum laudibus vivunt, quotidieque splendidius efflorescunt. Bonum est, Frater, nobis parvulis sub istorum Ducum titulis delitescere, quorum tam valida tamque probabilis est apud Ecclesiasticas aures authoritas, sanctarum virtutum fulgore, cælestis sapientiæ luce præpollens, ut extrema jam sit dementia, vel de ratione fidei, vel de ordine recte vivendi, eis in aliquo refragari.*

Hæresim vero *Berengarii* breviter, sed fortiter impugnat solis Christi verbis, ductoque ab omnipotentia divina argumento. *Quis*, inquit, *hoc ita esse non credit, nisi qui aut Christo non credidit, aut ipsum hoc dixisse non credit? Sed de incredulis nihil ad nos. Dixisse autem Christum, testes non duo tantum aut tres, in quibus stat omne verbum; sed quatuor probatissimi certissimique existunt, duo scilicet ex Circumcisione & duo ex Præputio, ut uterque populus suis ac legitimis authoritatibus, sive ad salutem, sive ad judicium uteretur. Dixit utique, dixit ille qui dixit & facta sunt. Qui enim dixit in principio*, Fiat lux, & facta lux *de nihilo; non potuit dicendo de pane:* Hoc est Corpus meum, *ita fieri efficere? Et qui tacita virtute aquam vertit in vinum, non efficacius poterat [siquid tamen efficacius de Deo dici debet] sonante vocaliter eadem virtute, vinum ipsum in Sanguinem suum transferre.*

Hugo Lingonensis Episcopus.

II. *Hugo* Lingonensis Episcopus brevem scripsit contra Berengarium *de Corpore & Sanguine Christi* Tractatum, sed luculentum. *Berengarium* hortatur ut captivet intellectum in obsequium fidei, & contra divinam omnipotentiam argumentari desinat. *Proinde, o in cunctis aliis Reverentissime Vir, assume tibi fidem, quia justus ex fide vivit..... Ne altra, quæso, argumenteris de omnipotentia divina. Sicut enim non capis quomodo Verbum caro factum sit, sic non potes capere quomodo panis iste mutetur in carnem, & vinum in sanguinem transformetur; nisi te docuerit omnipotentiæ fides. Alioquin luctaris cum Deo, sed non in brachiis Patriarchæ, sed neque cum aurora; immo etiam tota tua hæc luctatio nocturna est, magisque videtur esse insidiose luctantis, quam amicabiliter amplexantis. Desiste ergo fore erroris miles, desiste impugnare cæleste Misterium, perpende quod Dei voluntas & verbum omni naturæ supereminet: & qui in facturis potens est, potentem transformare credas, sicut scriptum est:* Mutabis ea, & mutabuntur. *Dei enim velle pro facto est.*

Durandus Troarnensis.

III. *Durandi* Troarnensis Abbatis Liber *De Corpore & Sanguine Domini* contra Berengarianam Hæresim novem partibus constat, multaque eruditione eum ex Sacris Scripturis, tum e Sanctis Patribus derivata, Fidei hostes conterit. *Cæterum* (inquit, p. t.) *si in cibo Dominico figura & non substantiæ veritas est; Christus qui dixit:* Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum, *verax non est. Si verax non est, nec Deus est. Si Deus non est, inanis est Sanctorum per orbem terræ prædicatio, inanis etiam Ecclesiæ Catholicæ Fides ac Professio: in qua pretiosus Martyrum nequicquam fusus est cruor, frustraque fortium labor Athletarum in theatro mundi, ipso frebi inte, triumphum de hoste reportavit: ne per hoc nihil est quod agimus, nihil omnino quod speramus.* Et infra: *Sed tamen evidenti præconio veritatis, moderni Dogmatistæ Responsalesque Satanæ refragantur; & tam impia turpiaque*

piaque libertate temeraria submurmurando opinatur, quæ & ipsius aeris inficiant auras, sibique faventium mentes hominum corrumpant & corda. Verumtamen ut tantæ perfidiæ notam caveant, confutationemque liberius subterfugiant, omnibus divinis Tractatoribus authoritatem derogant, B. Papæ Gregorio, Leoni Maximo, & cæteris quicumque præter paucos aliquid in authenticis Ecclesiæ Literis differendo laborarunt. Sed valde incompetens videtur & absurdum, ut abjecti spurcique homines, qui neque honestate vitæ, neque scientiæ utilitate, aliquod Ecclesiæ Catholicæ contulerunt emolumentum, eatenus convalescant, ut tot Patribus atque Doctoribus, quorum vita hactenus & institutione florere dignoscitur Fides Orthodoxa, prædicatione quoque & instantia succrevisse, atque in melius, Deo suffragante, dietim profecisse, fructum sui laboris auferant.

Lanfrancus.

IV. Post *Durandum* Troarnensem Abbatem contra *Berengarium* scripsit *Lanfrancus* Beccensis Cœnobii O. B. Prior, deinde Abbas *S. Stephani* Cadomensis, tandem Cantuariensis Archiepiscopus. Librum suum, *De Corpore & Sanguine Domini*, scripsit post Romanam Synodum *Nicolai II.* anno 1059. contra *Berengarium* celebratam. Incipit: *Lanfrancus misericordia Dei Catholicus, Berengario Catholicæ Ecclesiæ adversario.* Huic *Lanfranci* Operi occasionem dedit *Berengarii* Liber adversus Romanam illam Synodum, & *Humbertum* Cardinalem & Silvæ Candidæ Episcopum, nuper vita functum, contumeliosus: Quem *Lanfrancus* refellit. Fidem Ecclesiæ, & *Berengarii* Hæresim compendio exponit; *S. Augustini* testimonia, quibus ille abutebatur, explicat. Ecclesiæ de Sacro-sancta Eucharistia Fidem sic exponit: *Credimus terrenas substantias, quæ in Mensa Dominica per Sacerdotale ministerium divinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter, operante superna potentia, converti in essentiam Dominici Corporis, reservatis ipsarum rerum speciebus, & quibusdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda & cruenta horrerent, & ut credentes Fidei præmia ampliora perciperent; ipso tamen Dominico corpore existente in cælestibus ad dextram Patris, immortali, inviolato, integro, incontaminato illæso: Ut vere dici possit & ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, nos sumere, & tamen non ipsum. Ipsum quidem quantum ad essentiam, veræque naturæ proprietatem; non ipsum autem, si spectes panis, vinique speciem, cæteraque superius comprehensa. Hanc Fidem tenuit a priscis temporibus, & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem, Catholica nominatur.* Berengarii vero hæresim sic delineat; *Tu credis panem vinumque Dominicæ Mensæ inter consecrandum quantum ad substantiam immobilia permanere. Hoc est, Panem & vinum extitisse ante consecrationem, & panem vinumque existere post consecrationem. Christi carnem ac sanguinem propterea vocari, quod in memoriam crucifixæ carnis, & de latere effusi sanguinis in Ecclesia, celebrentur; ut Dominicam Passionem per hoc admoniti semper recolamus* &c. Hanc autem impugnat Hæresim ex totius Ecclesiæ in opposito dogmate consensu. *Si verum est*, inquit, *quod de corpore Christi tu credis & adstruis: falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur & adstruitur. Omnes enim qui Christianos & esse & dici lætamur, veram Christi carnem, verumque ejus Sanguinem utraque sumpta de Virgine, in hoc Sacramento se percipere gloriamur.*

Guitmundus.

V. Iisdem temporibus *Guitmundus* Aversanus Archiepiscopus tres libros scripsit *De Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia Veritate*. In iis Hæreticos umbraticos (ita Berengarianos vocat) lucolentes refellit Scripturæ Sacræ & SS. Patrum testimoniis, nec non miraculorum authoritate, quæ in Vitis Sanctorum præferuntur. Quas Historias immerito a Berengarianis ut apocryphas rejici ostendit, cum ab Ecclesia recipiantur. *Sed hoc ipso*, inquit, *quod eis non placet, quod universali Ecclesiæ placuit, & obstinate respuunt quod libenter illa recepit: non pacificos ejus filios, sed inimicos manifestos se probant. Quapropter qui se filios Ecclesiæ vel dici desiderant, libros quos illa recipit, non renuant.* Unum est in quo *Guitmundus* ab opinionibus nunc in Scholis Theologorum receptis aberrare videtur. Species nempe Sacramentales revera posse corrumpi negat, aut ab animalibus devorari, sed ita dumtaxat videri sensibus volente Deo, ad puniendam Ministrorum negligentiam, vel probandam populorum fidem, sicut Christus sub hortulani & leprosi specie visus est, nulla in ipso mutatione facta. Corpus vero Dominicum in cælos rapi, cum speciebus hæc videntur contingere. Hujus sententiæ testem appellat Martyrem *Tarsitium*: Qui cum veneranda Dominici Corporis Sacramenta portaret, a Paganis forte supervenientibus, & quidnam ferret exquirentibus, comprehensus est. At ille mori potius quam Sanctum dare canibus eligens, palmam pretiosæ mortis emeruit. Illi vero curiosissime omnia scrutati, rapto cœlitus Dominico Corpore nihil penitus nisi sola linteamina repererunt. Verumtamen aliquid contra Dominici Corporis in Eucharistia veritatem colligi posse negat *Guitmundus*, etiamsi Eucharistica Symbola corrumpantur, vel a brutis animantibus devorentur.

Guitmundi singularis opinio de speciebus Sacramentalibus.

Rupertus.

VI. Ante annum Domini 1117. *Rupertus* Tuitiensis Abbas libros 14. Commentariorum in *Joannem* elucubravit, ut Corporis & Sanguinis Christi veritatem in Eucharistia defenderet adversus Berengarianos, qui Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini solummodo signum esse rei sacræ contendebant, ut ipse ait in Epistola ad *Cunonem* Abbatem cui hos libros dicavit.

Algerus.

VII. *Algerus*, anno circiter Sæculi XII. trigesimo, in Berengarianam hæresim scripsit libros tres *De Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*. Quo opere magnam laudem promeritus est. De his postremis Authoribus, *Lanfranco* scilicet, *Guitmundo* & *Algero*, hoc elogium apud *Petrum Cluniacensem* Epistola II. contra Petrobusianos legere est. *Horum primus de veritate Corporis & Sanguinis Christi, quæ Sacramentorum velamine tegitur, bene, plene, perfecte; Sequens melius, plenius, perfectius; Ultimus optime, plenissime, perfectissime disseruit: adeo ut nihil etiam scrupulosissimo Lectori quærendum reliquerit. Historiarum libri si a vobis legerentur, & lecti intelligerentur, vos vere a stulta pertinacia resipiscere cogerent, utpote qui multos errantes revocaverunt, multos dubios instruxerunt: multos etiam Fideles in recta Fidei regula confirmaverunt.* De specierum Eucharisticarum corruptione cum *Guitmundo* censet *Algerus* cap. I. lib. II. *S. Augustino* testimonium tribuit, quo est *Paschasii*, cap. 8. ejusdem libri. Græcis affingit Stercoranistarum errorem, a quo alieni fuere, lib. II. cap. I. Ecclesiæ præceptum a Christo esse scribit, in azymo consecrare, quod falsum est. Sed hi nævi leviores sunt, nec *Algeri* authoritatem elevant.

Algeri nævi leviores.

ARTICULUS VI.

Berengarii Hæresis in Concilio Romano sub Leone IX. primum damnata est.

HUic celebrando Concilio occasionem dedit *Berengarii* ad *Lanfrancum* Epistola Romam perlata, ejus erroris de Eucharistia summam continens. Celebratum est anno 1050. ut *Hermannus Contractus* in Chronico testatur. Præfuit *Leo IX.* Pontifex Maximus. Lecta *Berengarii* Epistola, damnata Hæresis, ipse Communione privatus; *Lanfrancus* purgatus, qui ob Epistolam *Berengarii* ad ipsum scriptam, in suspicionem venerat. Hujus Concilii Historiam habemus ex *Lanfranco* in lib. *De Corpore & Sanguine Domini*, cap. 4. ubi sic Hæresiarcham alloquitur: *Tempore Sancti Leonis Papæ delata est Hæresis tua ad Apostolicam Sedem. Qui cum Synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique ordinis a diversis regionibus religiosarum personarum, jussum est in omnium audientia recitari, quas mihi de Corpore & Sanguine Domini Literas transmisisti, Portitor quippe earum Legatus tuus, me in Normannia non reperto, tradidit eas quibusdam Clericis; quas cum legissent, & contra usitatissimam Ecclesiæ Fidem animadvertissent, zelo Dei accensi, quibusdam ad legendam eas porrexerunt, plurimis earum sententias verbis*

bis exposuerunt. Itaque factum est at non deterior de te quom de me orta fuerit suspicio, ad quem videlicet tales Literas destinaveris, putantibus multis me fovere ac favere qua a te dicerentur, vel gratia qua te diligerem, vel fide qua revera ita esse non dubitanter tenerem. Igitur cum a quodam Remensi Clerico Romam perlatas Recitator legeret, intellecto quod Joannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de Eucharistia Fidei adversa sentires, promulgata est in te damnationis sententia privans te communione Sancta Ecclesia, quam tu privare Sancta ejus Communione satagebas. Post hac pracepit Papa at ego surgerem, pravi rumoris a me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris authoritatibus quam argumentis probarem. Itaque surrexi: quod sensi, dixi, probavi; quod probavi omnibus placuit, nulli displicuit. In eodem Concilio pleniorem Synodum indixit Summus Pontifex Vercellis celebrandam, ut idem *Lanfrancus* testatur. Eamdem Synodum Romanam commemorat Author Vitæ *Lanfranci*: Sed eum bis lapsum esse recte observavit *Franciscus de Roye* Antecessor Andegavensis. 1. Quod hoc Concilium *Leoni VIII.* tribuat, 2. Quod *Berengarium* Clericos duos Responsales ad illud pro se misisse scribat: cum tamen in prima illa Synodo nec per se, nec per alios sit auditus, sed solum in Vercellensi, ad quam duos Clericos misit: in Romana vero ea sola damnatus sit Epistola.

Scripsit anno 1088. A P. Chiffletio editus est ex M. S. Codice S. Augendi.

De eodem Concilio Anonymus Chiffletianus in Opusculo *De Berengarii Damnatione multiplici*, ita scripsit: *Beringerius Andegavensis Hæresim sui nominis condidit, & veritatem Dominici Corporis & Sanguinis contra Evangelicam veritatem abnegare præsumpsit. Videlicet asserens, panem & vinum, in Sacrificio Domini, non vere, nec essentialiter, sed figurate tantum converti in Corpus & Sanguinem Dominicum. Quod Catholica Fidei & Evangelica veritati apertissime adversatur, uti SS. Patres docuerunt. Quapropter S. Leo Papa IX. eamdem Hæresim suo tempore ad Apostolicam Sedem per literas ipsius Beringerii delatam, generali Synodi Judicio diligenter ventilavit, & ventilatam Synodali Judicio damnavit. Ipsum quoque Beringerium Communione Ecclesia privavit, quam ipse Dominici Corporis & Sanguinis Communione suis assertionibus voluit privare.*

ARTICULUS VII.

Berengarius in Conventu Brionensi * *convictus.*

* Briona, *vulgo* Brione, *mediterraneum Neustria oppidum.*

CUM in Neostriæ fines *Berengarius* irrepsisset, ibique suæ venenum Hæreseos spargere niteretur, & *Guillelmum Nothum* Normanniæ Ducem trahere in partes, Dux annos dumtaxat 23. natus; sed avitæ Fidei vindex acerrimus, Conventum Virorum Sapientum & eruditorum Brionam, quod Neustriæ oppidum est, convocavit, in quo confutatus est *Berengarius*, cum Clerico ejus Sectatore, in cujus eloquentia plurimum confidebat. Istum Conventum anno millesimo quinquagesimo-tertio habitum scribit *Durandus* Troarnensis Abbas coævus Author. Sed vel mendum esse in numeris ortum ex oscitantia scribarum necesse est, vel memoria lapsum Durandum. Nam Conventus Brionensis habitus est paulo ante Synodum Vercellensem, & eodem anno, ut colligitur ex eodem Durando: *Tunc quippe*, inquit, *instabat constituta dies Concilii postmodum Vercellis habiti.* At Concilium Vercellense anno millesimo quinquagesimo-tertio celebrari non potuit a *Leone IX.* mense Septembri; Siquidem Beneventi a Junio ad subsequentem Martium idem *Leo* commoratus est, ut ex ejus Vita *Franciscus Royus* in Dissertatione de Berengario, *Henschenius* in Commentario prævio ad Vitam ejusdem Pontificis, *P. Cossartius* in Notis ad Conventum Brionensem, & *P. Mabillonius* Veterum Analectorum Tom. II. pag. 479. colligunt. Itaque Vercellense Concilium ad annum millesimum quinquagesimum referendum est, ut *Hermannus Contractus*, qui tunc scribebat, in Chronico testatur. Unum difficultatem facessit, quod *Berengarius* ante Brionensem Conventum ad *Ansfredum* Pratellensem Abbatem divertisse scribatur a *Durando*; Pratellensis * autem monasterii ædificatio ad annum millesimum quinquagesimum tertium referatur in Chronico Beccensi: ac proinde Brionensis Conventus haberi non potuerit anno 1050. Verum Chronico Beccensi *Willelmum Gemmeticensem*, aliosque Authores opponit *Franciscus Royus* in suis Vindiciis ex quibus intelligitur hoc Cœnobium ante annum 1050. conditum fuisse. Id ipsum probat *P. Cossartius* ex Codice MS. *Gilberti Candelarii* Pratellensis monachi, cujus verba describit *Arcturus* Monasteriensis in *Neustria Pia*. Refert nimirum *Gilbertus*, *Einardum* Fontanelleosem Monachum a *Radulfo* Abbate suo ad regendum Pratellense Monasterium missum esse, eique præfuisse annis decem. Obiit autem *Radulfus* ille Fontanellensis * Abbas anno millesimo quadragesimo-septimo. Igitur annis decem ante *Ansfredum* Abbatem conditum erat Pratellense Monasterium. Idem probat *P. Mabillonius* ex libro *De Miraculis Sancti Wulframni* a se edito Tom. I. Sæculi III. Benedictini. Ubi *Gradulphus* Abbas Fontanellensis, qui *Ansfredum* Pratellis Abbatem primum præposuit, anno millesimo quadragesimo-septimo obiisse memoratur ab Authore coævo.

* De Preaua.

* De Fontenelle, *vulgo* S. Vandrille.

Brionensis Conventus Historiam verbis *Durandi Troarnensis* in lib. *De Corpore & Sanguine Christi*, parte IX. describo. *Erroris hujus Author*, inquit, *videbatur, & caput quidam Berengarius, cui plures Francorum, nonnulli quoque Normannorum, quos aut ipse docuerat, aut in discendi studio aliquantisper juverat, plurimum favoris dependebant. Is autem Dominica Incarnationis anno 1053. Normannorum finibus irrepsit, & ad Cœnobium, quod Pratellis nuncupatur, appulit; Catholicoque viro, qui idem strenue regebat Cœnobium, a quo & honeste satis exceptus fuerat, multa blasphemus impie delatravit: quod ipse quoque, eodem Abbate Ansfredo nomine referente, dum apud me super tanta impietate valde quereretur non multo post, agnovi. In multis itaque subtiliter ab eodem Abbate pertentatus, in multis proinde reprehensibilis & perfidus est repertus. Qui inde digressus, Normannorum Principem festinus adiit, quem sua quoque irretire perfidia subtiliter attentavit. Verum ille, licet ætate adolescentia necdum excederet annos, tamen illum, quia Catholica Fidei merito præditus erat & gratia, callide suspendit, secumque, quoad Regni sui ad mediterraneam deveniret Sedem Brionam vocabulo, detinuit: ubi undique coactis Catholicis ac Sapientibus viris, super eadem re disponebat conflictum haberi. Eo ergo ventum est & res sequenti die ventilanda proposita. Cumque multi ex tota Normannia Sapientes qui plurimi & clari habebantur, convenissent, præfatum Hæresiarcham Berengarium, cum alio quodam, quem secum adduxerat, Clerico, in cujus eloquentia victoria sibi spem posuerat, ita coram omnibus confutaverunt, atque evidenti ratione superaverunt, quatenus eis silentium imponerent, verborumque, quibus Fidem Catholicam tuebantur, assensum ab eis extorquerent.*

Inde non absque pudore reversus *Berengarius*, Carnotum petiit, ubi a Clericis de Sacramento Altaris interrogatus se responsurum data opportunitate promisit. Nec multo post ad eos literas scripsit, *In quibus multa absurda, Fideique Catholica aliena anhelus declamavit; inter qua Romanam Ecclesiam, Caput videlicet totius Christianitatis, multa temeritate hæretico vocabulo denotavit; Cum qua Rectorem ejus, Dominum scilicet Papam Leonem, cujus Fides Catholica, spectabilis sapientia, laudabilis habebatur industria, quem non excepit, pariter infamavit, seque ad utrumque convincendum, dum respondere differret, interrogantibus intendisse retulit. Tunc quippe instabat constituta dies Concilii postmodum Vercellis habiti.*

Berengarius Romanam Ecclesiam & Summum Pontificem infamat.

ARTICULUS VIII.

Berengarius in Concilio Vercellensi iterum damnatus.

Vercelle, *vulgo* Vercelli *in Subalpinis Episcop. sub Metropoli Mediolanensi.*

INdictam Vercellis Synodum *Leo IX.* Pontifex Maximus Kalendis Septembris anni millesimi quinquagesimi celebravit, ut colligitur ex Epistola ipsius

XII.

XII. ad Britanniæ Principem data. Ad hanc Synodum *Berengarius* duos elericos misit erroris sui fautores; ejus Hæresis damnata, *Joannis Scoti* liber de Eucharistia, quo patrono gloriabatur, lectus & proscriptus. Hujus historiam Synodi legimus apud *Lantfrancum* lib. *De Corpore & Sanguine Domini*, cap. IV. *Dehinc*, inquit, *declarata est Synodus Vercellensis, quæ proximo Septembri, eodem Præsidente Pontifice, est celebrata Vercellis. Ad quam vocatus non venisti; Ego vero præcepto ac precibus præfati Pontificis, usque ad ipsam Synodum secum remansi. In qua, in audientia omnium, qui de diversis hujus mundi partibus illuc convenerant, Joannis Scoti liber de Eucharistia lectus est, ac damnatus; sententia tua exposita ac damnata; Fides Sancta Ecclesiæ, quam ego teneo, & tenendam adstruo, audita, & concordi omnium assensu confirmata. Duo Clerici, qui Legatos tuos se esse dixerunt, volentes te defendere, in primo statim aditu defecerunt, & capti sunt. Ab hac sententia numquam discessit S. Leo in omnibus Conciliis suis, seu quibus ipse suam præsentiam exhibuit, seu quæ per Legatos suos in diversis Provinciis congregari constituit.* Ejusdem Concilii meminit *Guitmundus* initio libri primi. Sed & *Anonymus Chiffletianus* ita scribit: *Ipsum* (Berengarium) *ad proximam tunc Synodum in proximo Septembri ab eo Vercellis celebrandam*, (Leo IX.) *vocavit audiendum. Ad hanc Synodum non ipse Beringerius, sed quidam ejus fautores pervenerunt, qui se Legatos ejus esse asserentes, eumque defendere volentes, in primo aditu defecerunt. Domnus autem Apostolicus iterum Synodali judicio Sententiam Beringerii, & librum Joannis Scoti de Corpore Domini, sub anathemate damnavit.* Huic Synodo *Lantfrancum* adfuisse etiam testatur.

ARTICULUS IX.

Ascelini, & Berengarii mutua Epistolæ.

De Saint Ervoul.

CUm *Ascelinus* Cœnobii *Sancti Ebrulphi* in Neustria, Ordinis Benedictini eruditus Monachus, cum *Berengario* congressus esset, eumque adduxisset ad Orationis Gregorianæ datam a *Joanne Scoto* interpretationem improbandam, famaque vulgasset, damnatum ab ipso *Berengario Joannem Scotum*; illam veluti maculam datis ad *Ascelinum* literis eluere conatus est; in quibus inter alia hæc habebat: *Audivi nunc jactare Willelmum, quod negare nequiverim hæreticum esse Joannem Scotum. Quod falsum esse testis mihi es, si satis meministi verborum meorum: quamvis hæreticum habeas tu quoque Joannem Scotum: quam inconsiderate, quam impie, quam indigne Sacerdotio tuo, non diutius te nescire permittat ille, de quo Apostolus Fidelibus promittit*, Sed & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. *Sapis enim contra omnes naturæ rationes; contra Evangelicam & Apostolicam Sententiam; si cum Paschasio sapis, in eo quod solus sibi confingit, Sacramento Dominici Corporis decedere panis omnino substantiam. Verba autem mea de Joanne hæc fuerunt: Non pervidisse omnia illius; quæ autem vidissem ad eam rem pertinentia, recitare non posse ex scriptis illorum, quos præfixeram habendos esse hæreticos in Epistola ad Lantfrancum, si Joannes ille hæreticus haberetur. Cæterum si quid in illo viderem non satis delimatum, facile me improbaturum esse.* Et infra: *Et nunc, quod apud Episcopos agere susceperam, vellem, si mihi tutum fieret, saltem apud vos agere in audientia quorumcumque. Sed quamdiu non possum, obsecro per nomen Domini, ne falsum testem te facias, quod Joannem illum ego damnaverim. .... Quamquam totus in eo sim, ne quis transgrediatur terminos Patrum, Evangelistæ, Apostoli, Ambrosii, Augustini, Hieronymi. Quod ita se habere, si mihi fiat copia tecum agere, luce clarius pervidebis.*

Ad has *Berengarii* literas *Ascelinus* respondit, se dolere vehementer, quod errorem pristinum minime deposuisset: *Joannem Scotum* a se merito ut hæreticum damnari: *Berengarium* ipsum illius expositionem Gregorianæ Orationis improbasse in colloquio, quod *Ascelinus & Willelmus* cum illo habuere. *Joannem vero Scotum*, inquit, *nec inconsiderate, nec impie, nec indigne Sacerdotio meo habeo; quem toto nisu, totaque intentione ad hoc solum tendere video, ut mihi persuadeat, hoc videlicet quod in Altari consecratur, neque vere Corpus, neque vere Sanguinem Christi esse. Hoc autem adstruere nititur ex SS. Patrum Opusculis quæ prave exponit. Quorum illam Sancti Gregorii Orationem hic annotari sufficiat*: „ Perficiant in nobis tua Domine, quæsumus, Sacramenta quod continent: ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. *Quam exponendo, prædictus Joannes inter cætera Fidei nostræ contraria*: Specie, inquit, geruntur ista, non veritate. Quod non catholice dictum, si bene tuam vigilantiam novi, non ignoras: Præsertim cum id in sæpe dicto colloquio non negaveris, quando eamdem Orationem cum expositione sua ex Joannis libro recitavi. *Et Infra*: Per nomen Domini me obsecras, ne faciam me falsum testem, quod Joannem nobiscum damnaveris: Quod libenter observabo. Verum de hoc testis sum verus, quod supra dictam illius expositionem in Oratione Gregoriana, ipsa veritate constrictus nobiscum improbasti.

In eadem Epistola Catholicam de Eucharistia Fidem contra *Berengarii* hæresim tuetur *Ascelinus* his verbis: „ Cæterum cum Paschasio, aliisque Catholicis non solum sapio, sed etiam veneror & amplector verum Corpus, verumque Sanguinem Christi a Fidelibus in Altari sumi sub specie panis & vini. Sed neque hoc, ut dicis, contra naturæ rationes ago: neque enim aliud naturam dixerim quam Dei voluntatem. Porro voluntas Dei tam efficax est, & omnipotens, ut ejus velle solum, fieri sit: ac per hoc voluisse illum aliquid, fecisse. *Omnia enim quæcumque voluit Dominus fecit*. Voluit autem panem & vinum, quod in Altari Spiritus Sancti consecratione, per Ministerium Sacerdotis conficitur, vere suam Carnem & Sanguinem potentialiter creari, creando vero quotidie mystice immolari. Quod & ipse patenter insinuat in hujus Sacramenti exordio Discipulis suis dicens: *Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum*. Ac ne leviter acciperent vel qualecumque corpus putarent, (Membra enim Christi dicuntur quique Fideles, ac per hoc, corpus) adjecit claritudinem, & ait *Quod pro vobis tradetur*; Similiter & de calice: *Qui pro vobis effundetur*. *Tandem* Berengarium *hortatur* Ascelinus *ut ad saniorem mentem redeat*. Evangelicæ, *inquit*, illius gallinæ alis nutriendum te humiliter submittere non detrectes, ne præclarum illud ingenium quod tibi Deus concessit, infatuetur, & ideo foras ejiciatur, & ab omnibus conculcetur. Pudeat te patrocinari librum, quem Vercellis in Plenaria Synodo damnatum, te quoque propter eum Hæresis macula notatum audivimus. Redi ergo, precor, ad Catholicam & Apostolicam Traditionem.

ARTICULUS X.

Henricus I. Rex Christianissimus Synodum Parisiis contra Berengarium celebrandam indixit: cujus celebrationem ipsi dissuadere conatus est Theoduinus.

VErcellensis Judicio Concilii cum non pareret contumax *Berengarius*, *Henrico I.* Regi Christianissimo esse e re Ecclesiæ visum est, Synodum convocare, per quam ad ejurandam hæresim jam a Romano Pontifice duabusque Synodis damnatam adigeretur. Id cum accepisset *Theoduinus* Leodiensis Episcopus, ad Regem scripsit, ejus pro fide piam sollicitudinem laudans; sed a Concilii celebratione ipsum deterrere aggressus est, ob rationes duas: primo quod *Bruno* Andegavensis Episcopus, qui Berengarianæ hæreseos conscius & fautor ferebatur, damnari non posset absque Sedis Apostolicæ Authoritate: Secundo, quod *Berengario* hæreseos jam convicto & damnato nova concedenda non esset audientia in Quæstione ple-

ne jam eliquata. *Quos ad revincendum*, inquit, *& publice confutandum, eo zelo, eoque fervore, quo erga Sanctum Ecclesiam divina inspiratione plurimum semper ardetis, ujuut Vos Concilium advocasse, ubi tandem illud nobilissimi totius Regni vestri, heu nimis turpe opprobrium, de medio auferatis, & in aeternum si fieri potest, ab ipsa omnium hominum memoria deleatis. O pie volumus, & vere Rege dignissima! Quae utinam effectum habere posset, ut in tanto sacrilegio convictos quod certe facillimum est, absque ulla dilatione debita ultio consequeretur. Sed desperamus id fieri posse, cum Bruno existat Episcopus: Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam praeter Apostolicam Authoritatem . . . . Ergo Majestatem tuam omnes exoratam vellemus, ut interim illorum impium, sacrilegam, & nefariam assertionem audire contemneretis: donec accepta Romanae Sedis audientia, damnandi potestatem haberetis. Quamquam hujusmodi homines nequaquam oporteat audire: neque tam est pro illis Concilium advocandum, quam de illorum supplicio exquirendum. Tunc quippe haeretici audiendi fuerunt, quando haereses ipsae & hujusmodi quaestiones, utpote quae nondum ad unguem discussae fuissent, in dubium venire potuerunt; ut per congressum certaminis patesceret, utra pars staret pro defensione veritatis. Quod idem nunc profecto fieri non oportet, quia creberrimis SS. Patrum Conciliis, tum etiam venerabilium Doctorum clarissimis Sententiis, ita omnia sunt eliquata, ut ne minimum quidem resederit de omni face dubitationis . . . Quamobrem Brunonem & Berengarium, jam anathematizatos arbitramur. Quod si ita est, vere illis Concilii audientia deneganda est: & cum vestris, cumque nostris Episcopis [si ita vobis videtur] cum unico vestro Imperatore, cum ipso Papa, quae vindicta in eos statuatur, deliberandum. Est enim justum ut quorum manus sunt contra omnes, omnium manus etiam contra ipsos excitentur.* Hanc Epistolam *Durando* Leodiensi Episcopo tribuit Cardinalis *Baronius*, sed in eo corrigendus est. Illius enim esse non potest, utpote qui anno 1025 obierit, sex annis antequam *Henricus* I. regnaret. Sed est *Theoduinus*, qui ejusdem civitatis Episcopus creatus est anno 1048. Quaedam sunt in hac *Theoduini* Epistola emendatione digna. Primum, quod *Brunonem* Andegavensem Episcopum haereseos Authorem cum *Berengario* faciat, a quo hanc labem §. IV. abstersimus. Secundum, quod Episcopum damnationis subire posse sententiam negare videatur, nisi Provincialis aut Nationalis Synodus illam damnandi licentiam ac potestatem a Romano Pontifice acceperit: Quod eget explicatione. Si enim intellexit *Theoduinus*, Episcopos non posse deponi, & alios in eorum locum ordinari, praesertim cum haereseos aut schismatis accusantur, nisi ad Sedem Apostolicam Relatio mittatur, vere scripsit. Si vero intellexit Episcopos in Synodo Provinciali vel Nationali congregatos authoritatem habere nullam suscipiendi primam cognitionem causae Episcopi haereseos accusati, & ipsum deponendi, salvo jure appellationis ad Sedem Apostolicam; falsum scripsit, nec Episcoporum jura noverat. Namque Gallicanos Episcopos fidei controversias ad haec usque tempora cognovisse ac judicasse, & Episcopos cum violatae fidei, tum Canonum reos infractorum deponere potuisse ac deposuisse, probant innumera Historiae Ecclesiasticae monumenta passim a nobis observata, quae hic non est opus congerere. Majores tamen illas causas ad Sedem Apostolicam referri, & ea inconsulta finitivam non ferri sententiam, Canones totius mundi reverentia consecrati, & beata consuetudo, impetrarunt. Jusque istud in Romani Pontificis divino Primatu fundatum est. Id unum forte intellexit *Theoduinus*, cum scripsit: *Episcopum non oportet damnationis subire sententiam praeter Apostolicam Authoritatem*

Baronius emendatur.

Quaedam in Epistola Theoduini animadversione digna.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 241. Edit. primae, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Episcopi Galliae primam cognitionem fidei Episcoporum & rerum Ecclesiasticarum habebant, salvo jure appellationis & sententia definitiva.*

R. Scripsi re vera, Gallicanos Episcopos fidei controversias ad haec usque tempora cognovisse ac judicasse, & Episcopos cum violatae fidei, tum Canonum reos infractorum deponere potuisse, idque innumeris Historiae Ecclesiasticae monumentis probari, *Majores tamen illas causas ad Sedem Apostolicam referri, & ea inconsulta finitivam non ferri Sententiam Canones totius Mundi reverentia consecrati, &, beata consuetudo impetrarunt: jusque istud in Romani Pontificis divino Primatu fundatum est.* Cur haec a RR. Censoribus notentur, fateor me non intelligere: nisi forte velint Episcopos nullam Authoritatem habere judicandi controversias fidei, & suscipiendi primam cognitionem causae Episcopi haereseos accusati, & ipsum deponendi in Synodo Provinciali vel Nationali. At contrarium censent Sacra Facultas Parisiensis & Ecclesia Gallicana; contrarium demonstrant innumera Antiquitatis Ecclesiasticae Monumenta. Caeterum de Romani Pontificis Authoritate hic loqui non poteram reverentius ac luculentius.

Nota.

Episcoporum munus erat causas fidei morumque dignoscere, quae tamen ad Romanum Pontificem erant deferendae, ubi vel rei difficultas, vel morbi gravitas ipsorum vires superasset. Hanc praescripsit regulam S. Gregorius *l.* 4. *ep.* 50. ad Vigilium Arelatensem archiepiscopum: *Si qua vero*, ait, *inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum causa emergeret inter episcopos, quae discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis ventiletur, atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur.* Idem indixerat Vigilius Papa Auxanio Arelatensi episcopo, ita dicendo: *Si qua certamina aut de religione fidei, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicae Sedi terminanda servate.* Ex canonicis proinde sanctionibus episcopi in rebus dubiis Metropolitanos consulere debebant, hi vero Romanum Pontificem epistolis suis convenire, ut monet Avitus *ep.* 36. his verbis: *Scitis synodalium legum esse, ut in rebus, quae ad ecclesiae statum pertinent, si quid fuerit dubitationis exortum, ad Romanae ecclesiae maximum Sacerdotem, quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus.*

ARTICULUS XI.

Berengariana Haeresis, cum suo Authore, in Synodo Parisiensi tertio damnata est.

Parisiense Concilium ab *Henrico* I. Rege Christianissimo indictum quidem scripsit Cardinalis *Baronius*, sed celebratum non esse persuasum habuit. Nam *Henricum* I. *Theoduino* dissuadenti assensum praebuisse arbitratus est. Verum aliter se res habet. Celebratum namque est 17. Kalendas Novembris anni millesimi quinquagesimi. *Berengario* jussit Rex Christianissimus ut coram Synodo se sisteret, *Ut aut sua dicta Patrum authoritate firmaret, multis sibi obnitentibus; aut si ea defendere nequiret, in Catholicam, cui obviare non posset, Fidem prudenter transiret.* Adfuere Synodo Praesules magno numero, secundi etiam Ordinis Sacerdotes, & nobiles Laici, nec non Rex Christianissimus *Henricus*. Abfuit contumax *Berengarius*. Interea suggerente Aurelianensi Episcopo, lectae sunt *Berengarii* Literae, quas ad *Paulum* quemdam *familiarem suum* scripserat. Is est *Paulus Metensis Primicerius*, ut ex *Adelmanni* Epistola ad ipsum Berengarium colligitur. Harum *lectio* Literarum, *Quoniam nequissima fordebant haeresi, vehementer displicuit. Damnato proinde communi Sententia talium Authore, damnatis ejus complicibus, cum Codice Joannis Scoti, ex quo ea, quae damnabantur, sumpta videbantur, Concilio soluto discessum est: ea conditione, ut nisi resipisceret ejusmodi perversitatis Author, cum sequacibus suis, ab omni Exercitu Francorum, praeeuntibus Clericis cum Ecclesiastico apparatu, instanter quaesiti, ubicumque convenissent, eo usque obsiderentur, donec*

Emendatur Baronius.

nec aut consentirent Catholicæ Fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. Ita refert *Durandus* Troarnensis Abbas libro *De Corpore & Sanguine Christi*, Parte IX.

Tom. II. Spicilegii.

Post Concilium Parisiense, *Berengarius* datis ad *Richardum* Abbatem Literis, ipsum obtestatus est, quatenus apud *Henricum* Regem pro se intercederet, ut damnum injustissime sibi illatum (Sic enim loquebatur contumax Hæresiarcha) aliqua munificentia compensaret. Se præsto esse ut illius Majestati, & quibus vellet, ex Scripturis probaret *injustissime damnatum Joannem Scotum, injustissime nihilominus assertum Paschasium in Concilio Vercellensi*. Clericos Carnotenses perverse Regi exposuisse Sententiam *Fulberti* gloriosæ memoriæ Episcopi de Eucharistia, quæ revera *Sancti Augustini* est. Regem nolle oportere, *Quæ scripsit Joannes Scotus, monitu illum scripsisse precarioque Caroli Magni Antecessoris sui: qui quantum circa res gerendas perstrenuus, tantum circa Religionem devotus, ne ineruditorum, carnaliumque illius temporis prævaleret ineptia. Erudito vero Joanni illi imposuit colligere de Scripturis, quæ ineptiam illam converterent. Unde ferat oportet defuncto patrocinium contra calumnias nunc viventium, ni se malit exhibere indignum successione & Sede illius Magnifici Antecessoris sui*.

Ita Carolum Calvum vocabant.

ARTICULUS XII.

Berengariana Hæresis, cum suo Authore, quarto damnata est a Victore II. Pontifice Maximo in Synodo Florentina, deinde ab ejus Legatis in Synodo Turonensi, aliisque Gallicanæ Ecclesiæ.

I. LEoni IX. successit *Victor II.* ejusque studia in novæ Hæreseos damnatione æmulatus est, ut *Lanfrancus* testatur cap. IV. Libri de Corpore & Sanguine Domini. *Ab hac sententia*, inquit, *numquam discessit S. Leo in omnibus Conciliis suis ..... Quæ sententia non effugit successorem quoque suum felicis memoriæ Papam Victorem. Sed quidquid de hac re, seu cæteris, ipse statuit, statuive præcepit, hoc etiam iste sua, atque omnium Conciliorum suorum authoritate firmavit*. Ex his non immerito colligit Annalium Ecclesiasticorum Parens *Berengarium a Victore II.* damnatum in Florentino concilio, quod anno millesimo quinquagesimo-quinto celebratum est.

Concilium Turonense contra Berengarium.

II. Eodem anno Concilium Turonis habitum est, cui ejusdem Pontificis interfuere Legati, præfuit Subdiaconus *Hildebrandus*, tum Legatus a Latere, ad Simoniacam Hæresim, & Berengarianam averruncandas in Gallias missus. Ea in Synodo *Berengarius* errorem suum ejuravit subscriptione data & Sacramento firmata, & clementer a Legatis susceptus est. Qua de re ita in *Berengarium* scribit *Lanfrancus* loco supra laudato: *Denique in Concilio Turonensi, cui ipsius Victoris interfuere Legati, data est tibi optio defendendi partem tuam. Quam cum defendendam suscipere non auderes, confessus coram omnibus communem Ecclesiæ Fidem, jurasti te ab illa hora ita crediturum, sicut in Romano Concilio te jurasse est superius comprehensum*. De eadem Synodo *Guitmundus* lib. III. ita scribit. *Ecclesia in ipsa domo quondam Romani Imperatoris, donum obtinet Salvatoris. Inde enim ipsa per B. Leonem Papam hæc Berengariana figmenta mox suo exortu damnavit. Deinde per hunc ipsum qui nunc præest Dominum Gregorium Papam, tunc Archidiaconum ejusdem Romanæ Sedis, in Concilio Turonensi convicit: ipsumque Berengarium, [ut videbatur] correctum, ac propriæ manus Sacramento satisfacientem, clementer suscepit*.

Hujus Synodi meminit *Eusebius Bruno* Andegavensis Episcopus in Epistola ad *Berengarium*, eamque mediam inter alias duas collocat, quarum nulla apud alios Scriptores mentio, unam Turonicam, alteram Andegavensem, jussu *Falconis* Andegavorum comitis habitam, in quibus pariter confixa est Berengariana Hæresis. *Nos*, inquit, *totius Ecclesiæ scandalum jure meritoque exhorrescimus, cum salubriter & cum quiete Pacis Christianæ contenti vivere possimus verborum Christi simplici compendio & sufficienti Sanctæ Fidei firmitate; quoniam nos sentimus, & multos nobis satis superiores viros sentire cognoscimus. Hoc consilio querimonia, qua in præsentia Domini Geraldi tunc Legati apud Turonum emersit, sedata est. Hoc consilio eadem tumultus qui in audientia Domini Eldebrandi in eadem civitate efferbuit, sopitus est. Hac veridica Confessione exactioni Principis hujus nostri, in Capellula cujus in vestra Epistola mentionem fecistis, satisfactum est; & rediviva pestis, quæ, nescio quorum improbitate exagitata, caput extulerat, Domini Bisontinensis Archiepiscopi, & Eruditorum qui adfuerunt, authoritate calcata est*.

De eadem Synodo Turonensi hæc habet Anonymus Chiffletianus: *Victor quoque Papa, & in Sede & in Authoritate successor Sancti Leonis Papæ, misso Legato in Gallias venerabili Hildebrando, tunc Archidiacono, sed nostri temporis Apostolico, Generalem Synodum Turonis congregavit: in qua ipse Beringerius accepta optione defendendi se, cum se penitus defendere non posset, sub Jurejurando propriam hæresim anathematizavit, & communem Sanctæ Ecclesiæ Fidem de virtute Corporis & Sanguinis Domini se deinceps servaturum sub eodem Juramento promisit, licet postea ad eamdem hæresim redierit*.

Hanc Synodum spectat *Durandus* Troarnensis Abbas, ita scribens de Berengarianis in Concilio Parisiensi damnatis: *Quamobrem territi, non multo post in Concilio super Fidei suæ statu conventi; ita se sirat Ecclesia tenet Catholica, credere fideliter, & sapere publice professi sunt; delatisque Sanctorum Pignoribus, ut omnibus satisfacerent, atque de veritate Fidei, quam professi fuerant, eos qui aderant certos facerent, Sacramentum dederunt*. Tum subdit, *Eos ad apostasiam & vomitum priorem rediisse*. Turonensi Concilio adfuisse *Lanfrancum*, & *profundissimis disputationibus Berengarium palam evicisse*, testatur *Odericus Vitalis* libro IV. *Historiæ Ecclesiasticæ*.

ARTICULUS XIII.

Nicolaus II. Pontifex Maximus Berengarii Hæresim in Synodo Romana damnavit: In qua Berengarius ejuravit errorem.

POst *Victoris II.* obitum, & *Stephani X.* qui ipsi successit, brevem Pontificatum, *Nicolaus II.* ad Romanæ & universalis Ecclesiæ regimen assumptus, Concilium centum & tredecim Episcoporum Romam convocavit, celebravitque anno millesimo quinquagesimo-nono. In eo Concilio, quod *Lanfrancus, Guitmundus, & Algerus* commemorant, *Berengarius* præsens, a *Lanfranco* convictus est, ut *Henricus de Cnygthon* lib. II. *De Eventibus Angliæ*, cap. V. testatur; necnon ab *Alberico* Cassinensi Diacono, qui & ibi librum *De Corpore Domini* contra ejus hæresim edidit, ut refert *Leo Ostiensis* in Chronico Cassinensi. Damnata hæresis; *Berengarius* errorem ejuravit; libros perversi dogmatis, præsertim librum *Joannis Scoti*, ex quo hæresim hauserat, in ignem conjecit; Formulæ Fidei quam *Humbertus* Cardinalis & Sylvæ-Candidæ Episcopus edidit Summi Pontificis mandato, subscripsit. De ista Synodo ita scribit *Lanfrancus* lib. *De Corpore & Sanguine Domini*, cap. 1. *Non es contentus, ut perversas perversa dicas, nisi etiam prava Scripta per pravos Discipulos tuos in diversas regiones transmittas. Et cætera quidem a beatæ memoriæ Nicolao totius Christiani nominis Summo Pontifice, & a centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata, atque damnata sunt. Tu quoque inclinato corpore, sed non humiliato corde, ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti Concilii in eum conjecisti, jurans per id quod rebus omnibus incomparabiliter majus est, Fidem a Patribus, qui præsentes erant, traditam inviolabiliter te servaturum, veteremque doctrinam tuam de Corpore & Sanguine Domini, ab illa die aliis non prædicaturum*. Idem testatur *Anonymus Chiffletianus*, in Opusculo *De Berengarii damnatione multiplici*.

Fidem porro Catholicam de Eucharistiæ veritate in Synodo Romana *Nicolai II.* Berengarius sub hac forma professus est .„ Ego Berengarius indignus Diaconus Ecclesiæ sancti Mauritii Andegavensis, cognoscens veram, Catholicam & Apostolicam Fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus infamatus sum quæ astruere conatur: Panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem, solummodo Sacramentum, & non verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut Fidelium dentibus atteri. Consentio autem Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ Mensæ eam fidem tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc Sancta Synodus, Authoritate Evangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet, Panem & vinum quæ in Altari ponuntur, post consecrationem, non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter, non solum Sacramento, sed in veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & Fidelium dentibus atteri: Jurans per Sanctam & homousion Trinitatem, & per hæc Sacrosancta Christi Evangelia. Eos vero qui contra hanc Fidem venerint, eum dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquid contra hæc sentire, aut prædicare præsumpsero, subjaceam Canonum severitati. Lecto & perlecto sponte subscripsi. Illam Fidei Formulam referunt *Lanfrancus* cap. 11. & *Algerus* libro 1. cap. 19. & ex iis *Yvo Carnotensis* in Decreto, & *Gratianus* in Canone *Ego Berengarius*, *De Consecratione*, *Distinct. II.* Professionem illam Fidei, subscriptione *Berengarii* firmatam *Nicolaus II.* misit per urbes Italiæ, Galliæ, & Germaniæ, & ad quæcumque loca famæ ejus pravitatis pervenire potuerat, ut Ecclesiæ omnes, quæ ob illius hæresim scandalum passæ fuerant, de ipsius conversione Deo gratias agerent. Ita refert laudatus *Lanfrancus*.

Quo sensu Christi Corpus in Eucharistia frangi, Berengarius in Confessione sua dixerit.

De sensu verborum, quibus hac in Formula damnatur tamquam hæresis dogma illud, quo asseritur Corpus Christi *non posse sensualiter, nisi in solo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut dentibus Fidelium atteri.* variæ exortæ sunt inter Catholicos quæstiones. Una ex his fractionem Hostiæ sacræ spectat. Nonnulli quippe hanc in signo seu speciebus Sacramentalibus dumtaxat, alii in ipso Christi Corpore illam exerceri sentiebant. Illi in Eucharistia post substantiæ conversionem panis species seu accidentia superesse asserebant, quæ revera frangerentur: negabant isti. Primam sententiam propugnavit *Magister Petrus Abaelardus*, cui hoc nomine dicam erroris scripsit *Walterius Abbas* Regalis Monasterii *S. Victoris* Parisiensis lib. 3. *Contra quatuor Labyrinthos Franciæ*, id est *Abelardum*, *Petrum Lombardum*, *Petrum Pictaviensem*, *& Gilbertum Porretanum*, cap. 11. ubi sic de ipso loquitur: *Demum venit ad Berengarium. Hic enim Hæreticus asserebat, in figura & in Sacramento totum fieri, nihil in veritate. Postea vero convictus coram Nicolao Papa & pluribus Episcopis, confessus est etiam & juravit, panem scilicet & vinum post consecrationem, non solum Sacramentum; sed etiam verum Corpus & Sanguinem Christi esse; & sensualiter non solum Sacramento, sed etiam veritate, manibus Sacerdotum tractari & frangi, & Fidelium dentibus atteri. Ecce Catholica fides. Iste autem Scholasticus sic exponit:* „ Vere quidem ait, est, sed in Sacramento tantum, *Item ait:* Sane dici potest fractio illa & partitio, non in substantia Corporis, sed in ipsa forma panis Sacramentali fieri, ut vera fractio & partitio sit ibi, quæ sit non in substantia, sed in Sacramento, id est, in specie .... Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt, ut sensualiter, non modo Sacramento, sed in veritate dicatur Corpus Christi tractari manibus Sacerdotum, frangi quoque & atteri dentibus. Vere quidem, sed in Sacramento tantum. Vera est igitur ibi attritio & partitio. *Ecce dum Catholicam Fidem, nulla prorsus distinctione indigentem solitis sibi argumentationibus distinguit, alterum se probat Berengarium. Nam sicut ille asserebat, Omnia fiunt, sed in Sacramento tantum: ita & hic. Ille vero correctus addidit Sacramento, & fractioni, attritioni etiam dentium, veritatem quam negabat: iste contra in omnibus veritatem subtrahit, dum asserit omnia fieri, non in substantia, sed in specie visibili, & forma panis, & Sacramento tantum.* In *Abaelardum* haud æquus est *Walterius*, cum ipsi *Berengarii* errorem tribuit. Eucharistiam verum Christi corpus contra *Berengarii* hæresim profitebatur: Panem in substantiam Corporis Christi conversum; solam panis formam Sacramentalem seu speciem visibilem manere, cum Ecclesia asserebat: sed fractionem & attritionem, non in ipso sacro Corpore, sed in Symbolo seu specie exerceri, quod ab annis quadringentis canit Ecclesia in Prosa Sanctissimi Sacramenti ab Angelico Doctore composita: *Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura.*

Extat MS. in Bibliotheca Sancti Victoris.

Idem cum *Walterio* sensit *Abbaudus* Abbas in Tractatu *De fractione Corporis Christi* quem edidit vir doctissimus *Domnus Mabillonius* Tom. III. *Veterum Analectorum*. Sic enim ait: *Secundum fidem Evangelii quod dicit*, Benedixit & fregit; *Apostoli quoque qui dicit:* Panis quem frangimus*: Lucæ etiam Evangelista qui dicit;* Panis fractionis*: Contestante nihilominus spirituali ratione fultus, corde credo, ore confiteor ad salutem, quia veraciter Corpus Christi manibus frangitur Sacerdotis .... Verumtamen ponamus aliquem concessisse, quod vere non frangatur Corpus Christi, ut videamus qui fructus inde nascatur. Dic ergo mihi, obsecro te, unde potero scire quod verum loquatur Evangelista, cum dicit*, Hoc est Corpus meum, *si fefellit quando dixit*, fregit? *Identidem si mentitur Apostolus dicens*, Panis quem frangimus; *unde credam quod verum dicat, quando sequitur:* Communicatio Corporis Christi est? *Itaque qui vere frangi Corpus Christi non concedit, totam fidem tanti Sacramenti, quantum in se est, fregit.* Non repugnare contendit, quod vere frangatur nobis Christi Corpus, & nihilominus integrum in se maneat: sicut puellam mortuam esse, & vivere non repugnat, qui hominibus mortua est, Deo vivit: unde Christus ait: *Non est mortua puella, sed dormit*, Evangelista autem: *Sciens quia mortua est.* Porro *Majorem contrarietatem habet mortuum esse, & non esse, quam frangi quid, & integrum manere.* Præterea: *Apud nos localis divisio, fractionis comprobatio est, quia membrum quod a se invicem disjunctum & localiter divisum videmus, fractum esse tenemus. Porro apud Deum, sicut veraciter dictum est, secundum tempus, Mille anni sicut dies unus: ita æque veraciter dici potest secundum locum, mille, sive quot vis, aut certe omnia loca, apud Deum quasi unus locus. Et quippe qui semper ubique totus præsens est, localis absentia nil absentare, localis longinquitas nil longinquare, localis divisio nil potest dividere. Quod ergo apud nos fractum est, quia localiter divisum est, apud Deum integrum manet, cui omnia loca unus locus est. Quod cum etiam de aliis rebus corporalibus dici possit, quanto magis de illo corpore, quod personaliter illi substantiæ conjunctum est, quæ semper ubique tota præsens est?* Accedit quod *Apud nos membrum quod fractum & a corpore suo divisum est, mortuum esse constat. Illius vero corporis etiam fracti quælibet particula non modo viva, sed etiam vita est, si quis fideliter accipit. Quod ergo vim & plusquam vim integri obtinet, etiam cum frangitur, integrum jure dici potest.* Fractionem vero in accidentibus exerceri negat *Abbaudus*, quia in eo errore est, quod accidentia non maneant. *Cogitaveram*, inquit, *& illis aliqua respondere, qui dicunt ipsum Corpus non frangi, sed in albedine ejus & rotunditate aliquid factitari: sed recogitans ineptum esse in Evangelio Christi de albedine & rotunditate disputare, a maturis talia auribus dimovens, Dialecticis aut certe pueris talia permisi. Præsertim cum quivis facile videat, albedinem seu rotunditatem ab ipso corpore, quod vel album, vel rotundum est, separari non posse, ita ut ab ipso non fracto, hæc per se singulariter non frangantur.* Hæc isto loco observare operæpretium duxi.

Error Abbaudi Abbatis quod accidentia panis & vini in Eucharistia non maneant.

AR-

ARTICULUS XIV.

Berengarius post Romanam Synodum Nicolai II. ad ingenium reversus, Hæresim ut prius docuit, Alexandri II. qui Nicolao successit, paterna monitione insuperhabita.

POst Romanam Synodum reversus in Gallias *Berengarius* cum *Henricum I.* Regem Christianissimum hæreseos hostem infensissimum obiisse, ipsique successisse *Philippum I.* vixdum septennem cerneret, Hæresim, quam pœnarum metu ejuraverat, rursus docere cœpit. Fidei Professionem in Romana Synodo propria subscriptione ac juramento firmatam temeravit, librumque edidit contra sanctam Synodum, contra *Humbertum* Cardinalem, Authorem Formulæ, cujus subscriptio ipsi fuerat imperata, contra Catholicam veritatem. Cujus libri confutationem suscepit *Lanfrancus* eo quem scripsit *De Corpore & Sanguine Domini*: Cujus Cap. I. ubi commemoravit *Berengarii* Professionem in Romana Synodo *Nicolai II.* editam, subdit: *Hujus propositi sacrilegus violator, contra præfatam Synodum, contra Catholicam veritatem, contra omnium Ecclesiarum opinionem, Scriptum postea condidisti: cui in hoc Opusculo, confisus de Christi misericordia respondere disposui.*

Interea ad *Brunonem* Andegavensem Episcopum scripsit *Berengarius*, eumque obtestatus est, ut sibi publicam audientiam concederet. Negavit *Bruno*, causam ter in Provincia judicatam, & Synodi Sedis Apostolicæ Judicio finitam, retractandam non esse asserens. *Ac nullam aleam*, inquit, *de hac re disputationem vel Controversiam, nec accusatores, nec defensores, nec testes, nec Judices, nec Causidicos, nec auditores, me quærere, procurare, congregare aliquando sciatis. Omnibus vero pro hac re, Conventum publicum aggregare volentibus, consensum non tribuam, confluentibus Humilitatis meæ personam subtrahiam confligentibus audientiam, perseverantibus communionem. Est enim causa ter Provinciæ nostræ Judicio terminata, quarto Sedis Apostolicæ Synodi sententia extincta.*

Alexander II. qui *Nicolao II.* in Cathedra *S. Petri* successit, cum audivisset *Berengarium Romanos Pontifices, & Sanctam Romanam Ecclesiam* verbis & scriptis infectari; Sanctum *Leonem IX.* non Pontificem, sed Pompificem, & Pulpificem; Romanam Ecclesiam, vanitatis Concilium & Ecclesiam malignantium; Romanam Sedem, non Apostolicam, sed Sedem Satanæ, dictis & Scriptis appellare; & hæresim suam, post tot Synodicas damnationes & ejurationes, clanculo per Discipulos suos usquequaque disseminare: *Literis eum satis amice præmonuit, ut a Secta sua cessaret, nec amplius Sanctam Ecclesiam scandalizaret. Ille autem ab incœpto desistere noluit, hocque ipsum eidem Apostolico Literis suis remandare non timuit.* Ita refert *Anonymus Chiffletianus* in Opusculo *De Berengarii damnatione multiplici*.

ARTICULUS XV.

Berengarii Hæresis in Synodo Rothomagensi damnata, in eaque asserta est Catholica de Eucharistia Fides.

ANno Christi 1063. *Maurilius* Rothomagensis Archiepiscopus, adstante *Willelmo* Normannorum Duce, cum omnibus Suffraganeis suis, in Ecclesia recens instaurata Concilium habuit de castitate conservanda, & cæteris SS. Patrum Institutionibus, Pastorum incuria negligenter postpositis, viriliter restituendis, ut testantur Acta Archiepiscoporum Rothomagensium ab Anonymo Cœnobii *S. Audoeni* ejusdem urbis Monacho scripta sub *Gregorii VII.* Pontificatu, & edita a *P. Mabillonio*, Tom. II. *Veterum Analectorum*. In eo Concilio Fides Catholica de Corpore & Sanguine Domini in Eucharistia communi assensu firmata est, & *Berengarii* Hæresis damnata, ejusque Sectatores anathemate confixi, his verbis: *Corde credimus, & ore profitemur, panem in Mensa Dominica propositum, panem tantum esse ante consecrationem: sed in ipsa consecratione ineffabili potentia Divinitatis converti naturam & substantiam panis in naturam & substantiam carnis; carnis vero non illius alterius, sed illius quæ concepta est de Spiritu Sancto, nata ex Maria Virgine, quæ etiam propter nos & propter nostram salutem flagellis cæsa jacuit in sepulchro, tertia die resurrexit a mortuis, & sedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aquæ mixtum in Calice sanctificandum proponitur, vere & essentialiter converti in eum sanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi fœliciter emanavit. Anathematizamus contra hanc sanctam & Apostolicam Fidem superbe atque hæretice sentientes, & impia temeritate garrientes.* Illa constant ex *Veteri Formula celebrandi Concilii Provincialis in Ecclesia Rothomagensi*, quam ex Libro Benedictionali ejusdem Ecclesiæ, scripto XI. Seculo, edidit *Mabillonius* Tom. II. *Veterum Analectorum*. In eodem Concilio decretum esse ut in posterum ordinandi Episcopi hanc Fidei Formulam profiterentur, fidem facit *Ritus Ordinandi Episcopi in Metropoli Rothomagensi*, ex eodem Libro ibidem editus.

ARTICULUS XVI.

Berengarii damnatio in Concilio Pictaviensi anno 1075. rursus conclamata est.

GRegorio VII. Sedi Apostolicæ præsidente, anno millesimo septuagesimo-quinto, Idibus Januarii, Concilium Pictavis celebratum est, Præside *Giraudo* Episcopo Engolismensi, Sedis Apostolicæ Legato, in quo Fides Catholica de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia confirmata est, & *Berengarius* novo Anathemate confixus, ut *Chronicon Malleacense* commemorat. *Pictavis*, inquit, *fuit Concilium, quod tenuit Giraudus Legatus, de Corpore & Sanguine Domini, in quo Berengarius.... ferme interemptus est.*

ARTICULUS XVII.

Hæresis Berengarii a Gregorio VII. in duabus Synodis Romanis damnata est: in quibus illam semel & iterum ejuravit duplici Professione Fidei edita.

ANno Domini 1078. *Gregorius VII.* in Festo omnium Sanctorum Concilium habuit, ut Berengarianam causam, quam olim in Concilio Turonensi judicaverat, dum Legatum Apostolicum in Galliis ageret, omnino finiret. In eo *Berengarium* Synodaliter conventum ut ab hæresi sua resipisceret, inducias ad proxime futuram Synodum obtinuisse, *Bertoldus Constantiensis* testatur. Fidei professionem interim edidit subdolis verbis conceptam, qua Patribus cum satis non fecisset, amplius rei examen ad Synodum anni sequentis dilatum est. Fidei Professio a *Berengario* in prima illa *Gregorii VII.* Romana Synodo edita sic habet: *Profiteor panem Altaris post consecrationem esse verum Corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in Cruce, quod sedet ad dexteram Patris: Et vinum Altaris, postquam consecratum est, esse verum Sanguinem qui manavit de latere Christi. Et sicut ore pronuntio, ita me in corde habere confirmo. Sic me adjuvet Deus, & hæc sacra.* Hancce Fidei Formulam ex veteri Codice MS. *Berengarii* refert *Mabillonius* Tom. II. *Veterum Analectorum*, pag. 487.

Aliud Concilium anno sequenti 1079. mense Februario, Indictione II. celebratum est ab eodem Pontifice, in quo *S. Bruno*, qui postmodum fuit Signinus Episcopus, & *S. Wolphemus* Abbas Brunilerensis in *Berengarium* disputarunt. Extat *S. Wolphemi* Epistola ad *Meginhardum* Abbatem scripta contra *Berengarii*

garii

garii hæresim, quam refert *Conradus* Monachus in ejus Vita apud *Surium* die 22. Aprilis. De hac Synodo ejus Acta in Regesto *Gregorii VII.* & in Chronico Virdunensi *Hugonis Flaviniacensis* hæc habet: *Omnibus igitur in Ecclesia Salvatoris congregatis, habitus est sermo de Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, multis hæc, nonnullis illa prius sentientibus. Maxima siquidem pars panem & vinum per sacra orationis verba, & Sacerdotis consecrationem, Spiritu Sancto invisibiliter operante, converti substantialiter in Corpus Dominicum de Virgine natum, quod & in cruce pependit, & in Sanguinem, qui de ejus latere militis effusus est lancea, asserebat, atque authoritatibus orthodoxorum Sanctorum Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam vero cæcitate nimia & longa perculsi, figuram tantum substantiale illud corpus, in dextera Patris sedens, esse, seque & alios decipientes quibusdam cavillationibus conabantur adstruere. Verum ubi cœpit res agi, prius etiam quam tertia die ventum fuerit in Synodo, defecit contra veritatem uti pars altera: Nempe Sancti Spiritus ignis emolumenta palearum consumens, & fulgore suo falsam lucem diverberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem. Denique Berengarius hujus erroris Magister, post longa tempore dogmatizatam impietatem, errasse se coram Concilio frequenti confessus, veniamque postulans & orans, ex Apostolica clementia meruit.* Fidem autem Catholicam de Eucharistia sub hac verborum Formula professus est: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in Altari per Mysterium sacræ Orationis, & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem Carnem & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & post consecrationem esse verum Christi Corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris; Et verum Sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc Fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Ista constant ex *Bertoldo Constantiensi* Authore coævo, qui subdit Summum Pontificem præcepisse *Berengario* Authoritate Dei Omnipotentis, & Sanctorum Apostolorum *Petri & Pauli*, ut de Corpore & Sanguine Domini numquam ulterius cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret, excepta causa reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant. Eadem refert *Lanfrancus* lib. *De Corpore & Sanguine Domini*, cap. 11. eamdemque *Berengarii* Confessionem describit. Gallias repetenti *Berengario*, *Gregorius VII.* Apostolicæ protectionis literas dedit, ad *Radulphum* Turonensem Archiepiscopum, & *Eusebium* Episcopum Andegavensem ut eum sua vice a *Fulconis* Comitis Andegavensis infestationibus tuerentur. Dedit ipsi & alias literas ad Fideles universos, quibus ipsum hæreticum appellari prohibuit. Has ex MS. Codice monasterii *Sancti Albini* Andegavensis edidit Vir Clarissimus *Franciscus Royus* in erudita Dissertatione de Vita, hæresi, & pœnitentia Berengarii. Posteriores editæ sunt Tom. II. *Spicilegii Dacheriani*, pag. 508.

De duabus Synodis Romanis a *Gregorio VII.* in causa *Berengarii* celebratis, *Anonymus Chiffletianus* ita scribit: *Quopropter Reverendissimus Papa Gregorius VII. Successor Alexandri, iterum eidem Beringerio audientiam in duabus Synodis generalibus Romæ concessit. Sed cum ipse Sectam suam Catholicæ Fidei contrariam denegare non posset; iterum sub juramento eamdem abjicere, & Fidem Catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus Conciliis fecit.* Tum de conciliis omnibus a se commemoratis subdit; *Tot igitur Conciliis Beringerianam hæresim damnatam percepimus, tum ex fideliunt relatione virorum qui eisdem Conciliis interfuerunt, tum ex Regestis Romanorum Pontificum, tum ex Scriptis religiosorum virorum, qui de his fidelissime scripserunt. Nam eadem Concilia nostris temporibus infra 40. annos celebrata reperiuntur, quot anni ab exordio Pontificatus S. Leonis Papæ, usque in præsentem annum computantur, qui est ab Incarnatione Domini 1088. Unde & adhuc multi vivunt, qui eisdem Conciliis interfuerunt. Ultima quoque generali Synodo sub Gregorio Papa VII. anno Dominicæ Incarnationis 1079. ipsi interfuimus, & vidimus quomodo Beringerius in media Synodo constitit, & hæresim de Corpore Domini coram omnibus propria manu sacramento abdicavit sub præsentia Gregorii Papæ, Henrici Patriarchæ Aquilejensis & Reverendissimorum Episcoporum Petri Albanensis, Beati Anselmi Lucensis, Landulfi de Pisa, Reginherii de Florentia, Hugonis Diensis, Atemanni Patavíensis, & reliquorum centum quinquaginta Episcoporum & Abbatum, & innumerabilium Clericorum.*

ARTICULUS XVIII.

Post ultimam Synodum Romanam in sua causa sub Gregorio VII. habitam, aliquandiu in hæresi, quam ficto animo ejuraverat, Berengarius perstitit.

ID probat Concilii Burdegalensis convocatio anno 1080. facta per *Hugonem* primum Diensem Episcopum, deinde Archiepiscopum Lugdunensem, Sedis Apostolicæ Legatum, *In quo Berengarius reddidit Fidei suæ rationem*; ut Chronicon Malleacense testatur. Non fuisset autem necessaria hujusmodi Synodi celebratio, si *Berengarius* in ea quam professus fuerat Fide constans permansisset.

Idem probat *Bertoldi* Constantiensis Presbyteri testimonium ad annum 1083. scribentis: *Beringarius, novæ hæresis de Corpore Domini author, eo tempore deficiens abiit in locum suum. Qui licet eamdem hæresim sæpissime in Synodo abjuravit, ad vomitum tamen suum canino more non expavit redire. Nam & in Romana Synodo canonice convictus, hæresim suam in libro a se descriptam combussit, & abjuratam anathematizavit; nec tamen postea dimisit.*

Denique, quod palmare argumentum est, id probat Scriptum *Berengarii*, quo tertiam Fidei Professionem rescindit, ac ad ejus subscriptionem metu supplici se inductum testatur. Hanc probationem ex Codice MS. eruit doctissimus *P. Mabillonius*.

ARTICULUS XIX.

Berengarius Orthodoxus & Pœnitens abiit.

B*Ertoldi* laudatum superius testimonium suaderet *Berengarium* in hæresi obiisse, nisi domestici scriptores, aliique numero plures, authoritate præstantiores, ipsum Orthodoxum & Pœnitentem obiisse testarentur. Ejus rei fidem faciunt imprimis veteres Membranæ Laureacenses: *Tunc*, inquiunt, *Berengarius Roma discedens, Turones venit, ibique in Insula quæ S. Cosmæ dicitur, sæculi pompis abrenuntians, fere per viginti & octo annos Domino militavit. Aliique plures Canonici Sancti Martini, Sancto Spiritu, necnon salutari ejus admonitione instructi, mutatis vestibus sese ad Insulam contulerunt.* Error est in numeris, & legendum omnino videtur, *per octo annos*, non, *per viginti & octo*, cum obierit anno octavo post Concilium Burdegalense, quod ultimum in ejus causa celebratum est, scilicet anno 1088 die sexto Januarii.

Idem probatur testimonio locupletissimo *Clari* Floriacensis Monachi in Chronico *S. Petri Vivi*, quod Monasterium est apud Senonas, ad annum 1083. *Berengarius Turonensis Magister*, inquit, *& admirabilis Philosophus, amator pauperum effloruit. Hic composuit Orationem illam, quæ sic incipit*: Juste Judex Jesu Christe. *Post hæc, fidelis & vere Catholicus vitam finivit.* Chronicon autem suum scripsit *Clarius* ineunte Sæculo XII. paulo post obitum *Berengarii*.

Idem probatur testimonio *Willelmi Malmesburiensis* lib. 3. de Gestis Regum Anglorum. *Porro*, inquit, *licet Berengarius primum calorem juventutis aliquarum hæresum defensione infamaverit, ævo austeriore ita resipuit*

sipuit

sipuit, ut sine retractatione a quibusdam habeatur Sanctus, innumeris bonis, maxime autem humilitate & eleemosynis approbatus, largarum possessionum dispertiendo Dominus, non abscondendo & adorando famulus: femineæ venustatis adeo parcus, ut nullam conspectui suo pateretur admitti, ne formam videretur delibasse oculo, quam non pruriebat animo. Non aspernari pauperem, non adulari divitem; secundum naturam vivere, habens victum & vestitum, juxta Apostolum, his contentus esse. Subjicit *Willelmus* Epitaphium tumulo *Berengarii* inscriptum ab *Hildeberto* Cenomanensi postea Episcopo, in quo metas veræ laudis ille transilivit amore incitatus. Sic autem habet:

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacra Fidei fastigia summa tenentem,
Jani quinta dies abstulit, ausa nefas.
Illa dies, damnosa dies, & perfida mundo,
Qua dolor, & rerum summa ruina fuit.
Qua status Ecclesiæ, qua spes, qua gloria Cleri,
Qua cultor Juris Jure ruente ruit.
Quidquid Philosophi, quidquid cecinere Poetæ,
Ingenio cessit eloquioque suo.
Sanctior & major sapientia majus adorta,
Implevit sacrum pectus & ora Deo.
Pectus eam voluit, vox protulit, actio prompsit,
Singula factori sic studuere suo.
Vir sacer & sapiens, cui nomen crescit in auras,
Quo minor est quisquis maximus est hominum.
Qui census peperit, partos servavit honores,
Cui potior pauper divite, jusque lucro.
Cui nec desidiam, nec luxum res dedit ampla,
Nec tumidum fecit multus & altus honos.
Qui nec ad argentum nec ad aurum lumina flexit,
Sed doluit quoties, cui daret hæc, aberat.
Qui non cessavit inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando pauper & ipse fuit.
Cujus cura sequi naturam, Legibus uti,
Et mentem vitiis, ora negare dolis.
Virtutes opibus, verum præponere falso,
Nil vacuum sensu dicere, nil facere.
Lædere nec quemquam, cunctis prodesse, favorem
Et populare lucrum pellere mente, manu.
Cui vestis textura rudis, cui non fuit unquam
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.
Quem pudor hospitium statuit sibi, quamque libido
Incestos superat, tam superavit eam.
Quem natura parens cum mundo contulit, inquit,
Degenerant alii, nascitur iste mihi.
Quæque vagabatur & pene reliquerat orbem,
Inclusit sacro pectore Justitiam.
Vir sacer a puero, qui quantum præminet orbi
Fama, tam fama præminet ipse sua.
Fama minor meritis cum totum pervolet orbem,
Cum semper crescat, non erit æqua tamen.
Vir pius atque gravis, vir sic in utroque modestus,
Livor ut in neutro rodere possit eum.
Livor enim deflet, quem carpserat antea, nec tam
Carpsit & odit eum, quam modo laudat, amat.
Quam prius ex vita, tam nunc in morte gemiscit,
Et queritur celeres hujus obiisse dies.
Vir vere Sapiens, & parte beatus ab omni:
Qui cælos anima, corpore ditat humum.
Post obitum vivam secum, secum requiescam,
Nec fiat melior sors mea sorte sua.

Hæc *Hildeberti* musa paulo in laudes *Berengarii* profusior, ut recte notat *Willelmus Malmesburiensis*; ipsum nihilominus Catholicum & Pœnitentem obiisse probat. Sortem enimvero meliorem peroptasset *Hildebertus* sorte viri in hæresi defuncti & ad inferos detrusi. Subdit Willelmus Malmesburiensis. *Berengarius plane quamvis ipse sententiam correxerit, omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Adeo pessimum est alios exemplo vel verbo a bono infirmare: Quia fortassis peccatum te gravabit alienum, cum deletum fuerit suum.* Et infra: *Quin & ipse die Epiphaniorum moriens, gemituque producto, recordatus, quot miseros quondam adolescens primo erroris calore secta sua infecerit: Hodie, inquit, in die Apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus, propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.*

Willelmo Malmesburiensi circa Berengarii Pœnitentiam & pium obitum consentiunt *S. Antoninus*, Chronici P. II. Tit. XVI. §. XX. *Vincentius Bellovacensis* in Speculo Historiali lib. 25. cap. 30. *Martinus Polonus* in Henrico II. Imperatore, *Philippus Jacobus Bergomensis* in Supplemento Chronicorum lib. 12. *Joannes Bromton* in Chronico &c.

Idem probatur ex *Baldrico* Burgulieosi primum Abbate, Dolensi deinde Episcopo *Berengarii* æquali, qui ipsum hoc Eocomio post mortem exornavit:

Tota Latinorum facundia marcida floret,
Dum Berengario Turonis viguere Magistro.
Porro Latinorum facundia florida maret;
Invida sors Turonis ubi tantum lumen ademit.
Clauditur in Jano tibi, Doctor, janua vitæ;
Vel magis in Jano patuit tibi janua vitæ.
En tua, magne Senex, jacet hoc sub fornice gleba,
Ad reditum propriæ suspirans conditione:
Promittatque licet veniam tibi spes meritorum,
Hanc tamen acceleret Lector pia vota vovendo.

Denique in Codice *MS. B. Martini* Turonensis, *Berengarii* obitus his verbis adscriptus est: *Obiit Magister Berengarius Grammaticus, fidelis & vere Catholicus, anno Domini 1088. Philippi I. Francorum Rege anno 28. Urbani Papa anno IV.* Et Turonensis Ecclesiæ *S. Martini* Canonici ipsi velut homini in Fide Catholica & Ecclesiæ communione defuncto, jam inde ab ejus obitu justa persolvunt, quotannis ad ejus tumulum, qui in Claustro *S. Cosmæ* visitur, Feria III. Paschæ convenientes, & Psalmum *De profundis*, pro ejus requie canentes. Utinam Hæretici nostrates, qui ejus authoritate ac magisterio gloriantur, ejus ad gremium Ecclesiæ reditum, & erroris amendationem imitentur: & *Qui Berengarium sequuntur errantem, sequantur pœnitentem!* Cum Berengario tamen haud sepulta est ejus hæresis. Unde *Urbanus II.* in Synodo Placentina anno millesimo nonagesimo-quarto, hanc iterum damnare operæ pretium existimavit, ut *Bertoldus Constantiensis* Presbyter in Chronico testatur. *Hæresis, inquit, Berengariana jam ab antiquo sæpissime anathematizata, iterum damnata est, & Sententia Catholicæ Fidei contra eamdem firmata, videlicet: Quod panis & vinum, cum in Altari consecrantur, non solum figurate, sed etiam vere & essentialiter in Corpus & Sanguinem Domini convertantur.*

DISSERTATIO II.

De Dissidio quod Gregorium VII. Pontificem Maximum cum Henrico III. Imperatore commisit.

ARTICULUS I.

Henrici Regis crimina, Ecclesiæ & Reipublicæ offensionem crearunt maximam, & Saxonum animos ab ipso alienarunt.

HEnricus Regem Germaniæ eo nomine *Quartus*, Imperatorem *Tertius*, *Henrico* Patri in Regnum successit quinquennis puer, sub *Agnetis* Augustæ matris tutela anno Domini 1056. Ut primum adolescere cœpit, pravam exhibuit indolem, quam *Sanctus Anno* Coloniensis Archiepiscopus emendare & ad rectum inflectere frustra conatus est, ipsum de Principum sententia Matri eripiens, & ad Regnum juste ac pie administrandum instituere satagens. Cum enim a Moderatore Sanctissimo manumissus est ac sui juris esse cœpit, in omnis generis flagitia præceps ruit. Luxuria, tyrannis, crudelitas, avaritia, sacrorum venundatio, Ecclesiasticorum jurium usurpatio, vitia ejus fuere. Hinc Ecclesiæ scandalum, Reipublicæ pernicies, Saxonum defectio. Ex antiquis & probatæ fidei Authoribus hæc probanda.

Bruno in Historia Belli Saxonici *Werinhero* Meseburgensi Episcopo nuncupata bellum illud descripturus, prout ab his qui rebus intererant, potuerat cogno-

gnoscere, ita de *Henrici* Regis pueritia, adolescensia, & depravatis moribus præfatur: „ Postquam Henricus Imperator ab hoc sæculo fœlici morte migravit, filius ejus Heoricus IV. infœliciter in hoc sæculo relictus vitæ, Regnum Patris electione communi suscepit. Quod eum adhuc decenter, utpote puerulus quinquennis, gubernare non potuit, ipsum cum Regni causa curandum Mater ipsius Agnes venerabilis Imperatrix accepit. Sed cum procedente temporis cursu puer ætate quidem, sed non sapientia, vel apud Deum, vel apud homines proficeret, Matrisque monita Regio fastu tumidus jam minus audiret; Anno Coloniensis Præsul venerandus, eum violenter Matri eripuit, eumque cum omni diligentia, sicut decebat Imperatoriam Prolem, non sam Regi, quam Regno prospiciens, nutrire curavit. Adolescentiam ingressus, calle virsutum penitus abdicato, totis viribus post concupiscentias suas ire disposuit. Quod ut liberius facere potuisset, prius magisterii illius authoritatem a se penitus excussit, & qui ad Regnum gubernandum fuisset electus, jam se ab aliquo gubernari est dedignatus. Igitur Rex ab Episcopo manumissus, cum sui juris esse cœpisset, tunc patefecit quam viam vitæ sectati decrevisset. Vepres enim libidinum eo fuctuosius in eo germinabant, quo eas nec ipse, utpote igne primæ juventutis ardescens, & Regni luxus deliciis affluens, ab agro sui cordis evellebat, nec eas aliquis ab eo, Rege videlicet monitores aspernante, extirpare ferro correptionis audebat. Adelbertum Bremensem Episcopum adulatorem & hypocritam, in juvenis Principis familiaritatem irrepsisse & ejus vitia fovisse subdit. „ Hac igitor, *inquit*, Episcopi non Episcopali doctrina Rex in nequitia confortatus, ivit per libidinum præcipitia sicut equus & mulus, & qui multorum Rex erat populorum, thronum posuit in se libidini cunctorum Reginæ visiorum. Binas vel ternas simul concobinas habebat; nec his contentus cujuscumque filiam vel uxorem juvenem & formosam audierat, si seduci non poterat, sibi violenter adduci præcipiebat. Narrat deinde quas Reginæ conjugi castissimæ & magni animi fœminæ struxit insidias, immisso in ejus cubiculum Aulico, qui furtivos amplexus ab ea rogavit. Quos eum illa dissimulans, & ex Regis malis artibus id oriri intelligens, ore tantum esset pollicita, Rex in cubiculum Reginæ cum adultero noctu irrupit, ipsum tamen prævertens, ne forte infidelitatis illius, ut sperabat, testis non esset. Illa vero adultero foris relicto, januam cito clausit, atque *Henricum*, quasi ipse adulter fuisset, ejus pudicitiæ struens insidias convocatis puellis, fustibus cædi jussit, & undique contusum ac semianimem e cubiculo ejecit. Addit Bruno „ Nobiles in hac terra mulieres, ipse prius eis turpiter abusus, servili conjugio turpius dehonestavit. ... Multa & magna in hoc genere ejus flagitia sponte prætereo. Hoc tantum hic ultimum locum teneat, quod in eo justus Judex inultum non relinquat, ignominia videlicet quam sorori suæ fecit; quod eam manibus suis depressam tenuit, donec alius ex ipsius jussu coactus, fratre præsente, cum ea concubuit; cui non profuit quod Imperatoris filia, quod ipsius utroque parente soror unica, quod sacro capitis velamine Christo fuerat desponsata. *De ipsius crudelitate subdit Bruno:* Sed quia nefanda stupra nefandiora generare solent homicidia, sicut ille non unam Bersabee, libidinosus stupravis, ita non unum Uriam crudelis interfecit. Tot enim in homicidiis immania perpetravit facinora, ut dubium sit quæ major sit ejus infamia libidinis incestæ, an crudelitatis immensæ. *Cujus multa refert exempla idem Historicus.*

De Sacrilega Episcopatuum nundinatione *Henrico* Regi familiari scribit idem Author: „ Omnibus his malis hoc malum superaddit, quod cæteris omnibus malis & antiquis firmamentum quo vigerent, & novis quo surgerent, initium dedit. Episcopos enim non pro qualitate meritorum, secundum canonum Decreta constituit, sed si quis majorem pecuniam dedit, vel ipse major ejus flagitiorum adulator extitit. Cumque alicui sic Episcopatum dedisset: si ei alius plus daret, vel ejus magis facinora laudaret, illum priorem quasi simoniacum fecit deponi, & istum secundum quasi sanctum in eodem loco consecrari.

Quod tyrannidem spectat, munitiones circumquaque in Saxonia extruxit, ut populos opprimeret. *Ab agricolis*, inquit Bruno, *ad militares, a terræ fructibus ad libertatem adimendam ascendit: & Fridericum de Monte, qui inter liberos homines vel Nobiles eximius habebatur, famulum suum esse Rex asseruit. Willelmum quoque, qui propter nimium cultum sui Rex de Lothet-Luvo appellabatur, tanta crudelitate prosequitur, quod multa ei erant prædia, sed non multa sapientia, ut propter hos duos ab omni Saxonia præcipue facta sit adversus Regem conjuratio..... Gens vero Suevorum, audita Saxonum calamitate, clam Legatos suos ad illos misit & fœdus cum eis fecit, ut neuter populus ad alterius oppressionem Regi ferret auxilium.... Sigifridus Moguntina Sedis Archipræsul Wernero Magdeburgensi, & Burcharda Halberstatensi Episcopis Literas querimonia plenas misit, quod Rex in Episcopatu sua loca prædationibus suis faciendis apta elegisset, positisque inibi castellis & præsidiis, multa mala rebus suæ Ecclesiæ faceret*, &c. *Eamdem querimoniam fecerunt ad invicem omnes pene Regni Teutonici Principes, sed tamen palam nullus audebat fateri*, &c. *Ottonem denique virum prudentem & fortem, qui natus in Saxonia, Dux erat in Bavaria, omni calliditate deponere quærebat, quod illum cum omnibus Bavaris Saxones adjuturum non dubitabat. Ergo quemdam nomine Einonem pretio conduxit ut Ducem de Regis morte secum tractasse diceret, & hoc se, si negaret, singulari bello probaturum promitteret. Itaque certaminis illius constituta die, Otto ab amicis suis Episcopis, & aliis Principibus præmonetur, quod si Goslariam veniret ubi duellum fieri debebat, etiamsi adversarium vinceret, tamen inde cum vita non rediret. Elegit ergo honore suo potius injuste privari, quam tale Judicium subire, ubi sciebat ipsi Justitiæ violentiam fieri. Igitur ad sua recessit, & associato sibi Magno Duce Saxoniæ, per duos fere annos cum Rege crudele bellum gessit*. Factam deinde pacem turbavit *Henrici* superbia & tyrannis in Saxoniæ Principes. Cum enim ejus mandato Goslariam ad Comitia convenissent, indigne illos habuit, & solida die in Palatio expectantes relinquens, insalutatos & contemptos remisit. Hinc orta seditio, conflatus exercitus *Ottone* Duce Regem ad *Hertesburg* aggressus est, anno 1073. Ne ab ingenti opprimeretur exercitu, prudenter fugit *Henricus*, vindictam de perduellibus in tempus differens magis opportunum. Validiori conscripto exercitu, commissoque prælio anno 1075. ingentem Saxonum stragem edidit, victoriaque potitus, graviorem exercuit tyrannidem. De qua laudatus *Bruno* io Belli Saxoniei Historia legendus est.

Lambertus Scafnaburgensis, qui Historiam de Rebus Gestis Germanorum ad annum 1077. perduxit, de pravis *Henrici* Regis moribus, flagitiisque ita loquitur, ad annum 1073. „ Coloniensis Archiepiscopus, offensus his quæ plurima præter æquum & bonum fiebant in Palatio, petiit a Rege vacationem deinceps dare sibi a rerum publicarum administratione, causatus in senium jam vergentem ætatem, & laboriosis Regni negotiis minus in dies sufficientem. Quod Rex haud difficulter annuit, quia pravis libidinibus suis & juvenilibus ineptiis jamdudum animadverterat eum graviter offendi, & plerumque, quantum salva Regia dignitate poterat pro virili portione obniti. Is ergo, ubi se in sua recepit, Rex tamquam severissimo Pædagogo liberatus statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiæ & temperantiæ frænis præcipitem se dedit; montes omnes, collicolosque Saxoniæ & Thuringiæ castellis munitissimis extruxit, præsidiumque imposuit. Quibus cum victui necessaria minus sufficerent permisit ut ex proximis villis & castellis hostili more prædas agerent, & ad ipsa castella monienda circumquaque manentes cogerent, & impensas affatim convectare, & per se ipsos servili manu desudare. Verum ne manifestæ tyrannidis notaretur, si contra innocentes atque in Regnum proprium tam barbara crudelitate grassaretur, ut impietatem suam quadam religio-

nis

nis specie palliaret, Archiepiscopum Moguntinum modis omnibus instigavit, ut Decimationes Thuringiæ, sicut ante plures annos instituerat, exigeret, pollicens se ei in exigendo summa ope affuturum, & dicto obtemperare nolentes, Regia Majestate coacturum, ea tamen pactione, ut ipsarum decimationum partem sibi, quæ & Regia magnificentia, & tanto labore digna foret tribueret. Ita Episcopus vanissima spe animatus Synodum indixit in Erphesfurd VI. Idus Martii. Statuto die aderat Rex, aderat Archiepiscopus, stipatus uterque magno grege Philosophorum, immo Sophistarum, quos ex diversis locis summo studio consciverant, ut Canones sibi non pro rei veritate, sed pro Episcopi voluntate interpretarentur, & causam ejus quomodo veris non poterant, sophisticis allegationibus roborarent. Aderant ergo cum Rege & Archiepiscopo Moguntino Hermannus Bambergensis Episcopus, Hecel Hildensheimensis, Eppo Citicensis, Benno Osembrugensis, qui non ad discutiendam juxta Ecclesiasticas Leges causam fuerant evocati, sed ut id quod Rex volebat, arte dictionis & sententiarum pondere postremo quaqua possent ratione & consilio obtinerent. Quamquam plerique eorum id quod Rex moliebatur, vehementissime improbarent, sed ne libere quod sentiebant, eloquerentur, & Regis terrore, & privata Archiepiscopi amicitia inhibebantur. Habebat præterea Rex circa se armatorum copias non modicas, quibus eos, si qui forte negotium interturbare conarentur, militari manu coerceret. Multa contentione lis disceptata est, Fuldensi & Herveldensi Abbatibus, *qui Ecclesias Decimales plurimas, & prædia infinita in Thuringia habebant*, causam vehementer agentibus. Jamque in eo res vertebatur, ut Thuringi improbata Synodo Sedem Apostolicam appellarent. *Sed Rex sub attestatione nominis divini affirmabat, se in eum, si quis id præsumpsisset, capitali sententia animadversurum, & omnia quæ ejus essent, usque ad internecionem dissipaturum*.

Vexationes Saxonum & Thuringorum ab *Henrico* Rege ibidem commemorat Lambertus. Interea, *inquit*, hi qui in Castellis supra memoratis erant, graviter nimis imminebant populo Saxoniæ, & Thuringiæ; omnia quæ in villis & agris erant, in dies eruptione facta diripiebant, tributa & vectigalia sylvarum & camporum importabilia exigebant, & plerumque sub prætextu Decimarum totos simul greges abigebant: ipsos Provinciales & plerumque honesto loco natos, & re familiari florentissimos, vilium mancipiorum ritu servire sibi cogebant: filias eorum & uxores, conscüs & pene aspicientibus maritis, violabant; nonnullas etiam vi in castella sua raptas, & quanto tempore libido suggessisset, impudicissime habitas ad ultimum maritis cum ignominiosa exprobratione remittebant. Quorum si quis inter tanta mala suspirare, & internum animi dolorem levi saltem querimonia solari atque evaporare ausus fuisset, statim velut qui gravem injuriam Regi fecisset, in vincula conjiciebatur, nec inde exire poterat, nisi totius supellectilis suæ distractione vitam salutemque suam redemisset. Cumque ex omnibus locis catervatim quotidie pro his Regiam majestatem interpellarent, cum gravi contumelia rejiciebantur „. Tam gravi Tyrannide exacerbati Saxones seditione facta uno animo ad recuperationem libertatis conspirant. Conjurati Principes Legatione ad Regem destinata, postulant „ Ut Castella, quæ ad eversionem Saxoniæ per singulos montes collesque extruxerat, dirui juberet: Ut Principibus Saxonibus quibus sine legitima discussione bona sua ademerat, secundum Principum suorum Jurisdictionem satisfaceret: Ut relicta interim Saxonia, in qua jam a puero residens, otio atque ignavia pene emarcuisset, etiam alias Regni sui partes inviseret: Ut vilissimos homines quorum consilio seque remque publicam præcipitem dedisset, de Palatio ejiceret, & Regni negotia Regni Principibus curanda atque administranda permitteret: Ut abdicato grege concubinarum quibus incubabat, Reginam, quam secundum Ecclesiasticas Traditiones thori sociam Regnique consortem delegisset, conjugali loco haberet & diligeret: Ut cætera flagitiosorum probra, quibus Dignitatem Regiam adolescens infamaverat, nunc saltem maturo sensu & ætate abdicaret. Postremo per Deum rogant, ut justa postulantibus sponte annueret, nec sibi magni cujusquam atque inusitati facinoris necessitatem imponeret: Si ita faceret, se promptissimo animo ei, sicut hactenus, servituros, eo tamen modo quo ingenuos homines atque in libero Imperio natos Regi servire oporteret: Sin autem, Christianos se esse, nec velle hominis qui fidem Christianam capitalibus flagitiis prodidisset, communione maculari. Quod si armis cogere instituisset, sibi quoque nec arma deesse, nec militaris rei peritiam: Sacramento se ei Fidem dixisse, sed si ad ædificationem, non ad destructionem Ecclesiæ Dei Rex esse vellet; si juste, si legitime, si more majorum rebus moderaretur; si suum cuique ordinem, suam dignitatem, suas leges tutas inviolatasque manere pateretur: sin ista prior ipse temerasset, se jam sacramenti hujus religione non teneri, sed quasi cum barbaro hoste & Christiani nominis oppressore justum deinceps bellum gesturos, & quoad ultima vitalis caloris scintilla superesset, pro Ecclesia Dei, pro Fide Christiana, pro libertate etiam sua dimicaturos „. De belli Saxonici initio, & variis utrimque nullo fructu Legationibus, agit subinde *Lambertus Scafnaburgensis*.

Marianus Scotus coævus etiam Author, in Chronico ad annum 1075. de *Henrici* Regis criminibus ita scribit: „ Unicam & dilectam Domini Sponsam, quantum in ipso fuit, per concubinarios, id est, hæreticos polluere & offuscare veritus non est, dum spiritualia Ecclesiæ Officia, gratifica videlicet Sancti Spiritus munera, per iniqua contrariaque Fidei Catholicæ commercia, more Simonis, efficeret venalia. Hæc & his similia nefanda & inaudita Henrici Regis flagitia videntes & audientes fieri viri Catholici per id temporis in Ecclesia constituti, cum Propheta Helia Domini zelo zelantes pro domo Israel, directis Romam nuntiis, ad Alexandrum Apostolicæ Sedis Antistitem, hæc ei & alia quamplurima, quæ in Regno Teutonico insanientibus Simoniacis hæreticis, Rege Henrico authore & patrono, dicta & gesta sunt, tam literis, quam viva voce gemendo ac dolendo conquesti sunt, &c. Interea Domino Alexandro Apostolico de medio sublato, suscepit Sedem Apostolicam Gregorius, qui & Hildebrandus, professione monachus. Iste querimoniis & clamoribus Catholicorum justis adversum Henricum & scelerum ejus immanitatem auditis, zelo Dei accensus, jam dictum Regem excommunicatum pronuntiavit, maxime propter Simoniam. De iisdem *Henrici* Regis criminibus fidem faciunt *Paulus Benriedensis* in Vita *Gregorii VII.* Pœnitentiarius *S. Anselmi Lucensis*, in ejus Vita, & *Domnizo* Presbyter in Vita *Mathildis*, coævi Authores.

ARTICULUS II.

Gregorius VII. Henricum Regem per literas & Legatos amantissime convenit, ut eum ad officium revocet, seque in ejus utilitates propensissimum probat.

GRegorium VII. amore singulari *Henricum* Regem complexum esse, nec in eum severitatem exercuisse, nisi tentatis omnibus benevolentiæ, mansuetudinisque mediis, ejus literæ, & illorum temporum Historiæ demonstrant. Suum in eum amorem significat Epistola IX. Lib. I. ad *Gottefredum* Ducem. „ De Rege vero, *inquit*, mentem nostram & desiderium plene cognoscere potes; quod quantum in Domino sapimus, neminem de ejus præsenti ac futura gloria aut sollicitiorem, aut copiosiori desiderio nobis proferri credimus. Est enim hæc voluntas nostra, ut primum oblata nobis opportunitate per nuntios nostros super his quæ ad profectum Ecclesiæ, & honorem Regiæ Dignitatis suæ pertinere arbitramur, paterna eum dilectione & admo-

„ nitione conveniamus. Quod si nos audierit, non aliter de ejus quam de nostra salute gaudebimus; quam tunc certissime sibi lucrari poterit, si in tenenda justitia nostris monitis & consiliis acquieverit. Sin vero nobis odium pro dilectione, omnipotenti autem Deo pro tanto honore sibi collato, dissimulando justitiam ejus, contemptum non ex æquo reddiderit, interminatio qua dicitur; Maledictus homo qui prohibet gladium suum a sanguine, super nos, Deo providente non veniet. Nequa enim liberum nobis asl alicujus personali gratiæ legem Dei postponere, aut a tramite rectitudinis pro humano favore recedere, dicente Apostolo: si hominibus placere vellem, servus Dei non essem. Hæc Epistola data est Romæ II. Nonas Maji 1073.

Eamdem erga *Henricum* Regem caritatem testatur *Gregorii* Epistola ad *Beatricem & Mathildem* feminas Principes, XI. lib. I. *De Rege autem, ut antea in literis nostris accepistis, hac est voluntas nostra, ut ad eam religiosos viros mittamus, quorum admonitionibus, inspirante Deo, ad amorem Sanctæ Romanæ & suæ Matris Ecclesiæ eam revocare, & ad condignam formam suscipiendi Imperii instruere & expolire valeamus. Quod si nos audire contempserit, nos tamen a Matre nostra Romana Ecclesia, custodiente Deo, exorbitare nec possumus, nec debemus. Et certe satius nobis est defendendo veritatem pro sui ipsius salute, ad usque sanguinem nostrum, sibi resistere, quam ad explendam ejus voluntatem, iniquitati consentiendo, secum ad interitum ruere.* Data est hæc Epistola 8. Kalendas Junii ejusdem anni.

Suam vicissim erga Sanctum Pontificem observantiam literis testatus est Rex *Henricus*, eodem anno datis; sed haud sinceram fuisse illam reverentiæ & obedientiæ significationem, demonstravit eventus. Hanc Epistolam, quam *Hugo Flaviniacensis* refert in Chronico Virdunensi, inseruit *Goldastus* Tom. I. Constitutionum Imperialium. Sic autem habet: „ Cum Regnum & Sacerdotium, ut in Christo rite administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeant; oportet, Domine mi, & Pater amantissime, quatenus ab invicem minime dissentiant, verum potius Christi glutine conjunctissima, indissolubiliter sibi cohæreant. Namque sic & non aliter conservatur in vinculo perfectæ caritatis & pacis, & Christianæ concordia unitatis, & Ecclesiasticæ simul status Religionis. Sed nos qui, Deo annuente, Regni jam aliquandiu sortimur ministerium, Sacerdotio per omnia jus & honorem non exhibuimus legitimum. Quippe nobis a Deo datæ potestatis vindicem non sine causa gladium portavimus, nec tamen in reos, ut justum fuit, judiciaria illum semper censura evaginavimus. Nunc autem divina miseratione aliquantulum compuncti, & in nos reversi, peccata nostra priores vestræ indulgentissimæ Paternitati nos accusando confitemur, sperantes de vobis in Domino, ut Apostolica vestra Authoritate absoluti, justificati mereamur. Heu criminosi nos, & infelices! partim pueritiæ blandientis instinctione, partim potestativæ nostræ, & imperiosæ potentiæ libertate, partim etiam eorum quorum seductiles nimium secuti sumus consilia seductoria deceptione peccavimus in cœlum, & coram vobis, & jam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Non solum enim nos res Ecclesiasticas invasimus, verum quoque indignis quibuslibet, & simoniaco felle amaricatis, & non per ostium, sed aliunde ingredientibus Ecclesias, ipsas vendidimus, & non eas (ut oportuit) defendimus. At nunc quia soli absque vestra authoritate Ecclesias corrigere non possumus, super his, (ut etiam de nostris omnibus) vestrum una consilium & auxilium obnixe quærimus, vestrum studiosissime præceptum servaturi in omnibus.

Gregorius VII. his *Henrici* Regis Literis supramodum recreatus, spem de illius emendatione concepit maximam, & non solum spiritali ipsius bono, sed temporali Regni utilitati paterno affectu consuluit. Audiens enim Saxones habitis in Gerstengo Comitiis, Principum partem longe maximam in hanc sententiam adduxisse, *Ut reprobato Rege, alium qui gubernando Regno idoneus esset, eligerent*, quemadmodum refert *Lambertus Scafnaburgensis*; Ipsos gravissimis Literis ab eo consilio deterruit, sequestrem sa pacis offerens, spondensque se quamprimum Legatos ad eam conciliandam missurum. Ac interim utrique parti inducias indixit. Id ex Epistola ipsius ad *Wezelinum* Magdeburgensem Archiepiscopum, & alios Præsules ac Principes Saxoniæ, 29. libri I. discimus. „ Inter cæteras, *inquit*, curarum anxietates, ea nos maxime solicitudo coarctat, quod inter vos & Henricum Regem, vestrum videlicet Dominum, tantam discordiam, & tam inimica studia exorta esse cognovimus, ut exinde multa homicidia, incendia, deprædationes Ecclesiarum & pauperum, ac miserabilem patriæ vastitatem fieri audiamus. Qua de re Regi misimus, exhortantes & ex parte Apostolorum Petri & Pauli eum admonentes, ut interim sese ab armis, & omni bellorum infestatione contineat, donec tales ad eum ab Apostolica Sede Nuntios dirigamus, qui tantæ dissensionis causas & diligenter inquirere, & annuente Deo, ad pacem & concordiam æqua valeant determinatione perducere. Atque itidem vos exoratos, & Apostolica authoritate commonitos esse volumus, ut ex vestra parte, omni motione sopita, easdem pacis inducias observetis, nec aliqua occasione nobis cum Dei adjutorio adstruendæ pacis impedimentum opponatis. Cum enim nobis mentiri sacrilegium: deserere justitiam, animæ sit naufragium; neminem vestrum dubitare volumus, quin super hac re veritate discussa, quidquid æquum videbitur, providente Deo decernere, & stabili pactione studeamus efficere; & quamcumque partem injurias & conculcatæ justitiæ violentiam pati cognoverimus, illi proculdubio omni timore, & respectu personalis gratiæ posthabito, favorem, & Apostolicæ authoritatis præsidia conferemus. „ Data hæc Epistola 13. Kalendas Januarii 1073.

Secundum hæc Legationem in Germaniam misit ad *Henricum* Regem *Gregorius VII.* anno 1074. ad quam obeundam *Agnetem Augustam* ejus matrem, fœminam religiosissimam, & quatuor Episcopos Ostiensem nimirum, Prænestinum, Curiensem & Commensem elegit, qui nutantem & deformatum Ecclesiæ & Reipublicæ statum componere ac restaurare satagerent. Nec tamen, *inquit Lambertus Scafnaburgensis ad hunc annum*, cum Rege sermonem communicare sæpius rogati, consenserunt, donec secundum Ecclesiasticas Leges Pœnitentiam professus, per judicium eorum anathemate absolveretur, pro eo quod propter venditas Ecclesiasticas Dignitates, & simoniacæ hæreseos insimulatus fuisset apud Sedem Apostolicam. Itaque petierunt verbis Romani Pontificis, ut Synodum tenere intra Gallias, pace Episcoporum, sineretur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Episcopi tamquam inusitatum, longeque a suis rationibus alienum; nec se hujus authoritatis privilegium ulli alii prærerquam ipsi Romano Pontifici umquam delaturos affirmabant: siquidem intenderat Romanus Pontifex, ut omnes Episcopos & Abbates, qui sacros gradus pretio redemissent, discussione habita, deponeret. Jamque hac de causa Bambergensem Episcopum, & alios nonnullus ab omni Divino Officio suspenderat, donec coram venientes inustum sibi crimen hæreseos digna satisfactione purgarent. Et Rex quidem cupide id volebat odio Wormatiensis Episcopi, & quorumdam aliorum, qui eum bello Saxonico offenderant, quos hac calumnia involvendos, & dignitatis detrimenta passuros certissima spe præsumpserat; sed quia per Legatos res tanta posse confici desperabatur, consulto in audientiam ipsius Romani Pontificis delata est. Hæc Lambertus Scafnaburgensis.

De eadem Legatione & ejus fructu *Paulus Benriedensis* in Vita Gregorii VII. ita scribit. „ Gregorius, ut decebat, paterna illum visitavit commonitione, orans ut pro amore omnium Regis, etiam pro sui status salute, ablatis quibus oportebat tantum Sanctæ Ecclesiæ filium, & membrum abstinere, pedem retraheret, agnosceretque Regem

Re-

,, Regum super se inspectorem, qui cordium consilia, & tenebrarum abscondita cognoscens, unicuique secundum opera reddit: rogans etiam ut Consiliarios pessimos, qui magis sua, quam eum diligebant, dimitteret: quoniam talium consiliis consentire, nihil aliud esset quam mortem acquirere, Regnumque subvertere, & in fabulam cunctis gentibus fieri velle, significabat. Ad hoc Rex ipse parumper commotus, literas supplices, & magis, ut postea patuit, subdolas, emendationem promittentes misit. Allatis itaque Literis, tota Ecclesia lætata est sperans Sacerdotium & Regnum Dei gratia coadunandum, ad purgandum omne quod in ipsa sparsum incumbebat sordidum. Tunc communi consilio definitum est, ut pro tanta causa, tamque Deo digna ratione, Agnes Mater ejus Augusta, una cum venerabilibus Episcopis, Ostiensi videlicet & Prænestino a latere Domini Papæ missis, Regem eum Apostolicis Literis adiret, ut tanta promissione percognita, certum finem malæ rei hactenus commissæ imponere vellet; quam Rex ipse, cum memoratis Apostolicis Nuntiis honorifice suscepit, reversusque ad cor, ut justum fuit, in omnibus Deo, & Sancto Petro satisfecit. Quidquid etiam Legati sibi superposuerunt, humillima mente portare promisit, in manibus eorum, de cætero se custodire, omnesque simoniacos malosque Consiliarios & excommunicatos a se procul repellere, & Dei Ecclesiam, secundum Canonicam institutionem per consilium Papæ ordinandam componendamque dimittere. Regem a Legatis ad Pœnitentiam susceptum, emendationem promisisse, jurando per sanctas Stolas, quas in collo gerebant, scribit *Gregorius VII.* in Epistola ad Germanos. De iisdem *S. Anselmi Lucensis* Pœnitentiarius, in ejus Vita, cap. 3. & *Domnizo* Presbyter in Vita *Mathildis* Comitissæ, legi possunt.

Non una hæc fuit *Agnetis Augustæ* Legatio, cum enim Rex *Henricus* haudquaquam promissis staret, nec Decreto Pontificis & Synodi Romanæ anno 1074. celebratæ, quo Investituræ sub pœna excommunicationis prohibebantur, ullatenus pareret, nec a Simoniaca nominatione ad Episcopatus abstineret, nec pravos mores emendaret; Augustam *Gregorius* oravit ut ad eum rediret, cor ejus fortius pulsatura. De hac secunda Legatione *Paulus Benriedensis* in Vita *Gregorii VII.* ita scribit: ,, Rex quoque reversus est ad eadem volutabra quibus involvi consueverat, credens nimirum magis suæ blandienti voluntati, malisque Consiliariis, quam sanæ religioni. Ad quod corrigendum Mater ejus Augusta iterum a Sede Romana missa est. Cum quo tempore aliquo conversata, Sanctæ Matris Ecclesiæ erga illum affectum aperuit, &c. Moram autem faciente Regina, suas iterum Literas Papa misit, ut instaret verbo & liberationi Filii: ipsumque rogavit, ut quemadmodum in literis olim sibi missis continebatur, Legatorumque in manibus promissio, & fides data ostenderat; sic se custodiret, maxime a simoniaca hæresi, qua insudabat, spiritum suum cohiberet; excommunicatos Consiliarios, quos pro salute sua, Regnique statu, Apostolica Sedes & Synodus juste damnaverat, procul abjiceret, ne in eamdem maledictionem incideret. Regina Romam revertens, Filium ad Dei justitiam & honorem inclinatum fore asseruit. Cui non multo post vacillanti, blandientes & idoneæ Literæ bis missæ sunt. Eadem Carmine *Domnizo* Presbyter in Vita *Mathildis* exponit.

Hæ de quibus *Paulus Benriedensis*, & *Domnizo* loquuntur Epistolæ, sunt 30. & 31. Libri secondi. Priori Epistola ipsi gratulatur, quod Legatos Apostolicos audiens quasdam res Ecclesiasticas correxerit, & debitam erga Sedem Apostolicam observantiam significaverit. *Sed & illud*, inquit, *quod pia memoria Agnes mater tua Imperatrix Augusta apud nos constanter testificata est, iidemque Legati Episcopi attestati sunt; simoniacam scilicet hæresim funditus de Regno tuo extirpare, & inveteratum morbum fornicationis Clericorum toto annisu corrigere velle, vehementer nos hilaravit. Filia quoque nostra, fidelissima vestra, Beatrix Comitissa, & filia ejus Mathildis, non modice nos lætificavere, scribentes nobis de amicitia & sincera dilectione vestra, quod libentissime accepimus: quarum consilio, sed & persuasu dilectissimæ Matris vestræ Augustæ, ad hoc inducti sumus, ut has vobis Literas scriberemus*. Monet deinde ut pravos Consiliarios & adulatores vitet. *Moneo autem te, Fili Excellentissime, & sincera caritate exhortor, ut in his rebus tales tibi Consiliarios adhibeas, qui non tua, sed te diligant, & saluti tuæ, non lucro suo consulant*. Monet præterea, ut Ecclesiæ Mediolanensi, cui simoniacus invasor ejus authoritate fretus incubabat, jus suum restituere dignetur; nisi Legatos mittat qui certissimis documentis probent, Romanarum Synodorum Judicium immutari debere. *Porro*, inquit, *de causa Mediolanensi, si viros religiosos & prudentes ad nos miseris, quorum ratione & authoritate claruerit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ bis Synodali Judicio firmatum posse aut debere mutari Decretum, justis eorum consiliis non gravabimur acquiescere, & animum ad rectiora inclinare. Sin autem impossibile esse constiterit, rogabo & obsecrabo Sublimitatem tuam, ut pro amore Dei & reverentia S. Petri eidem Ecclesiæ jus suum libere restituas: & tunc demum Regiam Potestatem recte obtinere cognoscas, si Regi Regum Christo ad restaurationem defensionemque Ecclesiarum suarum faciendam Dominationis tuæ Altitudinem inclines.* Significat demum se Moguntino Archiepiscopo *Sigefredo*, & Bambergensi, Straaburgensi, & Spirensi Episcopis diem dixisse, ut coram Synodo proxime celebranda suæ promotionis gestorumque rationem reddant: postulatque ut ad sistendum se Concilio Regia authoritate cogantur. Data est hæc Epistola 7. Idus Decembris anni 1074.

Quales Consiliarii a Principibus eligendi.

Altera Epistola summum in Regem Henricum amorem verbis suavissimis iterum significat Pontifex; rogat ne Rex eos Consiliarios audiat, qui discordiam inter ejus Majestatem & Sedem Apostolicam seminare nituntur: profectionem in Orientem se meditari scribit, ut Græcos, Armenosque rectam fidem doceat, ac illos ad Ecclesiæ Romanæ Communionem revocet. Illuc si pergat, Ecclesiam ipsi *Henrico* custodiendam ac tuendam ait se relicturum, de quo multum sperat. Consilium & auxilium rogat ab ipsius Majestate, & voluntatem erga ipsum propensissimam testatur. *Sed quia*, inquit, *magna res magno indiget consilio, & magnorum auxilio, si hoc Deum me permiserit incipere, a Te quæro consilium, & ut tibi placet, auxilium: Quia si illuc favente Deo vero, post Deum tibi Rom. Ecclesiam relinquo, & eam & sicut S. Matrem custodias, & ejus honorem defendas. Quid tibi super his placeat, & quid Prudentia tua divinitus aspirata decernat, mihi, quantocyus potes, remittat. Nam si de te plusquam plurimi putent, non sperarem, verba hæc frustra proferrem. Sed quia forsan non est homo, cui de sinceritate dilectionis meæ adhuc indubitanter credas, Spiritui Sancto, qui omnia potest, committo, ut menti tuæ suo more indicet quid tibi cupiam, quantumve te diligam: & eodem modo circa me tuam mentem componat, ut impiorum desiderium depereat, & bonorum accrescat.*

ARTICULUS III.

Henricus Rex Ecclesiastica spernens Decreta, & in criminibus contumaciter perseverans, acrius a Gregorio VII. reprehenditur. Ille reprehensionis impatiens, Schismaticum contra Pontificem Conciliabulum Wormatiam congregat: moxque aliud Conventiculum Papiam.

GRegorius VII. ex Synodi Romanæ II. an. 1074. celebratæ sententia quinque Regis *Henrici* Consiliarios, quod in Episcopatuum & Abbatiarum nundinatione sequestres essent, a Communione excluserat: *Ottonem* Constantiensem Episcopum, quod suæ Diœceseos Clericis fœminas retinere contra Apostolica Decreta permisisset, ad Synodum evocatum, & sistere se recusantem, pariter excommunicaverat: jusserat Regi ut ab excommunicatorum familiaritate

& consortio abstineret, simoniacas Investituras dimitteret. Frustra vero hæc omnia. Quamvis enim Summo Pontifici promisisset ejus se Mandatis ac Synodicis Decretis religiose pariturum, atque ad emendationem propensus videretur egregius simulandi artifex, quandiu ipsum Saxonum ingens validusque exercitus premebat; reportata de illis victoria, rediit ad ingenium; excommunicatos fovit, simoniacas Episcopatuum collationes usurpavit, illorum donationem etiam in ditionibus Pontificiis sibi arrogavit. Hinc ad illum gravem Epistolam scripsit *Gregorius*, quæ est 10. Libri tertii. Hac ipsum arguit quod excommunicatorum judicio Sedis Apostolicæ, ac Synodali censura, Communione se commaculet. Jubet ut, si ira est, iis a se rejectis & ad pœnitentiam compulsis, ab aliquo Episcopo pœnitentiam ipse & absolutionem petat. Miratur quod Literis & Legationibus devotionem summam erga Sedem Apostolicam ostendat, qui tamen re & factis asperrimum, & Canonicis atque Apostolicis Decretis contrarium se probat. *Nam*, inquit, *ut de reliquis taceamus, quod de causa Mediolanensi per Matrem tuam, per confratres nostros Episcopos, quos ad te misimus, nobis promiseras, qualiter attenderis, aut quo animo promiseris, res ipsa indicat: & nunc quidem ut vulnus vulneri infligeres, contra Statuta Apostolicæ Sedis tradidisti Firmanam & Spoletanam Ecclesiam [si tamen ab homine tradi Ecclesia aut donari potest] quibusdam personis nobis etiam ignotis, quibus non licet nisi probatis, & ante bene cognitis regulariter manum imponere.* Eumdem ad obedientiam Sedi Apostolicæ exhibendam hortatur. *Scimus enim*, inquit, *quoniam qui fidelem Deo obedientiam exhibere non renuit, in his quæ Sanctorum Patrum Statuta sequentes dixerimus, veluti si ab ore ipsius Apostoli accepisset, nostra monita servare non spernit.* Synodi hoc anno contra Investituras Romæ celebratæ Decretum inculcat. Illud nec gravius esse quam par sit, scribit, nec ipsi tantum *Henrico* Regi & ejus subditis, sed omnibus Principibus, populisque Christianis observandum. Monet ut Ecclesiæ opprimere desinat libertatem. *Paterna te caritate monemus*, inquit, *ut Christi super te imperium recognoscens, honorem tuum ejus honori præponere, quam sit periculosum cogites, & libertatem Ecclesiæ, quam sponsam sibi cœlesti consortio jungere dignatus est, non jam tua occupatione impedias, sed quo maxime crescat, Deo omnipotenti & B. Petro, a quibus & tua mereatur amplificari gloria, auxilium tuæ virtutis fidei devotione exhibere incipiens. Quod nimirum pro collata tibi ex hostibus tuis victoria nunc te permaxime illis debitum fore, cognoscere debes.* Data est hæc Epistola sexto Idus Januarii, Indictione XIV. anno 1075.

Obedientia Sedi Apostolicæ exhibenda.

Cum his Literis apud Regem *Henricum* nihil promovisset *Gregorius*, Legationem ad ipsum decrevit anno 1076. de qua *Lambertus Scafnaburgensis* ita scribit: „ Rex Natalem Domini Goslariæ celebravit.... Aderant præterea Hildebrandi Papæ Legati, denuntiantes Regi, ut secunda Feria secundæ hebdomadæ in Quadragesima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus quæ objicerentur, causam dicturus. Alioquin sciret se absque omni procrastinatione, eodem die de corpore sanctæ Ecclesiæ Apostolicæ anathemate esse abscindendum. Quæ Legatio Regem vehementer permovit: statimque abjectis cum gravi contumelia Legatis, omnes, qui in Regno suo essent, Episcopos & Abbates, Wormatiæ Dominica Septuagesimæ convenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, si qua sibi via, si qua ratio pateret. In hoc cardine totam verti ratus salutem suam & Regni stabilitatem, si is non esset Episcopus.

Conciliabulum Wormatiense.

De Actis Wormatiensis Conciliabuli subdit Lambertus: „ Rex statuta die venit Wormatiam: venerunt etiam Episcopi & Abbates amplissimo numero. Commode quoque conficiendis tantis rebus intervenit quidem ex Cardinalibus Romanis, Hugo cognomento Blancus, quem ante paucos dies, propter ineptiam ejus & mores inconditos Papa de statione sua amoverat, deferens secum de vita & institutione Papæ scenicis figmentis consimilem tragœdiam: scilicet unde oriundus, qualiter ab ineunte ætate conversatus, quam perverso ordine Sedem Apostolicam occupaverit, quæ ante Episcopatum, quæ post acceptum Episcopatum, memoratu quoque incredibilia flagitia commiserit. Hujus authoritatem tamquam divinitus sibi destinatam gratissime amplexati, & promptissime secuti, sententiam promulgarunt, quod Papa esse non possit, nec ullam juxta Privilegium Romanæ Sedis, ligandi aut solvendi potestatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commaculaverit. Cumque cæteri omnes damnationi ejus nihil hæsitantes, subscriberent, Adelbero Wirtzburgensis Episcopus, & Hermannus Metensis Episcopus aliquandiu restiterunt dicentes: Incongruum valde & contra Canonum scita esse ut Episcopus aliquis absens, absque generali concilio, sine legitimis & idoneis accusatoribus & testibus needum probatis criminibus quæ objicerentur condemnaretur; Nedum Romanus Pontifex, adversus quem nec Episcopi, nec Archiepiscopi, cujusquam recipienda sit accusatio. Sed Willelmus Trajectensis Episcopus, qui causam Regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat, ut aut cum cæteris in damnationem Papæ subscriberent, aut Regi, cui sub jurejurando fidem spopondissent, protinus renuntiarent. Is eo tempore Regi admodum carus acceptusque erat, eique Rex omnium quæ privatim vel publice agenda erant, post se ordinationem delegaverat, vir sæcularibus literis apprime eruditus, sed fastu nimio inflatus, vix se ipse ferebat. Igitur ex nomine omnium qui convenerant, Episcoporum & Abbatum, plenæ contumeliarum Literæ Romam destinantur, quibus denuntietur Romano Pontifici, ut Pontificatu quem contra Ecclesiasticas Leges usurpasset, sese abdicet; sciatque post eam diem, quidquid agat, jubeat, decernat, irritum haberi.

De eadem Prædatoria Synodo *Paulus Bernriedensis* in Vita Gregorii VII. ita scribit: „ Rex gravi mœrore & timore correptus, hac illacque mente furibunda transcurrens, omnes suos nequam Consiliarios advocavit ...... Inter quos Moguntinus fuit Archiepiscopus, & reliqui qui sub ipso degebant Suffraganei. Facta vero tali conventione, statuerunt, ut Imperialis Constitutio cunctos in suo Regno manentes Episcopos, cursoribus ubique missis, ante suam præsentiam juberet assistere; & coadunatis omnibus, Anathemati, quod Moguntinus Hæreticus contra B. Petri Vicarium, immo in Dominum & Apostolum ejus componeret, subscriberent. Quod si forte motus aliqua reverentia quis eorum se subtrahere vellet, rebus omnibus & dignitate privatus, ut Regalis Majestatis obnoxius, capitalem subiret sententiam. Interea Legatis undique missis; ab Urbe quidam Hugo olim Cardinalis, tunc autem inter Episcopos hæreticos præcipuum caput, qui jam tertio ab Apostolica Sede damnatus fuerat, quia quosdam Simoniacos reconciliare præsumpserat, fictitiis suis Literis Archiepiscoporum & Episcoporum personas repræsentans, advenit, laudans omnia quæ super Dominum Papam composuerant; projectis in medium aliis Epistolis, sub omnium Cardinalium, Senatusque ac populi nomine titulatis, quibus significabantur quædam proclamationes ad præsentiam Regiam delatæ; ubi etiam continebantur postulatio novi Pontificis, & abjectio legitimi Pastoris: subintulit etiam multas inimicitias quas patiebatur a Normannis, & a circumjacentibus Comitibus, ab ipsis etiam traditoribus in Urbe manentibus. Quibus visis, Rex non modice lætatus, & ad opus componendum fomentum desideratum accepit. Adductis itaque in medium diabolicis Pontificibus, Anathema super Dominum Papam, immo super seipsos protulerunt. Missis etiam in Longobardiam & Marchiam a latere Regis tam nuntiis, quam apicibus, visum est ut Anathemati facto subscriberent. Congregatis ergo omnibus Papiæ ex præcepto Regis, & magis ex propria malevolentia & odio, ut res patuit, anathemati subscripserunt. Nam ad ostendendum malæ voluntatis cumulum, positis Sacrosanctis Evangeliis, juramento firmaverunt, nullo modo se dein-

Sigefridus Moguntinus Archiepiscop. Schismaticus.

ceps

ceps Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros. Missis & aliis nuntiis, idem effecerunt. Scripsit autem idem Rex Romam Literas omni injuria inhonestas, falsitateque repletas, præcipient Domino Papæ ut de Sede surgeret, Ecclesiamque dimitteret: vocans eum perjurum, invasorem, & Regiæ Dignitatis diminutorem, maxime simoniacis Longobardiæ elaborantibus. Statuerunt etiam ut non ante Literæ darentur, & verba, quam Synodus quæ congregata in Romana fuerat Ecclesia, plenius hoc audire posset, quod atiam factum est. Nam & Papa Synodum faciente quidam Parmensis Clericus Domini Apostolici ad injuriam, cum eisdem Literis præsentare se non abhorruit, & easdem blasphemias in facie totius Ecclesiæ & Conventus proferre non formidavit.... Postquam vero finito hymno, facturus sermones exhortationis omnibus Papa consederat, ille Præcursor Antichristi sic eumdem Papam alloquitur: *Dominus meus Rex, & Episcopi omnes Ultramontani, & Italici præcipiendo mandant, ut invasam Sedem B. Petri, & Romanam Ecclesiam amodo dimittas: Non est enim dignum sine præcepto illorum & Imperiali dono tantum honorem scandere.* Et conversus Clero Romano dixit: *Vobis dicitur, Fratres, ut ad futuram Pentecostes Solemnitatem Regio conspectui vos repræsentetis, suscepturi de manibus Regis Papam & Patrem; quia hic non Papa, sed lupus esse dinoscitur rapax:* ,, Ad cujus verba mox Joannes Portuensis Episcopus, morum honestare & religione vir præclarus, facto impetu surgens, immensa voce clamavit; *Capiatur*. Tunc præfectus, facto impetu, cum Judicibus, Militibus, Romanis Nobilibus, tantum Impostorem, evaginatis in ipsa Ecclesia Salvatoris gladiis, ante Domini Papæ præsentiam interimere voluit; & fecisset, nisi pius Pater se super eum projecisset, omnibus de ejus morte clamantibus. Eadem inculta, sed veraci carmine *Domnizo* Presbyter a *Tengnagel* editus commemorat. Idem testatur Pœnitentiarius *S. Anselmi Lucensis* in ejus Vita.

De eodem Conciliabulo ita scribit *Hugo* Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi. ,, Quanti scripta aut verba per Legatos missa Henricus Rex fecerit, ejus declarant facta: cum non solum a perpetratis criminibus ad emendationem revocari non potuit, sed furore conscientiæ mordacis arreptus, non prius destitit, donec omnes pene Episcopos Italiæ & Teutonicarum partium, quotquot potuit, circa Christi fidem naufragare fecit, dum eos debitam B. Petro, & Apostolicæ Sedi obedientiam abnegare coegit. Quia vero justus diviti favere nescit, nec facit quidquam commendandi se causa, eum qui a vero devius superbiebat, potenter Domnus Papa redarguebat, sciens eam esse veritatis regulam, non accipere personam potentis in judicio, ideoque quorum crimina agnoverat, libera in eorum increpatione ferebatur voce. At ille reprehendi a quoquam aut corrigi inique ferens, occasionesque ab amico recedendi quærens, quia non potest esse participatio justitiæ cum iniquitate, introitum ejusdem Beatissimi Papæ Gregorii culpare cœpit, ut culpas simoniæ, quas ab eodem in se puniri timebat, in illum reflecteret. Ausus est etiam de expulsione ipsius Romani Pontificis, *quem*, ut ait Symmachus Papa, suo Deus sine quæstione reservavit arbitrio,, stipatus factiosorum officio tractare, & cui concessum est peccatorum vincula solvere, criminum compedes frangere, hunc peccator superbiens conatus est, proh pudor! a Sede Judiciaria propellere, ut posset sibi consimilem de suis consentaneis in ejus locum subrogare; sed non est consilium contra Deum. Verum novi Dogmatistæ Judicia Apostolica spernunt, Scripturas Sanctas abjiciunt, de corde suo prophetantes, & mercedem scelerum, traditis desideriis cordium suorum, in semet a Christo abjectione recipientes. Hi igitur Concilio Wormatiæ habito, ubi omnis quam patimur calamitas exorta est, abjecerunt a se jugum disciplinæ, cum nullam adhuc in illos Domnus Papa Anathematis destinasset sententiam, & Sanctæ obedientiæ Libellum repudii conscripserunt, Prælationi Sedis Apostolicæ superba & repentina temeritate abrenuntiantes. Conventus hic inter Nativitatem Dominicam, & sequentem Quadragesimam habitus est, ita distantibus spatiis, ut quæcumque ibi gererentur, Romam tempore Synodi referri possent. Die vero Natalitio Andreæ Apostoli ante ipsam dici festivitatem apud Bavemberg Henrico posito, tanta adhuc inter Regnum & Sacerdotium vigebat concordia, ut destitutio Pontificis urbis ipsius & substitutio alterius, obedientiæ Domni Papæ deputaretur. Ille igitur qui ante Nativitatem Dominicam tantæ in Ecclesia magnificentiæ erat ut ad nutum illius mutationes ordinum fierent, paucis post Nativitatem diebus inconventus & inauditus proscriptus est, & quantum ad illos depositus. Ex die enim qua tanti ab hominibus habitus est; nullam eorum Legationem accepit, usque dum illa veniret, qua dictum est: Descende, descende; interdicimus tibi jus omne Papatus. Prolixius de eodem Conventiculo agit *Bruno Mersemburgensis* in lib. *De Bello Saxonico* & Schismatici Principis literas Romam transmissas exhibet.

De eodem Conciliabulo Marianus Scotus ad annum 1077. ita scribit: *In Concilio XXIV. Episcoporum, Abbatum, multorumque Clericorum, Wormatiæ mense Martio facto, præsente Henrico Rege, decretum est ut bannum Hildebrandi Papæ nullus curaret, nec Papa esset.*

ARTICULUS IV.

Henricum Germaniæ Regem Gregorius VII. in Romana Synodo anni 1076. excommunicavit; sed Regia Dignitate non omnino privavit.

HEnricum Regem tam sæpe, tam amanter tam paterne per Epistolas, per Legatos, per *Agnetem* Augustam matrem, admonitum, rogatum, reprehensum de Simonia, de usurpata Episcopatuum donatione, de patrocinio excommunicatis impenso, de libidine, credulitate, tyrannide, cum non solum in sceleribus perseverare, cum non solum suas admonitiones, preces, increpationes, minas, & Sedis Apostolicæ Decreta contemnere; non solum contumeliis Christi vicarium, & *S. Petri* Successorem insectari, sed Schisma facere, Germaniæque Episcopos quamplures & Longobardiæ non paucos ab obedientia sua abstraxisse, videret *Gregorius VII.* diutius dissimulare non debuit, sed armis spiritualibus, quæ Christus Ecclesiæ suæ reliquit, Ecclesiam, suamque dignitatem tueri, & Anathemate confodere cum Regem ipsum, tum schismatis Incentores. Id præstitit in Romana Synodo anni 1076. contumeliosa *Henrici* Legatione suscepta, lectisque literis insolentissimis, ut refert Lambertus Scafnaburgensis. ,, Legati, *inquit*, ut jussum fuerat, summo conatu iter accelerantes, pridie quam Synodus indicta celebraretur, Romam ingressi Literas tradunt: tunc cæteram Legationem, sicut in mandatis habebant, verbo non minus contumelioso, quam scripto, exequuntur. Papa nihil permotus atrocitate nuncii, postera die, cum Clerus & populus ad Synodum frequens confluxisset, in auribus omnium literas recitari fecit, & sic cunctis, qui convenerant, Episcopis id fieri decernentibus, Regem excommunicat, & cum eo Archiepiscopum Moguntinum Sigefridum, Episcopum Trajectensem Willelmum, Episcopum Bambergensem Robertum: cæteris, qui conspirationis hujus participes extiterant, diem statuit, qua, nisi Romæ præsentati causam dicerent, novæ hujus & inusitatæ contra Sedem Apostolicam rebellionis similem cæteris excommunicationis sententiam sortirentur.

De eadem Synodo, & Henrici excommunicatione ita scribit *S. Anselmi Lucensis* Pœnitentiarius in ejus Vita, cap. 3. ,, Cum igitur dissimulare amplius tanti facinoris malitiam non posset Apostolicus, excommunicavit tam ipsum, quam omnes ejus fautores

„ tores, atque omnem sibi Regiam Dignitatem interdixit, & obligatos sibi Sacramentis ab omni debito fidelitatis absolvit; quia quod verecundum etiam est dicere, præter hæreticam quam prælibavimus culpam, aderant in Sancto Concilio nuncii illius sic audentes latrare: Præcipit Dominus noster Rex, ut Sedem Apostolicam & Papatum, utpote suum, dimittas, nec locum hunc sanctum ultra impedias.... Igitur quem sui solius Judicio Dominus reservavit, hic non solum judicare, verum etiam suum dicere, & quantum in ipso est, audet damnare: quam ob causam omnis illa Sancta Synodus jure indignata, Anathema illi conclamat atque confirmat. Idem incompta musa, sed fideli *Domnizo* Presbyter canit in vita *Mathildis* Comitissæ.

Paulus Benriedensis in Vita *Gregorii VII.* refert gravissimam Sancti Pontificis Orationem ad Patres in Synodo congregatos, qua absoluta, Sancta & Magna Synodus dixit: „ Tua, Sanctissime Pater, censura, quem ad regendum nostri temporis sæculum divina peperit elementia, contra blasphemum, invasorem, tyrannum, desertorem, talem sententiam proferat, quæ hunc conterat, & futuris sæculis transgressionis cautelam conferat, *&c.* Tandem omnibus acclamantibus, definitum est, ut honore Regio privaretur, & Anathematis vinculis tam prænominatus Rex, quam omnes assentanei sui colligarentur. Accepta itaque fiducia Dominus Papa ex totius Synodi consensu & judicio protulit Anathema. Hanc *Gregorii VII.* Synodique Romanæ in *Henricum* Regem sententiam referunt *Paulus Benriedensis* in ejus Vita, & *Bruno* in lib. de Bello Saxonico, legiturque Tomo IX. Conciliorum Editionis P. *Labbè* pag. 355. Incipit his verbis: *Beate Petre Apostolorum Princeps*, & post longam satis invocationem sic habet; Hac itaque fiducia fretus, pro „ Ecclesiæ tuæ honore & defensione, ex parte omnipotentis Dei Patris & Filii, & Spiritus Sancti, per tuam potestatem & authoritatem, Henrico Regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius Regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos a vinculo Juramenti quod sibi fecere, vel facient, absolvo, & ut nullus ei sicut Regi serviat, interdico. Dignum est enim ut qui studet honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse honorem amittat quem videtur habere. Et quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad Dominum rediit quem dimisit, participando excommunicatis & multas iniquitates faciendo, meaque monita, quæ pro sua salute sibi misi, te teste, spernendo, seque ab Ecclesia tua, tentans eam scindere, separando; vinculis eum anathematis vice tua alligo. Suspensum dumtaxat a Regni administratione *Henricum* istius Concilii, Romanique Pontificis sententia, non depositum, probat historiæ series: nec aliud ibi significat subditorum absolutio a Juramento fidelitatis, aut depositionis nomen, quo utuntur historici. Exauthoratum namque penitus non fuisse Henricum ante annum 1080. in septima Synodo Romana *Gregorii VII.* Acta istius Synodi, & lata in ea sententia demonstrant.

Id amplius confirmant *Gregorii VII.* Epistolæ post istam Synodum scriptæ, in quibus *Henricum Regem* appellat. Epistola I. Libri IV. ad universos Romani Imperii Christianos scripta VIII. Kalendas Augusti, indictione XIV. *Vestra Fraternitas minime ignorat, quanto tempore Sancta Ecclesia inauditas pravitates, & diversas iniquitates Regis*, &c. *Quicumque ex his resipuerit, qui prædictum Regem non erubuerunt omnipotenti Deo præponere*, &c. *Quicumque Episcoporum vel Laicorum, timore vel gratia humana seducti a communione Regis se non subtraxerunt*, &c. *Isti animam suam & Regis odio habent*, &c. Epistola II. ejusdem libri ad *Herimannum* Episcopum Metensem scripta VIII. Kalendas Septembris: *Episcopi qui sunt excommunicati, Sacerdotes, vel Laici, non est opus ut a me quæratis, quia indubitanter illi sunt, qui excommunicato Regi Henrico, si fas est dici Rex, communicare cognoscuntur.... Neque timent suo favore ad iram Dei omnipotentis eumdem Regem impellere..... Licentiam dedimus his Episcopis excommunicatos a nobis absolvere, qui non timuerunt se a communione Regis abstinere. De ipso autem Rege omnino contradiximus, ut nullus eum præsumat absolvere, quousque illius certa pœnitentia & sincera satisfactio nobis per idoneos testes fuerit notificata* Epistola VI. ad *Henricum* Leodiensem Episcopum scripta V. Kalendas Novembris Indictione XV. *Quicumque Regi excommunicato scienter communicans, sine pœnitentia & satisfactione discessit*, &c. Epistola VII. ad Henricum, Ardericum, & Wifredum data secundo Kalendas Novembris: *De conspiratione autem Hæreticorum, & Regis*, &c. *Nisi ad satisfactionem veniat Rex, alium Regem palam dicant eligere*, &c. Epistola VIII. data Kalendis Novembris: *Rodulfus Senonensis Episcopus, sine nostra licentia Regem excommunicatum audiens*, &c. Epistola XII. data Canusii V. Kalendas Februarii anni 1077. *Interim vero Regem adventare certe cognovimus*, &c. Ibidem *Henricus* ad *Gregorii* pedes demissus, hoc ipsi Juramentum præstitit, ut ab excommunicatione absolveretur: *Ego Henricus Rex*, &c. His conditionibus absolutum Lambertus Scafnaburgensis refert, *Ut die & loco quemcumque Papa designasset, evocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus præsto esset, & accusationibus quæ intenderentur, ipso Papa [si ita expedire videtur] cognitore causarum assidente; & ad ejus Sententiam, vel retineret Regnum, si objecta purgasset; vel æquo animo amitteret, si [probatis criminibus] Regio deinceps honore indignus, juxta Ecclesiasticas Leges decerneretur: Nullam sive retento, sive amisso Regno, hujus injuriæ vindictam a quopiam hominum exacturus. Usque ad eam autem diem, qua causa ejus legitime discussa terminaretur, nulla Regii cultus ornamenta, nulla Regiæ dignitatis insignia sibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum administrationem juxta consuetudinem suam ageret; nihil quod ratum fore oporteat decerneret; postremo præter Regalium servitiorum exactionem, quibus necessario ipse & sui sustentandi essent, nihil Regium, nihil publicum usurparet.*

Eodem anno 1077. secundo Kalendas Junii scripsit ad Germanos in hæc verba: *Legatis nostris, Bernardo S. R. E. fideli filio & Diacono, itemque Bernardo Abbati Religioso Massiliensis Monasterii, præcipimus ut utrumque Regem, Henricum videlicet & Rodulphum, aut per se, aut per idoneos Nuntios admoneant, quatenus viam nobis pro discutiendo negotio, quod peccatis facientibus inter eos ortum est, ad vos, Deo favente, secure veniendi præbeant...... Uterque namque Rex a nobis, immo ab Apostolica Sede, cui, licet indigni præsidemus, adjutorium requirit.* Quæ omnia liquido ostendunt, *Henricum* Regem in Synodo Romana anni 1076. non fuisse penitus a Gregorio VII. exauthoratum.

Latam a Pontifice & Synodo legitimam in Regem excommunicationis Sententiam Episcopi Aulici & Schismatici eodem Anathemate obstricti spernebant, & Principibus populoque nullam & irritam esse, persuadere nitebantur, multa in Pontificem declamantes. Quamobrem paulo post ad Teutonicos Literas dedit *Gregorius VII.* quibus latæ Sententiæ probat æquitatem. Exponit quam sæpe, quam sollicite, quam amanter *Henricum* monuerit, obsecrarit, reprehenderit per Epistolas, per Legatos, de Simonia, aliisque flagitiis. Quomodo hortatus sit jusseritque ut sacrilegos Ministros ab Apostolica Sede excommunicatos, a domo, a consiliis, & omni communione sua expelleret. Quomodo pœnitentiam professus coram Legatis Apostolicis, ab iisque absolutus, solemnia de morum emendatione, & adjutorio Romano Pontifici præstando in reformatione Ecclesiæ promissa violaverit. Quomodo novas admonitiones, Legationes, minasque anathematis spreverit, atque ad criminum cumulum Episcopos pene omnes in Italia, in Teutonicis vero partibus quotquot potuit, circa fidem Christi naufragare fecit; dum eos debitam B. *Petro* & Apostolicæ Sedi obedientiam & honorem abnegare coegit. Ideo se ex Synodi consensu ipsum excommunicasse testatus. *Cum igitur*, inquit, *iniquitatem ejus ad summam prodisse vidimus, pro his causis, videlicet primum, quod ab eorum communione, qui pro sacrilegio & reatu simoniacæ hæresis excommunicati sunt, se abstinere noluit. Deinde, quod pro criminosis actibus vitæ*

suæ

suæ, pœnitentiam non dico suscipere, sed nec promittere quasi voluit, mentita ea fide, quam in manus Legatorum nostrorum promiserat; nec non quod Corpus Christi, id est, unitatem Sanctæ Ecclesiæ scindere non expavit: Pro his, inquam, culpis Synodali Judicio eum excommunicavimus, at quem mitem non potuimus, vel severi ad viam salutis, [Deo adjuvante] revocare valeamus: aut [si quod absit] nec districtionis quasi censuram pertimuerit, nostra saltem anima negligentiæ aut timoris discrimini non succumbat. Si quis igitur hanc Sententiam injuste vel irrationabiliter prolatam esse putaverit, si talis est ut sacris Regulis intelligentiæ sensum præbere non velit, nobiscum inde agat, & non quid nos, sed divina authoritas doceat, quid decernat; quid consona vox Sanctorum Patrum judicet, patienter audiens acquiescat. Nos tamen non æstimamus quemquam Fidelium, qui Ecclesiastica Statuta noverit, hoc errore teneri, ut non hoc, etsi publice affirmare non audeat, vel in corde suo recte factum esse perhibeat. Quamquam etsi nos, [quod Deus avertat] non satis gravi de causa, aut minus ordinate eum hujusmodi vinculo ligaverimus, sicut SS. Patres asserunt, non ideirco spernenda esset Sententia, sed absolutio cum omni humilitate quærenda. Hanc Epistolam in Actis *Gregorii VII.* a *Paulo Bernriedensi* conscriptis, & apud *Brunonem Merseburgensem* in Commentariis *De Bello Saxonico*, legere est.

Ad eumdem annum pertinent Epistolæ I. II. & III. Libri IV. Regesti Gregoriani. Prima, quam *Ad universos Christianos* inscripsit, ipsos monet ut *Henricum* Regem ad Pœnitentiam provocent: quod si audire noluerit, Dominum homini præponant, & universali Ecclesiæ viriliter succurrant: Eorum vero, qui se a Regis communione non subtraxerint, communionem & amicitiam ejurent. Secunda, quæ ad *Herimannum* Metensem Episcopum data est, respondet excommunicatos esse, quicumque *Henrico* Regi excommunicato communicant. Eorum errorem & fatuitatem refellit, qui Regem excommunicari non debere contendunt. Christum ubi potestatem ligandi & solvendi *S. Petro* & ejus Successoribus dedit, Reges non excepisse, nec ab ejus potestate illos subtraxisse probat. Lapsos, qui a Regis communione se subtraxerunt, absolvi permittit. Regem ipsum a quoquam absolvi prohibet, donec ejus sincera pœnitentia, & satisfactio Sedi Apostolicæ innotescat, & absque suo mandato. Epistola III. Episcopos, Principes, plebemque Teutonicam ab Ecclesia stantem convenit: Jubet *Henricum* Regem, si Pœnitentiam egerit, suscipiant; pravos Consiliarios ab ipso removeant; Ecclesiæ consulant libertati. *Procul*, inquit, *ab eo pravi removeantur Consiliarii, qui pro Simoniaca hæresi excommunicati, non erubuerunt Dominum suum propria lepra contaminare, & per diversa crimina eam sedacendo, ad scindendam Sanctam Ecclesiam provocare. Adhibeantur illi Consiliarii, qui non sua tantum, sed eum diligant, & sæculari lucro per omnia Deum præponant. Non altra putet Sanctam Ecclesiam sibi subjectam ut ancillam, sed prælatam ut Dominam. Non inflatus spiritu elationis consuetudines superbiæ contra libertatem Sanctæ Ecclesiæ inventas defendat, sed observet SS. Patrum doctrinam, quam pro salute nostra eos docuit potestas divina.* Vetat interim ne ullus Episcopus eum absolvat absque Sedis Apostolicæ consensu & iterato responso. Si Pœnitentiam non egerit, de novi Regis electione deliberandum, adhibito consilio *Agnetis Augustæ*.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 298. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Henricus non fuit depositus e Regno, sed solum suspensus ab administratione Regni.*

R. Henricum Germaniæ Regem a Gregorio VII. in Romana Synodo anni millesimi septuagesimi-sexti excommunicatum fuisse, & a Regni administratione suspensum, sed tunc temporis non fuisse depositum dixi, & probavi. Mera Historiæ Quæstio est.

ARTICULUS V.

Henricus Germaniæ Rex simulata Pœnitentia absolutionem impetrat a Gregorio VII.

GRegorii VII. Literæ Episcopis, Principibus, Proceribusque Teutonicæ generis quampluribus persuasere, justam esse excommunicationis in *Henricum* latam Sententiam. Unde ab ejus communione recesserunt. Ipsos ad id non leviter movit *Willelmi* Trajectensis Episcopi miser obitus, damnatioque æterna ob defensas Regis partes morientis ore denuntiata; de qua Lambertus Scafnaburgensis ita scribit: *Willelmus Trajectensis Episcopus causam Regis contra bonum & æquum obstinate tuebatur, & studio partium Regis, multa in injuriam Romani Pontificis, omnibus pene diebus solemnibus, inter Missarum solemnia, rabido ore declamabat, perjurum eum, adulterum, & Pseudoapostolum appellans: & tam a se, quam a cæteris Episcopis sæpe numero excommunicatum pronuntians. Is brevi postea quam Rex exactis Paschalibus Feriis, Trajecto discesserat, repente gravissima ægritudine correptus est. Cumque per acerrimos cruciatus animæ & corporis urgeretur, miserabili ejulatu coram omnibus qui aderant vociferabatur, justo Dei Judicio se & præsentem vitam amisisse, & æternam, quod Regi ad omnia quæ perperam intendisset, operam suam summo annisu præbuisset, atque in spem gratiæ ejus Romano Pontifici Sanctissimo & Apostolicarum virtutum viro graves contumelias sciens & prudens innocenti irrogasset. In hanc vocem [ut asserunt] sine communione, sine ulla satisfactione expiravit.* Addit *Bruno* in Commentario de bello Saxonico, ipsum post mortem Abbati Cluniacensi apparuisse, ac æternam damnationem suam denuntiasse; sed & multos alios *Henrici* familiares misere obiisse, ut nemini dubium esset ipsos inobedientiæ erga Romanum Pontificem, adulationis erga Regem, & Schismatis pœnas dare vindice Deo.

His exemplis perterriti Principes nonnulli, partim privatarum utilitatum studio, partim Religionis obtentu, partim publicæ calamitatis commiseratione, ab *Henrico* Rege defecerunt. *Rodulfus* Dux Suevorum, *Welfo* Dux Bajoariorum, *Bertoldus* Dux Carentinorum, *Adelbero* Episcopus Wirtzburgensis, *Adelbertus* Wormatiensis, & alii, Ulmam congregati, statuerunt ut omnes qui publicæ rei consultum vellent XVII. Kalendas Novembris Triburiam convenirent, & variis cladibus, quibus per multos jam annos Pax Ecclesiastica turbabatur, tandem aliquando malorum pertæsi finem facerent. Hoc Sueviæ, hoc Bajoariæ, Saxoniæ, Lotharingiæ, Franciæ Teutonicæ Principibus denuntiarunt, universosque in commune per Deum obtestabantur, ut omni excusatione remota, omni privatæ rei sollicitudine posthabita, hanc singuli communibus commodis vel extremam operam impenderent. A Rege cum cæteris defecit Moguntinus Archiepiscopus, ipsi antea deditissimus. Stata die Sueviæ & Saxoniæ Principes Triburiam juxta condictum convenerunt amplissimo numero, obstinatis mentibus ad summovendum a Regni administratione *Henricum*, & alium creandum, in quem communis electio consensisset. Aderant Sedis Apostolicæ Legati, *Sigehardus* Patriarcha Aquilejensis, & *Altmannus* Pataviensis Episcopus, *Vir Apostolicæ conversationis, & magnarum in Christo virtutum*, Laicique nonnulli (qui magnis opibus relictis, ultro se ad privatam tenuemque vitam contulerant) missi a Romano Pontifice, ut palam omnibus per Gallias contestarentur, justis de causis excommunicatum esse Regem *Henricum*, & ad eligendum alium Regem Apostolici consensus & authoritatis suffragium pollicerentur. Hac de re septem diebus solidis deliberatum est. Legati quos miserat *Henricus*, repulsi. Confœderatorum exercitus Regem in Villa *Oppenehim* stantem aggredi statuerat: Rex eorum impetum antevertere meditabatur. Rebus in summo discrimine utrimque positis, Suevis & Saxonibus visum est, Regem per Legatos convenire, qui ei dicerent: *Tametsi nec in bello nec in pace ulla umquam ei justitiæ vel Le-*

gum

Conditiones a confœderatis Principibus Henrico Regi præscripta.

Si per annum excommunicatus maneat suo vitio, in perpetuum Regno casurum.

gum cura fuerit, se Legibus cum eo agere velle; & eum crimina, quæ ei objiciantur, omnibus constent luce clariora, se tamen rem integram Romani Pontificis cognitioni reservare: acturos se cum eo ut in Purificatione Sanctæ Mariæ Augustam occurrat, ibique celeberrimo Conventu habito Principum totius Regni, discussis utrarumque partium allegationibus, ipse suo Judicio vel addicat vel absolvat accusatum. Quod si ante diem anniversariam excommunicationis suæ, suo præsertim vitio, excommunicatione non absolvatur, absque retractatione in perpetuum causa ceciderit, nec Legibus deinceps Regnum repetere possit, quod legibus ultra administrare annuam passus excommunicationem non possit: si oblatam conditionem gratanter amplexetur, & Romano Pontifici per omnia subditum se, dictoque obtemperantem fore polliceatur, hinc se experimentum capturos: omnes quos ille excommunicavit, extemplo a convictu contuberniοque suo amoveat; Ipse in urbem Spirensium, dimisso exercitu secedat, ibique solo Verdonensi Episcopo, paucisque ministris, quos tamen sententia Principum ab hac excommunicatione integros incorruptosque probaverit, contentus, privatam interim vitam agat, Ecclesiam non ingrediens, nihil circa publica negotia suo jure disponens, nulla Regiæ dignitatis insignia sibi juxta solitum adhibens, usque ad Synodicam causæ suæ examinationem. Præterea, civitatem Wormatiensem, abducto præsidio, Episcopo Wormatiensi restituat, datis insuper sacramentis & obsidibus, ne quid deinceps rebellionis vel insidiarum ab civibus timere debeat: Porro si quid horum prævaricetur tam, se omni culpa, omni jurisjurandi religione, omni perfidia infamia liberatos, non expectato ulterius Romani Pontificis Judicio, quid Reipublicæ expediat, communi consilio visuros. Rex cujus omnis spes, omnisque copia in arctum coacta fuerant, gratulatus admodum quod aliqua, quantumvis fœda conditione urgentem ad præsens calamitatem declinasset, promptissime per omnia obedientiam pollicetur, &c. Ita refert Lambertus Scafnaburgensis ad annum 1066.

Conditiones a confœderatis Principibus sibi præscriptas Rex *Henricus* implevit, hac una excepta, quod Pontificem Augustæ non expectavit, sed ad eum in Italiam profectus est, ut absolutionem ab excommunicatione ab ipso impetrare conaretur; ne Regno prorsus excideret absque ulla spe restitutionis, si anno integro in excommunicatione sordesceret. *Paucis ante Natale Domini diebus,* (inquit Lambertus Scafnaburgensis) *Spirensi urbe discedens, cum uxore & filio parvulo iter aggressus est, nec quisquam ex omnibus Teutonicis vir ingenuus comitatus est Regno excedentem, præter unum, & ipsum nec genere, nec opibus conspicuum. Cumque impensis tam longi itineris egeret, multisque supplicaret, quibus incolumi Republica sæpe numero profuerat, pauci admodum erant, qui necessitatem ejus aliquatenus relevarent .... Similiter quoque cæteri excommunicati obtinendæ citius absolutionis studio ardentissime iter accelerabant in Italiam: nec tamen in societatem itineris Regem admittere, Principum, vel potius Romani Pontificis metu absterriti patiebantur.* Interim *Gregorius VII.* Roma discedens, Augustam properabat, quo fuerat a Germaniæ Principibus invitatus, ut Ecclesiæ Imperiique negotia componeret; cum nuntius ad eum perlatus est, *Henricum* Regem superatis Alpibus in Longobardiam venisse. De cujus consiliis incertus, Canusium se recepit, *Mathildis* Comitissæ Castrum munitissimum, non longe a Rhegio civitate. Illuc Episcopi Teutonici & Laici quos excommunicaverat, quosque Rex Aula sua extrema necessitate compulsus ejecerat, pervenere, ac absolutionem ab ejus Sanctitate, *nudis pedibus, & laneis ad carnem induti,* supplices postulabant. Ille his qui veraciter peccatum suum agnoscerent & deflerent, non esse ajebat misericordiam denegandam, *Sed longam inobedientiam, & diu conceptam peccati rubiginem diuturnioris Pœnitentiæ igne exuri & excoqui oportere: quapropter si eos vere facti pœniteret, æquo animo paterentur quodcumque sanandis vulneribus eorum adhiberet Ecclesiasticæ correptionis cauterium, ne ex facilitate indulgentiæ culpa quæ adversus Sedem Apostolicam atrox & vehemens præsumpta fuisset, vel parva, vel nulla videretur. Illis paratos se profitentibus ad omnia quæ imposuisset sufferenda, Episcopos omnes a se invicem separatos præcepit singulis cellis solitarios includi, nec ullum cum aliquo habere colloquium; ad vesperam autem cibi & potus mediocri mensura refici. Laicis quoque pro ætatis vel virium consideratione congruentem singulis pœnitentiam indixit. Ita per aliquot dies examinatos tandem ad se vocavit, & leniter pro admissis objurgatos, excommunicatione absolvit, abeuntibusque id ante omnia repetens iterum iterumque præcepit, ne Regi Henrico, donec Sedi Apostolicæ satisfecisset, aliquatenus communicarent, aut ei ad evertendum statum Reipublicæ turbandamque pacem Ecclesiasticam, in aliquo operam suam accommodarent.* Ita refert Lambertus Scafnaburgensis.

Quo habitu Rex Henricus absolutionem a Gregorio Septimo postulaverit? Quibus conditionibus obtinuerit?

Paulo post Canusium pervenit *Henricus* Rex itinere difficillimo, media hyeme, eaque asperrima, confecto. *Mathildem* Comitissam, *Adelaidem* socrum, filiumque ejus *Amadæum* Comitem, *Azzonem* Marchionem Estensem, & *Hugonem* Cluniacensem Abbatem intercessores apud Summum Pontificem adhibet, ut absolutionem obtineat. Recusat primo *Gregorius*, ipsum adesse jubens Augustanis Comitiis, ubi auditis Principibus ejus accusatoribus, æquam de singulis sententiam ferat juxta Ecclesiæ Leges. Instant Illustrissimi Sequestres, Regem Sanctitatis ipsius Judicium nusquam terrarum subterfugere, sed urgere diem anniversarium excommunicationis, & Principes Regni hac expectatione suspensos attentosque anxie rei eventum præstolari, „ Ut si ante hanc diem excommunicatione non absolvatur, deinceps juxta Palatinas Leges indignus Regio honore habeatur, nec ultra pro asserenda innocentia sua audientiam mereatur: Proinde obnixe petere ut solo interim anathemate absolvatur, & Communionis Ecclesiasticæ gratiam recipiat, responsurus ex integro, quacumque die, quocumque loco Papa præcipiat, tamquam nihil hac conventione actum sit, omnibus, quæ accusatores ejus objecissent, criminibus, & juxta sententiam ejus, Regnum vel retenturus si objecta purgasset, vel æquo animo, si causa cecidisset, amissurus. *Diu restitit Pontifex, sed victus tandem precibus, respondit:* Si veraciter eum facti pœnitet, coronam & cætera Regni insignia nostræ potestati dedat, & se Regio nomine & honore deinceps indignum profiteatur. Duriorem conditionem Legatorum precibus Pontifex condonavit, permisitque ut veniam postulaturus coram ejus Sanctitate se sisteret. „ Venit ille ut jussum fuerat, & cum castellum illud triplici muro septum esset, intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu suo, deposito cultu Regio, nudis pedibus, jejunus mane usque ad vesperam perstabat Romani Pontificis sententiam præstolando. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conspectu ejus admissus, his postremo conditionibus excommunicatione absolutus est, ut die & loco quem Papa designasset, evocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus præsto esset & accusationibus quæ intenderentur, responderet, ipso Papa, si ita expedire videretur, cognitore causarum assidente: & ad ejus sententiam vel retineret Regnum, si objecta purgasset, vel æquo animo amitteret, si probatis criminibus Regio deinceps honore indignus juxta Ecclesiasticas Leges decerneretur: Nullam sive retento, sive amisso Regno, hujus injuriæ vindictam a quopiam hominum in perpetuum exacturus: usque ad eam autem diem qua causa ejus legitime discussa terminaretur, nulla Regii cultus ornamenta, nulla Regiæ Dignitatis insignia sibi adhiberet; nihil circa rerum publicarum administrastrationem, juxta consuetudinem, suo jure ageret; postremo præter Regalium servitiorum exactionem quibus necessario ipse & sui sustentandi essent, nihil publicum usurparet: Omnes etiam qui ei sub Jurejurando fidem dixissent, ab hujus Sacramenti vinculo, apud Deum & apud homines interim liberi expeditique manerent: Rutbertum Bambergensem Episcopum, & Udalricum de Cosheim, & cæteros, quorum consiliis se Remque publicam prodidisset, a sua in perpetuum familiaritate amoveret. Quod si purgatis quæ objicerentur, potens confortatusque in Regno perstitisset, subditus Roma-

mano Pontifici semper dictoque obtemperans foret, & ad corrigenda quæcumque in Regno ejus contra Ecclesiasticas Leges prava consuetudine inolevissent, consentiens ei & pro virili portione cooperator existeret. Ad ultimum, si quid horum prævaricaretur, irritam fore hanc quæ nunc tantopere expetita sit, Anathematis absolutionem; quin immo jam pro convicto confessoque habendum esse, nec ultra pro asserenda innocentia sua audientiam impetraturum, Principesque Regni Jurisjurandi religione liberatos, Regem alium, in quem communis electio consensisset, creaturos esse. Ita refert Lambertus Scafnaburgensis: additque Regem lubenti animo has conditiones accepisse, nec tamen promittenti fidem temere adhibitam, sed Cluniacensem Abbatem (quoniam jurare, Monasticæ professionis obtentu detrectabat) fidem suam coram Deo interposuisse, Episcopos quoque Citicensem & Vercellensem, & *Azzonem* Marchionem exterosque Principes qui pro Rege intercesserant, coram Sanctorum Reliquiis jurejurando confirmasse, facturum eum esse quæ pollicebatur.

Idem testatur Gregorius VII. in Epistola ad Germanos XII. libri IV. *Interim*, inquit, *Regem adventare cognovimus: qui etiam priusquam intrasset Italiam, supplices ad nos Legatos præmittens, per omnia se satisfacturum Deo, & Sancto Petro, ac nobis obtulit, & ad emendationem vitæ suæ omnem se servaturum obedientiam repromisit, dummodo apud nos absolutionis & Apostolicæ benedictionis gratiam impetrare mereretur: quod cum diu multis consultationibus differentes acriter eum de suis excessibus per omnes qui intercurrebant Nuntios redargueremus, tandem semetipsum nihil hostile aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit, ibique per triduum ante portam, deposito omni Regio cultu, miserabiliter, utpote discalceatus, & laneis indutus persistens, non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium & consolationem implorare destitit, quam omnes qui ibi aderant & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem & compassionis misericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lachrymis intercedentes, omnes quidem insolitam mentis nostræ duritiam mirarentur; nonnulli vero in nobis non Apostolicæ severitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent. Denique instantia compunctionis ejus, & tanta omnium, qui ibi aderant, supplicatione devicti, tandem eum relaxato anathematis vinculo, in Communionis gratiam, & sinum Sanctæ Matris Ecclesiæ recepimus, acceptis ab eo securitatibus quæ inferius scriptæ sunt, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacensis, & filiarum nostrarum Mathildis, & Comitissæ Adelaidæ, & aliorum Principum, Episcoporum, & Laicorum, qui nobis ad hoc utiles visi sunt, recepimus.*

Gregorius septimus a falsis accusationibus & calumniis se purgat per Corpus Domini.

Absoluto *Henrico*, Pontifex Missarum solemnia celebravit, & sub tempus Communionis ipsum cum reliqua multitudine ad Altare evocavit, præferensque manu Corpus Dominicum: *Ego*, inquit, *jampridem a te, tuisque fautoribus Literas accepi, quibus me insimulabas Sedem Apostolicam per simoniacam hæresim occupasse, & aliis quibusdam tam ante Episcopatum, quam post acceptum Episcopatum criminibus vitam maculasse, quæ mihi, secundum scita Canonum, omnem ad Sacros Ordines accessum obstruxerint. Et licet multorum idoneorum certe testium astipulatione crimen refellere queam, ego tamen, ne humano potius quam divino niti videar testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce Corpus Dominicum, quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus suo me hodie Judicio vel absolvat objecti criminis suspicione, si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus.* Hæc & alia verba terribilia præfatus, quibus Deum causæ suæ æquissimum judicem, & innocentiæ assertorem adesse precabatur, Sacram Eucharistiam libere sumpsit. Tum ad Regem conversus: *Fac ergo*, inquit, *fili, si placet, quod me facere vidisti. Si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab æmulis per calumniam falsis criminationibus impeti, libera compendiose & Ecclesiam Dei scandalo, & te ipsum longæ concertationis ambiguo, & sume hanc residuam partem Dominici Corporis, ut comprobata Deo teste innocentia tua, obstruatur omne os adversum te iniqua garrientium, & me deinceps causæ tuæ advocato, & innocentiæ tuæ vehementissimo assertore Principes tibi reconcilientur, Regnum restituatur, omnes quibus jamdiu Respublica vexatur, bellorum civilium tempestates in perpetuum sopiantur.* Horrendum examen subterfugit *Henricus*, causatus absentiam Principum, qui in adversis fidem sibi integram servarant, quibus inconsultis, & potissimum absentibus accusatoribus, irrita foret, nec quidquam virium apud incredulos habitura tam insolita purgatio: Ideoque Pontificem rogavit, ut causam generalibus Comitiis discutiendam servaret. Annuit Pontifex, expletoque sacro Ministerio, Regem convivio excepit, & ad suos diligenter commonitum dimisit. Ista constant ex Lamberto Scafnaburgensi, cui *Domnizo* in Vita *Mathildis* Comitissæ suffragatur. Eadem testantur *Paulus Bmriedensis* in Vita Gregorii VII. & *Hugo Flaviniacensis* in Chronico Virdunensi, coævi pariter Authores.

SCHOLION

Ad hunc Articulum, pag. 307. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apposuerunt: *Fatetur Natalis quod sordescentes in Excommunicatione privantur Regno irremediabiliter.*

R. Propositio ista generalis, non est mea; sed hanc a confœderatis Germaniæ Principibus Henrico Regi præscriptam conditionem, secundum Imperii Leges, ut si anno integro in Excommunicatione sordesceret, Regno prorsus excideret absque ulla spe restitutionis, ex *Lamberto Senfnaburgensi* refero, verbis illius Historici descriptis: ideoque Henricum in Italiam cito profectum esse, ut Absolutionem a Gregorio VII. impetrare conaretur. Quid vero in istius facti commemoratione censura dignum?

ARTICULUS VI.

Henrico Rege fidem Deo & Christi Vicario datam & juramento confirmatam violante, Germaniæ Principes Rodulphum Sueviæ Ducem in Regem eligerunt.

Nondum *Henricum* Regem anathemate solutum *Gregorius VII.* dimiserat, cum *Epponem* Citicensem Episcopum ante eum præmisit, ut eos qui ipsi excommunicatione adstricto communicaverant, ab excommunicatione pariter absolveret. Ejus legationem & Apostolicam Authoritatem superbe ac procaciter contempserunt Schismatici Longobardiæ Antistites ac Proceres, sibi absolutione non esse opus contestati, cum excommunicatio a Pontifice lata nulla esset; Regem vero accusantes ignaviæ, indignumque Regno proclamantes, qui Majestatem Regiam fœdissima subjectione dejecisset, ac Authoritatem Ecclesiæ, Reipublicæ dignitatem prodidisset. Hanc ob causam eo abdicato, filium ejus, licet impubem adhuc & Regni negotiis immaturum, Regem creaturos, & cum eo Romam ituros, Pontificem electuros alterum, per quem & ipse protinus Imperator consecraretur, & omnia *Gregorii* Acta rescinderentur. Frustra Rex se extrema necessitate compulsum communis commodi ratione, absolutionem a Pontifice tam duris conditionibus recepisse, missis circumquaque Aulicis persuadere nitebatur. Adeo alienati ab ipso erant animi, ut Longobardi nec in civitates suas eum reciperent, nec faustis acclamationibus prosequerentur, nec obviam ei procederent; sed foris in suburbanis locis castra ponere, & modica annona contentus esse cogeretur, & præsidiis appositis ejus milites coercerentur, ne in villas & agros prædabundi excurrerent. Territus Rex insolita rerum facie, initum cum Romano Pontifice fœdus abrupit, ut Longobardos sibi devinciret; pravos Consiliarios dudum excommunicatos revocavit, Summo Pontifici velut omnium malorum, quæ in Republica accidissent, authori palam detrahere cœpit. *Dein conditiones omnes, & universa Ecclesiasticarum Legum Vincula, quibus eum Pontifex Apo-*

ſtolica Authoritate in ſalutem obſtrinxerat, contemptim tamquam aranearum telas dirupit, abjectiſque omnibus timoris Dei habenis, in omne quod animus ſuggeſſiſſet, effrunata libertate ferebatur, (inquit Lambertus Scafnaburgenſis.)

Interea confœderati Germaniæ Principes Comitia ad 3. Idus Martii in *Forcheim* indixerunt, ut rebus Imperii providerent, quarum ab adminiſtratione ſuſpenſus adhuc erat *Henricus*: Romanum Pontificem ad eum Conventum invitavere. Is Regem per Legatos convenit, ut promiſſorum ac juramenti memor, indictis Comitiis ſe ſiſteret, & ad crimina, quibus innocens (ut ipſe aſſerebat) a calumniatoribus ſuis erat impetitus, *ſe cognitore & Judice præſidente*, reſponderet: Multum rebus ſuis ſalutique, & apud Deum, & apud homines collaturum, ſi Eccleſiam ſcandalis, Rempublicam bellis civilibus, ſeipſum fœdiſſimæ exiſtimationis macula liberaret: præſertim cum ea die, *diſcuſſis ſynodice, quæ adverſum eum offerantur, cauſis, vel recepturus eſſet Regnum, vel ſine omni deinceps retractatione amiſſurus*. Legatis reſpondit *Henricus*, ſe multis & magnis Reipublicæ negotiis implicitum, non poſſe tam cito infectis rebus Italia excedere: præterea diem conventui habendo ſtatutum e vicino imminere, ſeque tam brevibus induciis tantum iter conficere non poſſe. Pontifex de ejus perfidia & tergiverſatione certus, ad confœderatos Germaniæ Principes Legatos miſit, *Bernardum* Cardinalem, & *Bernardum* Maſſilienſem Abbatem, qui ipſis nuntiarent, ſe conatum fuiſſe ut die & loco ſtatutis, communibus Sanctæ Eccleſiæ utilitatibus tractandis præſto eſſet, ſed *Henrici* diligentia ita circumventum, ita omnes, per quas tranſitus eſſe potuiſſet, itinerum anguſtias præoccupatas, ut nec tuto in Germaniam proficiſci, nec tuto Romam redire poſſet: proinde ſuis interim rebus & Regno Germaniæ conſulerent: donec (ſi Deus vellet) adempta itineris difficultate, ipſe venire, & collatis in medium conſiliis, quid utilitati, quid paci Eccleſiaſticæ expediret, ſecundum Eccleſiæ Leges decernere poſſet. Ita refert *Lambertus Scafnaburgenſis*, & iſtius Legationis commemoratione Hiſtoriam ſuam abſolvit.

Saxoniæ, Germaniæ, Sueviæque Principes ſtata die ad Comitia in *Forcheim* convenerunt, ſummoque conſenſu *Rodulphum* Sueviæ Ducem in Regem elegere, his conditionibus, ut Epiſcopatus non pro pretio nec amicitia daret, ſed unicuique Eccleſiæ de ſuis electionem (ſicut jubent Canones) permitteret. Statutum etiam eſt, ut Germaniæ Regnum non hereditario jure, ſed Ordinum electione deinceps obtineretur. *Rodulphum* pene invitum Regni gubernacula ſuſcepiſſe, *Paulus Benriedenſis* teſtatur, eumque commendat ut ſingularis eximiæque modeſtiæ virum. *Rodulfum Ducem Suevorum, fruſtra multum renitentem, fruſtraque vel unius horæ inducias ad conſulendum petentem, Regia Dignitate ſublimaverunt, virum ſane in humilitate præcipuum, Regio honori, ætate & moribus idoneum*. Qui Moguntiam ductus, a *Sigefrido* Moguntino Archiepiſcopo, coram Sedis Apoſtolicæ Legatis unctus eſt, VII. Kalendas Aprilis, anno Domini 1077. (Ex Brunone in Commentario de Bello Saxonico, Mariano Scoto, Bertoldo Conſtanrienſi, & Paulo Benriedenſi in Actis Gregorii VII.)

SCHOLION.

Ad hunc Articulum pag. 315. Edit. primæ, Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem mihi imputant: *Papa omnium malorum author*. Hoc non dicit ea propriis (inquiunt) ſed tamen non rejicit.

R. Hæc Propoſitio non eſt mea: abſit ab ore, & mente, ſcriptiſve meis. Hanc execror; cum vero id dictum obſervem ab *Henrico* Summo Pontifici Gregorio VII. *detrahente*, ſatis rejicio. En verba mea: *Summo Pontifici velut malorum omnium, quæ in Republica accidiſſent, authori detrahere cœpit*. Et aliunde me damnare quæcumque ab Henrico contra reverentiam *Gregorio VII.* Sanctiſſimo Pontifici debitam geſta vel dicta ſunt, ſatis indicat ipſe Articuli titulus, cujus hæc ſunt verba: *Henrico Rege fidem Deo & Chriſti Vicario datam & juramento confirmatam violante, Germaniæ Principes Rodulphum Sueviæ Ducem in Regem elegerunt*.

ARTICULUS VII.

Rodulphus abſque Gregorii VII. Pontificis Maximi conſilio Germaniæ Rex electus eſt.

Quamvis *Rodulphum*. *Gregorii VII.* conſilio, Germaniæ Regem electum, ejuſque authoritate confirmatum quidam Authores ſcripſerint, ſcilicet Marianus Scotus, Albertus Stadenſis, & Hemoldus Presbyter, lib. 1. cap. 28. ac de ipſo dixerit Otto Friſingenſis lib. 6. cap. 35. *Romanus Pontifex Regem ſæpe vocatum excommunicavit, ejuſque [ut dicitur] conſilio & authoritate Rodulphus Alemannorum Dux a quibuſdam Principibus Rex creatur*: Quod lib. 1. de Geſtis Friderici, cap. 7. confirmat: Id tamen falſum eſſe contendo, ductus teſtimonio ipſius *Gregorii VII.* in Sententia exauthorationis adverſus *Henricum* Regem lata in Synodo Romana VII. in qua de illo ſic loquitur: *Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promiſſionibus acceptis de ſua vitæ emendatione, ſolam ei Communionem reddidi; non tamen in Regno, a quo eum in Romana Synodo depoſueram, inſtauravi..... Et hæc ideo detinui, ut inter eum & Epiſcopos, vel Principes Ultramontanos, juſtitiam facerem, vel pacem componerem, ſicut ipſe Henricus juramento per duos Epiſcopos mihi promiſit. Prædicti autem Epiſcopi & Principes Ultramontani, audientes illum non ſervare mihi quod promiſerat, quaſi deſperati de eo, ſine meo conſilio, vobis teſtibus, elegerunt Rodulphum Ducem in Regem*.

Idem confirmat *Hugo* Flaviniacenſis Abbas in Chronico Virdunenſi: *Epiſcopi*, inquit, *& Principes Ultramontani, audientes illum non ſervare, quod promiſerat, quaſi de eo deſperati, abſque Domini Papæ conſilio elegerunt ſibi Rodulphum Ducem in Regem*. Subdit idem Chronologus: *Rodulphus igitur feſtinanter miſſo nuntio, indicavit, ſe quidem coactum Regni gubernacula ſuſcepiſſe; tamen ſe paratum Domino Papæ in omnibus obedire. Et eumdem ſemper promittens ſermonem, adjecit, etiam filio ſuo dato obſide, itemque fidelis ſui Ducis Bertoldi filio quod promittebat Sacramento firmare. Interea etiam Henricus precabatur, ut contra Rodulphum eum adjuvaret. Cui Domnus Papa reſpondit, ſe libenter facturum, audita utriuſque partis ratione, ut ſciret cui juſtitia magis faveret*. Quam reſponſionem contempſit, viribus nimium ſuis fidens *Henricus*. Pontifex tamen iter in Germaniam meditabatur, ut novi Regis electione auctum belli civilis incendium reſtingueret, ac Eccleſiæ, Imperiique ſtatum componeret. Quamobrem juſſit *Bernardo* Cardinali, & alteri *Bernardo* S. Victoris Maſſilienſis Abbati, ſuis in Germaniam Legatis, ut aſſecurari ſibi vias ab *Henrico* & *Rodulpho* curarent, ſibique ducatum & adjutorium ad iter tuto conficiendum provideri. Datas ad laudatos Legatos ea de cauſa a *Gregorio VII.* Literas Chronico ſuo Virdunenſi inſeruit *Hugo* Flaviniacenſis Abbas. *Quocirca* (inquit Pontifex) *monemus vos & ex parte B. Petri præcipimus*, Ep. 23.
ut fulti authoritate hujus noſtri præcepti, noſtraque vice ab eodem Principe Apoſtolorum accincti, utrumque lib. 4.
Regem, Henricum atque Rodulphum, * *quatenus viam* * Montis.
nobis illuc ſecure tranſeundi aperiant, & adjutorium atque ducatum per tales perſonas, de quibus vos bene confiditis, præbeant, ut iter nobis, Chriſto protegente, pateat. Deſideramus enim cum conſilio Clericorum & Laicorum ejuſdem Regni, qui Deum timent & diligunt, cauſam inter eos, Deo favente, diſcutere, & cujus parti ad Regni gubernacula magis juſtitia faveat, demonſtrare... Quapropter, ſi alteruter Regum huic noſtræ voluntati & deliberationi parere & ad veſtra monita locum dare renuerit, ſuamque ſuperbiam cupiditatis face accendens, ad deſolationem totius Romani Imperii anhelare tentaverit, omnibus modis, omnique ingenio uſque ad mortem, ſi oportet, noſtra vice, immo B. Petri authoritate reſiſtite, & totius Regni gubernacula contradicendo, tam illum quam

omnes

Quasi scelus idololatriæ incurrit, qui Sedi Apostolicæ obedire contemnit.

omnes sibi consentientes, a participatione Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, & a liminibus Sanctæ Ecclesiæ separate, illud semper habentes in memoria, quia scelus idololatriæ incurrit, qui Apostolicæ Sedi obedire contemnit ..... Alteri autem, qui nostræ jussioni humiliter paruerit, convocato Concilio omnium Clericorum & Laicorum, quos advocare poteritis, consilium & adjutorium in omnibus prabete, & in Regia Dignitate, per Authoritatem BB. Apostolorum Petri & Pauli, nostra vice confirmate. Aliam ejusdem argumenti Epistolam a *Gregorio VII.* ad Teutonicos datam describit *Hugo Flaviniacensis*. Ex quibus perspicuum est, sanctissimi Pontificis consilio *Rodulphum* electum non fuisse, nec illius electionem confirmatam ante VII. Synodum Romanam, in qua *Henricus* prorsus exauthoratus est: immo ipsum a *Gregorio VII.* Regem interim appellatum & habitum fuisse: *Utrumque Regem, Henricum atque Rodulphum*, &c. *Quapropter si alteruter Regum*, &c.

Ep.24.l.4.

Has etiam Epistolas describit *Bruno* in Commentario *De Bello Saxonico*, & *Gregorium VII.* inconstantiæ perperam accusat, falsoque scribit, ipsum novi Regis electionem consensu suo firmasse. Interea, *inquit*, Dominus Apostolicus, Apostolici vigoris oblitus, multum est a priore sententia mutatus. Nam qui prius Henricum cum omnibus suis adjutoribus Apostolica severitate excommunicaverat, eique regnandi potestatem potenter interdixerat, & omnes qui ei Fidelitatem jurassent, a juramenti nodis Apostolica Authoritate absolverat, & electionem novi Regis consensu suo confirmaverat, nunc per Literas mandavit, ut Concilio facto Rex uterque convocatus audiatur, & quem justitia regnare permiserit, altero deposito, tutus in Regno confirmetur. *Subdit* Bruno Saxones suos, his Literis acceptis „ a magna spe, quam in Apostolica petra posuerant, excidisse, quod prius cœlum stare vel terram crediderant cœli modo moveri, quam Cathedram Petri amittere constantiam Petri. Has igitur ei Literas remiserunt, quibus eum ancillæ (præsentis scilicet vitæ timore) perterritum, quasi voce galli clamantis excitare, & respectu Christi confortatum, ad pristinæ virtutem constantiæ revocare voluerunt. *Saxonum ad* Gregorium VII. *Literas* Bruno *describit, in quibus hæc palmaria:* Cum illa Anathematis absolutio per Epistolam vestram nobis innotesceret, de sententia Regni, quæ in eum processit, nihil mutatum esse intellasimus; sed ne nunc quidem si mutari possit, intelligimus. Absolutio enim illa juramentorum qualiter cassari possit, nullo modo percipere valemus. Sine Sacramentorum autem observatione Regiæ Dignitatis Officium nequaquam administrari potest. Ergo cum jam ultra anni terminum sine Rectore essemus, in locum de quo prævaricatus est ille, alius Principum nostrorum electione subrogatus est. Cumque de electo nobis Rege spes magna ad resocillandum Imperium succresceret, ecce ex insperato Literæ vestræ advenientes, duos in uno Regno Reges pronuntiant, duobus Legationem decernunt. Quam Regii nominis pluralitatem, & Regni divisionem, divisio quoque populi & studia partium subsecuta sont: quippe cum in Epistolis vestris illius prævaricatoris personam semper præponi cernerent, & ab eo sicut a potente exigi, quatenus ducatum vobis in has partes ad discutiendas causas præberet. Cujus discussionis qualis modus sit mirabile est in oculis nostris, scilicet ut is qui jam Synodali judicio, nulla conditione interposita depositus est, alio in eamdem Dignitatem Apostolica Authoritate firmato, nunc tandem ad rationem ponatur, & quod finitum est denuo incipiatur, & de re indubitabili, quæstio moveatur „. Alteram & tertiam Saxonum ad *Gregorium VII.* Epistolam ejusdem argumenti describit *Bruno*, quam in Romana Synodo recitari jusserunt, qua *Henricum* ob contumaciam, & nova crimina, Legationis quoque Apostolicæ violationem, a *Bernardo* Cardinali Legato rursus excommunicatum, & a Regni Gubernaculis summotum, ac *Rodulphum* in Regia Dignitate, *Authoritate Apostolica* confirmatum testantur.

Gregorii VII. mentem, vimque ac sensum Sententiæ ab ipso in *Henricum* Regem latæ Saxones, & eorum Historicus *Bruno*, non sunt assecuti. Suspensionem etenim a Regni administratione, & absolutionem subditorum a juramento fidelitatis ad tempus, exauthorationem absolutissimam intellexerunt. Uno verbo, provisoriam & interlocutoriam Sententiam, peremptoriam esse perperam existimavere. Ipsi sane Pontifici quo nullus est Decretorum ipsius melior Interpres, magis credendum est. Sed & Author Vitæ *Henrici IV.* diserte testatur *Gregorii VII.* consilio & authoritate *Rodulphum* Regem creatum non fuisse; illum siquidem solum accusat, quod ejus electionem silentio suo comprobaverit. „ Iste Rodulphus, *inquit*, Dux eximius, vir magnæ authoritatis & laudis in toto Regno, veri rectique tenax, fortis in armis, denique spectatus in omni genere virtutum. Iste, inquam, avaritia victus, & supplantator Domini sui factus, fidem incerto postposuit honori. Fuere tum qui dicerent: ab Apostolico eum immissum, nec umquam tantæ virtutis virum avaritiæ magis quam consilio cessisse. Et hoc in argumentum sumebant, quod Apostolicus tacuit, dum post absolutionem Regis Rodulphus Regnum invasit, juxta illud Comici: Qui tacet, satis laudat.

Gregorius septimus Imperii pacem optat.

Verum *Gregorium VII. Rodulphi* electionem non procurasse, neque confirmasse, luculenter probat Synodi quartæ Romanæ, eo Præside celebratæ anno 1078. Decretum „ Quoniam, *inquit*, lis & perturbatio Regni in maximum Sanctæ Ecclesiæ periculum & detrimentum quotidie redundare cernuntur, placet nobis elaborare pro viribus; quatenus idonei tam religione, quam etiam scientia pollentes Nuntii e latere Apostolicæ Sedis ad partes illas immittantur, qui omnes Religiosos & justitiæ amatores in Teutonici Regni partibus commorantes Clericalis & Laicalis Ordinis viros, & ad hoc opus idoneos convocent, cum quibus aut finem & pacem juste componant, aut veritate præcognita, cui parti magis justitia faveat, ad plenum addiscere valeant: quatenus pars injusta desistat, & Apostolica Authoritate munita justitia vigoris & authoritatis robur obtineat. Verum quoniam nonnullos diabolico instinctu collectos, tyrannidis suæ facibus accensos, turpis lucri avaritiæ mancipatos, discordiam potius quam pacem fieri & videre desiderantes, fore non ignoramus; statuimus ut nulla umquam persona alicujus potentiæ, sive Rex, aut Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Comes, Marchio, sive Miles, aliqua præsumptione temerariove ausu, fraude, dolove, seu aliqua perturbatione, Legatis nostris obsistere & contraire, ne justitiam & finem componant, pertentent. Quicumque autem temerario ausu hujus nostræ constitutionis violator extiterit, Legatisque nostris ad hanc pacem componendam euntibus fraudem opponere tentaverit, vinculo eum Anathematis alligamus. Decretum porro Synodi supradictum iis, quorum intererat, significavit, *Gregorius VII.* data ad Germanos Epistola 15. *lib.* 5. Alteram dedit ad *Udonem* Trevirensem Archiepiscopum, qua ipsum hortatur ut pro componenda pace laboret, ac significato Sedis Apostolicæ consilio & Decreto de pace, & requisitis utrimque responsionibus, Romam veniat, ut Pontifex Legatos sine periculo, & cum spe fructus mittere valeat.

His *Gregorii VII.* Literis effectum est, ut Rex uterque Legatos Romam mitteret, securitatem Sedis Apostolicæ Legatis ad collationem de pace in Germania habendam mittendis, suo nomine juraturos. Id præstitum in Romana Synodo V. anno 1078. decimo-tertio Kalendas Decembris celebrata, ut constat ex Actis, & ex Paulo Benriedensi in Vita Gregorii VII. scribente: *Anno ab Incarnatione Domini 1078. Pontificatus vero Domini Gregorii VII. Papæ sexto, decimo-tertio Kalendas Decembris, Indictione II. congregata est Synodus Romæ in Ecclesia Salvatoris, in qua juraverunt Legati Henrici & Rodulphi, quisque pro Domino suo, quod nullis dolis colloquium Legatorum Sedis Apostolicæ in Teutonico Regno habendum impedient*.

Anno 1079. mense Februario, Sextam Romæ Synodum habuit *Gregorius VII.* in qua Legati Regis Ro-

„ *Rodulphi* contra *Henricum* proclamarunt, quod nulli loco, nullique personæ parcens, Regionem Transalpinam contereret & conculcaret; neminem debitus honor vel reverentia tueretur; & ceu vilia mancipia non modo Sacerdotes, sed etiam Episcopi & Archiepiscopi caperentur, vinculisque mancipparentur, passimque trucidarentur. Decreverunt ergo quamplures Concilii, in illius tyrannidem gladium Apostolicum debere evaginari; sed distulit Apostolica mansuetudo, inquit *Paulus Benriedensis* in Actis Gregorii VII. Ad eam mansuetudinem per se propensus Pontificis animus magis inflexus est Sacramento ab Oratoribus *Henrici* & *Rodulphi* Regum præstito, quo Dominorum suorum nomine jurarunt, ipsos missis novis Oratoribus, Legatis Romanæ Sedis securum iter procuraturos, & eorum judicio parituros. Hujusmodi juramentorum formula extat in Actis Synodi, & a Paulo Benriedensi in Vita Gregorii VII. describitur. Missi sunt de consensu Patrum in Germaniam Legati, *Petrus Igneus* Albanensis Episcopus S. R. E. Cardinalis, vir sanctissimus, & *Udalricus* Patavinus Antistes, ut *Bertoldus* in Chronico, & *Hugo Flaviniacensis* testantur. At *Paulus Benriedensis*, cui præ illis credendum est, *S. Altmannum* Passaviensem Episcopum, qui & Pataviensis ab illius ævi Scriptoribus vulgo dicitur, *Petro Igneo* in ista legatione socium adjungit, & ut *Gregorii VII.* mansuetudinem, summumque studium pacis demonstret, istud fragmentum refert Epistolæ quam ad ipsos dedit: *Sic vos utrique parti communes, & ab omni suspicionis nevo, quantum in vobis est, cum divinæ gratiæ adjutorio exhibete immunes, ut justitiæ semper, & nullo modo partibus faveatis, sicut habetis formam nostram: qui videlicet, postquam judicium tanti hujus negotii in manu B. Petri commissum est, nihil aliud testibus vobis intendimus, ut nisi per justitiæ semitam incedamus. Ad nullam partem sinceritatem Apostolicæ discretionis inflexinus, nullis promissionibus aut terroribus cessimus, nec aliud unquam, Deo protegente, acturos nos esse confidimus.* Adversus hæc vero nec *Sigebertus* ad annum 1077. nec Author Apologiæ pro *Henrico*, studiis partium abrepti, eorumque hac in parte exscriptores, *Matthæus Paris*, *Godefridus Viterbiensis*, *Helmoldus*, & *Albertus Stadensis* audiendi sunt: Cum enim de *Gregorii VII.* Gestis agitur, nullus (ut opinor) testis ipsi *Gregorio* Pontifici sanctissimo anteponendus.

Gregorii VII. animus ad mansuetudinem per se propensus.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 318. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Inscio Papa eligitur Rex a Germanis.*

R. *Rodulfum* absque *Gregorii VII.* consilio Germaniæ Regem electum, firmis argumentis probavi. Mera facti Quæstio est. At, inquiunt RR. Censores, *Id dicit Natalis, ut fundet suam opinionem, non pertinere ad Papam constituere Reges.* R. Non hæc privata opinio mea, sed Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ.

ARTICULUS VIII.

Gregorius VII. Henricum Regem in eadem & graviora crimina prolapsum excommunicavit, & exauthoravit.

ANno Christi millesimo octogesimo, Indictione III. *Gregorius VII.* Concilium Romæ celebravit quod inter ejus Concilia septimum numeratur. Ad quod Legati *Rodulphi* Regis & Teutonicorum Principum, novas querimonias adversus *Henricum* Regem protulerunt, 1. Quod Regni administrationem contra Sedis Apostolicæ interdictum usurpasset. 2. Quod tyrannidem exerceret, omnia circumquaque ferro, præda, incendiis devastans. 3. Quod Episcopos suæ nequitiæ repugnantes, & Sedi Apostolicæ addictos crudeliter e Sedibus suis expulisset, ac in eorum locum fautores suos intrusisset. 4. Quod Magdeburgensem Archiepiscopum occidisset, Wormatiensem adhuc in vinculis detineret. 5. Quod multa hominum millia ejus factione cæsa essent, quamplures Ecclesiæ ablatis Reliquiis incensæ & penitus destructæ. Postremo quod colloquium, quod pro inquirenda justitia & pace componenda fieri decreverat Apostolica Sedes, ipse contra fidem Sacramenti ab Oratoribus suis, nomine suo præstiti impedivisset. His excitatus Pontifex, sententiam excommunicationis & exauthorationis in *Henricum* Regem protulit, *Auscultante atque aspirante Concilio* (inquit Paulus Benriediensis.) Hæc sententia incipit his verbis. *Beate Petre Princeps Apostolorum, & tu Beate Paule Doctor Gentium, dignamini, quæso, aures vestras ad me inclinare.* Verba sententiæ palmaria hæc sunt: *Ego, sicut vos mihi testes estis, usque hodie nullam partem disposui adjuvare, nisi eam cui plus justitia faveret. Et quia putabam quod injustior pars colloquium nollet fieri, ubi justitia suum locum servaret, excommunicavi & anathemati alligavi omnes personas, sive Regis, sive Ducis, aut Episcopi, aut alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret ut non fieret. Prædictus autem Henricus, cum suis fautoribus, non timens periculum inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, colloquium impediendo, excommunicationem incurrit, & seipsum Anathematis vinculo alligavit, magnamque multitudinem Christianorum morti tradi, & Ecclesias fecit dissipari, & totum pene Teutonicorum Regnum desolationi dedit. Quapropter confidens de judicio & misericordia Dei, ejusque piissimæ Matris semper Virginis Mariæ, fultus vestra authoritate, sæpe nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omnesque fautores ejus, excommunicationi subjicio, & anathematis vinculis alligo: & iterum Regnum Teutonicorum, & Italiæ ex parte omnipotentis Dei & vestra, interdicens ei omnem potestatem & dignitatem illi Regiam tollo, & ut nullus Christianorum ei sicut Regi obediat, interdico, omnesque qui ei juraverunt, vel jurabunt de Regni dominatione, a juramenti promissione absolvo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires nullamque in vita sua victoriam obtineat. Ut autem Rodulphus Regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in Regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono, largior & concedo omnibus sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum .... Sicut enim Henricus pro sua superbia, inobedientia, & falsitate a Regni Dignitate juste abjicitur, ita Rodulpho pro sua humilitate, obedientia, & veritate, potestas & dignitas Regni conceditur.* Extat hæc Sententia in Collectionibus Conciliorum, in Actis Romanæ Synodi VII. sub Gregorio VII. in cujus etiam Vita illam exhibet *Paulus Benriediensis*. Eamdem Chronico suo Virdunensi *Hugo Flaviniacensis* inseruit. Secundum hæc *Gregorius* coronam *Rodulpho* Regi misit cum hac inscriptione:

Roma dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Ita refert *Otto* Frisingensis lib. 1. de Gestis Friderici I. Imperatoris, cap. 7. De his quoque *Gotfridus Viterbiensis* in Chronico, parte 17. legendus est.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 328. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa exauthorando Regem, dicit Authoritate Concilii id se facere.*

R. Non ego loquor eo loci, sed Gregorius VII. Romanæ Synodo præsidens: *Fultus*, inquit, *vestra Authoritate*, &c. Si RR. Censoribus displicet quod ita locutus sit Gregorius VII. id imputari mihi non debet, qui Leges Historiæ secutus sum, & sententiam retuli, prout edita est in Collectionibus conciliorum, in Actis Romanæ Synodi VII. sub Gregorio VII. & in ejus Vita a Paulo Benriedensi scripta, & ab Hugone Flaviniacensi in Chronico Virdunensi.

Nota,

DUm S. Gregorius VII. dixit etiam Synodi Romanæ authoritate fultum Henricum anathematis vinculis alligare, ipsumque regia exuere dignitate, sane intelligere haud potuit ex Synodi consensu novam illi accessisse potestatem. Ea Synodus particularis erat, ac proinde ex omnium confessione Pontifici subdita; unde majorem impertiri non poterat jurisdictionem: sicut dicunt de Synodo œcumenica, qui illam Papæ anteponunt. Nil aliud ergo intelligere potuit Gregorius, quando dixit etiam Antistitum authoritate fultum sententiam in Henricum pronunciare, nisi quod etiam de ipsorum consensu, & approbatione Henricum excommunicationi subjiceret &c.

ARTICULUS IX.

Gregorius VII. Romanorum primus Pontificum sibi Regum exauthorandorum tribuit potestatem, contra Patrum doctrinam, immo contra Verbum Dei. Hæcque privati Doctoris opinio, non Apostolicæ Sedis definitio.

ID asserit diserte *Otto Frisingensis*, nobilis, doctus, & probatus Historicus lib. 6. cap. 35. *Lego*, inquit, *& relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quemquam eorum ante hunc a Romano Pontifice excommunicatam, & Regno privatam: nisi forte quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus a Romano Episcopo inter Pœnitentes collocatus, & Theodosius, a B. Ambrosio propter cruentam cædem a liminibus Ecclesiæ sequestratus sit*. Et cap. 36. *Quanta autem mala, quot bella, bellorumque discrimina inde subsecuta sint, quoties misera Roma obsessa, capta, vastata, quod Papa super Papam, sicut Rex super Regem positus fuerit, tædet memorare. Denique tot mala, tot Schismata, tot tam animarum, quam corporum pericula, hujus tempestatis turbo involvit, ut solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miseriæ infœlicitatem sufficeret comprobandam. Unde a quodam Ecclesiastico Scriptore densissimis Ægypti tenebris comparatur*.

Et lib. 1. de Gestis Friderici Imperatoris, cap. 1. *Cum sub Imperatore Henrico, qui inter Reges Quartus, inter Imperatores Tertius ejus nominis invenitur, Imperium gravissime scissum fuisset, parteque maxima optimatum Principi suo rebellante, tota pene Regni latitudo ferro, flamma fœdaretur: Gregorius VII. qui tunc urbis Romæ Pontificatum tenebat, eumdem Imperatorem tamquam a suis destitutum, Anathematis gladio feriendum decernit. Cujus rei novitate eo vehementius indignatione motum suscepit Imperium quo numquam ante hæc tempora hujusmodi Sententiam in Principem Romanorum promulgatam cognoverat*.

Idem asserit *Sigebertus*, Monachus Gemblacensis, cujus testimonio etsi parum tribuam in his quæ *Gregorium VII.* spectant, quia Henricianis partibus penitus addictus fuit: audiendus tamen est cum probos & eruditos Authores consentientes habet. Sic porro scribit in Chronico ad annum 1089. agens de Urbani II. electione: *Nimirum [ut pace omnium bonorum dixerim] hæc sola novitas, [non dicam hæresis] necdum in mundo emerserat, ut Sacerdotes illius qui dixit Regi, Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant quod malis Regibus nullam debeant subjectionem. Et licet ei Sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur qui contra Regem senserint, immo qui Regi paruerint, pro excommunicato habeatur; qui contra Regem fecerit, a noxa injustitiæ & perjurii absolvatur*. Verba Sigeberti descripsit & sua fecit *Vincentius Bellovacensis* in Speculo Historiali, lib. 25. cap. 84.

Idem asserit *Gotfridus Viterbiensis* Chronicorum parte 17. *Ante hunc Imperatorem*, inquit, *non legimus aliquem a Romano Pontifice excommunicatum, aut Imperio privatum*.

Idem asserit *Tritthemius* in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1106. *Henricum istum*, inquit, *hominem perversum, & justo judicio ab Ecclesia ejectum, omnibus revera suo tempore constabat manifestum .... Ipse autem primus est inter omnes Imperatores per Papam depositus. Scholastici certant, & adhuc sub Judice lis est, utrum Papa Imperatorem possit deponere. Quam quæstionem, cum ad nos non pertineat, indiscussam relinquimus*.

Idem asserit *Onuphrius Panvinius* vir doctissimus O. A. lib. 4. De varia Creatione Romanorum Pontificum: *Nam etsi*, inquit, *ante Romani Pontifices, tamquam Religionis Christianæ capita Christique Vicarii, & Petri Successores colerentur, non tamen authoritas eorum ultra protendebatur, quam in Fidei dogmatibus vel asserendis vel tuendis. Cæterum Imperatoribus suberant; ad eorum nutum omnia fiebant; ab iis creabantur; De iis judicare vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Normannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis, mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaque Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter Majorum morem, Cæsarem ipsum, a quo si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, sed etiam Regno Imperioque privare ausus est. Res ante ea sæcula inaudita. Nam fabulas quæ de Arcadio, Anastasio, & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror*.

Hanc sibi exauthorandi Reges potestatem non tribuit *Nicolaus I.* qui Sacerdotium olim cum Imperio conjunctum fuisse docet, sed veri Regis & Pontificis adventu factam fuisse & dignitatum & munerum divisionem, non vero subjectionem aut subordinationem. Ita scribit ad *Michaelem* Græcorum Imperatorem: *Sed cum ad verum ventum est Regem atque Sacerdotem, ultra sibi nec Imperator Jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit. Quoniam idem Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia Potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus Legibus uterentur. Quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus; & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus*.

Veterum Pontificum exemplis ac sententiis repugnant Gregorii VII. factum & privata opinio in depositione Henrici Regis.

Hanc sibi exauthorandi Reges potestatem non tribuit *Gregorius II.* Sanctissimus Pontifex, qui ad *Leonem Isauricum* Imperatorem scribebat: *Ecclesiæ Præpositi sunt Pontifices a Reipublicæ negotiis abstinentes; & Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt capessant*. Et in altera ad eumdem Epistola: *Quemadmodum*, inquit, *Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac Dignitates Regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi*, &c. *Vides, Imperator, Pontificum & Imperatorum discrimen. Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas & spolias, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longe a liberis & ab omnibus cognatis & amicis suis amandas: Pontifices non ita, sed ubi peccarit quis & confessus fuerit, suspendii vel amputationis capitis loco Evangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tamquam in carcerem in secretaria sacrorumque vasorum æraria conjiciunt, in Ecclesiæ Diaconia & in Catechumena ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt: cumque probe castigarunt, tunc pretiosum illi Corpus Domini impartiunt, & sancto illum Sanguine potant; & cum illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad dominum purum & insontem transmittunt... Persequeris nos ac tyrannice vexas militari carnalique manu. Nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus Principem exercitus omnis creaturæ sedentem in cælis Christum*.

Hanc sibi potestatem non tribuit *S. Martinus I.* nec ipsam exercuit adversus *Constantem* Imperatorem, quamvis ab ipso vexatus, quamvis orthodoxam Fidem ab ipso peti videns, & Monothelitarum hæresim ejus

Typo

Typo asseri; Et in Epistola ad *Theodorum* de exilio suo ita scribit: *Quod autem praeparati non fuerimus ad repugnandum, melius judicavi decies mori, quam uniuscujusque sanguinem in terram fundi... Eadem itaque hora dedi me ipsum ad exhibendum Imperatori; & non resistendum.*

Hanc sibi non tribuit *Pelagius I. ad Childebertum* Regem scribens: *Quanta nobis studia ac labore satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandala, obsequium Confessionis nostrae Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse Sancta Scriptura praecipiunt?*

Hanc sibi non tribuit *S. Gregorius Magnus*, qui Imperatorem *Mauritium* Dominum suum appellabat, seque ejus jussioni subditum profitebatur, Lib. II. Epistola LXII. *Ego vere*, inquit, *haec Dominis meis loquens, quid sum nisi pulvis & vermis? Ego quidem Jussioni subjectus, eamdem Legem per diversas terrarum partes transmitti feci; & quia Lex omnipotenti Deo minime concordat, ecce per mea suggestionis paginam Serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo quod debui exsolvi, qui & Imperatori obedientiam praebui, & pro Deo, quod sensi, minime tacui.* Et in eadem Epistola Christum inducit qui sic Imperatorem alloquatur: *Ego Sacerdotes meos tuae manui commisi, & tu a meo servitio Milites tuos subtrahis.* Ibidem: *Potestas Dominorum meorum pietati caelitus data est super omnes homines.*

Hanc potestatem exauthorandi Reges sibi non tribuit *S. Silverius*, qui calumniis oppressus, e Sede dejectus est jussu *Justiniani* Imperatoris; & in exilium Pataram Lyciae civitatem deportatus. Hanc sibi non tribuit *Agapetus* erga *Theodatum* Regem Gothorum, qui ipsum Constantinopolim ad Imperatorem *Justinianum* coegit proficisci, facultatibus ad conficiendum iter necessariis ita destitutum, ut sacra vasa Regiis Aerariis ipsum oppignerare necesse fuerit. Hanc sibi non tribuit *S. Joannes Primus*, qui a *Theodorico* Rege Gothorum Ariano Constantinopolim missus, ut *Justinum* Imperatorem a vexandis in Oriente Arianis deterreret, Romam redux ab eo in vincula conjectus est, ibique aerumnis confectus, Martyr obiit.

Hanc sibi non tribuit *Symmachus* adversus *Anastasium* impium Imperatorem, Haereticis faventem, & *Acacio* communicantem: & Libello famoso ab ipso impetitus, solam potestatem excommunicandi Imperatorem sibi vindicat, non ipsum exauthorandi, ut constat ex Epistola Apologetica, quam ad ipsum scripsit, in qua Pontificiam cum Imperatoria comparans dignitatem, solam dispensationem spiritualium Pontificibus tribuit, ac Imperatoribus parendum esse docet ab ipsis Summis Sacerdotibus, nisi aliquid contra Dei Legem praecipiant. *Conferamus*, inquit, *honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu, Imperator, a Pontifice baptismum accipis, Sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, poenitentiam rogas: Postrema tu humana administras, ille tibi divina dispensat. Itaque, ut non dicam superior, aequalis certe honor est... Fortassis dicturus es*, Omni Potestati nos subditos esse debere. *Nos quidem Potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates. Caeterum si omnis potestas a Deo est, magis ergo quae rebus est praestituta divinis. Defer Deo in nobis, & nos Deo deferemus in te.*

Hanc authoritatem deponendi Reges sibi non tribuit *Gelasius I.* qui ad *Anastasium* Imperatorem scribens, docet illum praesidere humano generi dignitate, quamvis in perceptione Sacramentorum Sacerdotibus subdatur. *Duo sunt*, inquit, *Imperator Auguste, quibus principaliter Mundus hic regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis Potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, Fili Clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen Praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis expetis, inque sumendis caelestibus Sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis Religionis ordine, potius quam praeesse.* Et lib. *De Anathemate*, duo esse ait, *quibus principaliter mundus hic regitur, authoritatem sacrum Pontificum, & regalem Potestatem*, &c. *Quantum ad ordinem pertinet disciplinae, ejus cui Imperium superna dispositione collatum cognoscunt, Legibus ipsos quoque parere Religionis Antistites.*

Hanc sibi non tribuit authoritatem *Felix Tertius* adversus *Zenonem* Imperatorem, qui Eutychianis favebat, *Acacium* tuebatur, *Henoticon* ediderat causae fidei valde noxium, & sedis Apostolicae Legatos violaverat; sed solum apud ipsum de ipsomet conquestus est, suasitque ut *Petri Moggi & Acacii* damnationi acquiesceret, nec Ecclesiae libertatem opprimeret, sed eam sineret uti Legibus suis, ejusque Decretis voluntatem suam in causis Dei subderet. *Puto*, inquit, *quod vobis sine ulla dubitatione sit utile, si Ecclesiam Catholicam vestri tempore Principatus sinatis uti Legibus suis; nec libertati ejus quemquam permittatis obsistere, quae Regni vobis restituit potestatem* (Basilico scilicet Tyranno a Catholicis repulso). *Certum est enim hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur juxta ipsius constitutum, Regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, non praeferre: & sacrosancta per eorum Praesules discere potius, quam docere, Ecclesiae formam sequi, non huic humanitus sequenda Jura praefigere: Neque ejus Sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit Clementiam tuam pia devotionis colla submittere; ne dum mensura caelestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.*

Hanc sibi potestatem adversus *Valentem* Imperatorem Arianum *S. Damasus* non tribuit, quamvis in Catholicos crudeli persecutione grassaretur. Hanc sibi adversus *Julianum Apostatam*, & *Constantium* Imperatorem Arianum non tribuit *S. Liberius*. Nam de Juliano *S. Gregorius Nazianzenus* scribit ipsum *Dei Clementia* dumtaxat, & *Lachrymis Christianorum* coercitum fuisse; *cum solum hoc contra Persecutorem haberent remedium* (Oratione 1. adversus Julianum.) Et *S. Augustinus* in Psalmum 124. explicans illa verba: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem Justorum*, de Christianis sub Imperio *Juliani* militantibus ait: *Milites Christiani serviebant Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in caelo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, praeponebant illi Deum. Quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum aeternum a Domino temporali; tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam Domino temporali.*

Quod vero *Constantium* spectat, illi se subditum profitebatur *Liberius* in iis quae contra Dei & Ecclesiae Leges non pugnarent, ut constat ex illius colloquio cum ipso *Constantio*, apud *Theodoretum* lib. II. Historiae Ecclesiasticae cap. XVI. Valesianae Versionis. *Constantius Imperator dixit: Nos, quoniam & Christianus es, & Episcopus nostrae civitatis, idcirco te evocandum duximus, & admonendum, ut nefariae dementiae impii Athanasii communionem abjicias.... Unum est quod quaeritur. Te namque, ubi Ecclesiarum communionem fueris amplexus, Romam remittere volo. Assentire igitur paci & subscribe, atque ita Romam revertere. Liberius dixit: Fratribus qui Romae sunt jam vale dixi. Potiores enim sunt Ecclesiasticae Leges, quam domicilium Romae. Imperator dixit: Ergo trium dierum spatium habes ad deliberandum utrum subscribens, Romam redire velis, aut ad cogitandum quem in locum cupias deportari. Liberius dixit: Trium dierum aut mensium intervallum non mutat sententiam. Itaque mitte me quo voles. Biduo post Imperator, cum Liberium accivisset, atque is de sententia non decederet, eum Beroeam Thraciae relegari praecepit.*

Eumdem Principem his verbis convenit *Osius* Cordubensis Episcopus: *Tibi Deus Imperium commisit, Nobis quae sunt Ecclesiae concredidit: Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae; ita & tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Date, *scriptum est*, quae sunt Caesaris Caesari, & quae sunt Dei Deo. *Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & Sacrorum Potestatem habes, Imperator.*

Hanc

Supremam Regum in temporalibus potestatem probat sacra Traditio.

Hanc sibi deponendi Reges Potestatem non tribuebant Summi Pontifices tribus prioribus Ecclesiæ sæculis sub Ethnicorum Imperatorum persecutionibus gementes, & ipsis nihilominus in iis quæ contra Dei Leges non erant, obedientiam præstantes. Hæc enim erat Ecclesiæ doctrina, ut constat ex Origene in Epistolam ad Romanos, cap. 13. lib. noni. Ex *Tertulliano*, lib. de *Idololatria*, cap. 15. *Reddenda sunt*, inquit, *Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Bene quod apposuit. Et quæ sunt Dei, Deo. Quæ ergo sunt Cæsaris? scilicet de quibus tunc consultatio movebatur, præstandusne esset census Cæsari, an non? Ideo & monetam ostendi sibi Dominus postulavit, & de imagine, cujus esset, requisivit; & cum audisset, Cæsaris: Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Id est, imaginem Cæsaris Cæsari, quæ in nummo est; & imaginem Dei Deo, quæ in homine est: at Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum. Alioquin quid erit Dei, si omnia Cæsaris?* Et Infra: *Igitur*, inquit, *quod attineat ad honores Regum vel Imperatorum, satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere, secundum Apostoli præceptum subditos Magistratibus, & Principibus, & Potestatibus, sed intra limites disciplinæ, quousque ab idololatria separamur. Propterea enim & illud exemplum trium Fratrum præcucurrit, qui alias obsequentes erga Regem Nabuchodonosor, honorem Imaginis ejus constantissime respuerunt, probantes Idololatriam esse quidquid humani honoris modum ad instar divinæ sublimitatis extollit. Sic & Daniel cætera Dario subnixus, tamdiu fuit in officio, quandiu a periculo disciplina vacaret. Nam id ne subiret, non magis Leones Regios timuit, quam illi Regios ignes.*

Et in Apologetico adversus Gentes, cap. 29. & 30. *Nos* (inquit) *pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter cæteros malunt. Sciunt quis illis dederit Imperium: sciunt qua homines, quis & animam, sentiunt eum Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes, & super omnes Deos. Quidni? Cum super omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis antistant. Recogitant quousque vires Imperii sui valeant, & ita Deum intelligunt, adversus quem valere non possunt, per eum valere se cognoscunt. Cœlum denique debellet Imperator, cœlum captivum triumpho suo invehat, cœlo mittat excubias; cœlo vectigalia imponat. Non potest: Ideo magnus est, quia cœlo minor est. Illius enim est ipse, cujus & cœlum est, & omnis creatura. Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator; inde Potestas illi, unde & spiritus.*

Et cap. 33. *Sed quid ego amplius de Religione atque Pietate Christiana in Imperatorem? Quem, necesse est suscipiamus, ut eum quem Dominus noster elegit. Ut merito dixerim, Noster est magis Cæsar, ut a nostro Deo constitutus. Itaque in eo plus ego illi operor ad salutem, quod non solum ab eo postulo eam, qui potest præstare, aut quod talis postulo, qui merear impetrare; sed etiam quod temperans Majestatem Cæsaris infra Deum, magis illum commendo Deo, cui soli subjicio; subjicio autem, cui non adæquo.... Interest hominis Deo cedere. Satis habeat appellari Imperator. Grande & hoc nomen est, quod a Deo traditur.*

Et lib. ad *Scapulam*, cap. I. *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur, & salvum velit, cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit; tandiu enim stabit. Colimus ergo & Imperatorem sic quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, & quidquid est a Deo consecutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est.*

Idem constat ex *S. Irenæo* lib. 5. adversus Hæreses, cap. 24. *Ad utilitatem Gentilium*, inquit, *terrenum Regnum positum est a Deo, sed non a Diabolo, qui numquam omnino quietus est, immo qui nec ipsas quidem Gentes vult in tranquillo agere, ut timentes Regnum humanum, non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per Legum positiones repercutiant multiplicem Gentilium injustitiam. Et secundum hoc Ministri Dei sunt, qui tributa exigunt a nobis, in hoc ipsum servientes, quæ sunt Potestates a Deo ordinatæ. Manifestum est quoniam mentitur Diabolus dicens; Mihi tradita sunt, & cui volo, do ea. Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu & Reges constituuntur, apti his qui illo tempore ab ipsis reguntur.*

Idem constat ex *S. Justino Martyre*, in Apologia ad Antoninum Pium. *Cæterum*, inquit, *eos qui minus consentaneam præceptis ejus* (Christi scilicet) *agunt vitam, Christianique tantummodo dicuntur, a vobis quoque puniri rogamus. Vectigalia sane & collationes eis qui a vobis sunt ordinati exactoribus, præ omnibus ubique inferre contendimus quemadmodum ab eo sumus instituti. Illo namque tempore accedentes quidam percunctati sunt ex illo, an Cæsari vectigalia pendere oporteat? Qui responsum hoc ab eo retulere: Dicite, inquit, mihi, cujus imaginem nummus habet? Qui ubi dixissent, Cæsaris*: Reddite igitur, *ait*, quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ Dei Deo. *Proinde nos solum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti inservimus; Imperatores ac Principes hominum esse profitentes, & simul precantes, ut cum Imperiali potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini. Quod si nos hæc ita precantes, atque omnia nostra in propatulum proferentes non curaveritis, aut respexeritis: Nihil nos quidem capiemus detrimenti, credentes ac potius certo persuasum habentes, unum pro se quemque pro factorum suorum meritis pœnas per ignem perpetuum daturum, juxtaque analogiam & comparationem acceptæ a Deo potestatis, rationem ab eo exactum iri.*

Idem constat ex *Theophilo Antiocheno* lib. ad Autolycum: *Quæ cum ita sint*, inquit; *magis honorabo Regem sive Cæsarem, non tamen eum adorando, verum pro eo orando Deum, qui vere verus Deus est, adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum. Dices ergo mihi: Quare Regem sive Cæsarem adorare recusas? Quia non ad id institutus est ut adoretur, sed ut legitimo, qui ipsi congruit, honoretur honore. Rex enim, sive Cæsar, Deus non est: sed meminerit se esse hominem a Deo in hanc Dignitatem promotum, non ut adoretur, sed ut juste, quemadmodum Justitia exigit, judicet. Nam Regnum sive Imperium rerumque administratio ipsi a Deo commissa & demandata est. Hinc Cæsar sive Rex neminem subjectorum aut Regem aut Cæsarem appellari vult. Regium enim sive Cæsareum nomen ipsi soli competit, nec alias id vendicare audet... Regem quidem sive Cæsarem honora, honora, inquam, magna cum benevolentia, subjectus ei existens, & orans pro eo. Hæc enim faciens, Dei voluntatem exequeris. Nam divinæ Legis hic tenor est: Honora, fili mi, Deum & Regem, nec cuiquam eorum inobediens sis. Subito enim hostes suos ulciscentur.*

Idem constat ex *Athenagora* in Apologia pro Christianis, ad Imperatores Aurelium Antoninum & L. Aurelium Commodum. *Ut calumnias refellam*, inquit, *Religionis nostræ rationes expono. Vos quidem in summa Imperii Majestate adeo conjunctis animis orbem gubernatis, ut inde cœlestis etiam Regni contemplationem clarius animo quis complecti queat. Ut vobis enim Patri & Filio in potestate sunt omnia, Regno divinitus in vos collato*, (Regis enim Anima, *inquit Spiritus Propheticus*, in manu Dei est.) *sic uni Deo & Filio ejus, hoc est, Verbo inseparabili, subjecta sunt omnia.*

Prioribus illis Patribus alios adjungo, qui sub Christianis Imperatoribus floruerunt, quorum eadem fuit de suprema Regum potestate doctrina: *Optatum Milevitanum* Lib. III, adversus Parmenianum: *Merito Paulus docet orandum esse pro Regibus & potestatibus: etiamsi talis esset Imperator qui gentiliter viveret. Quanto quod Christianus, quanto quod Deum timens, quanto quod Religiosus, quanto quod misericors, ut ipsa res probat?.... Carthagine Principatum se tenuisse crediderunt, & cum super Imperatorem non sit nisi solus Deus qui fecit Imperatorem, dum se Donatus super Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas, ut se, ut Deum non hominem æstimaret, non verendo eum, qui post Deum ab hominibus timeatur.*

S. Ja-

S. Joannem Chrysostomum in Epistola ad Romanos cap. XIII. Homiliæ XXIII. *Interea vero eas rationes quas commemoravi, non movet; Sed eas quæ Potestatibus ex debito obedire jubent, ostendens quod ista imperentur omnibus & Sacerdotibus & Monachis, non solum sæcularibus: id quod statim in ipso exordio declarat, cum dicit:* Omnis anima Potestatibus supereminentibus subdita sit: *etiamsi Apostolus, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris; neque enim pietatem subvertit ista subjectio. Est autem prima constitutionis hujus justitia, quæ a fidelibus cogitationibus ac mentibus satis decora & honesta, nimirum quod a Deo ordinata sint ista. Non enim est potestas nisi a Deo.... Sed etiam si cum timore ac te Principi sistas opus sit, non putes ex eo cognominationem tuam dehonestari: Deus enim ista exigit, ut creatus ab eo Princeps vires suas habeat.*

S. Ambrosium in Psalmum XL. dicentem: *David quasi Rex Legibus non tenebatur humanis: Deo tamen obnoxium se pro peccatis suis esse cognoscit.* Et in Apologia pro Davide: *Nullis David Legibus tenebatur quia liberi sunt Reges a vinculis delictorum: nec enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperii Majestate.*

S. Hieronymum Epistola XXII. *Ad Dominum*, inquit, *pœnitens David loquitur;* Tibi soli peccavi. *Rex enim erat, alium non timebat.*

S. Augustinum lib. V. *de Civitate Dei*, cap. XXI. *Quæ cum ita sint*, inquit, *non tribuamus dande Regni atque Imperii potestatem nisi Deo vero, qui dat fœlicitatem in Regno Cœlorum nonnisi solis piis; Regnum vero terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet..... Qui Mario, ipse Cajo Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasianis, vel patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo. Et ne per singulos ire necesse sit qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Juliano.*

S. Fulgentium lib. I. ad *Trasimundum* Regem, cap. 11. *Quocirca cum pro nostra fide, in quantum facultatem divinitas accepimus, libere respondemus, nulla contumacia seu contumelia debemus suspicione notari: cum nec nostræ humilitatis, nec Regiæ simus Dignitatis immemores, sciamusque Deo timorem, honorem Regibus exhibendum, Apostolica ita nos præmonente doctrina:* Reddite omnibus debita.... Cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. *Hujus timoris honorisque manifesta nobis B. Petrus aperuit discretione notitiam dicens:* „ Sicut servi Dei omnes honorate, fraternitatem „ diligite; Deum timete, Regem autem honorificate. *Non autem parum Clementia tua dilectionis exhibet & honoris, quisquis interroganti tibi hoc respondet, quod ad fidem pertinet veritatis. Competens igitur Mansuetudini tuæ deferimus honoris obsequium, cui Regalis apicem culminis divina cernimus largitate collatum. Nec tamen quemquam sapientem fugit, quanto sempiternus ille Rex Regum & Dominus Dominantium timore debeat suspici, qui temporales etiam Reges præcipit honorari. Hunc si quis parum metuit, valde contemnit: Hujus qui non memorat honorificentiam, auget injuriam.*

Arnobium Juniorem, cui *Cassiodorus*, *Euthymius*, & Glossa concinunt, in Psalmum L. *Rex sub nullo alio nisi sub Deo solo agens, ipsum solum super potestatem suam metuens, Deo soli peccavit.*

S. Gregorium Turonensem in Concilio Parisiensi anno 577. his verbis *Chilpericum* compellantem: *Si quis de nobis, o Rex, justitiæ tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest. Si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur tibi, sed si volueris, audis; si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse Justitiam?* Ita refert ipse lib. 5. Historiæ Francorum, cap. 19.

Hincmarum Archiepiscop. Remensem Epist. XLI. ad *Hadrianum II.* Pontificem Maximum, in qua ubi de necessitate communicandi cum Rege multa præmisit, hæc subdit: *Quæ omnia sicut non ad accusandum, sic nec ad excusandum in advocatione præfati Regis depromo, neque ad resistendum vestræ authoritati, neque ad contradicendum vestræ præceptioni, sed consulendum qualiter nos Episcopi, & ego præcipue in quem tantam comminationem intentastis, erga Regem nostrum gerere debeamus, cum B. Augustinus Apostoli exponens sententiam dicat: Apostolica, inquiunt, doctrina ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & ut reddantur omnibus omnia, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*, &c. *salvo Domini nostri cultu, constitutioni humanæ Principibus reddamus, quando & ipse Dominus, ut nobis sacræ hujus doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum solvere non dedignatus est. Jubentur etiam servi Christiani, & Fideles boni Dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire, quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint; aut cum quibus regnaturi sunt, si & illi ad verum Deum conversi fuerint. Omnibus tamen præcipitur servire humanis Potestatibus atque terrenis, quousque post tempus præfinitum, ab istius sæculi confusione, tamquam de captivitate Babylonia, sicut Jerusalem liberetur Ecclesia. Ex cujus captivitatis occasione si etiam terreni Reges, desertis Idolis, pro quibus persequebantur Christianos, unum verum Deum & Christum Dominum cognoverint & colant, pro quibus Paulus Apostolus jubet orare Ecclesiam, cum persequerentur Ecclesiam, ut securam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & castitate, sicut & ille populus in Babyloniam ductus per Jeremiam jubetur orare pro Rege Babylonia. Et B. Petrus dicit:* „ Subjecti estote omni humanæ creatu- „ ræ propter Dominum, sive Regi, quasi præcellenti. *Et item* „ Dominum timete, Regem honorificate. *Omni humana creatura, inquit Doctor sagacissimus, omni dignitati hominum, omni personæ, omni principatui, sui vos divina dispositio subdi voluerit. Hoc est enim quod ait:* „ Propter Dominum, quia non est potestas nisi a Deo: Et qui potestati resistit, Dei ordi- „ nationi resistit. *Et item S. Augustinus in Sermone Evangelii S. Joannis: Leguntur, inquit, Leges manifestæ, ubi præceperunt Imperatores, eos qui præter Catholicæ Ecclesiæ Communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis Authorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed quid, inquiunt, nobis & Imperatori? Sed jam dixi, de jure humano agitur? & tamen Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit:* Regem reveremini. *Noli dicere, Quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas, qui & ipsa humana jura renunciasti, quibus possidentur possessiones. Et si per jura Regum possidentur possessiones, non possunt ut Regi de Ecclesiasticis possessionibus obsequium non exhibeant, sicut Antecessores mei suis Antecessoribus exhibuerunt. Quapropter, Domne Pater Reverendissime, consulite secundum Privilegium Sedis vestræ subjectioni nostræ, nec alia nobis cujusque suggestione mandetis, unde inter Episcopalem authoritatem & Regalem potestatem, inter Ecclesiam & Rempublicam tantum scandalum possit oriri, quod facile ac sine dispendio Religionis vel detrimento Ecclesiasticarum rerum postea non possit sedari: quia sicut Abraham dixit ad Dominum:* „ Absit hoc a te „ Domine, non est hoc tuum, qui judicas omnem „ terram. *Et hanc meæ subjectionis humillimam suggestionem ex benignitate suscipite, qua primus Apostolorum non solum minoris sui Apostoli redargutionem pro simulatione suscepit, verum & minorum suorum quæstionem, cur ad Præputiatos intraverit, satisfacere ac lenire curavit.* Hæc sane omnia *Gregorii VII.* sententiam evertunt, temque novam & antea prorsus inauditam fuisse demonstrant, Imperatoris sive Regis a Romano Pontifice tentatam exauthorationem.

Supremam Regum in temporalibus potestatem Scriptura Sacra probat.

Adversus eamdem sententiam militant, eamque funditus demoliuntur Scripturæ Sacræ testimonia. *Regnum meum non est de hoc mundo* (inquit Christus) Et *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Apostolus ad Romanos Cap. 13. *Omnis* „ inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Idem docet Apostolorum Princeps, Epistola 1. Cap. 11. *Subjecti* inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive Regi, quasi præcellenti: sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei*, &c. *Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.*

Fa-

Quid Gregorium in opinionem contrariam inducere potuerit.

Fatendum tamen est, mutatum *Gregorio VII.* & quibusdam aliis Pontificibus, ac Authoribus, visum esse Imperii statum, & Imperatoriæ conditionem dignitatis, ex quo Imperium ad Germanos translatum est, & Electores instituti; electionisque examen & confirmatio ad Romanum Pontificem devoluta; nec ante inaugurati Imperatores, quam honorificentiam, obedientiam, protectionem & conservationem Jurium, & Privilegiorum, interdum & fidelitatem, Romanæ Ecclesiæ & ejus Capiti jurassent. Abhinc enim magis obnoxios factos fuisse Apostolicæ Sedi & Romanis Pontificibus, fuoi opinati. Sunt præterea Jura quædam mixta, quæ eximiæ illa dignitate Protectoris & Defensoris Ecclesiæ Romanæ innituntur, & quæ Imperatoribus Paganis, hæreticis, Schismaticis, legitime excommunicatis, non conveniunt: quibus adeo juribus ipsos exui posse, *Gregorius VII.* aliique Pontifices nonnulli sensere. Quæ quidem tolerabilior opinio est, nec Scripturæ Sacræ laudatis oraculis & SS. Patrum testimoniis repugnans. Sed terris, dominio, juribusque mere temporalibus ipsos privari numquam ab Ecclesia posse, quacumque de causa, nisi sint ejus beneficiarii, hæc ipsa oracula & testimonia non probant tantum, sed demonstrant. Scripturæ itaque Sacræ, Traditioni, & veterum Pontificum ante *Gregorii VII.* tempora exemplis omnino consentaneum dogma est, nullam Ecclesiæ in temporalia Regum vel Principum, qui non sunt ipsius Beneficiarii, vel indirectum convenire potestatem. A Veterum sententia *Gregorius VII.* & qui ejus opinionem sunt secuti, recessere. His inter *Joannes Saresberiensis* numerandus, in Epistola ad *Willelmum* Supprintem Cantiæ, quæ inter Epistolas *S. Thomæ Cantuariensis* a *P. Lupo* editas est 89. Libri II. de *Alexandri III.* Actis contra *Fridericum I.* Imperatorem ita scribit: *Abstulit ei etiam Regiam Dignitatem, ipsumque Anathemate condemnavit, & inhibuit authoritate Dei, ne vires ullas amodo in bellicis congressionibus habeat, aut de Christiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo secutus est exemplum Gregorii VII. Decessoris sui, qui nostra ætate Henricum Imperatorem, Ecclesiæ Privilegia convellentem deponens, in Concilio Romano simili Sententia condemnavit. Et quidem illa Sententia effectum sortita est, & hanc de Privilegio Petri latam videtur ipse Dominus confirmasse.* Quoad execrationem, excommunicationem, dirarum imprecationem, *Gregorii VII.* in *Henricum* Imperatorem, & *Alexandri III.* in *Fridericum I.* justas fuisse Sententias, & Privilegio *B. Petri* latas fatentur omnes, quibus non est ignotum Principes illos Schismaticos fuisse. At quoad exauthorationem, eodem Privilegio & æquitate latam non consentiunt Catholici Theologi. Potestatem ligandi & solvendi animas, *Sancto Petro*, & ejus Successoribus Romanis Pontificibus, in tota qua late patet Ecclesia, a Christo concessam; potestatem dirimendi controversias Fidei, omnesque causas majores judicandi; Canones interpretandi, temperandique; & eorum executionem omnibus & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris, cæterisque Clericis, ac Fidelibus toto orbe Christiano imperandi: Eorum contumaces infractores censuris plectendi, secundum eosdem Canones, & mores Ecclesiarum antiquos, receptos, & probatos: non item exauthorandi Reges vel Imperatores, Romano Pontifici directe vel indirecte convenire, omnes propugnant: Gregorium VII. Alexandrum III. Gregorium IX. &c. ex eo in contrarium adductos sententiam, quod Imperatores fiduciarios Ecclesiæ Romanæ factos esse falso persuasum haberent. Qua etiam in opinione (quoad Imperatores Teutonicos, non quoad Reges Francorum, Hispanorum, Anglorum, cæterosque supremos Principes) fuit *Arnulphus* Lexoviensis Episcopus, in Concilio Turonensi sub *Alexandro III.* e sacro suggestu perorans. *Si ad veteres* [inquit] *recurramus Historias, certum erit Prædecessores ejus Imperium non de alio jure, quam de sola Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia percepisse. Nihil igitur plus juris vendicare Principes possunt, quam quod in eos contulit dignatio largientis.*

Anonymus in eleganti Tractatu *De Potestate Papæ* edito ad calcem Historiæ celebris Dissidii inter *Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum* Regem Francorum, cujus tempore scribebat, pariter obnoxios esse negat Romanæ Ecclesiæ Christianissimos Reges ac Imperatores. *Ad 14.* (inquit) *ubi dicitur de confirmatione Imperatorum per Papam, dicunt aliqui, quod sicut Cardinalis Ostiensis consecrat Papam; & tamen post consecrationem nullam jurisdictionem spiritualem habet super ipsum Papam: ita Papa confirmat Imperatorem, & etiam coronat; & tamen post confirmationem & coronationem, nullam jurisdictionem temporalem super ipsum habet. Ego dico, quod quidquid sit de Imperatore, numquam tamen super Regem Franciæ habet Papa vel habuit aliquam temporalem jurisdictionem. Et hoc quia idem Rex habet Regnum, non per electionem, sed per successionem, nec umquam recepit a Papa confirmationem, vel coronationem, &c.*

Idem sensisse videtur *F. Joannes de Parisiis* Ordinis FF. Prædicatorum Theologus Parisiensis, lib. *De Potestate Regia & Papali*, eodem tempore edito, cap. 16. *Quod dicitur octavo* (inquit) *quod Papa deponit Imperatorem: Respondeo, verum est, illum quem ipse posuit, qui ab ipso accepit feudum: & ex causa rationabili. Tamen ista argumenta sunt de facto, & dicunt quid factum, non tamen quid fieri debeat.* Qua de re plura dixerat cap. 15. hoc exemplo concludens: *Legitur etiam, quod tempore Henrici Imperatoris, Romani juraverunt, non se Papam electuros sine Imperatoris assensu. Est igitur hoc observandum? Constat quod non. Hæc autem induxi, ut appareat, quia non oportet ex talibus factis singularibus, quæ variis causis fieri possunt, argumenta juris sumere.*

Anonymus qui *Somnium Viridarii* Carolo V. in Gallia regnante edidit, eodem pene modo loquentem inducit Militem. *Et quod dicitur, quod Princeps sæcularis, seu Principes sæculares non possunt aliunde leges accipere, si prius per Papam fuerint approbatæ: hoc posset concedi de Imperatore, quem Papa confirmat & coronat, & in quem Papa de Græcis potestatem transtulit Imperialem. Hoc autem non concederetur de Rege Franciæ, quem nec confirmat, nec coronat; nec sibi quoad temporalia subest in aliquo: Immo e contra Ecclesia Gallicana subest Regi Franciæ quoad temporalia. Et docet etiam experientia, quod Reges Franciæ a tanto tempore quod non est memoria in contrarium, Leges & Constitutiones Regales fecerunt, quæ numquam per Romanum Pontificem, sicut nec oportet, fuerunt approbatæ.*

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 329. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Gregorius VII. Romanorum primus Pontificum sibi Regum exauthorandorum tribuit potestatem, contra Patrum Doctrinam, immo contra verbum Dei.*

R. Quod Romanorum primus Pontificum hanc authoritatem sibi tribuerit *Gregorius VII.*, testantur Otto Frisingensis, Sigebertus, Gotfridus Viterbiensis, Trithemius, Vincentius Bellovacensis, Onuphrius Panvinus, quorum verba descripsi. Hæc mera facti quæstio. Quod vero contra Patrum Doctrinam, immo contra verbum Dei hanc sibi tribuerit authoritatem, Doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ. Sanctissimus quidem Pontifex non existimavit opinionem suam doctrinæ Patrum & verbo Dei esse contrariam; id enim si existimasset, illam secutus non esset, nec ad praxim revocasset. Quod vero modum loquendi Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis hic usurpaverim, ostendet propositionis meæ collatio, cum ejusdem Facultatis Censuris in Librum *Antonii Sanctarelli*, die 1. Aprilis 1626. & in Theses *Francisci Malagolæ* die 4. Novembris 1682. editis. Excusandus Gallus, opinionem sequens in Gallorum omnium animis penitus insitam; excusandus Doctor Facultatis Parisiensis, verbis ejusdem Facultatis adhibens ad illius Sententiam exprimendam.

ARTICULUS X.

Nullius sunt ponderis Argumenta, quibus novam illam ac singularem opinionem suam de potestate exauthorandi Reges Romano Pontifici & Ecclesiæ a se attributa probare nititur Gregorius VII. in Epistola ad Herimannum.

ILlam exauthorandi Reges, & Subditos absolvendi a juramento fidelitatis potestatem Sedi Apostolicæ convenire, probandum sibi sumit *Geegorius VII.* in Epistola ad *Herimannum* Metensem Episcopum, qui ab ejus Sanctitate hujus quæstionis elucidationem rogaverat, ut adversariis respondere posset. Verum, quibus nititur, momenta debilia sunt. Primum petitur ex Christi verbis ad *S. Petrum*, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni cælorum: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* A qua potestate Reges non sunt excepti, cum sint de ovibus, quas Filius Dei *B. Petro* commisit.

Ligandi & solvendi potestas S. Petro & ejus successoribus a Christo tradita, ad solas animas pertinet.

Verum hæc ratio, qua *Gregorii VII.* suam ut privati Doctoris opinionem probat, nullius ponderis est, si adhibeatur locus ille Evangelicus ad asserendam Ecclesiæ potestatem in temporalia Regum qui ipsius Ecclesiæ non sunt feudatarii, & ad probandum quod Romano Pontifici conveniat authoritas absolvendi subditos a Sacramento fidelitatis. De solis namque peccatis, & censuris, Pœnitentiis & Remissionibus, intelligenda est Christi Sententia ligandi & solvendi potestatem *Sancto Petro*, & in ipso omnibus Pontificibus tribuentis. Ita hunc locum exponunt Patres, quorum loca indicare satis erit: Origenes Tractatu I. in caput XVI. Matthæi, S. Cyprianus Epistola 37. ad Lapsos, & lib. de Unitate Ecclesiæ, S. Hilarius capite XVIII. in Matthæum, S. Pacianus in Epistola ad Sympronianum, S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, cap. 11. & Enarratione in Psalmum 38. Amphilochus in Oratione de Pœnitentia, S. Joannes Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, Homilia 55. in Matthæum, & Sermone 50. de utilitate lectionis Scripturæ Sacræ; S. Hieronymus in caput 18. Matthæi; S. Augustinus in Psalmum CI. Concione 11. Sermone 8. de Verbis Domini super Matthæum, & homilia 27. inter quinquaginta; S. Leo Sermone 11. in Anniversario suæ Creationis, & 1s. de Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli; S. Gregorius Magnus Homilia 26. in Evangelia; Venerabilis Beda in caput 16. S. Matthæi, & in 21. S. Joannis &c. Hi (inquam) omnes potestatem ligandi & solvendi *S. Petro* & Ecclesiæ traditam ad sola peccata extendunt, solisque animabus circumscribunt. Philippus Cœlestini I. in Concilio Ephesino Legatus Actione 3. ejusdem loci expositionem genuinam & per traditionem in Ecclesia Romana conservatam suggerit: *Sæculis omnibus notum est*, inquit, *quod Beatus Petrus claves Regni cælestis accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est.* Eamdem expositionem confirmat *S. Gregorius Magnus* in libro Sacramentorum in Festo Cathedræ S. Petri hanc Orationem præscribens: *Deus qui Beato Apostolo tuo Petro collatis clavibus Regni cælestis animas ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti, concede ut intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur.* Ita hanc Orationem exhibet Romana Editio Operum *S. Gregorii*, quæ *Gregorio XIII.* Pontifice Maximo curata, eique dicata est. Ad Gregorianam Orationem respectum habet B. *Petrus Damiani* Sermone 1. de S. Joanne Evangelista, dicens: *Taceat is cui portæ inferi non prævalent, qui ligandi animas atque solvendi obtinet Principatum.* Ad eamdem Orationem attendebat *Julius II.* in Diplomate 23. quod *Seraphinus Cherubinus* in Bullario refert: *Liquet omnibus fidei cultoribus*, inquit, *Beatum Petrum ab ipso Salvatore nostro Jesu Christo Apostolorum Principem fuisse constitutum, eique ligandi ac solvendi animas cælesti privilegio traditam esse potestatem.* Gregorianam Orationem iisdem verbis exhibent Missale Romanum Parisiis editum anno 1520. typis *Francisci Reginaldi*; Missale Romanum idem a *Paulo III.* reformatum anno 1543. & Lugduni editum anno sequenti, typis *Gaillelmi Rovilli*, Breviarium Romanum Parisiis editum anno 1543. typis *Thielmani Kerveris*: idem Breviarium per *Franciscum* Cardinalem *Guinogaiam* emendatum, & Parisiis editum anno 1566. typis *Gaillelmi Merlini*; Diurnum Monasticum, juxta ritum Monachorum Ordinis Benedictini Congregationis Casinensis, alias Sanctæ Justinæ de Padua, quod ex Decreto capituli Generalis ao. 1584. reformatum, & a *Geegorio XIII.* approbatum, typis excusum est Venetiis apud *Juntas* anno 1600. & Missale Ambrosianum, editum anno 1648. Quæ cum ita sint, verba illa Christi *Quæcumque ligaveritis*, &c. de potestate absolvendi subditos a Sacramento fidelitatis quo Regi sunt adstricti, intelligi non debent; & qui sic intelligeret, ac exponeret, peccaret contra Decretum Synodi Tridentinæ, & contra Professionem Fidei ab ipsa præscriptam. Decrevit scilicet Sancta Synodus Sessione IV. *Ut nemo sua prudentia innixus in rebus Fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendæ forent: qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis a Jure statutis puniantur.* Gregorius vero VII. qui hoc loco usus est, ea ratione posset fortassis excusari, quod illum adhibuisse dumtaxat videatur ad probandum potestatem excommunicandi Reges, æque ac cæteros peccatores contumaces, Ecclesiæ a Christo traditam, non autem ad probandum potestatem absolvendi subditos a Sacramento fidelitatis, & supremos Principes, Ecclesiæ nullatenus feudatarios exauthorandi. Cum enim utrumque Apostolicæ Sedi vindicare nitatur *Gregorius* in illa ad *Herimannum* Epistola, satis est ut ejus probationes ad alterutrum referantur. Id verba ejus ostendunt: *Quod autem postulasti te quasi nostris scriptis juvari ac præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt authoritatem Sanctæ & Apostolicæ Sedis non potuisse Regem Henricum, hominem Christianæ legis contemptorem, Ecclesiarum videlicet & Imperii destructorem, atque Hæreticorum fautorem & consentaneum, excommunicare, nec quemquam a Sacramento fidelitatis ejus absolvere, non adeo necessarium nobis videtur cum hujus rei tam multa & certissima documenta in Sacrarum Scripturarum paginis reperiantur.*

Non minus abusus est *Gregorius VII.* authoritate Apostoli I. ad Corinthios 6. dicentis *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Propriam enim Sacerdotum potestatem eo loci *S. Paulus* non innuit, sed communem Fidelium omnium in judicandis fratrum litibus, quæ de sæcularibus rebus moventur, facultatem, si ad ipsos causarum hujusmodi arbitrium deferatur. Sane si quotquot Angelos apostatas judicaturi sunt, de Regibus judicium ferre possint; non modo Pontifex, sed privatus quisque de Fidelium grege, poterit de Regiis capitibus decernere; quo quid absurdius?

Secundum momentum quod profert Gregorius VII. in illa Epistola, est *S. Gregorii Magni* authoritas in Epistola ad Senatorem scribentis: *Si quis vero Regum, Sacerdotum, Judicum, atque sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat: & nisi ea quæ ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo Corpore ac Sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat.* Ex quo loco ita colligit Gegorius VII. *Quod si B. Gregorius Doctor utique mitissimus, Reges qui statuta sua super unum Xenodochium violarent, non modo deponi,*

sed

sed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decrevit, quis nos Henricum non solum Apostolicorum judiciorum contemptorem, verum etiam ipsius matris Ecclesiæ, quantum in ipso est, conculcatorem deposuisse & excommunicasse reprehendat, nisi forte similis ejus?

Sed ista probatio infirma est. Nam etsi Epistolam illam ut genuinam *S. Gregorii* admittamus; etsi clausulam illam, *Si quis vero Regum*, &c. addititiam non esse demus. (Quod tamen viri plerique doctissimi contendunt, quod *S. Gregorius* eam in similibus privilegiis non usurpaverit) inde colligi non potest *S. Gregorium* Sedi Apostolicæ tribuisse authoritatem deponendi Reges, & absolvendi subditos a Sacramento fidelitatis. Illa namque verba sunt imprecantis, non imperantis, decernentis, seu judicantis sicut illa: *In æterno examine districtæ ultioni subjaceat*. Hujus generis est imprecatio illa Gregorii VII. in Sententia adversus Henricum Regem lata; *Ipse Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires, nullamque in vita sua victoriam obtineat*. Non absimiles imprecationes illi *S. Gregorii* (si tamen ejus est) legi observavi jamolim in Conciliis Toletanis 4. Canone 75. VI. Canone 3. & VII. Canone 1. & in Testamento Sanctæ *Radegundis* apud *Gregorium* Turonensem lib. 9. cap. 42. & in Testamento *S. Remigii* nomine apud *Flodoardum* inscripto lib. 1. Historiæ Ecclesiæ Remensis, cap. 18. His adde, *Aredii* Abbatis Attanensis Testamentum, qui donationis suæ violatoribus sic imprecatur; *Si quis contra hoc Testamentum nostrum venire voluerit .... Et hic & in æternum per virtutes Sancti & Beati Domini Martini sit excommunicatus & anathematizatus, & veniat illi maledictio, quam Psalmus continet in Judam Scariotis centesimus octavus*. Editum est a *D. Mabillonio* Tom. 11. *Veterum Analectorum*. Solemnes olim fuisse in fundationibus & donationibus hujusmodi imprecationes, probant Formulæ *Marculfi*. Prima libri 11. sic habet: *Si quis hanc voluntatem meam per quaslibet adinventiones seu propositiones, sicut mundus quotidie artibus & ingeniis expolitur, vel repetitor, convulsor etiam, aut tergiversator extiterit, Anathema sit. Et tam qui fecerit, quam qui facienda consenserit, Anathema sit. Et sicut Dathan & Abiron hiatu terræ absorpti sunt, vivens in infernum descendat, & cum Giesi fraudis mercatore, & in præsenti & in futuro sæculo partem damnationis excipiat, & tunc veniam consequatur, quando conversurus est & Diabolus, &c.* Similes continet imprecationes, *Willelmi* Comitis testamentum de constructione Cœnobii Cluniacensis, & alia pleraque monumenta, quæ vir doctissimus Domnus *Mabillonius* indicat libro 11. exquisiti Operis *De re Diplomatica*, cap. VIII. Sane hujusmodi Execrationum formulas Reges ac Principes viros & feminas in suis Diplomatibus 11. & 12. Sæculo usurpasse legimus, nec tamen ullam in aliorum Regum aut Principum, vel Pontificum, ad quos etiam illas pertinere volunt temporalia sibi tribuunt potestatem. Exemplo sit *Agnetis* Comitissæ Pictavensis Diploma in gratiam Angeriacensis* monasterii anno circiter 1022. datum. *Si quis*, inquit *in posterum Rex aut Princeps, aut Dux Comes, Vicecomes, aut qualibet persona Ecclesiastica, vel sæcularis, hujus nostræ Constitutionis decretum rescindere voluerit ... Hereditatis & honoris nostri dignitate perpetua careat*. Idem constat ex Diplomate *Ranimiri* Aragonum Regis dato *Sancti Joannis Baptistæ* cœnobio, secundum Aragonensis Decretum Synodi anno circiter 1062. *Quicumque futurorum Regum, successorum nostrorum, transgredientes & deviantes ab hoc Regali simul & Pontificali Decreto, tentaverit dissolvere hanc Scripturam, in præsenti sæculo omnipotens Deus, qui est justus Judex & Regum Rex, dissolvat & dividat Regalem honorem & potentiam regni eorum, atque illud se diligentibus & timentibus & nostra Decreta servantibus: Et in futuro separati a consortio omnium Christianorum, intercedente pro eis Beato Joanne Baptista cum omnibus Sanctis, participentur in societate cum Dathan & Abiron, & Juda Traditore in inferno inferiori, luentes pœnas perpetui incendii sine fine per æterna sæcula. Amen*. Idem probat *Alfonsi* Tolosani Comitis Charta de Portatico: *Si quis*, inquit, *homo vel fœmina hoc donum & hanc libertatem irrumpere voluerit, sit maledictus & excommunicatus, & ira Dei veniat super eum: & terra absorbeat eum, sicut Dathan & Abiron absorbuit; deinde & inferni pœnas patiatur. Et etiam totus Tolosanus Populus cum gladiis, & baculis, & lapidibus, super eum irruat, & interficiant eum omnes homines turpiter*. Quamvis igitur *S. Gregorio* tribuantur imprecationes illæ quæ in Privilegio Augustodunensi leguntur, non sequitur quod potestatem deturbandi Reges Romano Pontifici convenire senserit, sicut Principes viri & fœminæ non senserunt sibi convenire potestatem excommunicandi, licet excommunicationem suarum Donationum, Testamentorum, aut Privilegiorum violatoribus imprecati sint: Nec Synodi, Pontifices, Episcopi, Reges, aut Reginæ penes se potestatem esse delendi aliquem de libro vitæ, decernendi ut vivus absorberetur a terra, ut *Dathan & Abiron*, vel damnandi ad Inferos, sicut *Judam Traditorem*, existimarunt, quia has pœnas Decretorum suorum Edictorum, Donationum, Testamentorum, Privilegiorum violatoribus imprecati sunt & a Deo comminati. Sic & Græcorum Imperatores Legibus suis graves execrationes inseruere adversus earum violatores: nempe ut *Deum hic sibi adversantem inveniant, & cælestes potestates infestas: ante diem de hac præsenti vita migrent, atque etiam futuræ jacturam faciant: denique ut semen eorum perpetuam ignominiam sentiat, ac panem mendicet*. Sic habet Novella I. *Leonis & Alexandri* Imperatorum in Jure Græco-Romano. Nec tamen hæc omnia pœnarum genera infligere se posse delirabant. Ita licet *S. Gregorius* ex usu Psalmi 108. cujus hic versus, *Et Episcopatum ejus accipiat alter*, depositionis comminationem continet, Regibus, Sacerdotibus, Judicibus, Personisque cæteris sæcularibus, Dignitatis & honoris jacturam interminatus sit, inde non conficitur potestatem exauthorandi Reges, aut quamlibet in eorum temporalia authoritatem, penes Romanum Pontificem residere, vel eam fuisse *Sancti Gregorii* mentem. Sensum itaque *Sancti Gregorii* non est assecutus *Gregorius VII.* qui ex verbis imprecantis colligebat ipsum decrevisse ut deponerentur Reges, qui Xenodochii Privilegium violarent. Nec sane verisimile est voluisse *S. Gregorium* Principes supremos, quibus ipse, quantumvis iniquis, maximam reverentiam exhibere consuevit, pro delicto comparatione aliorum criminum minus gravi, nempe si Privilegium Augustodunensi Xenodochio concessum violarent, suis dominiis, dignitatibus atque honoribus per Sententiam decretoriam privare: ex qua privatione maximæ in Republica perturbationes, cædesque innumeræ consequi solent, ut satis probat *Gregorii VII.* & *Henrici VII.* Germaniæ Regis Historia: Qui tamen *S. Gregorius* diserte scripsit Epistola II. Lib. VII. Dei metum obstitisse *ne in mortem cujuslibet hominis se misceret*: Ideoque se noluisse, licet de facto posset, Longobardorum Reges ac Duces, acerbe vexantes Ecclesiam, perdere. Lege quæ de hacce clausula observavi in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi VI. Cap. 4. Art. XVI. ubi de Scriptis *S. Gregorii Magni*: ubi etiam innui, hæc verba: *Si quis Regum, Sacerdotum*, &c. respective intelligi posse; ut Sacerdotibus quidem sub pœna exauthorationis prohibeat, ne quid contra Privilegium Augustodunense moliantur; Regibus vero, Judicibus, aliisque sæcularibus personis, sub pœna excommunicationis. Quæ sane expositio apposita & satis commoda est.

Solemnes imprecationum formulæ non solum in Pontificiis Diplomatibus, sed in Principum virorum ac fœminarum Donationibus, testamentis, &c. usurpatæ.

* Saint Yrier. *Attanum, Monasterium ab eo fundatum in Diœcesi Lemovicensi, vulgo* S. Yriet de la Perche.

S. Jean d'Angely, *in Diœcesi Santonensi.*

Tertium momentum quo nititur Gregorius VII. est exauthoratio Childerici III. Regis Francorum ex Merovingia stirpe postremi. *Zacharias*, inquit, *Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam eo quod tantæ potestati non erat utilis, a Regno deposuit, & Pippinum Caroli Magni Patrem in ejus loco substituit; omnesque Francigenas a Juramento fidelitatis, quod illi fecerant, absolvit*. At depositionem Childerici a *Zacharia*, & absolutionem Francorum a Juramento quo fidem suam ipsi obstrinxerant, fabulosam esse, luculentis argumentis demonstravi Dissertatione II. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi VIII. *Gregorio* itaque VII. obreptum est, falsaque documenta ipsi subministrata fuere, vel potius undequaque corrasa ab eo qui ipsi erat ab Epistolis. Sane

Falsa & apocrypha documenta Gregorio VII. subministrata.

sibi in his præcipuè rebus obrepi potuisse *Gregorius VII.* non ægre fassus esset, qui in Epistola ad *Hugonem* Episcopum XXXI. Libri IX. scribit : *Noverit Prudentia tua, quia multa tamquam a nobis deferuntur, & scripta & dicta, nobis nescientibus. Multa etiam subripi possunt nimis ad singula intentis, utpote diversis ad plurima, & intentis ad maxima, quibus vehementer arctamur. Unde in hac causa, quod profectò minime recordamur, si quid forte subreptum fuit, optato magis amamus corrigere, quam ab æquitate & rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere.*

Neque hæc solum de *Childerici* exauthoratione a *Zacharia* narratio, sed & alia istius Epistolæ ad *Herimannum* capita, probant Sancto Pontifici non licuisse per otium discutere accurato criterio omnia momenta, quibus privatam illam suam, non Sedis Apostolicæ de potestate exauthorandi Reges Sententiam confirmare nititur. I. Laudat Epistolam *Julii I.* ad Orientales, non quam refert *S. Athanasius*, sed quæ venerando *Julii* nomini supposita probatur ex falsa nota Consulatus; & ex illis ipsis verbis quæ *Gregorius VII.* laudat : *Habet enim potestatem Romana Ecclesia singulari Privilegio concessam, aperire & claudere januas Regni Cœlestis quibus voluerit.* Non enim pro sua voluntate, sed pro subjectorum meritis ligare & solvere Sacerdotes debent, ut *S. Gregorius* Magnus docet Homilia XXVI. in Evangelia. *Sæpe*, inquit, *in solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur; unde fit ut ipse hac ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subditorum moribus exercet .... Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda.* Aliud sensisse Julium I. incredibile est.

Secundo profert *Gregorius VII.* Epistolam *Clementis* Romani ad *S. Jacobum*, quæ certe supposititia est, cum *S. Jacobus* multis annis obierit antequam *S. Clemens* Pontifex renuntiaretur. Nec tamen *Gregorio VII.* hæc Epistola favet. Episcopum enim *In aliqua occupatione, mundialis negotii occasione perplexum esse vetat : quem Judicem aut cognitorem secularium negotiorum ordinare non vult Christus.* Cum itaque Regis destitutio vel creatio negotium sit inter secularia maxime perplexum, Pontificibus, ex authore istius Epistolæ, non convenit.

Tertio, affert *Innocentium* Papam *Arcadium* Imperatorem excommunicasse, quia consenserat ut *S. Joannes Chrysostomus* a Sede expelleretur. At æqualium suppariumque Scriptorum de hujusmodi excommunicatione silentium ipsam fictitiam esse probat, *Idatii*, inquam, & *Prosperi* in Chronicis, *Socratis*, *Sozomeni*, *Theodoreti* in Historia & *Palladii* in Vita *S. Joannis Chrysostomi*. Et quæ ad ipsam asserendam obtrudi potest *Innocentii* ad *Arcadium* Epistola post *Dionysii Exigui* ætatem conficta est, qui ipsam in Codicem Canonum retulisset, uti complures alias ejusdem Pontificis, in quarum nonnullis de *S. Joanne Chrysostomo* mentionem facit. Denique *Eudoxia*, quæ simul excommunicata dicitur, ante tres annos obierat, quo tempore grando insolitæ magnitudinis Constantinopoli decidit, ut constat ex *Socrate*, *Sozomeno*, *Marcellino*, *Zosimo*, & Fastis Græcis. Hujus Epistolæ & Fabulæ architectum *Georgium Alexandrinum* Monachum, qui ad annum 610. vixit, & *Photium*, *Glycam*, *Nicephorum* ab ipso deceptos, viri eruditi censent.

Quarto *Gregorius VII.* asserit, *Theodosium Magnum* Imperatorem a *S. Ambrosio* excommunicatum fuisse, & ab Ecclesia exclusum : quod æque falsum est. Pœnitentiæ quidem *Theodosium* addixit *S. Ambrosius*, & quoad usque illam implevisset, aditu Mediolanensis Ecclesiæ illum prohibuit, sed ab Ecclesia simpliciter non exclusit, quem non invenit contumacem. Lege quæ de hoc Historiæ capite observavi in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi IV. cap. ultimo §. V. Quamquam etsi Communione a *S. Ambrosio* privatus fuisset *Theodosius*, perperam inde colligeretur Reges a Romano Pontifice aut ab Episcopis, vel Synodis exauthorari posse. Immo *S. Ambrosius* Theodosium *Augustissimum Imperatorem* vocavit. *& verecundia qua potuit, Imperiali arbitrio satis fecit*, ut Epistola 39. lib. 7. profitetur.

Quinto *S. Gregorium* laudans in Epistola ad *Mauritium* Imperatorem, XXXI. Libri IV. nec ejus verba refert, nec sensum exprimit. Sic habet nempe Gregorius VII. *Hæc sicut B. Gregorius in Epistola ad Mauritium Imperatorem directa commemorat, Constantinus Magnus Imperator, omnium Regum & Principum fere totius orbis dominus, evidenter intelligens, in Sancta Nicæna Synodo post omnes Episcopos ultimus residens nullam Judicii Sententiam super eos dare præsumpsit; sed illos etiam Deos vocans non suo debere subesse Judicio, verum se ad illorum pendere arbitrium judicavit.* Sic autem S. Gregorius Magnus: *Ecclesiastica quoque testatur Historia quia cum Piæ Memoriæ Constantino Principi scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dii estis a vero Deo constituti, ite, & inter vos causas vestras discutite quia dignum non est ut judicemus Deos.*

Sexto, ex Pastorali *S. Ambrosii* hæc verba laudat: *Honor, Fratres, & sublimitas Episcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum Diademati longe erit inferior, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: Quippe cum videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculata eorum dextera eorum orationibus credant se communiri* At nec Pastorale *S. Ambrosius* edidit, nec in aliis ejus Operibus hæc verba reperiuntur. Et hæc cujuscomque sint verba ad Imperatoris exauthorationem trahi non posse, evidens est.

Denique, ex *Symmachi* Papæ Decretis hæc laudat: *Beatus Petrus perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ misit ad posteros .. Quis enim Sanctum esse dubitet .. quem apex tantæ Dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci Decessore præstantur* At in *Symmachi* Decretis hæc non habentur, sed in libello Apologetico *Ennodii* pro Romana Synodo. Quamquam ad *Symmachum* aliqua ratione pertinere dici possint, quia Libellum *Ennodii Symmachus* cum altera Synodo approbavit, eique canonicam authoritatem contulit, dicens: *Juxta vestram omnium fiat voluntatem & ut judicatis, Apostolica authoritate, & inter Apostolica habeatur Decreta, & sicut cætera Apostolica, ab omnibus teneatur, Decreta.* Innocentiam tamen ac sanctimoniam personalem Pontificibus Maximis hoc *Ennodii* testimonio vindicare noluit *Gregorius*, sed meritum summæ Dignitatis, & officium extollere. Ut enim de experimentis nihil dicam, quibus Pontifices universos *S. Petri* sanctimoniam in se non expressisse demonstratur; qui sanctiores sunt, agnoscunt se homines esse circumdatos infirmitate, pro suis populique peccatis Deo hostias offerunt, saluti suæ eo magis timent, quo se in excelsiori loco positos vident, & severiorem a se ad Tribunal Christi exigendam rationem profitentur. Nec aliud de se sensisse *Gregorium VII.* Pontificem Sanctissimum verisimile est.

Pauci, quos facti sui approbatores habuit, vel suasores, *Gregorius VII.* vel quos Schismatis execratio justissima in aliud extremum præcipites egit, scilicet defectionem a Rege; nimirum *Altmannus*, Pataviensis Episcopus, *Anselmus* Lucensis, *Gebhardus* Salisburgensis, *Stephanus* Halberstatensis, melioribus rationibus, *Gregorium* non defendunt, quam suum ipse factum tuitus est in Epistola ad *Herimannum* mox discussa. *Gebhardi* Orationem coram utriusque partis, Regiæ scilicet ac Pontificiæ Episcopis & Proceribus habitam anno 1081. refert *Bruno* in Commentario *De Bello Saxonico*, pag. 151. Tom. I. Scriptorum Rerum Germanicarum Editionis *Freheri*. Ejusdem ad *Herimannum* Metensem Episcopum Epistolam, qua perjurii ac perduellionis crimen ab Imperatoriis *Gregorio VII.* & ejus fautoribus objectum diluere nititur, apud *Tengnagellum*, inter *Vetera Monumenta contra Schismaticos* legere est. *S. Anselmum Lucensem* scripsisse pro *Gregorio*, docet ejusdem *Anselmi* Pœnitentiarius in ejus Vita. *Stephani* Halberstatensis Epistola ad *Walramum* Naomburgensem Episcopum, nomine *Ludovici* Thuringiæ Comitis, pro *Gregorio*, idem *Tegnagellus* edidit. Sed pro *Henrici* Imperatoris juribus contra

tentiorum, & undecim pene sæculorum spatio inauditum *Gregorii VII.* factum scripsit (ut *Bennonem* non nominandum omittam) *Venericus* Vercellensis Episcopus, vir eruditus & eloquens. Librum suum sub persona *Theodorici* Virdunensis ad *Gregorium* ipsum *De discordia Regni & Sacerdotii* inscripsit. *Waltramus*, seu *Waleramnus* Naumburgensis Episcopus, Apologiam scripsit pro *Henrico* contra *Gregorium VII.* quam *Ulrichus Huttenus* edidit, ac *De unitate Ecclesiæ* inscripsit, eruditum sane ac amplectendum opus, nisi contumeliis in Sanctum Pontificem fœdatum esset. Hunc Librum *Venerico* Vercellensi Episcopo nonnulli perperam tribuunt: Non enim *Theodorici* Virdunensis nomine conscriptus est, nec ad *Gregorium VII.* directus, nec *de Discordia Sacerdotii & Imperii* inscribitur, ut *Venerici* Liber inscriptus erat, *Sigeberto* & *Trithemio* testibus: Nec Apologia illa characteres habet, quibus *Venerici* Librum *Sigebertus* designat in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 161. *Venericus*, inquit, *Vercellensis Episcopus scripsit Librum sub persona Theodorici Virdunensis Episcopi ad Hildebrandum sive Gregorium Papam*, De discordia Regni & Sacerdotii, *non eum increpans, sed ut seniorem obsecrans & patrem, & amicabili inductione, quasi affectu docentis suggerens ei omnia, quæ contra Jus Legum, & fas Religionis eum fecisse & dixisse divulgabat loquax fama.* Denique *Venericus* obiit anno 1077. *Gregorio VII.* superstite: Author vero Apologiæ, qua de loquemur, ad scribendum aggressus est anno post ejus obitum octavo, ut ipse testatur. *Henricum* Imperatorem pariter tuiti sunt contra *Gregorium VII. Otbertus* Leodiensis Episcopus cum suo Clero. & *Sigebertus* Cœnobii Gemblacensis eruditus Monachus. *Gregorii VII.* Epistolam ad *Herimannum* Metensem Episcopum *Sigebertus* scripto confutavit, ut ipse testatur Cap. ultimo Libri *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Æterno quidem digni sunt vituperio Authores illi, quod Schismate *Henrici IV.* se polluerint, & Pseudopontifici adhæserint contra *Gregorium VII.* sed laude digni, quod ejusdem *Henrici* Domini sui Majestatem ac Jura tuiti sint, si id servata unitate, caritate, & reverentia erga Sedem Apostolicam & legitimum Pontificem fecissent. Cæterum potiores ipsorum fuisse, quam *Gregorii VII.* & paucorum in ejus studia abreptorum, rationes, & magis consentaneam Scripturæ Sacræ, Traditioni, & exemplis Sanctorum Pontificum, qui ante *Gregorium VII.* sedebant in *S. Petri* Cathedra, sententiam, constat ex his quæ superius diximus. Ne ad vim illarum *Gregorius VII. Anselmus Lucensis* & alii nonnulli attenderent, ac earum pondere vincerentur, humani ingenii tenebræ, opinio præconcepta, *Henrici* flagitia, tyrannis, schisma, prohibuere. At earum tamen modestia & reverentia tranquillis temporibus a *Gregorio VII.* Pontifice alioqui Sanctissimo facile impetrassent. Id conjicere fas est ex ejus voluntate ad mansuetudinem erga Reges alias propensa, cujus specimen promicat in Epistola V. Libri IX. ad *Hugonem* Diensem Episcopum Sedis Apostolicæ Legatum, qui *Guillelmum* I. Angliæ Regem durius tractaverat. *Præfatum Regem* (inquit) *in talibus ulterius sine assensu nostro non exasperet. Videtur enim nobis multo melius atque facilius, lenitatis dulcedine, ac rationis ostensione, quam austeritate vel rigore Justitiæ illum Deo lucrari, & ad perpetuum Beati Petri amorem posse provocare.* Accedit, quod non tam proprio motu, quam Cardinalium quorumdam & Aulicorum impulsu *Henrici* Regis exauthorationem aggressus est, teste *Helmoldo* Presbytero in Chronico Sclavorum Lib. I. Cap. XXXIII. *Videntes* (inquit) *Cardinales, & ii qui de Curia sunt, quia præ timore Sedis Apostolicæ contremiscunt Potestates, & curvantur ii qui portant orbem, suggerunt Apostolico ut transferat Regnum ad alium virum, dicentes, Indignum esse ut talis regnet qui de publicis contactus est facinoribus.* Gravia vero mala *Gregorii* factum Ecclesiæ peperisse testatur. *Disputaverint*, inquit, *de his, qui fecerint, vel ausi fuerint. Unum dicere licet, quod Romana Ecclesia adhuc hodie luit factum illud.*

Gregorii VII. voluntas ad mansuetudinem erga Reges alias propensa.

Non tam proprio motu, quam aliorum impulsu, Henrici Regis exauthorationem aggressus est Gregorius VII.

Sane dicere non potuit *Gregorius VII.* de opinione, factoque suo, quod *S. Leo* ad *Theodoretum* scribebat de suis contra Eutychianam hæresim ad *Flavianum* Literis: *Quæ nostro prius Ministerio Dominus definierat, universæ Fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a Prima omnium Sede formatum, totius Christiani orbis Judicium recepisset.* Exceptis enim paucis Præsulibus, *Mathilde* Comitissa Religiosissima, aliisque devotis fœminis, quæ *Gregorii* partes contra *Henricum* sequebantur, & Saxonibus conjuratis, Christianus orbis reliquus *Gregorii VII.* Sententiam, quatenus Imperatorem exauthorabat, non solum de jure, sed etiam de facto nullam existimavit. Sed nec id ceu dogma fidei docuit aut credendum proposuit *Gregorius VII.* quod potestas exauthorandi Reges Romano Pontifici conveniat.

Gregorii septimi opinionem & factum Ecclesia universa non approbavit.

Nec ipse definivit, seu credendum proposuit Fidelibus, potestatem exauthorandi Reges Romano Pontifici competere.

Author Anonymus Apologiæ pro *Henrico*, seu Historiæ de ejus Vita, quam edidit *Urstitius* inter illustres Rerum Germanicarum Historicos: *Qua surreptione*, inquit, *delusus Apostolicus, simul & honore creandi Regis, quem sibi fallaciter obtulerant, impulsus, Regem Banno innodavit ... Absolvit omnes a Juramento, qui fidem Regi juraverant ... Quod factum multis displicuit, & asserebant, tam inefficaciter quam illicite factum, quod factum est.*

Itali, postquam *Henricum* anno 1077. *Gregorio* colla submisisse audierunt, & promisisse quod *Ad ejus Sententiam vel retineret Regnum, si objecta purgasset, vel æquo animo amitteret, si probatis criminibus, Regio deinceps honore indignus judicaretur: Interim vero nulla Regiæ Dignitatis Insignia sibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum administrationem juxta consuetudinem suo jure ageret:* Cum, inquam, *Henricum* Regem tam indecoras conditiones accepisse audiverunt, ipsos Lambertus Scafnaburgensis *fremuisse* refert, ac proclamasse, ipsum *fœdissima subjectione sua fidem plane Catholicam, authoritatem Ecclesiæ, dignitatem Reipublicæ prodidisse tantumque odium ei brevi conflarunt*, ut ipsum ad Majestatem tuendam contra Pontificis conatus cogerent.

Anonymus Historiæ Franciæ Scriptor Monachus Floriacensis in annum 1110. desinens, apud *Duchesnium* Tom. IV. non solum *Gregorii VII.* factum non approbat, sed nec a Gallicana Ecclesia, in qua scribebat, coævus *Gregorio VII.* & *Henrico IV.* approbatum fuisse satis innuit ita scribens: *Gregorius magna Synodo Romæ congregata, Henricum Imperatorem de quibusdam criminalibus ad se delatis accusabat. Imperator audiens se criminari, legitimam purgationem offert. Papa autem purgationem ejus negat se recepturum, sed eum [cum Imperio dignus non sit] Anathemate feriendum, nisi coronam Imperii deponeret. Quo nolente Imperium deponere, contra voluntatem totius pene Concilii, eum excommunicavit. Quæ res totum Ecclesiæ statum turbavit*, &c. Tria docet ille Author, I. *Henricum* Imperatorem sæpius accusatum, legitimam semper purgationem & satisfactionem obtulisse, quam Papa repulerit. Secundo, a Papa contra totius pene Concilii voluntatem excommunicatum fuisse. Tertio, excommunicatione illa totum Ecclesiæ statum turbatum fuisse. At si *universæ Fraternitatis assensu*, sive *totius orbis Christiani Judicio* recepta ac firmata fuisset *Gregorii VII.* in *Henricum IV.* Sententia, & nova ejus de Ecclesiæ potestate in temporalia Regum opinio, totus Ecclesiæ status propterea turbatus non fuisset.

Præterea *Henricum IV.* insuperhabita *Gregorii VII.* Sententia, in toto orbe Christiano pro Imperatore agnitum habitumque fuisse, colligitur ex omnibus Authoribus qui de bello sacro scripsere. Hi nempe ipsum, etsi *Gregorii* Papæ Sententia confossum, semper *Imperatorem* appellant aut Regem: quod minime ipsos facturos, si Sententiam illam ratam fuisse existimassent, vel unum Cardinalis *Baronii* exemplum probat. Illos Authores appellare, & eorum loca indicare satis erit, scilicet *Anonymum* & *Falcherium*, *ad annum* 1095. *Albertum Aquensem*, lib. I. cap. VII. *Guibertum Novigentinum* Abbatem lib. III. cap. II. *Guillelmum Tyrium* lib. I. cap 13. & 14. lib. 8. cap. 24. lib. 9. cap. 8. Quo postremo loco ita scribit: *Saxonum populus, inter Germanicas nationes ferocissimus, Romani Imperii juga ferre detrectans, & liberioribus habenis, excussa disciplina regulæ vagari cupiens, a Domino Imperatore Henrico defecerat: inque sua adeo erat obstinatus protervia, ut contra prædictum*

Au-

Augustum, Regem sibi crearent, quemdam Comitem Rudolphum nomine.... Hac injuria permotus Imperator, universos Imperii Principes ad se generaliter fecit evocari.... Illi vero omnes Imperii gloriam amulantes, certatim seipsos exponunt.... Ex condicto igitur & Domini Imperatoris mandato, ad locum destinatum, die præfixa, infinita millia secum trahentes, adsunt de universis Imperii finibus tam Ecclesiastici, quam cæteri Principes, Saxonum regionem violenter ingressuri, & exacturi de tantis injuriis vindictam... Dux Godefridus, cum Aquila præcedens Imperatorem, versus aciem, cui præerat Pseudo-Rex Rodulphus, contendens illam aciem, cui præerat Imperator, direxit. Si *Henricus a Gregorio VII.* excommunicatus & exauthoratus, Rex & Imperator fuit: Si *Rodulfus* ab eodem Pontifice Rex confirmatus *Pseudo-Rex* habitus est, exauthorationis Sententiam a *Gregorio* latam, non solum de jure, sed etiam de facto, nullam & irritam fuisse, recte ex *Guillelmo* Tyriensi Archipræsule colligitur.

III. *Desiderius* Cassinensis Abbas, quem Successorem optavit, habuitque *Gregorius VII. Henrici* iterato anathemate confixi Literis accersitus anno 1083. ipsi respondit, *Pro salutatione debitum fidelitatis obsequium in fronte Epistola scribens*. Oranti Henrico: *Ut de acquirenda Imperii corona ipse sibi fautor existeret, facturum se pro viribus promisit.... Accepto ab Imperatore Præcepto aurea munito Bulla, de possessione totius Monasterii, petita remeandi licentia, ad filios suos tandem atque ad Monasterium rediit.* Ita refert *Leo Ostiensis* in Chronico Cassinensi, lib. 3. cap. 49. At si omni juramenti vinculo se, ac cæteros Imperatoris subditos, solutos existimasset *Desiderius* Abbas, nullum ipsi *fidelitatis obsequium* præstitisset. Præcepta de Monasterii possessione ab ipso non postulasset, siquidem omni præcipiendi jure illum carere agnovisset. Cum igitur Imperatorem constanter coluerit, *debitum fidelitatis obsequium* ipsi voverit, ab eo *Præceptum* seu Privilegium *de Monasterii possessione* impetraverit, exauthorationem, a *Gregorio VII.* factam, *cui cuncta Literis suis significavit, & quid sibi esset agendum, ut moneret oravit*, ipsomet *Gregorio* consentiente, vel dissimulante, nullam & irritam censuit. Atque eadem fuit Cassinensium omnium Monachorum sententia.

IV. *Otto* Bambergensis Episcopus Investituram ab *Henrico* Imperatore acceptam in manibus *Paschalis II.* abjurans, datis ad ejus Sanctitatem Literis, eumdem *Henricum* Dominum suum & Imperatorem appellat anno 1102. *In obsequio*, inquit, *Domini Imperatoris per aliquot annos degens, & gratiam in ejus oculis inveniens, susceptam habens in manu Regia investituram, semel & iterum cum dare vellet, renui Episcopatum; nunc vero jam tertio in Bambergensi Episcopatu me ordinavit: In quo tamen minime permanebo, nisi vestra placeat Sanctitati per vos me investire & consecrare.* Paschalis Ottonem sua communione, benevolentia, literis dignatus est, ipsum non reprehendit quod *Henricum a Gregorio VII.* exauthoratum, & a se novo anathemate percussum, ceu Imperatorem coleret; non postulavit ut ejus Imperium excuteret, ut ipsi parere desineret: satis habuit quod Sedem Apostolicam, seque legitimum Pontificem veneraretur, & acceptam ab Imperatore Investituram ejuraret. Itaque non solum *Otto*, sed *Paschalis* ipse, Sententiam exauthorationis a *Gregorio VII.* in *Henricum* latam, nullam & irritam esse ac semper fuisse censebant. *Ottonis* Epistolam & *Paschalis* Responsum, in ejus Actis legere est apud *Canisium* Tom. II. *Antiquæ Lectionis*.

V. *Sugerius* Abbas in Vita *Ludovici VI. de Henrico IV* ita scribit: *Henricus Imperator, vir affectus paterni, & totius humanitatis expers, genitorem Henricum crudelissime persecutus, exheredavit; & [ut ferebatur] nequissima captione tenens, inimicorum verberibus & injuriis, ut Insignia Regalia redderet, nec aliquid in toto Regno proprium retineret, invitissime coegit.* Si exauthorationem *Henrici* Imperatoris a *Gregorio septimo* factam *Sugerius* Abbas justam existimasset, & vim aliquam habuisset, non scripsisset *Henricum* Seniorem fuisse a filio exheredatum, sed a violenta Regni usurpatione depulsum: nec injuria coactum dixisset ut Insignia Regalia redderet, quæ injuria potius retinere dicendus erat, si juste fuisset exauthoratus. Itaque *Sugerius* Abbas Sententiam exauthorationis in *Henricum* a *Gregorio VII.* latam, injustam ac irritam existimavit: idemque fuisse omnium Galliæ Præsulum de hoc *Gregorii* facto Judicium verisimile est.

VI. In Galliis & Germania communem non fuisse opinionem quod Romanus Pontifex Imperatorem exauthorare, ejusque subditos a juramento fidelitatis absolvere posset; adeoque *Gregorii VII.* Sententiam, qua eos Imperatoris exauthorationem decernebat, & subditos juramenti vinculo, quo ejus Majestati erant obstricti, solvebat, nullam & irritam habitam fuisse, ex eo colligitur, quod *Herimannus* Metensis Episcopus a *Gregorio* postulaverit doceri, quomodo nova illa & inaudita authoritas quam sibi tribuebat, adversus eos, qui ipsam negabant, probari posset. *Quod autem postulasti* (inquit *Gregorius* Epist. 21. lib. 8.) *te quasi nostris scriptis juvari ac præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt, authoritatem Sancta & Apostolica Sedis non potuisse Regem Henricum..... excommunicare, nec quemquam a Sacramento fidelitatis ejus absolvere, non adeo necessarium nobis videtur*, &c. Potestatem excommunicandi Principes sceleribus obstrictos nullus tunc negabat: id negabant unum Germaniæ & Galliæ præsules ac viri eruditi, abstinendis suo merito Principibus Regiam potestatem tolli posse, & subditos a juramento fidelitatis absolvi.

VII. Quodnam fuerit orbis Christiani Judicium de sua in *Henricum* Imperatorem exauthorationis Sententia, testatur ipse *Gregorius VII.* Epistola 3. Libri 7. ad Germanos scripta: *Quotquot*, inquit, *Latini sunt, omnes causam Henrici, præter admodum paucos, laudant ac defendunt, & per nimia duritia ac impietatis circa eum me redarguunt.*

VIII. *Rodulphus* ipse ex Suevorum Duce a Saxonibus aliisque conjuratis ad Regnum evectus cum infœliciter ad Elstram dimicasset, vulneratus in manu dextera, mortique proximus, ad familiares suos dixit: *Videtis manum dexteram meam de vulnere sauciam. Hac ego juravi Domino Henrico ut non nocerem ei, nec insidiarer gloria ejus; sed jussio Apostolica Pontificumque petitio me ad id deduxit, ut juramenti transgressor honorem mihi indebitum usurparem. Quis igitur nos finis exceperit, videtis, quia in manu unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ii qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerint; ne forte deducti simus in præcipitium æternæ damnationis.* Ita refert *Helmoldus* Chronici Sclavorum lib. 1. cap. 29. Agnovit itaque *Rodulfus*, *Henrici IV.* æmulus, ejus exauthorationem a *Gregorio VII.* factam nullam esse, ac Regnum a Saxonibus sibi inique delatum a Pontifice injuria confirmatum, seque defectionis pœnas, vindice Deo, luere.

Non ignoro *Brunonem* in lib. de Bello Saxonico scribere, forti animo occubuisse *Rodulfum*, cumque suos victores esse cognovisset, dixisse: *Nunc lætus patior vivus & moriens, quidquid voluerit Dominus*: ut illos, quos de sua morte videbat dolentes, consolaretur: seque ex hoc vulnere non moriturum fidenter pollicitum fuisse. Sed præterquam quod *Bruno* Saxonicus *Rodulphi* partibus devotus erat, cum *Helmoldo* conciliari potest. Fieri enim potuit ut initio de victoria lætus ac bene de vita sperans, has fiduciæ plenas voces emiserit, sanitate desperata, perduellionis suæ horrore perculsus, indebitum a se honorem usurpatum fuerit confessus, & Romani Pontificis jussione ac Episcoporum consilio ad id se instigatum dixerit: Romani (inquam) Pontificis jussione, qui ejus electionem confirmando, & coronam mittendo, animos ipsi ad umbratilem Majestatem pertinaciter tuendam addiderat, quamvis absque ejus consilio Germaniæ Rex electus fuisset a perduellibus.

IX. *Herimannus* post mortem *Rodulphi* Rex salutatus, Regium nomen & insignia se usurpasse agnovit; eaque deposuit, *Henrico* Imperatori cedens. De ipso Chronicon Hildensheimense hæc habet: *Anno 1082. Indictione 4. Herimannus Regnum invadit 1083. Indict. 5. Roma capta est ab Henrico Rege... Herimannus*

tumultu, *qui Regium invaserat*, *orientalem Franciam hostiliter ingreditur* ..... 1086. *Indict.* 8. *Saxones cum Suevis Wercebureh obsederunt*, *ad cujus liberationem Imperator cum magna manu venit* ... *Hermannus nomen Regium deponit*, *& ipse mox perit*. Idem habent Additiones ad *Lambertum Scafnaburgensem*.

X. Saxones perduelles inconstantia sua testati sunt *Henricum* Romanorum Pontificum fulminibus attritum legitimum Imperatorem esse. *Henricum* enim, *quem multoties abjuraverant*, *receperunt*, anno 1087. ut *Bertoldus* testatur. *Henricus*, *Rex defuncto Hermanno pacifice Saxoniam ingreditur* [inquit *Dodechinus* Abbas.]

XI. Anno 1102. ad *Waleramnum* Nevuburgensem Episcopum Epistolam de Azymo & Fermentato scripsit *S. Anselmus*, his verbis præfatus: *Scienti breviter loquor*, *si certus essem prudentiam vestram non favere Successori Julii Cæsaris*, *& Neronis*, *& Juliani Apostatæ* (Henrico) *contra Successorem & Vicarium Petri Apostoli* (Paschalem II.) *libentissime vos*, *ut amicissimum & reverendum Episcopum salutarem*. S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus tam agnoscebat *Henricum* Successorem Julii Cæsaris, & Neronis & Juliani Apostatæ in Imperio, quam agnoscebat *Paschalem II.* Successorem S. Petri in Pontificatu: quamvis Imperatorem non solum dignitatis, sed & impietatis ac furoris Neronis & Juliani heredem significaret, quatenus Schismate nefario Ecclesiam Christi lacerabat, ac legitimos Pontifices persequebatur. Atque id unum in *Waleramno* reprehendebat, quod *Henrico* faveret ut Schismatico, non ut Imperatori dumtaxat.

XII. Quid *Innocentius III.* doctissimus Pontifex de *Gregorii VII.* opinione senserit, colligi potest ex cap. *Per venerabilem*, *qui filii sint legitimi*, lib. 4. Decretalium, quo Regem Christianissimum nullum in terris Superiorem ac Judicem in temporalibus agnoscere profitetur. Idem vero Judicium de aliis Principibus supremis, & nullatenus Ecclesiæ fiduciariis ferendum est. *Insuper*, inquit, *cum Rex Superiorem in temporalibus minime recognoscat*, *sine juris alterius læsione in eo se jurisdictioni nostræ subjicere potuit*.

Expenditur S. Thomæ sententia de potestate Ecclesiæ in temporalia Regum.

XII. Sancto *Thomæ* Doctori Angelico perperam invidiosam hanc & erroneam opinionem nonnulli tribuunt post Cardinalem *Perronium* in Oratione ad 3. Regni ordinem. Profert Vir Illustrissimus & doctissimus Sancti Doctoris locum ex secunda secundæ, Quæst. X. Art. X. ubi ait, de Infidelium supra Fideles dominio disserens. *Potest tamen juste per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ Authoritatem Dei habentis*, *tale jus dominii vel prælationis tolli*: *quia Infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super Fideles*, *qui transferuntur in filios Dei*. *Sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit*, *quandoque autem non facit*. Profert alterum locum ex quæstionis 12. Articulo secundo, ubi ait: *Quam cito aliquis per Sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam a fide*, *ipso facto ejus subditi sunt absoluti a dominio ejus*, *& Juramento fidelitatis quo ei tenebantur*. Verum (ut alias probavi, neque hic repetere inutile erit aut fastidiosum, cum in paucorum manibus mea illa Epistola versetur) non is est *S. Thomæ* sensus, quem ipsi Cardinalis *Perronius*, & alii quidam affingunt. Obscurum esse hac in quæstione Doctoris Angelici mentem, viri alii eruditi sensere. *Joannes Barclajus*, in Examine Præfationis *Bellarmini*, sic ea de re Cardinalem alloquitur; *Tu ipse fateris*, *non facile posse sciri*, *quid de ista re senserit* (S. Thomas) *Ais enim lib. 5. de Romano Pontifice*, cap. 5. *De Sancto Thoma quid senserit*, *non est tam certum*. *Tunc refers eum videri directam potestatem astruere*, *quia in fine secundi sententiarum*, *dicit*, *in Papa esse apicem utriusque potestatis*; *videri etiam pro indirecta facere*, *quia in Secunda Secundæ quæst. XL. Art. II. dicit Prælatos posse disponere de bellis quatenus ordinatur ad bonum spirituale*. *Addo ego* (inquit Barclaius) *videri pro neutra facere*, *cum in primum ad Corinthios scribat*: *Apostolum nihil omnino jussisse contra subjectionem quæ debetur Principibus*, *quia hoc esset contra Jus Divinum*.

In Epist. ad P. Franciscum Mathæum *Ordin. Prædic. Theologum Parisiensem*, De novis Launoii contra Summam S. Thomæ objectiunculis.

Intelligendus est itaque *S. Thomas* (si tamen duo ejus loca a *Perronio* Cardinali laudata Principes æque spectent) de Principibus Infidelibus & Apostatis: quorum ditiones fiduciariæ sunt Ecclesiæ, vel Principibus Catholicis. Eos enim vel dominio privare potest Ecclesia, vel Catholicos Principes, quorum fiduciarii sunt spiritualibus pœnis adigere ad eos exauthorandos, si potestate sua in Religionis eversionem, & nominis Christiani persecutionem abutantur. Si vero supremi sint & Monarchæ, nullum jus ipsos abdicandi Principatu ac dominio tribuit Ecclesiæ *S. Thomas*: Quia jus Divinum Ecclesiastica Lege destrui non potest. Porro juris Divini esse censet ut supremis Principibus semper subsint ac pareant subditi in omnibus quæ divinæ legi non adversantur, nec ab eorum jurisdictione eximi numquam possint. Audienda ejus expositio in illa verba Capitis 6. Epistolæ 1. ad Corinthios, *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum*, *judicari apud iniquos*, *& non apud Sanctos?* In quæ ita scribit lectione 1. *Sed videtur esse contra id quod dicitur* 1. Petri 2. ,, Subditi estote ,, omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi ,, tamquam præcellenti, sive Ducibus tamquam ab ,, eo missis. *Pertinet enim ad Authoritatem Principis judicare de subditis*. *Est ergo contra Jus Divinum*, *prohibere quod ejus judicio non stetur*, *si sit infidelis*. *Sed dicendum*, *quod Apostolus non prohibet*, *quin fideles sub Infidelibus Principibus constituti*, *eorum Judicio compareant*, *si vocentur*: *Hoc enim esset contra subjectionem quæ debetur Principibus*: *Sed prohibet quod Fideles non eligant voluntarie Infidelium judicium*.

Neque huic obest explicationi primus locus ex secunda Secundæ quæst. X. Art. X. prolatus I. Quia de Principibus *S. Thomas* ibi non loquitur, sed de aliis dominis, quorum servos eximi posse docet a servitute, ut primum baptizati sunt, si ita statueret Ecclesia; sicut servi Judæorum jure Ecclesiastico a servitute liberantur ut primum Christiani fiunt. Hanc esse Doctoris Angelici mentem, constat ex Articuli contextu. ,, In illis, *inquit*, Infidelibus qui etiam ,, temporali subjectione subjiciuntur Ecclesiæ & membris ejus, hoc Jus Ecclesia statuit; Ut servus Judæorum, cum fuerit factus Christianus, statim a ,, servitute liberetur, nullo pretio dato, si fuerit vernaculus, id est, in servitute natus. Et similiter si ,, Infidelis existens emptus fuerit ad servitium. Si autem fuerit emptus ad mercationem, tenetur eum ,, infra tres menses exponere ad vendendum. Nec in ,, hoc injuriam facit Ecclesia: quia cum ipsi Judæi ,, sint servi Ecclesiæ, potest disponere de rebus eorum. Sicut etiam Principes sæculares multas leges ,, ediderunt circa suos subditos in favorem libertatis. ,, In illis vero Infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ ,, vel ejus membris non subjacent, prædictum Jus ,, Ecclesia non statuit, licet posset statuere de jure: ,, & hoc facit ad scandalum vitandum. Sicut etiam ,, Dominus Matthæi 17. ostendit, quod poterat se a ,, tributo excusare, quia liberi sunt filii; sed tamen ,, mandavit tributum solvi, ad scandalum vitandum. ,, Ita etiam & Paulus cum dixisset, quod servi dominos suos honorarent, subjungit, Ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur.

Cap. 1. & 2. Extra, De Judæis & Saracenis.

Secundo, cum ait S. Thomas *Prædictum Jus Ecclesia non statuit*, *licet posset instituere de jure*: Non affirmat diserte Ecclesiam id posse, cum id facere non possit, quod gravissimi scandali præbet occasionem; neque esse in causa ut nomen Domini & doctrina blasphemetur, quod ex hujusmodi statuto consequens fore Doctor Angelicus affirmat: sed ex hypothesi & figura quadam concessionis argumentum informat. Id est, Etiamsi jus illud instituere posset Ecclesia (quod tamen non potest) id non fecit, *Propter vitandum scandalum*, *& ne nomen Domini & doctrina blasphemetur*; quod Jure Divino cavere tenetur.

Tertio *S. Thomas* dominium præexistens Infidelium super Fideles solvi negat ex eo quod subditi Christianis Sacris initientur: *Quia dominium & prælatio introducta sunt ex jure humano*. *Distinctio autem Fidelium & infidelium est ex jure divino*. *Jus autem divinum*, *quod est ex gratia*, *non tollit jus humanum*, *quod est ex naturali ratione*. *Ideo distinctio fidelium & infidelium secundum se considerata*, *non tollit dominium & prælationem infidelium supra fideles*. Quod autem subdit. *Posse per sen-*

sententiam Ecclesiæ tale jus dominii tolli, de illis intelligitur Infidelibus, *qui etiam temporali subjectione subjiciuntur Ecclesiæ & membris ejus*: ut ipse exponit, non de aliis. Cum enim ad Sententiam ferendam necesse sit ut is subditus sit in quem fertur, is superior qui ferendi authoritatem sibi sumit; alioquin usurpata authoritas est, ac per se irritum Judicium: Et in Infideles *qui etiam temporali subjectione non subjiciuntur Ecclesiæ*, nullam habeat illa temporalem authoritatem; alioquin authoritatem haberet in illos qui sibi non sunt subjecti, quod pugnat in terminis: sequitur evidenter quod in illos Infideles Sententiam ferre non possit; qua ipsos dominiis suis ac rebus temporalibus exuat. Propterea cum sibi objecisset *S. Thomas* Christianos aliquos fuisse de *Neronis* familia, secundum illud Apostoli ad Philippenses 4. *Salutant vos omnes Sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt*: Respondet, *Quod illa prælatio Cæsaris præexistebat distinctioni Fidelium ab infidelibus. Unde non solvebatur per conversionem aliquorum ad fidem, & utile erat quod aliqui Fideles locum in familia Imperatoris haberent, ad defendendum alios Fideles*. Quamquam non ejusdem Juris sit ut quis de Principis domo sit, & in ejus Aula militet, ac ut ejus sit subditus: Jure enim divino subditus est, eique fidelitatem debet, honorem, tributa, vectigalia, obedientiam in iis omnibus quæ contra Deum & Religionem non sunt, nec humana potestas ulla vinculum illud ab ipso Numine adstrictum solvere potest: sed quod in Aula Principis versetur, ac inter ejus domesticos sit adscriptos, humani juris est; idque prohibere posset Ecclesia: nisi Principi aut Reipublicæ omnino necessaria essent domestica Christianorum hominum obsequia ac ministeria, & qua pollet in ipsos authoritate, juberet ut in Aula manerent, sibique salva religione ministrarent: Dominium vero vel prælationem Infidelium super Fideles de novo institui, ipsis conniventibus, aut (quod deterius est) procurantibus Christianis, jure prohibet Ecclesia, ut docet S Thomas: *Cederet enim hoc in scandalum & in periculum fidei. De facili enim illi qui subjiciuntur aliorum Jurisdictioni, immutari possunt ab eis quibus subsunt, ut sequantur illorum imperium, nisi illi qui subsunt, fuerint magnæ virtutis. Et similiter Infideles contemnunt fidem, si Fidelium defectus cognoscant. Et ideo Apostolus prohibuit ut Fideles non contendant judicio coram Judice infideli. Et ideo nullo modo permittit Ecclesia, quod Infideles acquirant dominium super Fideles, vel qualitercumque eis præficiantur in aliquo Officio*.

Neque etiam huic doctrinæ incommodat locus alter a *Perronio* Cardinali prolatus ex Articulo 11. Quæstionis 12. De fiduciariis namque Ecclesiæ Principibus explicari commode potest, in quos non solum spiritualem, sed temporalem authoritatem habet: ac proinde non solum illos excommunicare potest, si a Christiana & Catholica Religione deficiant, sed etiam illorum subditos ab eorum *dominio & Juramento Fidelitatis*, quo illis tenebantur, absolvere. Præterea, duplex esse dominium nemo nescit, simplex unum, mixtum alterum. Simplex dicimus, quod res mere temporales spectat; quod legum ad quietem & tranquillitatem Reipublicæ ferendarum potestatem involvit, quod tributorum & vectigalium imponendorum, conscribendi exercitus, coercendi subditos, puniendi maleficos, &c. jus & authoritatem complectitur. Quo jure Principum supremorum neminem, quamvis excommunicatum, quamvis a Christiana & Catholica Religione Apostatam, quamvis Ethnicum, quamvis Tyrannum & Christiani Persecutorem nominis, privare Ecclesia potest: Neque vero hanc ipsi tribuit authoritatem *S. Thomas*. Dominium mixtum vocamus, quo Principes Christiani & Catholici rebus etiam Ecclesiasticis protectionis titulo moderantur, & exterioris in Ecclesia Politiæ curam gerunt, Leges ferunt de Episcopis, Clericis, & Monachis; Concilia Nationalia convocant, Œcumenicis per Legatos intersunt, aut sua ipsi præsentia sacros illos Conventus cohonestant; ad Ecclesiastica Beneficia nominant, quædam etiam conferunt, aliquibus in Regnis executioni Canonum invigilant, eam promovent, in eorum violatores civiles etiam pœnas decernunt. Jus illud mixtum *Constantinus Magnus* spectabat, cum ad Episcopos diceret: *Vos quidem in iis quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis: Ego vero in iis quæ extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus*. Propterea & *Eusebius Cæsariensis* de illo scribit: *Verum Ecclesiæ Dei præcipue curam gerens, cum per diversas Provincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium Episcopus a Deo constitutus, Ministrorum Dei Concilia congregavit. Nec dedignatus adesse & considere in medio illorum Conventu, cognitionis particeps fuit; ea quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans*. Hoc porro jure Ecclesia Principem Apostatam privare, & privatum declarare potest merito infidelitatis. Nec aliud intendit *S. Thomas* cum ait: *Quam cito aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti a dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur*: In iis scilicet quæ politiam exteriorem Ecclesiæ, mixtique dominii jura spectant, non in rebus mere civilibus, & simplicis jura dominii spectantibus. Sicut, secundum hodiernam etiam Ecclesiæ Disciplinam, Jure Patronatus excidunt viri nobiles, quibus id competit, si Hæretici fiant; vel in iis potius suspenditur jus illud & potestas nominandi ad Ecclesiastica Beneficia: cæteris vero feudorum juribus mere temporalibus non privantur nec privari vel indirecte possunt. Alioqui non solus Pontifex Romanus, sed quilibet ruris Curatus, villæ suæ pagique Dominum feudis suis, ac terris privare posset, si Paschalem Communionem prætermittat, immo si tribus Dominicis continuis, absque legitima excusatione, a Missa Parochiali absit, quibus in casibus eum, ut Parochianos cæteros, excommunicatum denuntiat. Quo quid absurdius ac ineptius excogitari potest?

Apud Euseb. lib. 4. De Vita Constantini, cap. 24. Et lib. 1. c. 14. Vers. Valesii.

Majorem præ se ferre difficultatem videtur *S. Thomæ* ad objectionem primam Responsio. Objecerat sibi, Christianos Milites *Juliano Apostatæ* paruisse, & ad ejus nutum pugnasse, nequaquam prohibente Ecclesia. Respondet, *Quod illo tempore Ecclesia in sui novitate nondum habebat potestatem terrenos Principes compescendi, & ideo toleravit Fideles Juliano Apostatæ obedire in his, quæ non erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur*. Quibus verbis innuere videtur, non passuram Ecclesiam ut Fideles Imperatori Apostatæ obedirent, si majoribus viribus instructa fuisset.

Explicari tamen commode possunt verba supra laudata, eo sensu, quod Ecclesia terrenos Principes compescere facile non posset, Sententiam excommunicationis contra ipsos ubique promulgando, & omnibus inhibendo Christianis, ne cum Imperatore Apostata communicarent: quia persecutionem in Christianos atrociorem excitasset impius Princeps, si diris eum palam ac solemniter devovisset Ecclesia. Et ideo toleravit ut Fideles illi obedirent; quia id prohibere nec poterat, nec debebat; pacemque cum ipso, quantum in se erat, servavit, nec impotentem ejus animum vehementius exacerbaret, sicque majus periculum Religioni Christianæ crearetur. Nisi sic intelligatur *S. Thomas*, non video quis verborum illius sensus esse possit. Quam enim potestatem tunc Ecclesiæ defuisse significaret ad Principes Apostatas compescendos? An spiritualem? At eamdem habuit adolescens Ecclesia, quam adulta? An temporalem, quod minor esset Christianorum numerus, quam ut Principes armis coercere posset, ac ad officium revocare? Sed nec talem potestatem Ecclesiæ de jure usquam tribuit *S. Thomas*: & illam habebat de facto tempore *Juliani Apostatæ*. Plures enim in exercitibus Imperii conscripti erant Christiani Milites, quam Ethnici, ut constat ex *Theodoreto* lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 1. referente quod *Jovianus* post *Juliani* mortem ab exercitu creatus Imperator, dixerit: *Ego cum Christianus sim, talibus viris imperare non possum, nec Juliani exercitum regere, nefaria doctrinæ præceptis imbutum. Ejusmodi enim homines divina gratia destituti, facile ab hostibus capiuntur & ludibrio iisdem esse solent. His auditis, omnes uno consensu Milites hoc dixerunt: Ne dubites, Imperator, neve Imperium nostrum velut improbum refugias. Imperabis enim Christianis hominibus, & qui in via disciplinæ sunt educati: Nam qui inter nos ætate sunt provectiores, ipsum Constantinum doctorem* ha-

habuerunt. Qui autem illos proxime sequuntur, a Constantio instituti sunt. Hujus vero nuper mortui breve Imperii tempus fuit, nec satis idoneum ad labem in deceptorum hominum mentibus altius desigendam.

Idem constat ex *S. Gregorio Nazianzeno* Oratione III. quæ prima est adversus Julianum. *Usque adeo*, inquit, *majori cura animique studio & contentione in perniciem nostram incumbebat, ut Persicum bellum instar nugarum & ludi cujusdam haberet. Nec perspiciebat quod prioribus quidem persecutionibus idcirco parva perturbatio & convulsio sequebatur, quia nondum dogma nostrum ad multos propagatum erat. Sed in paucis adhuc hominibus veritas hærebat, splendoremque desiderabat. Nunc autem salutari doctrina longe lateque fusa, & apud nos præsertim dominante, Religionem Christianam immutare, atque in diversum movere conari, nihil aliud fuerit, quam Romanorum Imperium convellere, ac de rerum summa periclitari.*

Nec Militibus Christianis animi fortitudo, & zelus pro Christiana fide ardens, intrepidus, invictus deerat, ut aliquid audax in *Julianum* aggrederentur, si id per Religionem & Jus Divinum licuisset. Plurimi siquidem ex illis ab ipso decepti, cum thus die largitionis Imperatoriæ in ignem conjecissent, nec Christum negantes, nec de Idolis cogitantes; animadversa fraude, per forum eucurrerunt, atque in hæc verba exclamarunt: *Christiani, Christiani animo sumus: audiant omnes mortales, & ante omnes Deus, cui & vivimus, & moriemur. Fidem datam, Christe Salvator, non fregimus: Beatam Confessionem non abjuravimus. Si quid manus peccavit, mens certe minime secuta est. Imperatoris fraude circumventi, non auro sauciati sumus: impietatem exuimus, per cruorem purgamur.* Moxque ad Imperatorem convolantes, auro projecto exclamarunt: *Non dona accepimus, Imperator. sed morte damnati sumus. Non honoris causa vocati, sed ignominia notati sumus. Da hoc beneficium Militibus tuis; Christo nos macta atque obtrunca, cujus unius Imperio subjicimur. Ignem igni repende: pro cinere illo in cinerem nos redige. Alios auro dona, quod accepisse postea non pœniteat. Nobis satis superque est Christus, quem instar omnium habemus.* Ita refert *S. Gregorius Nazianzenus* loco supra laudato. Quæ cum ita sint, verisimile est *S. Thomam*, qui ejus Opera legerat, ejusque authoritatem & doctrinam commendaverat I. P. Quæst. LXI. Art. II. dicens: *Quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, præcipue propter sententiam Gregorii Nazianzeni, cujus tanta est in doctrina Christiana authoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasii documentis:* Verisimile (inquam) est *S. Thomam* non existimasse, potestatem de facto Ecclesiæ defuisse ad coercendum *Julianum Apostatam*, ipsum exuendo Imperio, & convertendo in ipsum exercitus; sed defuisse de jure. Unde una *Dei clementia, & lachrymis Christianorum, quæ multæ tam & a multis erant effusæ; cum solum hoc contra persecutorem haberent remedium*, Julianus coercitus est; superest itaque ut illo, quem dixi, sensu *S. Thomæ* verba intelligantur.

Neque vero colligi potest Angelicum Doctorem Summo Pontifici potestatem vel indirectam in temporalia supremorum Principum tribuisse, quia ipsum *Utriusque potestatis apicem tenere, scilicet spiritualis, & sæcularis*, scripsit in 11. Sententiarum Dist. 44. Quæst. II. Art. IV. in Resp. ad 4. objectionem. Palam enim est, ipsum utriusque potestatis apicem Romanis Pontificibus tribuisse in solis Ecclesiæ Romanæ ditionibus, sive in illis Provinciis, Civitatibus, Castris, quæ Regum Christianissimorum præsertim, seu aliorum etiam munificentia possident ut Domini temporales & Principes supremi. Qui hoc loco abusus est doctissimus Cardinalis *Bellarminus*, & qui post ipsum eodem inauspicato abutuntur, unam *S. Thomæ* voculam sunt aucupati, nec locum integrum satis expenderunt, in quo Sanctus Doctor potestatem utramque suis a Deo limitibus circumscriptam esse docet; nec sæcularem potestatem spirituali a Deo esse suppositam, nisi in his dumtaxat, quæ ad salutem animæ pertinent. *Ad quartum*, inquit, *dicendum quod potestas spiritualis & sæcularis utraque deducitur a potestate divina. Et ideo in tantum sæcularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita; scilicet in his quæ ad salutem animæ pertinent: Et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali, quam sæculari. In his autem quæ ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati sæculari quam spirituali; secundum illud Matthæi 22.* Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, *&c. Nisi forte potestati spirituali etiam sæcularis potestas conjungatur: Sicut in Papa, qui utriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis & sæcularis:* In ditione scilicet Ecclesiæ Romanæ temporali, quæ *Status Ecclesiastici* nomine vulgo exprimitur; in terris ejusdem Ecclesiæ fiduciariis: non vero in ditionibus Principum supremorum, quale est Regnum Galliæ, ditioque omnis Regi Christianissimo subdita. De *S. Thomæ* hac in controversia mente uberius & accuratius disserere operæ pretium existimavi, ne *Gregorii VII.* privatam opiniunculam, seu ipsius ut privati doctoris errorem secutus videatur: & quod ægre semper sim passus, tam periculosæ, tam falsæ, tam merito damnatæ *a* Sacra Facultate Parisiensi doctrinæ invidiam labemque in Doctorem Angelicum *a* nonnullis derivari.

Gregorii VII. sanctitas privatæ illius opinionis non probat veritatem.

XIII. *Gregorii VII.* Sanctitatem in Romano Martyrologio celebratam frustra quis opponeret, ut juste ipsum sententiam exauthorationis in *Henricum* Imperatorem tulisse probaret. Quis enim nescit eam esse humanæ infirmitatis conditionem, eas humanæ mentis tenebras ut ipsi viri sancti quandoque in errores impingant, & servato æquitatis affectu, zelo immodico abrepti, ab æquitatis tramite deflectant. *S. Petrus* in privata quadam opinatione sua erravit, in privatis actionibus lapsus est, impegit in leviora quædam vitia *conversationis, non prædicationis*. A *S. Paulo* merito reprehensus est, quod ad veritatem Evangelii non recte ambularet. *S. Ambrosius* ad *Theodosium* Imperatorem scribebat Epistola XXIX. Lib. V. *Novi te pium, clementem, mitem atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem, sed plerumque aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum Dei, sed non secundum scientiam.* Sanctitatem itaque *Gregorii VII.* colimus; at novam & singularem opinionem quam invexit de potestate Ecclesiæ in temporalia Regum, salva quæ ipsius dignitati, *ac* eximiis virtutibus atque miraculis debetur, reverentia, ut falsam, & Scripturæ Sacræ atque Traditioni dissentaneam, nec Ecclesiæ Judicio & assensu receptam, deserimus, rejicimus. Quod *Henricum* Imperatorem exauthoravit, bono animo ipsum fecisse, pie credimus. Rectam enim ipsius intentionem vitæ sanctitas, & patrata etiam post mortem miracula comprobant: sed more & consilio humano nihilominus erravit, *Ex Cathedra* non loquens, id est, ex *Ecclesiæ Romanæ omnium maximæ & antiquissimæ doctrina, & Traditione quam habet ab Apostolis, & quæ per successiones Episcoporum pervenit usque ad nos*, ut ait *S. Irenæus* lib. 3. adversus hæreses, cap. 3. nec ex doctrina etiam Ecclesiarum cæterarum, quibus cum Romana est, *Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem Sacramenti una Traditio: & quæ in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate, doctrinæ;* ut loquitur *Tertullianus*, lib. *De Præscriptionibus adversus hæreses*. Locum itaque hic habeat præclara illa *Vincentii Lirinensis* Regula: *Quidquid, quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit*, (ut plane sensit *B. Gregorius VII.* de potestate Romanorum Pontificum & Ecclesiæ in temporalia Regum) *id inter proprias, & occultas & privatas opiniunculas, a communis, publicæ & generalis sententiæ authoritate secretum sit*. Opinationem illam factumque S. Pontificis, *Nævum* fuisse dicimus *in candore sanctæ animæ, quem caritatis ubera contegebant;* ut de Rebaptizantium errore in *S. Cypriano* dixit *S. Augustinus;* Et quod de *S. Leone IX.* sese bellis contra Normannos immiscente scripsit *B. Petrus Damiani* ad *Oldericum* Firmanum Episcopum; de *Gregorio VII.* Sancto pariter Pontifice sibi potestatem deponendi Re-

ges tribuente, & depositionis Sententiam in *Henricum IV.* serene dicere liceat. „ Quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet Principatum, quia negavit; nec David idcirco Prophetiæ meretur oraculum, quia thorum alieni viri invasit, cum mala vel bona non pro meritis considerentur habentium, sed ea propriis debeant qualitatibus judicari? Numquid hoc legitur vel egisse, vel literis docuisse Gregorius qui tot rapinas ac violentias a Longobardorum eil feritate perpessus; Num Ambrosius bellum Arianis se, suamque Ecclesiam infestantibus intulit? Numquid in arma Sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum? . . . Inter Regnum & Sacerdotium propria cujusque distinguuntur officia, ut & Rex armis utatur sæculi, & Sacerdos accingatur gladio spiritus, qui est Verbum Dei. Hæc Petrus Damiani *Gregorio VII.* coævus, & ipse Sanctus.

Sancti Francisci Salesii Sententia de Pontificia & Regia potestate.

XIV. Recentioris ævi Sanctum Episcopum, sed antiquæ doctrinæ & traditionis interpretem & sectatorem *B. Petro Damiani* subjungo, *S. Franciscum Salesium*, Genevensium Antistitem, Epistola XLVIII. Lib. VII. in qua suam de Regia & Pontificia potestate Sententiam his verbis exprimit.

„ Les Rois & tous les Princes Souverains ont une Souveraineté temporelle, en laquelle le Pape ny l'Eglise ne prétendent rien, ny ne leur en demandent aucune sorte de reconnoissance temporelle: en sorte que le Pape est Tres Souverain Pasteur & Pere spirituel: Le Roy est Tres-Souverain Prince & Seigneur temporel. L'autorité de l'un n'est point contraire à l'autre; ainsi elles s'entreportent l'une, l'autre. Car le Pape & l'Eglise excommunient, & tiennent pour Heretiques ceux qui nient l'autorité souveraine des Rois: & les Rois frappent de leur épée ceux qui nient l'autorité du Pape & de l'Eglise; ou s'ils ne les frappent pas, c'est en attendant qu'ils s'amandent et s'humilient. *Quæ sic Latine redduntur*. Reges ac Supremi Principes supremam in temporalibus dominationem habent, in qua nec Romanus Pontifex, nec Ecclesia, aliquid penitus sibi tribuunt, nec ipsos propterea sibi obnoxios esse volunt. Adeo ut Pontifex sit Supremus Pastor & Pater spiritualis. Rex vero Supremus Princeps & Dominus temporalis. Unius authoritas alteri non adversatur, immo mutuam sibi ferunt opem. Pontifex enimvero & Ecclesia feriunt illos Anathemate, & ut hæreticos execrantur, qui Supremam Regum ac Principum authoritatem negant: Reges autem suo illos gladio feriunt, qui Romani Pontificis & Ecclesiæ impugnant authoritatem. Aut ideo illis parcunt, ut interim ad emendationem ac subjectionem adducantur. Et *Epistola* 50. Je n'ay pas même trouvé à mon goust certains Ecrits d'un Saint & trés excellent Prélat, dans les quels il a touché du pouvoir indirect du Pape sur les Princes. *Id est*. Nec mihi quidem placuere Scripta quædam Sancti & præstantissimi Præsulis, in quibus potestatem indirectam Romani Pontificis in Principes asseruit.

Sacræ Facultatis Parisiensis Declarationes & Censura.

Rata sit igitur ac firma declaratio Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, anno 1663. edita: „ Non est doctrina Facultatis, quod Summus Pontifex aliquam in temporalia Regis Christianissimi authoritatem habeat. Immo Facultas semper obstitit etiam iis, qui indirectam tantummodo, esse illam authoritatem voluerunt.

„ Est doctrina Facultatis ejusdem, quod Rex Christianissimus nullum omnino agnoscit, nec habet in temporalibus dominum præter Deum. Doctrina Facultatis est, quod subditi fidem & obedientiam Regi Christianissimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu dispensari possint.

Doctrinam hanc suam, immo Ecclesiæ, Verbo Dei, & SS. Patrum doctrinæ consonam, occasione data, Sacra Facultas semper propugnavit, & contra quosvis contrarium asserentes vindicavit. Quod ex ipsius Censuris & Doctrinali Judicio multiplici compertum est. Instar omnium sit Censura lata in Librum *Antonii Sanctarelli*, inscriptum *De Hæresi, Schismate, Apostasia, sollicitatione in Sacramento Pœnitentiæ, & de Potestate Summi Pontificis in his delictis puniendis*. Quo in libro, Tractatu *De Hæresi*, cap. 30. & 31. asserebat Author: *Summum Pontificem posse pœnis temporalibus punire Reges & Principes, eosque deponere, & suis Regnis privare ob crimen Hæresis; eorumque subditos ab illorum obedientia liberare, eamque semper in Ecclesia fuisse consuetudinem*. Et propter alias etiam causas; *ut pro delictis si expedit; si Principes sint negligentes, propter insufficientiam & inutilitatem suarum personarum*. Item *Pontificem jus & potestatem habere in spiritualia simul & omnia temporalia: & in eo esse de Jure Divino utramque potestatem, spiritualem & temporalem: Credendum esse, Ecclesiæ Summoque ejus Pastori concessam esse facultatem puniendi pœnis temporalibus* (Principes) *transgressores Legum Divinarum & humanarum, præsertim si crimen fuerit hæresis*. Verba etiam Christi, *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* non tantum de potestate spirituali, sed etiam de temporali explicabat. Sacra porro Facultas anno Domini 1626. die 1. Aprilis, in solemnibus Comitiis, post Missam de Spiritu Sancto audita relatione Magistrorum ad examen istius libri selectorum, auditis omnium & singulorum Doctorum maturis deliberationibus, improbavit & damnavit doctrinam his propositionibus contentam, *Tamquam novam, falsam, erroneam, Verbo Dei contrariam, Pontificiæ Dignitati odium conciliantem, schismati occasionem præbentem, supremæ Regum Authoritati a Deo solo dependenti derogantem, Principum infidelium & hæreticorum conversionem impedientem, pacis publicæ perturbativam, Regnorum, Statuum, Rerumque publicarum eversivam, subditos ab obedientia & subjectione revocantem, & ad factiones, rebelliones, seditiones, & Principum parricidia excitantem*.

Eamdem Censuram renovavit Sacra Facultas diebus 4. Novembris, 1. & 7. Decembris anni 1682. easdemque notas inussit Titulo, quem F. Franciscus *Malagola* Prædicator Italus, quibusdam Thesium suarum, pro Majore Ordinaria, clanculum apposuerat: In quo utriusque potestatis Ecclesiasticæ & sæcularis apicem S. Petro & ejus Successoribus Romanis Pontificibus tribuebat his verbis: *Dei Vicario, &c. Omnia liganti & solventi super terram & in cælis, id est, tenenti apicem utriusque potestatis*. Ipsum vero Baccalaureum, qui doctrinam hanc in *Sanctarello* proscriptam rursus excitare molitus est, a suis Fratribus Prædicatoribus Majoris Conventus & Collegii Parisiensis prædamnatum, & ad Aulam simul ac Facultatem delatum (Ut illorum erga veritatem sinceramque doctrinam studium, & debita Regi Christianissimo fides ac observantia, quibus, Deo dante, deerunt nusquam, postulabant) eadem Sacra Facultas ut *infracti Sacramenti ream, contumeliosam in Regiam Majestatem, Facultatis & Decretorum ab illa sancitorum contemptorem*, ab Ordine Theologico penitus proscripsit, & e Baccalaureorum suorum albo expunxit: Censuramque in ipsum latam, cum Censura *Sanctarelli* publici juris fieri decrevit: Harum vero Censurarum doctrinæ, non atramento solum, sed toto profuso sanguine, si opus esset, subscriberemus: Qua semel in controversiam vocata, de concordia Sacerdotii & Imperii, qua nihil antiquius Catholicis esse debet: de Regiæ Majestatis honore ac Juribus a Deo ipsi collatis, quibus nihil augustius; de pace Regnorum & publica tranquillitate, qua nihil optabilius, prorsus actum esse compertum est.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 351. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Nullius sunt ponderis argumenta, quibus novam illam ac singularem opinionem suam de potestate exauthorandi Reges Romano Pontifici & Ecclesiæ a se attributa probare nititur Gregorius VII. in Ep. ad Erimannum*.

R. Hæc est omnium Galliæ Theologorum concors sententia; unus pro cæteris loquatur *Franciscus Fer.* Doctor Sacræ Facultatis Parisiensis, & parochiæ SS. Gervasii & Protasii in hac Regia Urbe Rector dignissimus, in Tractatu *De Legibus* nuper edito, Quæst. IV. Art. IV. pag. 148. *Cum*, inquit, Herimannus „ sive Hermannus Metensis Episcopus, natione Saxo, & Rodulpho addictus ad Gregorium VII. scripsisset

„ puisset, non sibi suppetere monumenta, neque ex sacris Codicibus, neque ex antiquis Patribus accepta, quibus Pontificiam posses propugnare sententiam, quamvis & ipsi patrocinaretur; ideoque rogasset argumenta, quibus eam sententiam licet sibi ignotam defenderet, & a se novitatis illius amoveret invidiam: nullam tamen Gregorius reddere potuit hujus sententiæ rationem; nec ipsam laudandam esse Romanarum Synodorum authoritatem existimavit Epist. XX. Libri VII.... Verum ut Hermanni vota expleret, a Theologis Romanis viris admodum eruditis, quos per quatuor aut quinque annos huic adhibuerat studio, recens excogitatas argumentationes scripsit. Attamen nulla tum e veteri Ecclesiæ, tum e Romanæ Ecclesiæ scriniis repeti potuerant monumenta, quibus sententiam tueretur; nihilque quod hac in parte faveret, Sedis Apostolicæ traditio referebat ... . Cæterum ligandi potestas S. Petro data quidem fuit a Christo ut ajebat Gregorius; sed quis propterea Veterum inde collegit eum Gregorio Regum abdicandorum potestatem? Ex unanimi sane Patrum consensione Principes Ecclesiasticæ solicitudini demandati sunt cæterarum instar ovium; sed an ideo bonis suis oves ab Ecclesia spoliari possunt? Quis antiquorum ita cogitavit? Quis ex illis dixit tamquam in eo positum esse Pastoris officium? Nullus profecto. Ne vero Scripturæ Propheticæ & Novi Testamenti testimonia congeramus in re minime obscura, Gregorius ipse Pastoris officium longe alia ratione definit: *Pastorale officium* (inquit Epist. ad Suenium Danorum Regem) *in dilectione Dei & proximi, quasi in fundamento constat*, Nihil autem a proximi dilectione magis alienum, nihil ad destruendam orbis tranquillitatem magis est idoneum, quam oves lana sua spoliare, quamque Principibus auferre ditiones. Utinam ergo tanti nominis Pontifici per otium licuisset, quæ quatuor vel amplius annorum labore illi Theologi congesserant, expendere! Aliam sane cum Antiquis consecutionem ex illis Christi verbis collegisset.... *Et pag.* 150. Quam ergo fuisset optabile, ut tanti nominis Pontifex potuisset Monumentorum illorum veritatem & pondus perpendere! Ab eo sane didicissent Theologi Romani, ad comparanda sibi jura, quæ divinitus collata non fuerunt, humanis fictionibus Ecclesiam non egere; tantæque amplitudinis esse Ecclesiæ collatam a Deo potestatem, ut hoc unum in votis esse debeat, fideles nimirum & prudentes sint illius Authoritatis Administri. Hæc vir doctissimus, cui nemo est in Sacra Facultate Parisiensis Doctor, qui hac in re non consentiat.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 386. Edit. primæ, Religiosi Censores velut meam Propositionem notant: *Potest Parochus Parochianos excommunicare, si tribus Dominicis continuis, absque legitima excusatione, a Missa Parochiali absuerint.*

R. Parochum excommunicare posse Parochianos non scripsi, ut mihi affingitur, sed *Excommunicatos denuntiare, qui tribus Dominicis continuis, absque legitima excusatione, a Missa Parochiali absuerint.* Excommunicationis sententiam ferre possunt Summus Pontifex, ejusque Legati, Episcopi, & Prælati Authoritatem quasi Episcopalem habentes: at Excommunicationem ab Episcopis latam Parochi denuntiant juxta Ritualium præscriptum. Hæc Ecclesiæ Gallicanæ Disciplina, Synodorum Provincialium Constitutionibus & Diœcesanarum Decretis; nec-non Cleri Gallicani in Comitiis generalibus congregati statutis confirmata.

SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum, pag. 391. hanc notam appinxerunt Religiosi Censores: *De Beato Petro male loquitur.*

R. Scripsi S. *Petrum in privata quadam opinatione sua errasse, in privatis actionibus lapsum, impegisse in leviora quadam vitia conversationis, non prædicationis: a Sancto Paulo merito reprehensum, quod ad veritatem Evangelii non recte ambularet.* Hæc tantum eo loci. Hoc est male loqui de S. Petro, judicio RR. Censorum, quamvis ista locutus sit S. Paulus Epistolæ ad *Galatas* cap. II. quamvis ista locuti sint Tertullianus, SS. Cyprianus, Augustinus, Gregorius, Thomas, ipse Cardinalis Bellarminus lib. I. *De Romano Pontifice*, Cap. XXVIII. & lib. IV. cap. VIII.

Nota.

Quod alibi adnotandum destinaveram, non abs re hic non prætereundum. Quidam apertissimi hostes infallibilitatis Pontificis definientis, inter quos adnumerandus Gilbertus de Choyseul Episcopus Tornacensis in epistola ad Martinum Steyaertium, ita aberrasse S. Petrum contendunt, ut vere in fide defecerit, quamvis, *materialiter*, in re nempe nondum satis ab Ecclesia explorata. Verum audiamus ab eodem Paulo Apostolo *ad Galat.* 2. 12. qualis fuerit error D. Petri: *Priusquam*, inquit, *venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant.*

Primo ergo non desunt, qui Petrum ab omni noxa immunem judicent. Et quidem ipsius culpa, si peccavit, in eo ponenda, quod metu Judæorum Gentilium consortium declinaverit, antequam in Concilio Jerosolymitano definitum fuisset non esse legem Moysis observandam. Sed non ne ab ejusdem legis observantia etiam D. Paulus abstinendum putavit propter metum Judæorum? Sane ob hanc causam Timotheum *assumens, circumcidit eum propter Judæos, qui erant in illis locis*, ut dicitur *Act.* 16. 13. Cum pariter audissent Judæi Paulum docere legem Moysis non esse servandam, ne male ab eis haberetur, in Templo ex Jacobi consilio se purificavit, sicut narratur *Act.* 23. 23. Cum vero multo magis Gentiles, qui Lystris erant, ex Timothei Circumcisione, & qui Jerosolymis ex purificatione Pauli, necessariam esse legalium observantiam, etiam post susceptam Christianam Religionem possent judicare, quam ex Petri recessu a Gentium familiaritate; si præfata innoxie præstitit Paulus etiam post definitionem Concilii Jerosolymitani, & excusandus a culpa non paucis videtur Sanctus Petrus.

Sed ultro concedendo non posse ab omni culpa excusari, vel imprudenter se gessisse, unde redarguendum putaverit S. Paulus; sane non peccavit, quia judicaverit necessariam ad salutem legalium observantiam, quo in casu a Fide defecisset. Si ita de legalium observantia judicasset, ab edendo cum Gentilibus, vetante Lege cum iisdem talem conversationem, antea abstinuisset. Reprehensione ergo dignus Paulo visus fuit, non quia mortua legalia ad salutem necessaria credidisset, sed quia, cum propter legis nondum mortiferæ observantiam a Gentilium mensa seipsum subduxisset, occasionem ipsis præbebat judicandi abstinentiam a cibis legalibus ad salutem fore necessariam; etenim sicut jam fecerat, cum ipsis non convescendo, factum suum retractare videbatur.

S. Petrum communiter ab errore SS. PP. vindicarunt, quorum primus Tertullianus *de Præscrip. cap.* 23. hæc habet: *Si reprehensus est Petrus quod cum convixisset Ethnicis, postea se a convictu eorum separabat personarum respectu; utique conversationis fuit vitium, non prædicationis.* S. Augustinus, qui reprehensibilem Petrum tam constanter asseruit, infidelem fuisse utique negavit: *Neque enim*, ait epist. 19. ad S. Hieron. *negamus in hac sententia fuisse jam Petrum, qua & Paulus fuit. Non itaque tunc eum, quid in ea re verum esset, docebat: sed ejus simulationem, qua Gentes judaizare cogebantur, arguebat, non ob aliud, nisi quia sic omnia illa simulatorie gerebantur, tamquam verum esset, quod illi dicebant, qui sine circumcisione præputii, atque aliis observationibus, quæ erant umbra futurorum, putabant credentes salvos esse non posse.* Et lib. de Corrept. & Grat. cap. 8. numquam Fidem Petri defecisse agnoscit dicendo: *An audebis dicere etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri,*

defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset; hoc est, si usque in finem perseverare noluisset: quasi Petrus aliud alia modo vellet, quam pro illo Christus rogasset, ut vellet. Hanc fuisse Augustini mentem, ut Petrus a Fide oppido non aberraverit, agnovit etiam S. Hieronymus: nam epist. quæ inter Augustini epistolas est 75. ita illum alloquitur: *Totius sermonis tui, quem disputatione legitima protraxisti, hic sensus est, ut Petrus non erravit in eo, quod hi, qui ex Judæis crediderant, putaverit legem esse servandam, sed in eo a recta linea deviaverit, quod Gentes coegerit judaizare; coegeris autem non docentis imperio, sed conversationis exemplo.* Potuit ergo S. Pontifex Leo IX. epist. ad Michael. Episcop. Constantinop. Sedem Petri semper ab errore immunem fuisse, & futuram pronunciare, dum ita scripsit: *Ego autem rogavi &c. erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliqua vacuam putare? Nonne a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per suos Successores convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, neque in finem deficiet, sunt confirmata?*

Demum etsi in Fide S. Petrus defecisset, quid propterea contra infallibiles Pontificis definitiones inferre liceret? Definivit fortasse S. Petrus sine legalium observantia salutem esse non posse? At Pontificiæ infallibilitatis Assertores hoc privilegium in Pontifice agnoscunt, dum ex Cathedra definivit.

ARTICULUS XI.

Henricus Gregorii VII. & Romanæ Synodi Sententia, exauthoratus, inita de illius depositione in Conventiculis Ultrajectino & Magantino consilia, in Brixiensi Conciliabulo impie mandat executioni, Guibertum Ravennatem in Sedem Apostolicam intrudens.

Ultrajectinum Conciliabulum. Ultrajectum, vulga Utrecht ad Rem veterem alveum, urbs Belgicæ secundæ, & cognominis Provinciæ Metropolis.

TAntum abest ut *Gregorii VII.* Sententia impium Regem ad pœnitentiam adduxerit, ut potius hoc fulmine percussus, in Schisma præcipitaverit, omnibusque studiis vicem Pontifici reddere fuerit conatus. Id Ultrajecti primum, deinde Moguntiæ molitus est. De Ultrajectino Conciliabulo *Hugo* Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi ita scribit: „Ubi ad aures Henrici Regis & fautorum ejus, Anathema a Domino Papa factum personuit, infremuit factiosorum strepitus, ac in Beati Petri Vicarium turpia ac nefanda concrepans, intonuis, dicentium, magum esse, impostorem, hæreticum, homicidam, fornicarium, & si quid aliud adversatur sanæ doctrinæ. Non debere Regem, Imperatoris filium, qui non sine causa gladium portaret, qui Romanæ Reipublicæ Patritius, tutor ac defensor esse deberet, tantam pati Sanctæ Dei Ecclesiæ conculcationem, ut homo omnium peripsema, pro suis sceletibus juste puniendus, & merito ab Ecclesia exturbandus, summam illam Regii nominis Majestatem impugnaret.... Cum in hoc omnis perstreperet Aula, decretum est communi consilio, ut ille qui reverendam a sæculis Regiam Majestatem ab Ecclesia extorrem pronuntiaverat, ab Ecclesiæ corpore segregaretur: Et Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui supra omnes est, ab his qui ei subesse debebant, excommunicationi adjudicatus est. O dementia incomparabilis! Quis rogo, Imperatorum, quis Regum, ad tantam prosilire ausus est potervam audaciam, ut Clavigeri cœlestis Vicarium, cujus lingua est clavis cœli, canonice electum, ab omni Christi civitate susceptum, bene viventem, recta docentem, ab Ecclesia alienandum pronuntiaverit? Conventus hic apud Ulterius-Trajectum habitus est, ubi contra Deum & hominem est disputatum. Dies erat Sabbati, & vespere Sabbati, ipsa nocte Dominicæ diei illucescente, in Concilio malignantium constitutum est, & deliberatum, ut in crastino ad Missas, in omnium audientia Papa excommunicaretur. Ante annum octogesimum supra millesimum conciliabulum illud celebratum est.

Moguntinum Conciliabulum.

Alterum, scilicet Moguntinum, *Sigebertus* ad annum 1079. commemorat his verbis: „Henricus Imperator in Pentecoste Conventu habito Moguntiæ, decrevit Hildebrandum a Papatu esse deponendum; & Longobardiam petens, Guibertum Ravennæ Episcopum pro Hildebrando Papam designat.

Conciliabulum Brixiense. Brixia, urbs Longobardiæ, Venetæ Ditionis, vulgo Bresse, Episcop. sub Metropoli Mediolanensi.

Tertium Conciliabulum frequentius ac celebrius apud Brixiam Noricam ab *Henrico* Rege celebratum est, in quo, pluribus in *Gregorium VII.* atrocissimis calumniis confictis, Shismaticus Princeps, cum Episcopis conjuratis, ejus obedientiam ejuravit, & *Guibertum* Ravennatem Episcopum Romanum Pontificem coronari jussit, anno 1080. A die vigesima quinta Junii, ad diem usque sextam Julii duravit Schismaticus Conventus. Triginta Episcopi adfuere, teste *Mariano Scoto*; præfuit exauthoratus Cardinalis *Hugo Candidus*, teste *S. Anselmi Lucensis* Pœnitentiario, in ejus Actis. *Hugo Flaviniacensis* de Brixiensi Pseudo-Synodo ita scribit; „Guibertus invasit Sedem Apostolicam a damnatis & excommunicatis, suique similibus, in Apostaticum, non in Apostolicum electus. Quæ conspiratio primum facta est apud Brixiam, ubi congregati aliqui Episcoporum e Synagoga Satanæ, traditi in reprobum sensum, & contra fidem quæ est confessio Petri, & Sanctam Sedem ejus Romanam Ecclesiam, turpia & nefanda jacientes, ad plenitudinem damnationis suæ elegerunt Guibertum Hæresiarcham de sui similibus, & desperata superbia Apostolicum eum vocantes, Apostatam, non Apostolicum effecerunt. Qui idcirco omnium Fidelium odio dignior est, quia cum a Principibus, Henrico scilicet Rege deposito, & cæteris hujus perditionis Ministris quæsitum esset, quis ad impugnandum sanctum virum, Papam videlicet Gregorium, falsitatis vexillum susciperet, nemo omnium tam audax, tam præsumptor, tam desperatus vel perditus inventus est, qui naufragium fidei subire deligeret, præter eum solum, &c.

Guiberti Antipapæ intrusio.

De *Guiberto* Antipapa & ejus intrusione *S. Gebhardus* Salisburgensis Archiepiscopus ad *Herimannum* Metensem Episcopum ita scribit, eodem *Hugone Flaviniacensi* referente: „Guibertus, quondam Ravennas Archiepiscopus, cum obedientiam, quam Apostolicæ Sedi juramento promiserat, non attendere, sed contra ipsam omnimodis superbire studuisset, in Romana Synodo irrecuperabiliter depositus, & anathematizatus est ab Apostolica Sede, & ab Episcopis totius Ecclesiæ. Nec hoc semel in una Synodo, sed in omnibus Synodis, quotquot jam septennio Romæ celebratæ sunt. Hic igitur ita in perjuriis inveteratus, & pro iisdem irrecuperabiliter depositus & anathematizatus, Sedem Romani Pontificis, cui obedientiam juravit, per manus anathematizatorum, utpote sibi similium, invasit; legitimo Pastore adhuc eidem Sedi præsidente. Ipsorum autem excommunicatorum nullus eum consecrare, vel potius execrare præsumpsit, præter Mutinensem & Aretinum Episcopos, qui ambo pro suis criminibus jam annis tribus officio & communione caruerunt. Sed hi, etiamsi officium & communionem haberent, & Romana Sedes Pastore vacaret, nullum tamen eidem Sedi Pontificem ordinare possent. Hujus enim Ordinationis privilegium solis Cardinalibus Episcopis, Albanensi, Ostiensi, Portuensi, a Sanctis Patribus est concessum. Ergo Mutinensis & Aretinus Episcopi, juxta testimonium Sanctissimi Papæ Innocentii, non benedictionem, sed damnationem quam habuerunt, suo Ravennati imponere potuerunt. Nec illum in Romanum Patriarcham, sed in Perditissimum Hæresiarcham promoverunt.

De eodem Conciliabulo in Actis *Sancti Anselmi Lucensis* hæc leguntur: „Mortuo autem in Fide Catholica Rege Rodulfo, audet *Henricus*, convocatis aliquot Hæreticis Episcopis, vivente Papa Gregorio, cui obediens factus est etiam Jurejurando, nullo habito Universali Concilio, absque Judicio; audet certe in Papam eligere Wibertum, Ravennatem quondam Episcopum, tunc autem multis jam annis excommunicatum.... Roma non quæritur, nec Romanus aut Clerus, aut Populus.

Unus

„ Unus quidem adfuit Hugo Candidus nomine, nigerrimus mente, Cardinalis olim, sed dudum jam pro suis sceleribus juste excommunicatus, & abjectus. Hic damnatus damnatum, perjurus perjurum, parricida laudat parricidam. In loco siquidem horrido & asperrimo, in mediis nivalibus Alpibus, ubi fames assidua, & frigus pene semper continuum, locus ipse vicus est pro civitate, qui Brixanorium vocatur, altissimis circumdatus scopulis, ubi etiam vix nomen obtinetur Christianitatis: Hic principalis Ecclesiæ Privilegia, hic Summi Sacerdotis Jura; hic Sanctorum Patrum Instituta; hic omnia evacuantur Canonica Decreta. Nimirum si qui rogarent, ut alium cœlis imponerent Deum, quotum in ipso erat ultimo faceret, atque confirmaret.

De eodem Conventu scribit *Otto Frisingensis* lib. I. De Gestis Friderici Imperatoris, cap. I. „ Pluribus ex Italia, Gallia, Germania, apud Bajoariæ civitatem Brixinorum in ipso Pyrenæo, haud procul ab Valle Tridentina sitam, coadunatis Episcopis, Princeps Curiam magnam celebravit. Ubi omnibus advenientibus, injurias sibi a Romana Ecclesia irrogatas affectuose conqueritur, quod videlicet ipso inconsulto, (qui, tamquam Rex & Patritius, primus in electione Episcopi suæ Urbis esse deberet) Romani sibi Pontificem præfecissent; eum a Patre suo Imperatore plures ibidem quasi sine electione inthronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eo facilius contra Romanam Ecclesiam inclinari poterant, quo & Laici sæcularis honoris consideratione accensi, & Episcopi consilio Clericorum suorum, quibus recentur connubia ab eodem Pontifice inhibita fuerant, inflammati, voluntati Principis accedebant. His igitur acclamantibus, præfata electio ab eis cassanda judicatur, Guibertusque Ravennatensium Archiepiscopus, Clemens vocatus, assensu Principis, Urbis Episcopus creatur, Gregoriusque VII. ab ipsis Pseudo-Monachus, vel Necromanticus appellatus, exsufflatur. Unde communi consilio prænominato Pontifici Scriptum convitiis & detractionibus plenum dirigere præsumpserunt, inter cætera dicentes: Sicut hactenus solebas dicere, quod nullus nostrum esset Episcopus, ita scias quod nullis nostrum deinceps eris Apostolicus.

Conradus a Liechtenaw Abbas *Urspergensis*, postquam *Brunonis*, quem perperam *Brunonem* Cardinalem appellat, calumnias in *Gregorium VII.* retulit, de Brixiensi Conciliabulo hæc habet: „ Anno Domini 1080. cum apud Brixiam Noricam triginta Episcoporum Conventus, necnon & Optimatum exercitus non solum Italiæ, sed & Germaniæ, jussu Regis Henrici congregaretur, factus est omnium consensus adversus Hildebrandum Papam, cognominatum Gregorium VII. quem Pseudo-Monachum, totiusque vesaniæ pestiferum Principem, & præcipue Sanctæ Romanæ Sedis invasorem affirmantes, ab Apostolica Sede depellendum, quamvis absentem dijudicabant, & Wigbertum Ravennensem Archiepiscopum ipsi subrogandum eligebant. Hujus Decreti conclusio hæc est; Quia, inquiunt, illum constat non a Deo electum, sed a seipso in fraude ac pecunia impudentissime objectum; qui Ecclesiasticum subvertit ordinem; qui Christiani Imperii perturbavit Regnum; qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem; qui perjurum defendit Regem; qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter conjuges divortia; & quidquid quiete inter pie viventes stare videbatur, concussit: Nos authore Deo congregati in unum, Legatis ac Literis freti decem & novem Episcoporum, die sancto præterito Pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eumdem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apostolicam Fidem de Corpore & Sanguine Domini in quæstione ponentem, Hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem manifestum necromanticum, pythonico spiritu laborantem, & idcirco a vera fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum & expellendum: & nisi ab ipsa Sede, his auditis, descenderit, in perpetuum condemnandum. Lata est hæc Sententia XII. Kalendas Julii, Feria V. Indictione III.

ARTICULUS XII.

Nulla rationis fuco obducta erat Synodi Schismaticæ Brixiensis in Gregorium VII. Sanctissimum Pontificem Sententia.

Gregorium VII. velut intrusum in Sedem S. Petri tractavit Pseudo-synodus. *Nicolai II.* Decreto se niti gloriabantur *Henricus* & in Schismate conjurati Antistites, quo statutum esset, Romanum Pontificem absque Regis electione creari legitime non posse: at evidens erat istius fundamenti falsitas, & inanitas. Nam solam Regii consensus necessitatem Decreto suo firmavit *Nicolaus*: at *Henricus* absolutæ jus nominationis & institutionis sibi tribuit. Verba *Nicolai* in suo Decreto hæc sunt: *Eligatur salvo debito honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, sicut jam ei concessimus, & Successoribus illius, qui ab Apostolica Sede personaliter hoc jus impetraverint.* Gregorius VII. Pontificiæ possessionem Dignitatis non inierat ante consensum & approbationem *Henrici* Regis: adeoque nihil ex ea parte adversus illius electionem poterat objici. Decretum *Nicolai II.* circumferebatur ab *Henricianis*, quasi jus plenum ac absolutum eligendi Romanum Pontificem *Henrico* & ejus Successoribus tribuisset: sed *Guibertus* illud fœde interpolaverat ut Regi adularetur, sibique ad invadendum ejus Authoritate Pontificatum viam pararet. Præterea, Henricus ab eo Privilegio excidisse videbatur; quo in Ecclesiæ perniciem ipse, vel ejus potius Ministri abusi fuerant, *Cadaloum* Parmensem in Sedem Apostolicam contra *Alexandrum II.* intrudendo. *Privilegium autem meretur amittere, qui sibi concessa abutitur potestate.* Nec *Alexandrum II.* tantum, sed ipsum *Nicolaum* Privilegii authorem e Sede Pontificia detrudere conati fuerant, quod Archiepiscopum Coloniensem acrius corripuisset. Ita respondet *S. Anselmus* Lucensis Episcopus lib. II. contra *Guibertum* Antipapam. „ Quod si admittendum est, inquit, ut ratione factum dicatur, objicimus ad hoc confutandum, præfatum Regem, & Optimates ejus se ea Constitutione indignos fecisse, primum quia postea præfatum Nicolaum, Coloniensem Archiepiscopum pro suis excessibus corripuisse, graviter tulerunt, eumque hujus gratia, quantum in se erat, a Papatu deposuerunt, & nomen ejusdem in Canone Consecrationis nominari vetuerunt; ideoque Decretum ejus de jure irritum esse debebit, quia cum a toto orbe Papa haberetur, juxta eorumdem sententiam eisdem Papa non fuit: quasi non ex Dei, sed ex eorum tantum pendere voluntate quempiam quidlibet esse vel non esse. Romanus enim Pontifex, ut Sapientes norunt, non modo deponi, sed etiam nullo Christiano Jure a quolibet potest judicari.

„ Deinde quia cum in eodem Decreto cautum esset, ut Romæ Pontificis electio a Romano Clero & populo ageretur; & postea Regi notificaretur, ipsi præfatum Decretum violantes, elegerunt quod eis non licebat, prius Cadaloum Parmensem, postea Witbertum Ravennatem, induentes eos Apostolicis insignibus, vocantes Apostolicos Apostatas Antichristi Prædecessores. Præterea præfatus Wicbertus, aut sui, ut suæ parti favorem adscriberent, quædam in eodem Decreto addendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt a se dissidens, ut aut pauca, aut nulla exemplaria sibi concordantia valeant inveniri.

Respondet secundo *S. Anselmus*, *Nicolai Secundi* Decretum repugnare Canonibus VII. & VIII. Concilii: Synodus VII. Canone III. statuit „ Ut omnis electio Episcopi, vel Presbyteri, aut Diaconi, a Principibus facta, irrita maneat, secundum Regulam, quæ dicit: Si quis Episcopus sæcularibus Potestatibus

usus

uſus, Eccleſiam per ipſas obtineat, deponatur, & ſegregetur, omneſque qui illi communicant. *Octava Synodus ita ſtatuit*; Promotiones & conſecrationes Epiſcnporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac Decreto Epiſcoporum fieri, hæc Sancta & univerſalis Synodus definivit & ſtatuit, atque jure promulgavit, neminem Laicorum Principum, vel Potentum ſemet inſerere electioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuſlibet Epiſcopi ... Quiſquis autem Sæcularium Principum, aut Potentum, aut alterius dignitatis Laicus, adverſus communem & conſonantem atque Canonicam electionem Eccleſiaſtici Ordinis agere tentaverit, Anathema ſit. Porro Nicolaum II. Œcumenicarum Synodorum Decreta reſcindere non potuiſſe, docet *S. Anſelmus* Lucenſis: „ Sed ut tandem, *inquit*, invincibili gladio feriamus, præfatus Nicolaus, onus ſcilicet Patriarcha, cum quolibet Epiſcoporum Concilio non potuit abrumpere, immo nec mutare, non obviantia fidei Decreta præfata Sanctorum quinque Patriarcharum, ſcilicet Romani, Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani, Conſtantinopolitani: & ut ex numero præfatis Synodis appoſito colligi poteſt, Sanctorum Patrum numero 250. & amplius.

Romanum Pontificem non poſſe reſcindere Conciliorum Generalium Decreta, docet S. Anſelmus Lucenſis.

Romanum Pontificem reſcindere poſſe Deceſſorum ſuorum Decreta, ſi injuſta ſint, & Eccleſiæ incommoda, docet idem ſanctus Epiſcopus.

Addit S. Anſelmus *Gregorium VII.* jure merito reſcidiſſe memoratum *Nicolai II.* Decretum, quia, ut ait *Hilarus* Papa: „ Illud quod quiſque commiſit Epiſcopus illicite, aut a Deceſſoribus invenit admiſſum, ſi proprium vult vitare periculum, damnabit. Nam in ſe, quidquid in alio non reſecabit, inveniet. *Et, ut ait* Gelaſius, *Creſconio, Joanni, & Meſſalæ ſcribens:* Deceſſorum Statuta, ſicut legitima & juſta Succeſſorem cuſtodire convenit, ita debet etiam male facta corrigere. Et Pelagius Armentario ſcribit: Poſteaquam Eccleſiæ Jura documentorum quoque intercedentium fuerint authoritate firmata, nullatenus, ab his diſcedendi liberam Pontifex, vel ſi velit, permittatur habere licentiam. *Et S. Gregorius*: Imperiali, *inquit*, Conſtitutione ſancitum eſt, ut ea quæ contra leges fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint. *Idem ex Romanis Legibus confirmatur*: Id tantum, *inquiunt*, de Sacra Reſponſione ſubſtantiam mutuetur, quod Legum auxilia proſequuntur. *Item:* Generale præceptum beneficio ſpeciali anteferendum eſt. *Item:* Contra Jus reſcripta non valeant, quocumque modo fuerint impetrata. Quod enim publica Jura præſcribunt, magis Judices ſequi debent. *Item:* Perſonalia Reſcripta, quæ cum Jure concordant, valeant more Veterum, & negotii de quo loquitur noſtra Reſcriptio finis latæ ſententiæ terminis cenſeatur. Speciale autem ſi quid Legibus ac juri importat injuriam, abolitum extirpetur. *Item:* Illa Sacra uniuſcujuſque ſupplicantis deſiderio conceſſa prævaleant, & effectui mancipentur, quæ cum Juris & Legum ratione concordant: Ea vero quæ ſurreptione, vel falſis precibus forſitan impetrantur, nullum ſupplicantibus ferant remedium. *Ex quibus ita colligit S. Anſelmus Lucenſis:* His itaque decurſis patet, præfatum Decretum nullius momenti eſſe, nec umquam aliquid jurium habuiſſe. Et hæc dicens, non præjudico Beatæ memoriæ Papæ Nicolao, nec quidquam ejus honori derogo, Patrum ſententias Dei Spiritu conditas ſequendo. Homo quippe fuit; eique, ut contra fas ageret, ſurripi potuit. Nec mirum hoc eidem contigiſſe, cum quidam ipſius Deceſſor inveniatur quiddam decreviſſe, & meliuri uſus conſilio poſtea immutaſſe. Siquidem Bonifacius II. legitur Decreto conſtituiſſe, Vigilium Diaconum ſibi in Pontificatu ſuccedere. Quod quia Romano Clero viſum eſt Canonibus adverſari, præſente Clero ab eodem ſuppoſitum eſt igni ante Confeſſionem B. Petri Apoſtoli. Et certe præfatus Nicolaus divino metu concuſſus hoc idem feciſſet, ſi tot Patrum ſententias in unum collectas vidiſſet, eaſque ſuo Decreto tam concorditer adverſari perpendiſſet.

Romanum Pontificem, Decreta, non ex Cathedra, id eſt non accedente Eccleſia conſenſu condentem, infallibilem non eſſe, docet S. Anſelmus Lucenſis, idque aſſerendo, Sedis Apoſtolicæ honori non derogari.

Eodem modo reſpondit iis, qui *Gregorii VII.* electionem impugnabant, *Deſiderius* Abbas Caſſinenſis, ut refert *Leo Oſtienſis* in Chronico, cap. 50. Cum illi, *inquit*, oſtendiſſent Privilegium Nicolai Papæ, quod cum Hildebrando Archidiacono, & Epiſcopis CXXV. fecerat, ut numquam in Romana Eccleſia, ſine Imperatoris nutu Pontifex fieret: quod ſi contingeret fieri, ſciret ſe hujuſmodi non pro Papa habendum, ſed anathematizandum; Deſiderius huiuſmodi rationibus occurrit, dicens, Neque Papam, neque Archidiaconum, neque Epiſcopum aliquem, ſeu Cardinalem, vel quemlibet omnino hominem, licite id facere potuiſſe. Sedes enim, inquit, Apoſtolica Domina eſt noſtra, non ancilla, nec alicui ſubdita, ſed omnibus prælata: Et ideo nulla omnino ratione ſub jugum a quoquam mitti poteſt. Quod a Nicolao Papa factum eſt, injuſte profecto ac temere præſumptum eſt; Non tamen cujuſque ſtultitia vel temeritate amittit Eccleſia dignitatem ſuam, neque vos id ſentire ulla ratione debetis, neque favente Deo, ultra continget, ut ex Alemanni Regis nutu Papa ordinetur.

Sedes Apoſtolica ſub jugum a nemine mitti poteſt.

Gregorii VII. Sanctitas a calumnia vindicatur.

Non ſolum intruſionem, ſed nefaria crimina *Gregorio VII.* objiciebant Schiſmatici, quæ *Benno* Pſeudo Cardinalis in virulentum Opus ſuum congeſſit, & quæ vel commemorare piget. Putidas enim calumnias fuiſſe probant *Gregorii* vindicata ſanctitas, patrata ab ipſo miracula, graviorum teſtimonia Scriptorum. Lambertus Scafnaburgenſis: *Papa*, inquit, *tam eximie, tamque Apoſtolice vitam inſtituebat, ut nec minimam ſiniſtri rumoris maculam converſationis ejus ſublimitas admitteret .... Signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentius fiebant, & zelus ejus ferventiſſimus pro Deo, & pro Eccleſiaſticis Legibus, ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebat.*

Ejus elogium.

S. Anſelmi Lucenſis Pœnitentiarius in ejus Vita, *Gregorii VII.* ſanctitati teſtimonium perhibet: *Cum*, inquit, *de omnibus finibus ſæculi ad eum fieret concurſus, rite omnibus ſatisfecit: Veritas vero, & juſtitia numquam ori ejus defuit: immo quod magis eſt mirandum, in ipſis ſæcularibus negotiis ſæpius exceſſit mente, exhilarato ſpiritu ſuo cœleſti contemplatione: qui, ſi privatus interdum extiterit, revelationibus etiam divinis jucundatus eſt, & confortatus.* Et infra: de illius miraculis ſcribit: *Miracula, quæ per eum operatus eſt Dominus, alia quidem vidimus, alia ab idoneis teſtibus audivimus.* Et cap. 5. Summam virtutem *S. Anſelmi* in eo ponit, quod *Gregorium VII.* Magiſtrum ſuum fuerit imitatus. *Ante omnia*, inquit, *id ſtudii ſemper habuit, quatenus primum Magiſtrum ſuum, Papam Gregorium imitaretur in omnibus, adeo ut diſcrepare ab illo prorſus nollet etiam in aliquo. Ille fons erat, hic quaſi rivus bonus ab eo fluebat, & avidam irrigabat; Ille ut caput totum corpus gubernabat, iſte quaſi manus ſtudioſa, quod juſtum eſt, peragebat: Ille ſicut ſol illuminavit omnia, iſte velut ſplendor declaravit ſingula. Ille moriens Mitram capitis ſui tranſmiſit iſti, tamquam poteſtatem ſuam ligandi & ſolvendi, ſed & miracula, credo, faciendi; Nam non multo poſt, cognoſcentibus nobis omnibus, per ipſius conſilium, & fidem magnam, præclara quædam fecit Deus per eamdem Mitram mirabilia. Inter alia enim Reverendiſſimus Dominus Ubaldus, Mantuanus ſcilicet Epiſcopus, multis jam annis graviſſime ſpleneticus, toto corde ulceratus, appoſita eadem Mitra, ubi major ingruerat dolor, priſtinæ redditus eſt ſanitati.*

S. Ipſe *Anſelmus* in Commentario ſuper Pſalmos, in ſecundum Pſalmum, ad illa verba: *Aſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*, ita ſcribit de Henriciano Schiſmate, & perſecutione *Gregorio VII.* illata: *Reges terræ, membra videlicet ejus qui regnat ſuper omnes filios ſuperbiæ, non ſolum venerunt, ſed aſtiterunt, & exercitu ſuo Romanam Eccleſiam obſederunt; & Principes Sacerdotum conſpirantes convenerunt in unum contra S. Petrum, & contra Vicarium ejus Gregorium; immo ipſum qui dicit:* Qui vos tangit, me tangit, *iterum crucifigunt Filium Dei. Nonne tibi videmur Principes Sacerdotum in domo Pilati colligere Concilium ut Chriſtum morti tradant, cum tot falſos teſtes contra Summum Pontificem Henricus adornavit; cum omnes clamant*, Reus eſt mortis.

Nonne

Nonne iterum Barabas eligitur, & Christus sub Pilato morti addicitur, cum Ravennas Gubertus eligitur & Papa Gregorius reprobatur? Nonne tibi videtur iterum Pilatus manus suas lavisse, & dixisse; „Mundus ego sum a sanguine hujus, Nullam in eo caussam invenio, *quando simulata pœnitentia Henricus adoravit Summum Pontificem; deinde falsis Episcopis suis dixit*; „Secundum legem vestram judicate „eum? *Amplius*. Dirumpamus vincula eorum, &c. „Opprimamus, *inquiunt*, virum justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Si enim dimiserimus „eum sic, venient Romani, & tollent nostrum „locum, & gentem: *Si Papa Gregorius vixerit, mittet contra nos Prædicatores veritatis, qui discutientes vitam & actus nostros eripient oves Christi de manibus nostris, & justi diripient spolia nostra, & dimittent Ecclesiam facientibus fructum in ea*. Hæc refert *Paulus Bewindensis* supper *Gregorii* VII. in Actis, in quibus ipsius sanctitatem & miracula commendat.

Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi veras caussas aperit conjurationis, schismatis, persecutionis adversus *Gregorium VII.* ab *Henrico* Rege & ejus fautoribus excitatæ. *Ob hanc igitur caussam*, inquit, *quia scilicet Sanctam Dei Ecclesiam castam esse volebat, liberam, atque Catholicam; quia de Sanctuario Dei simoniacam & Neophytorum hæresim, & fœdam libidinosæ contagionis pollutionem volebat expellere, membra diaboli cœperunt in eum insurgere, & usque ad sanguinem præsumpserunt in eum manus injicere; & ut eum morte vel exilio confunderent, multis eum modis conati sunt decipere. Sic surrexit inter Regnum & Sacerdotium contentio, accrevit solito gravior Sanctæ Dei Ecclesiæ tribulatio. Henricus enim Henrici Imperatoris filius, adversus Deum, & Matrem omnium Catholicorum Romanam Ecclesiam superbe tumidus; quia vita ejus prava Sanctorum Patrum Decretis, & Canonicis adversabatur Institutis, adversus Deum, & adversus Christum ejus insurrexit, Ecclesiasticis Sanctionibus impie factus rebellis, membra diaboli contra eum incitando, & omnes, quos potuit, minis, blanditiis, terroribus, contra eum armando, facta cum multis Episcopis Lotharienfibus & Transrhenensibus compositione*. Et infra, loquens de Sanctissimi Pontificis secessu Salernum ait: *Confortabatur autem in Domino, & prosperabatur in spiritu, quia sicut omnia adversa habet qui sibi displicet, ita & quem non remordet conscientia pura, simplex, lucida, nullo bono indiget. Rememorabatur Prædecessorum suorum Romanorum Pontificum, Gregorii, Leonis, & aliorum, qui quanto perfectiores in via Dei fuerunt, tanto a Romanis gravius infectati sunt, & ideo digni inventi sunt. Simplex oculus corpus reddebat lucidissimum. Incedebat securus per justitiæ semitas, cui testimonium perhibebat conscientia, quod pro defensione veritatis patiebatur, ideo non tribulabatur. Videbat & solicitus secum retractabat, quia si Papa cum Deo esse vult, pauper & inops efficietur: qui autem volet esse cum sæculo, ut quærat quæ sua sunt, non quæ Jesu, a simonia manum non cohibeat, iniquitati faveat, congregandis pecuniis inhiet, hic ditabitur opibus, & superabundabit. Ideo paupertatem Christi non habentis in corde pravorum ubi caput reclinet, tanto magis appetebat, quanto mammonæ furentis & illicientis fallaces & non veras aspernabatur divitias. Astringebatur enim in utroque humero velamine superhumeralis, qui contra adversa & prospera virtutum semper ornamento muniebatur, & ad sola, quæ anteriora sunt, nitens, in nullo delectationis infima latere flectebatur*.

Gregorii VII. sanctitati testimonium etiam perhibet Otto *Frisingensis*, lib. 6. Chronici cap. 34. ubi de ipso ita scribit. *Ipse qui per multum temporis ad libertatem Ecclesiæ obtinendam privatus laboraverat, jam ad Sacerdotalem Dignitatem provectus, a cœpto desistere indignum ducens, tam ob hoc, quam pro simonia extirpanda, ac incontinentia Clericorum reprimenda, plurimum desudabat. Denique non solum Regem pro hujusmodi ad Synodalia Responsa crebro vocavit, sed & datis Decretis, Clericorum, a Subdiaconatu & supra connubia in toto orbe Romano cohibuit: formaque gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstravit: ac fortis per omnia Athleta, murum se pro domo Domini ponere non timuit*. Et cap. 36. de illius obitu ita loquitur: *Porro Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suæ tempore, dixisse fertur*: „Dilexi justitiam, & odi iniquitatem; propterea „morior in exilio. *Quia ergo in Principe suo Regnum ab Ecclesia præcisum graviter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto Pastore, qui inter omnes Sacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli ac authoritatis orbata, dolorem non modicum habuit*.

Ejusdem Pontificis sanctitatem commendat *Bertoldus* Constantiensis Presbyter, in Appendice ad Chronicon Hermanni Contracti. *Sed jam*, inquit, *Deus omnipotens famulum suum Gregorium Papam nolens diutius laborare, immo pro laboribus suis digne remunerare volens, de hujus vitæ ergastulo eum vocavit: Nam aliquanto tempore graviter corpore infirmatus, sed in defensione justitiæ usque ad mortem firmissimus, Salerni diem clausit extremum. De cujus obitu omnes Religiosi utriusque sexus, & maxime pauperes, doluerunt. Erat enim Catholicæ Religionis ferventissimus institutor, & Ecclesiasticæ libertatis strenuissimus defensor. Noluit sane ut Ecclesiasticus Ordo manibus Laicorum subjaceret, sed eisdem, & morum sanctitate, & Ordinis dignitate præemineret. Postquam autem in gubernatione Sedis Apostolicæ, immo totius Ecclesiæ, duodecim annos & unum mensem legitime decertavit, tandem ex hac luce anno 1085. Indictione octava, 8. Kalendas Junias subtractus superna vocationis bravium accepisse non dubitatur*.

Ejusdem Pontificis integritatem ac sanctimoniam prædicat *Gullielmus Apuliensis*, libro V. Rerum in Apulia ac Regno Neapolitano Normannicarum:

Vir venerabilis hoc ea tempore Papa Salerni
Gregorius moritur, quam nec persona, nec auri
Unquam flexit amor, justum servare rigorem
Semper proposuit: non cor dare læta valebant
Absque modo lætum, nec tristia reddere mæstum.
Solator mæsti, lucis via, doctor honesti,
Legibus arcebat tumidos, humilesque fovebat.
Terror iniquorum, clypeus fuit ille proborum.
Atque salutiferi spargendo semina verbi,
Numquam cessavit populum revocare Fidelem
A vitiis, ad eos quibus itur ad æthera mores:
Vitaque doctrinæ non discordare solebat;
Non fuit instabilis vel arundinea levitatis.

Willelmus Malmesburiensis lib. 3. de *Gestis Regum Anglorum, in Willelmo I. Gregorii VII.* sanctitatem fuisse tantam testatur, ut & cordium arcana interdum noverit, & visionibus divinis recreatus sit, & miracula patraverit, dum adhuc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus esset. Quæ se ab eo accepisse testatur Author, qui ea ex ore *S. Hugonis* Cluniacensis Abbatis audivisse jurabat. De ejus vero obitu mentionem faciens, ait: *Ita obiit vir apud Deum fœlicis gratiæ, apud homines austeritatis fortassis nimiæ*. Alios omitto Scriptores gravissimos a Cardinali *Bellarmino*, & a P. *Gretsero* S. J. Professore in Apologia *Gregorii VII.* laudatos, Ipsorum namque testimoniis illustrius est ac firmius illud Romanæ Ecclesiæ in suo Martyrologio, ad diem Maii 25. *Salerni depositio Beati Gregorii Papæ Septimi, Ecclesiasticæ libertatis propugnatoris ac defensoris acerrimi*.

Anna Commena Schismatica fœmina, contra Gregorium VII. non audienda.

Ex quibus omnibus exploratum est, meras esse calumnias atque convitia, quæ a *Bennone* Pseudo Cardinali Schismatico referuntur, & quæ a conjuratis Schismaticis objecta sunt *Gregorio VII.* crimina, Nec magis audienda contra Gregorium *Anna Commena* maledica femina, quæ *Henrici* Imperatoris Legatos ab ipso violatos, & flagris proscissos mentitur. Odium porro *Annæ in Gregorii* nomen inde ortum est, quod *Robertus Guiscardus*, *Alexis Comneni* Græcorum Imperatoris, *Annæ* patris hostis infensissimus, qui Aulonem, Dyrrachium, omnem Epyrum subjugaverat, & Constantinopolim ipsam obsidione cinxerat, *Gregorii VII.* studiosissimus esset, ejusque partes contra *Henricum* Regem acerrime tueretur. Præterea schismaticam *Annam* fuisse, cui proinde contra *Gregorium VII.* scribenti nulla fides, hæc ejus verba demonstrant; *Hic Summus Pontifex, & in orbem terrarum universum universalis Christi Vicarius fecit. Nam eos illi titulos Latini sui tribuunt: in his quoque pro cætera insolentia sua mentientes. Translatis enim e ve-*

tere

tere Romæ Sceptris in nostram Urbem Regiam, Pontificatus quoque primaria dignitas illic defecit: Ecclesiæque Primatus jam olim a Principibus, qui hic tegnarunt Constantinopolitano adjudicatus Throno est.

Sententia in Gregorium VII. a Brixiensi Conciliabulo lata, nullitas multiplex.

III. Verum etsi intrusus, etsi multorum criminum reus fuisset *Gregorius*, indiscussa causa absque universali Synodo, violatis omnibus Juris Regulis, Pontificem cui tota parebat Ecclesia, deponere, & alium in ejus locum intrudere nefas erat. *S. Gebhardum* Salisburgensem Archiepiscopum, hæc urgentem in Epistola ad *Herimannum* Metensem Episcopum, a *Teagnagello* edita audiamus. „ Vere, *inquit*, Evangelicam & Apostolicam doctrinam ante tempus judicaverint, qui tam inordinate non solum sententiam Summi Pontificis; sed & ipsum condemnantes judicaverunt, sententia indiscussa, authorem sententiæ inauditum, inconvictum, nec confessum: sed neque conventum vel commonitum. Sententiam quidem, quæ tali tempore a Synodo Romana promulgata est quando nulla de Præsidente contradictio fuit: Ipsum Præsidentem, cui tunc temporis non solum ea quæ in istis partibus est, Ecclesia, sed illa quæ in toto orbe diffusa est, debitam subjectionem exhibuit; illum, inquam, suo, & non Synodali Judicio refutaverunt; & alium, qui paullu ante a Sede Apostolica damnatus est, eidem Sedi, quæ illum damnaverat, Pontificem designaverunt, Romana Ecclesia nec conscia, nec consentiente. Quid igitur Canonum testimoniis ad improbanda hæc Judicia indigemus, quæ nec similitudinem sensatorum Judiciorum tenent, sed quasi prima fronte plena blasphemiæ apparent? Nam ut verum fateamur, nihil in Sanctorum Patrum scriptis contra hujusmodi præsumptiones specialiter edictum nos invenisse meminimus, quia insaniæ non erat lex ponenda. Es abundanti autem ab antiquis Doctoribus statutum est contra illas imperitorum Episcoporum infestationes, quæ etsi ab adversantium insidiis procedant; nonnullam tamen æquitatis imaginem prætendunt, scilicet induciis, evocationibus, discussionibus, aliisque justa tenorem Judiciorum. Ad istorum cautionem distinguendam, si authoritas a nobis requiritur, non Scripturarum excerpta, sed volumina opponimus, sicut est liber Decretorum Pontificalium, qui pene totus in talium discussione cuditur. Sed ne nihil horum ad præsens induxisse videamur, illud saltem B. Gregorii inferamus, quod ad Joannem Defensorem contem in Hispanias scribit de Stephano Episcopo, qui injuste esse se depositum conquestus est „. *Primum*, inquit, *diligenter quærendum est, si judicium ordinabiliter est habitum, si alii accusatores, alii testes fuerunt; deinde causarum qualitas, si accusata præsente, sub jurejurando testimonium contra eum dictum est, si respondendi locum habuit, si examinatio personarum accusantium ac testificantium regulariter facta est. Quod si forte hæc solemniter acta non sunt, omnibus modis in Ecclesia sua revocetur. Hi vero, qui eum contra Dei timorem, & statuta Canonum condemnaverunt, ad agendam pœnitentiam mittendi sunt sex mensibus.* „ Videant ergo prædictorum Judiciorum Mediatores, si in Romani Præsulis refutatione vel unum de illis Sancti Viri præceptis observaverint, quæ ille in unius cujuslibet Episcopi discussione observanda esse decrevit „.

„ Huc accedit, quod multis Sanctorum Statutis definitum est, ut nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore, Apostolica Authoritate, convocata, judicari aut damnari possit; & quod sine Primæ Sedis authoritate Concilia rata esse non possint. Mirandum igitur est, viros prudentes adeo nota oblivioni tradidisse, qui nulla existente Synodo, illum Episcopum judicantes reprobaverunt, sine cujus authoritate, nec Episcopum aliquem damnare, nec Generale Concilium licet congregare. Ecce novus ordo judiciarius, ecce matura Domini Sacerdotum judicia „. Tum de *Guiberti* intrusione sic loquitur *S. Gebhardus*, illamque subsistere, secundum Canones, nullatenus posse demonstrat. „ De illo autem quid dicamus, qui ad supplendum hujus depositi locum tam provide diligentium dispositione erectus est? Vere de illo hoc dicimus, verisque testibus approbamus, quod etsi jam pro suis reatibus nec damnatus esset nec damnandus, sed & Sedem illam vacantem invenisset, cui nunc, superstite Pontifice, adulterinus invasor deputatus est, tamen, teste Beato Leone, nulla ratio sineret ut inter Episcopos haberetur quem nec Clerus elegit, nec populus expetivit. Cumque ejusdem Leonis, atque Cœlestini sententiis definitum sit, ut nullus invitis Episcopus detur; quanto minus illi Ecclesiæ nolenti Episcopus aliunde superponendus erat, quæ sui incolumitate Pontificis & concordia potita est? Tandem convitia pro accusationibus accipienda non esse ait: sed etsi vera opponerentur *Gregorii* crimina, ipsi nihilo secius obediendum esse, quia non vitæ, sed Ministerii ac Dignitatis ratione obedientia præstatur. „ Sed his, *inquit*, quæ ad rem pertinent, omissis, convitia & vituperationes, ut dicitur in Dominum Apostolicum dictitant; quid hoc nostra interest? Si de vita illius agitur, nos non pro vitæ suæ consideratione illi obedimus, sed pro ministerio collatæ in illum Dignitatis: Nam meritorum suorum qualitas Sacerdotali Officio non præjudicat. Quapropter quantumlibet docte, quantumlibet artificiose in reprehensiones illius invehantur, tamen convitia pro accusatione recipienda non sunt. Ipsi enim, ut Sapientes norunt probe hunc vere confusum & præposterum ordinem esse, si illum, quem sine accusatione vel discussione prædamnaverunt, nec tandem, post factum Judicium, accusent & discutiant „.

Henrici Regis, & conjuratorum in Gregorium VII. Episcoporum inanes excusationum præstigia.

IV. Schisma excusabant *Henricus* Rex, & Antistites conjurati: Sedi Apostolicæ debitam exhibere se reverentiam profitebantur; eique esse conjunctissimos ac devotissimos; *Hildebrandum* vero qui in ea sedebat indignus, jure-merito se dejecisse, quod in Regem, & Episcopos, inauditam damnationis Sententiam protulisset. Verum inanes esse illius excusationis præstigias ostendit S. Gebhardus. „ Sed hæc omnia, *inquit*, novi Doctores fidelitati attribuunt, dicentes se quidem Beatu Petro, atque Sedi Apostolicæ devotos existere; Sedenti autem super Sedem illam insolitas injurias merito irrogare, qui in homines immeritos, Regem scilicet & Episcopos, tam insolitam damnationis Sententiam promolgavit. Quibus respondendum est. Quod etsi in illis Synodalibus Judiciis districtio mansuetudinem excessisset; ita ut Domnus Apostolicus plus solito, & non pro materia super eos manum congravarit; decuerat tamen Orthodoxos Episcopos Catholico suadere Principi, quatenus sic injuriam suam ulcisceretur, ne divinam ultionem in se provocaret, ne Ecclesiæ Regulas penitus confunderet, ne cædibus, incendiis, vastationibus id ageret, quod Ecclesiasticis discussionibus agendum erat „.

Addit *S. Gebhardus*, quod etsi Christianæ Religionis esset, hujusmodi injurias sic ulcisci, Schisma tamen excusare non possent, quia Schisma ante moliti fuerant in Conciliabulo Wormatiensi, quam *Gregorius VII.* ullam excommunicationis Sententiam tulisset. *Cum enim*, inquit, *primum ad initiandam hanc rem Wormatiæ confluxissent, nullam adhuc Dominus Papa excommunicationis, vel Anathematis Sententiam destinavit; sed ipsi primitiæ discordiarum, ipso ignorante, & nihil minus putante, Prælationi suæ superba & repentina temeritate renuntiaverunt.*

Contra prudentiæ leges non peccavit Gregorius VII. excommunicando Henricum Germaniæ Regem, & Episcopos illius fautores.

V. Pontificem imprudentiæ accusabant plerique paulo modestiores, aiebantque ipsum sapienti œconomia tolerare ac dissimulare debuisse crimina *Henrici* Regis, & Episcoporum ne dissidium excitaret, facile (ut probavit eventus) in Schisma erupturum. Sed *Henricum*, & Schismaticos Episcopos hæc ratio nequaquam juvat. Esto enim, imprudenter, immo injuste Sententiam Anathematis in eos tulisset Pontifex, non ideo Schisma facere licitum erat, ejusque obedientiam ejurare. Sed nec æquitatem violavit, nec in prudentiæ Leges peccavit *Gregorius VII.* Anathemate confodiendo Principem, & Antistites, simoniacæ hæreseos labe inquinatos, in crimine pertinaces: Principem in sentinam vitiorum prolapsum; Antistites ejus sceleribus conniventes: Principem Ecclesiæ

clesiæ libertati, & Romanæ Sedi infestum; Episcopos adulatores, eique pravis consiliis ignave servientes: Principem Schismaticum; Antistites ipsi ad Schisma faciendum confœderatos. Nam, ut ait Innocentius I. *Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum minime defensatur, opprimitur. . . . Negligere quippe, cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere.* Et ut ait S. Ambrosius: *Consentire, est non solum scienter mala fieri permittere, sed etiam male facta non persequi.* Et S. Augustinus: *Quisquis metu cujuslibet Potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem, quam Deum.* Et S. Gregorius: *Qui non corrigit resecanda, committit.* Hinc idem in Moralibus ait: *Plerumque quieti atque inconcussi relinquimur, si obviare pravis pro justitia non curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, si verum lumen jam intrinsecus respicit, si in se flammam sancti fervoris accendit, in quantum locus admittit, in quantum causa exigit debemus pro defensione Justitiæ nosmetipsos objicere, & perversis ad injusta prorumpentibus, etiam cum ab eis non quærimur, obviare. Nam cum justitiam, quam amamus, in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur.*

Henrico Regi & Aulicis Episcopis salvo officio, connivere non poterat Gregorius VII.

Hæc Patrum loca, quæ *S. Anselmus Lucensis* urget lib. 1. *Adversus Guibertum Antipapam*, evincunt *Gregorium VII.* non potuisse Imperatori & Aulicis Episcopis connivere, salvo officio: siquidem de Ecclesiæ fide, castitate, & libertate agebatur; fide, contra simoniacam hæresim; castitate, contra Clericorum incontinentiam; libertate, contra Principem Ecclesiæ Jura tyrannice usurpantem, tuendis. Unde Sanctus idem *Anselmus* lib. 1. ita Guibertinos & Henricianos compellat: *Vos Ecclesia Catholica, quam invasistis per totum Regnum, quod quia intus cecidit, foris diu stare non poterit, membra distrahitis, & in servitutem redactam, quasi vile mancipium in vestrum dominium redigitis, & Divini Juris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes, Omnia Imperatoris juri esse subjecta, Episcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei Ecclesias, cum Dominus dicat:* „ Ecclesiam meam, columbam meam, oves meas. *Paulus dicit:* Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est a Deo tamquam Aaron. *In parte tua quis præficitur, nisi quem aut gratia, exhausto fœnore, vel munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obsequio attraxerit? Quis moribus, quis honestate, quis vitæ integritate eligitur? Persequendi sunt itaque lupi, vitandi sunt universi, qui, ad hoc ut Hæretici fiant, promoventur, qui lepram Giesi cum divitiis suis possident, & mala quæsita mercede, non tam patrimonium facultatum, quam thesaurum criminum congregarunt.*

Guibertus tam Antipapa fuit quam Novatianus.

VI. Schismatis itaque labem purgare nulla ratione poterant *Henricus* Rex, & ejus partiarii; & *Guibertus* Ravennas olim Episcopus, *Clemens III.* nuncupatus, tam Antipapa fuit, quam Novatianus, ut diserte probat *S. Anselmus Lucensis* ad ipsum scribens: *Noli itaque dicere*, inquit, *quia universalis Ecclesiæ curam suscepimus, quomodo enim tibi commissa est Ecclesia, quem constat non intrasse per ostium, quod Christus est; sed aliunde ascendisse ut furem? Apostolica enim & universalis Ecclesia suum habebat Pastorem. Ut enim de Beato Gregorio Patre nostro dicam, quæ de Cornelio scripsit Cyprianus:* „ Factus est Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium, [*& ut verius dicam*] *omnino omnium*, testimonio; de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio; de Sacerdotum antiquorum, & virorum bonorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum *Alexandri* locus, & cum locus *Petri*, vel gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret. Quo occupato, & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foras fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam Ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisque ille fuerit, licet multum de se jactans & sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est; & cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debet, factus est, non secundus ille, sed nullus est. Hæc, quæ lib. 1. *S. Anselmi* contra *Guibertum* leguntur, refert Urspergensis Abbas in Chronico; subditque ad tam illustris testimonii vim ac pondus demonstrandum: *Hæc priori sententiæ* (Henricianorum scilicet) *valde contraria scripsit Anselmus Episcopus, vir literis apprime eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, & quod, omnibus majus est, in Dei timore, & sancta conversatione nominatissimus; adeo ut tam in vita, quam post mortem, referatur miraculis clarus.*

Author Anonymus, sed coævus Vitæ *Henrici* Imperatoris, quæ Panegyricus potius dicenda est ab homine illi penitus addicto scriptus, quam Historia ab omni fuco assentationis aliena, Schisma ipsius, & *Gregorii VII.* exauthorationem, ac Guiberti intrusionem excusare non est ausus, nec fictitia illa crimina *Gregorio* objicere, quæ *Benno* & alii Schismatici commenti sunt. Ita nempe scribit: „ Cernens autem Rex Apostolicum ad hoc tendere, ut se Regno privaret, nec alia sua obedientia contentum, nisi ut Regno renuntiaret, ex obedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apostolico facere parabat, quod Apostolicus sibi facere intenderat. Cessa, obsecro, Rex gloriose, cessa ab hoc molimine, ut Ecclesiasticum Caput de suo culmine dejicias, & in reddenda injuria te reum facias. Injuriam pati fœlicitatis est; reddere, criminis. Quærebat itaque Rex causas & occasiones qualiter eum ejiceret; inventumque est eum Romanam Sedem olim abjuratam insedisse; quam idcirco abjuraverit, quia ad eam, dum Archidiaconus esset, adhuc vivente Domino suo, per ambitionem aspirare voluerit. Utrum hæc vera sint, an falsa, parum competit: alii asserebant, alii figmentum esse dicebant: utrisque Roma fuit in argumentum; His, quod Roma mundi domina numquam pateretur tale nefas; illis, quod ea cupiditatis ancilla facile permitteret, ob pretium omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est, cum incerta nec possim defendere, nec ausim affirmare. „

VII. *Guibertus* Antipapa, missis in varias regiones Legatis, Ecclesias præcipuas in partem suam trahere frustra conatus est. Anglicanam, imprimis tentavit, quæ in obedientia *Gregorii VII.* constans permansit, quamvis hæsitare nonnihil visa sit, causa nondum discussa, ut ex Epistola *B. Lanfranci* Cantuariensis Archiepiscopi ad quemdam Guiberti Antipapæ Legatum compertum est. „ Non probo, *inquit*, quod Papam Gregorium vituperas, quod Hildebrandum eum vocas, quod Legatos ejus spinosulos nominas, quod Clementem tot & tantis præconiis tam præpropere exaltas. Scriptum est enim, Non esse laudandum in vita sua hominem, nec detrahendum proximo suo. Adhuc incognitum est humano generi, quales nunc sint, & quales futuri sint in conspectu Dei. Credo tamen quod Imperator sine magna ratione non est tantam rem aggressus patrare, nec sine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam consummare. Non laudo ut in Anglicanam terram venias, nisi a Rege Anglorum licentiam veniendi prius accipias. Nondum enim Insula nostra priorem refutavit, nec utrum huic obedire debeat, sententiam promulgavit. Auditis utrimque causis, si ita contigerit, perspicacius, quid fieri oporteat, provideri valebit „.

SCHOLION I.

In hoc Articulo pag. 406. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem velut meam notant: *Papa non potest rescindere Canones Conciliorum generalium.*

R. Non ita scripsi. Quæstionem Juris eo loci non attingo, sed *S. Anselmi Lucensis* Episcopi responsionem ad Nicolai II. Pontificis Maximi Decretum refero, quo nitebantur Henricus Germaniæ Rex, & Antistites in Schismate adversus *Gregorium VII.* conjurati. Eo Decreto statutum esse dicebant, Romanum Pontificem absque Regis electione creari legitime non posse. Multas Responsiones affert *S. Anselmus Lucensis* Libro II. *contra Guibertum Antipapam*. Secunda est, *Nicolai II.* Decretum repugnare

Canonibus septimi & octavi Concilii generalis. Porro *Nicolaum II. Oecumenicarum Synodorum Decreta rescindere non potuisse*, docet *S. Anselmus Lucensis*. Hæc verba mea. Tum ejusdem Sancti & Canonum peritissimi Præsulis verba subjicio. Quid S. Anselmus responderit, mera facti & Historiæ quæstio est. Si ejus Responsa, quæ *Gregorius VII.* approbavit, Religiosis Censoribus improbanda videantur, illa mihi non imputent historice dumtaxat referenti, non dogma statuenti. Quamquam & ipsa propositio, quam mihi affingunt, innoxia sit, cum sit doctrina Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 407. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam propositionem notant: *Papæ Decreta ut sint ex Cathedra & infallibilia, debent esse ex consensu Ecclesiæ.*

R. Neque hic Juris quæstionem attingo, utrum scilicet Romanus Pontifex sit vel non sit infallibilis. Sed *S. Anselmi Lucensis* Responsa refero ac describo. Ejus verbis tota illa pagina impleta est. Sola nota ista marginalis mea est: *Romanum Pontificem Decreta, non ex Cathedra, id est, non accedente Ecclesiæ consensu condentem, infallibilem non esse, docet S. Anselmus Lucensis; idque asserendo, Sedis Apostolicæ honori non derogari*: Facti dumtaxat Quæstionem spectat hæc observatio, quid nimirum senserit S. Anselmus Lucensis. Ejus verba profero ac describo. Expendendum est; an cum observatione mea conveniant. Convenire nemo, ut spero, diffitebitur, qui sine præjudicio contulerit.

SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum, pag. 408. Edit. primæ hanc notam apposuerunt Religiosi Censores: *Refert ex Desiderio*: Quod a NICOLAO PAPA FACTUM EST, INJUSTE PRORSUS AC TEMERE PRÆSUMPTUM EST. NON TAMEN CUJUSQUE STULTITIA VEL TEMERITATE AMITTIT ECCLESIA DIGNITATEM SUAM. Quæ, (inquiunt iidem Censores) *non tam dicit Alexander ut Gregorium VII. defendat, quam ut ostendat Pontifices stulte ac temere multa decernere.*

R. *Gregorium VII.* in Sedem Apostolicam intrusum fuisse, Schismatici effutiebant. Responsiones S. *Anselmi* Lucensis Episcopi, & *Desiderii* Cassinensis Abbatis, pietate, eruditione, zelo pro Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ dignitate & honore spectatissimi, quem *Gregorius VII.* optavit habuitque successorem *Victorem III.* ipsius Gregorii VII. electionem contra Schismaticos vindicantium affero. Id cum mihi juste vitio verti non possit, Religiosi Censores Dei jura usurpantes, qui scrutatur consilia cordium, de animo meo & intentione judicant, *Quæ non tam dicit* (inquiunt) *ut Gregorium VII. defendat, quam ut ostendat Pontifices stulte ac temere multa decernere*. Hæc vero mens mea non fuit; Testis Deus est, cui servio, idemque meus ac Censorum meorum judex scit quia non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea: Neque id scripsi, nec dixi, nec cogitavi. Qui meam in Sedem Apostolicam observantiam, & vivendi rationem noverunt, id mihi affingi dolebunt. Quam sincero animo *Gregorium VII.* defenderim, totius Articuli XII. in quo hæc a Religiosis Censoribus notantur, lectio æquis judicibus persuadebit. Sic inscribitur: *Nullo rationis fuco abducta erat Schismaticæ Synodi Brixiensis in Gregorium VII. Sanctissimum Pontificem sententia.* Non solum illius electionem vindico scriptorum coævorum & suppariorum testimoniis, quorum verba fideliter, plene, studiose refero, scilicet S. Anselmi Lucensis, Desiderii Cassinensis Abbatis: Pœnitentiarii S. Anselmi in ejus Vita, Hugonis Flaviniacensis, Ottonis Frisingensis, Bertoldi Constantiensis Presbyteri, Guillelmi Apuliensis, Willelmi Malmesburiensis, S. Gebhardi Salisburgensis Archiepiscopi, Pauli Benriedensis, Romani Martyrologii, *&c.* Sed etiam ab imprudentiæ labe eumdem Gregorium VII. purgo pro mea virili parte, his verbis: *Sed nec æquitatem violavit, nec in prudentia leges peccavit Gregorius VII. anathemate confodiendo Principem & Antistites, Simoniacæ hæresis labe inquinatos, & in crimine pertinaces; Principem in sentinam vitiorum prolapsum, Antistites ejus sceleribus conniventes: Principem Ecclesiæ libertati & Romanæ Sedi infestam, Episcopos adulatores, eique pravis consiliis ignave servientes Principem Schismaticum; Antistites ipsi ad Schisma faciendum confœderatos.* Et infra: *Hæc* (inquam) *Patrum loca, quæ S. Anselmus Lucensis urget lib. II. Adversus Guibertum Antipapam evincunt Gregorium VII. non potuisse Imperatori & aulicis Episcopis connivere salvo officio: siquidem de ecclesiæ fide, castitate, & libertate agebatur; fide, contra simoniacam hæresim; castitate, contra Clericorum incontinentiam; libertate, contra Principem Ecclesiæ jura tyrannice usurpantem tuendis.* Qui ita scripsit, non sincere defendit Gregorium Septimum?

Nota.

QUa ratione dicatur Papam rescindere haud posse œcumenicarum Synodorum sanctiones adnotatum est *tom. 3. pag. 110. & seqq.* Dum vero S. Anselmus, ut dicit Natalis *art. 12.* scripsit Romanum Pontificem non potuisse abrumpere Concilii Œcumenici decreta, comparat potestatem patriarchicam ejusdem Pontificis cum potestate quinque aliorum Patriarcharum, non excepto Romano; atque ab iis cum Concilio sancita non posse Romanum Patriarcham rescindere affirmat. At aliud est loqui de Romani Pontificis potestate, quatenus Occidentis Patriarcha consideratur, aliud de eo quatenus est universæ Ecclesiæ Pastor, & Princeps. Sed & hic non prætereundum non eam fuisse ecclesiæ consuetudinem, ut quoadusque expectaretur consensus ecclesiæ, Romanorum Pontificum definitiones infallibiles non haberentur: cum potius ecclesia consentiret, quia Pontifices definiverant. Videnda quæ dixi *tom. 5. pag. 261. & seqq.*

ARTICULUS XIII.

Gregorius VII. Anathematis Sententiam in Henricum Regem & Guibertum Antipapam juste confirmavit, cum frustra pacis vias tentasset.

ANno Christi 1081. *Gregorius VII.* Synodum Romæ celebravit, quæ inter Synodos ab eo celebratas octava numeratur, in qua *Henricum dictum Regem, & omnes fautores ejus, qui in præterita excommunicatione animum induraverant, iterum excommunicavit*, ut constat ex Actis. Eodem anno *Henricus, Rodulpho* Rege devicto, cæsoque, Romam cum numeroso exercitu se contulit, Urbem expugnaturus & *Guibertum* in Sede *S. Petri* collocaturus. Verum a Pontificiis, & *Methildis* Comitissæ copiis repulsus est, ut colligitur ex Chronici Cassinensis lib. III. Cap. 49. & ex Abbate Urspergensi in Chronico, ad eum annum. Anno 1082. irrito iterum conatu Romam obsedit, ut refert *Bertoldus* in Chronico. Anno 1083. Roma ab *Henrico* tertia obsidione fatigata est, Leoniana Urbs expugnata, & Basilica *S. Petri* occupata, non absque clade ingenti Henriciani exercitus, cujus pars maxima, qua gladio, qua pestilentia periit. Hinc de pace cum Romanis haud ægre collocutus est *Henricus*. Inter eos convenit ut *Gregorius* Papa Synodum mense Novembri proximo Romæ colligeret in qua Regni causa retractaretur, & cujus statutis cum *Henricus* tum Romani parerent. *Henricus* ituris & redituris ad illam Synodum securitatem Jurejurando fecit. Illam indixit Pontifex: Sed perfidus *Henricus* Teutonicorum Principum Legatos, & *Ottonem* Ostiensem Episcopum in Germaniam a *Gregorio* missum, *Hugonem* Archiepiscopum Lugdunensem, *Anselmum* Lucensem, *Reginaldum* Comanum, ad Synodum euntes intercepit, violavit, detinuit, vexavit, ut testatur *Bertoldus* in Chronico. Anno 1084. ante Pentecosten, *Henricus* veterem Romam expugnavit, & *Guibertum* Ravennatem a Mu-

tinensi

tinensi & Ariminensi Episcopis dudum depositis & excommunicatis inaugurari jussit, ac in Basilicæ Vaticanæ possessionem misit, ut *Bertoldus & Leo Ostiensis* testantur. Lateranensem Basilicam tenebat *Gregorius VII.* ipsique pars Romanorum maxima adhærebat, pars Antipapæ, in gratiam *Henrici* Regis ut *Joannes Victorinus* in Memoriali historico refert: *Roma*, inquit, *facta est dissensio magna, his qui pro Imperatore erant, dicentibus Hildebrandi depositionem esse justam, quia reus erat Majestatis, ob hoc quod contra Imperatorem ordinaverat alium, rebellandique contra ipsum audaciam assumpserat; aliis dicto Papæ faventibus, quod licet dictum crimen commisisset, tamen non poterat de jure deponi, nisi in Concilio Generali.*

Qui a Gregorii partibus stabant Romani, ipsum obtestati sunt, ut Ecclesiæ & Reipublicæ tot malis attritæ misertus, *Henrici* causam, ac suas in eum Sententias in frequenti Synodo retractari paterna clementia sineret. Annuit Pontifex ad pacem propensissimus, & Synodum indixit in mensem Novembrem proximum. Eo spectat ipsius Epistola *Ad Universos Fideles* inscripta, quæ est 28. libri noni. „ Notum, inquit, facimus vobis carissimi fratres & filii, nos admodum desiderare, & Apostolica Authoritate velle sancire, ut generalis Synodus congregetur in loco tuto & securo, sicque opportuno, ut ad eam possint undique terrarum Clericalis Ordinis & laicalis amici vel inimici sine timore convenire. Disponimus enim tractare, & diligenti excussione detectum in faciem orbis ex occultis tergiversationum antris extrahere, quicumque ille est, qui tantorum malorum, quæ jampridem in Christianam Religionem grassantur & sæviunt, causa & author existit. Cujus etiam impietas & inaudita temeritas hactenus obstitit & proturbavit ne inter Pontificatum & Regnum divina pax & recta concordia fieret: Quam pacem, opitulante Domino, sicut Christiana devotio cupit & postulat, in eodem Concilio instaurare & confirmare optamus. In qua Synodo prætetea, secundum SS. Patrum Decreta, parati erimus, quod justum est, facere, & iniquorum nequitiam revelantes, de his quæ Apostolicæ Sedi objiciuntur, & unde quidam fratrum submurmurant, ipsius innocentiam evidenter ostendere: Ita tamen ut ante omnia res Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quibus exspoliata cognoscitur, si dignum est, restituantur...... Vos itaque, quos aut tantæ calamitates movent, aut divini timoris respectus ad Deo dignam pacem & concordiam animat, nitimini & summopere laborate, ut Synodus fieri possit; quatenus Sanctæ Ecclesiæ Caput, totumque corpus, quod impiorum procellosis fraudibus & machinationibus fluctuat nimium & titubat, communi omnium bonorum consensu & robore quiescat de cætero, & stabiliter consolidetur „.

Hæc Synodus inter Gregorianas nona fuit, in qua Pontifex, ne *Henricum* rursus nominatim anathemate confoderet, vix a Patribus exoratus, omnes, qui aditum ad Apostolicam Sedem Fidelibus intercluderent, excommunicavit, ut *Bertoldus* testatur. Interim Romani *Henrico* jurarunt se effecturos ut *Gregorius* Papa eum Imperatorem coronaret, aut alius, quem expulso *Gregorio* eligerent. Imprudens Juramentum solvit Pontifex, pactus *Henrico*, si vellet Ecclesiæ facere satis, eum justitia; sin autem, cum maledictione coronam se daturum. Ipsi ergo Romani Proceres nuntiarunt, ut Deo, Ecclesiæ & Pontifici satisfaciens, coronam cum justitia recepturus de Synodi Sententia, veniret: sin autem, de Castello S. Angeli sibi per virgam demissam a Papa reciperet. Utrumque recusavit superbus Princeps: ingentem pecuniæ vim, quam *Alexius* Comnenus Græcorum Imperator ad ipsum miserat, ut *Robertum Guischardum* Calabriæ & Apuliæ Ducem bello lacesseret, ad conciliandum sibi Romanum vulgus profudit, quo juvante, Lateranense Palatium occupavit, & ab Antipapa *Guiberto* Imperator coronatus est ipsa die Resurrectionis Dominicæ, anno 1084. *Gregorius*, qui Castrum S. Angeli, Tiberinos pontes, munitissima Urbis præsidia tenebat, Romanæ nobilitatis armis defensus, collecta Synodo iterum Sententiam Anathematis in *Guibertum* Antipapam & *Henricum*, & omnes eorum fautores promulgavit. Decima hæc fuit *Gregorii VII.* Synodus. Ista constant ex *Bertoldo* Constantiensi Presbytero in Chronico. *Henricus* excommunicationum fulmina parvipendens, bellicas machinas Arci Sancti Angeli admovere cœpit, ac in ejus expugnationem totis viribus incumbere. Id ubi *Roberto* Duci, qui Constantinopolim obsidebat, nuntiatum est, *Boamundo* filio in ipsa expeditione relicto, ad Summi Pontificis liberationem advolvit, eumque ex Arce eductum, Cassinum, & inde Salernum duxit, ubi diem obiit extremum.

ARTICULUS XIV.

De Pseudosynodis Moguntina & Berchacensi, ab Henrico Imperatore convocatis.

ANno 1085. Moguntiæ apud *S. Albanum* jussu *Henrici* Imperatoris celebrata est Synodus, cui ipse cum Legatis *Clementis* Antipapæ interfuit, & universos Episcopos compulit ut *Gregorii VII.* depositionem, & *Guiberti* Ordinationem scripto approbarent. *Herimannus* Metensis Episcopus, aliique *Gregorio Septimo* fideles, depositi. Pax Dei, sive induciæ adversus bella privata imperatæ. Ista constant ex *Sigeberto*, ex Abbate Urspergensi, & ex Chronicon *S. Trudonis*. Hujus Synodi Acta *Waltramus*, seu (ut aliis placet) Venericus, in libro *De unitate Ecclesiæ* prolixe describit, docetque *Hermannum* Germaniæ Regem, qui in *Rodulphi* locum a Principibus electus fuerat, ibi damnatum ut reum Majestatis, & hostem Ecclesiasticæ pacis.

Eodem anno Conventus alter communi partium consensu, id est, Germanorum Antistitum, qui *Henrico*, & qui *Gregorio* adhærebant, in Berbac Thuringiæ loco condictus est, in quo a viris sapientissimis Canonum authoritate probaretur, cui parti Justitia faveret; Imperatore tamen absente *Wecilo* Moguntinus Archiepiscopus partes Imperatoris, *S. Gebhardus* Salisburgensis causam Pontificis tuitus est. Hujus Colloquii Acta memoriæ prodidit Abbas Urspergensis: *Affirmat*, inquit, *proponente prius Wecilone, Imperatorem non injustis judiciis, tam Regno, quam Communione, Apostolici Sententia privatum. Contra Wecila Dominum suum præjudicium non minus a Papa, quam a Principibus passum contendit, dum ipso apud Canusiam in satisfactione posito, immo jam a Papa in Communionem recepto, alterum super se Regem elevarunt. Adjecit quod Imperator diu jam a Saxonia depulsus, & regnandi copia, etiam ab illa dissensione, quæ ante Rodulphum facta præscribitur, spoliatus, nec vocari, nec judicari, nec damnari canonice debuisset. Hoc Gebhardus improbare nitens, asserit neminem per hoc divinis absolutum legibus, si forte sua quolibet re familiari fuerit spoliatus: quanto minus Rex, qui Saxonia, quæ non suum dumtaxat prædium, sed Domini sit Regnum, qui, Daniele, vel ipso Nabuchodonosor teste, cuicumque voluerit, dat illud: cum etiam ante amissam Saxoniam, prius ab Alexandro, dehinc ab Hildebrando vocatus, satisfacere contempsisset. Sic itaque utrimque parte sua favente atque acclamante, discessum est. Notum tamen, quod eamdem Sententiam Adversarii Imperatoris tanto insequebantur zelo, ut habito postmodum in Quintilnoburg Concilio, ubi Otto Episcopus ostiensis interfuit, Legatus Hildebrandi Papæ, Heresim Wecilonis, ipsumque Heresiarcham appellarent, contra fidem scilicet illum dogmatizasse culpantes. Quod quamdiu quis suis spoliatus sit rebus, divinis non subjaceat legibus.* Eadem commemorat *Waltramnus*, aut (si malis) *Venericus*, lib. *De Unitate Ecclesiæ*.

ARTICULUS XV.

Colloquio Berchacensi Quintilineburgensem Synodum prudenter opposuit Otto Ostiensis Episcopus Gregorii VII. Legatus.

Quintilineburgum, *vulgo* Quedlimbourg. *Abbatia celebris, in Diœcesi Halberstatensi in Saxonia.*

QUia Henricianarum partium Episcopi Sententias a *Gregorio* Papa contra *Henricum* Regem latas in Berchacensi Conventu retractare voluerant, *Otto* Sedis Apostolicæ Legatus Synodum frequentem Quintilineburgi celebravit cum Episcopis & Abbatibus Germaniæ, qui in *Gregorii septimi* communione & obedientia permanserant, quorum præcipui erant *S. Gebhardus* Salisburgensis, & *Hartwicus* Magdeburgensis, Archiepiscopi. Hujus Synodi Decreta strictim attigimus in Synopsi; nunc paulo uberius tractanda sunt, quæ causam *Gregorii septimi* & *Henrici* Regis spectant. Id autem non aliis quam *Bertoldi* Constantiensis Presbyteri, coævi Scriptoris verbis exequar. *Cum omnes*, inquit, *juxta ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium Decreta Sanctorum Patrum de Primatu Sedis Apostolicæ, quod nulli umquam liceat ejus Judicium retractare, & de ejus Judicio judicare. Quod totius Synodi publica professione laudatum & confirmatum est. Et hoc utique contra Henricianos, qui Fideles Sancti Petri constringere voluerunt, ut excommunicationem Domini Papæ Gregorii super Henricum cum illis retractare præsumerent. Quidam autem Bambergensis Clericus, nomine Cunibertus Romani Pontificis Primatui derogare volens, in medium Synodum se contulit, asserens Romanos Pontifices hunc sibi Primatum adscripsisse, non aliunde concessum hereditasse, videlicet ut nullus de eorum Judicio judicare debeat, ne illi alicujus Judicio subjaceant. Qui cum aperte a tota Synodo confutaretur; præcipue tamen a quodam Laico convictus est per illud Evangelicum:* Non est Discipulus supra Magistrum. *Cum enim hoc generaliter in omnibus Ecclesiasticis Ordinibus observandum deputetur, ne major a minore judicetur, quis hoc Vicario Sancti Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro Domino & Magistro venerantur?*

Sedis Apostolicæ judicium retractare, & de ejus judicio judicare, nemini homini licet.

Gersonius contra P. Lupum Christianum defenditur.

Spongia vero indiget *P. Lupi Christiani* hæc in Scholiis Observatio: *Oppositus error est novellum commentum Ioannis Gersonis, infam ob causam pessime meriti.* Nam venerabilis *Gersonius* non asseruit Romani Pontificis Personam vel Acta posse in quavis Synodo judicari, sed tantum in Synodo Œcumenica; quæ Sacræ Facultatis Parisiensis Sententia est; cui nihilominus ea gloria debetur quod Romani Pontificis Primatum *Iure Divino* institutum contra *Lutherum* constantes asseruerit, contra *Antonium de Dominis* vindicaverit. Articulus 22. Sacræ Facultatis contra *Lutherum* sic habet: *Certum est Concilium Generale legitime congregatum, Universalem repræsentans Ecclesiam in fidei & morum determinationibus errare non posse.* Articulus 23. *Nec minus certum est unum esse Iure Divino Summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur. Qui quidem potestatem habet & Indulgentias conferendi.* At *Cunibertus* Bambergensis Clericus, Romani Pontificis Divinum Primatum impugnabat, asserebatque Privilegium illud, ut Sedis Apostolicæ Iudicium ab aliis unius Provinciæ vel Nationis Episcopis, extra Generalem Synodum congregatis, ad examen revocari jure non possit, ac illegitimum irritumque declarari, non esse Pontificii Primatus appendicem, sed meram usurpationem. Quamobrem hæc turbulenti hominis tam insolens assertio, merito a Patribus Quintilineburgensis Synodi damnata est. Immerito itaque a P. *Christiano Lupo* vapulavit *Gersonius*, & in illo tota Facultas Parisiensis, cujus Sententia de Concilii vere Œcumenici super summos Pontifices eminentia, cum *Cuniberti* Bambergensis Clerici, & Antistitum, qui Schismati Henriciano adhærebant, errore commune nihil habet: immo illam Decretis Conciliorum Generalium Constantiensis & Basileensis a *Martino V.* & *Eugenio IV.* confirmatis niti, Parisienses Theologi propugnant.

In eadem Synodo, Secta *Wecilonis* Archiepiscopi Moguntini, Anathemate damnata est, qui asserebat, *Sæculares suis rebus expoliatos Ecclesiastico non subjacere Judicio, nec excommunicari posse pro suis excessibus: Quippe excommunicatos absque Reconciliatione recipi posse contendebat:* ut testatur *Bertoldus*. Aliquo rationis fuco illita erat *Wecilonis* assertio, & *Symmachi* Papæ Decretis niti videbatur, in Quinta sua Synodo ita statuentis: *Nullos Episcopos suis rebus exspoliatos, vel a Sedibus suis vi aut dolo, aut quocumque ingenio pulsos, sicut & vos de nobis judicastis, aut Synodum tam Provincialem, quam Generalem posse convocari, aut in aliquo judicari, antequam cuncta, quæ eis ablata sunt, legibus potestati eorum pacifice per omnia redintegrentur, decernimus.* Henricum Regem spoliatum judicaverat *Gregorius VII.* ideo *Wecilo*, & confœderati in Schismate Episcopi asserebant, eum ante omnia in Regnum restitui debuisse. Verum cum universalis esset *Wecilonis* propositio, & ad eos etiam extenderetur, qui, servato juris ordine spoliati fuissent (quomodo præsumebatur spoliatus *Henricus*) ideo Synodus Quintilineburgensis illam ceu hæreticam damnavit. Canones enim qui spoliatos, ante restitutionem in integrum, judicari vetant, intelliguntur de iis qui spoliati sunt sine vocatione & judicio. Vocatus autem fuerat *Henricus*; simoniæ, tyrannidis in Ecclesiam, & schismatis convictus; contumax damnatus fuerat: unde ipsi Canones minime suffragabantur. Hunc esse veterum Canonum sensum declaravit *Urbanus II.* in Concilio Claromontano, de quo *Goffridus* Vindocinensis Abbas Epistola XXXIX. Libri II. scribit: *Novimus, qui præsentes eramus, Dominum Papam Urbanum in Arvernensi Concilio super hoc diffinitivam, & ab omnibus qui aderant, Episcopis & Abbatibus laudatam dedisse Sententiam, ut quicumque sine vocatione & judicio expoliarentur, etiam sine vocatione & judicio investirentur.*

Quis sit sensus Canonum, qui rebus suis spoliatos judicari vetant ante restitutionem in integrum.

Wecilianæ Hæreseos caput alterum, quo Excommunicationis Sententiam nihil faciendam esse docebat, cum nulla ostenditur, nec de absolutione esse curandum, Synodus Quintilineburgensis proscripsit Canone 1. cujus hæc sunt verba: *Statutum est, ut quicumque ab Episcopo suo, nec officio nec communione privato excommunicatus esset, etsi injuste, nullatenus tamen reciperetur ad Communionem, nisi absolutus Ecclesiastico more.*

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 432. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Venerabilis Gersonius non asseruit Romani Pontificis personam vel Acta posse in quavis Synodo judicari, sed tantum in Synodo Oecumenica, quæ est Sententia Facultatis Parisiensis.*

R. Hæc mera quæstio facti; Juris quæstionem eo loci nullatenus attingo.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 433. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc velut meam Propositionem notant: *Hæc sententia nititur Decretis Concilii Constantiensis & Basileensis, a Martino Quinto & Eugenio Quarto confirmatis.*

R. Innoxia Propositio. Non ita tamen scripsi: *Sed Facultatis Parisiensis Sententia de Concilii vere Oecumenici super Summos Pontifices eminentia, cum Cuniberti Bambergensis Clerici, & Antistitum qui Schismati Henriciano adhærebant, errore commune nihil habet: Immo illam Decretis Conciliorum Generalium Constantiensis & Basileensis a Martino Quinto & Eugenio Quarto confirmatis niti, Parisienses Theologi propugnant.* Et hæc mera facti quæstio est.

No-

Nota.

A Priori loco de Gersonio verba faciam, nec ipsi deferendum videbitur, ubi Pontificem œcumenici concilii judicio subjectum affirmat. Ibi etiam conciliorum Constantiensis, & Basileensis decreta expendam.

ARTICULUS XVI.

Excommunicationem a Judice legitimo, servatis Juris Regulis latam, esse metuendam, eaque ligatum ad Communionem non esse recipiendum, nisi sit absolutus Ecclesiastico more, Synodus Quintilineburgensis contra Wecelianos recte judicavit ac decrevit, secundum Gregorium VII.

Nicænis, aliarumque pene infinitarum Synodorum Canonibus nititur Synodi hujusce Decretum, qui ab uno Episcopo excommunicatos, ab alio recipi tam severe prohibuerunt. Nititur Gelasii I. Pontificis Maximi Decretis & doctrina, in Tumo *De Sententiæ Anathematis*, ubi docet absolutionem Anathematis Imperiali Sententia fieri non posse, etiam si Episcoporum sequatur assensus. „ Christus, *inquit*, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus uterentur, quatenus spiritalis actio a carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus... Quo manifestius approbatur Alexandrinum Petrum per Imperialem tantummodo Sententiam nullo modo potuisse prorsus absolvi: ubi si Pontificum quoque sociatur assensus, quærimus utrum præcesserit an fuerit subsecutus. Si subsecutus est, nihilominus ad id reditur, ut absolutio sæculari Potestate præcepta, & principaliter inchoata, valere non possit, Pontificumque secutus assensus, adulationis potius fuerit, quam legitimæ sanctionis. Si præcessit, doceatur a quibus, & ubi ille sit gestus, si secundum Ecclesiæ Regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromtus... Si ad Primam Sedem, cujus intererat Sententiæ, qua Petrus tenebatur obstrictus, secundum Ecclesiæ Regulas, est relatum. Si eadem, quæ ligavit, absolvit: Si illa, quæ ligaverat, non resolvente, immo etiam nesciente potuisset dissolvi. Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu, Alexandrinus Petrus prætenditur absolutus, cum nec a Pontificibus legitime, & Ecclesiasticis Legibus fuerit expeditus: nec a sæculari Potestate potuerit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolvi?

Nititur idem Decretum authoritate & doctrina *S. Gregorii Magni* Homilia XXVI. in Evangelia: *Sub magno*, inquit, *moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare. Sed utrum juste, an injuste obliget Pastor. Pastoris tamen Sententia gregi timenda est: ne is qui subest. & cum injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ Sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare. Hic autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injuste, nec Pastoris sui Judicium temere reprehendat; ne, & si injuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

Nititur authoritate *Nicolai I.* Epistola X. ad Clerum Constantinopolitanum scripta, in qua de *Gregorio Syracusano* ita loquitur: *Ante audientiam, excommunicatus communicare, & vetita usurpare præsumpsit, & damnatus, de sacro ministerio, non solum aliquid, verum etiam multa juxta priorem consuetudinem tetigit: quod certe Gregorius agere omnino non debuit, etiam si nulla commissa existerent, pro quibus damnari potuisset. Quia Prælati Judicium semper inferioribus formidandum est, ne si ei non obedierint, licet ab eo fortassis injuste ligentur, ipsam obligationis suæ Sententiam ex alia culpa, id est, inobedientia mereantur.*

S. Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus in Epistola ad *Herimannum* Episcopum Metensem, eamdem doctrinam luculenter propugnat. *Nos igitur*, inquit, *& qui nostræ partis sunt, quibus etiam Ecclesiæ disciplina commissa est, ipsi Ecclesiæ in hoc satisfacimus; quia nihil docuimus, vel docemus, præter id quod didicimus. Si inquirimur, unde, a quibus didicerimus; certe multos & nequaquam obscuri nominis nostræ doctrinæ adstipulatores habemus. Apostoli nos docuerunt, Apostolorum Successores, Apostolicæ Sedis Pontifices; Præter illos, immo secundum illos, aliorum Patrum copiosa multitudo... Quorum Sanctionibus, non ignorantia, vel negligentia, sed studio reluctari, quid aliud est quam Spiritum qui per eos locutus est, blasphemare? Isti sine dubio, & non nobis adversantur, quicumque ab excommunicatis, ante canonicam examinationem non abstinent, & non abstinendum docent. Talia enim prædictos Patres concordi & assidua prohibitione vetasse non solum hi sciunt, qui ex scriptis illorum acceperunt, verum etiam rudes & illiterati, qui etsi legem ignorant, tamen ea quæ legis sunt, ex inveterata, & nunquam mutata consuetudine didicerunt.* S. Gebhardo consentit Bernaldus Constantiensis Presbyter in libro *De periculosa excommunicatorum communione vitanda*, quem ipsi dicavi; & quem cum aliis Monumentis edidit *Sebastianus Tengnagel*.

Synodi Quintilineburgensis de vitandis excommunicatis Decretum, & deserenda humiliter excommunicatione ab iis, qui hoc vinculo sunt ligati, donec ab Ecclesia soluti sint *Paschalis II.* in prima sua Synodo confirmavit, hanc præscribens cunctis Fidelibus Professionem: *Anathematizo omnem hæresim, præcipue eam, quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet & astruit Anathema contemnendum, & Ecclesiæ ligamenta spernenda esse.*

In hunc errorem impegit Leodiensis Ecclesiæ Schismaticus Clerus in Epistola adversus laudatum Pontificem scribens: *Qui excommunicatur Spiritus Sancti Judicio, utique repellendus est a Dei domo: Quotiescumque autem aliquis excommunicatur, aut ex causa, aut ex personæ præjudicio, quis dicat hunc excommunicatum esse Spiritus Sancti Judicio? Dicitis cum Gregorio* „ Quoquo modo liget Pastor, timeat grex vinculum Pastoris, *Dicimus & nos cum Gregorio*: ligandi & solvendi potestate se privat, qui subjectos pro suo velle & non pro eorum merito ligat & solvit. *Dicitis: Quoquo modo excommunicatus, si morte prævenitur, damnatur. Hic nobis succurrit Romanæ Ecclesiæ Authoritas: Gregorius enim scripto & facto authorizavit: quod potest Romanus Præsul absolvere excommunicatum injuste ab aliquo. Si hoc potest Romanus Præsul, quis neget etiam Deum posse absolvere, si quem Præsul Romanus injuste excommunicaverit? Nemo enim lædi potest ab alio, nisi prius lædatur a semetipso.*

Fatendum quidem est Deum absolvere quos Episcopus, vel Pontifex injuste excommunicatione ligat, neque quoad hoc caput falsa est Leodiensium doctrina, sed est *S. Hieronymi* verba Christi, *Quæcumque ligaveris* &c. explicantis: „ Istum locum, *inquit*, Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur.

Est *S. Gregorii*, Homilia 26. in Evangelia dicentis: „ Sæpe in solvendis ac ligandis subditis, suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur Pastor. Unde fit ut ipse hac ligandi & solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subditorum moribus exercet. Sæpe fit ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur Pastor. Judicare autem de subditis digne nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Unde recte per Prophetam dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* „ Non morientem quippe mortificat, qui justum dam-

nat

„ nat & non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur „.

Est *S. Niconis* in Epistola ad *Enclistium*, scribentis. „ Scias autem pater, quod Divinæ Scripturæ cum divinis Canonibus definiunt, quod injustæ quæ imponuntur punitiones, apud Deum non ligant, etiamsi Pontifex eas imposuerit. Qui itaque inconsiderata sententia & intemperante animo aliquem a Fidelibus separavit, eum non solum non atringit, sed in ejus etiam caput recurrit, sicut Sanctæ quoque Synodi pronuntiant. Sed illæ pœnæ ligant, quæ secundum Canones & Leges sunt impositæ, non autem quæ secundum propriam voluntatem. Qui enim pœnam præter rationem imponit, ipse est segregatus, & ipse debet eam pœnam observare, sicut & divini Canones decernunt. Deus eum, qui injuste alligatus est defendit & ulciscitur „.

Congruit hæc sententia Canoni *Si quis non*, qui ex *Origene* Homilia 14. *in* Leviticum, sumptus est & legitur Causa 24. Quæst. 3. „ Si quis non recto judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ, depellatur, & foras mittatur; si *ipse* non ante exiit, hoc est, si non *ita* egit ut mereretur exire, nihil læditur in eo quod non recto judicio videtur ab hominibus expulsus. Et *ita* fit ut *interdum ille* qui foris mittitur, intus sit; & *ille* foris, qui intus retineri videtur „.

Congruit Canoni *Illud plane*, qui contextus est ex variis *S. Augustini* locis & loco laudato Decreti legitur. „ Illud plane non temere dixerim, quod si quisquam Fidelium fuerit anathematizatus injuste, potius ei oberit qui facit quam qui hanc patitur injuriam. Spiritus enim Sanctus habitans in Sanctis per quem quisque ligatur aut solvitur, immeritam nulli ingerit pœnam „.

Congruit *Innocentio III.* cap. *A Nobis* De Sententia Excommunicationis *ita decernenti*: „ Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur. Judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur quam & fallere sæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit Sententia innodatus „.

Verum injusta etiam excommunicatio metuenda est, nec prius ad Communionem accedere debet vel admitti excommunicatus, quam Ecclesiæ Authoritate vinculum illud solutum sit; quod *Wecliani*, & Leodienses non esse necessarium contendebant. Ipsis favere fortassis videbitur Canon, *Cui est*, quo *Gelasius* Papa sic decernit: *Cui est illata Sententia, si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & Ecclesiam ejus neminem potest gravare iniqua Sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.* At de excommunicatione palam injusta Canon laudatus intelligitur, quæ scilicet vel a Superiore non fertur, vel post appellationem legitimam vel in eum qui graviter non peccavit, neque contumax est, nec servato Juris ordine. Qua de re audiendus est *S. Thomas* Quæst. XXII. Supplementi, Art. IV. qui ex IV. Sententiarum, Distinct. XVIII. Quæst. II. sumptus est: „ Excommunicatio, *inquit*, potest dici injusta dupliciter. Uno modo ex parte excommunicantis, sicut cum ex odio, vel ex ira aliquis excommunicat; & tunc excommunicatio, nihilominus habet effectum suum, quamvis ille, qui excommunicat, peccet: quia iste juste patitur, quamvis iste injuste faciat. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis; vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia fertur sententia, juris ordine prætermisso; & tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui nullam esse faciat, non habet effectum, quia non est excommunicatio. Si autem talis error non annullet sententiam, habet effectum suum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum: vel absolutionem petere debet ab excommunicante, vel ad superiorem Judicem recurrere. Si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. *Sed absurdus error est*, Ut si quis excommunicatus, injuste se excommunicatum nudis tantum verbis asserit [*ut Henriciani asserebant*] excommunicatoris sententia protinus irrita judicetur. Si stabit hæc consequentia, jam a nullo excommunicato abstinendum quia nullus eorum se juste judicatum esse fatetur, Sed non est æqua partitio, ut ita subjecti audiantur, quatenus Prælati inauditi præjudicium patiantur: „ *inquit* S. Gebhardus, Salisburgensis Episcop. in Epistola ad *Herimannum* Metensem Episcopum a *Sebastiano Tengnagel* cum aliis Monumentis, antiquis edita.

ARTICULUS XVII.

Gregorium VII. morti proximum Sententiam in Henricum Regem latam rescidisse, ipsumque absolvisse, falso scripsit Sigebertus.

DE *Gregorii VII.* obitu ad annum 1085. ita scribit Sigebertus: *Hildebrandus Papa, qui & Gregorius VII. apud Salernum exulans moritur. De hoc ita scriptum reperi; Volumus vos scire, qui Ecclesiastica cura soliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrandus, qui & Gregorius, nunc in extremis positus, ad se vocavit unum de duodecim Cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris, & confessus est Deo, & Sancto Petro, & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat, & suadente diabolo contra humanum genus odium & iram concitasse. Postea vero sententiam quæ in orbe terrarum effusa est, pro augmento Christianitatis cœpisse dicebat. Tunc demum misit prædictum Confessorem ad Imperatorem, & ad totam Ecclesiam, ut optaret illi Indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, & tam cito induebat se Angelica veste; & dimisit ac dissolvit vincula omnium bannorum suorum Imperatori, & omni populo Christiano, vivis & defunctis, Clericis & Laicis, & jussit suos abire de domo Deoderici, & amicos Imperatoris ascendere.*

Sed graviorum & coævorum etiam Authorum testimonio refellitur *Sigebertus*. Primo *Paulus Bernriedensis* in Vita *Gregorii VII.* a *P. Gretsero* S. J. edita, ubi de ejus obitu agens ita scribit: *Interea Pontifex Beatus Gregorius, super his, quos excommunicaut, requisitus, si quam dispensationem facere vellet, respondit: Præter Henricum Regem dictum, & Guibertum Apostolicæ Sedis invasorem, & omnes illas principales personas, quæ aut consilio, aut auxilio favent nequitiæ, vel impietati illorum omnes absolvo & benedico, quicumque me hanc habere specialem potestatem in vice Apostolorum Petri & Pauli credunt indubitanter... Ubi vero in extremo positus erat, ultima verba ejus hæc fuerunt: Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.*

Secundo, Pœnitentiarius *S. Anselmi Lucensis* in ejus Vita, ubi de sancto ejus obitu agit, diserte refellit *Sigebertum*. Sanctum quippe *Anselmum* cum *Gregorio VII.* comparans ita scribit: *Testamentum non fecit, quia unde faceret, non habuit, imitatus etiam in hoc Magistrum, quem pauperem, & in exilio novimus defunctum: Qui etiam in extremis suis, sicut ab ipsius Capellanis didicimus religiosis:* Post omnia, *inquit*, dilexi justitiam, & odio habui iniquitatem, idcirco morior in exilio. *Equidem quod in Vita sua Magister & Discipulus docuerunt, hoc & in morte quasi testamento confirmaverunt. Ille, quos obedientes sibi vivens adhuc benedixit, moriens quoque Domino precibus commendavit: Henricianos vero penitus penitusque, nisi post magnam demum pœnitentiam & conversionem reprobavit. Hic præsentibus nobis in verbo Domini præcepit, ut in fide ac doctrina Beatissimi Papæ Gregorii permaneamus.*

Tertio *Hugo*, Flaviniacensis Abbas, in Chronico Virdunensi, *Gregorii VII.* obitum his verbis commemorat: *Sciens ergo imminere diem vocationis suæ longe, ante convocatis Cardinalibus, Episcopis, & cæteris concaptivis, diem obitus sui prædixit, consummatisque omnibus Ecclesiasticæ institutionis Officiis 15. Kalendas Junii prædictos Fratres sub districti judicii interminatione, & sanctæ obedientiæ præcepto constrinxit, ut si qua in se corrigenda deprehendissent, nullatenus tacere præsumerent. Quibus collaudantibus & vitæ conversationem, & disciplinam doctrinæ sanctæ morumque institutionem, & se-*

& secundum scientiam sancti zeli fervorem, compulit eos Apostolica Authoritate sigillatim sibi dexteras dare, promittentes quod hæreticum illum invasorem sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ numquam reciperent, nisi forte canonice resipiscerent, puram Confessionem Cardinalibus Episcopis offerret, undutus omni Ecclesiastici Ordinis dignitate; contestans, & affirmans, omnes simul in perpetuum condemnandos, quicumque communicare præsumpsissent Henrico Archipiratæ, usurpatori Imperii, nisi deposita dignitate Regni, secundum præceptum eorum pœnitentiam ageret ...... Et sic spiritum Creatori tradens anno ab Incarnatione Domini 185. obiit Martyr & Confessor.

SCHOLION.

Quæ in hac Dissertatione passim ad Gregorii VII. sanctitatem contra Schismaticos vindicandam protuli Articulo præsertim XII. si *Bollandi* Continuatores animo sedato, & a præjudiciis libero expendissent, æquius de me doctrinaque mea judicium tulissent, nec mihi gratis insultassent, in Commentario prævio ad Acta Sancti Gregorii VII. ad diem XXV. Maji §. 1. col. 2. Me *Professionis oblitum meæ* dicunt, ubi de Gregorio VII. egi inter Selecta Historiæ Ecclesiasticæ Capita, Sæculi XI. P. III. (partem secundam indicare debuissent) Cur vero? Quia Facultatis Theologiæ Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam de suprema & *a nemine homine*, sed *a solo Deo* dependente Regum *authoritate in ista* Dissertatione propugnavi. Verum si consideratius ea quæ scripsi perpendissent, me reverentiæ Sedi Apostolicæ, & venerationi Gregorii VII. dignitati & sanctitati debitæ non defuisse intellexissent. Quid enim colligi potest ex eo quod scripsi & probavi, *Gregorium VII. Romanorum Pontificum primum sibi exauthorandorum Regum potestatem tribuisse contra Patrum doctrinam, immo contra verbum Dei*; nisi Sanctum illum Pontificem errasse ut Doctorem privatum, & in re quidem ad Fidem non pertinente? Non enim definivit & credendum Fidelibus proposuit, Reges & Principes supremos a Romano Pontifice, aut ab Ecclesia, Regnis suis ac ditionibus, privari posse. Sic autem posse errare Pontificem, Bellarminus ipse Cardinalis fatetur. Idem fatetur Author libri cui titulus est *Gallia Vindicata*, Romæ tanto plausu excepti, Dissertatione III. §. 1. pag. 42. *Dicimus*, inquit, *non omnia Pontificum Scripta ad oracula & dogmata pertinere, sed ea solum quæ ut Pontifices ac Ecclesiæ Magistri, atque e Cathedra pronuntiant, hoc est, cum rebus mature discussis rursum aliquam definiunt, jubentque definita pro fidei veritatibus haberi, eosque qui secus credunt haberi pro hæreticis volunt*. At Gregorius VII. non definivit Romanos Pontifices habere potestatem indirectam in temporalia Regum, nec jussit opinionem illam suam pro fidei veritate haberi; nec eos qui secus crederent, habendos esse pro hæreticis declaravit: igitur quod sensit, scripsit & pronuntiavit de hac Quæstione, non pronuntiavit ex Cathedra. *Pontifices* autem cum *ex Cathedra*, modo exposito, non pronuntiant, *falli posse, communique mortalium conditioni erroribus obnoxiæ subjacere*, ultro concedit Author ille Anonymus tum in *Gallia Vindicata*, tum in *Regali Sacerdotio*, quem librum ut suum agnoscit: Denique sanctissimos & prudentissimos Pontifices ut homines & doctores privatos falli posse, ac mirum non sit Gregorium VII. in ea de qua agitur, Quæstione deceptum, discere potuissent Bollandi Continuatores ex Sancto Gregorio Magno, libro 1. Dialogorum, col. 21. ubi Petro dicenti, *Miror valde quod tali de viro subripi Pontifici tanto potuerit*, Respondet Sanctus Gregorius *Quid miraris, Petre, quia fallimur, qui homines sumus? An menti excidit, quod David qui Prophetiæ spiritum habere consueverat, contra innocentem Jonathæ filium sententiam dedit, cum verba pueri mentientis audivit? Quid ergo mirum si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non sumus? Multum vero est, quod uniuscujusque Præsulis mentem curarum densitas vallat. Cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula: tantoque ei in unaqualibet re subripitur, quanto latius in multis occupatur*. Quod autem spectat Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam contra indirectam potestatem in temporalia Regum, quam ex Gregorii VII. facto & opinione plerique Italiæ & aliarum gentium Theologi Summo Pontifici tribuunt, nihil scripsi, quod non sit ex ejusdem facultatis & Ecclesiæ Gallicanæ sententia; quæ cum a Romana Ecclesia nusquam damnata sit, me propterea lacessere non debuerunt, mihique maledicere viri qui pietatem profitentur. Audiant eo de argumento disserentem M. *Franciscum Feu* Doctorem Sorbonicum, & Parochiæ SS. Gervasii & Protasii in Regia Urbe Rectorem, in Tractatu *de Legibus* nuper edito, Quæst. 4. Art. 4. R. (inquit) *Hanc abdicationem Gregorio adscribendam esse, non Ecclesiæ, quæ in omnibus orbis Christiani partibus in Officiis publicis ita professa est a quarto sæculo:* „ Non eripit mor„ talia, qui Regna dat cœlestia. *Ideoque in hanc Pontificis & Romanarum Synodorum sententiam, ut adversus rem anterioribus sæculis penitus inauditam reclamarunt utique tum privati, tum & Ecclesia. Illud enim Gregorii factum et sibi exosum testificari non dubitarunt quotquot tunc temporis florebant Principes, ut referunt Authores Anonymi duo coætanei, quorum alter Francicam historiam deducit ad annum millesimum centesimum decimum, & testatur in Synodo Romana Sententiæ Gregorii adversus Principes latæ reluctatos fuisse omnes fermo Episcopos. Ejuscemodi factum improbarunt quoque viri non mediocri doctrina & pietate commendabiles, ut Abbas Cassinensis in Italia, & in Francia Hugo Cluniacensis, Sugerius Abbas Sancti Dionysii, & alii. Uno verbo universalem hanc fuisse Latinorum reclamationem palam est vel ex ipso Gregorii VII. testimonio, qui Epist. 3. libri 7. ita scribit:* „ Quotquot Latini sunt, omnes causam Henrici, præ„ ter admodum paucos, laudant ac defendunt, & du„ ritiæ ac impietatis circa ipsum me redarguunt .... *Expertus est hoc in negotio, quod frequentius contingere posse non diffitetur, lib. 9. Epist. 31. ad Hugonem Episcopum:* „ Multa, inquit, subripi possunt nimia „ ad singula intentis, ut ore divisis ad plurima „ & intentis ad maxima, quibus vehementer ar„ ctamur. *Et licet nihil sibi temere hac in causa tunc temporis excidisse censeret; in hac sua tamen propugnanda sententia non constitit: Sic enim loquitur in eadem Epistola:* „ In hac causa, quod minime recor„ damur, si quid forte subreptum fuit, optat magis „ animus corrigere, quam ab æquitate & rationis tra„ mite deviare, vel aliis corrigenda relinquere. *Hinc post electum a Saxonibus in Imperatorem Rodulfum, Bernardo Sedis suæ in Germania Legato jussit anno 1077. ut Regem utrumque, Rodulphum scilicet & Henricum conveniret; commonefaceretque ad Christiani sanguinis imminentem declinandam effusionem, velle Pontificem in Concilio judicare, cuinam Regia Dignitas competeret. Ex quibus hæc consectaria sunt. Primo ipsi Gregorio non constare, an jure abdicatus fuisset Henricus, gravemque aliquam de illa abdicatione dubitandi superesse rationem, rei scilicet novitatem. Secundo jure Regio Henricum revera non excidisse; cum ex illa Gregorii ad Bernardum Legatum Epistola, lis adhuc esset sub Judice; & Henricum ut Regem conveniri jusserit, & ad pacifici judicii tribunal hortationibus curaverit adduci*. Hæc Vir doctissimus.

ANIMADVERSIONES in illam, quam habet P. Natalis art. 9. propositionem: *Gregorius VII. Romanorum primus Pontificum sibi Regum exauthorandorum tribuit potestatem contra Patrum doctrinam, immo contra Verbum Dei &c.*

CUM Clerus Gallicanus an. 1682. eam etiam promulgaverit propositionem, qua asserebatur neque directe, neque indirecte authoritate Ecclesiæ posse Principes deponi, subditosque a fidelitatis sacramento solvi; atque hanc sententiam non solum esse necessariam publicæ tranquillitati, sed consonam Verbo Dei, Patrum Traditioni, Sanctorumque exemplis, varii pro utraque parte Tractatus prodiere, quibus alii præfatam potestatem Ecclesiæ concedendam dixere, alii omnino negandam mordicus propugnarunt. Ita autem negans opinio, quorumdam animis insedit, ut episcopus Tornacensis in epistola ad Matti-

num

sum Steyaertium, Facultatis Lovaniensis Doctorem, non veritus sit dicere, quamquam audacissime, S. Gregorium VII. quia indirectam in temporalia Principum authoritatem non desiit exercere, *tam ambitiosa sui Apostolatus opinione elatum fuisse, ut omnia sacra profanaque suis pedibus subjecta voluerit; enormem Monarchiam supra Christi institutionem de repente sibi arrogasse; periculosum, immo & perniciosum errorem adversus sensum S. Scripturæ, ac SS. PP. divulgasse*. Ita irreverenter de S. Gregorio VII. sana Natalis non scripsit. Momenta, quibus negans opinio fulcitur, expendit & urget idem Natalis. Ego vero cujuscomque jura intacta relinquendo, quædam afferam quæ apud sapientes Criticos nulli dubio sunt obnoxia; atque ex iis ostendere intelligo immerito Natalem gravissima censura contrariam opinionem inurere. Ne vero ex vocum obscuritate possit quis ignorare qua de re in his Animadversionibus agatur, operæ pretium est hic adnotare eam appellari potestatem directam in temporalia, quæ ad ea regenda est primitus instituta. Indirecta vero ex sua natura temporalia non respicit; &, si ad ea quandoque extenditur, id ei tribuendam dicunt, quando usus talis potestatis ad spiritualium tuitionem est necessarius. Ita indirecte diceretur Pontifex potestatem in temporalia exercere, quoties ob necessitatem fidei tuendæ, quia e. g. Princeps illi destruendæ incumberet, nec alia via eidem resistendi occurreret, subditos a sacramento fidelitatis solveret.

§. I.

Directa in temporalia Principum potestas non est Romano Pontifici adjudicanda. Dum vero hanc excludunt PP. non sequitur necesse esse dicere, & indirectam rejicere.

Directam in temporalia Principum potestatem abs dubio a Pontifice illa excludunt, quæ utrique potestati, spirituali nempe & temporali diversos esse constitutos fines ostendont. Celebris est epistola Sancti Gelasii ad Anastasium Augustum, qui etiam ecclesiastica ad se trahere conabatur: *Duo sunt*, ait, *Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, sacerdotalis authoritas, & regalis potestas, utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia est*. Subdit postea quod sicut ipse Anastasius in rebus spiritualibus ecclesiæ Præsulibus colla submittebat, ita in temporalibus ipsi obsequebantur religionis Antistites; ac Christum ita utriusque potestatis officia discrevisse, ut militans Deo minime se sæcolaribus implicaret, ac vicissim ille rebus divinis præsidere non deberet, qui esset negotiis sæcolaribus implicatus. De earumdem potestatum discretione non semel alii Pontifices Imperatores monitos voluere; & ita Nicolaus I. *ep.* 8. ad Michaelem Imperatorem spiritualem potestatem & temporalem a Deo discretam fuisse fatetur, nec Imperatorem, jura Pontificatus arripere, vel Pontificem Imperatoris jura usurpare debere. Stephanus VI. *ep. ad Basilium Imperatorem* ipsi tantum demandatam mundanarum & civilium rerum curam commemorat, gregis vero curam tanto præstantiorem, quanto quæ in terris sunt distant a cœlo, sibi tantum commissam. Gregorius II. Leonem Isauricum Imperatorem objurgans, quia spiritualia invaderet, ita ipsum alloquitur epistola ad eumdem, quæ habetur ante acta septimæ Synodi: *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic nec Imperator in ecclesiam introspiciendi, & electiones in Clero peragendi*. Idem innuit Alexander III. relatus *cap. 8. de appellat. & cap. 7. qui filii sint legitimi*. Atque ita re vera rectus ordo exposcebat; neque etenim ut par erat, ecclesiæ gubernio potuisset Pontifex invigilare, si ad temporalia universi orbis regenda incumbere debuisset: & præterea qui omnium Patris & Pastoris officium exercere debebat, removendus erat ab illis contiouis simultatibus, quas cum Principibus ratione temporalium habuisset, non absque grandi spiritualis regiminis præjudicio.

Com ergo Romani Pontifices directam in temporalia exercere non possint potestatem, nec ad regenda Imperia Regnaque fuerint a Christo destinati, ipsi fassi sunt sibi non inesse in Reges temporalem potestatem, ut habet Innocentius III. *cap. per venerabilem qui filii sint legitimi, & cap. novit. de Judic.* Ex hoc vero sequitur, quod cum potestatis denominatio ex ea, quæ ex proprii officii exercitio per se consurgit, desumatur, seu ex iis quæ plerumque, non vero quæ raro accidunt, ut ex *leg. 3. & 4. ff. de leg.* non attendendo quæ sit potestas extraordinaria, indirecta, seu subsidiaria; hinc recte absolute dicitur Pontificem in Reges ac regna temporalem non habere potestatem. Hanc ob rationem Innocentius III. hujusmodi potestate se exutum dixit, quamvis indirectam exercere non cessaverit, ut jam dictum est, iterumque infra adnotabitur.

Ex hoc autem nequaquam adversari menti, ac Traditioni SS. PP. dicunt, si indirecta in temporalia potestas Romano Pontifici adscribatur. Bene conciliari potest hoc quod est Pontificis non esse inspicere in Palatium, ac regias dignitates deferre, seu sæcularibus se immiscere, & nihilominus indirecte & per accidens, dum nempe prorsus ita sit necessarium ad spirituale gubernium, in hujusmodi se intromittere. Dum ergo primum asserunt PP. ac Romani Pontifices fatentur, necesse non est exinde inferre indirectæ in temporalia potestati refragari. Ita, ut prænotavi, Innocentius III. temporalem in Reges potestatem se non habere asseroit, & tamen indirectam & subsidiariam exercuit. S. Bernardus etiam *lib. 1. de consider. ad Eugenium cap. 6.* considerat nullum Apostolorum temporalium Judicem sedisse; indignum esse Viri Apostolici de terreois judicare, cum judicium in majora debeant exercere; claves ad spiritualia dirigenda collatas fuisse; terrena Principibus dimittenda; ac alienos fines invadere Ecclesiæ Præsulem, dum de iis velit cognoscere. Ita absolute potestatem in temporalia Pontifici adimit. Statim nihilominus eamdem potestatem in eo agnoscit, *ubi necessitas exigit*, atque ita subdit: *Sed aliud est incidenter excurrere in ista, causa quidem urgente, aliud ultro incumbere istic, tam quam magnis, dignisque tali & talium intentione rebus &c.* Eadem fere habet *lib. 4. cap. 3.* ubi Romanum Pontificem tamquam Petri Successorem ad officium Pastoris assumptum dicit, ad evangelizandum, & pascendum, non ad usurpandum gladium, quem in vaginam ponendum Christus Petro mandavit. Verum postea hæc habet: *Quid Tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere Verbum Domini dicentis sic: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus, uterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius & materialis; sed hic quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacerdotis, hic militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris.*

En quod ubi PP. Pontifici in temporalia collatam potestatem negant, de ordinaria sunt intelligendi. Non est ergo Verbo Dei traditum contrarium, dum extraordinaria & indirecta eidem asseratur.

§. II.

Referuntur quæ respondent illis Sacræ Scripturæ textibus, qui videntur removere a Pontifice quamque potestatem in temporalia Principum.

Remotam prorsus se voluisse Christus videtur, & minime proinde concessam suis Vicariis civilium ac temporalium potestatem, quia Jo. 18. dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo*. At hunc textum ita explicant cum Petro Bertrando episcopo Eduensi, qui coram Philippo IV. an. 1329. libertates ecclesiæ Gallicanæ propugnavit, ut nullatenus indirectam in temporalia potestatem excludat: *Ad tertiam rationem*, ait de orig. jurisd. q. 3. *de Christo, qui abjecit a se, ut dicunt, omnem jurisdictionem temporalem, dicendum est quod qui dicit Christum non habuisse omnem potestatem sæcularem seu temporalem, contradicit ejus verbo, Matth. ult. Data est mihi omnis pote-*

potestas in cælo, & in terra. Et Apocal. 1. dicitur: Princeps Regum terræ — Veramtamen quia principaliter venerat nos redimere & salvare, quasi omnes actus ejus versabantur circa eraditionem nostram, & pauci aut nulli circa exercitiam cujuscumque jurisdictionis, non quod utramque potestatem non haberet, sed ut saluti nostræ totaliter impenderet, sicut dicit Jo. 3. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Expleto autem sacramento nostræ salutis per mortem Christi, & ejus resurrectionem, Christus commisit Petro regimen ecclesiæ tantam, quantum necessarium erat & expediebat eum regimine ecclesiæ. Et quia utraque potestas temporalis, & spiritualis est ad hoc necessaria, ideo utramque potestatem commisit Petro. Inhærendo igitur huic explicationi, dum Christus respondit Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo*, intelligere voluit se non esse Regem, quales illi fuerant, qui antea regendo populum Judæorum, omnia sæcularis Principis munera impleverant; de hoc etenim Pilatus illum interrogaverat. Per hoc autem non apparet intelligere voluisse omni etiam carere temporali potestate, & præcipue quæ ad spiritualia refertur, uti se habet indirecta in temporalia potestas; tunc etenim qui eam exercet, non ad instar Regum regnis potitus ac subditis imperat, sed officio fungitur supremi in ecclesia Pastoris. Hinc putant neque Bossuet *p.* 2. *l.* 5. *cap.* 18. ex hoc textu valide arguere ad præfatam indirectam potestatem eliminandam. Verum quidem est Christum significare voluisse, sui muneris non fuisse temporalia regna assequi, ac regere; ac proinde non debuisse alios metuere a Solio esse exturbandos. At sicut ad regenda ac stabilienda spiritualia venerat, ac eadem potestate suos Vicarios præditos voluit, sufficit, ajunt, intelligere venisse ad spiritualia gubernanda, ut necessario intelligatur usum indirectæ potestatis in temporalia Romanis Pontificibus reliquisse; neque etenim satis spiritualibus consuluisse judicant, quoties absque indirectæ illius potestatis usu spiritualia corruerent, & nihilominus illius exercendæ authoritate Pontifices non potirentur.

Ex his, velit nolitque Bossuet, aperte constat abs re *cap.* 20. ad omnem prorsus potestatem in temporalia eliminandam illam Christi responsionem in medium afferre, qua *Luc.* 12. uni ab ipso exposcenti, ut compelleret fratrem suum ad secum hæreditatem dividendam, ait: *Quis me constituit Judicem super vos?* Sane Christus non venerat ad dirimendas lites, quæ circa temporalia inter Judæos agitabantur; unde incongruam petitionem refellit dicendo, non constitutum fuisse ipsorum Judicem. Verum indirectæ in temporalia potestatis Assertoribus satis est si dicatur Christum ad regenda spiritualia venisse, eorumque regimen suis Vicariis demandasse.

Alterum urgent Evangelii locum ad omnem a Pontifice in temporalia potestatem excludendam, quod scilicet Christus Matt. 22. dixerit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari &c.* His verbis eum docuerit Christus etiam Principibus idololatris improbisque obedientiam, ac tributa præstanda, videtur satis ostendisse non esse a spirituali potestate Imperia ac regna perturbanda.

Verum dicunt nil aliud Christum ita respondendo ostendere voluisse, quam non esse obedientiam denegandam, & censum esse persolvendum Principibus etsi gentilibus &c. Cum igitur discipuli Pharisæorum ac Herodiani putarent non convenire populo Dei extraneis subjici Principibus, ac præjudicium ipsorum libertati irrogari censum persolvendo; ideo an id liceret, expostulant: *Licetne censum dari Cæsari, an non?* & Christus solvendum respondit. Nil proinde putant ex hoc textu inferendum, nisi quod Judæi non poterant se subducere a persolvendis Cæsari tributis, sed hoc sub lite non est, sed solum an dum Princeps hæresim profiteretur, vel Religionem subverteret, posset Christi in terris Vicarius hujusmodi subversioni se opponere, subditos a fidelitatis sacramento absolvendo, dum alia desint media, quibus Religionis subversio impediatur.

Similem afferunt responsionem, dum objiciunt adversus indirectam Pontificis potestatem illa Apostoli verba ep. ad Tit. c. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo.* Dicunt igitur ita imperasse Apostolum, quia apud multos prævaluerat Judæ Galilæi error, quo asserebatur Romano Imperatori non esse parendum, nec censum tribuendum, unumque Judæorum Dominum esse Deum: *Quod quidem præceptum*, ait S. Hieronymus in c. 1. ep. ad Tit. *puto editum, quia Judæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc vivebat, & habebat plurimos Sectatores — Qui inter cætera quasi probabile proferebat ex lege nullum deberi Dominum, nisi solum Deum vocari; & eos qui ad templum decimas deferrent, Cæsari tributa non reddere. Quæ hæresis in tantum creverat, ut etiam Pharisæorum & multam partem populi conturbaret.* Ubi vero Reges Religionem subverterent, debere Romanum Pontificem eis obsistere, neque Apostoli præcepto præpediri, observant significasse Symmachum Papam, ita ad Anastasium Imperatorem scribendo: *Fortasse dicturus es scriptum esse; Omni potestati nos subditos esse debere. Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non erigunt voluntates. Cæterum si omnis potestas a Deo est, magis ergo quæ rebus est præstituta divinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterum si tu Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis.* Sed & hoc idem ab Apostolo ibidem traditum judicant, nam ut ostenderet obedientiam sublimioribus potestatibus esse exhibendam, hanc reddidit rationem: *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi bonum.* Si ergo talis sit Princeps ut sit timori *boni operis, non mali*; si ejus potestas bonum facienti sit pertimescenda; si ex ejus nequitia potius sit diaboli minister, cessat Apostoli ratio, qua Principibus obsequendum pronunciat.

Ita explicatis illis S. Scripturæ textibus, ex quibus videbatur indirectæ potestatis in temporalia potestas a Verbo Dei scripto aliena, si Ecclesiæ concedatur, addunt Apostolum ecclesiæ Ministros authoritate temporalia regendi præditos agnovisse, ubi ita bonum fidei exposceret. Proferunt ergo ipsius verba ex 1. *ad Cor.* 6. excerpta, ubi ita habet: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud sanctos: an nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? & si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Cum Corinthii in periculo fidei amittendæ versarentur ob frequens commercium cum infidelibus, Apostolus eos monet inesse etiam ecclesiæ ministris potestatem de temporalibus judicandi, argumento desumpto a majori ad minus per illa verba: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Quasi diceret, ut ibidem explicat S. Thomas: *Qui idoneus est ad majora, multo magis erit idoneus ad minora.* Unde ex præfata Apostoli authoritate S. Gregorius 2. *p. Past. cap.* 7. agnoscit ecclesiæ Pastoribus potestatem in temporalia traditam fuisse, quamvis ab ea oportet abstinere, ne a spiritualibus distrahantur. Et S. Bernardus supra citatus l. 1. de Consid. cap. 6. ita ait: *Mihi videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu apostolicis viris non judicare de talibus* (causis temporalibus) *quibus datum est judicium in majora. Quidni contemnant de terrenis possessiunculis hominum judicare, qui & Angelos judicabunt? — Habent hæc infima & terrena judices suos, reges, principes terræ: quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas, audi quid sentiat non ego, sed Apostolus; Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?* Ubi ergo necessitas exposcat, agnovit S. Bernardus potestatem a Christo collatam, ut rite spiritualia ordinentur, sæcularia etiam respicere valere, utpote quia tunc ad hæc non extenditur nisi ad spiritualium rerum præjudicium amovendum.

S. Bernardi verba expendens Bossuet *in Defens.* declarat.

clarat. p. 2. l. 5. c. 4. & 16. totus est in considerandu Mellifluum Doctorem ad Eugenium scripsisse Apostolicam dedecere Dignitatem, si se temporalibus immisceat, alienæ jurisdictionis ita agendo fines invadere, & claves Apostolis collatas ad sola cœlestia moderanda. Vera sunt quæ hucusque afferuntur. At negat fortasse Bernardus necessitate cogente posse de temporalibus judicare? Negat posse spiritualem potestatem, *incidenter*, ut §. superiore notatum est, nempe *per accidens*, in temporalibus se immiscere? Si ita potest, dum ita necesse sit ad spiritualia rite regenda, quid putandum sensisse de eadem, dum ab ea potestate abstinendo de totius Regni Fide actum esset? Potest, ergo ex D. Bernardo potestas spiritalia *incidenter*, *indirecte*, *per accidens* de temporalibus judicare, unde verum non est numquam posse extra spiritoalia se extendere. Et si ita non sensisset Bernardus nullo pacto etiam dicere potuisset, gladium temporalem esse Pontificis, ipsius nutu ab Imperatore evaginandum.

Ex hucusque dictis verbo Dei scripto non adversari indirectam Pontificia in temporalia potestatem contendunt, nam nihil ex S. Scriptura opponitor, quod vere ad eam esclodendam urgeat, ac rationabiles non habeat explicationes. Quis ulterius dicat S. Scripturam reiicere, quod tot Catholici Scriptores nullatenus eidem adversari observarunt?

§. III.

Romani Pontifices, ac ipsa œcumenica Concilia indirectam in temporalia potestatem ad praxim redegerunt; quapropter credere non est eamdem potestatem Verbo Dei Scripto & Tradito opponi.

PRimo referunt S. Gregorium M. qui morem gerendo Brunechildi Reginæ, & Theodorico ipsius nepoti, pluribus privilegiis Xenodochium ab ipsis fundatum communivit; & ne aliquis ea infringere auderet, has pœnas in eorumdem violatores constituis. *Si quis*, ait l. 12. ep. 10. *vero Regum, Sacerdotum, Judicum, personarumque secularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat*. En etiam adversus Reges temporalibus pœnis animadvertisse, si concessa ab ipso privilegia temerassent. Launojus, ac Maimburgus hanc aliasque similes Epistolas S. Gregorio suppositas scripsere, vel saltem fuisse interpolatas. Ne tamen iis adhæream hoc unum mihi satis est, quod ab undecim ferme seculis præfatam epistolam aliasque similia continentes, nemo a S. Gregorio ablegavit; ac proinde & nuperi Gallicanorum monumentorum Collectores. ut S. Gregorii genuinas exscripsere, inter quos Andreas Duchesne *Hist. Franc. t. 1.* & Jacobus Sirmondus *Conc. Gall. t. 2.* Vidit & Natalis in superiori secunda dissertatione *art. 10.* Launojum non satis se ab hac auhoritate expedire; unde ipse fatetur quidem Sanctum Gregorium ea scripsisse, sed necesse non fore ita ipsius verba intelligere, ut sint imperantis, judicantis & decernentis, cum potuerint esse execrantis: quam Natalis responsionem sua probabilitate gaudere fatendum esset, ni Gregorius etiam de temporalibus disponendi authoritate potiri ratione peccati aliisque de causis sensisset. Id ostendit, dum Mediolanensibus indulsit, quod extincta Regum Longobardorum stirpe ipsorum civitatis Antistites una cum provincialium Episcoporum Concilio in Regem, quem vellent, eligerent; cujus rei testis sunt Sigonius *de Reg. Ital. ad an. 601.* & Spondanus *ad an. 600.*

Deinde asserunt Pippinum ad Francorum Regnum evectum fuisse, quia Pontifices Romani indirecta potestate in temporalia utentes, ut ipsum in Regem Franci eligerent, concesserunt, illos a sacramento fidelitatis Childerico præstito absolventes. Narrat id Otto Frisingensis; nam postquam *lib. 5. hist. c. 22.* Pippini electionem authoritate Pontificis factam scripsit, deinde *cap. 23.* hæc habet: *Pippinus a Stephano Papa II. a fidelitatis Sacramento, quod Hilderico promiserat, cum aliis regni Francorum proceribus absolvitur.* Similia habet Conradus Abbas Urspergensis in Chronico *ad an. 752.* his verbis: *Authoritate Zacharia Papa more Francorum electus ad regnum Pippinus, ex Præfecto palatii authoritate apostolica sublimatus, & unctus in sedem Regni, postea regnavit annis quindecim, absolutus per Papam Stephanum a juramento, quod Regi Hilderico cum cæteris regni Primoribus fecerat.* Videnda etiam quæ dixi *tom. 6. pag. 94.* Ejusdem etiam indirectæ potestatis usum agnoscunt, dum Leo III. Occidentis Imperio Græcos orbatos voluit, & diademate Imperii Carolum M. redimivit. Et re vera non quid alienum a vera potestate regnandi ac imperandi a Romano Pontifice suam prosapiam accepisse ostendit Ludovicus II. Imperator; nam scribendo ad Basilium Imperatorem ait, quod ab Ecclesia Romana *regnandi prius, & postmodum imperandi authoritatem* ipsius Prosapia *seminarium sumpserat*. Illud addendum Jo. VIII. Carolum Calvum deinde ad Imperium elevasse, quod cum non jure successionis ei deberetur, neque etenim defuncti Ludovici II. Imperatoris proximior erat inter consanguineos, agnoscere necesse est in quibusdam circumstantiis autumasse, suum esse de ipso Imperio disponere. Unde uni Papæ id tribuentes PP. Concilii Ticinensis an. 876. celebrati, ita Carolum alloquuntur: *Divina Pietas vos* (Carolum Calvum) *Petri & Pauli interventione per Vicarium ipsorum, dominum videlicet Joannem Summum Pontificem & universalem Papam, spiritualemque patrem vestrum ad profectum Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrumque omnium invitavit, & ad imperiale culmen Sancti Spiritus judicio provexit.* Sed & videnda, quæ dixi *tom. 6.* pag. 351.

Ego equidem fateri cogor quædam saltem vestigia usus indirectæ potestatis in temporalia in præfatis agnoscere; unde jam ab eo tempore hanc suam potestatem Romanis Pontificibus haud ignotam fuisse. Cum vero id posterioribus seculis clarius sibi tribuerint, ac exercuerint, cursim innuam quosdam textus canonicos, in quibus expressa reperitur, ac quædam exempla, quibus ostenditur eadem potestate Principes exauthorasse.

Præfatam indirectam in temporalia potestatem sibi non deesse supponens Innocentius III. ut constat ex *cap. Venerabilem de elect.* electionem Philippi Sueciæ Ducis reprobavit, & Ottonem legitimum esse Imperatorem dixit, unde Duci Carinthiæ mandat a Duce Sueviæ recedere, etsi forte ei juramentum præstitisset fidelitatis. Addit ibidem Principes ipsos agnoscere jus authoritatemque examinandi personam electam, eamque ad Imperium promovendi ad Romanum Pontificem pertinere. Idem Pontifex *cap. Per venerabilem qui filii sint legitimi* affirmat in locis sibi temporaliter non subjectis limitatam exercere jurisdictionem, eamque non solum jure voluntarii compromissi, sed etiam jure divino. Eadem in temporalia Principum indirecta potestas Romano Pontifici inesse affirmatur, *cap. Grandi de supplem. negl. prælator. in 6.* Joannes XXII. *Extra. Si Fratrum ne Sede vacante* dicit B. Petro non solum cœlestis, sed terrestris etiam regni jura commissa: ad summum Pontificem recurrendum, ubi judicii secularis copia non suppetat: dissidentibus Electoribus, ac proinde Imperio, & Ecclesiæ gravibus malis imminentibus, jus esse Romani Pontificis electis, & Electoribus quæ pro componenda pace necessaria sunt indicere. Urgentibus simultatibus inter Bonifacium VIII. ac Philippum Galliæ Regem Bonifacius edidit Extravagantem *Unam Sanctam de privileg.* ubi & spiritualem & temporalem gladium Petro collatum affirmat, & potestatem temporalem errantem per spiritoalem esse corrigendam. Verum quidem est Clementem V. Bonifacii constitutionem ita declarasse, ut ex ea Galliæ Reges non magis Romanæ Ecclesiæ subjecti intelligerentur, quam ante eamdem Constitutionem. Non negavit proinde Clemens inesse Romano Pontifici indirectam, & subsidiariam in Reges potestatem, sed solum Galliæ proceribus voluit satisfacere; lamentabantur etenim Bonifacium sua Constitutione jus in Gallia regnandi non ex legitima successione, sed ex Pontificia authoritate derivasse.

Sed & illud indubitatum est Romanos Pontifices non semel hac usos indirecta potestate. Et quampluribus modernioribus exemplis omissis, constat ex *cap. licet de vot.* Innocentium III. Andreæ Regis Hun-

Hungariæ secundo genito, ni quem exercitum conscripserat pro restituenda fide catholica in terris a Barbaris usurpatis adversus ipsos duceret, non solum spirituales pœnas denunciasse, sed temporales etiam adjunxisse, regni videlicet privationem, si forte eo primogeniti mortem ad illud vocaretur. Idem Innocentius anno 1212. ut habet ibi Matthæus Parisius, Joannem Regem Angliæ, qui *sine terra* nuncupabatur, eum ab Anglicana Ecclesia divexanda non cessaret, a solio regni deponendum decrevit. Innocentius IV. Fridericum II. Imperatorem ubique in ecclesia sævientem Imperio expoliavit. Joannes XXII. Ludovico Imperatori jussit ab imperatoris fascibus abstinere, quoadusque decideretur an ipsius, vel potius Friderici Austriaci legitima esset electio, &c. Quam vero antea hanc explicaverit potestatem Gregorius VII. satis ex superiori dissertatione comperitur. Quamplures alios Romanos Pontifices hanc sibi tribuisse potestatem legere est apud eos, qui ipsorum gesta scripsere, & novissime apud Franciscum Pagium. Unde si de eo quod factum est sit sermo, puto nullum, cui cordi sit negaturum, quod nempe diversi Romani Pontifices ab hujus potestatis usu non cessaverint.

Observant modo non solum ad unumquemque judicem pertinere, quo se se extendat propria jurisdictio inspicere, atque id potissimum supremo Principi non esse denegandum; neque etenim æquum est inferioris judicis expectare sententiam, ut ex ea propriam authoritatem dimetiatur; sed etiam credendum de sua potestate erronee non judicasse quoties præditus sit scientia qua cognoscere valeat suæ fines potestatis, unaque probitate, qua excludatur suspicio aliena jura invadere voluisse. Porro inter Pontifices, qui ab usu indirectæ potestatis in temporalia non abstinuerunt, quosdam scientissimos fuisse ac sanctitate floruisse certum est, ac inter alios uterque Innocentius III. & IV. meruerunt specialibus encomiis commendari. Ex hoc autem semper illud consurgit argumentum, quod inverosimile prorsus est hujusmodi Pontifices, qui eamdem sibi tribuerunt potestatem, ita ex ignorantia vel ex industria excæcari voluisse, ut reclamantibus S. Scriptura, ac PP. Traditione, eam non solum tyrannice, sed adversus etiam jus divinum sibi adscriberent.

Cæterum bene observat P. Natalis art. 9. Summos Pontifices consuevisse obsequium ac reverentiam erga Imperatores profiteri. At id ideo fecisse putandum est, quia non dedecet supremam spiritualem Pontificis potestatem ab humilitatis officiis non abstinere. Cum præterea diu Romani Pontifices temporali dominio caruerint, ac Romæ Imperatores omnimodam exercerent jurisdictionem, ideo istos ut Dominos Temporales reverebantur, ipsorumque leges ut omnino exequendas respiciebant.

Bossuet in *defens. declarat. l. 6.* per plura capita non omittit expendere a quarto sæculo usque ad Gregorium VII. quam maximas non desiisse Romanis Pontificibus occasiones Imperatores, Regesque exauthorandi, si ita indirecta sua in temporalia potestate præstare potuissent; neque ipsis tam fractas vires sæpe fuisse, ut id non potuissent attentare, si hoc jure potiri agnovissent. Verum fateor tot quæ congerit exempla non satis mihi suadere ab usu talis potestatis quia ea carere crediderint, abstinuisse. Observo igitur ex eisdem exemplis innotescere Imperatores maxime Græcos sua impietate suisque adversus fidem conatibus occasionem Romanis Pontificibus frequenter tribuisse, ut excommunicationis mucrone confoderentur, & tamen & ab his spiritualibus armis abstinendum Pontifices crebro duxere. Sicut igitur toties abstinuisse ab excommunicatione ferenda potestatis defectum minime indicat, sed solum judicasse e re Ecclesiæ non fuisse & illis armis adversus Imperatoris fidei perduelles insurgere, ita & dici potest ea ratione Principum exauthorationem non intentasse. Et quidem difficillimum est tales accidere circumstantias, ut expediat ecclesiæ bono Principes e solio deturbare. Futiliter etiam Bossuet immoratur in opponendo quandoque Pontifices ab excommunicandis Principibus non cessasse, nec tamen cogitasse de eis a regno expellendis. Oportebat igitur observare quædam delicta Regum bene excommunicatione plecti, qualia fuere contumacia in illegitima retinenda uxore, legitima ejecta &c. quæ tamen, quia ecclesiæ fideique non officiebant, in ea non erat animadvertendum usu indirectæ potestatis in temporalia.

Quoadusque demum se vertat Bossuet, ea quæ scribit Theophanes in Chronographia de Gregorio II. Leoni Isauro tributa persolvi vetanti, & Italiam ad defectionem impellenti, ostendunt usum talis potestatis a Theophane non fuisse improbatum. Primo igitur, ut alibi adnotavi, apud me certum est hujusmodi non scripsisse Theophanem, ut odium in Romanam ecclesiam suscitaret; tanta etenim fuit hujus viri probitas, ut nonnisi per summam injuriam ita de eo crederetur. Legenda quæ de eo scribit Natalis, *tom. 6. pag. 41. & seq.* Deinde postquam ad annum Leonis IX. conscripsit Gregorium ad ipsum afferri tributa prohibuisse, quia accepit Sacras imagines velle proscribere, ad annum Leonis 13. hæc narrat. *In veteri Roma Gregorius sacratissimus vir Apostolicus, Petrique Apostolorum coriphæi consessor, verbo & opere prælucebat: qui Romam atque Italiam totumque Occidentem a Leonis obedientia tam civili, quam ecclesiastica, & ab ejus Imperio subtraxit.* Quamvis igitur daremus Theophanem falsis rumoribus deceptum de rebus, quæ evenerint in Occidente scripsisse, certum est non improbasse Gregorium, quia, uti credebat, sese in temporalia Imperii immiscuerit; primo enim narrat, neque improbat, Gregorium tributa Leoni subtraxisse in ultionem hæresis Iconoclastarum: & dum postea scribit Occidentem ad defectionem sollicitasse, adnotat Gregorium verbo, & exemplo ecclesiam illustrasse.

Aliam aggreditur viam Sfondratus, & dicit quod sicut & ipsa fidei dogmata occasione insurgentium hæresum magis explicata sunt & illustrata, ita potuit successu temporum Romani Pontificis potestas magis explicari, ubi examen cœptum est an in quibusdam circumstantiis potuerit ad temporalia Principum extendi. Sed videamus quid de hac re quædam senserint Oecumenica Concilia.

Concilium igitur Œcumenicum Lateranense sub Alexandro III. celebratum a fide & obedientia relaxatos voluit subditos quorumdam Principum, qui prædones fovebant, unde *can. ult.* ita habetur: *Relaxatos autem se noverint a debito fidelitatis & hominii ac totius obsequii, donec in tanta iniquitate permanserint. &c.* Nec hujus canonis elevatur Authoritas dicendo Concilium non ea sua potestate subditos a fidelitate solutos voluisse, sed quid ab aliis præstandum designasse. Revera etenim verba Concilii non innuunt ab aliis solvendos fuisse, sed ipsum sua potestate id præstare; unde alloquens subditos ait: *Relaxatos se noverint a debito fidelitatis, & hominii &c.* Item in confiscationis bonorum pœnam incidere prædones decrevit, eamque non per alios decernendam proponit, sed exequendam: *Confiscentur*, ait, *eorum bona, & liberum sit Principibus hujusmodi homines subjicere servituti*. Sed & quæ gesta sunt in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. an. 1215. celebrato, aperte dicunt demonstrare ecclesiam ab usu indirectæ potestatis in temporalia non temperasse; illud insuper observando cuncta ibi gesta fuisse coram Summo Pontifice, Patriarchis Constantinopolitano & Hierosolymitano, Alexandrini, & Antiocheni Legatis, Archiepiscopis 70. Episcopis 412. minoribus Prælatis 800. sive autem adstantibus per se, sive per suos Legatos coram Imperatoribus Orientis, & Occidentis, Regibusque Hierosolymorum, Galliæ, Angliæ, & Arragoniæ.

Canon ergo tertius illius Concilii ita sonat: *Si vero Dominus temporalis requisitus, & monitus ab ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum & cæteros comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis sine ulla controversia possideant, salvo tamen jure Domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum apponat.* Cum

vero antea Synodus Montempessulana decrevisset expoliandum Comitem Tolosanum suo Comitatu, quia Albigenses foveret, in hoc Concilio Comiti Montisfortis fuit adjudicatus. Decretum refert Lucas Dacherius *Spicileg. tom.* 7. in quo sequentia peculiariter sunt consideranda : *Sacro consulto Concilio*, ajunt Patres, *ita duximus providendum, ut Raymnadus Tolosanus Comes, qui culpabilis repertus est in utroque, nec umquam sub ejus regimine terra possit in fidei statu servari, sicut a longo tempore certis iadiciis est compertum, ab ejus dominio, quod utique grave gessit, perpetuo sit exclusus*. En primo editus a Concilio canon, quo præcipitur quosdam Comites Regis quidem Galliæ fiduciarios, sed nulla ratione ecclesiæ subditos, sua ditione expoliandos, quia hæretica labe erant inquinati. Sed nec vola est in omnibus illius temporis monumentis, ex qua appareat consensum Regis Galliæ fuisse expostulatum, ut ipsorum feudis expoliarentur ; quin immo cum Concilium id ratione peccati decrevisse significet, ex sua spiritnali potestate id fecisse demonstravit. Nescio deinde videre quomodo illi Præsules necessarium potuerint reputare supremorum Principum consensum, quando & illos directo in Feuda jure privatos voluit, si aliquod impedimentum concilieri sanctioni apposuissent ; salvum enim jus Dominorum voluerunt principalium, ea tamen conditione, si nullum obstaculum præstarent. Sed nec prætereundum quod in fiduciarios Comites Coocilium decrevit, & in ipsos supremos Dominos videtur locum habere voluisse, cum & hæc addiderit : *Eadem nihilominus lege servata, quoad eos, qui non habent dominos principales*. Et quidem legem contrariorum inspiciendo ita sane dicendum est ; si enim antea feudatarios habentes dominos principales suis feudis expoliavit, quos deinde non babentes Dominos principales eadem voluit lege punitos, oportet intelligere supremos Principes fuisse.

Eamdem indirectam potestatem in temporalia concilium ostendit, dum Raymundum Tolosanum sua ditione expoliavit ; quia ut dicitur in decreto contra ipsum lato, Fidei Catholicæ hostem se demonstraverat, & quia ipso Comitatum obtinente, fides iterum abigenda prævidebatur. Et quia ratione fidei tuendæ in temporalia suam extendere posse authoritatem existimabat, sancivit pariter Raymundi filium, quamvis insontem, in quamdam paternæ hæreditatis partem non immittendum, usquedum Romanus Pontifex certioraretur Patris perfidiam non fore imitaturum : interim proinde *de mandato ecclesiæ* a viris idoneis erat custodiendus. Demum eamdem potestatem exercuit Simoni Montfortio Comitatum Tolosanum conferendo. Erraret vero qui putaret nil Concilium Montfortio contulisse ; quamvis etenim ut Crucisignatorum dux Comitatum Tolosanum subegisset, non proinde in ipsum jus acquisierat ; unde factum est Barones, consilio habito, illum antea obtulisse Comiti Nivernensi, & Duci Burgundiæ. Quod ipsius ergo prius non erat, acquisivit Montfortius ex Concilii sententia, quamquam & a rege Galliæ ut supremo Domino obtinere debuisset ; unde in sententia adversus Raymundum lata, terra ipsi adempta Simoni traditur, *ut eam teneat ab his, a quibus de jure tenenda est*.

Si quid ergo factum est inspiciamus ; excutire necesse esset, si non videremus Concilium in peccati ultionem, & ob fidem tuendam, sibi fas esse putasse in temporalia suam potestatem protendere. Atque ita fieri passus est ipse Innocentius III. qui Concilio præsidebat ; quamvis enim supremos Principes in temporalibus minime superiorem habere sciret, nihilominus illi ignota non erat indirecta ecclesiæ in eadem temporalia potestas. Hinc, ut patet *ex cap. Novit. de Judic.* cum dixerit suæ potestatis esse de peccato, seu de violato jurejurando judicare, ex hac ratione putavit posse Regi Galliæ imperare ut pacem cum Anglorum rege reintegraret, atque ita in temporalia Principum suam exercere authoritatem. Nec mirandum tunc vel dubium non subortum fuisse de tali potestate ; nam jam apud omnes DD. ut §. sequenti videbimus, sententia invaluerat, qua asserebatur Christum eamdem indirectam potestatem suæ ecclesiæ contulisse.

Putat Bossuet *in Defens. p.* 2. *l.* 7. *cap.* 22. frustra caput *Novit.* in medium proferri, quia in eo non agitur de regibus deponendis, & quia, nisi emolliantur quæ dixit Innocentius, omnia Imperiorum jura confundere necesse esset. At mihi modo non suffragatur expendere quæ incommoda consurgere possint ex iis, quæ dixit Innocentius. Satis est si ostendatur Pontifices & Concilia usum indirectæ potestatis in temporalia a se alienum non reputasse. Ex hoc autem statim inferre necesse credo, abstinendum esse ab ea censura, qua dicitur Verbo Dei Scripto & Tradito adversari.

Alterum usus indirectæ potestatis in temporalia exemplum suppeditat Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. quod approbavit exauthorationem Friderici II. Imperatoris. Quamvis autem huic approbationi quidam contradicant, nihilomiuus de ea fas non est dubitare ob testimonium Nicolai de Curbio, qui erat Innocentii Confessarius ac omnium quæ agebantur testis oculatus. Hic igitur postquam *cap.* 24. Vitæ Innocentii sententiam in Fridericum ab Innocentio latam narravit, ita subdit : *Quæ fuit ab universis ecclesiarum Prælatis in eodem Concilio residentibus approbata, sicut liquere potest omnibus tam præsentibus, quam futuris per subscriptionem ipsorum, & eorum sigilla pendentia in eodem*. Idem tradit Parisius, nam describendo quomodo Concilium in Fridericum animadverterit, hæc habet : *Dominus igitur Papa, & Prælati assistentes Concilio candelis accensis in dictum Imperatorem Fridericum, qui jamjam Imperator non est nominandus, terribiliter recedentibus & confusis ejus Procuratoribus fulgurarunt*. Neque hæc possunt intelligi de sententia solummodo excommunicationis, non vero depositionis a Papa una cum Concilio lata ; cum etenim Fridericus non amplius post eam esset Imperator nominandus, de sententia etiam depositionis loquutum ambigendum non est. Procul etiam esset a veritate qui diceret quosdam tantum Prælatos in studia Innocentii abreptos una cum eodem fulgurasse ; altraquamquod enim Parisius in supracitatis verbis generaliter tribuat sententiam *Prælatis Concilio adsistentibus*, iterum post quasdam pagellas quid Concilium prætiterit describens ita ait : *Hac autem cum intellexisset Magister Thadeus, ab imo trahens suspiria ait : intelligo nullum remedium patere discrimini ; ejulansque & flens subintulit : vere dies ista dies iræ : sicut antea dixerat cum ad Concilium plenum omnes Prælati candelas suas accensas inclinarent & extinguerent, excommunicatum Imperatorem Fridericum deponentes*. Hæc profecto manifestant a pleno Concilio fuisse depositum.

Eamdem Concilii approbationem indicat sententia, quam Innocentius in Fridericum pronuntiavit, nam ita rem cum Concilio egisse narrat : *Nos super præmissis, compluribus ejus nefandis excessibus, cum Fratribus nostris, & S. Concilio deliberatione prababita diligenti — memoratum Principem omni honore, & dignitate privatum a Domino ostendimus, denunciamus, ac nihilominus sententiando privamus*. Captu vero impossibile est Innocentium de Friderici excessibus egisse, pœnam autem irrogandam tacuisse. Ob hæc igitur, & ob testimonium Nicolai de Curbio testis oculati, Parisii, Monachi Paduani, Guillelmi Nangii, Henrici de Knygthon, qui omnes Concilium Innocentii sententiam probasse testantur, & quos omnes falsitatis gratis argueremus, prorsus certum videtur Concilium sententiæ depositionis in Fridericum plenissime suffragatum fuisse. Ex quo etiam apparet ab Exscriptoribus, ut in similibus sæpe accidit, in titulo sententiæ, ubi legendum erat : *Sacro approbante Coacilio*, hæc verba fuisse subrogata : *sacro præsente Concilio*.

Huc usque dicta satis etiam manifestant illos Authores, qui solius Innocentii mentionem faciunt, dum exauthorationem Friderici recensent, non proinde consensum Concilii approbationemque respuisse. Cuncta adscribi Innocentio potuere, utpote qui Concilium ad Fridericum puniendum indixit, qui ipsius crimina PP. exposuit, qui excommunicatione ac ab Imperio depositione plectendum proposuit : quapropter nil mirum si & ipse Fridericus de solo Innocentio conquereretur.

Interim hujus historiæ Scriptores observare non desinunt, ut supra prænotatum est, non defuisse Innocentio scientiam, qua cognoscere posset usquequo sua authoritas extenderetur, cum de eo Paulus Langius in Chronico Citizensi ad an. 1254. ipsius narrata morte hæc habeat: *Innocentius Papa ati vir doctissimus plura egregia a se composita reliquit scripta, potissimum apparatum Decretalium profunde & eleganter dictatum. Edidit & alium in Conciliis approbatum, quem Ostiensis in Summa sua Authenticum vocat; perinde a Canonistis iste Innocentius Lucerna juris appellatur; Item librum de jurisdictione Imperii, & authoritate Romani Pontificis contra Petrum de Vineis*. At non solum doctrina, sed & insigni pietate, ac sanctitate ornatum fuisse dicunt, adeoque suspicandum non esse aliena jura invadere voluisse. Certe Nicolaus de Curbio Minorita, qui ipsius confessiones ab eo tempore, quo erat Cardinalis, ad obitum usque excepit, ut ipsemet refert cap. 23. Vitæ Innocentii a se conscriptæ, & extat apud Baluzium *tomo 7. Miscellan.* narrat ad ipsius sepulchrum variis languoribus validisque morbis oppressos fuisse sanatos. Uno verbo, si excipiatur Parisius Ecclesiæ Romanæ, Romanorumque Pontificum maledicentissimus Osor, & quidam alii Friderico nimis addicti, cæteri omnes Innocentii virtutes summopere commendant.

Ab aliis Conciliis adducendis supersedeo, eum etenim semper magis apud DD. invaluerit sententia de indirecta Pontificis potestare in temporalia, ut statim videbimus, mirandum haud est, si ab usu hujusmodi potestatis non abstinuerint.

Quis modo sibi poterit suadere tot PP. una cum Romano Pontifice in concilio coadunatos ad praxim redigere potuisse potestatem, quam Verbum Dei scriptum, & traditum condemnaret? Cum sibi indebitam authoritatem consulto adscripsisse nullius menti posset occurrere, dicere oporteret id ex ignorantia præstitisse. Verum inter tot Ecclesiæ Præsules, cum semper sint qui virtutum splendore, ac doctrinæ radiis effulgeant, si concilium ita errasset, incredibile prorsus est quosdam non agnovisse quantum in talis usu potestatis Dei Verbo contradiceret, & si cognovissent, incredibile prorsus est Concilia ab ejusdem usu non absterruisse.

§. IV.

Theologi conspirarunt in agnoscenda indirecta Romani Pontificis potestate in temporalia, quibus adhæserunt DD. & Clerus Gallicanus, ac Sorbona. Unde inverosimile est cum Verbo Dei scripto & tradito pugnare.

OMnium agmen ducat S. Thomas 2. 2. *q.* 12. *art.* 2. ubi hæc habet: *Ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in illis, qui numquam fidem susceperunt, sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt potest sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possint. Hoc enim vergere posset in magnam Fidei corruptionem, quia homo apostata pravo corde machinatur malum, & jurgia seminat, intendens homines separare a fide. Et ideo, quam cito aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam a fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti a dominio ejus & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur*. Eadem docet *in* 2. *dist.* 44. *q.* 9. *ar.* 2. & *in* 2. *ad Cor. c.* 11. *lect.* 2. *in ep. ad Philipp. circ. fin.* & *in opusc. de regim. Princ. l.* 3. *c.* 10. *c.* 17. & *c.* 19. si tamen S. Thomæ sit illud Opusculum. Respondet Natalis in superiore dissertatione *art.* 10. S. Thomam ita esse intelligendum, ut vel solum loquatur de Principibus ecclesiæ fiduciariis, vel quod solum velit posse ecclesiam Principes apostatas expoliare titulo protectionis ecclesiæ. Verum hanc interpretationem ita alienam a S. Thomæ mente judico, ut putem eam adinvenisse Natalem, ne Sancto suo præceptori contraivisse videretur. Si solus ergo articuli titulus inspiciatur, patet S. Doctorem inquirere: *an principes propter apostasiam ita dominium in subditos amittant, ut illi obedire non teneantur*. Movet ergo quæstionem indiscriminatim de omnibus Principibus, ac perspicuum est inquirere, an temporalia ob apostasiæ crimen amittant, dum quærat an illud amittant dominium, quod cogit subditos obedire. Postquam vero quædam sibi objecit ad probandum Principi etiam apostatæ a subditis parendum esse, in argumento *sed contra* opponit Gregorium VII. subditos a fidelitatis sacramento absolvisse, ac ab obediendo Principibus inhibuisse. Constat autem Gregorium ita se gessisse in Principes ecclesiæ non fiduciarios; neque solum expoliasse prærogativa spiritualia protegendi, & pro canonum executione suam operam præstandi. In explicanda vero articuli quæstione ideo concedit ecclesiæ posse Principes apostatas dominio exuere, quia dum hæc potestas ecclesiæ non concedatur, fides in magnum discrimen posset reduci: ubi autem hæc ratio subsistat, clarum est præfatam ecclesiæ potestatem non solum Principes sibi subditos respicere, sed quemcumque ex cujus crimine fidei periculum immineret. Demum dicit *in respons. ad* 1. rerum potiente Juliano, majoris mali timore ecclesiam non judicasse hanc potestatem explicare: porro Julianus non erat ecclesiæ fiduciarius; neque de sola ecclesiæ protectione expoliandum sibi S. Thomas objecerat. Ideo autem S. Doctor dixit, Juliano Imperatore, Ecclesiæ potestatem defuisse Principes compescendi, quia alii non erant Principes, qui latam in Julianum sententiam exequi valerent; hinc proinde ab ea ferenda consulto abstinuit. Ita autem credere est didicisse S. Thomam a celeberrimo Alexandro Alense, qui eamdem tradit doctrinam *Sum. Theolog. p.* 4. *q.* 10. *tract. de offic. Miss. par.* 2. ad ea verba: *Et Regem nostrum &c.* Nec prætereundum Alensem quod ibi docet, mutuasse ab Hugone de S. Victore, cum fere ad verbum exscribat, quæ iste habet *lib.* 2. *Sacrament. p.* 2. *cap.* 4.

Angelico Præceptori præclarissimum adjungam Alensis discipulum, S. nempe Bonaventuram. Hic *tom.* 7. *part.* 2. *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 1. ita ait: *Patet quod dignitas Clericalis, quæ in sua radice considerata est penitus spiritualis, merito est consona Ordini dominationis, quæ sic præcedit alios inferiores Ordines, quod illos illuminat, perficit, & purgat, & tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur. Quia sicut spiritus dignitate & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est quam sæcularis; & ideo bene sortitur nomen dominationis. Unde regalis potestas subjacet potestati, & authoritati spirituali, sicut in prima Canonica Petri dicitur: Vos estis gens sancta, regale Sacerdotium &c. Nam temporale regnum velut quoddam adjectum subjacet Sacerdotio in novo Testamento. Sed in Veteri Testamento Sacerdotium subfuit Regno: unde dicitur in Exodo: Elegi vos in populum peculiarem; in Sacerdotale Regnum ubi Regnum ponitur substantive, sed Sacerdotium adjective*. His stabilitis ita continuo addit: *Et ideo Reges tunc poterant amovere Sacerdotes, sicut Salomon amovit Abiathar. Jam vero possunt Sacerdotes & Pontifices ex causa amovere Reges & Imperatores, sicut sæpius accidit, & visum est: quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & reipublicæ necessitas sic requirit. Summus vero Pontifex, penes quem prima in terris residet authoritas, non a Rege, non a Principe sæculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur*. Sufficiat hic adnotasse quid senserint SS. Thomas & Bonaventura; num eum unicuique qui vel a longe illorum temporum Theologorum placita inspexerit, constat omnes indirectæ potestati Papæ in temporalia favisse, satis erit quosdam indigitare, nempe Augustinum Triumphum SS. Thomæ & Bonaventuræ Parisiis Discipulum *in epistola dedicatoria Libri de potestate ecclesiast.* & *q.* 45. *art.* 2. Henricum Gandavensem *Quodlib. lib.* 6. *q.* 23. Petrum Paludanum *in* 3. *dist.* 4. *q.* 1. *concl.* 4. Herveum Natalem Brito *Tract. de potest. Papæ*, Pighium *de eccl. Hierar. c.* 2. & 14. Sotum *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. Carthusianum *de regim. polit. art.* 19. Bannes *in* 2. 2. *q.* 10. *art.* 10. Franciscus Victoria *de potest. eccl. lect.* 1. *q.* 5. Rhoffensem *contra Luther.* Alvarum *de planctu eccl. l.* 1. *art.* 21. Reginaldum Polum *lib. de Sum. Pontif. cap.* 8. Thomam Morum *pro Regis Henrici VIII. libello contra Lutherum*. Hi omnes & cum iis cæteri agnoscunt in Romano Pont. indirectam in tempo-

poralia poteſtatem ea potiſſimum S. Thomæ ratione, quod ea deficiente non ſatis Chriſtus ſuppeditaſſe Eccleſiæ media pellendi religionis hoſtes, eamque tuendi, quod neſciunt admittere.

Sed & illud animadvertendum adeo præfatam doctrinam ſemper magis in Scholis exceptam fuiſſe, ut Theologi acribus cenſuris contrariam inſectati fuerint. Eaſdem alibi dabo, ut oſtendam quam particulares DD. ſe mutuo cenſuris confodiant, ac proinde certam veritatem a ſola Petri Cathedra inter diſſidentes Scriptores addiſcendam. Omittere nihilominus nolo quæ habet Æneas Silvius poſtea Pius II. in Oratinne ad Auſtrales, quam publici juris fecit Ludovicus Antonius Muratorius *Analect. tom.* 3. Poſtquam igitur plura congeſſit exempla ex quibus conſtare ſibi videbantur Pontifices, Principibus exauthoratis, ad alios Imperium & Regna tranſtuliſſe, ita ſubdit: *Longum enumerare ſiat quot Principes, dum ſuperbire voluerunt, ex alto faſtigio Romanæ Sedes excuſſerit. Advertant igitur caveantque viri Doctores, qui Romano Pontifici de rebus ſæcularibus adimunt poteſtatem, quia quiſquis, ut ajunt canones, cujuſlibet eccleſiæ jus ſuum detrahit, injuſtitiam facit. Qui autem Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo Summo omnium eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur, & cum ille notetur injuſtus, hic eſt dicendus hæreticus. Non autem, at Adverſarii delirant, de rebus dumtaxat ſpiritualibus Romanæ Sedis arbitrium eſt, cui Dominus in Evangelio de re quacumque tribuit poteſtatem. Qui B. Petro Æternæ Vitæ Clavigero terreni ſimul & cæleſtis Imperii jura commiſit, quod Petro hoc & ſucceſſoribus ejus Romanæ Sedis Antiſtitibus.* Non mihi autem hic eſt animus hæreſeos nota cum Ænea Silvio eos inurere, qui indirectam Pontificis in temporalia poteſtatem non agnoſcunt, ſed ſolum innuere quam certa tunc apud Theologos haberetur. Videamus modo, an eadem in Galliis invaluiſſet ſententia.

Et primo cum Gallicani Antiſtites iis omnibus ſuffragati fuerint quæ in Concilio Lugdunenſi geſta ſunt, quæque ſuperiore paragrapho recenſui, quid de toties repetita poteſtate Pontificis in temporalia ſenſerint, univerſæ tunc innotuit eccleſiæ. Deinde cum SS. Thomas & Bonaventura, ac quamplures ex ſupra recenſitis Scholæ Pariſienſis fuerint alumni, nemo vel opinari potuerit aliam ab ea tunc in Gallia inſonuiſſe Doctrinam, quam præfati poſtea tradiderunt; ſed & legatur Umbertus ex Diœceſi Viennenſi ſerm. 70. cui titulus: *Sermo in ſolemni Depoſitione Magnatum ſæcularium per eccleſiam facienda.* Franciſcus Mayronus in Schola Pariſienſi percelebris Theologus *in 4. diſt.* 19. *q.* 4. inter alia multa hanc ſtatuit concluſionem: *Plenitudo poteſtatis ſecundum utramque juriſdictionem concurrit in eamdem perſonam. Hoc patet authoritate Chriſti dicentis: Quodcumque ligaveris ec. Dices forte quod verum eſt in ſpiritalibus: ſed tunc arguo ſic. Quia in ſubordinatis quidquid poteſt inferior, poteſt & ſuperior, ſed Papa eſt ſuperior ad Imperatorem: ergo ec.* Idem tradit Petrus Bertradus, ſive, ut alii volunt, Durandus epiſcopus Meldenſis *in Tractatu de Origine Juriſdictionis, ſeu de Juriſdict. eccleſiaſt. q.* 3. & Authors quæſtionis diſputatæ, quæ in Opuſculis ſub titulo *Vindiciæ doctrinæ Majorum*, adſcribitur Ægidio Romano Archiepiſcopo Bituricenſi. Quapropter ibi art. 4. tandem hæc habet: *Rex Franciæ ſecundum jura non ſubeſt Summo Pontifici, nec ei tenetur reſpondere de Feudo ſui; poteſt tamen ei ſubjacere incidenter, & cauſaliter ratione connexionis alicujus cauſæ ſpiritualis, ſicut habetur Extra. de Judic. cap. Novit, & Extra. Qui filii ſunt legitimi cap. Per Venerabilem.*

Ne vero diutius hic immorer, juvat verba adnotare Joannis Gerſonii, cui utroque pollice ſolebant ſe Galli ſubſcribere. In Tractatu igitur de Poteſtate Eccleſiaſtica *conſid.* 12. hæc habet: *Poteſtas Eccleſiaſtica Papalis non ita habet dominia & jura terreni ſimul & cæleſtis Imperii, quod poſſit ad libitum ſuum de bonis Clericorum, & multo minus Laicorum diſponere, quamvis concedi debeat quod habet in eis dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum, & ordinativum — Poſtremo ſuis terminis ita Poteſtas Eccleſiaſtica ſe coerceat, ut meminerit poteſtatem ſæcularem etiam apud Infideles ſua habere propria jura, ſuas dignitates, ſuas leges, ſua judicia, de quibus occupare ſe Poteſtas Eccleſiaſtica non præſumat, vel uſurpet, niſi dum redundat abuſus poteſtatis ſæcularis in impugnationem Fidei, & blaſphemiam Creatoris, & in manifeſtam Eccleſiaſticæ Poteſtatis injuriam: tunc etenim attendere convenit ultimam hujus conſiderationis duodecimæ particulam, quod in his Eccleſiaſtica Poteſtas habet quoddam dominium regitivum, directivum, ordinativum, & regulativum.*

Quæ in Gallia a Theologis docebantur quoad indirectam Pontificis in temporalia poteſtatem, obviis ulnis excepere tum Canonici, tum Civilis juris Periti. Videantur Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis *in Speculo Juris particula prima tit. de Legato §. Nunc oſtendendum, qui eſt ſextus, n.* 17. Joannes de Selva *Tract. de Benefic. part.* 3. *q.* 8. *n.* 31. Joannes Quintinus Æduus *in repetit. ad cap. Novit de Judic. n.* 64. Remundus Ruffus contra Molineum *cap.* 6. Stephanus Aufrerius in Senatu Toloſano Præſes *Tract. de poteſt. Eccleſ. ſuper Laicis &c. n.* 32. Sed juvat etiam per extenſum referre, quæ habet Joannes Faber l. 1. Codic. de Sum. Trinit. & Fid. Cathol. n. 10. *Sed de Papa, ait, non eſt dubium quin ſit ſuperior omnibus Chriſtianis & in temporalibus & in ſpiritualibus, ut plene probat Hoſtienſis dicto capite Per Venerabilem V. Paulus. Et idem Innocentius dicto capite, ſuper verbo non recognoſcat, quod aliter probari poteſt: nam cum Papa ſit Vicarius Domini, cujus eſt plenitudo &c. qui eſt Princeps Principum, & Rex Regum ſecundum Apoſtolum in princ. & cui data eſt omnis poteſtas Matth.* 7. *ridiculum eſſet dicere quin in omnibus temporalibus non haberet ſuperioritatem & poteſtatem,* 12. *q. c. præcipimus.* Et numer. 11. *Cum omnis juriſdictio in Vicarium tranſeat Extravag. de Officio Vicarii, quia infra de officio ejus qui Vic. alter obtinet l.* 1. *Nuſquam enim reperitur quod Dominus concedendo poteſtatem Petro, reſtrinxit ad ſpiritualia. Nullus enim negare poteſt, quin Jeſus haberet omnimodam ſuperioritatem, ſi exercere voluiſſet, cum ſit Creator, & ſic Dominus.* Et n. 12. *Tamen ſatis credo quod Papa non ſe debet intromittere de temporali juriſdictione, immo debet tenere gladium in vagina, niſi in caſibus qui tangunt præjudicium animæ, vel juſtitiæ ſubverſionem; vel alias peccatum, Extra de judic. cap. novit de For. competenti.* Et n. 13. *In caſibus tamen præmiſſis, cum agitur de præjudicio animæ, vel populi, Papa poteſt & debet providere: & ſi neceſſe ſit quoſcumque reges deponere, vel interdicere eis adminiſtrationem, & ex minori cauſa quam privato, cum eorum fatuitas vel malitia plus lædit. Extr. de ſuppl. neglig. Prælat. cap. Grandi ter Archidiac. & vide Innoc. dicto cap. Licet extra. de For. compet.* 96. *d. cap. Cum ad verum Extr. de Vot. & Vot. redempt. &c.*

Ne autem apud utrinſque Juris Peritos ſententiam de indirecta Pontificis in temporalia poteſtate ſtatim interiiſſe quis crederet, addam quid poſtea ſenſerit Petrus Gregorius Toloſanus in variis Galliæ Academiis diverſis temporibus juris utriuſque profeſſor. Hic igitur *de Republ. l.* 26. *cap.* 5. hæc habet: *Quamvis dicamus Imperatorem poſſe privari tamquam inutilem ſuo Imperio per Summum Pontificem cap. Per venerabilem de elect. & ſimil. tamen non ſequitur Papam idem jus habere in alios Reges omnes. Demo tamen cauſam Fidei — Excipio ſemper, ut alias dixi, cauſas Fidei, in quibus Principes cujuſcumque ſint libertatis & poteſtatis ſubiiciuntur directe Sedi Romanæ, & pro delictis in illis commiſſis puniri poſſunt; ſic tamen ut ſicut delicta ſunt perſonalia, & non tranſeunt perſonas delinquentes, ita ne pœna, quæ delicto debetur, non violet jus Succeſſorum in Regno, vel ex conſuetudine recepta, vel ex lege regni, quæ proximi ordine poſt deficientes vocantur. Poteſt enim qui imperat, per delictum ſuum ſibi nocere, & ſe indignum Imperio facere; at non poteſt præjudicare ei qui ſucceſſurus ei eſt, etiam eo invito, cum non habeat ab eo, ſed a Majoribus, vel ex lege familiæ.* Conſiderandum etiam quid docuerint qui pro Regum poteſtate inſcripſere, quorum aliquos dabo ſequente §.

Quid

Quid modo senserit universus Gallicanus Clerus videamus apud Bartholomæum Gramondum Sacri Regii Consistorii Senatorem, & in Parlamento Tolosano Præsidem *lib.* 3. *hist. ad ann.* 1615. Cum igitur Clerus in Comitiis quædam Tertio Ordini, Magistratibus nempe subalternis, & minori populo invisa proponeret, hic, ut vicem rependeret, *Obstrepente clero*, ait Gramondus, *thesim proposuit, qua asserebatur: Nullam esse potestatem in temporalibus supra Regiam, unique immediate Deo debitam coronam a Gallis Regibus, nullam obnoxiam Interdictio*. Deinde in tertio articulo, quem ad Clerum misit, affirmabat: *Nullis Sedis Apostolicæ Interdictis subjacere: Imperia Regum, subditosque numquam sacramento fidei solvi posse*. Adversus hanc doctrinam Ecclesiastici Ordinis & Nobilitatis nomine orationem habuit Cardinalis Perronius, in qua inter alia ita effatus est: *Nec reliquæ omnes Ecclesiæ Catholicæ partes modo, verum etiam quotquot in Gallia ab institutis in hoc Regno Theologiæ Scholis extiterunt Doctores, asseverantem tenuere sententiam; nempe quod si forte hæretici, aut infideles, & Christianismum, seu Catholicam Religionem persequentes Principes dominentur, a juramento fidelitatis subditi possint absolvi*. Nec omisit adnotare, quam opposuerat tertius ordo sententiam, notam esse, ac Luthero & Calvino fautoribus natam; ac primam fuisse viam unde Henricus VIII. Angliæ Rex in hæresim laberetur. Cum vero deinde etiam Senatores Parlamenti in eamdem cum Tertio Ordine sententiam ivissent, *Excanduit*, ait Gramondus, *Clerus, addito non eas esse Parlamenti partes, ut ultro respondeat, Comitiis Galliæ Generalibus convocatis, regiam omne jus translatum in illa; adeout velut justitio indicto cessare debeat Magistratus. Clerum & Nobilitatem convenire in eamdem sententiam, nec ideo contrariam opinionem valere, quia ita populus censet: duorum vota & calculos uni prævalere*.

Hic interim animadvertendum quod cum jussu Comitiorum Generalium Cleri an. 1672. Joannes de Gentili Acta Cleri Gallicani ediderit, in iis inserta est præfata Oratio Perronii, quapropter habita est tamquam proprium Ecclesiæ Gallicanæ monumentum.

Bossuet *in Defens. Cler. Gallic. cap.* 14. & 15. Cardinalis Perronii Orationem ex pluribus capitibus reprehendendam dicit, atque plura in ea contenta confutanda assumit. Mihi tamen non est animus Apologeticum ad eamdem tuendam componere. Satis est si ea iis, quæ tunc tanto æstu agitata sunt, appareat universum Clerum Perronio suffragatum esse, unaque Nobilitatem; unde dicere potuit: *Non ego hac in causa oro, sed totus Ordo Ecclesiasticus, & totus Ordo Nobilium ipsi conjunctus &c.* Satis est, si teste Perronio in omni Galliarum Schola, quam ipse propugnabat, sententia intonaret.

Quod si præfata cum postrema opposita declaratione ipsius Cleri comparentur, hanc nihil habendam dicunt. Animadvertunt litem fuisse quoad potestatem, quam sæpe saltem post Gregorium VII. exercuerunt Romani Pontifices, ut nobis ostendunt ipsorum gesta apud Pagium, & non solum Romani Pontifices, sed & ipsa oecumenica concilia: ea proinde se potiri senserunt, cum nec ullibi legatur in aliquo Concilio disceptatum, an Romanus Pontifex sibi non competentem exerceret jurisdictionem. Agebatur ergo de maxima causa, quousque nempe se extenderet Romani Pontificis potestas; & an eam indirecte in temporalia extendendo, Verbo Scripto & Tradito contrairet. Maximas vero Ecclesiæ causas, ajunt, ex perpetua ejusdem Ecclesiæ Consuetudine uni Romano Pontifici vel generalibus Conciliis decernendas reservari, non vero particularis Regni Clero. Si iste id assumat, schismati materiam subministrare sensit Cardinalis Richeleus de Gallia optime meritus, & Galliæ Regibus devinctissimus. In eo ergo libro, quem scripsit antequam purpura ornaretur *cap.* 8. hæc latine reddita habet: *Ipse Clerus ecclesiæ alicujus particularis, qualis est Ecclesia Gallicana, non posset hanc quæstionem decidere, cum ad solam Ecclesiam pertineat Fidei articulos definire; imo cum in hac re jus & causa vertatur omnium Regnorum, Statuumque orbis Christiani, uni & particulari Regno sine authoritate assensuque omnium Regnorum permissum non est de hac re sententiam ferre; immo quod plus est, ex hujusmodi decisione* (quod nempe in nullo casu liceat Pontifici Romano de regnis disponere) *necesse est certissimum schisma in ecclesia consequi; cum videlicet articulus Fidei singularis, & pro una tantum Gallicana Ecclesia statuitur, non pro tota Ecclesia Catholica; unde schismatis & divisionis in rebus Fidei occasio dabitur*. Videamus demum quid senserit Sorbona.

Cum Romani Pontifices pro viribus prohiberent Henricum IV. ab ascendendo Galliæ Regni Solium, ut ita saltem metu amittendi Regnum hæresim ejuraret, Catholici confoederati, docente Sorbona, instabant ut etiam alium Regem eligerent. Ita habemus ex epistola, quam Peranda an. 1592. die 16. Aprilis dedit ad Patriarcham, & Legatum Cajetanum, ibi enim sic legimus: *Sorbona hujus sententia est, urgetque Pontificem ut ipse Regem Galliæ pronuntiet, declaretque; alioquin Gallia conclamata est, expersque remedii. Et esse hanc potestatem Pontifici Regem declarandi rationibus plane evidentibus, multisque exemplis ostendunt. Immo adjungunt, ubi Pontifex Regem pronunciaverit, isque in Gallia denuntiatus fuerit, continuo a Clero, & ab omnibus Catholicis receptum iri*.

Juvat modo ex hucusque dictis, quibus innotescit Scholarum omnium Principes, ac communiter Theologos & Jurisperitos in Romano Pontifice indirectam in temporalia potestatem agnovisse, id inferre, nullatenus hanc sententiam Verbo Dei scripto & tradito adversari. Non desinit Bossuet *Defens. Declar. p.* 2. *lib.* 8. *cap.* 18. & 21. in præsenti Controversia Scholasticorum authoritatem parvifacere, cum iis Antiquitatem contradicere autumet. Verum quod supponit Bossuet, haud admittendum judicant ipsius adversarii. Interim quis credere poterit Alensem, SS. Thomam, & Bonaventuram, Henricum Gaudensem, ac tot alia Theologiæ lumina e suis Cathedris suos Auditores sententiam docuisse, adversus quam S. Scriptura, ac PP. Traditio reclamassent? Cum ubique ita sentirent DD. de Romani Pontificis potestate, Ecclesia, ut bene observat Cano *lib.* 8. *cap.* 4. errandi periculo fuisset exposita, dum omnes, seu fere omnes in eam abiissent sententiam, quæ cum Verbo Dei non posset conciliari: id vero eam Divinam Providentiam, quæ regit Ecclesiam, non permissuram ex Evangelio addiscimus. Ex consensu ergo Theologorum, cæterorumque DD. ac Cleri particularium Ecclesiarum, validum desumimus argumentum ad excludendam eam censuram, quod nempe Dei Verbo Scripto & Tradito, quod isti docuerunt, contradicat.

§. V.

Olim Principes, ac regiæ potestatis Vindices agnoscebant indirectam Pontificis potestatem in temporalia.

QUid Reges de præfata senserint potestate ante Gregorium VII. non vacat hic expendere, sed inferre potest Lector ex iis, quæ dicta sunt de translatione Orientalis Imperii ad Gallos, aliisque, quando visi sunt Pontifices eamdem exercere potestatem. Quædam tantum delibabo quæ Gregorio VII. Pontifice, ac deinde evenere.

Cum Henricum IV. ob ipsius flagitia Gregorius VII. Imperio indignum pronuntiasset, quamvis in ipsum Gregorium excanduisset, fatetur nihilominus in causa hæreseos Ecclesiæ subjacere. Ita proinde scripsit ad Gregorium: *Me quoque licet indignus inter Christianos sum ad Regnum vocatus, te teste, quem Sanctorum Patrum traditio soli Deo judicandum docuit, nec pro aliqua crimine, nisi a Fide* [*quod absit*] *exorbitaverim, deponendum asseruit &c.* Notat deinde quod Julianus Apostata non fuit ab Ecclesia Imperio expoliatus quod tamen non defectui potestatis, sed Episcoporum tribuit prudentiæ: *Cum etiam*, ait, *Julianum Apostatam prudentia Sanctorum Episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit*.

Deinde absque eo quod repetam quæ dicta sunt de translatione Imperii a Græcis ad Gallos, non desinam hic adnotare quod cum an. 1166. Fridericus Æ-

no-

nobardus Italiam incendiis rapinisque vastaret, ac Alexandro III. Guidonem Antipapam opponeret, rati sunt Græci occasionem adesse iterum sibi Occidentis Imperium vindicandi; ac proinde Emmanuel Comnenus Græcorum Imperator Legatos suos ad Alexandrum destinavit, unionem cum Ecclesia Romana, auri ingentem vim, auxiliaque spondens, si Occidentis Imperium sibi restitueret. Videndi Baronius ad an. 1166. Spondanus ad eumdem annum, Blondus *Decad.* 2. *l.* 1. Cum vero nil tunc obtinere potuisset, an 1170. novam instituit legationem pro imperio obtinendo, quod ita in Alexandri Actis narratur; *Interea Emmanuel Magnus Constantinopolitanus Imperator, cum videret Fridericum Ecclesiam Romanam & Alexandrum Papam vehementer cum Schismaticis impugnare & persequi, misit Imperii Apocrysiarium cum immensa multitudine pecuniarum ad præsentiam ipsius loquentem hæc verba: Dominus Imperator cum videat Fridericum Imperatorem Romanæ Ecclesiæ Advocatum aperte esse illius impugnatorem & persecutorem, magis vult eidem Ecclesiæ servire neque succurrere: unde rogat & postulat quatenus prædicta Ecclesia adversario Imperii coronam jam privato, sibi eam, prout ratio est & justitia exigit, restitueret &c.* Legatur etiam Spondanus ad an. 1170. Verum Græcus Imperator a Romano Pontifice Imperii diadema sibi restituendum non postulasset, nisi aliquam in temporalia potestatem habere non judicasset.

Postquam vero Imperii dignitas a Gallis pertransiit in Germanos, Galliæ Reges iterum ea potiri exoptarunt. Interfecto proinde Alberto Imperatore, Philippus IV. cognomento Pulcher solemni ad Clementem V. in Galliis agentem Legatione Imperium sibi, vel Carolo fratri deferendum petiit, ut ita ad Francos rediret, quod ab ipsis dilapsum fuerat ad Germanos: *Cui enim*, ajebat Philippus, *fit injuria, si vacantis Imperii conditio permutetur? Idem fecerunt olim Pontifices alii*. Rem narrat Conradus Vecerius in *lib. de gest. Henrici VII.* & Bzovius *ad an.* 1307. Putabat ergo Philippus, putabat Senatus, eum quo hac de re consilium habuit, aliquam Pontifici in temporalia esse potestatem. Narrat etiam Spondanus ad an. 1495. Carolum VIII. Romam cum exercitu ingressum, Imperium Orientis ab Alexandro VI. Pontifice petiisse, obtinuisseque, accepto Zizimo Bajazetis fratre illius expeditionis comite.

Legenti Ecclesiæ historiam etiam apparebit non solum quosdam alios Principes, sed & ipsos Reges Galliæ exercitus comparasse, classemque instruxisse pro occupandis regnis, quibus Romani Pontifices Principes in ecclesiam perduelles expoliandos judicaverant; ac proinde hanc authoritatem in Romanis Pontificibus agnoscebant. Et re vera Philippus Galliæ Rex ut scivit Innocentium III. Joannem *sine terra* Anglorum Regem deposuisse, ad Angliam suo regno infensissimam occupandam omnia disposuit; ac ægerrime postea tulit Innocentium suo regno Joannem restituisse, & ab incœpto bello sibi esse cessandum: Math. Par. ad an. 1213. Eamdem authoritatem inesse summo Pontifici Confœderati Galliæ existimantes, ad Regem eligendum convenere, cum Romani Pontifices Henricum Navarræ Galliæ regno inhabilem declarassent. Audiatur Spondanus ad an. 1593. *Confœderati Galliæ*, ait, *occasione potestatis sibi a Clemente Pontifice factæ eligendi Regem, qui catholicus esset, Comitia Parisiis celebrant: sed ingenti confusione, cum plurimi exteri promoveri cuperent, quando felix ille illaxit dies, quo Henricus divinitus illustratus, & rationibus Catholicorum apprime imbutus, abjurata hæresi Religionem avitam amplexus est, misitque Romam Ducem Nivernensem, qui absolutionem a Clemente VIII. impetraret.* Hæc pauca deflorasse sufficiat, ut Reges ipsos indirectam Pontificis in temporalia potestatem agnovisse innotescat.

Sed quid quæso sentiebant regiæ potestatis Vindices? Illorum sententiam hic exponam, qui dissidentibus Pontificibus ac Galliæ Regibus, pro istorum juribus tuendis scripsere. Nemo non scit quantum etiam calamo pugnatum sit inter Philippum IV. Francorum Regem, & Bonifacium VIII. Inter eos vero qui adversus Bonifacium pro Philippo scripsere, adnumeratur Joannes de Parisiis, teste Cæsare Egassio Bulæo *in Hist. Universit. Parisiens. tom.* 4. *ad an.* 1303. Hic igitur in Tractatu de Potestate Regia, & Papali *cap.* 7. non potuit non reservare Pontifici aliquam in Principes potestatem his verbis: *Papa qui est supremum Caput non solum Clericorum, sed & generaliter omnium fidelium, ut fideles sunt, tamquam generalis informator fidei & morum, in casu summæ necessitatis fidei & morum, in quo casu omnia bona fidelium sunt communia, & communicanda, etiam calices Ecclesiarum, habet bona exteriora fidelium dispensare, & exponenda decernere prout expedit necessitati communis Fidei &c.* Et cap. 14. *Si esset hæreticus, incorrigibilis, & contemptor ecclesiasticæ censuræ, posset Papa aliquid facere in Populo, unde privaretur ille sæculari honore, & deponeretur a Populo. Et hoc faceret Papa in crimine ecclesiastico, cujus cognitio ad ipsam pertinet, excommunicando scilicet omnes, qui ei ut Domino obedirent; & sic Populus ipsum deponeret, & Papa per accidens.* Prodiit paulo post alter Tractatus *de utraque potestate*, sæculari & ecclesiastica, qui inscriptus fuit *Somnium Viridarii*, atque ejusdem authorem fuisse Cancellarium, sive Consiliarium Caroli V. Regis Franciæ, communis refert opinio. In hoc tractatu Defensor potestatis sæcularis sub nomine militis ita loquitur: *Concedendum est quod Principatus Papalis concernit temporalia, prout de necessario concernit spiritualia, cum ab eorum usu vel abusu consurgit peccatum, prout dicunt Textus: Ratione peccati omnes causæ spectant ad forum ecclesiasticum: cap. novit de Judic. & cap. Per venerabilem Qui filii sint legitimi — Non debet se Potestas Ecclesiastica de depositione Imperatorum seu Regum temporalium intromittere, prout in prioribus plenius fuit dictum, quantumcumque Rex, vel Imperator sit dignus depositione, propter defectum quemcumque vel crimen, quod non est inter spiritualia crimina computandum.* Postquam vero adduxit Pontificum exempla, qui Imperatores deposuerunt, allata opinione illorum, qui has improbarunt depositiones, ita addit: *Fatentur tamen quod Papa potest transferre Imperium vel regnum casualiter, ut quia non est alius superior; vel aliter aut Imperium, vel regnum est transferendum de gente in gentem, propter aliquod crimen spirituale gentis, puta si gens illa inficiatur hæretica pravitate &c.* Illorum etiam refert opinionem, qui dicunt in tali casu prius a Papa monendum esse Populum, ut sibi de alio Rege, qui Fidei consulat, provideat: *Quod si noluerint*, addit, *vel non potuerint, jure divino est devoluta potestas ad Summum Pontificem: & quia ipse habet plenitudinem potestatis quantum ad omnia, quæ sunt de necessitate facienda.*

Cum etiam Ludovicus XII. Galliæ Rex non exiguas simultates cum Julio II. Romano Pontifice habuerit, & ipsi non defuerunt Defensores ac præcipue, teste Richerio, Jacobus Almainus, & Joannes Major Doctores Parisienses. Almainus igitur *Tract. de potest. eccles. & laic.* cap. 9. ita habet: *Non dedit, Deus, potestatem Petro, Laicos suis proprietatibus & dominiis privandi, nisi in casu, si contingeret Principem sæcularem abuti re sua in perniciem Christianitatis, vel Fidei; ita quod ille abusus esset in maximo nocumento pro consecutione felicitatis æternæ.* Et quæst. 2. cap. 8. ad c. 8. Guillelmi Occami ita scripsit: *Veruntamen dicit Doctor quod Papa potest Imperatorem deponere in duobus casibus. Primus pro crimine pure spirituali, ut est hæresis. Secundus, quando illi, ad quos spectat jure ordinario, sunt negligentes ipsum deponere. Unde dicit Doctor 3. p. Dial. 2. lib. quod universaliter si negligit Judex sæcularis exercere jurisdictionem laicam, pro loco & tempore devolvitur potestas exercendi ad Judicem ecclesiasticum — Resolutio Doctoris in hoc argumento est cum apparentia, quod numquam potest Papa Principem Sæcularem, seclusis suis Vassallis, deponere, nisi in duobus casibus prædictis:* Major vero in 4. *dist.* 24. *ad* 4. *contra* 3. *conclus.* sic respondet: *Si dicatur quod Papa habet dominium in temporalibus casualiter, & quod multum potest agere ad depositionem Regum suadendo, consultando, immo alios provocando in eos gladio manuali, quando Reges sunt labefactores Fidei, & Reipublicæ Christianæ totaliter inutiles: hoc minime ferendum est, & non esset remota opinio a dictis nostris.*

Ju-

Juvat autem hic denuo animadvertere quæ sæpe dicta sunt. Principes & quidem etiam ipsi, quos summi Pontifices Imperio seu Regno expoliaverant, in eisdem agnoscunt hanc authoritatem, dum maxime Fidei tuendæ causa id aggrediantur. Ipsorum Consiliarii ac sæcularis Potestatis Vindices, dum quantum possunt, huic tribuunt, ac ecclesiasticæ detrahunt, indirectam Romani Pontificis in temporalia potestatem fatentur. Quis modo credat eos tam vecordes fuisse, tam suæ Causæ proditores, ut Pontifici concedere vellent potestatem, quam ipsi S. Scriptura, ac Traditio adimerent.

Respondet *Bossuet. in Defens. Declarat. p. 2. l. 8. cap. 18.* Principes concessisse quidem propter hæresim & apostasiam posse a Romano Pontifice deponi, non quia in eo ad ordinanda temporalia agnovarint potestatem, sed in hæresis detestationem, qua tamen peste eam se non inficiendos sperarent, nil juris Romano Pontifici concedebant, dum hæresis causa exauthorari posse non denegabant. Quam tamen infirma sit hujusmodi responsio supra dicta demonstrant. Non solum ergo Principes adibant Pontificem, ut causa hæresis de Regnis disponeret, sed alias etiam ob causas aliena regna seu Imperia sibi concedenda postulabant. Illud igitur dicendum est quod cum tunc ubique præfata potestas Pontifici assereretur, ipsique regiæ potestatis Vindices id non denegarent, & ipsi Reges ei denegandam non reputabant.

§. VI.

Illud certum est non esse negandam Summo Pontifici potestatem declarandi, quandonam obliget fidelitatis juramentum.

Nimis mutilam Romani Pontificis Potestatem conciperemus, nec ad regendam Ecclesiam satis idoneam, quoties ipsi Christus non contulisset authoritatem in tot dubiis, quæ circa jus naturale & divinum possunt suboriri, declarandi, an tunc parendi urgeat obligatio, vel non. Quapropter omnes Catholici fatentur obtinuisse Romanum Pontificem hanc facultatem, quando etiam ipsi dictum fuit in persona Petri: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Mos proinde semper fuit dum de eo, quod faciendum esset, dubium oriebatur, Sedem Apostolicam in rebus gravibus consulere; unde Innocentius I. *ep. 4. ad Felicem Nucer.* ita habet: *Mirari non possumus Dilectionem tuam sequi instituta Majorum, omniaque quæ possint aliquam dubitationem recipere, ad nos quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus referre, ut consulta videlicet Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet.* Si vero umquam dubitare liceat an fidelitatis juramentum urgeat, tunc præcipue evenires, quando Princeps veram religionem Fidemque persequendo suo exemplo, seu mandato subditos in perditionem raperet, & hæresi patrocinium impenderet. Cum in his similibusve casibus necesse sit saltem dubium oriri, an juramentum fidelitatis Principi præstitum potius ex ipsius malitia evadat vinculum iniquitatis, ac Religionem, ex qua virtute ipsius consurgit obligatio, potius velle ut nihili habeatur, ne subitorum fretus viribus in Fidei perniciem abutatur, nemo inficias ibit spectare tunc ad Romanum Pontificem declarare, an illius observandi instet præceptum. Id explicans Cardinalis Perronius apud Granondum lib. 1. Hist. ad an. 1615. in Comitiis Generalibus eo anno habitis ait: *Sacramento vinciri Reges Galliæ ubi inaugurantur, pellendis Regno suo hæreticis: si pejeraverint in hæresim ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex lege spectat perjurii pœna.* Porro bene dicitur uni Romano Pontifici hanc fidelitatis juramenti declarationem reservatam, nam tamquam res gravissima est consideranda, utpote quia summam prudentiam, summaque prudentia præditos Consiliarios exposcat; & quia est unum ex extremis remediis, quod est magnis periculis obnoxium, nisi summa circumspectione adhibeatur.

Videntur Pontifices juramenti obligationem non amplius robur obtinere declarasse, dum etiam extra casum hæresis, ita regni necessitas expostulabat; atque ita factum esse aiunt, quando Childerico exauthorato, Franci Pippinum in Regem elegerunt, & quando Carolo I. Lotharingiæ Duce, cui quia magis regio sanguini proximo regnum debebatur, relicto, Hugonem Capetum in regem selegerunt &c.

Hæc ex indubiis factis excerpta satis superque ostendunt explodendam gravissimam censuram qua Natalis sententiam sibi contrariam inurit. Quæstionem juris non attigi, ne integros tractatus exscriberem.

DISSERTATIO III.

De Gregorii VII. Dictatu.

ARTICULUS UNICUS.

Gregorii VII. venerando nomini suppositum esse Dictatum ostenditur contra P. CHRISTIANUM LUPUM.

Propositiones quasdam seu Effata nullatenus cohærentia, non Epistolæ, non Tractatus, non Sermonis habentia rationem, aut speciem nulla nota temporis consignata, Gregorii Papæ Regestis inserta sunt inter Epistolam quinquagesimam-quintam libri secundi ad Laudensis Ecclesiæ filios, & quinquagesimam-sextam ad Manassem Remensem Archiepiscopum datam, cum quibus nullam prorsus connexionem habens. Illam farraginem, quam *Gregorii VII. Dictatum* inscribere nescio quis ausus est, Cardinalis *Baronius* ad VII. Synodum Romanam ab ipso celebratam refert nullius Authoris testimonio, nulla ratione, immo nec probabili conjectura fultus. An illi Articuli numero 27. sint genuinus Gregorii VII. fœtus, jam olim Viri Eruditi disputant. *Joannes Launoius* in Epistola ad Magistrum *Antonium Fabrum* Sacræ Facultatis Parisiensis Theologum, Dictatum Gregorii VII. non esse probat, non quod in eo multa non sint quæ illius ingenio conveniant, sed quod sint plurima quæ ab eo vehementer dissentiunt.

Ecclesia Romana a SS. Petro & Paulo, Christi authoritate & voluntate fundata.

Hujus generis est primus Articulus, quo dicitur *Romana Ecclesia a solo Domino fundata.* Quod sane Patribus & veteribus Pontificibus repugnat, qui Romanam Ecclesiam a *SS. Petro & Paulo* fundatam asserunt; non quod Christi authoritate ac voluntate eam non fundaverint Apostoli Principes, sed quia ministerium suum in illius conditione ita interposuere, ut illius conditores longe potiori jure quam Romulus ipsius Urbis conditor, dici possint. Unde Sanctus Leo Sermone in Natali Apostolorum *Petri & Pauli* ait: *Isti sunt viri, per quos tibi Evangelium Christi Roma, resplenduit, & quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt Patres tui, verique Pastores, qui te Regnis cœlestibus inserendam multo melius multoque fælicius condiderunt, quam illi quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas Sacerdotalis & Regia per sacram Beati Petri Sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena.* Gregorius itaque VII. dicturus non videtur, *Quod Romana Ecclesia a solo Domino sit fundata.*

Primatus quidem *Sancti Petri* a solo Christo est, non a Synodis, non ab Imperatoribus, non ab Urbis amplitudine: at inde consequens minime est ut Romana Ecclesia sit a solo Christo fundata: siquidem non est juris divini quod Sancti Petri Cathedra Romæ collocata sit, sed tantum quod Petri Successores Ecclesiam universam Christi vice regnant & Christianos doceant ac pascant universos, sintque visibilia corporis ejus mystici in terris Capita; quod non minus haberent si S. Petrus alibi Sedem fixisset.

Erit forsan qui alium primo illi Dictatus articulo sensum affingat, quod nimirum unus Romanæ Ecclesiæ Episcopus a Domino sit institutus, non aliarum item Ecclesiarum Episcopi. At hic sensus tam a *Gregorii VII.* mente, quam a veritate alienus est. Tam enim alios Episcopos, quam se ipsum, Deo authore Ecclesiæ præesse ait, cum hoc tantum discri-

mine, quod illi particularibus Ecclesiis præsint, hic universam moderetur. De se ipso scribens lib. 3. Epist. 18. ad Simeonem Hispanorum Episcopum, ait: *Apostolica enim Sedes, cui, quamvis immeriti, Deo authore præsidemus, ipso gubernante firma permansit ab ipsis primordiis.* Et eadem loquendi formula utitur, cum de aliis Episcopis sermo est. Sic libro 6. Epistola 34. ad Gebuinum Lugdunensem Archiepiscopum scribit: *Postulasti a nobis, quatenus dignitatem ab Antecessoribus nostris concessam Ecclesiæ, cui Deo authore præesse dignosceris, confirmaremus.* Sic lib. 1. Epistola 22. ad Clerum & Plebem Carthaginensem, Cyriacum ipsorum Archiepiscopum, *vice Christi* ipsis præesse scribit: *Christi vicem*, inquit, *super vos habenti, ex debito obedite .... Aliter vero si feceritis, in Christum peccatis, Christum spernitis, Christi discipuli esse desinitis, Apostolo resistitis, qui ait:* „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Cum ergo mundanis potestatibus obedire prædicavit Apostolus, quanto magis spiritualibus, & vicem Christi inter Christianos habentibus? Hæc gemens cogito, flens scribo: pervenit quidem ad aures nostras, quosdam vestrum irreligiose in legem Christi, contra Christum, Cyriacum venerabilem fratrem nostrum, vestrum vero Archiepiscopum & Magistrum, immo vero vestri Christum, apud Saracenos sic accusasse.* Non ita sane scripsisset, qui alios omnes a Romano Episcopos a Christo immediate institutos non sensisset: quamquam plenitudinem potestatis non habeant ut Summus Pontifex, illique subditi sint: ac in suæ potestatis exercitio ipsi ut Capiti & Pastorum omnium uni sub Christo Pastori subsint, ac parere secundum Canones, teneantur.

Episcopos vice Christi Ecclesias suas regere, Gregorius VII. censet.

Alter Dictatus Articulus est, quod *Solus Romanus Pontifex jure dicatur Universalis.* At hic pariter probat Dictatum *Gregorii VII.* non esse, qui vel seipsum *Universalem* Episcopum appellari passus non esset, doctrinam *Sancti Gregorii Magni*, & *Sancti Leonis IX.* secutus. Noverat scilicet *Gregorium Magnum* Epistola 36. libri 1. ad *Eulogium* Alexandrinum, & *Anastasium* Antiochenum, Patriarchas data, scripsisse: *Nullus umquam Decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit; quia videlicet, si unus Patriarcha Universalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit hoc, absit a Christiana mente, id sibi velle quempiam arripere, unde Fratrum suorum honorem imminuere in quantulacumque parte videatur.* Et ejusdem libri Epistola 38. ad *Joannem* Episcopum Constantinopolitanum: *Certe*, inquit, *Petrus Apostolus primum membrum Sanctæ & universalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam singularium plebium capita? Et tamen sub uno capite omnes sunt membra Ecclesiæ. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis adstringam, Sancti ante legem, Sancti sub lege, Sancti sub gratia, omnes hi perficientes Corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ, constituti, & nemo se umquam Universalem vocare voluit.* Et libro 6. Epistola 30. ad Mauritium Imperatorem: *Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* Et libro 7. Epistola 30. ad *Eulogium* Alexandrinum: *Indicare*, inquit, *vestra Beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur dicens*, Sicut jussistis. *Quod verbum jussionis, peto, a meo auditu removete: Quia scio qui sum, qui estis. Loco enim mihi Fratres estis, moribus Patres .... In Præfatione Epistolæ, quam ad me ipsum qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum, Universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod, peto, dulcissima mihi Sanctitas vestra ultra non faciat: quia vobis subtrahitur, quod alteri, plusquam ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus: Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est universalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim Universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur, universum. Recedant verba quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant.*

Solum Romanum Pontificem jure dici Universalem, scripturus non videtur Gregorius II.

Noverat *Gregorius VII. S. Leonem IX.* cujus obitum inter & assumptionem suam ad Pontificatum, anni tantum duodeviginti intercesserant, ad *Michaelem* Constantinopolitanum Episcopum scripsisse de nomine Universalis Patriarchæ: *Nomen istud a Sanctis Patribus in Chalcedonensi Synodo, ob reverentiam Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis, Sanctissimo Decessori nostro Leoni Papæ & præclarissimo Doctori Successoribusque ejus fuit oblatum; sed nec ab illo, nec ab ullo Successorum ejus, constat hactenus receptum. Et cui, post Christum Jesum, hoc nomen poterat magis aptari, quam Successoribus Petri? sed imitanda humilitas Reverendorum Pontificum, attendens, quod ipse Princeps Apostolorum non invenitur dictus Universalis Apostolus, superbum refutavit vocabulum penitus, quo videbatur par dignitas subtrahi cunctis per orbem Præsulibus, dum uni ex toto arrogaretur.* Quis igitur sibi persuadeat *Gregorium VII.* qui scripsit: *Sedem Apostolicam in suis Decretis & Constitutionibus a Canonicæ Traditionis concordia nusquam discedere, & cavendum sibi esse, ne quidquam contrarium Sanctis Patribus in exemplum & authoritatem posteris relinquatur:* Quis, inquam, sibi persuadeat ipsum absque ulla explicatione propositionem tam ambiguam, tam insolitam, Decessoribus suis tam odiosam, inter Decreta sua scribi voluisse, & ad posteros transmisi? *Quod solus Romanus Pontifex jure dicatur Universalis.* Non ne potius dixisset solum Romanum Pontificem *Universalis Ecclesiæ Caput* jure appellari, quæ traditionis doctrina est, & quæ appellatio a *Paschasino* Lylibetano in Sententia contra *Dioscorum* in Concilio Chalcedonensi usurpata fuit, consentientibus Patribus.

Lib. 1. Epist. 2.

Tertius Articulus Dictatus est: *Quod Romanus Pontifex solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare.* Duplex illius Articuli sensus esse potest: Primus, quod nullus possit Episcopos deponere aut reconciliare, nisi solus Papa: Secundus est, Papam id posse absque Synodo. Posterior iste sensus, inquit *Christianus Lupus*, in Scholiis, ad vigesimum-quintum Articulum pertinet, quo dicitur: *Absque synodali conventu Papam posse Episcopos deponere, & reconciliare.* Prior sensus pertinet ad huncce tertium Articulum. Uterque ab ingenio *Gregorii VII.* prorsus alienus est. Sanctorum Patrum & Decessorum suorum Decreta observare se profitebatur; nihil novi, nihil propria adinventione se statuere. *Ad Sanctorum Patrum Decreta, doctrinamque recurramus*, (inquit Epistola 10. lib. 3.) *nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam & unicam Ecclesiasticæ Disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore, repetendam & sectandam esse censemus.* Ecclesiis cæteris ipsorum Jura se integra observare debere scribit Epistola 16. Libri 4. *Sicut*, inquit, *Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ jura & dignitates suas conservari cupimus, ita & membris ejus, videlicet cæteris Ecclesiis, ex hujus providentia & authoritate, oportere & dignissimum esse perpendimus.* Porro nihil a Sententia Patrum tam alienum est, nihil Canonibus tam contrarium, nihil cæterarum Ecclesiarum Juribus tam adversum, quam asserere, neminem, præter Summum Pontificem, Episcopos deponere posse. Primam enim causarum Episcopalium cognitionem, primumque Judicium, ad Provinciales ac Nationales Synodos, ab ipsis Ecclesiæ primordiis pertinuisse, quis in doctrina Antiquitatis Ecclesiasticæ vel mediocriter versatus diffiteri possit? Nonne *Paulus Samosatenus* in Concilio Antiocheno, *Privatus* in Labesitano, *Felicissimus* in Carthaginensi, *Basilides* & *Martialis* in Hispaniensi, *Saturninus* Arianus in Arelatensi, *Instantius* Priscillianista in Burdigalensi, dejecti sunt? Nonne hæc Disciplina in Concilio Niceno Canone quinto; in Antiocheno, Canonibus decimo-quarto & decimo-quinto; in Sardicensi, Canonibus tertio, quarto, & septimo; in Africanis plerisque, quorum Canones exhibet Africanæ Ecclesiæ Codex, stabilita est? Nonne ab *Innocentio I.* in Epistola *ad Victricium* Rothomagensem Episcopum confirmata? Nonne hæc disciplina servata est in causa *Maximi* Valentinæ civitatis in Gallia Episcopi, ita decernente *Bonifacio* I. Pontifice Maximo, & Synodo Provinciali Jus suum ser-

Articulè de potestate deponendi Episcopos soli Romano Pontifice convenente, absque Synodo, non videntur a Gregorio VII. dictati.

van-

vante? Nonne executioni mandata est a Concilio Rejensi in causa *Armentarii*, anno quadringentesimo trigesimo-nono; a Concilio Arelatensi in causa *Chelidonii*, anno quadringentesimo quadragesimo? Nonne *Hilarus* Papa Synodo Provinciæ jus istud asseruit in causa *Mamerti* Viennensis Episcopi, qui Diensi Ecclesiæ Episcopum consecraverat, cum Diensis civitas Arelatensi, non Viennensi Metropoli obnoxia esset, ut constat ex istius Pontificis Epistola ad *Leontium* Arelatensem Episcopum? Nonne in causa *Contumeliosi* Rejensis Episcopi anno quingentesimo trigesimo-quarto eadem Disciplina servata est, approbantibus Summis Pontificibus *Joanne II.* & *Agapeto*? In causa *Saffaraci* in Concilio Parisiensi secondo, anno quingentesimo quinquagesimo quinto? In causa *Emerii* Santonensis Episcopi, anno quingentesimo sexagesimo tertio? A Concilio Lugdunensi in causa *Salonii* Ebredunensis & *Sagittarii* Vapincensis, Episcoporum, anno quingentesimo sexagesimo-septimo? & in Cabilonensi, anno quingentesimo septuagesimo quarto? A concilio Parisiensi quarto, anno quingentesimo septuagesimo-tertio, in causa *Prometi*, qui contra Canones, & contra Carnotensis Episcopi Jura, in Castro Dunensi Episcopus constitutus erat? Ab altera Synodo Parisiensi, in causa *Prætextati* Rothomagensis Archiepiscopi, anno quingentesimo septuagesimo-septimo? A Synodo Metensi, in causa *Ægidii* Remensis Archiepiscopi, anno quingentesimo nonagesimo? A Concilio Cabilonensi in causa *Desiderii* Viennensis Episcopi, anno sexcentesimo tertio? A Synodo Matisconensi in causa *Agapii* & *Bobonis*, Diniensis urbis Episcoporum, anno sexcentesimo quinquagesimo? Eamdem roboratam Disciplinam & Canonicorum Judiciorum formam videre est in Codice Canonum, quem *Hadrianus I. Carolo Magno* dedit, quo Romana Ecclesia utebatur, qualemque *Dionysius Exiguus* adornaverat: & in Codice altero, quem *Ingilramnus* Metensis Episcopus *Hadriano I.* obtulit. In his, inquam, Codicibus plerique Canones & Capitula leguntur, quibus prima causarum Episcopalium cognitio Provinciarum Synodis vindicatur, salvo jure appellationis ad Sedem Apostolicam. Hæc disciplina servata est in Concilio apud Theodonis-Villam celebrato in causa *Ebbonis*, anno octingentesimo trigesimo-quinto: in Concilio altero Gallicano celebrato in causa *Aldrici* Cenomanensis Episcopi, qui e Sede sua dejectus est, quamvis Romanam Sedem appellasset, ut constat ex Epistola *Gregorii IV.* ad universos Episcopos, qua judicium quidem ultimum & finitivum causæ istius Sedi Apostolicæ vindicat, tum propter appellationem interjectam, tum quia criminales Episcoporum causæ sunt a majoribus, quas ad Sedem Apostolicam, post Synodorum Provincialium Judicium referri prisca disciplina exigit; sed primam cognitionem, primumque judicium ad Synodum Provinciæ jure pertinuisse non diffitetur. Eamdem disciplinam *Leo Quartus*, observari voluit in causa Episcoporum minoris Britanniæ, qui simoniæ rei dicebantur: Jussit, inquam, ut eorum causa judicaretur in Conciliis, salvo jure relationis & appellationis ad Sedem Apostolicam; ut constat ex ipsius Epistola ad Britanniæ Episcopos. De causa *Rothadi* Suessionensis Episcopi Synodus Suessionensis; de causa Laudunensis *Hincmari* Synodus Duziacensis judicavit. Uterque a Gallicanis Episcopis dejectus est. *Artaldi* & *Hugonis* de Remensi Archiepiscopatu contendentium, causa in Synodis Virdunensi, anno nongentesimo quadragesimo septimo, & Mosomensi, anno sequenti, judicata est, & summotus *Hugo*, insuperhabitis *Agapeti II.* Romani Pontificis, cui obrepserat, de illius conversatione mandatis, ut *Flodoardus* in Chronico testatur. *Arnulphus* Remensis Archiepiscopus a Gallicanis Episcopis in Concilio Remensi anno nongentesimo nonagesimo-secundo depositus est, & *Gerbertus* in ejus locum ordinatus. *Leo Nonus* finitivam dumtaxat sententiam in depositionibus Episcoporum Sedi Apostolicæ reservavit; examen vero causarum Episcopalium, primumque Judicium Synodis Provincialibus & Nationalibus secundum Canones servavit, *Qui omnium Ecclesiarum majores & difficiliores causas per sanctam & principalem B. Petri Sedem a Successoribus ejus diffiniendas sanxerunt.* Id constat ex Epistola ipsius ad *Petrum & Joannem* Africanos Episcopos. Quæ cum ita sint, incredibile est *Gregorium VII.* qui *primam & unicam Ecclesiasticæ Disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam* sectari se profitetur, & *nihil novi, nihil adinventione sua statuere, & singulis Ecclesiis jura sua servare*, Articulum illum dictasse ac promulgasse, *Quod solus Romanus Pontifex possit deponere Episcopos vel reconciliare.* Accedit quod *Gregorius VII.* annis singulis, quantum fas erat, Synodum celebrabat, secundum antiquum Ecclesiæ Romanæ morem. Nullum erat gravioris momenti negotium, quod absque Synodi Sententia finiret: Episcoporum causas in Synodis examinabat, judicabatque. Non videtur ergo dictasse alterum illum Articulum, *Quod absque Synodali Conventu Romanus Pontifex possit Episcopos deponere, vel reconciliare.*

Absentes & inauditos Episcopos a Romano Pontifice damnari posse, Gregorius VII. non scripsit.

Articulus quintus Dictatus est, *quod absentes Papa possit deponere.* Hunc a *Gregorio VII.* conditum, adduci non possum ut sentiam. Etsi enim contumaces a quovis Judice suo etiam absentes judicari possint, tamen Juri plane repugnat ut absens & inauditus, nec contumax, judicetur ac deponatur. Hinc Synodus Mediolanensis, apud *S. Athanasium* in Epistola ad Solitarios, *Constantio* Imperiali Authoritate dicenti: *Ego sum Athanasii accusator: meo nomini credite*, respondet: *Quonam modo accusator esse possis non præsente reo? Esto ut accusator sis, absentia tamen rei facit ut in causa judicari non liceat. Non enim de re Romana Judicium est, quo tibi ut Imperatori fides habeatur; sed de Episcopo agitur, & in hoc judicio oportet pari jure cum reo & accusatore agi. Quomodo autem accusabis eum, qui ob longinquitatem loci adesse non potuit?* Et *Liberius* Pontifex in eadem Synodo eumdem Imperatorem his verbis convenit: *Judicia Ecclesiastica summa cum æquitate fieri debent. Quare, si placet Pietati tuæ, Judicium constitui jube, &, si condemnationem meruisse videbitur Athanasius, tum in illum juxta Ecclesiastici Ordinis formam Sententia proferetur. Alexandriam convenientes omnes ubi & accusatus, & accusatores sunt, & defensor eorum, examinata causa Sententiam proferamus.* Et Synodus Carthaginensis quarta Canone XXX. ita statuit: *Caveant Judices Ecclesiæ, ne absente reo, cujus causa ventilatur, Sententiam proferant, quia irrita erit.* Hæc & alia momenta cum proferat *Christianus Lupus* in Scholiis, nullam vim eorum effugiendi viam apertam vidit; sed respondet, *Deformata ac turbulenta Gregorii VII. tempora ac in ipsis grassantia Episcoporum pessima vitia postulasse in adductis Canonibus frequenter dispensari.* At viro erudito ac religioso reponimus, perturbata tempora impetrare non potuisse a *Gregorio VII.* juris & æqui amantissimo Pontifice, qui cavendum summopere sibi proposuit, *Ne quidquam contrarium Sanctis Patribus in exemplum & authoritatem posteris relinqueret*, (ut ipse scribebat ad *Sancium* Aragonum Regem Epistola I. Libri II.) ut de eo quod ipsa naturalis æquitas, & jus gentium præscribunt, ut nemo absens, & inauditus damnetur, non solum dispensaret, sed edito Decreto declararet Papam eo jure non teneri.

Hunc Articulum; quod in eadem domo cum excommunicatis a Romano Pontifice manere non liceat, Gregorius VII. absque exceptione non dictasset.

Sextus in Dictatu legitur Articulus, *Quod cum excommunicatis a Romano Pontifice nec in eadem domo debemus manere.* At *Gregorius VII.* uxores, liberos, servos, ancillas in eadem cum maritis, parentibus, aut dominis excommunicatis domo necessario manentes, eisque communicantes, ab Anathemate exemit in Concilio Romano IV. *Et quoniam*, inquit, *multos peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, devicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportune temperamus, Apostolica namque Authoritate Anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos & servientes &c.* Non videtur itaque *Gregorius VII.* hunc Articulum absque exceptione dictasse, quod cum excommunicatis a Romano Pontifice nec in eadem domo debemus manere.

Solum Romanum Pontificem novas Leges condere posse Gregorius VII. non asseruit.

Septimus Articulus est, *Quod soli Romano Pontifici*

ci licet pro temporis necessitate novas Leges condere. Posse Pontificem Maximum novas Leges condere in Ecclesia universa servandas, modo Conciliorum Œcumenicorum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos non evertant, nec Ecclesiarum particularium jura, sive Canonibus, sive probata & præscripta consuetudine firmata, minime dubium est: quamquam se Leges potius antiquas renovare, & Canonum executionem urgere, quam nova condere Decreta *Gregorius VII.* professus sit Epistola septuagesima-septima libri secundi. *Novit*, inquit, *Fraternitas tua, quia præcepta hæc non de nostro sensu exculpimus. Sed antiquorum Patrum Sanctiones Spiritu Sancto prædicante prolatas officii nostri necessitate in medium propalamus, ne pigri servi subeamus periculum, si Dominicam pecuniam, quæ cum fænore reposcitur, sub silentio abscondamus. Quamquam huic Sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper licuit, semperque licebit, contra noviter increscentes excessus nova quoque Decreta atque remedia procurare, quæ rationis & authoritatis edicta Judicio, nulli hominum sit fas ut irrita refutare*. Sed soli Romano Episcopo jus condendi novas leges non tribuit sapientissimus Pontifex. Noverat enim Episcopos pro suis Diœcesibus, Metropolitanos & Synodos Provinciales pro suis Provinciis; Nationales pro tota gente, novas Leges condere posse novis emergentibus causis; cum authoritas illa pertineat ad eximiam illam potestatem regendi Ecclesiam Dei, & pascendi gregem, qui in ipsis est, quæ a Christo immediate accepta est. Noverat Episcopos in Conciliis Œcumenicis proprio Jure, ut Judices, Decreta Legesque condere de Christiana Disciplina, & moribus. Cum itaque ita comparatus esset, ut cæteris Episcopis & Ecclesiis propria jura nollet eripere, sed intemerata servare, non videtur dictasse hunc Articulum: *Quod soli Romano Pontifici liceat pro temporis necessitate novas Leges condere*: immo probaturus videtur hanc propositionem, quam postea Cardinalis *Cusanus* fortiter propugnavit lib. II. *Concordantiæ Catholicæ*, cap. XII. *Romanus Pontifex in condendis Statutis generalibus non eam habet potestatem, quam quidam adulatores ei contribuunt, scilicet quod ipse tantum statuere habeat, aliis consulentibus*. Et istam propositionem, quam Sacra Facultas Parisiensis a *Joanne Saraceno* propugnatam damnavit; *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota authoritas dans vigorem statutis, in solo residet Summo Pontifice*: Gregorium VII. damnaturum pariter fuisse auguror, si ejus tempore a quopiam asserta fuisset.

Solum Papam imperialibus insignibus uti posse, Gregorius VII. non scripsit.

Octavus Articulus est: *Quod solus Papa possit uti Imperialibus insigniis*. Gregorius VII. modestissimus, & humillimus Pontifex Imperialia ornamenta, quæ Romani Pontifices non sumpserunt, antequam Regum Christianissimorum munificentia urbium & provinciarum fierent Domini, omnibus Regibus non detraxit, nec detrahere voluit. Non est igitur verisimile ipsum dictasse hunc Articulum; *Quod solus Papa possit uti Imperialibus insigniis*. Arnulfus Lexoviensis Episcopus in Opusculo adversus *Gerardum* Engolismensem Episcopum, Schismati *Petri Leonis* adhærentem, Cap. IV. de Romano Pontifice *Innocentio II.* scribit: *Quibus vestibus induatur, jam non ex ipsius pendet arbitrio, sed Sanctorum Patrum antiqua constitutione decretum est*. At Sanctorum Patrum antiqua constitutio atque traditio non probat *solum Papam posse uti Imperialibus insigniis*. Clodoveus Magnus Regum Christianissimorum primus coronam auream gemmis pretiosis distinctam, donum *B. Petro* Apostolo misit, *Flodoardo* teste, in Ecclesiæ Remensis historia. *Hormisdam* qui tunc Ecclesiæ Romanæ præsidebat, & illius ad *Leonem III.* Successores, ipsa usos esse, nulla monumenta produnt. Verisimile est non usos corona Pontifices, donec Reges Christianissimi plurium civitatum, provinciarum, ac ipsius Romæ temporale Dominium Ecclesiæ Romanæ donarunt. Ut ut est, una dumtaxat corona ante *Bonifacium VIII.* utebantur: alteram ille adjecit: tertiam demum addidit *Urbanus V.*

Solius Papæ nomen in Ecclesiis non recitabatur tempore Gregorii VII.

Articulus decimus est, *Quod Papa solius nomen in Ecclesiis recitetur*. Contrarium in usu fuisse testatur *Gregorii VII.* coævus Apologista, jam ante *S. Gregorii Magni* tempora, de quibus ita scribit Cap. II. *Consuetudo eo tempore, ut quilibet in aliqua Patriarchalium Sedium noviter ordinatus, se prædictas quatuor Synodos custodire, reliquis sedibus transmissa Epistola profiteretur, antequam nomen ejus apud reliquas Sedes in Diptychis describi mereretur. Nomen videlicet Prædecessoris ejus, licet defuncti, reliquæ Sedes computabant inter viventes, donec ipsius noviter inthronizati Præsulis Synodicam reciperent Epistolam*. Proprii nomen Episcopi recitari solitum in Epistola ad Centumcellarum Episcopum testatur *Pelagius I.* idemque constat ex *Carolo Magno* in Capitulari Episcoporum, ex Authore libri de Divinis Officiis *Alcuino* adscripti, ex *Amalario & Walafrido Strabone*. Nomen Imperatoris exprimi jubent idem Capitulare, sexta Synodus Arelatensis, tertia Turonensis, secunda Cabilonensis. Proprii nomen Antistitis in Canone Missæ post nomen Papæ fuisse recitatum tempore *S. Gregorii Magni*, prout nunc recitatur, ex eo colligere est, quod aliorum etiam Episcoporum nomina pro Ecclesiæ cujusque more, possent commemorari, ut diserte probat Epistola *S. Gregorii* ad *Constantium* Mediolanensem Archiep. XXXVII. Lib. III. *Quod scripsisti*, inquit, *quia scandalizantur plurimi, quia fratrem & Coepiscopum nostrum Joannem Ravennatis Ecclesiæ inter missarum solemnia nominatis, requirenda vobis consuetudo antiqua est. Et, si consuetudo fuit, modo a stultis hominibus reprehendenda non est. Si vero consuetudo non fuit, fieri non debet unde quibusdam scandalum moveri possit. Tamen solicite perquirere studet, si idem Joannes frater & Coepiscopus noster vos ad Altare nominet. Quod minime dicunt fieri. Et si ille vestri nominis memoriam non facit, quæ necessitas cogat ignoro, ut vos illius faciatis. Quod quidem si sine aliquorum scandalo fieri non potest, vos tale aliquid facere valde laudabile est, quia charitatem, quam erga fratres vestros habetis, ostenditis*. Mos Ecclesiarum Latinarum nomen Regis addentium Apostolica traditione nititur, præcipiente Apostolo I. ad Timotheum II. ut fiant orationes pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt: Unde *Tertullianus* in Libro *Ad Scapulam*, Cap. II. *Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo præcepit Deus pura prece*. Et Cap. 30. Apologetici; *Nos enim pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum.. Oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt*. Et Origenes Lib. 8. contra Celsum: *Laboramus*, inquit, *pro Imperio Romano, dum juste viventes pro eo vota facimus*. Et *S. Dionysius Alexandrinus* apud Eusebium Lib. VII. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. II. *Nos*, inquit, *unum Deum verum omnium opificem, qui Valeriano & Gallieno Sacratissimis Augustis Imperium tradidit, colimus & adoramus. Huic continuas preces offerimus pro Imperio illorum, ut stabile & inconcussum permaneat*. S. Agobardus in Epistola ad Ludovicum pium *De Judaicis superstitionibus*, hanc Regii nominis in Sacrificio recitationem, solitam intercessionem appellat, & S. Ambrosii tempore in Mediolanensi Ecclesia frequentatam scribit: *Ambrosius*, inquit, *Theodosium prævaricatorem judicavit, tam injusta contra Ecclesiam perpetrantem; & nisi sibi locum audientiæ reservasset, solitam pro eo intercessionem se omissurum testatus*. In Ecclesiis Orientalibus Imperatoris nomen e Sacris Diptychis recitatum fuisse testatur *Dioscorus* Ecclesiæ Romanæ Diaconus, & *Hormisdæ* Pontificis ad *Justinum* Imperatorem Legatus, in Relatione ad ipsum missa: *Deleta sunt*, inquit, *de Diptychis Zenonis & Anastasii nomina. Et hoc non solum in ipsa sola Ecclesia, in qua Episcopus manet, verum etiam per omnes Ecclesias, cum magna diligentia*. In iis Liturgiis, quæ *S. Petri & S. Marci* nominibus circumferuntur, pro Rege, & pro Religiosissimis Augustis oratur. In antiqua Missa Latina, quam *Matthæus Flaccus Illyricus* Argentiaæ primum vulgavit, & circa annum septingentesimum in usu fuisse conjecit, quamvis infra Actionem, sive in Canone, solius Papæ nomen recitatum indicetur, & aliorum generalis tantum facta commemoratio hoc modo: *In primis cum famulo tuo*

Papa

Papa nostro N. & pro omnibus orthodoxis, atque Apostolicæ Fidei cultoribus Pontificibus, & Abbatibus, Gubernatoribus, & Rectoribus Ecclesiæ Sanctæ Dei, & pro omni populo Sancto Dei: In Oblatione tamen specialis memoria fiebat Antistitis ac Regis hoc modo: *Tibi Domino Creatori meo offero hostiam placationis & laudis pro me, & pro Rege nostro, & Antistite nostro, ac pro cuncto populo Christiano, peto Domine, ut des nobis vitam æternam.* Offerentium nomina recitari quondam solita, *Innocentius I.* ad *Decentium* Eugubinum scribens testatur: *Prius*, inquit, *oblationes sunt commendandæ, quam eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter Sacra Mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis Mysteriis viam futuris precibus aperiamus.* Author Libri de Ecclesiasticis Officiis *Alcuino* quondam adscripti, Cap. XL. Liberum fuisse Sacerdoti testatur eos nominare in Canone, quos vellet e numero Fidelium, ipsos ut Deo specialius commendaret. *Manifestum est*, inquit, *quod quasi quidam locus sit, ubi aliquibus specialiter nominatis, etiam cæterorum, qui adsistunt, in Ecclesia, commemoratio adjungatur. In quo loco liberum est Sacerdoti, quos desideraverit, peculiariter nominare, & nominatim Deo commendare. Aut certe illud ab Antiquis est observatum, ut sibi offerentium nomina recitarentur. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, & tunc eorum nomina, quorum sunt, edicenda; ut inter sacra Mysteria nominentur.* Denique Author *Micrologi*, qui sub *Gregorii VII.* Pontificatu vixit, de Romano sui temporis Ordine ita scribit, Cap. XIII. *Ordo, ubi dicitur*, Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, *nobis concedit, ut omnium vivorum commemoremus nomina, quoscumque voluerimus.* Quibus omnibus accurate discussis, quis non videat, extra omnem veri speciem esse, quod *Gregorius VII.* hunc dictaverit atque promulgaverit Articulum: *Quod solius Papa nomen in Ecclesiis recitetur.*

Articulus undecimus est: *Quod unicum est nomen in mundo*; id est (ut *Baronius* Cardinalis explicat) ut unus in toto Christiano orbe Romanus Pontifex Papa vocaretur, nec alium Episcopum Papam appellare liceret. *Gregorium VII.* qui se traditionem & statuta Patrum sequi, neque nova aut sua proferre se passim gloriatur, hunc Articulum dictasse, nemo sibi persuadebit, qui ab Ecclesiæ exordiis Papæ nomen Episcopis omnibus commune fuisse noverit: *S. Cyprianum* a Romano Clero Papam fuisse appellatum, sicque sum ad eum Literas inscripsisse: *Cypriano Papa Presbyteri & Diaconi Romæ consistentes.* Presbyteros & Diaconos Alexandrinos, quorum Epistola extat apud *S. Athanasium* in libro de Synodis Arimini & Seleuciæ, ad *S. Alexandrum* Episcopum suum scripsisse: *Beato Papa Episcopo Alexandro.* Rufinum in Expositione Symboli ad *Laurentium* ipsum ita compellare: *Mihi quidem, fidelissime Papa Laurenti, ad scribendum animus non tam est cupidus, quam mens idoneus.* S. Hieronymum Literas ad *S. Augustinum* suas sic inscripsisse: *Domino vere Sancto & Beatissimo Papa Augustino.* S. Augustinum suas ad *Aurelium* Episcopum pariter inscripsisse, *Papa Aurelio.* Sidonium Apollinarem suas omnes ad Episcopos datas (sunt autem plurimæ) inscripsisse, *Domino Papa N.* & his verbis conclusisse: *Memor nostri esse dignare, Domine Papa.* Concilium Turonense II. Canonibus XX. & XXI. *Avitum* Viennensem Episcopum appellare *Papam Avitum.* Fortunatum Pictaviensem in Carminibus *Leontium* Burdigalensem, *Euphronium* Turonensem, & alios Episcopos, Papæ nomine insignire. Idem nomen tribui Episcopis, in Epistolis antiquis ad plerosque illorum datis, quas exhibet *Duchesnius* Tomo I. Historiæ Francorum. *Marculphum* Monachum *Landerico* Parisiensi Episcopo duos Formolarum Libros dicantem, eamdem inscriptionem usurpasse: *Reverendissimo Papa Landerico &c.*

Veteres Episcopi Papæ appellati.

Articulus XXIII. (ut cæteros omittam) est, *Quod Romanus Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis Beati Petri indubitanter efficitur Sanctus, testante Sancto Ennodio Papiensi Episcopo, & multis Sanctis Patribus faventibus, sicut in Decretis Beati Papæ Symmachi continetur.* De Pontificalis Officii sanctitate, non de personali sanctimonia locutus est *Ennodius* in Apologetico, contra *Symmachi* Papæ adversarios, qui donum etiam ac privilegium impune peccandi Pontificibus tribui ironice dicebant. *Non nos*, inquit, *Beatum Petrum, sicut dicitis, a Domino cum Sedis Privilegiis, vel Successores ejus, peccandi judicamus licentiam suscepisse. Ille perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ misit ad posteros. Quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conversationis splendor illuminat. Quis enim Sanctum esse dubitet, quem apex tantæ Dignitatis attollit? In, quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci Decessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat.* Verum Author Dictatus de vitæ Sanctitate loqui videtur, cum ait: *Romanus Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis Beati Petri indubitanter efficitur Sanctus.* Quod a *Gregorio VII.* assertum non fuisse verisimile est, qui noverat plerosque Pontificum, qui decimo præsertim sæculo Ecclesiam rexerunt, sanctos non fuisse, de quibus doctissimus Cardinalis *Baronius* ad annum 897. scripsit, *Vita turpissimos, moribus perditissimos, usquequaque fœdissimos fuisse*: & tunc Ecclesiam Romanam *vestimentis exutam gloria atque lætitia mærentem ac lugentem, sedisse in tristitia Dominam gentium. Cui etsi interdum deforme valde tunc contigerit apponi caput, tolerandum tamen ipsi fuit.*

Quæ sanctitas Romano Pontifici citra controversiam conveniat.

Denique nullus Author Gregorio VII. coævus aut sappae hujus Dictatus meminit, aut ipsi hæc Effata adscribit. Nullus ex ejus adversariis, hominibus Schismaticis, de illis quæstionem adversus ipsum movit, quod certe præstitissent, & in primis *Benno* ille maledicentissimus Pseudo-Cardinalis & atrocissimus calumniator. Nusquam *Gregorius* ipse in suis Epistolis Dictatum laudat aut vindicat, ut alia sua Decreta: propositionum adeo singularium nullum in ejus Regesto vestigium: (De illis loquor quas proxime expendi.) Hinc itaque conficitur, Dictatum esse *Gregorio VII.* suppositum.

SCHOLION I.

Isti Articulo, pag. 445. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Notam appinxerunt: *Rejicit contra Baronium, adhærens Launojo, Dictatum Gregorii VII.*

R. Hæc mera Criticæ quæstio, non dogmatis. Nec *Baronio*, nec *Launojo*, quem sæpius refello quam Eminentissimum Annalium Ecclesiasticorum Parentem; sed uni me adhærere profiteor veritati.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 446. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Non est juris divini quod Sedes Sancti Petri sit Romæ posita, sed id debetur Petro; & sic est falsum quod Romana Ecclesia sit a solo Deo fundata.*

R. Admirabilis est Religiosorum Censorum Theologia, qui Romanam Ecclesiam a solo Deo, non a *SS. Apostolis Petro & Paulo Christi authoritate ac voluntate fundatam*, (ut ego loquor) contendunt; quasi divini juris sit, ut Romæ collocata sit Sancti Petri Sedes; quasi Romæ ex institutione Christi ita sit affixa, ut alio transferri non possit a Summo Pontifice, sicut olim Avenionem translata est; aut quasi S. Petrus Antiochiæ sedens, ante quam Romanam fundavisset Ecclesiam, totius Ecclesiæ seu Fidelium omnium Pastor & Rector vice Christi non esset: *Primatus quidem Sancti Petri a solo Christo est* (inquam eo loci) *non a Synodis, non ab Imperatoribus, non ab Urbis amplitudine: at inde consequens minime est ut Romana Ecclesia sit a solo Christo fundata: siquidem non est juris divini, quod Sancti Petri Cathedra Romæ collocata sit, sed tantum quod Petri Successores Ecclesiam universam Christi vice regant, & Christianos doceant ac pascant universos, sintque visibilia Corporis ejus mystici in terris capita; Quod non minus haberent, si Sanctus Petrus alibi Sedem fixisset.* Episcopatus igitur, Summus Pontificatus, & Primatus Sancti Petri, atque Successorum ejus in Ecclesiæ universalis Regimine a Christo immediate institutus est:

est: sed Romanus Episcopatus fundatus est a Sancto Petro, Dei providentia, Christi voluntate, Spiritus Sancti directione.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 451. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Nihil tam alienum est a Canonibus, & contrarium caeterarum Ecclesiarum juribus, quam dicere Episcopos a solo Papa deponi posse.*

R. Id summatim probavi ex præclaris Historiæ Ecclesiasticæ Monumentis eo loci & tribus paginis sequentibus; Hæc Sacræ Facultatis Parisiensis, Ecclesiæ Gallicanæ, Eruditorum omnium in his plagis sententia est. Causas tamen appellantium Episcoporum supremo ultimoque judicio finire potest Summus Pontifex secundum Canones Sardicenses: & de majoribus illis negotiis secundum Canones ac mores antiquos, ad ejus sanctitatem necessario referendum est.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, pag. 457. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa potest condere Leges, modo Conciliorum Generalium Canones non evertant, nec Ecclesiarum particularium jura, sive Canonibus, sive præscripta consuetudine firmata.*

R. Doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ. Summam scilicet a Christo potestatem in universa Ecclesia accepit Romanus Pontifex *in ædificationem, non in destructionem* (ut loquitur Apostolus I. ad Corinthios X.) *Ille non in destructionem paternæ sententiæ, sed potius in defensionem atque ultionem, primam accepit & maximam potestatem; nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plus cæteris Consacerdotibus potest. Paulus enim dicit Apostolus: Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* Verba sunt Facundi Hermianensis, lib. II. cap. VI. Hinc Gelasius I. ad Lucaniæ Episcopos scribebat, cap. XI. *Cum nobis contra salutarium reverentiam Regularum cupiamus temere nihil licere, & cum Sedes Apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis suas Canonibus præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam vel Pontificum vel Ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam Beati Petri Sedem & sequi videat, & docere, satisque conveniens sit ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus totius Ecclesiæ posuit Principatum.* Et Leo Quartus, apud Gratianum, Causa XXV. Quæst. II. cap. QUOD VERO: *Ideo*, inquit, *permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri, sive in sanctis Canonibus, sive in mundanis affixere Legibus, excedere minime debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quod ipsi divino instituerunt consulto, intactum non conservamus.*

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 458. Edit. primæ, Religiosi Censores has Propositiones notant: *Ista Propositio a Facultate Parisiensi proscripta est:* QUANDOCUMQUE in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota authoritas dans vigorem Statutis in solo residet Summo Pontifice. *A Gregorio VII. fuisset etiam damnata, si ejus temporibus asserta fuisset.*

R. Propositionem istam olim a Sacra Facultate Parisiensi damnatam, cum eam *Joannes Saracenus* propugnasset, ejusdem Facultatis Tabularia, Commentarii, & edita Censura testantur. *Facti* & historiæ res est. Eamdem Gregorium VII. damnaturum pariter fuisse, si ejus temporibus a quopiam asserta esset, non affirmo, sed auguror, non levibus ductus conjecturis, quas eo loci proposui.

SCHOLION VI.

In Eodem Articulo, pag. 459. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Pontifices non utebantur Regia Corona, quousque a Regibus Galliæ ipsis donatæ fuerunt plures Civitates & Provinciæ.*

R. Id *verisimile* esse dixi: modestius loqui non poteram.

Nota.

NON semel adnotatum est quæ fuerit Ecclesiæ disciplina, dum de causis episcoporum judicium erat instituendum. Juvat hic iterum recensere quæ habet Tridentinum sess. 24. de Reform. c. 5. *Causa*, ait, *criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione, aut privatione digna sunt, ab ipso tantum summo Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessario extra Romanam curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur nisi Metropolitanis aut Episcopis a Beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio & specialis sit, & manu ipsius sanctissimi Pontificis signata, nec umquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva.* Ita Præsules Tridentini ad splendorem suæ dignitatis conducere autumarunt, si non alium judicem haberent, quam supremum universalemque Pontificem.

Nota.

CUM Christus Dominus D. Petro in omnem ecclesiam contulerit principatum, peculiari quadam providentia factum est, ut tantæ dignitatis solium Romæ erigeret. Id explicans Ratramnus monachus, ut superbos Græcorum conatus retunderet *l. 4. cap. 8.* hæc habet: *Petrum & Paulum ad ecclesiæ principatum a Christo positos, & Romam directos tum ecclesiastica veritas, tum ipsius passionis monstrat authoritas. Illuc namque ambo Principes sunt directi, ubi principatus eminebat mundi, quatenus Romana civitas sicut imperiali potentia totum sibi subjecerat orbem, sic Religionis culmine & apostolatus dignitate totius mundi regnis præsideret. Et sicut voluit Salvator Hierosolymam nativitate sua, doctrina, morte, sepultura, resurrectione reddere sublimem; sic etiam delegit Romanam urbem Apostolorum Principum sanguine, sepulchro, memoria, doctrina, reddere gloriosam; ut quoniam Christus Hierusalem cælestis in dextera Patris consident Rex, & Dominus honoratur, Angelorum & Sanctorum omnium famulata: Sic Petrus & Paulus Hierusalem peregrinantis obtineant principatum, subjectis sibi per totius orbis latitudinem Christi ecclesiis.*

Nota.

ROmanum Pontificem obsequi non debere sacris canonibus, quasi a sibi superiore prodierint potestate, late expendi tom. 3. pag. 110. & seq. Optime autem Romani Pontifices a se sacris canonibus non esse derogandum professi sunt, vel quia de iis agebatur, qui aliquid naturalis, seu divini juris continebant, vel quia justa causa eos infringendi non aderat. Non solum vero quæ invalide, sed quæ etiam illicite & inutiliter fierent, secundum juris interpretes fieri non posse dicuntur.

Nota.

FAtendum profecto est Episcopos in Conciliis Judicum prærogativam obtinere, illos etenim allocutus est Apostolus, dum Act. 20. ait: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Hinc ab ecclesiæ exordio usque ad Concilium Basileense, in quo Abbates & Generales Ordinum ex privilegio suffragio decisivo frui cœpere, soli Episcopi in Conciliis votum decisivum ferebant, & in hujus potestatis signum ita subscribebant: *Ego Episcopus definiens subscripsi.* In aliquo nihilominus sensu totam Conciliorum vim ab uno Romano Pontifice pendere dici potest, quia nem-

nempe nullius roboris sunt quæ Episcopi decreverint, nisi eos Pontifex ad œcumenicam synodum convocaverit, seu hujusmodi convocationem ratam habuerit, eorumque decretis adnuerit. Cum proinde Jones Jejunator œcumenici episcopi nomine assumpto, Constantinopoli Concilium coegerit, Pelagius II. *ep.* 8. ita nullum esse declaravit: *Delatum est ad Apostolicam Sedem Joannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se scribere, & synodum convocare generalem, cum generalium synodorum convocandi authoritas Apostolica Sedi B. Petri singulari privilegio sit tradita, & nulla umquam Synodus rata legatur, quæ apostolica authoritate non fuerit fulta.* E contra Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, qui prohibiti fuerant ab infidelibus ad septimam Synodum accedere, nil eis authoritatis deesse dixerunt, quia ibi per suos Legatos Pontifex Romanus adfuerat, ac quæ in eo sancita fuerant probaverat: *Nullum*, ajunt, *ex hoc S. Synodo adhæsit præjudicium, præcipue cum Sanctissimus & Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus sit per Apocrysiarios suos.* Et Pius II. in Bulla Retractationis inter alia hæc habet: *Cum his & generalis concilii authoritatem & potestatem complectimur: quemadmodum & ævo nostro Constantiæ, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium & cuncta quæ præcesserunt a Romanis Pontificibus nostris prædecessoribus approbata; cæter quo, nempe concilia, nullum invenimus umquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Præsule, absque ipsius authoritate convenerit. Quia non est corpus sine capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas.*

DISSERTATIO IV.

De Investituris Episcopatuum & Abbatiarum: Et de Synodo Oecumenica Lateranensi Prima.

ARTICULUS I.

Quid sit Investitura legitima? Quæ ejus origo? Quis status in Germania, Gallia, & Anglia ante Gregorii VII. Pontificatum.

Investitura definitio.
Investiturarum Origo.

I. INvestitura est consensus ab Imperatore vel Rege adhibitus electioni factæ alicuius ad Episcopatum, vel Abbatiam, & concessio bonorum Ecclesiasticorum solemni quodam ritu facta. Investiturarum origo fuit munificentia Principum erga Ecclesias, quibus non solum prædia, & latifundia, sed Regalia sive Feuda Majestati suæ obnoxia concesserunt. Unde factum est ut bona hujuscemodi conditionem Feudorum sequerentur, nec eorum possessionem adire possent electi Episcopi, nisi Princeps eorum electionem gratam haberet, ac secundum hominium & Juramentum fidelitatis ab iis præstitum, ipsis hujuscemodi bona fruenda concederet aliquo signo externo, solemnique ritu, puta per virgam pastoralem & annulum, aut per sceptrum, seu aliud quodvis instrumentum. Et quia feuda illa, sive Regalia, præcipua sunt & nobilissima Ecclesiarum bona, ad eorum conditionem cætera evehi censentur, & iisdem conditionibus subjacere. Unde Reges omnium bonorum Ecclesiasticorum Investituram electis, & a sua Majestate probatis Episcopis absque discrimine concesserunt. Quod autem Principes Feuda Ecclesiis nobilissima & ditissima concesserint, non unus pietatis motus, sed publicæ etiam utilitatis respectus effecit. Sperabant nimirum fore ut Episcopi, qui Feudorum possessione ipsorum vassalli fiebant, fidem ipsis juratam religiosius observarent, ipsosque juvarent adversus hostes, ac perduelles, non solum copiis, quas olim suppeditare tenebantur, sed excommunicationum fulminibus. Istud fuisse *Caroli Magni* consilium, cum Feudis nobilissimis plerasque Germaniæ & Galliæ ditavit Ecclesias, indicat *Willelmus Malmesburiensis* lib. V. de Gestis Regum Anglorum. *Carolus Magnus* [inquit] *pro contundenda gentium illarum* [Germanorum scilicet] *ferocia omnes pene terras Ecclesiis contulerat, consiliosissime perpendens nolle sacri Ordinis homines tam facile quam Laicos, fidelitatem Domini rejicere. Præterea, si Laici rebellarent, illos posse excommunicationis authoritate & potentia severitate compescere.* Ita Ecclesiæ libertas opum accessione imminui visa est, dum & Regii assensus necessitas ad electorum Antistitum consecrationem inducta, & vassallitium, seu nobile quoddam servitutis genus ipsis impositum, quam Hominio & Juramento fidelitatis profiteri tenebantur. Sed revera nova illa servitus majorem ipsi dignitatem ac libertatem peperit: siquidem Episcopi Vassalli Regum effecti sunt ut multorum Domini fierent. Præclare id edisserit *Helmoldus* Presbyter in Chronico Sclavorum lib. I. Cap. 69. & 70. ubi de *Vicelini* Aldeburgensis Episcopi Investitura agit. *Investitura Pontificum* (inquit, seu potius apud ipsum *Hartuvicus* Hamaburgensis Episcopus) *Imperatoriæ tantum Dignitati permissa sunt, quæ sola excellens, & post Deum in filiis hominum præeminens, hunc honorem non sine fœnore multiplici conquisivit. Neque Imperatores dignissimi levitate usi sunt, ut Episcoporum domini vocarentur; sed compensaverunt noxam hanc amplissimis Regni divitiis, quibus Ecclesia copiosius aucta, decentius honestata, jam non vile reputet ad modicum cessisse subjectioni; nec erubescat uni inclinari, per quem possit in multos dominari.*

Investiturarum usus in Germania ante Gregorii VII. tempora.

II. Investiturarum usus in Germania penes tres *Ottones*, & *S. Henricum*, Imperatores fuit; idque Ecclesia conniventibus aspexit oculis, quamvis interdum fines suos excurrerent, & per traditionem baculi pastoralis, quod spiritalis potestatis insigne est, Episcopatus concederent; quoniam dignissimos Episcopos Ecclesiis præficiebant, nec Electionem Canonicorum opprimebant libertatem, & novas in dies Episcopatus Regia munificentia fundabant, dotabantque. Hujus rei probationes profero ex *Ditmaro* Episcopo Merseburgensi in Chronico. Is nimirum Lib. II. pag. 24. de *Bosone* pissimo Cœnobii *S. Emmerammi* Ratisponensis Monacho, cujus ministerio Magnus *Otto* in rebus Palatinis utebatur, ita scribit: *Et quia is in Oriente innumeram Christo plebem prædicatione assidua, & baptismate vindicavit, Imperatori placuit, electionemque de tribus constituendis Episcopatibus ei dedit, Misnensis, Cicensis, atque Merseburgensis. Præ his omnibus, eo quod pacifica erat, Merseburgensem ab Augusto exposcens Ecclesiam, quamdiu vixit, studiose eamdem rexit.* De *Ottone II.* scribit idem Author lib. II. ipsum eligendi libertatem Episcopi Capitulo Magdeburgensi concessisse. *Licentiam*, inquit, *Archiepiscopum eligendi, Confratribus Domino famulantibus Magdeburg, Præcepto Imperiali, præfati Archiepiscopo dedit Adelberto, & cum uno libro, qui hodie ibidem est, in quo sua, Imperatricisque Theophanæ imago auro splendet formata, munus affirmavit. Quod gratia Cæsaris, & in præsentia ejus, Archiepiscopus præparatus ad Missam, cum prælecto Evangelio, more solito optime prædicasset, recitato coram Præcepto Imperiali, quo electio continebatur, ostendit, eumdemque quicumque temerarius hoc auderet infringere, terribili excommunicatione damnavit.* Idem pag. 18. commemorato *Geronis* Coloniensis Archiepiscopi obitu, scribit: *Hujus vice Warinus electione, & Imperatorio munere protinus ungitur. Mortuo quoque Roberto Moguntinæ Sedis Archipræsule, Imperator Cancellarium suimet nomine Willigisum, multis hoc ob vilitatem sui generis renuentibus, eidem præfecit Ecclesiæ. Sciebat enim, Petro attestante, Quod non est personarum acceptor Dominus.* Idem Lib. IV. pag. 41. narrat quomodo post obitum Hillibardi Halberstatensis Episcopi, *cum Canonici in electione convenire non possent, præpositus est his de Capella Regis Arnulphus & Idibus Decembris ordinatus.* Idem in eodem lib. pag. 47. de *Erpone* & *Racone Ottonis III.* Capellanis ita scribit: *Voluit quoque Imperator Capellanos suimet Herponem de Halberstat, ac Raconem de Bremel, Episcopali gradu sublimare, & his in lecto ob infirmitatem validam jacentibus, Pastoralem Baculum dedit, sed uterque sine Sacerdotali unctione discessit.* Idem libro 5. pag. 57. & 58. *Tagmonem*, post *Gisileri* obitum, commendatione *S. Henrici* Imperatoris, Magdeburgensem Archiepiscopum electum, & ab eodem Principe investitum

te-

testatur, quamvis Capitulum jam in *Waltherdi* Præpositi electionem conspirasset. „ Rex, *inquit*, corpus Archiantistitis præcedens, usque ad Magdeburg subsequitur, præmittens eo Capellanum suimet Wigbert, ut de electione Tagmonis unanimem Confratrum voluntatem impetraret. Sed Præpositus ejusdem civitatis, Waltherd nomine, convocatis in unum Confratribus universis, obitum Senioris, & adventum Regis pariter indixit, obsecrans ut invicem unum aliquem inquirerent, cum quo antiquam eligendi consuetudinem retinerent, cui ab omnibus illico respondetur; Eumdem se communiter velle in Dominum, divina ad hoc favente gratia, habere. Hoc cum magna, ut decuit, humilitate, idem suscipiens, veniam prostratus petiit.... Arnulphus Episcopus a Rege ad Confratres & ad Milites admodum tristes, gratia Tagmonem eligendi, mittitur. Cui legationem suam cunctis ordine pandenti, Waltherdus respondens præ omnibus: Scimus, inquit, quid vester Senior intendat. Volumus, si licet fieri, potestatem habere eligendi, & cuncti præsentes hi me, quamvis indignum, voluerunt in vacuum succedere. Detrimentum Ecclesiæ fieri nostræ multum veremur, quod ne eveniat, Regiam Pietatem, ac vestram petimus intercessionem... His dictis, Præsul egressus, Regiis omnia instillavit auribus. Qui mox Præpositum vocans, multumque ei promittens, & sui licentiam ac Consociorum in electione, Tagmonis gratiam acquisivit. Confestim in majorem convenientibus Ecclesiam cunctis, Rex baculo Arnulphi Præsulis Clerum & populum Tagmoni, venerando Patri, cum reddi-tura Summo Judici ratione, commisit, eumdemque in Cathedram Episcopalem ipse constituit, astantibus universis, & laudes Domino canentibus. Idem lib. 6. pag. 60. Episcopatum Merseburgensem ab eodem *S. Henrico* Rege instauratum memorans, ita scribit: *Convocans ad se omnes Regni Primates, dedit Episcopatum sanctæ Mersburgensis Ecclesiæ Capellano suimet nomine Wigberto, cum Archiantistitis baculo Tagmonis.* Idem pag. 64. de Bambergensis Episcopatus fundatione ab eodem Rege facta, & primi Episcopi institutione agens: *Eberhardo*, inquit, *tunc Cancellario cura Pastoralis a Rege committitur, & hic a præfato Archipræsule eodem die consecratur.* Idem pag. 68. de Trevirensis Archiepiscopi *Ludolphi* obito, & Successoris creatione ita scribit: *Mortuo Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo venerabili Ludolpho, Capellanus ejusdem* (Henrici nempe Regis) *Athelbero, frater Reginæ, & immaturus Juvenis, plus timore Regis, quam amore religionis, communiter eligitur. Rex autem ut hoc audivit, prioris non immemor in germano ejusdem Thiedrico non præmeditatæ constitutionis, uxorem dilectam, cæterosque suimet familiares, de Episcopatu eodem impetrando solicitos sprevit, & Meingardo, Villigisi Archipræsulis Camerario, nobili secundum curnem viro, eumdem dedit.* Hinc Treviris orta seditio. *Tali præsumptione Rex commotus, illo cum exercitu properat, Archiantistitem inthronizatum ibidem consecrari, Athelberonemque excommunicari præcipiens.*

Idem *Ditmarus* de sua in Merseburgensem Episcopum designatione & Investitura ita scribit pag. 69. *Antistes ad Capellam Brunonis Episcopi, ubi Rex eumdem expectabat, me duxit, & paratus ad Missam Regi me per manus tradidit. Qui et cum electione præsentium Pastoralem mihi curam immerito commisit cum baculo, & prostratus veniam petii, Cantor introitum incœpit; Venite benedicti Patris mei.* Idem pag. 74. *Waltherdum* Magdeburgensis Ecclesiæ Præpositum, defuncto Archiepiscopo *Tagmone*, designatum Archiepiscopum commemorat, primum consensu unanimi sub beneplacito Regis non canonica electione, quam Rex prohibuerat; deinde vera electione, cujus author fuit ipse *Ditmarus*, ut Ecclesiæ libertatem sartam tectam præstaret, id optimo Principi non ingratum fore confidens. Nec eum spes fefellit; gratam enim Rex habuit electionem, & *Waltherdo* Investituram concessit. *Ego*, inquit Ditmarus, *hæc omnia in Merseburg fero comperiens, in ipso depositionis die, orto jam sole adveniebam, & cum in Ecclesia majori pauca orationis verba effunderem, veni ad refectorium, ubi Præpositus cum universis Confratribus atque militibus sedens, de electione tractabat. In quorum præsentia ego stans, multum flevi, turbatus dolore vehementi, & salutatis omnibus sedebam, & quod ab his tunc esset dispositum, interrogabam. Ad hæc Waltherdus: misi, inquit, Legatum meimet ad Regem, qui hæc si, quæ nobis acciderunt, mala indicaret, & voluntatem suam in rebus faciendis inquireret: & hic ad nos Henricum Antistitem misit, ut electio a nobis non fiat, sed tantum consensus unanimis, & hoc indicetur ei. Nunc autem omnium pietas præsentium me, quamvis ad hoc indignum, decernit, si Dominus consentit, & si vult Rex. Cui sic protinus respondebam: Sum unus ex his qui electionis hujus ac consecrationis participes esse debent, & hoc vobis consilium do, ac illud adjuvare, in quantum possum volo. Senior meus imperat quod velit; Vos autem quod accepistis a Deo & Antecessoribus suis, videte ne perdatis. Te autem Fratrem primus eligo mihi ad Archiantistitem, non charitate tua, sed utilitate certa in te agnita: & præsentium mentem nunc singulariter scire desidero. A quibus hoc unum percepi responsum: Waltherdum nobis in Dominum, & ad Archiantistitem eligimus.* Et Infra: *in Urbem*, inquit, *vocati, ivimus usque ad cuminatum Regis, & ibi solus intromittitur Waltherdus, & ibi usque ad tertiam soli colloquebantur; & egresso tunc Waltherdus, annulum portat in manu sua, & ostendens nobis: Ecce habetis, inquit, pignus subsecuturæ pietatis. Et tunc omnes nos in præsentium venientes, examinatione Regis, ipso primitus eum laudante, prædictum Patrem eleximus, & optimi quique aspirabant, & mox a Rege accepit Baculum Pastoralem. Post Sacramentum Regiæ Potestati exhibitum, introductus est ad Ecclesiam... In proximo Sabbato Archipræsulem Waltherdum Arnulphus Præsul jussu Regis inthronizavit. Postera die unctus est Waltherdus.* Sic Investituræ solemnia fiebant ante consecrationem. Idem pag. 79. *Geronem* Waltherdo suffectum intercessione Regis memorat, salvo in posterum electionis jure, ab eoque Investituram accepisse. *Postera die Rex ad Magdeburg veniens, in Refectorio Fratrum omnes nos convenire præcepit. Ibi tunc Regali petitione, & salva in posterum electione, Gero communiter eligitur... Baculum a Rege accepit Pastoralem, & mox inthronizatus, ab Eido unctus est Episcopo.* Idem pag 81. narrat quomodo *Lievizone* Archiepiscopo Bremensi defuncto, *Oddo*, quem cum Cleri consensu designaverat Successorem, *Clericis comitantibus ac Laicis, supplex venit, & Regis gratiam ad completionem electionis per fidos intercessores postulavit. Quos Rex nullatenus audit, sed Capellano suimet Unuano, cum laude advenientium etsi non spontanea, Episcopatum dedit.* Alios etiam Episcopos a *S. Henrico*, postquam Imperator inauguratus est, constitutos, *Ditmarus*, idem lib. 7. commemorat.

III. Regii assensus necessitas in Ordinationibus Episcoporum in Galliis inducta Canone 10. Concilii Aurelianensis 5. anno Christi 549. sub *Clodoveo Magno* Rege Christianissimo, & Edicto *Clotarii II.* confirmata in Synodo Parisiensi anno Christi 615. Regumque primæ Dynastiæ facta, tam antiquum in Galliis Investiturarum usum probant, quam antiqua est Monarchia Christianissima. Nullos enim Episcopos fuisse, nisi quos Reges vel ipsi conniven-te Ecclesia, nominarunt, vel a Clero, civibusque expeditos probarunt, Historiæ nostræ monumenta testantur. Scriptor antiquus Vitæ *S. Romani* Episcopi Rothomagensis tradit eum Baculum Pastoralem accepisse a *Clodoveo II.* anno 623. statimque in Sede Episcopali collocatum fuisse. *Rex*, inquit, *convocatis tam Episcopis, quam Abbatibus, Baculum illi contulit Pastoralem. Inthronizatur ergo Pontificali apice.* Nicetius Treveris *Theodorici* Regis jussu, populique consensu, Episcopus ordinatus est. *Quintianus*, eoque defuncto, *Gallus* Arvernis ab eodem Rege dati Episcopi, ut docet *Gregorius Turonensis*. Ita *Germanum* Parisiensem Childeberti, *Ommatium* Turonensem Clodomeris, *Medardum* Viromandensem, *Eufronium* rursus Turonensem, & *Domnulum* Cenomanensem, Clotarii Regis jussu vel assensu creatos Episcopos idem *Gregorius* & *Fortunatus* commemorant. Idem probant Formulæ Antiquæ de Episcopatu, quarum olim

Investiturarum usus in Galliis.

olim usus fuit sub Merovingiæ familiæ Regibus, quas apud *Marculphum* lib. 1. & in Appendice Tomi II. Conciliorum Galliæ *P. Jacobi Sirmondi*, & in Baluziana Capitularium Editione legere est. Harum enim aliæ populi ad Regem preces continent, hunc aut illum sibi Episcopum dari supplicantis; aliæ Præceptum Regis de collato Episcopatu; aliæ Indiculos ad Metropolitanum & Episcopos pro novi Episcopi Ordinatione. Præceptum Regis de Episcopatu, ad Episcopum designatum sic habet: *Cum consilio & voluntate Pontificum, Procerumque nostrorum, juxta voluntatem & Consensum Cleri & plebium ipsius civitatis, in supradicta urbe Ill. Pontificalem in Dei nomine vobis commisimus Dignitatem. Propterea per præsens Præceptum decernemus ac jubemus, ut supradicta urbe vel res Ecclesiæ ipsius, & Clerus sub vestro arbitrio & gubernatione consistant.*

Usum Investiturarum sub secunda Regum nostrorum Dynastia probat Epistola *Hincmari* ad *Ludovicum III.* Francorum Regem, quæ 12. est, Tomo II. Operum ipsius: *Episcopi*, inquit, *talem eligant, qui & Sanctæ Ecclesiæ utilis, & Regno proficuus, & vobis fidelis ac devotus cooperator existat: & consentientibus Clero & plebe, eum vobis adducant ut secundum ministerium vestrum, res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit sua depositioni committatis, & cum consensu ac literis vestris eum ad Metropolitanum Episcopum, & Coepiscopos ipsius Diœceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis.*

Sub tertia Regum nostrorum Dynastia, usque ad *Gregorii VII.* Pontificatum, obtinebat Investiturarum usus. *Arnulphus* in Concilio Remensi anno nongentesimo octogesimo-nono electus est ejusdem urbis Archiepiscopus ab Episcopis, cum omni Clero, diversi Ordinis populo acclamante, *Orthodoxis Regibus consentientibus*. Gerbertus in depositi locum *Arnulphi* anno nongentesimo nonagesimo-primo ab ejusdem Provinciæ Episcopis lectus est, *favore & conniventia utriusque Principis, Domini Hugonis Augusti & Excellentissimi Regis Roberti*. Franco Parisiensis Ecclesiæ Decanus, & Regis *Roberti* Cancellarius, *Azelino* sponte abdicanti in Parisiensi Episcopatu substitutus est, *eligente Clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonensis*, ut scribit *Fulbertus* Carnotensis Episcopus Epistola 8. De eodem *Francone* scribit ad Regem Epistola 88. *Ex parte Crlsitudinis vestræ dictum est nobis, quod Domnum Franconem Parisiensi Ecclesiæ dare vultis Episcopum, & ad hoc peragendum nostræ humilitatis habere favorem.* Investituras concedebant Christianissimi Principes, salva tamen electionum libertate. *Philippus I.* avi sanctissimi jure utebatur, sed ejus in concessione Investiturarum non omnino imitabatur integritatem ac religionem. Donum enim Episcopatus (sic ea ætate loquebantur) gratis omnino non conferebat, si vera sunt quæ de ipso scripsit *Gregorias VII.* ad *Roclenum* Cabilonensem Episcopum, Epistola 35. libri primi. „ *Inter cæteros, inquit*, nostri hujus temporis Principes, qui Ecclesiam Dei perversa cupiditate venundando dissipaverunt, & matrem suam ancillari subjectione penitus conculcarunt, Philippum Regem Francorum Gallicanas Ecclesias in tantum oppressisse, certa relatione didicimus, ut ad summum tam detestandi hujus facinoris cumulum pervenisse videatur. Quam rem de regno illo tanto profecto tulimus molestius quanto & prudentia & religione, & viribus, noscitur fuisse potentius & erga Romanam Ecclesiam multo devotius. Et nos quidem tam generalis nostræ cura sollicitudinis, quam ipsarum destructio Ecclesiarum vehementer accenderat, ut in tam audaces sanctæ religionis excessus severius animadvertere deberemus. Sed quoniam ante actis diebus per familiarem suum Cubicularium, videlicet Albericum, ad nostri censuram judicii & vitam corrigere, & Ecclesias ordinare, firmiter nobis respondit, rigorem canonicum interim exercere distulimus. Hujus ergo promissionis fidem in Matisconensi Ecclesia Pastoris regimine diu desolata, & ad nihilum pene redacta, imprimis volumus experiri; ut scilicet Augustodunensem Archidiaconum, unanimi Cleri & populi consensu, ipsius etiam, ut audivimus Regis assensu, electum, Episcopatus dono gratis, ut decet, concesso, Ecclesiæ præfici patiatur. In Ordinationibus itaque Episcoporum hic servandus erat ordo: Præcedere debebat electio, seu Cleri & Populi consensus; tum accedere assensum Regis oportebat, qui electionem probaret: secundum hæc Episcopatus donum seu Investitura, quæ gratis omnino fieri debebat; Consecratio denique sequebatur. His finibus si se continuissent Germaniæ Reges & Imperatores *Henrici*, nullam de Investituris quæstionem Romani Pontifices intulissent.

Investiturarum usus in Anglia.

Iidem mores in Anglia obtinebant ante *Gregorium VII.* In Glastoniensis Cœnobii Privilegiis apud *Willelmum Malmesburiensem*, lib. 2. de Gestis Regum Anglorum c. 8. *Rex Edgarus Monachis electionem sui Abbatis perpetuo manere censet: sibi vero suisque heredibus, tribuendi Fratri electo Pastoralem baculum, potestatem retinuit*: S. Wulstanus Wigorniensis Episcopus Investituram a sancto Rege *Eduardo* acceperat. Unde cum in Synodo Westmonasteriensi, cui præerat *Lantfrancus* Cantuariensis Archiepiscopus, *Simplicitatis & illiteratura accusatus, & quasi homo idiota, qui linguam Gallicanam non noverat, nec Regiis Consiliis interesse poterat*, Willelmo Conquestore, novo Rege, consentiente, fuisset depositus, jussusque a Lantfranco *ut baculum cum annulo resignaret*, respondit: *Vere scio, quia nec hoc honore dignus sum, nec oneri, nec huic par labori: sed non æquum est ut tu Pastoralem exigas virgam, quam non tradidisti: tuæ sententiæ tamen cedens, baculum resignabo. Rectius vero me facturum arbitror, si illum Sancto reddam Eduardo, cujus baculum authoritate suscepi.* Tum ad Sancti Regis sepulchrum se contulit, sicque compellavit jam cum Christo regnantem: „ Tu scis, Sanctissime Rex Eduarde, quam invitus hoc onus susceperim, quoties me, cum quæreret, absentaverim, nec diffiteor quin insipiens factus sim. Sed tu me coegisti. Nam licet fratrum non deesset electio, plebis petitio, voluntas Episcoporum, & gratia Procerum, his tamen omnibus tua præponderabat authoritas, tua voluntas. Sed ecce nunc novus Rex, nova Lex, novus Pontifex, novas sentencias promulgat. Te erroris arguunt, qui me Pontificem fecisti: me arrogantiæ & confidentiæ, qui consensi. Non tamen illis qui exigunt quod non dederunt, sed tibi baculum resigno qui dedisti; tibi curam eorum dimitto, quos mihi commendasti. Ita refert *Matthæus Paris* ad annum 5095. quo *S. Wulstanus* ad Dominum migravit.

Investituras etiam concedebat *Willelmus Conquestor* de quo scribit *Ordericus Vitalis* lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ ad annum 1070. „ Multimodæ honestatis studio in multis Rex Guillelmus laudabilis elatuit: maximeque in Ministris Dei veram religinnem semper amavit. Nam dum Pastor quilibet completo vitæ suæ termino, de mundo migraret, & Ecclesia Dei proprio viduata Rectore lugeret, solicitus Princeps prudentes Legatos ad orbatam domum mittebat, omnesque res Ecclesiæ, ne a profanis dissiparentur, describi faciebat. Deinde Præsules, & Abbates, aliosque sapientes Consiliarios convocabat: & eorum consilio, quis melior & utilior tam in divinis rebus, quam in sæcularibus, ad regendam Dei domum videretur, summopere indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito, & sapientiæ doctrina provisio Sapientum eligebat, benevolos Rex dispensatorem & Rectorem Episcopatus vel Abbatiæ constituebat. Hanc nimirum observationem quinquaginta-sex annis custodivit, quibus regimen in Ducatu Normanniæ, seu Regno Angliæ tenuit: & inde religiosum morem & exemplum posteris dereliquit. „ Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat: & ideo in eligendis Abbatibus vel Episcopis, non tam opes seu potentiam, quam sanctitatem & sapientiam personarum considerabat.

Ingulphus Abbas Crovulandensis *Willelmo I.* coævus, de eodem more ita scribit: *A multis annis retroactis, nulla electio Prælatorum erat mere libera & canonica. Sed omnes Dignitates tam Episcoporum, quam*

Abbatum, per annulum & baculum, Regis Curia pro sua complacentia conferebat. Subjicit exemplum *Vulgati* Abbatis Wegelandensis, quem Rex *Eduardus* Confessor Crovulandensem Abbatem traditione Baculi Pastoralis investivit. *Gervasius* Dorobernensis monachus in Imaginationibus de discordiis inter Monachos Dorobernenses & *Baldeuvinum* Archiepiscopum pag. 137. de *Lanfranco* scribit; *Petivit Regem* (Willelmum I.) *ut sibi donationem Abbatiæ* (S. Augustini Cantuariensis) *concederet, sicut omnes Prædecessores suos constat habuisse. Respondit Rex & dixit, Se velle omnes Baculos Pastorales Angliæ in manu sua tenere. Lanfrancus ad hæc miratus est; sed propter majores Ecclesiæ Christi utilitates, quas sine Rege perficere non potuit, ad tempus siluit.*

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 468. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Servitus investiturarum majorem Ecclesiæ contulit honorem.*

R. *Illa* (inquam) *servitus majorem Ecclesiæ dignitatem ac libertatem peperit: Siquidem Episcopi vassalli Regum effecti sunt, ut multorum Domini fierent.* Hanc rationem *Helmodi* Presbyteri verbis confirmo in Chronico Sclavorum. Quid in hac observatione contra fidem aut bonos mores pugnat?

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 475. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Quam antiqua est Monarchia Gallicana, tam antiqua est necessitas assensus Regii ad Episcopos ordinandos.*

R. Facti quæstio est. Propositionis veritatem probat Canon decimus Concilii Aurelianensis V. sub Clodoveo Regum Christianissimorum primo, aliaque Historiæ Ecclesiasticæ præclara Monumenta, eo loci a me indicata. De necessitate extrinseca loquor, quæ ex Canonibus & legibus, necnon ex Ecclesiæ Regni consuetudine exsurgit: non de necessitate intrinseca, quasi ad Episcopalis Ordinationis substantiam necessarius fuerit Regum assensus; aut irrita fuerit Ordinatio; quæ sine Regio assensu celebrata fuisset. Perspicuum est hanc non esse mentem meam: Neque in re tam clara opus esset explicatione; nisi forte alia idea Religiosorum Censorum mentem pulsasset.

Nota.

De regio assensu requirendo, dum aliquis in Episcopum sit promovendus, quædam adnotavi supra, *& tom. 3. pag. 128. & seq.*

Nota.

Quæcumque fuerint investiturarum initia, illud exploratum est, quod libertati ecclesiæ ejusque sanctissimis legibus minime consonæ communiter habebantur; Indecens videbatur quod Episcopi per annulum & baculum, quæ spiritualis sunt insignia potestatis, in Aula Episcopatu investirentur, quando hujusmodi nonnisi in Templo inter sacra mysteria a Consecratore suo recipere debuissent. Ob hanc rationem summi Pontifices Gregorios, Urbanus, & Paschalis hujusmodi investituras odio habentes, per eas res sacras legesque ecclesiasticas pro nihilo haberi conquerebantur. Illas nihilominus ecclesia toleravit quoadusque in tyrannidem non degenerarunt: nec eas removere intendit ab illis Principibus, ut bene observat Natalis art. 1. qui electionum libertatem non imminuebant, vel qui novos erigebant Episcopatus; seu erectos sua munificentia ditabant: vel qui sanctissimos Præsules ecclesiis concedebant, omni prorsus simoniaca labe semota.

ARTICULUS II.

Cum Henricus IV. & Henricus V. Germaniæ Reges, aliique Principes Investituris ad opprimendam Sacrarum Electionum libertatem, & ad sacrilegam Episcopatuum, Abbatiarumque nundinationem abuterentur, ipsarum usum jure prohibuit Ecclesia.

Quin Ecclesia libertatem tuendi suam jus habeat, diffiteri nemo potest qui se filium Ecclesiæ profitetur. Cum enim Christus ipsi libertatem sanguine suo pepererit, & Regis gloriæ sponsa sit, dominaque gentium, authoritate qua donata est a Christo, potest uti contra quosvis Christiani nominis homines, etiam contra Principes, qui suam opprimere libertatem nituntur. Potest adversus eos Leges condere, si fines temporalis potestatis excurrant, & in Ecclesiæ jura involent: potest eos excommunicationum fulminibus arcere, nisi a cœptis desistant; potest, quos olim in ipsis toleravit, mores emendare, immutare, prohibere, damnare, si jure non nitantur, in manifestos degenerent abusus, errorisque aut scandali ansam præbeant; multo magis si aliquod nefas contra Jus Divinum aut Canonicum adjunctum habeant. Potest denique Canones antiquos innovare, & eorum executionem imperare. Porro Investiturarum usus temporibus *Gregorii VII.* apud Germanos degeneraverat in tyrannidem, qua Sacrarum Electionum libertas opprimebatur, venales fiebant Episcopatus & Abbatiæ. Principes ad sacras hujusmodi Præfecturas homines indignissimos plerumque promovebant, accepto pretio, Episcopatus per annulum & baculum, quæ spiritalis insignia sunt potestatis, conferebant. *Henrici IV.* his in rebus tyrannidem *Sanctus Anselmus* Lucensis Episcopus lib. 1. paucis exponit, sic Antipapam *Guibertum* compellans: *Rex tuus sine intermissione vendit Episcopatus, Edicta proponens, ut nullus habeatur Episcopus, qui a Clero electus, vel a populo fuerit expetitus, nisi præcesserit honor Regius, quasi ipse sit hujus ostii Ostiarius, de quo Veritas dicit: Huic Ostiarius aperit.* Et infra: *Vos,* inquit, *Ecclesia Catholica, quam invasistis per totum Regnum, membra distrahitis, & in servitutem redacta, qua vile mancipium, in dominium vestrum redigitis; & divini juris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes, omnia Imperatoris juri esse subjecta, Episcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei Ecclesias, cum Dominus dicat,* „ Ecclesiam meam, columbam meam, „ oves meas. *Paulus dicit,* Nemo assumit sibi hono„ rem, nisi qui vocatus est a Deo tamquam Aaron. *In parte tua quis præficitur, nisi quem aut gratia, exhausto fœnore vel munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obsequio attraxerit? Quis moribus, quis honestate, quis vitæ integritate eligitur? Persequendi sunt itaque lupi, &c.*

Investiturarum Germanicarum abusus.

Et in ipso libri II. exordio; *Opitulante,* inquit, *Domini nostri clementia, qui nos & sermones nostros suo mirabili nutu regit atque disponit, accingimur respondere his qui dicunt, Regali Potestati Christi Ecclesiam subjacere, ut ei pro suo libito, vel prece, vel pretio, vel gratis, liceat Pastores imponere: ejusque possessiones vel in sua, vel in cujus libuerit jura transferre.*

Quam vero falsa sit ac damnanda hæc opinio, multis probat S. Anselmus, primo ex Canonibus, qui Apostolorum nomine inscribuntur, quorum unus statuit ut, *Si quis Episcopus sæcularibus Potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur & segregetur, omnesque qui illi communicant.*

Secundo, ex consuetudine ab Apostolicis derivata, *Ut decedente cujuslibet Ecclesiæ Pontifice, Clerus & populus ejusdem, communi deliberatione, de suo, vel alterius Ecclesiæ Clero sibi Pastorem præficerent.*

„ Tertio, quia hanc consuetudinem ab Apostolis „ traditam nullatenus violare præsumpserunt Christia„ nissimi Imperatores, Constantinus, Constans, Va„ lentinianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Ca„ rolus, Ludovicus, & his Imperio & religione consimi-

Investituræ, prout a Germaniæ Regibus exercebantur temporibus Gregorii VII. & proxime sequentium Pontificum, Sacris Canonibus repugnabant.

„ similes, qui vel a se vel ab aliis ædificatas Ecclesias amplissimis donis ditaverunt, & in Clero & rebus Ecclesiarum nullum sibi dominium vel judicium vindicare voluerunt : immo ne quis sibi vindicaret, quidam eorum Legibus vetuerunt. At contra Zenon, & Anastasius, Imperatores Eutychianistæ, hi leguntur prius sanctam Dei Ecclesiam sibi subdidisse, ita ut Catholicos Episcopos relegarent, & Apostolica Traditione postposita, sibi consentaneos in eorum Sedibus subrogarent.

Quarto quia Investiturarum Germanicarum electiones sacras excludentium, usus trecentis decem & octo Nicæni magni Concilii Patribus repugnabat, qui Canone VI. ita decreverunt ; *Per omnia autem manifestum est, quia si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hunc Concilium Magnum & Sanctum censuit non debere esse Episcopum. Sane si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum Ecclesiasticam Regulam, duo vel tres animositate ducti per contentionem contradicunt, obtineat plurimorum Sacerdotum sententia.*

Repugnabat Antiocheno Concilio, Canonibus XIX. & XXIII. *Servetur autem*, inquit, *jus Ecclesiasticum id continens : oportere non aliter fieri, nisi cum Synodo & Judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis, potestatem habent eum qui dignus extiterit, promovere.*

Repugnabat *Cœlestini I.* Decreto statuentis ut *Nullus invitis detur Episcopus, Cleri, Plebis, & Ordinis consensus & desiderium requiratur.* Et Decreto *S. Leonis* ad Anastasium Thessalonicensium Episcopum scribentis ; *Cum ergo de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postulaverit ; ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præponatur, qui majoribus & studiis juvatur, & meritis, tantum ne ullus invitis, & non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, cui non licuerit habere quem voluit... Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebe expetiti, nec a Provincialibus, cum Metropolitani Judicio consecrati.* Et Decreto *Symmachi* Papæ ac Romanæ Synodi ducentorum & octodecim Episcoporum ita statuentis : *Non placuit aliquos ad statuendum aliquid in Ecclesia habere aliquam potestatem, quibus subsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi... Defuncto Pontifice, si in unum totius inclinaverit Ecclesiastici Ordinis electio, consecretur Episcopus. Si vero, ut fieri solet, studia cœperint esse diversa, vincat sententia plurimorum.*

Repugnabat VII. Synodo Œcumenicæ, Canone III. cujus hæc sunt verba : *Omnis electio a Principibus facta Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, irrita maneat secundum Regulam quæ dicit :* „ Si quis Episcopus Sæcularibus Potestatibus usus, Ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur, & segregentur omnes qui illi communicant. *Oportet enim ut qui provehendus est in Episcopum, ab Episcopis eligatur, quemadmodum a Sanctis Patribus, qui apud Nicæam convenerunt, in Regula definitum est, quæ dicit :* &c. Nec omittenda est *Gregorii II.* aurea sententia Epistola II. ad *Leonem Isaurum* scribentis : *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet, ac Dignitates Regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi.* Clara sententia est : Tam non potest Princeps Laicus Beneficia & dignitates Ecclesiasticas authoritate propria conferre, absque concessione Ecclesiæ, quam non potest Episcopus aut Summus Pontifex Palatinas Dignitates & Reipublicæ Magistratus authoritate propria conferre, absque concessione Regis.

Repugnabat VIII. Synodo Œcumenicæ, Canone XII. ita decernenti ; *Apostolicis & Synodicis Canonibus promotiones & consecrationes Episcoporum, & potentia, & præceptione Principum factas interdicentibus, concordantes, definimus, & Sententiam nos quoque proferimus, ut si quis Episcopus, per versutiam vel tyrannidem Principum, hujusmodi Dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis, utpote qui non ex voluntate Dei, & ritu ac decreto Ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sensus, ex hominibus, & per homines, Dei donum possidere voluit, vel consensit.* Et Canone XXII. *Promotiones atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac Decreto Episcoporum Collegii fieri, Sancta hæc & Universalis Synodus definit & statuit, atque jure promulgat, Neminem Laicorum Principum vel Potentum semet inferere electioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi ; ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio vel contentio ; præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam Potestativorum, vel cæterorum Laicorum habere conveniat, sed potius silere ac attendere sibi, usquequo regulariter a Collegio Ecclesiastico suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si vero quis Laicorum ad concertandum & cooperandum ab Ecclesia invitatur, licet hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit, obtemperare se asciscentibus ; taliter enim sibi dignum Pastorem regulariter ad Ecclesiæ suæ salutem promoveat. Quisquis autem sæcularium Principum & Potentum, vel alterius Dignitatis Laicus, adversus communem & consonantem, atque canonicam electionem Ecclesiastici Ordinis agere tentaverit, Anathema sit, donec obediat ac consentiat quod Ecclesia de electione ac ordinatione proprii Præsulis se velle monstraverit.* His momentis Investituras, quales a Germaniæ Regibus, & ab aliis Principibus interdum, Gregorii VII. temporibus, usurpabantur, merito prohibendas ac damnandas fuisse probat *S. Anselmus* Episcopus Lucensis.

Germaniæ Reges consuetudine se frustra tuebantur.

Regni sui consuetudine Principes sese tuebantur ; sed nec antiqua erat consuetudo, immo recens usurpatio, quod Episcopatus, & Abbatias donarent oppressa electionum libertate ; & consuetudo, quæ tolerante Ecclesia obtinuerat, ut Investituras concederent, etiam per annulum & baculum, ab ea poterat resecari, cum non solum priscis moribus sanctiori consuetudini multorum sæculorum usu firmatæ, sed Synodorum Œcumenicarum Canonibus, & Summorum Pontificum Decretis, totius mundi reverentia consecratis, repugnaret, ac simoniæ, ambitionis, ac omnimodæ Christianæ Disciplinæ eversionis esset occasio. Qua de re *S. Anselmum Lucensem* differentem audire præstat. „ De numero vero annorum, *inquit*, quibus hæc damnabilis consuetudo permansisse dicitur, ut sæculi Potestas pro suo libitu Pontifices promoveat, jure causari non potest. Nam de diversis consuetudinibus illa potissimum sequenda est, quæ cum originem sumeret, Catholicos Patres, suorum priorum Patrum vestigia sectantes, authores habuit : Sicut Patres Septimæ & Octavæ Synodi secuti sunt Statuta Sanctorum Patrum, Romanorum Pontificum ; & illi consuetudinem ab Apostolorum temporibus per omnes Ecclesias observatam. Ea vero perversitas, quæ a sæculi Principibus superinducta est, non præjudicat eidem sanctæ consuetudini, quantolibet temporum obtinuerit curriculo. Alioqui Dominus Deus noster culpandus est, qui filios Israel longissima consuetudine sub servitute detentos liberavit, & humanum genus sub diaboli servitute longa consuetudine detentum post quinque millium annorum curricula, propria morte redemit. Præterea, cum Veteris & Novi Testamenti legibus adulterium inhibitum sit, si qui Reges adulterium commiserint, numquid eorum Authoritate posteri Reges adulterari sibi licitum putabunt ? Absit. Et quidem certum est, Regum contra Leges commissa nullatenus sequenda esse : Leges vero ab eisdem calcatas, in suo statu manere debere, &c. Si autem omnis plantatio, quam Pater Cœlestis non plantavit, eradicabitur, & si, ut prædictum est, quod ab infidelibus & Hæreticis actum fuerit, omnino cassabitur, numquid hæc impietas Eutychianistarum Imperatorum cassari & eradicari non debet ? Certe quisquis Ecclesiasticus pro suo officio vehementer non accenditur, ut tanta pravitas a Dei domo radicitus evellatur, zelo ejusdem domus Dei non comeditur, & apud Deum canis mutus latrare non valens, reputatur. Quis enim non advertat hanc pestem seminarium esse simoniacæ hæreseos, & totius Christianæ religionis lamentabilem destructionem ? Nempe cum dignitas Episcopalis a Principe adipisci posse speratur contemptis suis Episcopis, ac Clericis, Ecclesia Dei deseritur : & ab aliis quidem ingens pe-

pecunia Aulicorum marsupiis infunditur, ut eorumdem suffragia ad tam nefariam promotionem mereantur: ab aliis, infinitæ pecuniæ dispendio, plus decennio in sæculari Curia deservitur, æstus, pluviæ, frigora, & cætera incommoda patientissime tolerantur; ab aliis autem vel sui Pastoris, vel cujus honorem ambiunt, mors incessanter optatur; ab alio alii vehementer invidetur, dum, quod sibi sperat ab eo surripi posse putatur, immo, proh dolor! in tantam Dei injuriam interdum prostitut, ut & servis, & fornicariis Dignitas ista præstetur. Tales quippe eum adepti fuerint quod taliter expetierunt, peccantes sæculi Potestates nullatenus præsumunt redarguere, quoniam ab illis se promotos fuisse meminerunt; immo ne redarguere præsumerent, promoti fuerunt. Et hi lac quidem & lanam accipiunt, sed perditissime viventes, omnium salutem negligunt. Sic quippe impletur quod scriptum est; *Ruina populi, Sacerdotes mali*. Et item: *Et erit sicut populus, ita & Sacerdos*. Sacerdotes quippe a populo non videntur distare, cum quisque certatim se popularibus actionibus studet implicare. Nam cum nemo Deo militans implicet se sæcularibus negotiis, quidam eorum, non Canonum, sed canum & accipitrum studia, & reliquos mundi luxus exercent. Quidam autem, quasi Deus laudet in Sacerdote, quod reprehendit in divite, amiciuntur peregrinorum pellibus, & relictis suis Cathedralibus Ecclesiis, assistunt Imperatoribus, cum Canones Spiritu Dei conditi prohibeant Pontificibus Palatia Regis adire, sed si qua suggerenda sunt, per suos Diaconos potius intimare. Cumque iidem Sacri Canones prohibeant, sub interminatione, quemque Pontificum a sua Cathedrali Ecclesia tribus Dominicis diebus abesse, alios quidem eorum vix ter aut quater in anno, & hos vix anno integro, contingit easdem revisere. Et ut soli non peccent, sed fiant (ut scriptum est) *laqueus Juvenum*, dant exemplum Clericis suas itidem Ecclesias deserere, & sub spe Episcopandi, Regum Curiæ militare.

Addit *S. Anselmus Lucensis*, Christianissimos Imperatores nihil Juris in electionibus Episcoporum sibi vendicare voluisse: Hancque *Caroli* & *Ludovici Pii* Imperatorum Legem profert in Capitularibus: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum Ordini Ecclesiastico præbemus, ut scilicet Episcopi per Electionem Cleri & Populi, secundum Statuta Canonum, de propria Diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut verbo & exemplo sibi subjectis prodesse valeant*. De qua pientissimorum Imperatorum Constitutione ita disserit: *Constitutio hæc tam consonantissima Sanctorum Patrum Constitutionibus esse perpenditur, ut si vel a Nicæna, vel qualibet etiam Universalium Synodorum promulgaretur, non minus Spiritu Dei per istorum ora, quam per eamdem prolata crederetur. Hæc quippe docet, hunc esse honorem, hanc esse libertatem Sanctæ Ecclesiæ, Clerum scilicet ejusdem & Populum sibimet Pontificem eligere debere: Hæc in electione Canonum statuta servanda esse commemorat: Hæc simoniacam heresim prohibendo impugnat. Hæc vitæ meritum & sapientiam Pastoris electione quærenda demonstrat: & brevissime videtur tangere, quod Beatus Gregorius scribit de Pontifice*: "Ut quisquis perpendere debeat qualiter ad Pontificatum veniat, & rite veniens qualiter doceat, & recte docens qualiter vivat."

Oppressam electionum canonicarum libertatem præpostero Investiturarum usu, *Henrico IV*. Germaniæ Principes coram *Gregorio VII*. Pontifice Maximo objecerunt, ut refert *Helmoldus* in Chronico Sclavorum lib. I. cap. XXVIII. *Qualiter omnem in statuendis Episcopis Canonicæ Electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam Episcopos, quos voluisset*. Ejusdem in Disciplinam Ecclesiasticam tyrannidis *Henricum V*. ejus filium Germaniæ Episcopi coram *Paschali II*. accusarunt, ut idem Author cap. XXXII. commemorat. *Meministi*, inquit, *qualiter Episcopatus, Abbatias, & omnia Ecclesiæ Regimina feceris venalia: nec fuit in constituendis Episcopis ulla legitimæ electionis facultas, sed sola pecuniæ ratio*. Investituras ob illos abusus prohibendas senserat *Gregorius Sextus*, si vere hanc habuit paulo ante obitum orationem, quam ipsi tribuit *Willelmus Malmesburiensis* lib. II. de gestis Regum Anglorum, in qua hæc inter alia dixit: *Laudatus est Prædecessor noster Adrianus I. quod investituras Ecclesiarum Carolo Magno concesserit; ita ut nullus electus consecraretur ab Episcopo, nisi prius a Rege insigniretur & annulo & baculo. Contra laudatur in nostri sæculi Pontificibus, quod has donationes tulerunt Principibus. Poterat tunc rationabiliter concedi, quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita? Quod erat animus Magni adversus avaritiam invictus, nec facile aditum invenisset aliquis, nisi intrasset per ostium. Præterea, per tot terrarum interstitia, nequibat requiri Sedes Apostolica, ut unicuique electo accommodaret assensum suum, dum esset prope Rex qui nihil per avaritiam disponeret; sed juxta sacra Canonum scita religiosas personas Ecclesiis introduceret. Nunc omnia Palatia Regum luxus & ambitus occupavit. Quare merito libertatem suam Sponsa Christi asseverat, ne illum tyrannis ambitioso usurpatori prostituat*. Concessionem illam *Carolo Magno* ab *Hadriano I*. factam figmentum esse olim observavi: nec forsan verius est sic *Gregorium VI*. perorasse: sed omnino verum est, Ecclesiam Investiturarum usum jure prohibuisse Principibus, quia eorum nequitia in tyrannidem versus erat, qua Ecclesiæ libertas opprimebatur.

ARTICULUS III.

Investituras primus prohibuit, damnavitque Gregorius VII. in frequentibus Synodis.

Cum tot mala ex Investituris, quarum usum Decessores sui in Principibus toleraverant, suis temporibus in Ecclesiam redundare *Gregorius VII*. Pontifex Sanctissimus, & Ecclesiasticæ libertatis defensor acerrimus conspiceret, earum usum sub Anathemate prohibuit, ut paucis memorat *Willelmus Malmesburiensis*, lib. III. de Gestis Regum Anglorum in Willelmo I. *Hic*, inquit, *quod alii mussitaverant, palam extulit, excommunicans electos, qui investituras Ecclesiarum de manu Laici per annulum & baculum acciperent*. De ejusdem Pontificis in Henricum IV. Germaniæ Regem Decretis, *Willelmus Tyrius* Archiepiscopus Libro I. Historiæ Cap. XIII. ita scribit: *Porro per annos ante aliquos Henricus Theutonicorum Rex, & idem Romanorum Imperator, a Domino Gregorio Papa VII. passus fuerat quæstionem & controversiam non modicam super annulo defunctorum Episcoporum & baculo. Inoleverat enim consuetudo, præsertim in Imperio, quod defungentibus Ecclesiarum Prælatis, annulus & virga Pastoralis ad Dominum Imperatorem dirigebatur. Unde postmodum unumquemlibet de familiaribus & Capellanis suis investiens, ad Ecclesiam vacantem dirigebat, ut ibi Pastoris fungeretur officio, non expectata Cleri electione. Quod Dominus Papa contra omnem fieri honestatem considerans, & jura in eo facto conculcari Ecclesiastica perpendens, semel, secundo, ac tertio eumdem Imperatorem commonuit, ut a tam detestabili desisteret præsumptione. Quem præceptis salutaribus commonitum cum revocare non posset, vinculo Anathematis innodavit*.

Œconomia erga *Henricum* Regem primum usus est Sanctissimus Pontifex: tum causa mature discussa, cum usum Investiturarum, qualis ab eo usurpabatur, manifestam esse tyrannidem, & subversionem Canonum, Ecclesiasticæque libertatis oppressionem conspexisset, collecta Synodo, ipsum damnavit, atque sub Anathemate prohibuit anno 1075. Testis est *Hugo* Flaviniacensis Abbas in Chronico Virdunensi, tom. I. Bibliothecæ novæ MSS. P. *Labbè* S. J. ubi de *Anselmo* Lucensi, & *Hugone* Diensi designatis Episcopis ita scribit: „ Cum ergo Romæ positi præstolarentur diem consecrationis suæ, venerunt Nuntii Regis Henrici Romam, rogantes, ne contra mo-

rem

rem Prædecessorum suorum Dominus Papa eos consecrare vellet, qui Episcopatus electionem solam, non autem donum per Regiam acceperant Investituram. At ipse convocatis Cardinalibus, Legationem Regis aperuit, & quid sibi ad hoc respondendum, quid esset faciendum, admonuit. Quibus respondentibus, usum Ecclesiæ hunc esse, hunc haberi pro Lege, cum authoritas eis nulla ad hoc suffragaretur, in Lucensi tamen Electo eis acquievit, ut consecrationem ejus differret, donec Investituram Episcopatus ex Regio dono accepisset. In Diensi vero adquiescere noluit, sed eum prima Quadragesimæ hebdomada, Sabbato in Presbyterum, & Dominica consecravit in Episcopum. Et quia vidit hoc Sanctorum Patrum adversari Decretis, ut in Canonica Electione Episcopi prævaleret donum Regis, immo multoties ipsam Electionem immutaret, vel potius irritam faceret, in Romana Synodo L. Episcoporum, considente Presbyterorum & Abbatum multitudine, juxta Decreta Pontificalia & Institutiones Canonicas, ne hoc amplius a quoquam præsumeretur, prohibuit sub interminatione Anathematis.

Primum Gregorii VII. contra investituras Decretum.

Decretum subjicit *Hugo* a Summo Pontifice & Synodo conditum his verbis: „ Si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu alicujus Laicæ personæ susceperit; nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur, nec ulla ei ut Episcopo vel Abbati audientia concedatur. Insuper ei gratiam B. Petri, & Introitum Ecclesiæ interdicimus, quoadusque locum, quem sub crimine tam ambitionis, quam inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cepit, deseruerit. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis Dignitatibus constituimus. Item si quis Imperatorum, Ducum, Marchionum Comitum, vel quælibet sæcularium Potestatum aut personarum, Investituram Episcopatus, vel alicujus Ecclesiasticæ Dignitatis, dare præsumpserit, ejusdem Sententiæ vinculo se adstrictum sciat. Recensito *Gregorii VII.* & Romanæ Synodi Decreto, subdit Hugo Fleviniacensis: „ Secutus est autem in hoc Patrum exempla, licet jam per multa annorum curricula damnabilis hæc consuetudo inolevisset & in usum conversa esset. Idque probat Nicæni Concilii, & VII. atque VIII. Synodorum Oecumenicarum prolatis Canonibus; quibus Decretum istud *Gregorii VII.* consentaneum est. Tandemque sic concludit „ In electione igitur & consecratione Domini Diensis evidenter ostenditur operata divinitas, quia per hanc occasionem, Sanctæ Dei Ecclesiæ sub Papatu Domini Gregorii multis retro annis obnubilata Electionis Ecclesiasticæ splenduit veritas. Viderint igitur viri cordati, quid juris Imperatoribus, Regibus, & Principibus, in electione Pontificis reservetur.

Decretum illud non ad primam Gregorii VII. Romanam Synodum, sed ad secundam referendum est.

Hoc primum contra Investituras Decretum *Hugo Flaviniacensis*, & ab eo decepti Conciliorum Editores primæ Synodo Romanæ *Gregorii VII.* perperam tribuunt, quod in secunda conditum colligitur manifeste ex ejus Epistola ad *Henricum* Regem, X. Lib. III. Ex ea discimus, *Henricum* Decreto Pontificis & Synodi vehementer commotum, ac de imminutis Regni sui Juribus conquestum esse, nec ipsi parere voluisse. Unde hanc ad ipsum Epistolam scripsit *Gregorius*, qua Decreti sui vindicat æquitatem, Regem ad obedientiam hortatur, paratum se esse declarat ad temperandam Sententiam, si missis ad Sedem Apostolicam viris prudentibus & religiosis ostendat qua ratione id salvo Dei honore, & officio suo facere possit. „ Congregata, *inquit*, hoc anno apud Sedem Apostolicam Synodo, cui nos superna dispensatio præsidere voluit, cui etiam nonnulli tuorum interfuere Fidelium, videntes ordinem Christianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo conculcatas, concussi periculo & manifesta perditione Dominici gregis, ad Sanctorum Patrum Decreta, doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore repetendam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis & æternæ vitæ introitum Christi ovibus, earumque Pastoribus patere cognoscimus, nisi, quem ab ipso monstratum, qui dixit, *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur, & pascua inveniet:* & ab Apostolis prædicatum, & a Sanctis Patribus observatum, in Evangelica & in omni Divinarum Scripturarum pagina didicimus. Hujus autem Decreti, quod quidam dicunt, humanos divinis honoribus præponentes, importabile pondus, & immensam gravitudinem; nos autem magis proprio vocabulo, recuperandæ salutis necessariam veritatem vocamus & lucem, non solum a te, vel ab his qui in Regno tuo sunt, sed ab omnibus terrarum Principibus & populis, qui Christum confitentur &, colunt, devote suscipiendam & observandam adjudicamus. Quamquam hoc multum desideremus, & te permaxime deceret, ut sicut cæteris gloria, honore, virtuteque potentior, ita esses & in Christi devotione sublimior. Attamen ne hæc supra modum tibi gravia aut iniqua viderentur, per tuos Fideles tibi mandavimus ne pravæ consuetudinis mutatio te commoveret, mitteres ad nos, quos sapientes & religiosos in Regno tuo invenire posses; qui si aliqua ratione demonstrare vel adstruere possent, in quo, salvo Æterni Regis honore, & sine periculo animarum nostrarum, promulgatam Sanctorum Patrum possemus temperare Sententiam, eorum consiliis condescenderemus. Quod quidem, etsi a nobis tam amicabiliter monitus non fuisses, æquum tamen fuerat, ut prius in quo te gravaremus, aut tuis honoribus obstaremus rationabiliter a nobis exigeres, quam Apostolica Decreta violares.... sed quia dum adhuc longa Dei Patientia ad emendationem te invitat, crescente intelligentia tua ad obedientiam mandatorum Dei cor & animum tuum flecti posse speramus; paterna te caritate monemus ut Christi super te Imperium recognoscens, honorem tuum ejus honori præponere quam sit periculosum, cogites, & libertatem Ecclesiæ, quam sponsam sibi cœlesti consortio jungere dignatus est, non jam tua occupatione impediat, sed quo maxime crescat, Deo omnipotenti & B. Petro, a quibus & tua mereatur amplificari gloria, auxilium tuæ virtutis fideli devotione exhibere incipias.

Suum istud & Secundæ Synodi Romanæ, cui præfuerat, Decretum executioni, quantum in se erat, mandari curavit *Gregorius VII.* ut constat ex Epistola ipsius ad *Hugonem* Diensem Episcopum scripta quarto Idus Maii, anni 1076. quæ est 22. Libri IV. qua præcipit, ut causa *Gerardi* Cameracensem ad Episcopatum electi, qui Investituram ab *Henrico* Germaniæ Rege acceperat, ignorans & Regem excommunicatum, & Investituram hujusmodi a Pontifice prohibitam, congregata Synodo, *cum consensu & consilio Regis Francorum, si fieri potest*, discutiatur, ejusque credatur Sacramento, si se ignorasse juret Decretum Pontificis & Synodi adversus Investituras, Regisque excommunicationem. Ipsum enim venia dignum esse, si ita se res habeat, maxime cum donum Episcopatus a Rege acceptum in manibus Pontificis resignaverit. Cæterum Legato suo dat in mandatis, ut congregata Synodo, Metropolitanis, & quibusvis Episcopis sub pœna Anathematis prohibeat ne eos consecrent Episcopos, qui Investituram a Laicis acceperint. „ Si igitur, *inquit*, divina clementia huic nostræ dispositioni effectum dederit, inter cætera quæ tua Fraternitas agenda susceperit, hoc attentissime perpendat, & exequi studeat, ut congregatis omnibus, & in Conventu residentibus, manifesta & personanti denuntiatione interdicat, ut pro conservanda deinceps in promovendis Episcopis Canonica & Apostolica Authoritate, nullus Metropolitanorum, aut quivis Episcoporum, alicui, qui a Laica persona donum Episcopatus acceperit, ad consecrandum illum imponere manum audeat, nisi Dignitatis suæ honore officioque carere & ipse velit. Similiter etiam ut nulla Potestas, aut aliqua persona, de hujusmodi honoris donatione vel acceptione ulterius se intromittere debeat. Quod si præsumpserit, eadem Sententia & animadversionis cen-

sura

„ fura, quam Beatus Adrianus Papa in Octava Synodo de hojusmodi præsumptoribus, & sacræ authoritatis corruptoribus statuit atque firmavit, se adstrictum ac ligatum fore cognoscat. Quo Capitulo scripto, atque in præsentia omnium lecto, ad collaudationem & confirmationem ejus universum cœtum illius Confessus admoneas. Eos autem, qui post recensitam a nobis hujus Decreti authoritatem, Investituram Episcopatus per manus sæcularium Dominorum & Potestatum susceperunt, & qui eis in Ordinatione manum imponere præsumpserunt, ad nos super hac re rationem reddituros venire Apostolica Authoritate commoneas, atque præcipias.

Alterum Gregorii VII. contra Investituras Decretum.

Investiturarum Canonica prohitio atque damnatio in Synodo Romana Quinta, eodem Præside *Gregorio VII.* confirmata est anno 1078. Canone II. cujus hæc sunt verba: „ Quoniam Investituras Ecclesiarum, contra Statuta SS. Patrum, a Laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus Christiana Religio conculeatur; decernimus ut nullus Clericorum Investituram Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ, de manu Imperatoris vel Regis, vel alicujus Laicæ personæ, viri vel fœminæ, suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat Investituram illam Apostolica authoritate irritam esse, & se, usque ad condignam satisfactionem, excommunicationi subjacere.

Gregorii VII. Decretum, contra Investituras.

Eidem Decreto novum robur addidit Synodus Romana VII. sub eodem Pontifice, anno 1080. Canonibus I. & II. Et primos quidem sic habet: „ Sequentes Statuta Sanctorum Patrum, sicut in prioribus Conciliis, quæ, Deo miserante celebravimus, de Ordinatione Ecclesiasticarum Dignitatum statuimus, ita & tunc Apostolica Authoritate decernimus ac confirmamus, ut si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu alicujus Laicæ personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur, nec ulla ei, ut Episcopo seu Abbati audientia concedatur. Insuper etiam ei gratiam S. Petri, & introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum, quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiæ, (quod est scelus idololatriæ) cepit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis Dignitatibus constituimus.

Alter Canon sic habet: „ Item si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quælibet sæcularium Potestatum aut personarum, Investituram Episcopatuum, vel alicujus Ecclesiasticæ Dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se obstrictum esse sciat. Insuper etiam, nisi resipiscat, & Ecclesiæ propriam libertatem dimittat, divinæ animadversionis ultionem in hac præsenti vita, tam in corpore suo, quam cæteris rebus sentiat, ut in adventu Domini spiritus salvus fiat.

ARTICULUS IV.

Gregorii VII. Decreta adversas Investituras Victor III. innovavit atque confirmavit.

IN Sedem Romanam *Gregorio VII.* successit *Desiderius* Cassinensis Abbas, *Victor VII.* appellatus, simulque in ejus studia pro restauranda sacra Disciplina, & vindicanda Ecclesiæ libertate. Is cum nec *Henricum* Germaniæ Regem, nec *Philippum* Gallorum, nec Anglorum *Willelmum*, Sanctissimi Decessoris sui Decretis contra Investituras parere accepisset, (quamquam longe dispar esset illorum causa Principum: Siquidem solus Germaniæ Rex libertatem electionum penitus opprimebat) ea Decreta innovavit & confirmavit in Synodo Beneventana, quam celebravit anno Christi 1087. Ejus Acta refert *Leo Ostiensis* in Chronico Cassinensi, Libr. III. Cap. LXXI. Canon Investituras prohibens his verbis conceptus est. „ Constituimus etiam, ut si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam, de manu alicujus Laicæ personæ susceperit, nullatenus Episcopus vel Abbas habeatur, neque ulla ei ut Episcopo vel Abbati adhibeatur reverentia. Insuper ei Beati Petri gressium, & Ecclesiæ introitum interdicimus, quousque locum, quem sub tanto crimine ambitionis & inobedientiæ, (quod est scelus idololatriæ) cepit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis Gradibus, Dignitatibusque constituimus. Si quis item Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, vel cujusvis Potestatis sæcularis, Episcopatum, vel quamvis aliam Ecclesiasticam Dignitatem, dare præsumpserit, ejusdem Sententiæ vinculo se adstrictum noverit: Cum trecenti decem & octo Patres in Concilio Nicæno omnes hujusmodi vendentes & ementes excommunicaverint, censentes, ut qui dat, & qui recipit, Anathema sit. Cum hujusmodi igitur Episcopis, Abbatibus, aut Clericis reliquis, qui communicat, vel orat, vel ipsorum audit Missas, una excommunicationis sententia plectitur; quia nec Sacerdotes quidem rite putari possont. Simoniacas præsertim Investituras hoc Victoris III. Decreto peti manifestum est.

Beneventana Synodus contra Investituras.

ARTICULUS V.

Urbanus II. Decessorum exemplo Investituras proscripsit.

ANno millesimo octogesimo-nono, *Urbanus II.* in studium Decessorum pro Ecclesiæ Disciplina & libertate restituendis atque propugnandis succedens, in Synodo, quam Melfiæ in Apulia celebravit, hoc promolgavit adversus Investituras Decretum: *Illud summopere & Apostolica Authoritatis privilegio providentes, interdicimus: ne nullus in Clericali Ordine constitutus, nullus monachus, Episcopatus, aut Abbatia, aut cujuslibet Ecclesiastica Dignitatis Investituram de manu laici suscipere audeat. Quod si præsumpserit, depositione mulctetur.* Inter Canones Melfitanos octavos est.

Investituræ ab Urbano II. damnata in Concilio Melfitano.

Idem Pontifex in Concilio Claromontano, anno millesimo nonagesimo-quinto rursus Investituras damnavit, ut constat ex Breviario Canonum XV. & XVI. e *Lamberti* Attrebatensis Codice edito. Statuit nempe XV. *Ut nullus Ecclesiasticum aliquem honorem a Laicali manu recipiat*, XVI. vero interdicit, *Ne Reges, vel alii Principes aliquam Investituram de Ecclesiasticis honoribus faciant.* XVII. vetat *Ne Episcopus vel Sacerdos Regi vel alicui Laico in manibus ligiam fidelitatem faciat.* Alio ordine a Willelmo Malmesburiensi referuntur, & paulo aliis verbis. Primus namque Canon collectionis ipsius his verbis conceptus est: *Quod Ecclesia Catholica sit in fide casta, & ab omni servitate sæculari libera.* Secundus vero istis: *Ut Episcopi, vel Abbates, vel aliqui de Clero, aliquam Ecclesiasticam Dignitatem de manu Principum, vel quorumlibet Laicorum, non accipiat.*

In Claromontano.

In Romana denique Synodo anno millesimo nonagesimo-nono celebrata Investituras rursus prohibuit *Urbanus II.* excommunicatione in dantes & accipientes decreta: Necnon etiam in eos qui pro Ecclesiasticis honoribus Laicis homagium præstarent. Testes sunt *Eadmerus lib. 2. Historiæ Novorum*, & *Rogerius de Hoveden* parte 1. Annalium. *Anno*, inquit, *millesimo nonagesimo-nono, Urbanus Papa, tertia hebdomada Paschæ magnum Concilium tenuit Romæ, in quo excommunicavit omnes Laicos Investituras Ecclesiarum dantes; & omnes easdem Investituras de manibus Laicorum accipientes: nec non omnes in officium sic dati honoris consecrantes. Excommunicavit etiam eos, qui pro Ecclesiasticis honoribus Laicorum homines fiunt: dicens nimis execrabile videri, ut manus quæ in tantam eminentiam excreverint, ut, quod nulli Angelorum concessum est, Deum cuncta creantem suo signaculo creent, & eumdem ipsum, pro salute totius mundi, Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignaviam vel stultitiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, quæ diebus ac noctibus obscœnis contactibus inquinantur, sive rapinis ac injusta sanguinis effusioni addicta maculantur. Et ab omnibus acclamatum est: Fiat, fiat.* Huic Concilio præsens erat *S. Anselmus*

In Romano.

Eadem pene Eadmeri & Rogerii *verba sunt*, & Rogerius *ab* Eadmero *accepit.*

& ejus

& ejus comes ac discipulus Eadmerus. *His*, inquit, *præsentes fuimus, hæc conspeximus, his ab universis, Fiat, fiat, acclamari audivimus.*

ARTICULUS VI.

Urbani II. & Decessorum contra Investituras Decretis nec Henricus Imperator, nec Willelmus II. & Henricus Angliæ Reges, paruere; paruit vero Philippus Rex Francorum: haud tamen dimissa Regalium seu Feudorum Investitura legitima.

HEnricum Imperatorem Pontificiis ac Synodicis *Gregorii VII. Victoris III.* & *Urbani II.* Decretis minime paruisse constat ex novis Decretis quibus ipsum urgeri oportuit a *Paschali II. Urbani* Successore ut Investituras dimitteret; constat ex ipsius excommunicatione ab eodem renovata; constat ex eo quod ejus corpus post mortem effossum, Christiana sepultura indignum judicatum fuerit, quod in schismate & excommunicatione obiisset.

Leodiensis, Cleri, qui *Henrico* adhærebat, Epistola adversus *Paschalem II.* Investituras tuetur ut Jus Regium consuetudine firmatum: *Dominus noster Episcopus*, (inquiunt Leodienses) *communicat Regi & Imperatori suo, cui ex Regalibus ejus acceptis juravit fidelitatem. Nimirum effluxit tempus quo hæc consuetudo incœpit, & sub hac consuetudine migraverunt a sæculo sancti & reverentes Episcopi, reddentes Cæsari, quæ erant Cæsaris, & Deo quæ erant Dei. Sed quid dicit Ambrosius super Lucam?* Si Christus, *inquit*, „ non habuit imaginem Cæsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu, si non vis obnoxius esse Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. Si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis igitur nihil debere Regi terreno, dimitte omnia, & sequere Christum. *Item Augustinus Tract. 6. super Joannem:* Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit, *Regem reveremini*. Nolite dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per jura Regum possidentur possessiones: per Imperatores & Reges sæculi, Deus jura humana distribuit generi humano. *Igitur ex verbis istorum & aliorum Sanctorum Patrum, consulant sibi Episcopi Regibus & Imperatoribus obnoxii, & eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id est, eorum beneficiis, eos interficiant.*

Eadem tempestate, *Waltramus* Naumburgensis Episcopus, edito *De Investituris* Tractatu, illarum usum propugnavit, asserens Investituram a Regibus concedi ratione bonorum temporalium ad Ecclesias pertinentium: & parum referre an fiat verbo, diplomate, aut baculo, quia Episcopus die consecrationis suæ baculum & annulum collocat super Altare; illaque Pontificalis Authoritatis Insignia recipit velut a *S. Petro*. Cæterum non incongrue dare Investituram per baculum qui spiritalis simul & temporalis potestatis indicium est. *Servanda est*, inquit, *antiqua Constitutio, ne pusilli Christi scandalizentur. Nil enim refert, sive verbo, sive Præcepto, sive Baculo, sive alia re quam in manu tenuerit, investiat aut inthronizet Rex & Imperator Episcopum: qui die consecrationis veniens, annulum & baculum ponit super Altare, & in curam Pastoralem singula suscipit a stola & ab authoritate S. Petri. Sed congruum magis est per Baculum, qui est duplex, id est, temporalis, & spiritualis. Operarius enim in seminandis spiritualibus dignus est mercede sua, non in accipiendis temporalibus, juxta quod Paulus ait:* Si spiritualia vobis seminavimus, non est magnum, si carnalia (*id est temporalia*) a vobis metamus. *Præcedens Investitura per Regem in fundis & rebus Ecclesiæ contra tyrannos & raptores quieta & pacifica reddit omnia. Sequitur autem consecratio; ut bannus Episcopalis banno Regali conveniens, in communem salutem operetur. Et si Episcopis faciendum est Regibus hominium & sacramentum de Regalibus, apertius est ante consecrationem, cum Paulus Apostolus dicat: Unusquisque in suo sensu abundet.* Editus est *Waltrami* Tractatus a *Goldasto*, in Apologia pro Henrico IV.

II. *Willelmus II.* Angliæ Rex Investituras semper retinuit. Cum gravi infirmitate detineretur, & peccata sua apud *S. Anselmum* deposuisset, rogatus a bonis quibusque ut Cantuariensem Ecclesiam, instituendo illi Pastorem, solveret a pristina viduitate, lubens annuit „ Cunctis ad nutum Regis pendentibus, prænunciavit ipse, & concordi voce sequitur acclamatio omnium, Abbatem Anselmum tali honore dignissimum. Expavit Anselmus ad hanc vocem, & expalluit: Cumque raperetur ad Regem ut per Virgam Pastoralem Investituram Archiepiscopatus de manu ejus susciperet, toto conamine restitit, idque multis obsistentibus causis, nullatenus fieri posse asseruit...... Rege ei Baculum porrigente, manum contra clausit, & eum suscipere nequaquam consensit, Episcopi vero digitos ejus strictim volæ infixos erigere conati sunt, quo vel sic manui ejus Baculus ingereretur, *&c.* Clausæ manui ejus Baculus appositus est & Episcoporum manibus cum eadem manu compressus atque retentus. Acclamante autem multitudine, Vivat Episcopus, vivat; Episcopi cum Clero Hymnum *Te Deum laudamus*, decantare cœpere, electumque portaverunt Pontificem potius quam duxerunt in vicinam Ecclesiam ...... Cum decurso non exiguo tempore, clamorem omnium de Ecclesiarum destructione conquerentium Rex amplius ferre nequiret, Virum ad se Wintoniæ, adunato sibi Conventu Nobilium, venire fecit; ac multis bonis, & Ecclesiæ Dei profuturis promissionibus illectum, primatum Ecclesiæ Anglorum suscipere suasit, atque persuasit. Ille igitur more & exemplo Prædecessoris sui inductus, pro usu terræ Homo Regis factus est, & sicut Lanfrancus suo tempore fuerat, de toto Archiepiscopatu satisfieri jussus est. *Ita refert* Eadmerus *lib.* 1. Historiæ Novorum.

Willel-mus II. Angliæ Rex Investituras semper retinuit.

Nec solum investituras retinebat, sed & fructus vacantium Ecclesiarum *Willelmus II.* percipiebat, suosque in usus convertebat. Et propterea diu illas vacare sinebat, ut Regaliæ prætextu redditibus illarum diutius frueretur. Hinc ipsum ita convenit *Sanctus Anselmus*, referente *Eadmero*, lib. I. Historiæ Novorum „ Est & aliud, cui tuam industriam intendere vellem & intendendo consilii tui manum extendere. Abbatiæ quamplures sunt in hac terra suis Pastoribus destitutæ. Quamobrem Monachi relicto ordine suo, per luxus sæculi vadunt, & sine Confessione de hac vita exeunt. Unde consulo, precor, moneo, quatenus tanta re diligenter inspecta, secundum voluntatem Dei Abbates illis instituas, ne in destructione Monasteriorum & perditione Monachorum, tibi, quod absit, damnationem acquiras. Non potuit amplius spiritum suum Rex cohibere, inquit Eadmerus, sed oppido turbatus, cum iracundia: dixit: „ Quid ad te? Numquid Abbatiæ non sunt meæ.? Hem, tu quod vis agis de villis tuis; & ego non agam quod volo de Abbatiis meis? *Cui Anselmus:* Tuæ quidem sunt ut illas quasi Advocatus defendas atque custodias, non tuæ autem ut invadas aut devastes. Dei scimus eas esse, ut sui Ministri inde vivant, non quo expeditiones & bella tua inde fiant. Denique Villas & quamplures redditus habes, unde pleniter administrare tua potes. Ecclesiis, si placet, sua dimitte. *Cui Rex:* Pro certo noveris mihi valde contraria esse quæ dicis. Nec enim Antecessor tuus auderet ullatenus Patri meo dicere; & nihil faciam pro te.

Urbanum II. ceu legitimum Pontificem non agnoscebat Anglia, donec *Walterus* Albanensis Episcopus, ab eo missus in Insulam Legatus, apud Regem effecit, ut illum ceu *Beati Petri* Successorem & Christi Vicarium coleret, atque in toto Regno coli juberet, ut *Eadmerus* testatur. Œconomia cum feroce Principe utendum fuit, ac revera usus est *Urbanus II.* ipsumque minime ursit ut investituras dimitteret, tolerandum aliquandiu abusum ratus Schismatis metu. Nec *Sanctus Anselmus* ipsi quæstionem hac de re intulit, aliunde ab eo vexatus ob negatam pecuniæ summam, & ob appellatum *Urbanum* Pontificem, antequam in Edicto sancivisset. Nec spes affulgebat ulla fore ut Investituras dimitteret, secundum Pontificum,

Sy-

Synodorumque Decreta, qui Consuetudinum, quantumvis pravarum, Regni sui adeo tenax erat, ut in Majestatem suam committere, sibique coronam eripere contestaretur, quicumque eas violaret: nec Episcopos Regni sui Summum Pontificem appellare, & absque sua licentia Romam proficisci permittebat, quia Regni Consuetudines id vetabant, quas se servaturos promittebant Episcopi, cum Investituram a Rege accipiebant; ut colligitur ex colloquio Regis & Episcoporum ac Procerum cum *S. Anselmo*, apud *Eadmerum* lib. II. *Historiæ Novorum*.

Querela ad Urbanum II. delata de Willelmo II. Anglorum Rege.

In Concilio Barensi, querelæ ad *Urbanum II.* de *Willelmo II.* Angliæ Rege delatæ sunt, quas Pontifex Synodo coram exposuit; accusatus est generatim venditionis & oppressionis Ecclesiarum, parumque absuit ne excommunicaretur: at de Investituris nulla tunc facta mentio est. *Procedente deinceps ratione*, inquit Eadmerus, *de Rege Anglorum sermo conseritur, & sinistra quadam de ipso publice prædicantur, Anselmo inter illa demisso vultu sedente, & loquentes nullo favore prosequente. Tandem de venditione & oppressione Ecclesiarum, de quibus inter alia vituperabatur, necne de injuriis Anselmo illatis, Apostolicus acriter questus est.* „ Quem propterea, *inquit*, etiam „ Regni sui fecit extorrem, quoniam a B. Petri fi„ delitate & obedientia nequivit separare. *Et adjecit:* „ Ecce vita illius Tyranni qualis ad Apostolicam „ Sedem sæpe delata est. Cui pro correctione sua „ multis multoties cohortatoria simul & castigatoria „ suasione verba mandavimus: sed afflictio atque de„ pulsio tanti viri, quem coram videtis, satis innu„ it quantum profecimus. Ad hæc, Fratres, quid „ sentitis, quid decernitis? *Dixerant:* Sententia pla„ na est, & Judicium evidens. Si enim semel, si se„ cundo, si tertio vocatus, & renuit audire, renuit „ disciplinam accipere; restat ut gladio S. Petri sub „ Anathematis ictu percussus, quod meruit sentiat, „ donec a sua pravitate discedat. *Respondit:* Ita est. *Audiens hæc Anselmus, illico surrexit, & flexis genibus coram Papa præfatum Regem jam tunc excommunicare paratum, vix obtinuit ne in Regem faceret, quod communis omnium Sententia promulgavit.* Ita refert Eadmerus lib. II. *Historiæ Novorum*.

In postrema Synodorum suarum Romæ celebrata *Urbanum II.* Investituras & Hominii exactionem ab Episcopis & Abbatibus, lata in dantes, accipientes, & consecrantes, Anathematis Sententia, prohibuisse ac damnasse diximus. Defuncto paulo post *Urbano*, & nuntio de ejus obitu in Angliam perlato, gavisus est velut de fausto eventu Rex *Willelmus*, dicens: *Dei odium habeat qui inde curat.* Et quis *Urbano* successisset interrogans, cum *Anselmo* simillimum audisset, nullam apud se ejus authoritatem fore juravit: *Nec enim putabat*, inquit Eadmerus, *Apostolicum Orbis posse in Regno suo esse cujuslibet Juris, nisi permissum a se.* Post aliquot menses repentina morte sublatus est *Rex Willelmus*, in Ecclesiæ quidem communione toleratus, cæteroquin impœnitens. Ex hac rerum gestarum serie quibus interfuit, qui illarum historiam scripsit *Eadmerus*, constat Decreta Pontificia & Synodica contra Investituras in Anglia recepta non fuisse sub Gregorii VII. Victoris III. & Urbani II. Pontificatu, nec usquam ipsis parere voluisse *Willelmum II.*

Henrici in regnum *Willelmi* fratris successio, spem fecit maximam fore ut Ecclesia paululum respiraret, ac libertatem recuperaret; maxime cum ipso inaugurationis suæ die jurasset, *Omnes oppressiones & iniquitates quæ sub Fratre suo emerserunt, in omni sua Dominatione, tam in Ecclesiis, quam in sæcularibus negotiis, se prohibiturum & subversurum.*

Eadmerus lib. III. Historiæ Novorum. *Henrico I. Angliæ Regi in Causa Investiturarum S. Anselmus resistit.*

Interim *S. Anselmus* Roma in Angliam redux, *Henricum* Regem Setberiæ agentem convenit, qui ipsum cum gaudio excepit, ac Inaugurationis maturationem suæ excusavit, quod ipso, cujus juris erat, minime expectato, illam perfici jussisset. Tum *postulatus est Anselmus, pro consuetudine Antecessorum suorum, Regi hominium facere, & Archiepiscopatum de manu ejus recipere. Quibus cum ille nequaquam se aut velle aut posse assensum præbere responderet, interrogantibus quare, statim quid super his, & quibusdam aliis in Romano Concilio acceperit, manifesta relatione innotuit, itaque subinferens, ait:* „ Si Dominus Rex ista su„ scipere, & suscepta servare voluerit, bene inter nos „ & firma pax erit. Sin autem, non video remanere „ meum in Anglia utile fore vel honestum; præser„ tim cum, si Episcopatus aut Abbatias dederit, pri„ vari me penitus tam a sui, quam & eorum qui „ susceperint, communione necesse sit. Nec enim „ ea de causa Angliam redii, ut si ipse Romano Pon„ tifici obedire nolit, in ea resideam. Unde quid ve„ lit, precor, edicat, ut sciam quo me vertam. His auditis, graviter commotum esse Regem, *Eadmerus* testatur. *Grave quippe*, inquit, *sibi visum est Investituras Ecclesiarum, & Hominia Prælatorum perdere: Grave nihilominus Anselmum a Regno ipso nondum in Regno plene confirmato, pati discedere. In uno siquidem videbatur sibi quasi dimidium Regni perdere: in alio verebatur, ne fratrem suum Robertum, qui tunc de Jerusalem Normanniam redierat, Anselmus adiret, & eum in Apostolicæ Sedis subjectionem deductum, quod facillimum factu sciebat, Regem Angliæ faceret. De verbis igitur ultrinsecus motis induciæ usque Pascha petitæ sunt, quatenus utrimque Romam mitterentur, qui Decreta Apostolica in pristinum Regni usum mutarent; & interim Ecclesiæ Angliæ in quo erant statu manentibus, Anselmus, redditis terris, quas Rex mortuus Ecclesiæ Cantuariensi abstulerat, suis omnibus revestiretur; sicque fieret, ut si a sententia flecti Papa nequiret, totius negotii summa in eum, quo tunc erat, statum rediret.* Annuit Anselmus, ne pravæ de se suspicionis ansam Regi præberet, quamvis hæc omnia frustra fore præviderat, nec Romanum Pontificem Decessorum suorum, ac Synodorum contra Investituras Decreta destructurum. Quæ vero post hæc *Paschalis II.* cum *Henrico* Rege, quid *S. Anselmus* egerit, in istius Dissertationis progressu edisseram.

Sedis Apostolicæ ac Synodorum Decretis in causa Investiturarum paruit Rex Christianiss. Philippus I.

III. Sedis Apostolicæ ac Synodorum Decretis *Philippus I.* Rex Francorum paruit, solemnem dimittens Investituram, quæ annuli & baculi Pastoralis traditione fiebat, liberasque Episcoporum Electiones esse sinens, quamvis Regalium seu Feudorum, pro suo jure, Investituram absque hac solemnitate concederet, eorumque ratione juramentum fidelitatis, non solemne hominium exigeret. Id constat ex *Yvone* Carnotensi Episcopo, Epistola sexagesima, ad Lugdunensem Archiepiscopum Sedis Apostolicæ Legatum *Hugonem* data. Præceperat ille *Yvoni* & Comprovincialibus Episcopis, ut a consecratione *Daimberti* Senonensis Archipræsulis electi abstinerent duplicem ob causam: primam, quod sibi ante consecrationem præsentari, ac subjectionem & obedientiam tamquam Primati profiteri deberet, secundam quod investituram Episcopatus de manu Regis accepisset, contra Pontificum & Synodorum Decreta.

Yvo Carnotensis Investituras excusat prout a Regibus Christianissimis exercebantur.

Quod primum impedimentum spectat, respondet *Yvo* ad illam Primati obedientiæ Professionem Episcopos ante consecrationem non teneri: nec jus illud in Senonensi Provincia, aut in aliis, antiquitatem instituisse, vel consuetudinem servasse. Quod secundum attinet, *Daimbertum* Investituram a Rege accepisse negat: quamvis concessio Episcopatus post canonicam electionem quovis modo a Rege facta, fidei vel religioni minime obesset, cum traditio baculi & annuli a Principibus, nullam sacramenti speciem gerat. Hujusmodi Concessionem & Investituram ab Ecclesia non esse improbatam, sed solam Canonicarum Electionum oppressionem, & corporalem Investituram per traditionem annuli & baculi, ab *Urbano II.* fuisse prohibitam ac damnatam. Octavam Synodum prohibuisse quidem Principibus, ne electioni, ad ejus opprimendam libertatem se immiscerent, non vero ne Episcopatus, post legitimam electionem concederent. Parum autem referre quo signo fieret hujusmodi concessio, cum Reges nihil spirituale dare se persuasum habeant, sed solam Feudorum possessionem, quæ Regibus accepta referri debet, qui munificentia sua Ecclesias ditarunt. *Quod autem scripsisti*, inquit, *prædictum Electum Investituram Episcopatus de manu Regis accepisse, nec relatum nobis ab aliquo qui viderit, nec cognitum. Quod tamen si factum esset, cum hoc nullam vim Sacramenti gerat, in constituendo Episcopo vel admissum, vel omissum, quid fidei, aut*

sacra

facra Religioni officiat, ignoramus : Cum post Canonicam electionem Reges ipsos Apostolica Authoritate a concessione Episcopatuum prohibitos minime videamus. Legimus enim sanctæ recordationis Summos Pontifices aliquando apud Reges pro Electis Ecclesiarum, ut sis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus ad quos electi erant, intercessisse : aliquorum, quia concessiones Regum nondum consecuti fuerant, consecrationes distulisse. Quorum exempla supposuissemus, nisi prolixitatem Epistolæ vitassemus. Domnus quoque Papa Urbanus Reges tantum a corporali Investitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione : Quamvis Octava Synodus solum prohibeat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio sive fiat manu, sive nutu, sive lingua, sive virga, quid refert? Cum Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantum aut votis petentium annuere, aut Villas Ecclesiasticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Ecclesiæ, ipsis Electis concedere. Unde Augustinus super Joannem, Tract.
„ *VI.* Quo jure defendis Villas Ecclesiæ, divino, an
„ humano? Divinum jus in Scripturis habemus, hu-
„ manum in Legibus Regum. Unde quisque possi-
„ det quod possidet? Nonne jure humano? Nam
„ jure divino Domini est terra & plenitudo ejus.
„ Jure humano dicitur, Hæc villa mea est, hæc do-
„ mus mea est, hic servus meus est. Tolle jura Im-
„ peratorum, quis audet dicere, Hæc villa mea est,
„ meus est ille servus, mea est ista domus? *Item :*
„ Noli dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo
„ & possessioni? Per jura Regum possidentur possessio-
„ nes. Dixisti, Quid mihi & Regi? Noli dicere pos-
„ sessiones tuas, quia ad ipsa jura renuntiasti huma-
„ na, quibus possessiones possidentur.

Addit, *Yvo Carnotensis*, Hæc cum æterna Lege sancita non sint, posse ab Ecclesia conniventibus oculis aspici & tolerari, vel severius emendari. *Quod si hæc æterna lege sancita essent, non esset in manu Præsidentium, ut ea in quibusdam districte judicarent, in quibusdam misericorditer relaxarent, ipsis in honore accepto permanentibus, contra quos ista loquuntur. Nunc vero quia ea illicita maxime facit Præsidentium prohibitio, licita quoque eorumdem pro sua æstimatione remissio; videmus nullos, aut pene nullas pro hujusmodi transgressione damnatas, plurimos autem vexatos, plurimas Ecclesias spoliatas, plurima scandala exorta, divisum Regnum & Sacerdotium, sine quorum concordia res humanæ nec incolumes esse possunt, nec tutæ*, &c.

Altero momento probatur *Philippum* I. Francorum Regem *Urbani II.* Synodorum ab eo celebratarum, Claromontanæ præsertim Decretis contra Investituras paruisse; quod nimirum *Paschalis II. Urbani* Successor in Gallias confugerit, *Ludovici Crassi* Regis præsidium adversus *Henricum V.* Imperatorem imploraturus, qui usum Investiturarum contra Pontificia & Synodica Decreta & Anathema pertinaciter retinebat. Quod sane *Paschalis* non fecisset, si Rex Galliarum tum temporis solemnem Investituram, prout erat ab *Urbano II.* damnata, æque ac ipse Imperator, usurpasset. Nec *Sugerius* Abbas *S. Dionysii* in Vita *Ludovici Crassi* colloquium *Paschalis II.* cum Legatis Imperatoris approbasset, dicentis : *Si virga & annulo investiatur, cum ad Altaria ejusmodi pertineant contra Deum usurpare; si sacratas Corpori & Sanguini Dominico manus, Laici manibus gladio sanguinolentis obligando supponant, Ordini suo & sacra Unctioni derogare.* Has, inquam, propositiones *Paschalis II.* non approbasset *Sugerius Ludovico* Regi addictissimus, nec *cervicosos* Imperatoris Legatos appellasset his obsistentes, si Rex Francorum adhuc Investituram per annulum & baculum ante electionem, immo sine electione concessisset, ac Hominium solemne ab Episcopis & Abbatibus exegisset.

Denique concordia Regnum inter & Sacerdotium violata non est in Galliis, Investiturarum occasione, ut in Germania, ut testatur *Yvo Carnotensis* Epistola ducentesima trigesima-octava ad Summum Pontificem Paschalem. *Regnum*, inquit, *Francorum præ ceteris Regnis Sedi Apostolicæ semper fuit obnoxium : & idcirco quantum ad ipsas Regias personas pertinuit, nulla fuit divisio inter Regnum & Sacerdotium. Quod ergo hactenus cum pace & utilitate Ecclesiæ observatum est, humiliter petimus ut de cætero observetur, & Regni Francorum pax & Summi Sacerdotis, nulla subreptione dissolvatur.* At verisimile non est quod tam fausta Regni & Sacerdotii concordia conservata fuisset, nisi Reges Francorum Decretis Pontificis fuissent obsecuti, & Investiturarum solemnem morem per traditionem annuli & baculi Pastoralis dimisissent. Ipsos tamen usos semper fuisse jure suo approbandi electionem factam, & bona Ecclesiastica Electo concedendi; nec ipsis propterea negotium facessivisse Romanos Pontifices, colligitur ex Epistola 104. *Yvonis Carnotensis* ad *Paschalem II.* data, in qua de *Galone* ad Episcopatum Bellovacensem electo ita scribit : *Rex non vult electioni assensum præbere, nec electo bona Episcopalia dimittere.*

SCHOLION I.

Huic Articulo, pag. 505. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt : *Affert quasdam rationes pro Investituris, quibus non respondet.*

R. De Investituris historice tantum tracto, non Theologice. Quid gestum, dictum, & scriptum sit hac in causa, sive pro Investituris, sive contra Investituras, refero bona fide. Quod ab Ecclesia latum est ea de controversia, Judicium, veneror & amplector.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, pag. 512. hæc notant Religiosi Censores : *Excusat Investituras eo modo quo fiebant a Regibus Galliæ, relicta libertate electionis data dumtaxat possessione temporalium : Quod vero detur baculo vel alio signo, parum interest, dum Rex non intendat conferre aliquid spirituale.*

R. Non ego solus excuso : excusat *Yvo* Carnotensis Episcopus, sanctissimus & doctissimus, Epistola LX. ad *Hugonem* Lugdunensem Archiepiscopum & Sedis Apostolicæ Legatum. *Yvonis* rationes & verba refero paginis sequentibus, scilicet pag. 513. & 514.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, hanc Propositionem notant Religiosi Censores, pag. 514. Edit. primæ : *Possunt ea tolerari, quæ sola lege humana prohibentur.*

R. Hæc Propositio vera est & innoxia. Ab eo enim qui legem condidit, vel cujus est ad legis observantiam cogere subditos, vel eam moderari aut remittere, posse tolerari ea quæ sola lege humana prohibentur, certissimum est. Verum nec ea Propositio legitur loco a RR. Censoribus notato. Sic tantum ego : *Addit Yvo Carnotensis, Hæc cum æterna lege sancita non sint, posse ab Ecclesia conniventibus oculis aspici & tolerari vel severius emendari.* Yvonis Carnotensis verba subjicio.

Nota.

Etsi Principes Investituras concedendo nil spirituale elargiri haud ignorassent, nihilominus semper judicavit Ecclesia tolerandum non esse, ut a Principibus instrumenta spiritualia in investituris concedendis adhiberentur, ad alia etiam dimissionis signa Episcopos adigendo. In hujusmodi Investituris eis, quæ solummodo Sacerdotii erant, Principes utebantur, quod cum ab Ecclesia non esset tolerandum, decebat enim laicam potestatem spiritualia adhibere, non bene videtur Yvo dixisse, quod parum interesset quo signo concederentur.

ARTICULUS VII.

Paschalis II. Henricum I. Angliæ Regem ad Investituras dimittendas compulit : Hominium vero ut ab Episcopis pro Feudis sive Regalibus exigeret, secundum Regni mores, prudenti Oeconomia permisit.

Henrici I. Angliæ Regis ad Paschalem II. legationes & S. Anselmi literæ rogantes ut Decessoris sui Decreta contra Investituras & hominia Episcoporum temperet.

CUM Serberiæ inter *S. Anselmum* & *Henricum* I. Angliæ Regem de mittendis utrinque ouncis pro Investiturarum negotio convenisset, *S. Anselmus* per suos ad *Paschalem II.* his verbis rescripsit (Epistola 41. lib. 4.) „ Quoniam de Sedis Apostolicæ Authoritate pendent filiorum Ecclesiæ directiones, & consilia : idcirco ad vestræ Paternitatis recurro præceptum & consilium .... Mortuo Rege Goillelmo, cujus violentia per triennium exulavi ab Anglia, cum magno desiderio sum a Domino meo Rege Henrico, & a Principibm ejus, & ab Ecclesia Anglorum revocatus, & com magno gaudio susceptus. Qui postquam intellexerunt Institutionem, quam audivi fieri in Romaoo Concilio a venerabilis memoriæ Prædecessore vestro Papa Urbano, Ne scilicet aliquis susciperet Investituram Ecclesiæ de manu Laici, & ne Episcopus vel Abbas homo ejus fieret : sensi & audivi quia nullo modo eam Rex & Principes ejus vellent suscipere. Qua de re mihi necessarium vestræ Celsitudinis consilium expecto.

Alias etiam ad eumdem Pontificem literas dedit, quibus ejus Sanctitatem rogavit, ut, si fas esset, Decessoris sui contra Investituras & Hominia Sententiam temperaret, ad fovendam Regnum inter & Sacerdotium concordiam. „ Postquam, *inquit*, revocatus a Rege Angliæ qui nunc est, ad Episcopatum redii, ostendi Decreta Apostolica, quæ in Romano Concilio præsens audivi, Ne scilicet Laicus Investituras Ecclesiarum daret, neque aliquis de manu ejus acciperet, aut pro hoc homo ejus fieret, nec aliquis hæc præsumentem consecraret; qui vero hæc transgrederetur, excommunicatiooi sancti Concilii subjaceret. Quod audientes Rex & Principes ejus, ipsi etiam Episcopi quanta mala hinc processura, quid potius se facturos, quam hæc Decreta suscepturos acclamaverunt, gravor dicere; dicant Legati præsentes qui audierunt. Tandem in me conversi uno sensu omnes pariter affirmaverunt : Me posse extinguere omne malum, quod ex his Decretis processerit, asseverant, si precibm Episcoporum meas vellem associare, quatenus Celsitudini vestræ placeret prædictam Sententiam mitigare. Quod si facere recusarem, omne malum quod inde eveniret, mihi imputandum sine ulla mea excusatione judicarent. Ne igitur aliquid videar contemnere, aut meo solo sensu, vel propria voluntate quidquam facere, nec illos audeo non audire, nec de vestræ Sanctitatis dispositione aliquatenus volo exire, Servata igitur apud me reverentia & obedientia Sedis Apostolicæ, precor ut, quantum Dignitas vestra secundum Deum permittit, petitioni prædictæ, quam vobis Legati exponent, juxta sapientiam vestram condescendatis; & quid me jubeatis in hac re facere, quidquid futurum sit, per Legatos præsentes certum me faciatis.

Paschalis II. in prohibendis Investituris & hominiis Episcoporum invicta constantia.

Apud *Paschalem II.* Ecclesiasticæ libertatis defensorem acerrimum, & Decretorum, quæ a suis Decessoribus & frequentibus Synodis contra Investituras condita erant, tenacissimum, promovere nihil potuit *Henrici* Regis Legatio, nihil obtinere Episcoporum, & ipsius Archipræsulis *S. Anselmi* preces. Regii Oratores has ad ejus Majestatem Pontificis Literas retulerunt : *Legationis tuæ verba, Fili Carissime, gratanter excepimus, sed vellemus obedientiam promittentis. In quibus nimirum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ illa in Regno tuo pollicebaris, quæ tempore patris tui habuerat, eos requirens honores, quos tempore Antecessorum nostrorum pater tuus habuerat. Quæ profecto omnia grata in superficie viderentur, interius requisita, & Legati tui vocibus exposita, gravia & vehementissima apparuerunt. Quærebas enim ut tibi Episcoporum Abbatumque per Investituram constituendorum jus & facultas a Romana indulgeretur ecclesia, & quod per se solum fieri omnipotens Dominus perhibet, hoc Regiæ potestatis fieret. Ait enim Dominus :* „ Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur. *Cum autem Ecclesiæ ostium Reges esse arrogant, fit profecto ut qui per eos Ecclesiam ingrediuntur, non Pastores, sed fures & latrones habeantur, eodem Domino dicente :* „ Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, fur est & latro. *Et quidem si a nobis magnum aliquid tua Dilectio postularet, quod cum Deo, cum justitia, cum nostri ordinis salute concedi posset, utique concederemus. Hoc vero tam grave, tam indignum est, ut nulla ratione Catholica id admittat ecclesia. Facilius ad extrema qualibet B. Ambrosius cogi potuit, quam Imperatori Ecclesiæ permittere potestatem, Respondit enim : Noli gravare te, Imperator, ut putes in ea quæ divina sunt Imperiale aliquid jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est :* „ Quæ Dei Deo, quæ Cesaris Cæsari. *Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ : publicorum tibi mænium jus commissum est, non sacrorum. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim quæ non est legitimo conjugio copulata. Audis, o Rex, adulteram Ecclesiam nuncupari, quæ non legitime nupserit. Ecclesiæ siquidem sponsus unusquisque æstimatur Episcopus.... Si Ecclesiæ filius es; permitte matri tuæ legitimum sortiri conjugium; ut non per hominem, sed per Deum, & hominem Christum legitimo sponso copuletur. Per Deum enim episcopos eligi, cum canonice eliguntur, testatur Apostolus dicens :* „ Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui a Deo vocatur tamquam Aaron. *Et B. Ambrosius;* „ Merito, *inquit*, creditur quod divino esset electus judicio, quem omnes postulavissent. *Et post pauca :* „ Ubi universorum postulatio congruit, dubitare nos non oportet, ibi Dominum Jesum & voluntatis authorem & petitionis arbitrium fore, & ordinationis Præsulem, & largitorem gratiæ. *Præterea Propheta David ad Ecclesiam loquens ait :* „ Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram. *Ecclesia filios genuit, Ecclesia Principes statuit.... Monstruosum profecto est, ut patrem filius generare, homo Deum creare debeat. Sacerdotes namque in Scripturis Sanctis Deos vocari tamquam Dei Vicarios manifestum est.... Propter hoc Sancta Romana Ecclesia & Apostolica per Prædecessores nostros Regiæ usurpationi & Investituræ abominabili vivaciter obviare curavit, & gravissimis persecutionibus per Tyrannos affecta usque ad tempora nostra, non destitit. Confidimus autem in Domino, quoniam nec in nobis confidentia sua virtutem Ecclesiæ Princeps Petrus & Episcoporum primus amittet. Porro sæcularium Potestatem & Regum in Ecclesia quod sit officium, exponit Apostolus Paulus dicens :* „ Dei enim Minister est tibi in bonum. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim Minister est, vindex in iram ei qui male agit.... *Inter ista, Rex, nullius tibi persuasio profana surripiat, quasi aut potestati tuæ aliquid diminuere, aut nos in Episcoporum promotione aliquid nobis velimus amplius vendicare. Immo si ab hoc propter Deum desistas, quod contra Deum esse manifestum est, quod cum Deo nec tu exercere, nec nos concedere cum nostra seu tua salute possumus, quidquid deinceps postulaveris, quod cum Deo possumus, libentius indulgebimus, & honori tuo & sublimationi propensius insistemus. Nec existimes quod potestatis tuæ columen infirmetur, si ab hac profana usurpatione desistes. Immo tunc validius, tunc robustius, tunc honorabilius regnabis, cum in Regno tuo divina regnabit authoritas.* Hanc *Paschalis II.* Epistolam exhibet *Eadmerus* lib. III. *Historiæ Novorum*.

Narrat idem author perpetuus *S. Anselmi* comes, quomodo Rex ipsum ad Aulam vocavit, de negotio, quo de induciæ datæ fuerant, responsurum, atque *Exegit ab eo ut Homo suus fieret, & eos quibus Episcopatus vel Abbatias se daturum dicebat, pro more Antecessorum suorum consecraret, aut terram suam sine retractatione & festinanter exiret.* Anselmum

vero

vero respondisse : *Dixi quemadmodum Romano Concilio interfuerim, quodque ibi a Sede B. Petri acceperim. Si ergo excommunicationi, cujus in hoc Regno Relator extiti, memet alicujus rei causa subjicio; cui quæso, deinceps adhærere potero, meo judicio excommunicatus?* Nuncii has ipsa mutare directi, *infecto negotio reversi sunt. Horum igitur quæ cum salute & honestate mea nequeo transgredi, me transgressorem fieri non videtur sani consilii.* Rex reposuit : *Quid ad me? Usus Antecessorum meorum nolo perdere, nec in Regno meo, qui meus non sit, quemquam sustinere.* Anselmus his nequaquam turbatus, in Ecclesiam suam secessit, ad omnia pro Ecclesiæ Disciplina & libertate, ac pro obedientia Sedi Apostolicæ debita, constanti animo perferenda paratissimus.

Haud multo post, amicas in speciem pacificasque Literas e Rege accepit, quibus eum rogabat ut ad se veniret, alio consilio negotium Investiturarum moderari volentem. Wintoniam itaque cum aliis Episcopis ac Principibus, *Anselmus* convenit; qui ab ipso impetrarunt, ut novis datis induciis, novi Nuncii solertiores Romam mitterentur, qui Summo Pontifici denuntiarent, nisi a Sententia discederet, *Anselmum* cum suis ex Angliæ pulsum iri, ipsum vero *totius Regni subjectionem, & commodum quod inde singulis annis habere solebat*, Denarium scilicet S. Petri, *Perditurum*. Missi sunt a Rege tres Episcopi, ab *Anselmo* Monachi duo. Romam ubi pervenere, Pontificem obtestati sunt ut austeriorem Decessoris sui temperando Sententiam, Anglicanæ Ecclesiæ paci prospiceret, nec Regem erga Sedem Apostolicam bene affectum severitate nimia, & pertinaci negatione Investiturarum offenderet, atque ad extrema compellaret. Respondit propositi tenax Pontifex : *Se nec pro capitis sui redemptione hoc facturum.* Dixitque indignabundus : *Decreta & Institutiones Sanctorum Patrum, minis actus unius hominis dissiparem?* Mox ad Regem *Henricum* Literas dedit, urbanissimas quidem, & paternum amorem spirantes, sed ipsum vehementer urgentes ut Investituras dimitteret : quin etiam Judicio Sancti Spiritus illarum usum ipsi, ut & Principibus cæteris, interdicens. *Deseruisti*, inquit, *Fratris tui Regis impietatem, quam divino conspicis judicio terribiliter vindicatam, Ecclesias libertati restituisti, Clerum honorare cœpisti, & Cleri Principes Episcopos, immo in his Christum Dominum venerari. Confidimus itaque quia usque in finem eadem sapies, & in eadem probitate persistes; nisi fuat aliqui perversæ mentis homines, qui cor Regum per Episcoporum & Abbatum Investituras divinæ indignationi aptare conantur. Quorum in hac parte consilia tamquam virus tibi sunt vitanda, ne illum offendas per quem Reges regnant & Potentes justa decernunt. Quem profecto si propitium habueris, fœliciter regnabis, potestatemque integram & divitias obtinebis. Quem si, quod absit, offendis, non Procerum consilia, non Militum subsidia, non arma, non divitiæ, ubi subvertere cœperit, poterunt subvenire. Porro in honore Domini, in Ecclesiæ libertate, nos familiares, nos adjutores habebis. Nec opineris quia quisquam nos a tua divellet amicitia, si ab investituris abstinueris, si honorem debitum, & libertatem a Domino institutam Ecclesiæ conservaveris. Ecclesiarum siquidem investituras nos Sancti Spiritus Judicio Regibus & Principibus, immo Laicis omnibus interdiximus. Nec enim decet ut a filio mater in servitutem addicatur; ut Sponsum, quem non optavit, accipiat.*

Paschalis II. Investituras in Synodo Lateranensi prohibet.

Solemnis illa Investiturarum interdictio a *Paschali II.* facta est in Synodo Lateranensi anno millesimo centesimo-secundo celebrata, de qua idem Pontifex in Epistola eodem tempore ad *S. Anselmum* data, ita scribit : *Qua de re in Synodo nuper ad Lateranense Consistorium celebrato, Patrum nostrorum Decreta renovavimus, sancientes & interdicentes, ne quisquam omnino Clericus de manu Laici Ecclesias, vel Ecclesiastica bona suscipiat. Hæc est enim simoniacæ pravitatis radix, dum ad percipiendos honores Ecclesiæ, sæcularibus personis insipientes homines placere desiderant. Idcirco Sanctorum Conciliorum veneranda majestas sæcularium Principum potestatem ab Ecclesiasticis electionibus decrevit arcendam : ut sicut per solum Christum prima in baptismo Ecclesiæ janua, ultima in morte vitæ aperitur æterna; ita per solum Christum ovilis Christi Ostiarius statuatur, per quem Christi ovibus, non pro mercedibus ovium, sed pro Christo ingressus & egressus ad vitam perducatur æternam ...... Hæc ita doceas, sicut scis tuo Primatui expedire.*

Episcopis, qui a Rege, & Monachis, qui ab *Anselmo* Romam directi fuerant, reversis, Rex Principibus Londoniæ congregatis, *Anselmum* per internuntios convenit, ut sibi Consuetudines Paternas non negaret, aut Regno excederet. Petiit ille ut Literæ Summi Pontificis, cum ad Regem, tum ad seipsum, de præsenti negotio datæ legerentur : tum se, quantum salvo officio & Sedis Apostolicæ reverentia, fas esset, ejus obtemperaturum Majestati. Conditionem, quoad Literas ad se datas, Rex elusit. Palam perlectæ sunt quæ ad *Anselmum* directæ : Jamque Regem causa cecidisse Procerum Consessus existimabat; cum adulatores & mercenarii Episcopi, qui Romam Regis Oratores iverant, eam opinionem prohibuere, insigni mendacio Principi gratificati, & Ecclesiæ libertatem nefarie prodentes. Asseruerunt quippe, se alia Romæ a Summo Pontifice verbis accepisse, quam Literæ ad *Anselmum*, vel etiam ad Regem directæ continerent. *Requisitique*, inquit, *Eadmerus*, Lib. III. Historiæ Novorum, *contestati sunt in Episcopali veritate Papam ipsum Regi verbis puris mandasse per se, Quoniam quandiu in aliis vitam boni Principis ageret, de Ecclesiarum Investituris æquanimiter illum toleraret, nec eum ullo excommunicationis vinculo necteret, si religiosas personas per dationem Virgæ Pastoralis eis investiret. Cur autem hanc tanti doni dignitatem ei per Chartæ inscriptionem noluerit delegare, eam ferebant causam esse, videlicet, ne in aliorum notitiam Principum prolata, ipsi eam sibi usurparent, Romani Pontificis Authoritate contempta.* Contra, qui missi fuerant ab *Anselmo* Archipræsule, contestabantur Papam nihil cuilibet verbis mandasse, quod Literis aliquatenus adversaretur; Quibus reponebant Episcopi, sa clam illis alia egisse, palam alia. Inde orta inter Proceres dissensio. Quidam enim Scriptis sigillo Summi Pontificis munitis, & Monachorum relationi credendum esse propugnabant : Alii vero trium Episcoporum assertionibus, quam vervecum pellibus atramento denigratis, & plumbi massula oneratis, potius credendum esse, *abjecto Monachellorum testimonio, qui, ubi sæculo se abrenuntiare professi sunt, omne* (inquiebant) *sæcularis negotii testimonium perdiderunt.* Balduinus Monachorum primarius respondit, negotium istud sæculare non esse. Præterea Literarum Apostolicarum testimonio ipsos convinci. Reposuere fraudulenti Præsules : *Testimonium Monachorum contra Episcopos non recipimus, & ovina pellis reciperemus?* Væ, væ (dixerunt Viri Religiosi) *non ne & Evangelia pellibus ovium inscribuntur?* Tam pertinax contentio magnas in angustias *Anselmum* conjecit. Grave namque videbatur Literis Apostolicis derogare fidem : Gravis aliunde scandali fomes, Antistitum relationem, in Episcopali veritate illam esse veram contestantium, adversa fronte refellere. Literarum porro e *Paschali II.* ad *Anselmum* scriptarum verba hæc erant : *Adversus illam venenosam simoniacæ pravitatis radicem, Ecclesiarum videlicet Investituram, quam valide, quam robuste, quam severe Patres nostri præteritis temporibus desævierint, Sapientiæ tuæ satis est manifestum. Reverendæ in Christo memoriæ Prædecessoris nostri Domini Urbani tempore apud Barum collecto venerabili Episcoporum & Abbatum ex diversis partibus Concilio, in quo tua Religio & Nos ipsi interfuimus, sicut qui nobiscum adesant reminiscuntur, in eamdem pestem excommunicationis est prolata Sententia. Et nos eumdem cum Patribus nostris Spiritum habentes, idem sapimus, & eadem testamur.* Hæc Epistola data est Beneventi II. Idus Decembris 1102.

Adulatores Episcopi Ecclesiæ libertatem nefarie produnt.

Rex Apostolicarum literarum nulla prorsus habita ratione, faventibus, & incitantibus ejus Majestatem Episcopis, regnique Proceribus *Anselmum* Archipræsulem urgebat, ut absque ulla cunctatione *sibi Hominium faceret, & eos quibus se daturum protinus Episcopatus dicebat, consecraturum sponderet, servata ei omnibus Antecessorum consuetudine.* Respondit *Anselmus*, in hac Episcoporum & Literarum Apostolicarum varietate ac dissensione satius esse Romanum Pontificem consulere, quam in re tam ambigua præcipi-

cipiare sententiam. Tum qui Romam a Rege missi fuerant Episcopi, relationem suam constantissime confirmarunt, ad omnia probanda se paratos contestati, appellato etiam Summi Pontificis testimonio: *Anselmus* litem hoc in Conventu minime finiendam diutius impræsentiarum contastari nolans, ad Procerum sententiam inclinatus est, atque in eorom gratiam spopondit, si Rex interim Investituras Ecclesiarum daret, se licet nec approbante, nec concedente, se nec danti, nae accipienti, communionem subtracturum suam, donec reversis nunciis Romam destinandis, de Summi Pontificis voluntata certior factus esset. Se tamen sic Investitorum consecraturum neminem, aut consecrandi licentiam aliis concessurum. Sic utrimque sopita ad tempus controversia, Rex per dationem virgæ Pastoralis duos a Clericis suis duobus Episcopatibus investivit. Ita refert *Eadmerus* lib. 3. *Historia Novorum*.

S. Anselmi invicta constantia.

Anno millesimo centesimo secundo, media pene Quadragesima, *Henricus* Rex *Anselmi* Archipræsulis iterum tentavit constantiam, minisque frangere conatus ast. Respondit ille nuncios, quos ad Sedem Apostolicam miserat, reversos esse, literasque a Romano Pontifice retulissa, quas inspici oporteret, si forte Regis voluntati faverent, aut *Anselmum* ipsum illi condescendere sinerent. Se ambages hujusmodi ultra non laturum *Henricus* reposuit, finalem se velle sententiam: *Quid mihi*, inquit, *de meis cum Papa? Qua Antecessores mei in hoc Regno possederunt, mea sunt. Hac si quis auferre mihi voluerit, quod inimicus meus sit, omnis qui me diligit, certissime noverit*. Ad quæ intrepidus Anselmus: *Nihil*, inquit, *eorum quæ ipsius esse scio, ipsi tollo, aut tollero volo. Verumtamen noverit, quod nec pro redemptione capitis mei consentiam ei de iis quæ præsens audivi in Romano Concilio prohiberi, nisi ab eadem Sede Interdictorum absolutionis Sententia prodeat, qua constitutionis ipsorum vinculum prodiit*. Regis obstinatio, *Anselmi* constantia, illius impetus, istius fervor Ecclesiæ, ipsique *Anselmo* graviora mala portendebant. Proceres eorum præsensione illachrymari, Ecclesiæ precibus ad Christum fusis ea deprecari. Interim Rex minis ae imperio in preces conversis, *Anselmum* urgere ut ipse Romam pergat & quod alii neqnivere, a Summo Pontifice impetrare satagat, *Ne ipse perdendo suorum Jura Antecessorum, sit vilior fiat*. Inducias ad Pascha usque postulat Sanctus Archipræsul, ut audito Episcoporum Regnique Primatum consilio conveniens det responsum.

S. Anselmus Romam cum Regis Oratore proficiscitur.

Celebrato Paschata ad Aulam redit *Anselmus*, Procerom Sententiam de præsenti negotio rogat. Ipsi persuadent ut procurandæ causa pacis Romam se conferat eum Regis Oratore, ipsique preces Principis, & Regni negotia coram Summo Pontifica exponenti, testimonio suo, si vera dixerit, suffragetur. Annuit Sanctus Archipræsul, & profectionem maturat. Causa festinandi hæc fuit. Literas a *Paschali II.* recens acceperat, quarum lectionem Rex, nec per se, nec per ministros audire voluit. Metuebat *Anselmus* ne Pontificis Responsa Episcoporum assertionibus contraria essent; & ne aliquos Abbates a Rege investitos, & Episcopos qui ipsos inauguraverant, excommunicasset, a quorum communione si subtrahere se teneretur, magis inflammaretur præsens dissidium, graviusque scandalum oriretur. Pontificias quippe literas nondum inspexerat, cavens ne si forta Rex mutato consilio, eas inspiciendas requireret, sigilloque exclusas reperiret, aliquid haberet quod earum authoritati non injuria objicere posset. Has ob causas profectionem acceleravit prudentissimus Archipræsul, & ab Anglia solvie V. Kalendas Maji, anno 1103.

Literas porro *Paschalis* Papæ non ante reseravit, quam Beccum pervenisset. His Episcopos a Rege anno superiori ad Sedem Apostolicam missos, mendacii & fraudis palam arguebat, damnabatque, longe se abfuisse asserens ab Investituris ejus Majestati quoquo modo permittendis, quæ illicitæ prorsus essent, ac merito damnatæ. Episcopos vero mendaces, & Ecclesiasticæ libertatis, Regiæque salutis proditores excommunicabat, donec Ecclesiæ Romanæ, cui affinxerant, satisfacerent. Eos tandem qui intra memoratas inducias Investituram a Rege, & secundum ejus mandata, consecrationem ab Episcopis acceperant una cum Consecratoribus, a communione summovebat. Harum Literarum, quas *Eadmerus* lib. III. *Historia Novorum* exhibet, referre verba operæ pretium existimo.

Paschalis II. excommunicat Episcopos qui ejus Sanctitati falsum Responsum affinxerant, nec non eos qui Investituram a Rege interim acceperant, & eorum Ordinatores.

„ Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, Anselmo Cantuariensi, venerabili Fratri & Coepiscopo, salutem & benedictionem. Suavissimas Dilectionis tuæ suscepimus Literas, caritatis calamo scriptas. Neque enim aliud chartæ calamus indidit, quam quod de fonte caritatis intinxit. In his reverentiam devotionis tuæ quæ complectimur, & perpendentes fidei tuæ robur, & piæ sollicitudinis instantiam, exultamus, quia gratia Dei tibi præstante auxilium, te nec minæ concutiunt, nec promissa sustollunt. Dolemus autem, quia cum Fratres nostros Episcopos Legatos Regis Anglorum benigne suscepissemus, quæ nec diximus eis, nec cogitavimus, redeuntes ad propria, retulerunt. Audivimus enim eos dixissa, quod si Rex in aliis bene ageret, Nos Investituras Ecclesiarum nec prohibere, nec factas excommunicare, & quod ideo nolebamus chartæ committere ne sub hac occasione & exteri Principes in nos inclamarent. Unde Jesum, qui renes & corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus, si ex quo hujus Sanctæ Sedis curam cœpimus gerere, hoc immane scelus vel descendit in mentem. Et hoc Deus avertat a nobis ut est, & non surrependo inficiat nos, ut aliud habeamus ore promptum, aliud corde reconditum; cum contra mendaces Prophetas imprecetur, dicens, *Disperdat Dominus universa labia dolosa*. „ Si vero nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis, & impietatis radice pollui, qua tatione possemus apud internum Judicem excusari, cum Dominus sub specie Sacerdotum dicat Prophetæ: *Speculatorem te dedi domus Israel?* „ Non bene custodit urbem, qui in specola positus, dum non obsistat, eam hostibus diripiendam exponit. Si ergo virgam Pastoralitatis signum, si Annulum signaculum fidei tradit Laica manus, quid in Ecclesia Pontifices agunt? Ecclesiæ honor atteritur, solvitur Disciplinæ vigor, & omnis Religio Christiana conculcatur; si quod novimus Sacerdotibus solis deberi, Laica patiamur temeritate præsumi. Non est Laicorum Ecclesiam tradere, nec filiorum matrem adulterio maculare. Jure ergo privandus est patrimonio, qui matrem polluit adulterio, nec meretur Ecclesiasticæ benedictionis consortium, qui eam impia infestatione insequitur. Laicorum enim est Ecclesiam tueri, non tradere. Ozias quidem cum illicitum sibi Sacerdotium vendicaret, lepra percussus est. Filii quoque Aaron, quia alienum ignem imposuerunt, igne divino consumpti sunt. Alienum est ab Ecclesia, & a sacris Canonibus est inhibitum, ne Principes & sæculares viri Investituras non solom non dare, sed nec electioni Episcoporum se audeant violenter inserere. In Septima quippe Synodo, ut nostis, scriptum est: *Sancta & universalis Synodus definiunt, Neminem Laicorum Principum, Potentumve semet inserere Electioni Episcoporum, vel Promotioni eorum*. „ Si ergo filii Aaron, quia ignem alienum intulerunt, corporaliter puniti sunt; isti qui a Laicis, a quibus alienum est, Ecclesiam susceperunt, spirituali gladio feriuntur. Episcopos autem, qui veritatem in mendacio invocarunt, ipsa veritate, quæ Deus est, in medium introducta, a Beati Petri gratia, & a nostra societate excludimus, donec Romanæ Ecclesiæ satisfaciant, & reatus sui pondus agnoscant. Quicumque vero intra prædictas inducias Investituram seu Consecrationem acceperunt, a consortio Fratrum & Ordinatores & Ordinatos alienos habemus: nec eis ad excusationem deceptio sufficit, quia & Propheta ab alio Propheta deceptus, nec ideo mortem evasit.

Romam ubi pervenit *Anselmus*, a *Paschali II.* perhonorifice ac peramanter susceptus est. Causæ, propter quam advenerat, discutiendæ ac finiendæ dies constituta, In Sacrum Consistorium intromissus Archipræsul Sanctissimus. Adfuit una *Willelmus* Exoniensis Episcopus electus, homo facundus & vehe-

mens

Henrici Anglorum Regis Orator a Paschali II. auditur.

mens, a Rege missus *Henrico*, ut Paternas Consuetudines & usus ipsi confirmari Authoritate Apostolica obtineret. *Exponit statum Regni, Regiamque in Romanos munificentiam, unde ampliori quadam & digniori præ cæteris sublimitate ex Apostolica largitione Reges Anglorum probat antiquitus usos, eaque re non solum molestum & indecens fore huic suorum Antecessorum Jura perdere; verum etiam magno Romanis hoc ipsum damno futurum si contingeret & dum forte locum recuperandi inventuri non essent, ab eis sero lugendum.* Vehemens hominis oratio plerosque Romani Cleri Proceres ad favendum Anglorum Regi moverat. Silebat *Anselmus*, Summus Pontifex attentas utrique parti aures præbens, momenta causæ tacitus expendebat, ut jus matura deliberatione diceret. Cujus ex silentio & Romanorum favore, certum omen victoriæ sumens *Willelmus*, has in voces impetu erupit: *Quidquid hinc inde dicatur, volo norint quicumque assistunt, Dominum meum Regem Anglorum nec pro amissione Regni sui passurum se perdere Investituras Ecclesiarum.* Territum his minis Pontificem Investituras Domino suo concessurum sperabat. Sed terreri nescius *Paschalis*, contentiori voce respondit: *Si quemadmodum dicis, Rex tuus nec pro Regni amissione patietur Ecclesiarum donationes amittere; scias, ecce coram Deo dico, quia nec pro redemptione sui capitis eas illi aliquando Paschalis Papa impune permittet habere.* Summo applausu exceptum Pontificis Responsum est, omnibusque hæc insedit Sententia, ut & Regi responderetur, quod illum ad bene agendum paulatim demulceret, & aliorum offensam Principum exinde Romæ non incurreret. *Itaque*, inquit Eadmerus, *Romanorum consilio Papa nonnullos paternos usos, interdictis omnino Ecclesiarum investituris, Regi concessit, eumque ab excommunicatione quam Antecessorem suum fecisse diximus, immunem ad tempus constituit, eis dumtaxat, qui a manu ipsius Investituras susceperant, vel deinceps susciperent, usque ad dignam tanti reatus satisfactionem, pro servanda Ecclesiasticæ Disciplinæ rigoris, sub excommunicationis catena retentis. Satisfactionem sane Investitorum censuræ ac dispositioni Anselmi Papa delegavit.* Causa hoc pacto composito Anselmus Apostolica Benedictione, & Primatus Cantuariensis confirmatione donatus, Roma discessit. Paululum post ipsum moratus est *Willelmus*, simulata voti religione, quo se ad *S. Nicolai* corpus Bari venerandum obstrinxisset: revera autem ut absente *Anselmo*, Summum Pontificem ad aliquid de Sententia remittendum adduceret. Sed spes eum frustrata est, nec aliud retulit quam suasorias Literas Regi deferendas, ne nihil egisse videretur. His Literis, ubi Regi sospitatem, victorias, ac filium ex Regina conjuge recens susceptum gratulatus est Pontifex, his eum verbis peramanter urget, ut Investituras dimittat:

Paschalis Secundus in negandis Anglorum Regi Investituris firmum propositum.

„ Opportunum rati sumus nunc tibi præcepta & voluntatem Dei validius inculcare, cum amplioribus beneficiis Deo te plurimum perspicis debitorem. Nos quoque divinis beneficiis benignitatem nostram penes te sociare optamus, sed grave nobis est, quia id a nobis videris expetere, quod præstare omnino non possumus. Si enim aut consentiamus, aut patiamur Investituras a tua Excellentia fieri, & nostrum proculdubio, & tuum erit immane periculum. Qua in re contemplari te volumus, quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil amplius obedientiæ, nihil liberalitatis per Ecclesias nanciscimur. Nec tibi debitæ Potestatis aut Juris subtrahere quidquam nitimur, nisi ut erga te Dei indignatio minuatur, & sic tibi prospera cuncta contingant. Ait enim Dominus: *Honorificantes me honorificabo. Qui me autem contemnunt, erunt ignobiles.* „ Dices, Mei hoc Juris est. Non utique, non est Imperatorium, non est Regium, sed Divinum. Solius illius est qui dixit: *Ego sum ostium.* Unde pro ipso, rogo te, cujus hoc munus est, ut ipsi hoc reddas. Ipsi dimittas, cujus amori etiam quæ tua sunt debes. Nos autem cur tuæ obniteremus voluntati, cur absisteremus gratiæ, nisi Dei in hujus negotii consensu sciremus voluntati obviare, gratiam amittere? Cur tibi quidquam negarem quod cuiquam esset mortalium concedendum, cum beneficia de te ampliora sumpserimus? Perspice, Fili Carissime, utrum decus an dedecus tibi sit, quod Sapientissimus ac Religiosissimus Anglicanorum Episcoporum Anselmus Cantuariensis Episcopus propter hoc tuo lateri adhærere tuo veretur in Regno consistere ... Redi ergo, Fili Carissime, ad cor tuum, propter misericordiam Dei, & propter amorem Unigeniti deprecamur, revoca Pastorem tuum, revoca Patrem tuum. Et si quid adversus te gravius gesserit, siquidem Investituras aversatus fueris, nos juxta voluntatem, quantum cum Deo possumus, moderabimur „. Datæ sunt hæ Literæ Romæ IX. Kal. Decembris 1103.

Dissidium inter Angliæ Regem & S. Anselmum illi adversus Sedis Ap. Decreta parere renuentem, recrudescit.

Cum Lugdunum pervenisset *S. Anselmus*, ipsi a *Willelmo de Warlewast* Regis *Henrici* Oratore, Majestatis ejus nomine prohibitum est ne in Angliam rediret, nisi Hominium ipsi præstare, & Episcopatus vel Abbatias de manu ejus accipientibus communicare, eosque consecrare vellet. Cui hac in re cum morem gerere se non posse contestaretur, Lugduni substitit. Rex auditis a *Willelmo* quæ Romæ gesta erant, *omnes redditus Archiepiscopatus Cantuariensis in suos usus redigi præcepit*. Anno integro & quatuor mensibus Lugduni moratus est exul *S. Anselmus* apud *Hugonem* illius civitatis Archiepiscopum sibi imprimis amicum. Absente Archipræsule sanctissimo, fœdam cernere erat in Anglia Christianæ Disciplinæ prolapsionem. Curiales, quibus nec electio Canonica, nec justitia suffragabatur, ad sacras Dignitates promoveri, Ecclesias in servitutem redigi, opprimi pauperes, gemere viduas, rapi virgines, impune nubere Sacerdotes. Tot malorum inundatio pios quosdam impulit, ut Regem adirent, ipsumque rogarent ut sanctum Archipræsulem revocaret. Optatissimum esse sibi ejus reditum significavit Henricus, *sic tamen ut Paternarum Consuetudinum nihil sibi ab eo ulterius derogari, ulla ratione pateretur*. Interim novos Legatos Romam direxit, qui *Paschalem II.* ad hoc deducere niterentur, ut *Anselmum* in Angliam redire, & Regiæ voluntati morem gerere juberet. At illi infecto negotio rediere.

Paschalis Secundus Regis Consiliarios, qui ad retinendas Investituras ipsum impellebant, & Episcopos ab eo Investitos a Communione removet ex Romanæ Synodi Sententia.

Anno 1105. quem duobus characteribus designat *Eadmerus*, quod nempe secundus annus esset adventus *S. Anselmi* Roma Lugdunum, & quod Galo Parisiensis Episcopus Roma redierit, *Paschalis II.* Concilium Romæ celebravit, in quo excommunicavit Comitem de Mellento, & alios Regis Angliæ Consiliarios, qui ipsum ad retinendas investituras impellebant, necnon eos qui ab ejus Majestate fuerant investiti. Id discimus ex Epistola Pontificis ad *S. Anselmum*, quam refert *Eadmerus* lib. 4. Historiæ Novorum. *In Concilio*, inquit, *nuper habito, ex communi Fratrum & Coepiscoporum sententia deliberatum est, & Regis Consiliarios, qui ad Investituræ flagitium illum impellunt, & eos qui ab eo investiti sunt ab Ecclesiæ liminibus repellendos, quia de libera facere conantur ancillam. Quam nimirum Sententiam Nos Sancti Spiritus Judicio in Comitem de Mellento & ejus complices promulgavimus: & eamdem ipsam in eos qui sunt investiti a Rege, ejusdem Sancti Spiritus Judicio confirmamus. Regis vero Sententia ea ex causa dilata est, quia suos ad Nos Nuncios in præterito Pascha tempore debuit destinare.*

S. Anselmus videns se frustra Romani Pontificis opem Lugduni præstolari, nec aliud præter consolatorias Literas Roma interdum recipere, frustra quoque ter ad Regem scripsisse pro rerum suarum recuperatione, ipsum Censuris Ecclesiasticis ad justitiam compellere decrevit. Sed eum Comitissa Blesensis *Willelmi I.* filia, religiosissima fœmina precata est ut fulmen terribile suspenderet; seque pacis conciliatricem inter ipsum & Regem interposuit. Colloquium inter eos habitum est in Normannia, in Castro cui nomen *Aquila*. Rex sanctum Archipræsulem maxima cum amicitiæ significatione suscepit, Ecclesiæ redditus in fiscum redactos ipsi restituit, liberamque bonorum omnium ipsi permisit fruitionem: annuit etiam ut in Angliam rediret, modo tamen nulli eorum qui a se Investituras Ecclesiarum susceperant, vel eos consecrarant, communionem suam subtraheret. Quam conditionem, utpote Sedis Apostolicæ Decretis contra-

trariam, accipere noluit *Anselmus*; & in Francia manere maluit, donec legati Romam ex condicto mittendi, reversi fuissent. Rex se negotium maturaturum spopondit, effecturumque ut in proxima Christi Nativitate in Angliam redux esset. Pace cum *Anselmo* inita, sibi gratulabatur: *Jam enim*, inquit Eadmerus *multis eu locis per Angliam, Franciam, atque Germaniam fama vulgaverat ipsum ab Anselmo proxime excommunicandum, & idcirco ei, utpote Potestati adeo non amatu, multa mala struebantur, quæ illi a tanto Viro excommunicato efficacius inferenda putabantur. Quod ille sciens, versam a se Viri Sententiam magnifice lætabatur*. Hæc gesta sunt anno tertio postquam *S. Anselmus* Anglia excesserat, adeoque 1105. undecimo Kalendas Augusti.

Oratorem Romam mittere distulit Rex *Henricus* aliis distentus negotiis, & post aliquot menses data ad *S. Anselmum* Remis agentem Epistola, moras excusavit, rogans ut eum *Willelmo de Warlevast* Oratore suo *Balduinum de Toranio* Romam dirigeret ad communem causam tractandam & finiendam. Ægerrime tulit *Anselmus* rem ita protrahi, nullumque a Rege definitum constitui tempus, infra quod Oratorem mitteret; quæ dilatio Anglicanæ Ecclesiæ detrimentum gravissimum inferebat. Operæ itaque pretium duxit literis ejus Majestatem urgere, quas refert *Eadmerus* lib. 4. *Historia Novorum*, in quibus hæc inter alia: *Quod suppliciter me rogatis ut non mihi displiceat, quod Legatus vester Romam mittendus tantum moratur: utique vestram precem, quantum in me est, contemnere non debeo; sed causa magis Dei est, quam mea; unde corde fideli & benigno animo vobis dico, quod tacere non debeo. Mihi quidem aliquid displicere nisi cum propter Deum displicet, non est magnum; sed displicere Deo aliquid, nullatenus est contemnendam. Utique non parum displicet Deo Episcopum spoliari rebus suis, quod jam gratia Dei vobis inspirante correxistis; sed Episcopum segregari a suo Officio, & Ecclesiam a suo Episcopo, sine causa quam Deus approbet, minus grave judicatis. Expedit itaque animæ vestræ ut satagatis, ut ego qualiscumque sim Episcopus Ecclesiæ, quam Deus Regiæ vestræ Potestati custodiendam commendavit, & Regno vestro in pace vestra celerius restituat, & mihi opportunitas utendi secundum possibilitatem meam Officio, pro quo ibi positus sum, diutius non impediatur. Valde quoque mihi timendum est, ne Deo displiceat, & me Dominus Papa juste reprehendat, quia postquam vos & ego simul convenimus apud castrum quod vocatur Aquila, in tam longo tempore non misi illi Legatum nostrum, per quem quid de tanta re inter nos factum, & quid agendum esset, cognosceret, & ego ejus consilium & jussionem acciperem. Quopropter periculosum est mihi diu expectare vestrum Legatum, quem ante proximam Nativitatem Domini, sicut in verbis vestris intellexi, Romam rediturum speravi, præsertim cum nescio qua consilio, quave ratione nullum terminum modo mihi constituitis. Quoniam igitur plus mihi debet esse quod ego Ecclesiæ mihi commissæ præsens esse nequeo, quam de ulla terrena possessione; precor ut mihi aliquem proximum terminum nominetis per Literas vestras quando possim Legatum vestrum Romam iturum expectare: quia ego non possum differre ultra proximam Nativitatem Domini quin meum Legatum mittam*.

Paschalis Secundus negotium Investiturarum pro Ecclesiæ Anglicana bono pacis componit.

Auditis Romæ Regis *Henrici* & *Anselmi* Archiepiscopi Legatis, *Paschalis* Pontifex negotium Investiturarum, quod Anglicanam diu turbarat Ecclesiam composuit, *Urbani* Decessoris sui Sententiam temperando, & *Anselmo* permittendo, ut eos qui a Rege Investituras acceperant, aut Investitos consecrarant, aut Hominia fecerant, in communionem, præmissa satisfactione susciperet, ac nondum consecratos, nisi aliud obesset impedimentum, inauguraret. Regi vero ut Hominia fierent secundum Regni consuetudinem, permisit, modo solemnem Investituram per Annulum & Baculum dimitteret. Ista discimus ex Literis *Paschalis II.* ad *S. Anselmum* scriptis, quibus & Regia obedientiam ipsi gratulatur, & quomodo causam communem finient Regiæ voluntati nonnihil condescendendo, certiorem ipsum facit. *Quod autem*, inquit, *& Regi, & iis qui obnoxii videntur adeo condescendimus, eo affectu & compassione factum noveris, ut eos, qui jacebant, erigere valeamus. Qui enim stans jacenti ad sublevandum manum porrigit, numquam jacentem eriget, nisi & ipse curvetur. Cæterum quamvis casui propinquare inclinatio videatur, statum tamen rectitudinis non amittit. Te autem, Frater in Christo venerabilis & carissime, ab illa prohibitione, sive ut tu credis, excommunicatione absolvimus, quam ab Antecessore nostro sanctæ memoriæ Urbano Papa adversus Investituras aut Hominia factam intelligis. Tu vero eos qui Investituras acceperunt, aut investitos benedixerunt, aut Hominia fecerunt, cum ea satisfactione, quæ tibi per communes Legatos, Willelmum & Balduinum, viros Fideles ac veridicos significamus, Domino cooperante, suscipito, & eos vice nostræ authoritatis absolvito, quos vel ipse benedicas, vel a quibus volueris, benedici præcipias, nisi aliud in eis forte repereris, propter quod a sacris honoribus sint repellendi.... .. Si qui vero deinceps, præter Investituras, Ecclesiarum Prælationes assumpserint, etiamsi Regi Hominia fecerint, nequaquam ob hoc a benedictionis munere arceantur, donec per omnipotentis Domini gratiam ad hoc omittendum cor Regium tuæ prædicationis imbribus molliatur. Præterea super Episcopis, qui falsum, ut nosti, a nobis rumorem retulerunt; cor nostrum vehementius aggravatur, quia non solum nos læserunt, sed multorum simplicium animas deceperunt, & Regem adversus caritatem Sedis Apostolicæ impulerunt. Unde & inultum eorum flagitium, Domino cooperante, non patimur. Verumtamen quia Filii nostri Regis instantia pro eis nos pulsat attentius, etiam ipsis communionis tuæ participium non negabis, donec veniendi ad nos præceptum accipiant*.

Sacri Regiminis Regula, Caritas & prudentia remittere aliquid de Canonica severitate interdum suadent.

Rex Henricus cum S. Anselmo concordiam init, & Paschalis Secundi Decretis morem gerit.

Anno 1106. in Festo assumptionis *B. Mariæ*, Rex *Henricus* Beccum se contulit, ibique cum *S. Anselmo* collocutus, *Ecclesias Angliæ, quas Willelmus Rex* Frater suus *sub censum primus redegerat, liberas ab eadem exactione in manus Anselmi reddidit. Et se de ipsis, dum viveret, nihil accepturum, quandiu essent sine Pastore, promisit*. Omnes præterea redditus Archiepiscopatus, exulante *Anselmo* perceptos, se restituturum, ut primum in Angliam redux esset, dato vadimonio pollicitus est. De aliis denique capitibus Ecclesiæ jura ac libertatem spectantibus inter ipsos convenit, *Eadmero* teste: Moxque in Angliam *S. Anselmus* reversus est.

Anno 1107. Kalendis Augusti, *Conventus Episcoporum, Abbatum, Procerum Regni Londonia in Palatium Regis factus est. Et per tres continuos dies absente Anselmo, inter Regem & Episcopos satis actum de Ecclesiarum Investituris, quibusdam ad hoc nitentibus ut Rex eas faceret more Patris ac Fratris sui, non juxta præceptum & obedientiam Apostolici. Nam Papa in Sententia quæ exinde promulgata fuerat firmus stans, concesserat Hominia quæ Urbanus Papa æque ut Investituras interdixerat, ac per hoc Regem sibi de Investituris consentaneum fecerat. Dehinc præsente Anselmo, astante multitudine, annuit Rex & statuit, ut ab eo tempore in reliquum numquam per dationem Baculi Pastoralis, vel Annuli, quisquam Episcopatu vel Abbatia per Regem vel quamlibet Laicam manum investiretur in Anglia; concedente quoque Anselmo ut nullus in Prælationem electus pro Hominio quod Regi faceret, Consecratione suscepti honoris privaretur. Quibus ita dispositis, pene omnibus Ecclesiis Angliæ, quæ suis erant Pastoribus diu viduata, per consilium Anselmi ac Procerum Regni sine omni Virga Pastoralis aut annuli Investitura, Patres a Rege sunt investiti*. Verba sunt *Eadmeri*, lib. 4. *Historia Novorum*.

Post aliquot menses, Rex *Henricus* Angliæ sollicite percontabatur, quomodo *Paschalis* Papa erga Germaniæ Regem Henricum X. se gereret in causa Investiturarum; & æmulatione ductus, ægre ferebat, quod investituras impune concedere sineretur. Pontificem accusabat acceptionis personarum, seque resumpturum, quas dimiserat, minabatur. Qua de re *Paschalem* certiorem fecit *S. Anselmus* datis ad ipsum Literis: *Rex Angliæ conqueritur*, inquit, *quod sustinetis Regem Teutonicum dare Investituras Ecclesiarum sine excommunicatione, & ideo minatur sine dubio se resumpturum suas Investituras; quoniam ille suas tenet in pace. Videat igitur Prudentia vestra sine dilatione*

tione

tione quid inde agere debeatis, ne quod tam bene ædificastis, irrecuperabiliter destruatur. Rex enim noster diligenter inquirit, quod de illo Rege facitis. Respondit Pontifex datis ad Anselmum Literis: *Quod significasti, scandalizari quosdam quod Regem Teutonicum dare Investituras Ecclesiarum toleramus; nec tolerasse nos aliquando, nec toleraturos scias. Expectavimus quidem ut ferocia Gentis illius edomaretur. Rex vero si in paterna nequitiæ tramite perseveraverit, Beati Petri gladium, quem jam educere cœpimus, proculdubio experietur.* Has Epistolas exhibet *Eadmerus*, lib. 4. *Historiæ Novorum*; quo ab Authore S. *Anselmi* discipulo & comite individuo totam rerum hac in causa Investiturarum in Anglia gestarum seriem accepimus. Legi possunt & *Willelmus Malmesburiensis*, lib. 1. De Gestis Pontificum Anglorum, in Archiepiscopis Dorobernensibus, & *Rogerius de Hoveden* Parte I. Annalium, in *Henrico I.* Quod enim singulare nihil babeant, sed quidquid ea de causa scripsere, ex *Eadmero* hauserint, ideo ab illorum verbis referendis abstinui.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 521. Edit. primæ, Religiosi Censores hæc verba notant: *Pertinax Romani Pontificis negatio.*

R. Verbum istud, *Pertinax*, non est meum, sed Episcoporum Angliæ, ab Henrico I. Rege Romam missorum ad Paschalem II. in causa Investiturarum. *Pontificem obtestati sunt* (inquiam) *ut austeriorem Decessoris sui temperando sententiam Anglicanæ Ecclesiæ paci prospiceret, nec Regem erga Sedem Apostolicam bene affectum severitate nimia & pertinaci negatione Investiturarum offenderet, atque ad extrema compelleret. Respondit propositi tenax Pontifex*, &c. Paschalem II. ex me ipso verbisque meis loquens, non pertinacem, sed *tenacem propositi*, id est, constantem Pontificem voco, quo sensu ab omnibus qui Latine loqui sciunt, usurrantur hæ voces, ut patet ex illo Horatii: *Justum et tenacem propositi virum*, &c.

ARTICULUS VIII.

Paschalis secundi Investituras in Concilio Guastallensi damnavit.

ANno millesimo centesimo-sexto, 11. Kalendas Novembris *Paschalis secundus* Pontifex Maximus Guastallæ, quæ Villa est in Longobardia ad ripam Padi fluminis, Synodum cum diversarum Provinciarum Episcopis celebravit, præsentibus etiam *Henrici V.* Germaniæ Regis Legatis. Cujus Synodi *Domnizo* Presbyter in vita Magnæ Comitissæ *Mathildis*, & *Conradus* Urspergensis Abbas in Chronico, meminerunt. Ex *Cencii Camerarii* MS. Codice Vaticano edita est. In ea vero post sanctionem de Episcopis & Clericis in schismate ordinatis in suis Ordinibus suscipiendis, dispensatione ob Christianam pacem necessaria, celebre contra Investituras Decretum editum est his verbis conceptum: *Jamdiu a pravis hominibus, tam Clericis quam Laicis, Catholica est Ecclesia conculcata; unde plura temporibus nostris schismata & hæreses emerserunt. Nunc autem per Dei gratiam hujus nequitiæ deficientibus Authoribus, in ingenuam libertatem resurgit. Unde providendum ut horum schismatum causa penitus abscindantur. Patrum ergo nostrorum Constitutionibus consentientes, Ecclesiarum Investituras a Laicis fieri omni modo prohibemus. Si quis autem hujus Decreti temerator extiterit, tamquam maternæ injuriæ reus, Clericus quidem ab ejusdem Dignitatis consortio repellatur; Laicus vero ab Ecclesiæ liminibus arceatur.*

ARTICULUS IX.

Inter Paschalem II. & Henrici Germaniæ Regis Legatos Colloquium de Investituris Catalauni in Gallia habitum est. Deinde Concilium Trecis ab eodem Pontifice celebratum, in quo Investituræ iterum proscriptæ.

Catalaunum ad Matronam Chalons sur Marne, *in Campania urbs Episcop. sub Metropoli Remensi.*

DEcreverat *Paschalis secundus* in Germaniam post Synodum Guastallensem proficisci, ut Ecclesiæ statum componeret, sed ob insidias Germanorum, quibus suum contra Investituras Decretum odiosum prorsus fore monitus est, in Gallias ad *Philippum* & *Ludovicum* Reges se conferre satius duxit, quorum tuitionem contra *Henricum* Germaniæ Regem flagitaret. Ita refert Abbas Urspergensis in Chronico ad annum millesimum centesimum-septimum: *Suggerentibus quibusdam*, inquit, *quod non facile gens nostra Decretum illud recipiat, quod quamlibet, Investituram Ecclesiasticam Laicis a manibus vetat, necnon & animosum cor Regis adolescentis, quod nondum per omnia Dominico jugo sit habile: hæc, inquam, multaque id genus Vir Dei considerans, needum sibi ostium Germanicis in partibus apertum esse cum gemitu pronuntians, profectionem suam cum Hispaniarum Legatis per Burgundiam ad Gallias convertit, & Natalis Dominici gaudium sua præsentia Cluniacensibus multum ampliavit. Inde secedens, ab universis finium illorum Ecclesiis, ut vere Christi discipulus & Apostolorum Vicarius, ingenti honore suscipitur, digna reverentia tractatur, non aliter quam legifer de cœlo missus auditur.*

Paschalis II. in Gallias venit, consilium & auxilium contra Germaniæ Regem in negotio Investiturarum quæsiturus.

De adventu *Paschalis* Papæ in Gallias, deque rebus ibi gestis, ac de Colloquio Catalaunensi, testem oculatum audiamus *Sugerium* Sandionysianum tunc Monachum, ac deinde Abbatem, in Vita *Ludovici Grossi* Regis cap. 9. „ Venerandæ, *inquit*, memoriæ Universalis & Summus Pontifex *Paschalis* ad partes Occidentales cum multis & sapientissimis viris Episcopis & Cardinalibus, & Romanorum Nobilium comitatu venit ut Regem Francorum, & filium Regem designatum Ludovicum, & Ecclesiam Gallicanam consuleret super quibusdam molestiis, & novis Investituræ Ecclesiasticæ querelis, quibus eum & infestabat, & magis infestare minabatur Henricus Imperator, vir affectus paterni, & totius humanitatis expers, qui & genitorem Henricum crudelissime persecutus exheredavit: & ut ferebatur, nequissima captione tenens, inimicorum verberibus & injuriis ut Insignia Regalia, videlicet coronam, sceptrum, & lanceam sancti Mauritii redderet, nec aliquid in toto Regno proprium retineret, impiissime coegit. Equidem deliberatum est Romæ propter Romanorum conductitiam perfidiam, de præfatis, immo de omnibus quæstionibus, tutius Regis, & Regis filii, & Ecclesiæ Gallicanæ in Francia, quam in Urbe disceptare naufragio. Venit itaque Cluniacum, a Cluniaco ad Charitatem, ubi celeberrimo Archiepiscoporum, Episcoporum, & Monastici Ordinis Conventu eidem nobili Monasterio sacram Dedicationis imposuit. Adfuerunt & nobiliores Regni Proceres, inter quos & Dapifer Regis Franciæ nobilis Comes de Rupeforti Domino Papæ missus occurrit, ut ei tamquam Patri spirituali, per totum Regnum, ejus beneplacito deserviret. Cui Consecrationi & nos ipsi interfuimus, & contra Dominum Episcopum Parisiensem Galonem, multis querimoniis Ecclesiam B. Dionysii agitantem, in conspectu Domini Papæ viriliter stando, aperta ratione & Canonico Judicio satisfecimus. Cumque Turonis apud S. Martinum, ut mos est Romanus, Phrygium ferens, *Latera Jerusalem*, celebrasset, ad venerabilem B. Dionysii locum, tamquam ad propriam B. Petri Sedem, benevolus & devotus devenit. Qui gloriose & satis Episcopaliter receptus, hoc unum memorabile, & Romanis insolitum, posteris reliquit exemplum, quod nec aurum, nec argentum, nec pretiosas Monasterii margari-

tas

„ tas, quod multum timebatur, non tantum non affectabat, sed nec respicere dignabatur. Sanctorum Pignoribus humillime prostratus, lachrymas compunctionis offerebat, holocaustum seipsum Domino & Sanctis ejus toto animo inferebat, & ut de vestimentis Episcopalibus B. Dionysii sanguine madefactis ad patrocinandum aliqua ei daretur portiuncula, suppliciter exoravit: *Ne displiceat*, inquiens, *si de vestimentis ejus nobis vel parum reddideritis, qui eum vobis Apostolatu Galliæ insignitum absque munere destinavimus*. Occurrit itaque ei ibidem Rex Philippus, & Dominus Ludovicus filius ejus gratanter & votive, amore Dei Majestatem Regiam pedibus ejus incurvantes, quemadmodum consueverunt ad sepulchrum Piscatoris Petri Reges submisso diademate inclinari. Quos Dominus Papa manu erigens, tamquam devotissimos Apostolorum filios ante se redire fecit. Cum quibus de statu Ecclesiæ ut sapiens sapienter agens, familiariter contulit; eosque blande demulcens, B. Petro, sibique ejus Vicario supplicat opem ferre, Ecclesiam manu tenere, Tyrannis, & Ecclesiæ hostibus, & potissimum Henrico Imperatori audacter resistere. Qui amicitiæ, auxilii, & consilii dextras dederunt, Regnum exposuerunt, & qui cum eo Catalaunum Imperatoris Legatis occurrere festinent, Archiepiscopos, & Episcopos, & Abbatem S. Dionysii Adam, cum quo & nos fuimus, conjunxerunt. Ubi cum Dominus Papa aliquantisper demoraretur, ex condicto ipsi Imperatoris Henrici Legati non humiles, sed rigidi & contumaces, cum apud Sanctum Memmium * hospitia suscepissent; relicto inibi Cancellario Alberto, cujus oris & cordis unanimitate ipse Imperator agebat, cæteri ad Curiam multo agmine, multo fastu, summe phalerati devenerunt. Hi siquidem erant Archiepiscopus Treverensis, Episcopus Halberstatensis, Episcopus Monasteriensis, Comites quamplures, & cui gladius obique præferebatur Dux Welfo, vir corpulentus, & tota superficie longi & lati admirabilis & clamosus: qui tumultuantes magis ad terrendum, quam ad ratiocinandum missi viderentur. Singulariter & solus Treverensis Archiepiscopus, vir elegans & jucundus, eloquentiæ & sapientiæ copiosus, Gallicano cothurno exercitatus, tacite peroravit, Domino Papæ & Curiæ salutem & servitium ex parte Domini Imperatoris deferens, salvo jure Regni. Et prosequens de Mandatis: *Talis est*, inquit, *Domini nostri Imperatoris, pro qua mittimur, causa. Temporibus Antecessorum nostrorum Sanctorum & Apostolicorum virorum, Magni Gregorii & aliorum, hoc ad Jus Imperii pertinere dinoscitur, ut in omni Electione hic ordo servetur, antequam Electio in palam proferatur, ad aures Domini Imperatoris perferre, &, si personam deceat* *, *assensum ab eo ante factam electionem assumere: deinde in Conventu, secundum Canones, petitione populi, electione Cleri, assensu Honoratoris* * *proferre; consecratum liberte nec simoniace ad Dominum Imperatorem pro Regalibus, ut Annulo & Virga investiatur, redire, Fidelitatem & Hominium facere. Nec mirum, etiam Civitates & Castella, Marchias, Thelonea, & quæque Imperatoris Dignitatis, non aliter debere occupare. Si hæc Dominus Papa sustineat, prospere & bona pace Regnum & Ecclesiam ad honorem Dei inhærere*. Super his igitur Dominus Papa consulte Oratoris Episcopi Placentini voce respondit: *Ecclesiam pretioso Jesu Christi Sanguine redemptam & liberam constitutam, nullo modo iterato ancillari oportere. Si Ecclesia eo inconsulto, Prælatum eligere non possit, cassata Christi morte ei serviliter subjacere: si virga & annulo investiatur, cum ad Altaria ejusmodi pertineant, contra Deum ipsum usurpare: si sacratas Dominico Corpori & Sanguini manus Laicis manibus gladio sanguinolentis obligando supponant, Ordini suo & sacræ unctioni derogare*. „ Cumque hæc & his similia cervicosi audissent Legati, Teutonico impetu frendentes tumultuabant, & si tuto auderent, convitia eructarent, injurias inferrent. *Non hic*, inquiunt, *sed Romæ gladiis determinabitur querela*. Verum Papa quamplures viros approbatos & peritos ad Cancellarium misit, qui eum super his composito & placide convenirent, & audirentur & audirent, & ad pacem Regni eum operam dare obnixe exorarent. Hæc *Sugerius*, quæ gesta sunt anno millesimo centesimo-septimo.

Colloquium Catalaunense in causa Investiturarum.

* a S. Menge.

* Id est si persona grata sit Regi.

* *Forsan*, Honoratorum.

Subdit de Concilii Trecensis celebratione: *Quibus recedentibus, Dominus Papa Trecas venit, diu submonitum Universale Concilium honorifice celebravit; & cum amore Francorum, quia multum servierant, & timore & odio Teutonicorum, ad S. Petri Sedem prospere remeavit*. In eo Concilio *Paschalem II.* Decessorum suorum Decreta contra Investituras confirmasse testatur, Abbas Urspergensis. *Circa Ascensionem Domini*, inquit, *Concilium non modicum apud Trecas habuit, ubi inter multa, quæ pro tempore & necessitate corrigenda erant, correxit; Sententiam de libera Pastorum electione, & de coercenda Laicorum in Ecclesiasticas Dignitates, præsumptione, juxta Prædecessorum suorum Decreta promulgavit*. Addit *Henricum* Regem Legatos ad Summum Pontificem misisse, *per quos, tam ipsi, quam universæ Synodo potestatem constituendorum Episcoporum Privilegiis Apostolicis Carolo Imperatori concessam notificaret. Super qua quæstione, quia in alieno Regno quidquam diffiniri Henricus non patitur, inducias sibi totum sequentis anni spatium Romam veniendi, & eamdem causam generali Concilio ventilandi, concedunt*.

Trecense Concilium contra Investituras a Paschale Secundo celebratum.

ARTICULUS X.

Paschalis II. in Italiam redux Investituras iterum iterumque damnavit, in Synodis Beneventana, & Romana.

Concilium Beneventanum, a *Paschali II.* mense Octobri anni millesimi centesimi-octavi celebratum, *Petrus Diaconus* lib. 4. Chronici Cassinensis, cap. 35. commemorat: *In quo, Prædecessorum vestigia secutus, constituit; ut si quis Ecclesiastica Beneficia de manu Laicorum acciperet, uterque communione privaretur, & qui scilicet daret, & qui acciperet*.

Anno millesimo centesimo-decimo, alteram Synodum Romæ in Ecclesia Lateranensi ab eodem Pontifice III. Nonas Martii celebratam refert Chronicon *Sancti Petri Vivi* Senonensis eo, quod editum est, auctius; in qua istud contra Investituras Decretum editum est: „ Constitutiones sanctorum Canonum sequentes, statuimus, ut quicumque Clericorum ab hac hora Investituram Ecclesiæ, vel Ecclesiasticæ Dignitatis de manu Laici acceperit, & qui ei manum imposuerit, gradus sui periculo subjaceat, & communione privetur. Si quis ergo Principum, vel aliorum Laicorum, dispositionem seu donationem rerum sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut sacrilegus judicetur, Clerici vero seu Monachi, qui eas per illorum potestatem susceperint, excommunicationi subjaceant. Sunt præterea quidam, qui vel violentia, vel favore, non permittunt Ecclesias regulariter ordinari: Hos etiam decernimus ut sacrilegos judicandos. Qui vero Ecclesias eorum violentia, vel potestativo favore susceperint, excommunicationi subjiciantur. Germaniæ Rex Investituram per dationem Annuli & Baculi, dispositionem & donationem rerum Ecclesiasticarum vacante Sede; & authoritatem constituendi Episcopos absque Canonica Electione, vel inclinandi, quo vellet, Electorum suffragia, usurpabat. Quæ omnia *Paschalis II.* & Synodi Romanæ Decreto damnata sunt.

AR-

ARTICULUS XI.

Paschalis II. cum Henrico Germaniæ Rege Pactionem fecit, ut Episcopi Regalia ipsi dimitterent; ille vero Investituris renuntiaret. Pactum violavit Henricus, & Privilegium Investiturarum a Pontifice extorsit.

ANno millesimo centesimo-decimo, Rex *Henricus* numeroso coacto exercitu, in Italiam irrupit, *Antecessorum suorum Dignitates & Jura* (sic enim loquebatur) *simul & Imperii coronam*, a Romano Pontifice armata manu postulaturus. Nuntios Romam præmisit, *Paschalis II.* exploraturos animum. Pontifex, Ecclesiæ, Urbi, populoque Romano metuens a feroci Principe, *Petrum Leonis*, aliosque viros prudentes misit, cum ejus Oratoribus de pace tractaturos. De tanto negotio in Porticu *S. Petri* inter ipsos deliberatum. *Convenit ut Imperator die Coronationis suæ, omne male usurpatum Ecclesiasticum Jus, in manibus Pontificis, astante Clero & Populo, per scriptum deponeret*: Cum Papa idipsum faceret *de Regalibus*; idque Sacramento firmaret. *Dimitteret Ecclesias liberas cum oblationibus & possessionibus suis, quæ ad Regnum non pertinent. Absolveret Papa a Juramentis Populos, qui contra Episcopos facere compulsi sunt. Patrimonia Possessionesque B. Petri restitueret, sicuti a Carolo, Ludovico, Henrico, aliisque Imperatoribus concessa sunt libera, servaretque ea B. Petro pro Juribus.* Juravit etiam se nullas insidias structurum Pontifici, aut ejus Fidelibus, vel obsidibus. Quas conditiones ubi Rex implevisset; *Papa juberet Episcopis adstantibus in die Coronationis ejus, ut Regalia Imperatori dimitterent, quæ a temporibus Caroli, Ludovici, Henrici, aliorumque Prædecessorum, ad Regnum pertinebant: Scripto firmaret sub Anathematis pœna, ne quis eorum præsentium, vel absentium, vel successores eorum, Regni se intromitterent Juribus: neque invaderent Civitates, Ducatus, Comitatus, Monetas, vectigalia, mercata, &c. Imperatorem cum honore & benigne susciperet, & more Prædecessorum ipsius, Catholicorum Imperatorum coronaret, &c.* Ita refert *Petrus Diaconus* in Chronici Cassinensis Libro quarto, Cap. XXXVII. Legatur & *Dodechinus* Abbas in Appendice ad Chronicon *Mariani Scoti*.

Epist. XXII.

Hac facta Pactione *Paschalis II.* scripsit ad *Henricum* Regem his verbis: *Divinæ Legis institutionibus sancitum est, & Sacris Canonibus interdictum, ne Sacerdotes curis sæcularibus occupentur, neve ad Comitatum,* * *nisi pro damnatis eruendis, atque pro aliis qui injuriam patiuntur, accedant... In vestri autem Regni partibus, Episcopi vel Abbates adeo curis sæcularibus occupantur, ut Comitatum assidue frequentare, & militiam exercere cogantur... Ministri vero Altaris Ministri Curiæ facti sunt; quia civitates, Ducatus, Marchionatus, monetas, turres,* * *& cætera ad Regni servitium pertinentia, a Regibus acceperunt. Unde etiam mos Ecclesiæ inolevit, ut electi Episcopi nullo modo Consecrationem acciperent, nisi per manum Regiam investirentur. Aliquando etiam vivis Episcopis investiti sunt. His & aliis plurimis malis, quæ per Investituram plerumque contigerant, Prædecessores nostri Gregorius VII. & Urbanus II. felicis recordationis Pontifices excitati, collectis frequenter Episcopalibus Conciliis, Investituras illas manu laica damnaverunt, & si qui Clericorum per eam tenuissent Ecclesias, deponendos; datores quoque Communione privandos percensuerunt, juxta illud Apostolicorum Canonum Capitulum, quod ita se habet:* „ Si quis Episcopus sæculi Potestatibus usus, Ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur, & segregetur, omnesque qui illi communicant. *Tibi itaque, fili carissime Henrice Rex, & Regno Regalia illa dimittenda præcipimus, quæ ad Regnum manifeste pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & cæterorum Prædecessorum tuorum. Interdicimus etiam, & sub anathematis districtione prohibemus, ne qui Episcoporum seu Abbatum, præsentium vel futurorum, eadem Regalia invadant, id est, Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Telonium, Advocatias, Jura Centurionum, & Curtes* *quæ Regni erant, cum pertinentiis suis, Militiam & Castra: & ne se deinceps, nisi per gratiam Regis, de ipsis Regalibus intromittant.... Porro Ecclesias cum oblationibus, & hereditariis possessionibus, quæ ad Regnum manifeste non pertinebant, liberas manere decrevimus: sicut, in die Coronationis tuæ omnipotenti Domino in conspectu totius Ecclesiæ promisisti.* Illud *Paschalis II.* temperamentum amplecti visus est *Henricus* quod inter utriusque Legatos Pactione solemni & Juramento firmatum est, ut diximus, ea conditione ut ab Episcopis & Proceribus Germaniæ rata haberetur; quos nusquam præbituros assensum certo sciebat, nusquam accepturos conditionem de Regalibus dimittendis ut testatur *David* Scottigena Capellanus & Historiographus *Henrici V.* ab Abbate Urspergensi laudatus.

*Id est, ad Aulam.

* *Seu potius* Curtes, *ut habet* Chronicon Cassinense.

Anno 1111. Romam pervenit *Henricus*, ibique solemni ritu & magnifico apparatu exceptus est extra Urbem a populo, ad januam a Clero, ad superiores gradus Basilicæ *S. Petri*, ab ipso *Paschali* Papa, & Cardinalibus, ac Episcopis. Pontificem ut vidit *Henricus*, ad ejus pedes corruit, moxque surgere jussus, *in ore, fronte, oculis, ei pacis osculum dedit*, stratorisque implevit officium. Moxque *dexteram Pontificis tenens* magno cum populi gaudio ad Portam Argenteam perductus, ibi ex libro professionem Imperatoriam fecit, & a Pontifice Imperator designatus est, rursumque ipsum osculatus, cum Lavicanus Episcopus primam Orationem ex more super ejus Majestatem fudisset, in Arcem Porphyreticam pervenere, simulque consederunt. *Pontifex instaurari Ecclesiasticum Jus, & cætera quæ in Conventionis Charta scripta fuerant, petiit: paratus & ipse, quæ pollicitus fuerat, exequi.* Paululum secessit *Henricus* cum Episcopis & Proceribus suis de negotio tractaturus. Illi habita cum Imperatore deliberatione, Pontifici responderunt; *Conventionem* cujus executionem urgebat, *firmari juste legitimeque non posse.* Frustra ipsis reposuit Pontifex, *Cæsari quæ Cæsaris sunt esse reddenda*: & *Nemo militans Domino, implicat se negotiis sæcularibus*: & juxta B. Ambrosium, *A Sacerdotali Officio, qui talia gerat, alienum esse.* Nec ipsis umquam persuadere potuit ut Regalibus, aut *Henrico* ut Investituris, renuntiarent.

Paschalem, ausi his conditionibus inolitis, ipsum coronare abnuentem, cum Cardinalibus & Episcopis non paucis, captivum sub militari custodia detinuit *Henricus*, pluresque ex honoratioribus, & plebe, qui obviam ipsi processerant, spoliari, vinciri, cædi jussit. Quo factum est, ut Romani in furorem versi, Germanos, quotquot in Urbe occurrebant, ceciderint, ipso etiam *Henrico* vulnerato & fugato. Ista constant ex Chronico Cassinensi, lib. IV. cap. XXXIX. & XL. ex *Sugerio* Abbate in Vita *Ludovici Grossi* Regis, ex Epistola *Joannis* Tusculani Episcopi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicarii, dum captivus detineretur *Paschalis*, ad *Richardum* Episcopum Albanensem, & ex *Ottone Frisingensi* lib. VII. Chronicorum cap. XIV. Detentionis Pontificis & Cardinalium, author fuit *Albertus* natione Lotharingus, *Henrici* Cancellarius, Moguntiæ deinde Archiepiscopus, *tunc inter primos ejus præcordialis Consiliarius.* Quem tamen postea *in carcere positum diversis tormentis & incredibili famis inedia afflixit, ipsumque de amicissimo inimicissimum, ac Regni sui pestiferum hostem, divino Judicio, usque ad vitæ terminum sensit* (inquit *Otto Frisingensis.*) Crudelem pugnam Romanos inter ac Germanos commissam, eamque diem atram & cruentam utrisque fuisse Cassinense Chronicon memorat.

Immotus erat in calamitate Pontificis animus cui Jurium Ecclesiasticorum conservatio vita ipsa antiquior erat: quamvis *Henricus* Imperator *Non Ecclesiæ jura, non Officia qualibet, sed Regalia sola se dare assereret*, (inquit *Petrus Diaconus* lib. IV. Chronici Cassinensis, cap. XLII.) Verum inconcussam ad mala propria *Paschalis* mentem, aliorum captivorum vexatio, Urbis quam Henricus continuis incursionibus infestabat periculum, Schismatis denique scandalum quod Ecclesiæ imminebat universæ, ad annuendum *Henrici* votis inflexerunt. Sacramento ita-

itaque se obstrinxit *Paschalis* numquam se *Henricum* in Jure Investiturarum turbaturum, aut eum anathemate percussurum ob vim sibi suisque illatam. Deinde privilegium Investiturarum manu sua subscriptum, & annulo Pontificio obsignatum eidem *Henrico* concedere coactus est. Post hæc, ad Basilicam *S. Petri* perductus illum corona Imperii ornavit portis omnibus Romanæ Urbis, seditionis metu obseratis. Cumque ad Hostiæ confractionem in Missarum solemniis venisset, partem ipse sumens, reliquam Imperatori tradidit dicens: *Sicut pars ista Vivifici Corporis divisa est: ita divisus sit a Regno Christi & Domini, qui Pactum istud rumpere ac violare tentaverit*. Ita refert *Petrus Diaconus* Chronici Cassinensis lib. IV. cap. XLII. Privilegii porro quod a *Paschali II.* de retinendo Investiturarum Jure *Henricus* Imperator extorsit, hic tenor erat: *Illud igitur Dignitatis Privilegium quod Prædecessores nostri vestris Prædecessoribus Catholicis Imperatoribus concesserunt, nos quoque Dilectioni tuæ concedimus, & præsentis Privilegii pagina confirmamus: ut Regni tui Episcopis & Abbatibus, libere præter violentiam & simoniam electis, Investituram Virgæ & Annuli conferas. Post Investitionem vero, canonice Consecrationem accipiant ab Episcopo ad quem pertinuerit. Si quis autem a Clero vel populo, præter assensum tuum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur; exceptis nimirum illis, qui vel in Archiepiscoporum, vel in Romani Pontificis solent dispositione consistere. Sane Archiepiscopi vel Episcopi libertatem habeant a te investitos Episcopos vel Abbates canonice consecrandi. Prædecessores enim vestri Ecclesias Regni sui tantis Regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut Regnum ipsum maxime Episcoporum vel Abbatum præsidiis oporteat communiri, & populares dissensiones quæ in electis omnibus sæpe contingunt, Regali oporteat Majestate compesci, &c.* Integrum Privilegium legere est apud *Willelmum Malmesburiensem* lib. V. de Gestis Regum Anglorum. Illud autem, sicut & prævias conventiones utrimque factas, se descripsisse profitetur ex Commentariis *Davidis* Scottigenæ, Bancornensis Episcopi, quem tamen *in Regis gratiam, magis quam Historicum deceret, proclivem fuisse, nec Historiam, sed Panegyricum scripsisse*, monet. Unde Abbati Urspergensi in hujus dissidii Historia minus credere par est, quia *Davidi* illi nimis tribuit, eique facilius credidit, ut constat ex ipsius verbis: *Providerat autem Rex nulli a sæculo Regum secundus, sciens Romanam Rempublicam olim non tantum armis, quantum sapientia gubernari consuetam, se non solum armatis, sed etiam literatis viris necessario muniri, paratis scilicet ad rationem omni poscenti reddendam. Inter quos claruit quidam Scottigena nomine David, quem Scholas Wirciburg Regentem pro morum probitate Rex sibi Capellanum assumpsit. Hic itaque jussus a Rege totam hujus expeditionis seriem, verumque in illa gestorum, stylo tam facili, qui non nihil a communi loquela differat, tribus libris digessit: Igitur juxta præscripti testimonium Historiographi, &c.*

Memoratæ persecutionis ab *Henrico* Imperatore in *Paschalem Secundum* Ecclesiamque Romanam excitatæ historiam metro descripsit *Gotfridus Viterbiensis*, Conrado III. Friderico I. & Henrico VI. Imperatoribus a Secretis, Chronicorum Parte XVII. rationesque attexuit, quibus Ecclesia & Imperium Jura sua tuerentur. Historicorum hujusmodi Carminum lectionem haud injucundam fore cum existimem, illa subjicere velim, ne alibi quærere grававатur studiosus Lector.

Cum foret Henrico subjecta per omnia Roma,
Unctus Apostolicis manibus sumptaque corona,
Cepit Apostolicum, rumor in Urbe sonat.
Bella parat populus, succurrit ab Urbe Senatus,
Prævalet Henricus, pars Præsulis exspoliatur.
Papa tenet manu captus ab hoste suo.
Quæstio nunc oritur, cur carcere Papa tenetur?
Respondetur eis, quia sustulit omnia Præsul,
Abstulit Imperio Pontificale decus.
Nam bona Pontificum, quæ nititur ipse tenere,
Contulit Imperium, quæ debet Cæsar habere:
Amodo qui teneat, Cæsare dante ferat.
Annulus & Baculus de nostro munere venit,
Undique Pontifices Regum sunt munere pleni;
Cæsaris officium quomodo Papa gerit?
Retulit Ecclesia; si quærimus æqua fateri,
Annulus & Baculus numquam de Cæsare venit.
Nam Deus Ecclesiis cælitus ista dedit.
Omnia quæ Reges per tempora prisca dederunt,
Non modo sunt Regum, sed cui data jure fuerunt:
Nec Deus hoc patitur, nec tua Jura ferunt.
Cum tua sit Regni, tua sit custodia Juris,
Cæsaribus nostris mala das exempla futuris;
In Sanctum Domini dum feritate furis.
Conditor es Juris, qui spernere Jura videris.
Jam neque Jura Dei, neque Regia Jura vereris.
Ecclesiam crucias, qui cruciandus eris.
Dedecus est fontem Juris confundere Legem,
Et magis est timidum Cælorum spernere Regem:
cum Sacra Jura neges, tristia Regna reges.
Cur Laicus quærit tradi sibi munera cæli?
Ut Deus instituit, Electio consona Cleri
Judicio Cæli libera semper erit.
Tu tua si repetis, repetis quæ tu tribuisti:
Hæc cum non dederis, cur tollere proposuisti?
Tradere te decuit, tollere nulla mihi.
Si quodcumque datur, ratio monet ut repetatur,
Dos tua tollatur, nobis quoque nostra feratur.
Hoc ita si cupias, quærimus esse ratum.
Imperium dedimus, tu pauca dedisse videris;
Ex ope Pontificis Cæsar Romanus haberis;
Vincula Pontificis qua ratione geris.
Quicquid agat Præsul, quicquid sacra turba fatetur,
Reddere cogetur quod Cæsaris esse videtur
Illud & in scriptis firmat uterque focus.
Annulus & baculus, vel cætera quæ memorantur,
Cæsaris ad jussum penitus reddenda parantur,
Papaque Paschalis sic spoliatus abit.

ARTICULUS XII.

Ab Ecclesia Romana & Gallicana improbatum ac damnatum est Privilegium de Investituris a Paschali II. concessum Henrico Imperatori contra Canones & Prædecessorum Pontificum Decreta. Pontifex a Sapientioribus excusatus. Plerique Investiturarum propugnandarum pertinaciam Hæresim esse asserebant: Consultius ac doctius negabant alii. Henriciana itaque Hæresis hac in materia fictitia videtur.

I. CUm *Paschalis II.* in urbem post Pactionem cum *Henrico* Imperatore initam regressus esset, invenit ibi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, universumque Clerum Romanum a se aversum, & valde improbantem fœdus illud, quod recens cum *Henrico* Imperatore pepigerat, contra Canones, & Prædecessorum Pontificum Decreta, non accedente etiam canonico Romanæ Ecclesiæ consensu, paucorum dumtaxat Cardinalium adhibito consilio. Parum abfuit quin apertum in schisma erumperet illa dissensio: Nam absente postmodum Pontifice convenientes in unum, Præside *Joanne* Cardinali Episcopo Tusculano, confirmarunt Decreta *Gregorii VII.* & *Urbani II.* contra Laicorum Investituras, nihilque roboris obtinere decreverunt, quidquid adversus ea ab ipso *Paschali*, & ipsi inhærentibus Cardinalibus, quovis prætextu actum fuisset. *Paschalis* autem qui paulo ante ab Urbe recesserat, has ad eos Literas dedit, quas ex MS. Vaticanæ Bibliothecæ descripsit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens Tomo XII. ad annum 1111. Sic autem habent: *Id quod in personam nostram, immo in Patrem vestrum, præter ipsius Ecclesiæ Judicium atque præsentiam vos egistis; etsi vobis ex zelo Dei visum sit, non tamen, ut mihi videtur, canonico tramite incessistis. Non enim caritas, sed æmulatio id dictasse perspicitur. Nos tamen confisi de misericordia divina, pro anima nostra salute cogitavimus; & commissum quod pro fratribus atque filiis, pro excidio Urbis, & universa Provincia fecimus, emendare curabimus, ut quod terreni in me quoque convexisse, ostendatur Ecclesia. Vos autem pro Ecclesia agite, ut illam Ecclesia Dei zelum, quem habetis, & habere ostenditis,*

ipsa

ipsa experiatur Ecclesia. Datæ sunt Literæ Terracinæ 3. Nonat Julii anno 1111.

Bruno Signinus Episcopus Privilegium a Paschali II. concessum palam improbat; & concessionem vel retentionem Investiturarum hæresim esse contendit.

II. *Bruno* Signinus Episcopus & Casinensis Abbas, vir insignis sanctimoniæ, *Guala* Regino Episcopo, *Roberto* Pasiensi, aliisque Cardinalibus & Episcopis adjunctis, *Paschali II.* imminebat ut Privilegium Imperatori concessum rescinderet, eumque Anathemate configeret; alii Privilegium illud tuebantur. Magna animorum dissensione ac pertinacia de illo disputari cœptum. *Paschalis* Brunoni quasi hujus dissidii & scandali incentori ac signifero graviter succensuit. Ille Pontificem convenit, suam agendi rationem excusaturus. Se ejus Sanctitatem colere & ex animo diligere contestatus est, nec ullum alium ipso vivente, suscepturum Pontificem, sed præ illo diligere Deum, cujus amori omnis humana necessitudo, ipseque parentum amor postponendus est. Ideoque se improbare Privilegium de retinendis Investituris *Henrico* Imperatori concessum ut contrarium pietati, religioni, fidei. Illud repugnare Apostolorum Decretis, quibus qui contradicit, Hæreticos est. *Fœdus autem illud*, inquit, *adeo fœdum, tam violentum, tam cum proditione factum, tam omni pietati religionique contrarium, ego non laudo. Quis enim illud laudet, in quo violatur fides, Ecclesiæ libertas amittitur, Sacerdotium tollitur, unicum & singulare ostium Ecclesiæ clauditur, multa ostia aperiuntur, per quæ qui intrat, fur & latro? Habemus Canones, habemus Sanctorum Patrum Constitutiones ab Apostolorum temporibus ad te usque perductas. Via regia incedendum est, neque ab ea in aliquam partem declinandum, Apostoli illos omnes damnant, & a Fidelium communione sejungunt, qui per sæcularem Potestatem Ecclesiam obtinuerent. Laici enim, quamlibet religiosi sint, nullam tamen disponendæ Ecclesiæ facultatem sunt consecuti. Hæc enim Apostolorum Constitutio sancta est; cui qui contradicit, Catholicus non est. Omnis autem qui hæresim tuetur, Hæreticus est. Nemo hanc non esse hæresim dicere potest, quam Sancta & Apostolica Ecclesia in multis Conciliis hæresim nominat, & cum suis authoribus damnat.* Largiter erravit *Bruno*, cum Investiturarum concessionem, vel retentionem, Hæreseos nomine infamavis, & oblique Hæreseos notam *Paschali II.* ob concessum Imperatori Privilegium inussit. Investituras velut hæresim a Conciliis damnatas, Vir Sanctus ostendere non potuisset. Simoniam quidem Hæresim appellarunt, ac velus Hæresim damnarunt Pontifices & Concilia (quamquam improprie & communiori quadam significatione istud nomen usurparint) quia Simoniacorum parens *Simon Magus* Hæresiarches fuit, existimans *Donum Dei pecunia possideri*. At Investituris, modo a simoniaca labe puræ essent, Hæreseos notam olim impactam probare non valuisset Signinus Antistes. Apostolicis quidem Decretis contrariam Investiturarum usurpationem vere dixit; quia Canones Apostolorum nomine inscripti, quibus sub pœna Anathematis prohibetur ne quis per sæculares Potestates Ecclesiam obtineat, Apostolicam hoc in capite aliisque pluribus doctrinam ac traditionem continent, quamquam non sint ab Apostolis conditi. Sed in eo deceptus est, quod Hæresim esse contenderit quidquid Apostolorum Decretis contrarium est: Cum Apostolicæ Constitutiones aliæ Fidem, aliæ solam Disciplinam & Politiam Ecclesiæ, vel sacros Ritus spectent. Illi porro soli Hæretici sunt, qui Apostolicis Decretis Fidem spectantibus pertinaciter refragantur.

Paschalis II. Brunonem amovet a Cassinensis Abbatis regimine.

Suspectum Pontifici *Brunonem* fecit libertas constantior: Metuebat enim ne sanctitatis ipsius opinio, & zelus multos traheret in partes, præsertim e Cassinensibus monachis, nobilissima portione gregis Christi. Quamobrem illum ab istius Cœnobii regimine removere decrevit, quod cum Episcopatu retinere, absque Sedis Apostolicæ dispensatione non poterat. *Nisi illum*, inquit, *a Monasterii administratione removero, ipse suis argumentis Ecclesiæ mihi regimen tollet. Quapropter eidem Abbati direxit Epistolam, qua vetuit ne altra Episcopus simul esset atque Abbas: neque enim ultra ferre Apostolicam Sedem Episcopum aliquem Monasterio præesse tam celebri. Fratribus etiam per Leonem Ostiensem Episcopum & hujus Cœnobii monachum literas misit, mandans ne ipsi Viro alterius obedirent, sed secundum Deum sibi regulariter Abbatem eligerent. Sin autem secus agerent in omnibus Monasterii cellis Abbates ipse statueret.* Ita refert *Petrus Diaconus* lib. 4. Chronici Cassinensis, cap. 44.

Conon Cardinalis Sedis Apostolicæ Legatus Concilium Hierosolymis celebrat, & in Henricum Imperatorem fert excommunicationis sententiam.

III. Quemadmodum *Conon* Cardinalis Episcopus Prænestinus, Apostolicæ Sedis Legatus in Orientem, auditis facinoribus *Henrici* Imperatoris in Romanam Ecclesiam & Summum Pontificem, coacto Hierosolymis Concilio excommunicationis Sententiam in illum tulit, eamque in Græcia, Hungaria, Saxonia, Lotharingia, Francia, collectis prædictarum Ecclesiarum Conciliis, renovando confirmavit, ut constat ex Actis postremi Concilii Lateranensis sub *Paschali* Papa relatis ab Abbate Urspergensi in Chronico ad annum 1116. ita *Guido* Viennensis Archiepiscopus, & ipse Sedis Apostolicæ Legatus, coacto in Metropoli sua Concilio Privilegium, quod *Henricus* Imperator a *Paschali* Papa extorserat, rescidit, ipsumque Imperatorem ferit Anathemate, Kalendis Octobris anno millesimo centesimo-duodecimo. Aderant *S. Hugo* Gratianopolitanus, & *S. Godefridus* Ambianensis, Episcopi. Hæc porro Decreta contra Investituras; contra Privilegium a *Paschali II.* concessum, & contra *Henricum* Imperatorem adidit Synodus Viennensis.

Idem præstat Guido Archiepiscopus in Concilio Viennensi, Investituram seu hæresim execratur, Privilegium a Paschali II. Imperatori concessum damnat.

„Investituram Episcopatuum & Abbatiarum, & omnium Ecclesiasticarum rerum de manu Laica, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ authoritatem sequentes, hæresim esse judicamus.

„Scriptum illud, seu Privilegium, quod a Domno Paschali Papa violenter Henricus Rex de Investituris, de anathemate in persona sua, non sponta extorsit, in virtute Sancti Spiritus damnamus, atque irritum esse, & nullius beatæ memoriæ judicamus fieri.

„Henricum Teutonicorum Regem, qui simulata pace Romam veniens, post data sacramenta Domno Papæ Paschali, vitæ membrorum, malæ captionis, refutationis Investiturarum, eumdem Dominum Papam in Sede Apostolica ante corpus B. Petri, post osculationem pedis, oris, & faciei proditione, perjurio, & sacrilegio, velut alter Judas, cum Cardinalibus, & Episcopis, Archiepiscopis, & multis Romanorum Nobilibus tradidit, cepit, & raptum in castra Insignibus Apostolicis exuit, & indigne atque inhoneste irrisum tractavit, & ab eo nefandissimum & detestabile Scriptum violenter extorsit excommunicamus, anathematizamus, & a gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ sequestramus, donec his omnibus abrenuntiatis, plenam satisfactionem Ecclesiæ exhibeat.

Synodicam ad *Paschalem* Epistolam dedit Archipræsul Viennensis, suo, & aliorum qui Concilio interfuerant, Episcoporum nomine; qua ipsum rogarunt ut Synodalia Decreta confirmaret; quod si renueret, se ab ejus obedientia minati sunt recessuros. „Et nunc, *inquiunt*, Domne Pater, vestram, sicut dignum est, Majestatem suppliciter exoramus, ut quod pro Sanctæ Ecclesiæ fidei robore, pro Dei & vestro honore fecimus, Authoritate Apostolica solemniter confirmetis. Cujus confirmationis argumentum per apertas nobis Literas significare dignemini, quas etiam (ut gaudium nostrum sit plenum) alter alteri destinare possimus. Et quoniam Principum terræ pars maxima, & universi fere populi multitudo in hac re nobiscum sentit: In remissionem peccatorum suorum omnibus injungatis, ut si necesse fuerit, auxilium nobis & patriæ unanimiter ferant: Illud etiam cum debita reverentia vestræ suggerimus Pietati, quod si nobiscum in his steteritis, si hoc, sicut rogamus, confirmaveritis, si deinceps ab ipsius crudelissimi Tyranni, & nunciorum ejus Literis, locutione, muneribus abstinueritis, unanimiter nos, sicut decet, habebitis filios & fideles. Si vero, quod minime credimus, aliam viam aggredi cœperitis, & nostræ Paternitatis assertiones prædictas roborare nolueritis; propitius sit nobis Deus, quia nos a vestra subjectione & obedientia repelletis.

In duobus peccarunt hujus Synodi Præsules: Primum quod Investituras hæresim esse judicarint, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ se in hoc authoritatem sequi glo-

gloriati sint. Non enim verbo Dei, sed Ecclesiæ dumtaxat Decretis contrariæ erant Investituræ Episcopatuum de manu laica: adeoque non erant veri nominis hæresis. Nec Romana Ecclesia illas usquam hæresim esse judicaret, sed usurpationem dumtaxat, & Ecclesiasticæ Disciplinæ, Canonumque Spiritu Dei conditorum violationem. Secundo, in eo peccarunt, quod Romano Pontifici minas intentarint se ab ejus obedientia recessuros, nisi Synodi Statuta confirmaret, quod pessimi sane exempli est.

Sententiam Investituras defendentem, Schismaticam quidem esse, non tamen Hæreticam, censet Yvo Carnotensis.

Longe modestius sensit ac verius *Yvo* Carnotensis Episcopus, qui Sententiam eorum qui Investituras defendere volebant contra Ecclesiæ decreta, Schismaticam tantum, non hæreticam censet; & Summum Pontificem *Paschalem II.* familiaribus & caritatem spirantibus literis admonendum esse ut se judicet ac Privilegium Imperatori perperam & contra Ecclesiæ utilitates ac libertatem concessum revocet: quod si fecerit, gratiæ Deo erunt agendæ: sin minus, non ideo tamen esse judicandum; nec ejus præceptis *ad Cathedram* pertinentibus, id est, fidei, unitatis & Christianæ disciplinæ conservationem, morum emendationem, executionem Canonum, eorumque interpretationem ac dispensationem, majorumque causarum Judicia spectantibus, & *ex B. Petri Privilegio ac æquitate* latis (ut loquitur *S. Leo*) negandam esse propterea obedientiam. Quamquam vero erraverit in regimine, excusandum tamen quod coactus Privilegium Ecclesiæ noxium concesserit, ac verenda Patris velanda, compatiendumque capiti infirmitate laboranti. Ita scribit ad *Henricum* Angeriacensem Abbatem Epistola ducentesima trigesima tertia. „ De Investituris, *inquit*, Ecclesiarum quas laici faciunt, Sententiam præcedentium Patrum Gregorii & Urbani, quantum in me est, laudo atque confirmo. Quocumque autem nomine talis pervasio proprie vocetur, eorum Sententiam qui Investituras laicorum defendere volunt Schismaticam judico. Nec ista contra Domnum Papam dico: quia quibusdam Literis mihi scripsit, se coactum fecisse quod fecit & adhuc prohibere quod prohibuit, quamvis quædam nefanda quibusdam nefandis scripta permiserit. Et quia verenda Patris debemus potius velare quam nudare, familiaribus & caritatem redolentibus literis admonendus mihi videtur ut se judicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ graviter languet, dum caput ejus laborat tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de Summo Pontifice. Habemus enim Evangelicam Sententiam, quæ securos nos facit: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Quæ dicunt, servate & facite; Secundum vero opera eorum nolite facere.* Vult enim hæc Sententia Præcepta Præsidentium ad Cathedram pertinentia obedienter impleri (etiamsi tales sint quales erant Pharisæi) non eos factiosa conspiratione a suis Sedibus removeri. Si vero ea præcipiant quæ sint contra doctrinam Evangelicam vel Apostolicam, ibi eis non esse obediendum, exemplo docemur Pauli Apostoli, qui Petro sibi prælato, non recte incedenti ad veritatem Evangelii, in faciem restitit, non tamen eum abjecit. Ubi enim succumbunt humana Judicia, divina est expetenda misericordia; quatenus insitorum conservata pace ramorum, & ipsi qui præcisi sunt unitati Ecclesiæ studeant reformari, & insitorum ramorum societate lætari. Alioquin nec præcisi inserentur, nec inserti fructificare aut florere in tanta turbinum concussione permittentur. Hæc de proposita quæstione respondeo, majorum Sententiis non præjudicans, quæ paci Ecclesiæ consulant, & ædificationi.

Episcoporum Viennensis Concilii, aut aliorum, non erat judicare de summo Pontifice.

Majorum religionem & observantiam erga Sedem Apostolicam imitabantur *Yvo* Carnotensis Episcopus, & Provinciæ Senonensis Præsules, cum sibi integrum & fas non esse existimabant, de Summi Pontificis Actis ac persona judicium ferre. Episcopi namque Gallicani in Concilio Romano in causa *Leonis III.* una cum Italis sedentes, præsente etiam *Carolo Magno* Francorum Rege, in has voces eruperunt: *Nos Sedem Apostolorum, quæ est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam & ab ipsa nos omnes, & ab ejus Vicario judicamur; ipsa autem a nemine judicatur; quemadmodum antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse Summus Pontifex censuerit, canonice obediemus.* Ita refert *Anastasius Bibliothecarius* in Vita *Leonis III.* Archipræsul autem Viennensis *Guido*, & alii Præsules in Synodo Viennensi congregati, antiquum Viennensium Archiepiscopum *Avitum* non imitabantur, nec ejus doctrinam sequebantur, ad Senatores Urbis Romæ ex Ecclesiæ Gallicanæ sententia scribentis de causa *Symmachi* Pontificis Maximi: *Non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur ..... Reddet rationem qui ovili dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Cæterum non est gregis Pastorem proprium terrere, sed Judicis.*

V. Viennensis Concilii Decretis ad *Paschalem II.* relatis illa confirmavit Pontifex data ad *Guidonem* Viennensem Archiepiscopum, Legatumque suum Epistola, cujus exemplum ex Codice Sancti Petri Catalaunensis a *P. Sirmondo* descriptum, in Labbeana Conciliorum Editione Tomo X. vulgatum est. Data est hæc Epistola XIII. Kalendas Novembris ejusdem anni. Cæterum etsi Concilii hujus Decreta absque exceptione confirmaverit *Paschalis II.* illud tamen quo Investitura sacrarum Dignitatum de manu Laica judicatur Hæresis, haud censendus est approbasse, nisi forte Hæreseos nomen minus proprie & latiori quadam significatione a Patribus acceptum intellexerit: siquidem in Concilio Lateranensi, quod anno millesimo centesimo decimo sexto celebravit, ferre non potuit *Brunonem* Signiaum Episcopum in priori sententia pertinacem, & palam propugnantem, Privilegium de retinendis Investituris *Henrico* Imperatori concessum, Hæresim continere, ut ex Actis Concilii constat, de quibus infra dicemus.

Joannes Lugdunensis Archiepiscopus Concilium indicit.

Senonensis Provinciæ Episcopi multis de causis adesse renuunt.

VI. Sub idem tempus, *Joannes* Archiepiscopus Lugdunensis, Galliarum Primatem agens, Nationale Concilium apud *Ansam* celebrandum indixit, in quo de Fide & Investituris Laicorum ageretur; ad illudque convocavit Provinciæ Senonensis Episcopos. Qui adesse noluerunt, & dissensum excusarunt Synodica Epistola, quam ex omnium Sententia scripsit *Yvo* Carnotensis Episcopus. Prima ratio cur ad eam Synodum ire detrectent, ea est, quod nusquam reverenda Patrum sanxerit authoritas, nusquam hoc servare consueverit Antiquitas, ut Primæ Sedis Episcopus alienæ Provinciæ Episcopos vocaret ad Concilium, nisi id Apostolica Sedes juberet, aut una de Provincialibus Ecclesiis, pro causis quas intra Provinciam terminare non poterat, Primæ Sedis audientiam appellaret.

Yvonis Carnotensis Epistola omnium nomine ad Joannem Archiepisc. Lugdunensem scripta.

Paschalis II. factum excusant.

Secunda ratio petitur ex argumento Concilii, in quo de Investituris agendum erat, quas quidam inter Hæreses censebant: Improbant autem Synodi celebrationem hanc ob causam: quia excusandum potius est quam propalandum Romani Pontificis facinus, qui Investituras Imperatori coactus concessit, & priora Decreta sua confirmare paratus est. „ Præterea, *inquiunt*, quia in hoc Concilio de Investituris Laicorum quas quidam inter Hæreses computant, tractare disponitis, potius pudenda Patris vestri nudabitis, quæ publicanda non essent in Geth, nec in compitis Ascalonis, deridenda exponetis, quam post deorsum ea velando benedictionem paternam vobis acquiratis. Quod enim propter vitandam populi stragem paterne in se admisit Summus Pontifex, coegit necessitas, non approbavit voluntas. Quod inde constat, quia postquam evasit periculum, sicut ipse quibusdam nostrum scripsit, quod jusserat, jussit; quod prohibuerat, prohibuit: quamvis quibusdam nefandis, urgente periculo, quædam nefanda scripta permiserit. Sic Petrus trinam negationem trina confessione purgavit, & Apostolus mansit. Sic Marcellinus Papa * deceptus a profanis coram fano thurificavit, & tamen a fratribus minime judicatus, post paucos dies martyrio coronari promeruit. Sic Aaron in eremo moram faciente Moyse, in monte propter importabilem populi seditionem vitulum fusilem fieri permisit, quem populus insipiens adoravit: cum tamen non esset seductus a populo, ut Deum esse crederet, vel di-

* *Ex apocryphis Actis id sumptum.*

vinæ

„ vinæ culturæ reverentiam ei exhiberet. Meruit tamen veniam tantus excessus, & Domino jubente per manum Moysi ad summum Sacerdotium est sublimatus. Sic Moyses ipse, qui cum Domino loquebatur sicut ad amicum amicus, Deum tamen offendit, cum propter murmur populi dicentis: *Numquid poterit nobis elicere aquam de petra hac?* Dubitare coactus est, & aquam cum disceptatione a Domino postulare. Sic Doctor Gentium, qui in Synagogis publice clamabat: *Circumcisio nihil est, & Christus nihil vobis proderit, si circumcidamini*; propter scandalum Judæorum circumcidi permisit Timotheum, ut hac condescensione Judæos lucrifaceret. Hæc infirma probabili necessitate, vel provida dispensatione passi sunt summi & sancti viri, Deo bene utente malis nostris; ut per hoc doceret eos seipsos agnoscere, quatenus discerent infirma sua sibi adscribere, & bona sibi collata ad Dei gratiam referre.

Secundum hæc, *Paschalis* Papæ œconomiam excusant, qua *Henrici* Imperatoris excommunicationem differt, gravioris mali metu, nimirum Schismatis, secundum Regulam a *Sancto Augustino* traditam. *Quod si Papa*, inquiunt, *adhuc in Teutonicum Regem debitam severitatem non exercet, credimus quia consulte differt secundum quorumdam Doctorum judicia, qui consulant quadam admittenda pericula, ut possint vitare majora. Unde dicit Augustinus in tertio libro contra Parmenianum*: Hoc sanitas observat Ecclesiæ, ut „ cum quisque fratrum, id est, Christianorum intus in societate Ecclesiæ constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut Anathemate dignus habeatur; fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est: atque id cum ea dilectione fiat, de qua ipse Apostolus alibi præcipit dicens: *Ut inimicum eum non existimetis, sed corripite ut fratrem*. Ubi satis ostendit, quod cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum stabilitate certa securitas maneat; id est quando ita cujusque crimen notum est, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ. In qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio caritatis, &c.

Œconomia quadam & dispensatione minime damnanda Privilegium illud a *Paschali II.* Imperatori concedi potuisse recte scripserunt *Ivo Carnotensis* & cæteri Senonensis Provinciæ Præsules: maxime cum electionum libertatem sartam tectam esse decrevisset, ab iisque simoniam eliminari jussisset, solam assensus Regii necessitatem & Regalium Investiturarum indulsisset, quæ in Galliis a *Clodovei Magni* temporibus obtinebat. Præsentis *Privilegii pagina confirmamus* (ait Paschalis) *ut Regni tui Episcopis & Abbatibus libere præter violentiam & simoniam electis, Investituram virgæ & annuli conferas*, &c. *Prædecessores enim vestri Ecclesias Regni sui tantis Regalium suorum beneficiis ampliarunt*, &c. (ut supra Art. XI.)

Romanum Pontificem nullius hominis Judicio subjacere contestantur Provinciæ Senonensis Episcopi.

Tertiam addunt rationem cur ad Concilium convenire non possint, quia nimirum de persona Romani Pontificis agitur, qui nullius hominum Judicio subjacet. *Non videtur*, inquiunt, *nobis utile consilium ad illa Concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel judicare: quia nec nostro, nec ullius hominum probantur subjacere Judicio. Unde nos constat esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus, cum ipse Mediator obedire eis præcipiat, etiamsi tales sint quales erant Pharisæi, si ea quæ ad Cathedram pertinent recta præcipiant, ea vero minime faciant. Ex quibus omnibus hoc constare videtur, quatenus fœminalia Sacerdotalia pudendis superponamus, ne verecunda nostra deridenda insidiatoribus nostris exponamus, & unde quærimus reformare Ecclesiæ fortitudinem, in majorem incurramus debilitatem. Hæc dicentes, non instruimus Prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam nostram; quia & principales Ecclesiæ Claves nolumus potestate sua privare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab Evangelica veritate discedat.*

Se tamen antiquo Juri Metropolitanorum derogare nolle profitentur, quo Provinciales Synodos convocare, & celebrare possunt, *Salva reverentia Romanæ Ecclesiæ. Quæ si ad præsens*, inquiunt, *non potest Satanam sternere sub pedibus suis; non obviabit tamen salubribus dispositionibus vestris, in quibus, secundum quod in prætaxato libro* (Sancti Augustini) *legitur, quisquis vel quod potest arguendo corrigit, vel quod corrigere non potest, salvo pacis vinculo excludit; vel quod salvo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, & ab isto maledicto quod Scriptura dicit*: „ Væ his qui dicunt quod „ nequam bonum est, & quod bonum est nequam, &c. *omnino liber prorsus securus, penitus alienus. His Catholicorum Patrum terminis contenti, quæ possumus, secundum Decreta Patrum, salvo vinculo pacis corrigere volumus. Quæ autem corrigere non possumus, usque ad messem, si necesse sit, Domino docente, tolerare decrevimus.*

Jus congregandi Synodos Provinciales, salva Romanæ Ecclesiæ reverentia, salvum esse Metropolitanis volunt.

Factum *Paschalis II.* excusare pergunt, ostenduntque illum concedendo Investituras *Henrico* Imperatori, Decreta Decessorum suorum proprie loquendo non fuisse prævaricatum, quia id studiose non fecit, sed subreptione fallente, vel necessitate cogente. *His verbis*, inquiunt, *excusatos nos credimus, quod in laceratione Domini Papæ linguas nostras reprimimus: & si quid contra sententiam suam, suorumque Prædecessorum, de remissis Germanico Regi investituris fecisse videtur, filiali caritate excusamus. Non enim prævaricator est legis, qui delinquit in lege, aliqua fallente subreptione vel impellente necessitate; sed qui legem impugnat studiose, & delictum suum non curat agnoscere.*

Addunt, Summum Pontificem non modo non vituperandum, immo laudandum esse si œconomia quadam Privilegium supradictum Imperatori concessit, ut hoc Ecclesiasticæ Disciplinæ vulnere gravioribus malis obviam iret. „ Unde, *inquiunt*, hunc excessum „ ejus non tantum non accusamus, sed dictante ratione approbamus, si imminente strage populi, paterna caritate cum nonnullo vulnere suo se tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis posset sincera caritate subvenire. Nec ipse primus, nec solus factus est dispensator Dominicorum præceptorum: quia Mediator Dei & hominum, cujus vita in terris disciplina fuit morum, primo præcepit Discipulis ut non ferrent sacculum, neque peram, quia tunc nulla necessitas urgebat. Imminente vero tempore Passionis suæ, sciens eos panis penuriam passuros, cum transirent de loco ad locum, temperavit præceptum, dans eis licentiam ut ferrent peram & sacculum, non jam imperans cupiditati, sed indulgens necessitati. Ita cum Hæreses diversi generis pullularent per diversas partes mundi, ut Catholici territi severitate sententiæ, Hæreticorum seductiones caverent, severissime præceptum est ut revertentes ab Hæresi vel Clerici non fierent, vel Clerici non manerent. Pro cujus rigore Decreti cum Ecclesia maxima damna pateretur, prudens discretio religiosorum voluit & docuit mutandam esse sententiam, & ab Hæresi revertentes & Catholicam unitatem profitentes fraterne suscepit, & in Honoribus suis manere concessit; judicans melius esse ut fieret aliquod vulnus in cortice matris arboris, quod caritas sanaret, quam Ecclesia de omnibus quos posset, membra sua non colligeret.

Denique Investituram Hæresim dici non posse propugnant, cum ad Fidei materiam nullatenus pertineat, & in sola manuali actione dantis & accipientis versetur. Si tamen aliquis Laicus reperiretur adeo stolidus & vecors, ut persuasum haberet, se conferre aliquod Sacramentum aut effectum Sacramenti cum baculum & annulum tradidit, illum Hæreticum esse censendum; non quidem ratione Investituræ manualis, sed ob diabolicam illam præsumptionem: Investituram tamen illam manualem a Laicis factam, invasionem esse juris alieni & sacrilegam usurpationem, quam rescindere penitus oporteat, si id fieri possit absque periculo schismatis. „ Postremo, *inquiunt*, quod quidam Investituram Hæresim vocant, „ cum Hæresis non sit nisi error in fide, sicut enim fides cordis est ad justitiam, oris autem confessio ad salutem: ita Hæresis error est ad impietatem, professio vero ejusdem erroris est ad perniciem.

Investituram hæresim non esse propugnant, sed alieni juris pervasionem, & sacrilegam præsumptionem.

„ Et fides & error ex corde procedunt; Investitura vero illa de qua tantus est motus, in solis manibus est dantis & accipientis, quæ bona & mala agere possunt, credere vel errare in fide non possunt. Ad hæc, si Investitura Hæresis esset, ei renuntians sine vulnere ad eam redire non posset. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum multas honestas personas, purgato isto nævo per quamlibet satisfactionem, pastorales virgas reddidisse, & per manum Apostolicam refutatas Investituras recepisse. Quod Summi Pontifices minime fecissent, si in tali Investitura Hæresim in Spiritum Sanctum latere cognovissent: Cum ergo ea quæ æterna lege sancita non sunt, sed honestate & utilitate Ecclesiæ instituta vel prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur, pro qua inventa sunt; non est institutorum damnosa prævaricatio, sed laudabilis & saluberrima dispensatio. Quod cum multi minus studiosi minime attendant, ante tempus judicant, spiritus mobilis & spiritus immobilis non intelligentes differentiam. Si quis vero Laicus ad hanc prorumpit insaniam, ut in datione & acceptione virgæ putet se tribuere posse Sacramentum vel rem Sacramenti Ecclesiastici, illum prorsus judicamus Hæreticum, non propter manualem Investituram, sed propter præsumptionem diabolicam. Si vero congrua volumus rebus nomina dare, possumus dicere quod manualis illa Investitura per Laicos facta, alieni juris est pervasio, & sacrilega præsumptio, quæ pro libertate Ecclesiæ & honestate salvo pacis vinculo, si fieri potest, funditus abscindenda est. Ubi ergo sine schismate auferri potest, auferatur; ubi sine schismate auferri non potest, cum discreta reclamatione differatur „. Est inter *Yvonis Carnotensis* Epistolas ducentesima trigesima-sexta.

Joannis Lugdunensis Archiepisc. Responsio ad Literas Episcoporum Senonensis Provinciæ.

VII. Huic vero Epistolæ respondet *Joannes* Lugdunensis Archiepiscopus data ad *Daimbertum* Senonensem Archipræsulem Epistola, cujus hæc summa capita. Sa Provinciæ Senonensis Episcopos extra alienam Provinciam ad Concilium vocasse negat, sed inferiora membra ad caput revocasse: quia eadem est Metropolitarum ad suos Primates, quæ Suffraganeorum ad suos Metropolitas habitudo: ut videlicet causæ quæ apud inferiores terminari nequeunt, apud Superiores diffiniantur, nisi ad Romanam audientiam appellatum fuerit, salvis tamen singularum Ecclesiarum privilegiis. Ad id quod scripserant, non esse detegenda verenda patris, ait ipsos trepidasse, ubi non erat timor. Satius enim esse cum pietate verecundorum filiorum benedici, quam cum verecundia irreverentis filii maledici. Causati erant periculosa tempora; *Joannes* respondet, quanto periculosiora sunt tempora, tanto servis Dei fortius adnitendum, ne cum abundante iniquitate refrigescit caritas multorum, refrigescat & paucorum. Multitudinem & robur adversariæ partis prædicaverant. Respondet ille, paucis Discipulis Christum dixisse: *Confidite, ego vici mundum*. Si ergo doceat diffidendum, victoriam mundi ipsum prædicare, & Christi victoriam prosternere. Novum esse & inauditum philosophandi genus hortari contra fortes timidos; contra importunos desides; fieri in bello fugaces, in pace vero audaces; in periculo securos, in securitate providos. Ad id tandem quod scripserant, Investituras Ecclesiasticarum Dignitatum per Laicos factas Hæreses non esse, respondet *Joannes Lugdunensis*, ipsos id efficaciter satis non probasse. *Quamvis enim*, inquit, *sicut Catholica fides in corde, ita & Hæreticus error in corde maneat, tamen sicut ex Catholicis operibus Catholicum sentimus, ita ex Hæreticis operibus Hæreticum cognoscimus*. A fructibus eorum, *inquit Dominus*, cognoscetis eos: & unaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur, *Et licet exteriores Investituras per Laicos factas non satis proprie Hæresis nomine censeamus; sentire tamen ac defendere fieri debere, indubitata Hæresis est*. Hæc Joannis Lugdunensis Archiepiscopi epistola est inter epistolas *Yvonis Carnotensis* ducentesima trigesima-septima.

Illi vero non assentimur contendenti Investituram exteriorem in hæresim desinere, si quis pertinaciter contendat eam licite fieri posse. Id enim falsum existimamus, convicti rationibus *Yvonis Carnotensis*; nisi eo in casu quo quis Laicorum existimaret, se Investituras dando, Sacramentum aut effectum Sacramenti conferre: quod numquam ipse *Henricus* Imperator sibi persuasit. Ille siquidem *Non Ecclesiæ Jura, non Officia qualibet; sed Regalia sola se dare asserebat*, teste *Petro Diacono*, lib. quarto Chronici Casinensis, cap. 41.

Goffridus Vindocinensis cum Joanne Lugdunensi Archiepiscopo censet Investituram hæresim esse.

VIII. *Goffridus* Vindocinensis Abbas Epistola 7. lib. 5. ad *Paschalem II.* data, Opusculo II. *De Ordinatione Episcoporum, & de Investitura Laicorum ad Petrum Leonis*, & Opusculo III. *De Simonia & Investitura laicorum ad Calixtum secundum Pontificem Maximum*, Investituram non minus quam simoniam hæresim esse contendit, quia Virga & Annulus sunt Ecclesiæ Sacramenta, sive spiritalis signa potestatis; quæ a solo Consecratore Episcopus recipere potest; immo a Christo per Consecratorem. Unde Laicus, qui Investituras Ecclesiarum per Baculum & Annulum tribuit, Christi potestatem usurpat, & Filio Dei quodammodo se prædicat altiorem. *Laicus*, inquit, *cum Investituram Ecclesiarum tribuit per Virgam & Annulum, quæ sunt Ecclesiæ Sacramenta, sicut sal & aqua, oleum, & chrisma, & quædam alia sine quibus hominum & Ecclesiarum consecrationes fieri non possunt, sibi jus Christi usurpat & potestatem, & quodammodo se Dei Filio prædicat altiorem. Nam dum illa Ecclesiæ Sanctæ Sacramenta ibi dantur, ubi dari debent, & quibus & quando debent, a Dei filio dantur, per Consecratorem videlicet illius actionis ministrum, sicut in remissionem peccatorum Spiritus Sanctus dabatur per Petrum.... Laicus autem quando contra Dei Filium sic præsumit, si non amplius, non minus tamen quam Simon Magus intumuit, & ipse insanescit, qui in collatione Sacramentorum se Dei Filio anteponit. Et quia Deo Dei Filio non solum sui Patris æqualitatem demere nititur, sed se ipsum Dei Filio superiorem impia sua actione significare videtur, recto nomine & ipse hæreticus, & ejus Investitura hæresis appellatur*.

Investituram tamen quæ fit solum propter possessiones Ecclesiasticas, damnandam non esse.

Investituram tamen, quæ fit propter possessiones Ecclesiasticas, non propter res spirituales, damnandam non esse ait, quamvis inutile sit iterum donare bona, quæ semel data sunt. Verum Investituram illam per Annulum & Baculum a Laico fieri non posse ante consecrationem. Post electionem vero & consecrationem minime referre quonam id signo fiat. „ In Ecclesiasticis possessionibus, *inquit*, quamvis nec in Legibus, nec in Canonibus inveniatur, tamen propter scandalum & schisma vitandum, talis Regibus Investitura conceditur, ut nec ipsi propter hoc pereant, nec Sancta Ecclesia detrimentum patiatur. Investituram per Virgam & Annulum accipere nisi a suo consecratore, manifestum est esse damnosum: quia nulli Laico licet illa Ecclesiæ Sacramenta dare, sicut ei non licet Episcopum consecrare. Res etiam quæ semel Ecclesiæ datæ sunt, Reges iterum eas dare, vel de ipsis investire nec debent, nec convenienter possunt. Nam alicui dare quod habet, & de hoc investire aliquem quod ille jam tenet, superfluum est & vanum, non tamen videtur criminosum. Alia utique est Investitura quæ Episcopum perficit; alia vero quæ Episcopum pascit. Illa ex Divino Jure habetur, ista ex Jure humano. Subtrahe Jus divinum, spiritualiter Episcopus non creatur. Subtrahe Jus humanum, possessiones amittit, quibus ipse corporaliter sustentatur. Non enim possessiones haberet Ecclesia, nisi sibi a Regibus donarentur, & ab ipsis, non quidem divinis Sacramentis, sed possessionibus terrenis investiretur. Ex Jure divino Regibus quidem & Imperatoribus dominamur; ipsis tamen ex eodem Jure, quia Christi Domini sunt, honorem debemus & reverentiam, sicut dicit Apostolus: *Regem reveremini*. Ex Jure autem humano tantum illis debemus, quantum possessiones diligimus, quibus ab ipsis, vel a parentibus suis Ecclesia ditata & investita dinoscitur: Unde B. Augustinus super Joannem sic loquitur: *Noli dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi & possessioni? Nam per Jura Regum possessiones habentur, &c.* Possunt itaque sine offensione Reges, post Electionem Canonicam & Consecrationem, per Investituram Regalem, in Eccle-

„ fiasticis possessionibus concessionem, auxilium & defensionem Episcopo dare, quod quolibet signo factum exstiterit, Regi vel Pontifici seu Catholicæ Fidei non nocebit „. Nec proprie nec Theologice loquitur *Goffridus Vindocinensis*, cum Annulum & Baculum Sacramenta vocat sicut oleum & chrisma, cum ad Sacramenti substantiam non pertineant. Hyperbolice loquitur, cum ait Laicum qui illa tradit, se Filio Dei in collatione Sacramentorum anteponere: cum Imperatores & Reges dantes Investituras numquam sibi persuaserint se conferre Sacramentum. Investituram itaque Hæresim esse, & Laicos Investituram dantes esse Hæreticos, non recte probat Vindocinensis Abbas. Sed suo ipse principio luculenter refellitur: statim enim Opusculi initio hoc principium statuit: *Firmissime crede, quod nihil aliud proprie Hæresis dicitur, nisi quod a Patris unitate Filium sive Spiritum Sanctum conatur separare, vel personarum alteram altera minorem vel majorem asserere.* Quod nequidem in mentem venit Principibus Investituras usurpantibus, aut Scriptoribus eas jure fieri propugnantibus. Quamquam definitio illa Hæreseos a Goffrido Vindocinensi tradita haud accurata sit: secundum quam sequeretur solas *Arii & Macedonii* Hæreses hoc nomine censendas.

Goffridus Vindocinensis refellitur.

Idem Abbas Epistola XI. Libri III. ad *Rainaldum* Andegavensem Episcopum data, Investituras ex duobus capitibus damnandas probat: primo quod absque Canonica electione Episcopatus vel Abbatiæ conferrentur a Laicis Potestatibus: deinde quod vix absque simonia darentur: ideoque illis hæreseos labem aspergit. Cæterum si præcedente electione canonica, & absque simonia investitura fieret, non videtur de illa tam severe judicaturus, tam dure locuturus Goffridus Vindocinensis. „ Episcopus, *inquit*, sine canonica electione, est quasi arbor sine radice. Arbor autem quæ radicem non habet, etiamsi folia habeat, fructum ferre nullatenus valet ..... Tota itaque Ordinatio Episcopi in sola electione consistit, & consecratione, si tamen illam electio recta præcesserit. Hæc autem prius per semetipsum fecit Christus, deinde vero Vicarii ejus. Et in Apostolis quidem a Christo facta sunt, quoniam ab ipso electi & consecrati fuerunt: in aliis vero omnibus a nullis aliis fieri licet, nisi a Vicariis Christi. Sunt autem Vicarii Christi Clerici in Electione. Episcopi in consecratione. Cæteri omnes petere quidem Episcopum possunt; eligere vero vel consecrare non possunt. Quicumque igitur alio modo, quasi sub nomine Pontificis, Ecclesiam vel Potestatem Ecclesiasticam sibi vendicare præsumit, hic jam non per ostium intrat, sed aliunde ascendit: ut merito non inter Episcopos computetur, sed inter fures & latrones connumeretur. Investituram, quam de manu laici accepistis per Pastoralem Virgam silere non debeo, nec loqui sine dolore, quod ad majorum injuriam Sanctæ Ecclesiæ in occulto factum non fuit, sed publice. Qui autem cognoscere voluerit, quid Catholica & Apostolica Ecclesia de Investitura senserit, quid docuerit, quid judicaverit, quid constituerit, legat in primo Capitulo illius Concilii, quod tempore Gregorii VII. Papæ factum est & ibi omnes Clericos qui de manu laici Investituram accipiunt, Hæreticos vocatos, & ideo damnatos esse & excommunicatos inveniet. Memoria fefellit *Goffridum Vindocinensem*. In Synodorum enim a *Gregorio VII.* celebratarum Decretis eos qui Investituras de manu laica susciperent, excommunicatos legimus; Hæreticos vero appellatos non legimus.

Pergit ille: „ Licet enim alia hæresis de Investitura dicatur, alia simoniaca; ista tamen quæ de Investitura dicitur, contra Sanctam Ecclesiam fortius jaculatur. Ibi enim imprimis omnis Ecclesiasticus Ordo confunditur, quando hoc quod unicuique a suo Consecratore in Ecclesia cum orationibus, quæ ibi conveniunt, dari debet, a sæculari Potestate prius accipitur. Quod Sancti Apostoli non solum interdixerunt; verum etiam omnes illos, qui per sæcularem Potestatem Ecclesiam obtinent, a Christo sibi tradita potestate damnaverunt. Et merito Apostoli judicio Spiritus Sancti hanc hæresim in Ecclesiæ principio damnare decreverunt, quam longo post tempore ex patre Diabolo nascituram esse præviderunt „. Spectat Canonem 31. ex iis qui Apostolis sunt adscripti.

„ Cum igitur Laico Investitura & omnis disponendarum Ecclesiasticarum rerum facultas a Spiritu S. qui in Apostolis loquebatur, negata sit penitus & interdicta; qui Investituram a Laico suscipit, non jam contra Apostolos tantum, immo contra Dominum Apostolorum, quod sanctum est, canibus exponit. Investitura enim de qua loquimur, Sacramentum est, id est, sacrum signum, quo Princeps Ecclesiæ, Episcopus scilicet, a cæteris hominibus secernitur pariter atque dinoscitur, & quo supra Christianum gregem cura Pastoralis ei tribuitur. Hanc Investituram ab illo solo suscipere debet, a quo & consecrationem habet. Illum siquidem prius oportet consecrari; deinde vero tamquam Ducem Ecclesiæ sacris Insignibus decorari. Si quis autem cuilibet sæculari Potestati ista decere putat, errat. Quod si defendere nititur, Apostolorum doctrinam, & Sancti Spiritus sensum annullare desiderat, unde hæreticus esse nullatenus dubitatur. Hæc propterea Hæresis de Investitura, si recte perspiciatur, etiam Hæresis Simoniaca esse viva & vera ratione probatur. Nam quæ sæcularis Potestas sibi vendicare nititur Investituram, nisi ut per hoc aut pecuniam extorqueat, aut, quod est gravius, sibi inordinate subjectam efficiat Pontificis personam? .... Hac utique non tam humana quam diabolica malignitate Ecclesia Catholica Fidem, libertatem, & castitatem amittit, sine quibus nulla ratione subsistit. „

IX. *Goffridum Vindocinensem*, & alios, Investituras hæreseos nomine damnantes, non solum refellunt momenta gravissima superius prolata, sed illud maxime, quod Concilia hac in causa celebrata, & Summi Pontifices Gregorius VII. Victor III. Urbanus II. Paschalis II. & Calixtus II. qui illas damnavere, nusquam earum defensoribus hæreseos notam inusserint. Quod ex eorum Decretis ac Sententiis hac in Dissertatione laudatis compertum est. Quamobrem Aulicorum *Henrici* Imperatoris temeraria verba & petulantes disputationes occasionem multis dedisse Investituras hæreseos nomine sugillandi, colligitur ex *Laurentio de Leodio*, in Historia Episcoporum Verdunensium Tom. XII. *Spicilegii Dacheriani*, ubi *Richardum* Episcopum commemorat, Privilegium de Investituris, quod a *Paschali secundo* extorserat *Henricus* Imperator, ad monasterium *S. Vitoni** detulisse, accersitis monachis legisse, ipsisque tribulationes & exilia, quæ pro Ecclesiæ causa passi fuerant, insultando exprobrasse. Tum subdit Historicus: *Quosdam comites ejus os suum in cælum elevasse, grandia de Rege disputasse, eum Regem pariter & Summum Sacerdotem quod nec apud alios Haereticos dictum invenitur, prædicasse; ejus juris esse ut Præsules faciat, vel deponat, dialecticasse.* Quin similia antea effutierint Aulici quidam non dubito: & hujusmodi hominum temerarios sermones fuisse in causa cur hæreseos infame nomen Investituris a plerisque tribueretur, conjicio: quamvis *Henricus* ipse Imperator. *Non Ecclesia Jura, non Officia qualibet, sed Regalia sola* se dare assereret; ut ex *Petro Diacono* superius observavi.

* S. Venne de Verdun O. B.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 564. Edit. primæ, hanc propositionem notant Religiosi Censores; *In Concilio protestantur Episcopi se recessuros ab obedientia Papæ, nisi damnet Investituras.*

R. Loquor eo loci de Episcopis in Concilio Viennensi, cui præerat *Guido* Archiepiscopus & Sedis Apostolicæ Legatus in causa Investiturarum congregatis. Quid gesserunt, Quid decreverunt, quid minati sunt refero. Quod autem notant Religiosi Censores; non simpliciter a me refertur (quod mihi tamen vitio verti non deberet, cum sit mera facti quæstio) sed vehementer improbatur his verbis: *Secundo* (inquam) *in eo peccarunt, Quod Romano Pontifici minas intentarint, se ab ejus obedientia recessuros, nisi Synodi Statuta confirmaret: quod pessimi sane exempli est.*

SCHO-

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 565. Edit. primæ, Religiosi Censores haoc Propositionem notant; *Quamquam Papa erraverit in Regimine, excusandus tamen, quod coactus Privilegium Ecclesiæ noxium concesserit; ac verenda Patris velanda: compatiendum Capiti infirmitate laboranti.*

R. *Yvonis* Carnotensis Episcopi sententiam de Privilegio, a Paschali II. concesso Imperatori in causa Investiturarum, eo loci refero, ejusdemque Yvonis sancti & Juris Canonici peritissimi Præsulis verba summa fide describo, de meo nihil addens. Non mea igitur, sed S. Yvonis Carnotensis verba reprehendant RR. Censores.

SCHOLION III.

In eodem Articulo, pag. 567. Edit. primæ Religiosi Censores haoc Propositionem notant; *Actu Concilii Viennensis approbavit Papa; non tamen credendum est eu approbasse pro eu parte qua dicit Investituras esse heresim.*

R. Id ex Romanæ Synodi Actis, quam anno millesimo ducentesimo decimo-sexto celebravit Paschalis II. de quo sermo est luculenter probo & hic & Articulo XIII. pag. 590. ejusdem Editionis. Nullus alius melior interpres Pontificiæ mentis, quam Pontifex ipse. Sed & *Yvo Carnotensis* Investituras hæresim non esse propugnavit, idemque cum eo senserunt Senonensis Provinciæ Episcopi, quorum nomine scripsit ille Synodicam Epistolam ea in causa ad *Joannem* Lugdunensem Archiepiscopum. Cæterum hæc mera facti & historiæ quæstio.

SCHOLION IV.

In eodem Articulo, pag. 568. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem velut meam notant; *Investituras tamquam heresim damnare, idem est ac declarare Papam hereticum.*

R. Hæc Propositio ibi non legitur, sed hæc tantum *Ivonis Carnotensis* verba, ex quibus illam fabricari se posse existimarunt Religiosi Censores. *Quia in hoc Concilio de Investituris Laicorum, quas quidem inter hereses computant, tractare disponitis, potius pudenda Patris vestri nudabitis, quum post dorsum ea velando Benedictionem paternam vobis acquiratis. Quod enim propter vitandam populi stragem paterne in se admisit Summus Pontifex, coegit necessitas, non approbavit voluntas.* Hæc Yvo Carnotensis.

SCHOLION V.

Ad eumdem locum hanc notam apponunt Religiosi Censores: *Exempla plura affert Pontificum & Sanctorum qui erraverunt.*

R. Illa non affero, sed *Yvo Carnotensis*, cujus Epistolæ in causa Investiturarum ad *Joannem* Lugdunensem Archiepiscopum scriptæ suo & Comprovincialium Provinciæ Senonensis nomine, summam exhibeo per modum historiæ. An Yvonem Carnotensem Censoria animadversione dignum putant, quod Moysis, Aaronis, & S. Petri peccata commemoraverit, quæ & Spiritus Sanctus commemorari voluit in Scriptura Sacra? De Pontificum erroribus eo loci nulla mentio. Marcellini dumtaxat thurificationem Yvo Carnotensis obiter commemorat, quod ex *Apocryphis Actis* illum sumpsisse observo ad marginem.

SCHOLION VI.

In eodem Articulo, pag. 572. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Papa non est prævaricatus, quamquam fecerit contra Decreta Antecessorum, quia studiose non fecit, sed subreptione fallente, vel necessitate cogente.*

R. *Paschalis II.* qui Henrico Imperatori Investituras concesserat, factum sic excusant Yvo Carnotensis & cæteri Provinciæ Senonensis Episcopi. *Non enim, inquiunt, prævaricator est legis, qui delinquit in lege, aliqua fallente subreptione, vel impellente necessitate, sed qui legem impugnat studiose, & delictum suum non curat agnoscere.* Hæc illi.

ARTICULUS XIII.

Privilegium Investiturarum a se Henrico Imperatori concessum rescidit Paschalis II. damnavitque ceu Privilegium contra Spiritum Sanctum & Canonicam Institutionem indultum, in duabus Synodis Romæ celebratis, annis 1112. & 1116. & insigne magnanimæ humilitatis exemplum Successoribus, omnibusque Episcopis dedit.

CUm *Paschalis II.* nobilissima Ecclesiæ membra adversum se commota cerneret ob Privilegium Investiturarum *Henrico* Imperatori concessum, & ab omnibus Ecclesiasticæ libertatis studiosis urgeretur ut illud revocaret, Concilium in Basilicam Lateranensem congregavit anno Domini millesimo centesimo-duodecimo, quinto Kalendas Aprilis, in quo seipsum accusavit, factumque suum Fratrum Consilio ac Judicio corrigendum subdidit. „ Scriptum illud, *inquit*, „ quod magnis necessitatibus coactus, non pro vita „ mea, non pro salute aut gloria, sed pro solis Ec„ clesiæ necessitatibus, sine Fratrum consilio aut sub„ scriptionibus feci, super quo nulla conditione, nul„ la promissione constringimur, sicut prave factum „ cognosco, ita prave factum confiteor, & omnino „ corrigi Deo præstante desidero: cujus correctionis „ modum Fratrum qui convenerunt consilio judicio„ que constituo; ne forte per hoc in posterum de„ trimentum aliquod Ecclesiæ, aut animæ meæ præ„ judicium relinquatur. Tunc communi omnium „ favore laudatum est, ut Fratres omnes qui donum „ a Deo sapientiæ scientiæque perceperant, maturi„ us super hoc consilium communi collatione susci„ perent, quid sequenti die per inspirationem Spiri„ tus Sancti responderent.

Ultima die Concilii, Professionem Fidei coram Patribus edidit sub hac formula: „ Amplector omnem „ Divinam scripturam, scilicet Veteris & Novi Te„ stamenti, Legem a Moyse scriptam, & a Sanctis „ Prophetis. Amplector quatuor Evangelia, septem „ Canonicas Epistolas, Epistolas gloriosi Doctoris „ Beati Pauli Apostoli, Sanctos Canones Apostolo„ rum, quatuor universalia Concilia, sicut quatuor E„ vangelia, Nicænum, Ephesinum, Constantinopo„ litanum, Chalcedonense, & Antiochenum Conci„ lium, & Decreta Sanctorum Patrum, Romanorum „ Pontificum, & præcipue Decreta Domini mei Papæ „ Gregorii VII. & beatæ memoriæ Papæ Urbani: „ quæ ipsi laudaverunt, laudo; quæ ipsi tenuerunt, „ teneo; quæ confirmaverunt confirmo; quæ dam„ naverunt, damno; quæ repulerunt, repello; quæ „ interdixerunt, interdico; quæ prohibuerunt, pro„ hibeo in omnibus & per omnia, & in iis sem„ per perseverabo. *Professio Fidei a Paschali II. edita in Synodo.*

Tum *Girardus* Engolismensis Episcopus, Sedis Apostolicæ per Aquitaniam Legatus, Summi Pontificis totiusque Concilii assensu, hanc Sententiam promulgavit: „ Privilegium illud, quod non est Privilegium, „ neque vero debet dici Privilegium, pro liberatio„ ne captivorum & Ecclesiæ a Domino Paschale „ Papa per violentiam Regis Henrici extortum, nos „ omnes in hoc Sancto Concilio cum Domino Pa„ pa congregati, Canonica Censura, & Ecclesiasti„ ca Authoritate Judicio Sancti Spiritus damnamus, „ & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus, „ & nequid Authoritatis, & efficacitatis habeat pe„ nitus excommunicamus. Et hoc ideo damnatum „ est, quod in eo Privilegio continetur, quod ele„ ctus canonice a Clero & populo, a nemine conse„ cretur, nisi prius a Rege investiatur. Quod est con„ tra Spiritum Sanctum, & Canonicam Institutionem. Perlecta vero hac Sententia, ab universo Concilio acclamatum est: *Amen, Amen, Fiat, Fiat.* Ista constant ex Actis Synodi relatis a *Willelmo Malmesburiensi* lib. 5. de Gestis Regum Anglorum, pag. 168. & a *Conrado* Urspergensi Abbate in Chronico ad annum

Paschalis II. Pœnitentia & humilitas.

num 1112. Ejusdem Concilii historiam pressius describit *Petrus Diaconus* in Chronico Cassinensi, lib. 4. cap. 47. Eamdem quoque metro persequitur *Gotfridus Viterbiensis* Chronici Parte 17. pag. 507. & 508. narratque Pontificem Insignia deposuisse, Judicio Synodi se subjecisse, & ad Pontificatum abdicandum paratum fuisse, ut Ecclesiæ, cujus de libertate violata incusabatur, satisfaceret.

Tunc ait, a Patres, a Cesare scripta notate,
Et quodcumque placet, super his Decreta parate;
Me quoque Pontificem non fore, jussa date.
Peccatis mala vestræ meis venisse notatis,
Officiis me destitui dignum reputavi;
Me quoque deposui ne pereatis, ait.
Hac ait, & Mitram rejicit, mantumque reliquit:
Ordinet Ecclesia sine me quidquid placet, inquit:
Moreque Pontificis judicet ipsa sibi.

De eadem Synodo, & *Paschalis II.* Pœnitentia audiendus *Sugerius* Abbas in Vita *Ludovici Grossi* Francorum Regis, cap. 9. „ Aliud etiam, *inquit*, de manu Domini Papæ, ut deinceps investiret, surreptitium Privilegium extorsit [*Henricus Imperator*] quod idem Dominus Papa in magno Concilio trecentorum & eo amplius Episcoporum, Judicio Ecclesiæ, nobis audientibus conquassavit, & perenni Anathemate irritum reduxit. Verum si quærit quis, quare Dominus ita tepide fecerit, noverit quia Ecclesia percusso Pastore & Collateralibus, languebat, & pene cam Tyrannus ancillans, quia non erat qui resisteret, tamquam propriam occupabat. Cui certum facto dedit experimentum, quod cum Fratres Ecclesiæ columnas ad tuitionem & Ecclesiæ reparationem quomodocumque solvi fecisset, pacemque Ecclesiæ qualemcumque reformasset; ad eremum solitudinis confugit, moramque ibidem perpetuam fecisset, si universalis Ecclesiæ & Romanorum violentia coactum non reduxisset. Verum Dominus Jesus Christus Redemptor & Defensor Ecclesiæ suæ, nec eam diutius conculcari, nec Imperatorem impune ferre sustinuit. Qui etenim nec tenti nec fide obligati fuerant, causam Ecclesiæ fluctuantis suscipientes Domini designati Ludovici suffragio & consilio, in Gallicana celebri Concilio collecta Ecclesia, Imperatorem Tyrannum Anathemate innodantes, mucrone B. Petri perfoderunt „. De Concilio Viennensi loquitur, de quo Paragrapho superiori diximus.

Pontificiæ potestatis plenitudinem *Paschalis II.* non objecit, ἀπτωσίας sibi uni non tribuit, errorem confessus est quod a Synodorum & Antecessorum suorum Decretis defecisset. „ Intellexit namque prudentissimus & humillimus Pontifex, non in destructionem Paternorum Canonum Primam & Maximam se accepisse a Christo Potestatem; neque adversus veritatem, sed pro veritate plus cæteris Consacerdotibus posse; ut ait *Facundus* Hermianensis Episcopus. Attendit ad Sententiam *Innocentii I.* in Epistola ad Clerum Constantinopolitanum scribentis: *Longe præstiterit vel ea condemnare quæ recte facta sunt, quam ea robur allum sortiei, quæ adversus Canones gesta sunt.* Attendit ad Sententiam *Zosimi* Epistola VI. ad *Aurelianum* scribentis: *Cum adversus Patrum Statuta venitur, non tantum illorum prudentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo Fidei & Catholicæ disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum ac venerabile est, quam penitus non exorbitare ab itinere Majorum, quorum Canonica Instituta velut quædam fundamenta sunt, ferendis fidei jacta ponderibus?* Attendit ad Sententiam *Bonifacii II.* Epistola III. scribentis: *Convenit nos Paternarum Sanctionum diligentes esse custodes.* Attendit ad Sententiam *S. Leonis Magni* ad *Marcianum Augustum* scribentis: *Privilegia Ecclesiarum, Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa Decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si Paternarum Regulæ Sanctionum, me quod absit, connivente violentur.* Et Epistola 78. sive [132. Editionis *Quenellii*] ad Leonem Augustum: *Secundum Apostolum, si quæ destrui, hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, & eis me altiorum conditionibus subdo, quas non solum authoritas beatæ memoriæ Principis Marciani, sed etiam ego mea consensione firmavi...* Attendit ad Sententiam *Hilari* Papæ Epistola 4. ad quosdam Episcopos Gallicanos scribentis: *Nihil adversum venerandos Canones, nihil contra sanctæ memoriæ Decessoris mei Judicium valeat, quidquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus namque Ecclesiarum Privilegia, quæ semper sunt servanda confundi; quia per hoc non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur.* Attendit ad Sententiam *Gelasii I.* ad Episcopos Lucaniæ scribentis: *Cum nobis contra salutarium reverentiam Regularum cupiamus temere nihil licere, &c.* Et Epistola ad Episcopos Dardaniæ: *Confidimus quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi Constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere quam Primam, quæ unamquamque Synodum & sua authoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.* Attendit ad Sententiam *Symmachi* Papæ ad *Æonium* Arelatensem Episcopum scribentis: *Dum ad Trinitatis instar, cui una est & individua potestas, unum sit per diversos Antistites Sacerdotium; quomodo priorum Statuta a sequentibus convenit violari? Huc accedit, quod si hæc eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam credimus religionem pertinere; cujus omnis potestas infringitur, nisi universa quæ a Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua fiant. Quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit infirmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata quæ gesserit. Quanta enim Vicariis B. Petri judicabitur reverentia, si quæ in Sacerdotio præcipiunt, iis transeuntibus dissolvantur?* Attendit ad Sententiam *S. Gregorii Magni* lib. 5. Epistola 12. scribentis: *Justitiæ ac rationis ordo suadet, ut qui sua a successoribus desiderant mandata servari, decessoris sui procaldubio voluntatem & Statuta custodiant.* Attendit ad solemnem Professionem Romanorum Pontificum, ante ipsorum Inaugurationem olim edi solitam, qua promittebant, *Diligentius & vivacius omnia Decreta Prædecessorum Apostolicorum Pontificum, quæque Synodaliter statuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminute servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire. Disciplinam & ritum Ecclesiæ a Sanctis Prædecessoribus traditum, illibatum custodire.* Sic habet *Liber Diurnus Romanorum Pontificum*. Hæc animo recolens *Paschalis II.* se peccasse fassus est, Privilegium de Investituris, contra Conciliorum & Prædecessorum suorum Decreta, Imperatori concedendo; Ecclesiæ satisfecit; Synodi Judicio insigni humilitatis exemplo se subjecit, *S. Petrum* imitatus, qui *S. Pauli* reprehensionem haud moleste tulit, *Quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset & primus in humilitate:* & *Omnia dona quæ acceperat, quasi a memoria repulit, ut unum fortiter humilitatis donum teneret.* Verba sunt *S. Gregorii Magni* Homilia 18. in Ezechielem.

Privilegium Henrico Imperatori concessum iterum damnat Paschalis II. in altera Synodo.

Idem Privilegium *Henrico* Imperatori concessum rursus damnavit *Paschalis II.* in altera Synodo Lateranensi anno millesimo centesimo decimo-sexto. *Postquam*, inquit, *Dominus de servo suo fecit quod voluit, & me Populumque Romanum tradidit in manus Regis, videbam quotidie passim fieri rapinas & incendia, cædes & adulteria. Hæc & ejusmodi mala cupiebam avertere ab Ecclesia & populo Dei: & quod feci, pro liberatione Populi Dei feci. Feci autem ut homo, quia pulvis sum & cinis. Fateor me male egisse, sed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum Scriptum, quod in tentoriis factum est, quod pro pravitate sui Privilegium dicitur, condemno sub perpetuo Anathemate, ut nullius unquam sit bonæ memoriæ, & rogo vos omnes ut idem faciatis. Tunc ab universis acclamatum est: Fiat, Fiat.*

Privilegium illud Hæresim continere, perperam ait Bruno Signinus Episcopus.

Bruno Signinus Episcopus zelum ac lætitiam continere non valens, has in voces erupit: *Gratias agamus omnipotenti Deo, qui Dominum Papam Paschalem,*

lem, qui præsenti Concilio præsidet, audivimus proprio ore damnantem illud Privilegium, quod pravitatem & hæresim continebat. Contentioni locum dedit illa Hæreseos accusatio. Quidam enim cavillatorie subjunxit: *Si Privilegium illud Hæresim continebat, qui illud fecit, Hæreticus fuit*. Id impatienter ferens *Joannes* Cajetanus Episcopus, Signino respondit: *Tunc hic & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas Hæreticum? Scriptum quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit*. Adjecit alter: *Immo nec malum dici debet; quia si liberare Populum Dei bonum est, quod Dominus Papa fecit, bonum fuit*. Ferventem contentionem indicto silentio ægre sedavit *Paschalis*, dixitque: *Fratres & Domini mei, audite: Ecclesia ista numquam habuit Hæresim, immo hic omnes Hæreses conquassatæ sunt .. .. Pro hac Ecclesia Filius Dei in Passione sua oravit, cum dixit:* Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.

Romanam Ecclesiam Hæresis numquam infecit.

Altera Sessione Pontifex in communem Ecclesiæ causam incumbens, supremam bonorum Ecclesiasticorum dispensationem & Authoritatem ipsa quibusvellet Ministris suis conferendi, Ecclesiæ asseruit, ac *Gregorii VII.* Sententiam contra Investituras confirmavit. *Ecclesia primitiva*, inquit, *Martyrum tempore floruit apud Deum, & non apud homines. Dein ad fidem conversi sunt Reges, Imperatores, Romani Principes, qui matrem suam Ecclesiam sicut boni filii honestaverunt, conferendo Ecclesiæ Dei prædia & allodia, sæculares honores & dignitates, Regalia quoque Jura & Insignia, quemadmodum Constantinus, cæterique Fideles: & cœpit Ecclesia florere tam apud homines, quam apud Deum. Habeat ergo Mater & Domina nostra Ecclesia sibi a Regibus sive Principibus collata; dispenset & tribuat ea filiis suis, sicut scit, & sicut vult*. Ita refert Abbas Urspergensis, subditque: *Privilegium Investituræ, quod ea temoris concessisse videbatur, obliterare volens, iterans Sententiam Papæ Gregorii VII. Investituram Ecclesiasticarum rerum a laica manu rursus excommunicavit sub anathemate dantis & accipientis*. Tandem confirmavit quidquid *Conon* Prænestinus Episcopus, & *Guido* Archiepiscopus Viennensis, Sedis Apostolicæ Legati, ejusdem Sedis Authoritate, in causa Investiturarum, & *Henrici* Imperatoris, in suis Synodis decreverant. Ista constant ex Actis ab Urspergensi Abbate descriptis in Chronico ad annum 1116.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 583. Edit. primæ, hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Papa se accusat coram Concilio, & se corrigendum subdit*.

R. Mera facti quæstio est. Facti porro istius veritatem probant Acta Concilii Lateranensis ab ipso Paschali II. in causa Investiturarum congregati anno Christi millesimo centesimo duodecimo, aliaque Historiæ Monumenta a me prolata. Nihil ex cerebro meo finxi, sed quod gestum est, ex probatis Actis, & fide dignis Authoribus commemoravi.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 586. Edit. primæ, hæc reprehendunt Religiosi Censores: *Pontificiæ Authoritatis plenitudinem Paschalis non abjecit, dum eam sibi non tribuit; errorem confessus est, quod a Synodorum & Antecessorum suorum Decretis defecisset*.
„ Refert Alexander Decreta Canonum (inquiunt)
„ ex quibus sequi videtur, Decreta Pontificum con-
„ tra Canones nulla esse.

R. Hæc rursus mera facti quæstio. Quid senserit ac gesserit Paschalis II. commemoro: quid ipsum movere potuerit ut ita sentiret, atque ita se gereret expono. Nihil inde colligo quod Pontificiæ Potestatis plenitudinem, id est, summam authoritatem S. Petro & ejus Successoribus a Christo datam, nihil quod vim Pontificiorum Decretorum labefactet; sed Paschalis II. summam humilitatem commendo. *Hæc*, inquam, *animo recolens Paschalis Secundus se peccasse fassus est, Privilegium de Investituris contra Conciliorum & Prædecessorum suorum Decreta Imperatori concedendo: Ecclesiæ satisfecit, Synodi judicio insignis humilitatis exemplo se subjecit, S. Petrum imitatus, qui S. Pauli reprehensionem haud moleste tulit*. QUATENUS QUI PRIMUS ERAT IN APOSTOLATUS CULMINE, ESSET ET PRIMUS IN HUMILITATE. De honore & obedientia sanctæ Sedi Apostolicæ, & in ea sedenti Summo Pontifici debitis, ne levissimum quid detrahi velim.

Nota.

QUamvis Paschalis in Concilio a se convocato rei formam quodammodo assumpserit, quia Henrico Imperatori Investiturarum privilegium concesserat, non defuerunt tamen qui tunc etiam ab omni culpa illum vindicaverint. Primo igitur in eodem privilegio electionum libertatem sartam tectamque esse decrevit, omnemque ab eis simoniam eliminando solius assensus regii necessitatem indulsit: cum his vero conditionibus alii etiam sanctissimi Imperatores investiturarum jure fruiti erant. Quod deinde præstitit Paschalis non ob criminabilem indulgentiam factum unusquisque agnoscet, si observet, quod si prudenti dispensatione ab iis, quæ statuerunt sui Prædecessores, non recessisset, non solum contra se irreligiosi Imperatoris iram concitasset, sed etiam ipsam Ecclesiam in diræ persecutionis ac irreparabilis dissensionis discrimen redegisset. Quot vero suppetunt in ecclesiastica historia monumenta, quibus cognoscimus non semel ex prudentiæ & charitatis legibus canonum observantiam fuisse dimittendam? Potuit proinde, immo debuit Paschalis absque eo quod violatorum Canonum reus haberetur, in illacrymandis illis circumstantiis, in quibus Ipse & Ecclesia universa tunc versabatur, canonum observantiam dispensare. Ut quid ergo necesse erat tot canones seu monita suorum Prædecessorum, quæ recenset Natalis, præ oculis habere, ex quibus patrati delicti gravitatem mensuraret, cum & ipsi canones ipsorum rigorem relaxandum præciperent, quoties ipsorum observantia in perniciem potius Ecclesiæ deserviret? Si proinde supra cæteros decet Romanum Pontificem sacros canones inviolatos servare, debuit Paschalis ab ipsorum rigore recedere, ne ingruentium gravissimorum malorum Author haberetur. Cæterum si conveniens est Ecclesiæ regulis Romanum Pontificem inspicere, non ita præstare tenetur quia superiore conditæ sint potestate, nam minime id concedendum sæpe observatum est; sed quia quid ad Spiritnale gubernium conducat, ostendunt.

Quod si nihilominus Paschalis rei potius personam induit, id ipsius humilitati tribuendum, quo etiam cum sui demissione exorta in ecclesia dissidia non erubuit removere. Voluit etiam ad aliorum scandalum eliminandum quod coactus fecerat rescindere; & quamvis Episcoporum judicio non subditur, ut observavit Yvo, aliique Præsules, quos refert Natalis articulo duodecimo, in Concilio proponere non abstinuit quod emendandum judicavit.

ARTICULUS XIV.

Ecclesia Decreta contra Investituras Laicæ Potestatis furata obedientia, immo fraude eludere quibusdam in locis conata fuit, Baculum quidem Pastoralem & Annulum Electis Prælatis non tradentes, sed prohibentes ne illa ex Altari reciperent, nisi ab ipsis ritu solemni eo ducerentur.

HAnc Laicorum fraudem ex Charta veteri Cœnobii *Sancti Michaelis* ad Mosam anno 1117. scripta discimus, quæ inscribitur *Notitia de libertate Baculi Pastoralis in eodem Cœnobio*, edita a Dom. *Mabillonio* viro eruditissimo O. B. lib. 6. *De Re Diplomatica*, cap. 165. cujus verba Historiam istam illustrantia subjicere malim, quam verbis ipse meis rei gestæ seriem exponere. „ In nomine Sanctæ Trini-
„ tatis & individuæ Unitatis. Deducente nos omnium
„ bonorum ductore Spiritu Sancto, exultationem no-

stram

ſtram Fratribus noſtris in hanc Eccleſiam nobis ſucceſſuris inſinuemus, ut & ipſi ſcilicet habeant unde nobiſcum exultent, & ſibi caveant, reducto conſuetudinis illicitæ jugo; ſe ipſos pariter & fratres ſibi ſucceſſuros, unde nos extulemus, contriſtent. Igitur in hac Eccleſia, ſicut & in cæteris, in quibus ſæcularis Dignitas ſuam exercere nititur poteſtatem, mos antiquus obtinuerat, ut quoties Abbas moreretur, alter in loco illius, niſi baculum de manu Advocati Eccleſiæ ſuſciperet, nullatenus ſubſtitueretur. Hæc illicita conſuetudo adeo inoleverat, ut quidam Abbas nomine Sigifridus quamvis cæteris quos memoria noſtra ſibi revocare potuit religioſior, tamen de manu fœminæ, videlicet venerabilis Comitiſſæ Sophiæ ſuſcepiſſet. Qui tandem ad ſe reverſus, & melius Sacrorum Canonum inſtitutionibus informatus, Romam pœnitentia ductus petiit, Baculum beatæ memoriæ Gregorio VII. qui & Hildebrannus, crimen ſuum confitens reddidit. Quem tamen, cogente vix Apoſtolico, quia ejuſdem viri Religio ad notitiam ejus pervenerat, iterum recepit: & ſic Abbas laudabilis vitæ uſque in finem perſeveravit. Sed venerabilis prædicta Comitiſſa audiens ſe contemptam, ſe deſpectam vehementer ſuper hoc gratulatur: ac deinceps in dilectione Viri Religioſi plurimum pro tali contemptu caritatis vinculis adſtringebatur. Sed & ipſa hoc exemplo ſe peccaſſe cognoſcens, Romam perrexit, atque eidem Apoſtolico reatum ſuum confitens abſoluta repatriavit. Illa autem membris corporis exuta, ingens altercatio inter Comitem Theodoricum, prædictæ Sophiæ filium, & Monachos exoritur: dum hic ſcilicet, juxta conſuetudinem dignitatis Prædeceſſorum ſuorum, Abbatem ſubſtituere nitebatur. Monachi autem Sacrorum Canonum decretis, quibus jam per prædictum Abbatem edocti fuerant, obviare verebantur. Sed utrarumque partium Mediatoribus hanc litem ſedare cupientibus, viſum eſt ut Baculus ſuper Altare a Comite Theodorico poneretur, & Abbas ejus conductu ad eum ſuſcipiendum adduceretur; ſatis in hoc decepti, ut quaſi ſic ſuam Comes non amitteret dignitatem, nec Monachi ſuam viderentur violare religionem: cum ſacri Canones manuarius nominent, quando Catholicis prohibent accedere ad Eccleſias per ſæcularem Poteſtatem: & & frequentius præcipiant eorum omnino vitare in conductu dignitatem. Tali ergo deceptus errore Abbas Ornatus, nec non Abbas Ulricus, Baculum uterque ſuper Altare Advocati conductu ſuſcepit, & hæc illicita nec memoriæ digna conditio in hac Sancti Michaelis Eccleſia uſque ad electionem Domini Abbatis Lanzonis perſeveravit. Igitur prædicto Abbate Ulrico carnis clauſtra egreſſo, quidam Fratrum ſpiritu ferventes, atque ſacrorum Canonum ſtudioſi ſervatores, hujus miſerandæ conditionis peſtem diu in Eccleſia lactatam, diu nutritam, diu roboratam, vehementer ingemuerunt: atque aſſumpto fidei clypeo, adverſus eam pro poſſe decertare ſe ipſos & univerſam Eccleſiam excitaverunt; ſic ſcilicet, ut priuſquam Advocatus occurreret, Abbatem ſibi Lanzonem nomine præficerent, & ad Altare, abſque ullo laicali conductu, ad Baculum ſuſcipiendum deducerent, & ſoli, ſine ſæculari Dignitate, in Sede collocarent. Sed his ita geſtis, aures univerſorum qui antiquæ conſuetudinis Eccleſiæ & Advocatorum notitiam habuerant, quaſi re inaudita concutiuntur, corda omnium in ſtuporem vertuntur. Monachi hoc præſumpſiſſe auſi, nimia inſipientia & etiam inſolentia notantur. Comes etiam Raynaldus, prædicti Comitis Theodorici filius, tunc temporis Eccleſiæ Advocatus, hoc audito furore commotus cum Principibus regionis ad Eccleſiam venit, qui Monachos dignitatem ſuam injuſte ſibi ſubtraxiſſe ſatis indignando conquerebatur. Quod niſi celeriter corrigeretur, ſic ſcilicet ut Abbas de ſe egrederetur; multis aſſertionibus affirmabat, quod Eccleſiam oppreſſionibus quibus poſſet, perſequeretur. Sed tamen eo virorum prudentium conſilio mitigato, dies determinatur, in quo Jus ſuum antiquum omnibus convenientibus recitaret, & injuriam quam a Monachis perpeſſus fuerat, revelaret. Interim ab utraque parte conſilium requiritur Epiſcoporum. Die determinato fit Conventus Abbatum, Monachorum, Clericorum, laicorum. Res utriuſque partis in Judicio ponitur: ſed Monachi nihil ſuperbe, nihil inſolenter, ſed religioſe, ſed prudenter feciſſe quod fecerant, inveniuntur. Authoritas enim Sacrorum Canonum in medio deducitur, quæ ſub anathemate prohibet, ne quis per ſæcularem Diginitatem Curam Paſtoralem aggrediatur. Sic enim in Canone Apoſtolorum reperitur. *Si quis ſæcularibus Poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſas obtineat, deponatur, & abjiciatur; omneſque qui illi communicant.* Item *ex Antiocheno Concilio: Si quis per ſæcularem Dignitatem Eccleſiam Domini obtinuerit, abjiciatur & ipſe & Ordinator ejus, & modis omnibus a Communione ſeparentur, & ſint ſub Anathemate; ſicut Simon Magus a Petro. Item ex Synodo a 240. Patribus habita ſub Nicolao I. Pontifice, Quiſquis ſæcularium Principum aut Potentum, aut ulterius laicæ Dignitatis, adverſus communem & conſonantem atque Canonicam electionem Eccleſiaſtici Ordinis agere tentaverit, Anathema ſit, donec obediat atque conſentiat quod Eccleſia de electione & ordinatione proprii Paſtoris ſe velle monſtravit.* „ His atque plurimis aliis teſtimoniis, quæ prolixitas adhibere prohibet atque virorum religioſorum conſiliis, Comes Raynaldus non tantum Monachorum ſed & ſuum periculum diſcens, ſi quod Jus circa Paſtoralem curam retentaret, indignationem tandem flexit: & quoniam non malitioſe, ſed pro ſua religione Monachos certaſſe cognovit, Jus illud antiquum, quod a Progenitoribus ſuis retinere quærebat, inſpirante ſibi Spiritu Sancto guirpivit.... Sit igitur deinceps cautela Fratrum Religioſorum, ut quoties Abbas eligendus fuerit, ſine ſæculari pompa, ſine Conventu omnino laicorum, Clericorum, ſoli Capitulum habeant, ſoli Patrem ſibi cum timore Dei eligant; electum ſoli ad Altare, ad ſuſcipiendum Baculum deductum conſtituant, conſtituto obedientiam promittant. His expletis Abbas ad publicum exeat, fidelitates ſuas juxta conſuetudinem, a quibus debet, ſuſcipiat. Quod ſi comes in villa fuerit, vel cum advenerit, duo de Fratribus, vel tres ad eum pergant, ut quem ſoli Abbatem conſtituerint, ei nominent, omnino nihil aliud dicentes: Illum Dominum nobis conſtituimus Abbatem, precamur ſicut Advocatum Eccleſiæ, ut eum diligatis, & conſilium ei detis, & in neceſſitatibus ſuis ſubveniatis. Si autem obliti ſuæ religionis aliter egerint, unde jugum antiquitatis execrandæ ſuper ſe vel ſuper poſteros revocent, vinculis Anathematis Sacrorum Conciliorum, quæ ut Evangelia ſunt veneranda, ſeſe adſtrictos non ignorent.

ARTICULUS XV.

Gelaſius II. Controverſiam Inveſtiturarum componere noluit, aut Henricum Imperatorem ab Anathemate abſolvere, abſque judicio Synodi.

AUdito *Paſchalis ſecundi* obitu, ſtatim Romam advolavit *Henricus* Imperator: *Gelaſium ſecundum* qui ipſi ſucceſſerat, ex Urbe egredi compulit: & pacem ab ipſo minis & terroribus extorquere conatus eſt, extrema quæque intentans, niſi pacis ſecuritatem daret, ac juramento firmaret. Reſpondit Pontifex Magnanimus: *De Controverſia quæ inter Eccleſiam & Regnum eſt, vel conventioni, vel juſtitiæ libenter acquieſcimus, loco & tempore competenti, videlicet Mediolani, vel Cremonæ, in proxima Beati Lucæ Feſtivitate, Fratrum noſtrorum Judicio, qui a Deo ſunt Judices conſtituti in Eccleſia, & ſine quibus hæc cauſa tractari non poteſt. Et quoniam Dominus Imperator a nobis ſecuritatem quærit: Nos verbo & ſcripto eam promittimus, niſi ipſe eam interim impediat. Aliàs enim ſecuritatem facere, nec honeſtas Eccleſiæ, nec conſuetudo eſt.* Id conſtat ex Epiſtola *Gelaſii ſecundi* ad Gallos. Qua in Epiſtola inſigne monumentum habemus ad probandum Epiſcopos Jure divino in Conciliis

Epiſcopi Jure divino ſedent in Conciliis cauſarum Eccleſiaſticarum Judices.

ciliis sedere Judices causarum Ecclesiasticarum; *Fratrum nostrorum Judicio*, inquit, *qui a Deo sunt Judices constituti in Ecclesia, & sine quibus hac causa terminari non potest*. Itaque *Gelasius secundus* in Controversia de Investituris nihil innovavit, nec a Decessorum suorum Decretis vel tantillum deflexit.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 597. Edit. primæ Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Episcopi jure divino in Conciliis sedent judices controversiarum Ecclesiasticarum*.

R. Id a me opportune observatum est in Epistolam *Gelasii secundi* ad Gallos in causa Investiturarum scriptam, cujus verba descripsi. Id enim expresse asserit. Id constat ex Concilio Hierosolymis celebrato ab Apostolis in controversia de legalium cæremoniarum observantia: sic enim in eo S. Jacobus primus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus suffragatus

Act. 15. est: *Propter quod ego judico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine*. Id constat ex Actis plerisque Conciliorum, quibus Episcopi hoc in modum subscribunt: *Ego N. Episcopus decernens* vel *definiens*, vel *judicans subscripsi*. Ea est Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ doctrina. *Bellarminus* ipse Cardinalis doctissimus lib. I. *De Conciliis & Ecclesia*, cap. 18. *Episcopos in Conciliis non consiliarios sed Judices esse* probat, & ex Actis Apostolorum Cap. 15. veritatis istius probationem arcessit. Et Cap. 16. id probat. *Ex consuetudine Ecclesiæ, quæ est optima Scripturarum Interpres: nam cum in omnibus Conciliis, quæ post Apostolica tempora sunt celebrata, hunc ordinem observatum esse constet, ut soli Episcopi fuerint judices, idem omnino in Apostolico Concilio servatum credere debemus: Nec enim Ecclesia universa, ac præsertim primis illis temporibus, ab Apostolorum exemplo & Traditione discessisset*.

ARTICULUS XVI.

Callistus secundus Investituras damnavit, & Henricum Imperatorem eas pertinaciter retinentem excommunicavit in Concilio Remensi.

UT primum consecratus est *Callistus secundus* Pontifex Maximus, Concilium indixit Remis celebrandum, ad pacem Imperii & Sacerdotii, si fieri posset, conciliandam. *Henricus* Imperator Episcoporum & Principum Germaniæ votis solicitatus in Conventu Triburiensi, & a civilibus discordiis sibi metuens, *Semetipsum ibidem pollicebatur ob reconciliationem universalis Ecclesiæ præsentandum iri*: (inquit Abbas Urspergensis.) Celebratum est istud Concilium anno Christi millesimo centesimo decimo nono, 13. Kalendas Novembris. Adfuere 13. Archiepiscopi, plusquam ducenti Episcopi, Abbatum ingens numerus, Patres in universum quadringenti & viginti, ut *Hesso Scholasticus*, qui præsens aderat, & Abbas Urspergensis testantur. Præfuit *Callistus secundus II.* Concilii locus erat Insignis Ecclesiæ *S. Mariæ*, Metropolitana Sedes. Quæ vero ante Concilium in negotio pacis gesta fuerint, exponere est operæ pretium, idque ex Commentario *Hessonis Scholastici* testis rerum gestarum oculati, ut hæc ejus verba probant; *Quod vidi & audivi, fideliter & quanto brevius potui, pedestri sermone descripsi*.

De pace & concordia Sacerdotium inter & Imperium agit Callistus Secundus.

Callistus secundus statim post inaugurationem suam *Guillelmum de Campellis* Catalaunensem Episcopum & *Pontium* Abbatem Cluniacensem Argentinam, ad *Henricum* Imperatorem misit, de pace & concordia inter Regnum & Sacerdotium cum eo acturos. Propensum ad pacem animum sibi esse significavit Imperator, modo sine imminutione Imperialis authoritatis eam conciliari posse ostenderent. Tum Catalaunensis Episcopus: *Si veram pacem*, inquit, *Domine Rex habere desideras, Investituram Episcopatuum & Abbatiarum omnimodis dimittere te oportet. Ut autem in hoc nullam Regni tui diminutionem pro certo teneas, scito me in Regno Francorum electum, nec ante consecrationem, nec post consecrationem aliquid suscepisse de manu Regis; cui tamen de tributo, de militia, de telonio, & de omnibus quæ ad Rempublicam pertinebant, & antiquitus scilicet a Regibus Christianis Ecclesiæ Dei donata sunt, ita fideliter deservio, sicut in Regno tuo Episcopi tibi deserviunt, quos huc usque investiendo, hanc discordiam, immo Anathematis sententiam incurristi .... Si ergo Investituras dimittere volueris, & possessionem Ecclesiarum, & eorum qui pro Ecclesia laboraverunt reddere, & veram pacem eis dare; laborabimus, opitulante Domino, huic contentioni finem imponere*. Conditionem accepit Imperator, re cum suo Concilio communicata, modo fidem & justitiam apud Summum Pontificem inveniret, ac veram pacem ipse & sui, possessionesque hujus occasione dissidii amissas reciperent. Catalaunensi Episcopo securitatem postulante, Imperator se proposita Capitula rata habiturum & executioni mandaturum, data subscriptione sub testimonio fidei Christianæ promisit; pariterque post ejus Majestatem Lausanensis Episcopus, Palatinus Comes, cæterique viri illustres tum Clerici cum Laici, qui erant in Comitatu, Conventioni subscripsere. Id cum ad Pontificem Parisiis tum agentem Catalaunensis Episcopus & Cluniacensis Abbas retulissent, lætitia incredibili affectus est, & communicato cum Episcopis & Cardinalibus sibi adsistentibus consilio, eosdem cum Episcopo Ostiensi, & *Gregorio* Cardinalibus remisit ad Imperatorem, cui Virdunum inter & Mediomatricum occurrerunt, nuntiaveruntque Summum Pontificem ipsum ad Communionem & Pacem lubentissime recepturum, promissa modo exequi vellet, diemque dicere quo illa esset ante finem Concilii impleturus. Ille Pacta conventa iterum propria subscriptione firmavit, idemque fecere Proceres. Mutuam quoque Conventionem *Callisti* Legati firmarunt. Stata dies Feria sexta nono Kalendas Novembris, qua Imperator, Mosomi, coram Summo Pontifice, sine fraude Pacta exequeretur. Hic porro mutuæ Conventionis tenor erat.

Strasbourg.

Ego Henricus, Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei, & B. Petri & Domini Papæ Calixti, dimitto omnem Investituram omnium Ecclesiarum, & do verum pacem omnibus, qui, ex quo discordia ista cœpit, pro Ecclesia in guerra fuerunt, vel sunt: Possessiones autem Ecclesiarum, & omnium qui pro Ecclesia laboraverunt, quas habeo, reddo; quas autem non habeo, ut rehabeant, fideliter adjuvabo: Quod si quæstio inde emerserit,; quæ Ecclesiastica sunt, Canonico, quæ autem sæcularia sunt, sæculari terminentur Judicio. *Pacta conventa.*

Ego Callistus Secundus, Dei gratia Romanæ Ecclesiæ Episcopus Catholicus, do veram pacem Henrico Romanorum Imperatori Augusto, & omnibus qui pro eo contra Ecclesiam fuerunt, vel sunt: Possessiones eorum, quas pro guerra ista perdiderunt, quas habeo, reddo, quas non habeo, ut rehabeant, fideliter adjuvabo. Quod si quæstio inde emerserit; quæ Ecclesiastica sunt, Canonico, quæ sæcularia sunt, sæculari terminentur Judicio.

His utrimque firmatis, Legati ad Pontificem jam Remis agentem rediere, ac rei gestæ seriem ipsi ante Synodum exposuere. Cœpta est, ut dixi, 13. Kalendas Novembris. *Callistus II.* luculenta Oratione exorsus est, in qua multa de pace præclare dixit, seque ad eam Ecclesiæ & Imperio procurandam omnibus eniti studiis significavit. *Hanc*, inquit, *virtutem quam appeto, quam ex Sanctarum authoritate Scripturarum, & generali approbatione publica commoditatis summopere laudato nisu inquirere, & in tota Dei Ecclesia, ipso juvante diffundere vivaciter laborabo*. Ita refert *Ordericus Vitalis* lib. 12. *Historiæ Ecclesiasticæ*. Se quoque nihil non acturum declaravit ad *Simoniacam Hæresim quæ maxime per Investituras contra Ecclesiam Dei innovata erat*, consilio & auxilio Patrum, eliminandam, ut refert *Hesso Scholasticus*. Tum Ostiensis, & Catalaunensis Episcopi, qui ad Imperatorem pro negotio pacis missi fuerant, jubente Papa Legationis suæ exitum & Pacta utrimque firmata coram sacro Consessu expo-

** Mouson, urbs Campaniæ, in Diœcesi Remensi.*

posuere. Die concilii altera, Pontifex in crastinum se Mosomum * profecturum significavit ad colloquium cum Imperatore, prout inter ipsos convenerat, ineundum, & pacem Ecclesiæ concludendam; se vero quantocyus rediturum ad conventionem pacis Patrum sententia confirmandam si fieret, vel ad fraudis authorem, si promissis non staret, Ecclesiæ fulminibus conterendum eorum Judicio. *Et sicut*, inquit, *conventionem pacis, si fiat vobiscum & per vos confirmare optamus, sic in commentorem fraudis, si infidelis evaserit, Judicio Spiritus Sancti & vestro gladium B. Petri vibrare tentabimus*. Publicas interim supplicationes indixit, ad faustum negotii exitum a Deo, cujus in manu cor Regis est, impetrandum. Cum Pontifex Mosomum pervenisset, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, cæterosque viros sapientes, quos secum maximo numero duxerat in Cameram vocavit, & Pacta utrimque conventa legi ac expendi jussit. In scripto Imperatoris, Episcopi illa verba scrupulosius examinarunt. *Dimitto omnem Investituram omnium Ecclesiarum*. Quæ sufficere visa sunt, siquidem Imperator sincere ageret, sin minus determinatione indigere, ne forte aut possessiones antiquas Ecclesiarum sibi vendicare, aut Episcopos de iisdem iterum investire conaretur. In Scripto Summi Pontificis hæc verba ponderaruot: *Do veram pacem Regi, & omnibus qui cum eo in guerra ista fuerunt, vel sunt*. Timebant nempe ne forte his verbis amplius intelligerent, quam reddendam Ecclesiæ communionem; & Ecclesia suscipere cogeretur, quos aut superpositos, legitimis Pastoribus, aut canonice depositos, sine gravi offensione sustinere non posset.

Omnibus accurate discussis Pontifex Ostiensem Episcopum, *Joannem* Presbyterum Cardinalem, Episcopos Vivariensem & Catalaunensem, Cluniacensem Abbatem, aliosque misit ad Castra Imperatoris *Henrici*, qui Pacta conventa ipsius Majestati repræsentarent, neque ea impleret, urgerent. Fecere ut habebant in mandatis. Audacter negavit *Henricus* horum quidpiam se promisisse. Ipsum omnium qui aderant testimonio, & propriæ manus subscriptione convicit Catalaunensis Antistes. Conquestus est, tantum se *eorum consilio* pollicitum fuisse, *quod absque diminutione Regni exequi non valeret*. Reposuit Episcopus, *In promissis nostris, Domine Rex per omnia fideles nos invenies. Non enim Dominus Papa statum Imperii aut coronam Regni, sicut quidam seminatores discordiæ obloquuntur, in quolibet imminuere attentat; immo palam omnibus denuntiat, ut in exhibitione Militiæ, & cæteris omnibus, in quibus Tibi & Antecessoribus tuis servire consueverant, modis omnibus deserviant. Si autem in hoc Imperii statum imminui existimas, quod ulterius Tibi Episcopatus vendere non liceat: hoc potius Regni tui augmentum ac profectum sperare debueras, si quæ Domino Deo contraria sunt, pro ejus amore abjicias*.

His nonnihil mitigatus Imperator, inducias in crastinum rogavit, ut cum Principibus de causa tanti momenti conferret, & ad promissorum executionem, si posset, eorum corda inflecteret. Proceres cum Pontificiis egere Legatis de modo quo Imperator ad absolutionis gratiam susciperetur, intercedentes ne palam ac nudis pedibus veniam exoraret.

Tergiversatur Imperator & moras trahit ut Pontificem intercipiat.

Sabbato novas inducias postulavit *Henricus*, donec generale colloquium cum Regni Principibus haberet, quorum absque consilio Investituras dimittere non audebat. Missi Pontificii comperendinatus impatientes, ac subodorati Imperatorem, qui triginta millium hominum exercitu vallatus erat, occasionem opperiri obsidendi & capiendi Summi Pontificis, ad ipsum confestim rediere. Ille ab insidiis sibi cavens ad aliud Castrum Comitis Trecensis subito cum suis sese recepit. Nuntium ad Comitem frustra misit Imperator, ipsum rogans ut Pontificem die Dominica detineret (Sabbatum enim erat) se vero secunda Feria Pacta conventa impleturum. Fraudis enim certus *Callistus*, ait, *Feci, Fratres, pro desiderio pacis quod ab Antecessoribus nostris factum numquam audivi. Generalem Synodum congregatam, & Fratres multos quasi desolatos reliqui; ad hominem istum cum multo labore perveniens, quæ pacis sunt in eo non inveni. Unde nullatenus eum ulterius expectabo, sed ad Fratres nostros, & ad Concilium quanta citius potero, regrediar. Si autem in Concilio vel post Concilium veram pacem Deus nobis dederit, paratus ero suscipere & amplecti*. Tum itineri ante diem se committens, tanta velocitate Remos properavit, ut viginti leucis peragratis, eadem die Missam ea in Urbe celebraverit, ac Leodicensem Episcopum consecraverit. Feria Secunda, Patribus in concilio congregatis, causæ de qua agebatur statum, & Imperatoris fraudes exposuit; ac ob nimiam defatigationem infirmatus, ad Feriam usque quartam quievit. Feria quarta, Canones quinque, quos condiderat, pleno in Consessu legi jussit. Qui simoniacam hæresim petebant, summo consensu sunt approbati. Circa illum quo Investituræ Ecclesiarum Laicis interdicebantur, non levis orta contentio est.

Callistus Secundus Remos reversus, Investituras damnat, & Henricum Imperatorem excommunicatione ferit.

His nempe verbis conceptus erat: *Investituram omnium Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum possessionum, per manum Laicam fieri, modis omnibus prohibemus*. Cujus occasione Decreti tantum murmur quorumdam Clericorum, & multorum Laicorum insonuit, ut diem usque ad vesperam sub gravi contentione pertraherent; ipsis enim videbatur Summum Pontificem hocce Canone decimas & cætera Beneficia Ecclesiastica, quæ antiquitus Laici tenuerant; minuere velle, vel auferre. Quibus ut faceret satis, conclusionem Concilii in crastinum distulit, ut *communi consilio Decretum temperaret*, ipsumque cum cæteris unanimi omnium assensu & *authoritate confirmaret*.

Feria V. invocato ritu solemni Spiritu Sancto, *Callistus II.* de præsenti causa luculenter peroravit, eosque perstrinxit qui pridie contra Synodica Decreta tumultuati fuerant. *Scimus*, inquit, *quia, Dominus Jesus cum proposuisset Discipulis*: „ Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: *Scandalizati sunt multi*, & abierunt retrorsum, *nec postea sequebantur eum: sic & nos cum heri proposuissemus quædam pro libertate Ecclesiæ, scandalizati sunt quidam infideles. Unde & nos cum authoritate Apostolica dicimus*: Si infidelis discedit, discedat: *& det locum Fidelibus, qui Ecclesiastica sunt, & libertati Ecclesiæ necessaria pertractaret. Vobis autem qui locum & Officium Apostolorum in Ecclesia Dei tenetis, dicimus quod Dominus dixit ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?* Hac Summi Pontificis oratione murmur omne contra Synodica Decreta compressum nullusque amplius mutire ausus. Qui tamen Decretum illud quod murmuris ansam dederat, saniori consilio temperavit & in hanc formam redactum Concilio legi jussit: *Episcopatuum & Abbatiarum Investituram per manum Laicam fieri penitus prohibemus. Quicumque igitur Laicorum deinceps investire præsumpserit, anathematis ultioni subjaceat. Porro qui investitus fuerit, honore quo investitus est, absque ulla recuperationis spe omnimodis careat*. Ita conceptus Canon omnibus placuit, & cum cæteris summo consensu promulgatus est: Secundum hæc, *Henricus* Imperator, & *Burdinus* Antipapa, solemniter sunt excommunicati, & Juramento fidelitatis a Summo Pontifice absoluti, quicumque Imperatori obstricti erant, nisi forte resipisceret, & Ecclesiæ Dei satisfaceret.

** Episcopos locum & officium Apostolorum in Ecclesia tenere docet* Callistus II.

Ista constant ex *Hessonis Scholastici*, qui rebus gestis interfuit, Commentariolo, quem primum edidit *Tengnagellus*. Remensis istius Synodi meminit & *Laurentius de Leodio* in Historia Episcoporum Virdunensium.

Concilii Decreta *Henrico* Imperatori, cum non longe abesset, ex Concilio primum per honestas personas, tum per ipsum Pontificem missa fuisse, *Rogerius de Hoveden* scribit parte prima Annalium Anglicanorum pag. 475. *Ut ante separationem Concilii notum esset, utrum Ecclesiis per Regnum & singulas quasque sibi subjectas Provincias consentiat canonicas electiones, videlicet ut Episcopi & Abbates eligantur ab Ecclesia; & liberas consecrationes, ut ubi & a quibus oporteat, electi consecrentur: Ut non per Investituram Pastoralis Virgæ & Annuli, sed per ostium, id est, Christum ingrediantur: & Investituram rerum Ecclesiasticarum nihil omnino sibi Laicalis exigat Persona*. Adhæc illum respondisse: *Nihil in his se prætermissurum quod sui juris esset, suorumque sibi con-*

tulis

tulit antiqua consuetudo Progenitorum. Quandoque tamen flexus authoritate generalis Concilii, (inquit Rogerius de Hoveden) *tria illa priora concessit: ultimum vero, scilicet Investituram rerum Ecclesiasticarum, concedere noluit. Quapropter, reverso ad Concilium Papa, excommunicandus decernitur.*

Rogerius de Hoveden refellitur.

Falso scribit *Rogerius* Synodica Decreta ad Imperatorem missa esse, & tria Capitula supra memorata, seu tres conditiones Decretum de Investituris spectantes gratas habuisse, quartam vero quæ rerum etiam Ecclesiasticarum Investituram prohibebat, respuisse, & ideo fuisse excommunicatum. Canon enimvero qui contra Investituras conditus est, Ecclesiasticarum possessionum Investituram Laicis Principibus non prohibet, ut *Rogerius* scribit, cum hancce clausulam emendarit *Callistus II.* antequam Canones promulgarentur, teste *Hessone Scholastico*, qui rebus tunc gestis intererat. Qua ergo ratione excommunicatus fuisset Imperator, quod ultimum Capitulum seu conditionem, scilicet rerum Ecclesiasticarum Investituram concedere noluisset? Præterea, Canones propositos, lectos, ac discussos fuisse Feria Quarta, & dissidium ortum occasione illius Capitis quod possessionum Ecclesiasticarum Investitura & concessione Laicis interdicebat; Feria vero quinta clausulam illam expunctam, & approbatos promulgatosque Canones, ac demum excommunicatum Imperatorem, constat ex Commentario *Hessonis Scholastici*; non ergo ita res se habuere ut scribit *Hovedenus*: Non missi sunt, inquam, ad Imperatorem Canones, non ille tria priora capita Decreti contra Investituras conditi concessit, & excommunicatus est quod quartum admittere noluisset. Denique injuste fuisset excommunicatus ob retentas Investituras; siquidem dimiserat Investituram per Virgam & Annulum, & liberas electiones, consecrationesque canonicas permittebat, (si *Rogerio* fides) quam vero retinebat Feudorum & Regalium Investituram, *Ludovicus VII.* Rex Francorum, Concilio præsens, pariter retinebat, secundum morem Regum Antecessorum. Ob aliam itaque causam in Concilio Remensi excommunicatus non fuit *Henricus* Imperator, quam ob pertinaciam in retinendis Investituris per Annulum & Baculum, & in constituendis suo quasi jure Episcopis, nulla canonicæ electionis habita ratione, contra Pacta conventa.

Par non erat communisque causa Regis Francorum & Henrici Imperatoris quoad Investituras.

Hinc patet solutio quæstionis quam proponit Illustrimus Archipræsul *Petrus de Marca* lib. 8. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap. XXI. Cur *Ludovicus VII.* Rex Christianissimus excommunicationi *Henrici* Imperatoris consenserit, qua ipse, æque involvi videbatur, cum pariter Investituras daret, non quidem Episcopatuum, neque per solemnem traditionem Annuli, & Baculi, sed rerum & possessionum Ecclesiasticarum? Respondet Vir doctrina æque ac dignitate Illustris; Bona Ecclesiarum duplicis esse generis; quædam vocari Regalia, id est, feuda quæ Regi debent servitium quasi a vassallo; alia vero esse latifundia & dominia, quæ Ecclesiis data fuerunt, & quæ jure homagii non tenentur. Olim quidem Reges Investituras & concessiones universi patrimonii Ecclesiastici dedisse: sed in Pactis inter *Paschalem II.* & *Henricum* Imperatorem initis antequam *Paschalis* in carcerem conjiceretur, conventum fuisse, ut Imperator solam Feudorum Investituram concederet, quæ immediate pertinerent ad Imperium; quoad alia vero bona, scilicet oblationes & hereditarias possessiones, Ecclesiis antiqua libertas servaretur, (ut constat ex Epistola 22. ejusdem Paschalis.) Ait itaque Dominus *De Marca* Concilium Remense, cum decernit ne Investituram rerum Ecclesiasticarum ullo pacto sibi Laicalis exigat persona intelligendum esse de rebus mere Ecclesiasticis, id est, de iis quæ ratione Feudi Regi servitium non debent ac homagium. *Henricus* autem Imperator non earum dumtaxat rerum concessiones & Investituras sibi arrogabat, quæ Imperio feudatariæ essent, sed omnium universim patrimoniorum Ecclesiæ. At *Ludovicus VII.* solam Feudorum Investituram retinebat, absque traditione Baculi & Annuli; aliorum vero bonorum Ecclesiasticorum Investituras dimiserat, ut ad *Callisti II.* voluntatem se accommodaret. Unde concludit, Galliarum Regem eodem Anathemate non fuisse involvendum cum *Henrico*; neque ullam rationem prohibere potuisse quominus Imperatoris excommunicationi assensum præberet.

Præclara hæc quidem, sed minime nobis necessaria. Opus autem erat doctissimo Archipræsuli hac distinctione, ut difficultatem ex Canone Concilii Remensis ortam solveret, quia isto Canone prohibitam quoque Principibus Ecclesiasticarum possessionum Investituram existimabat, *Rogerii de Hoveden* falsa ratione deceptus; nec genuinos & emendatos Concilii istius Canones viderat, quales ex pervetusto Codice MS. Illustrissimi Viri *Petri Segnierii* Galliarum Cancellarii edidit Vir Clarissimus *Stephanus Baluzius*, ad calcem Capitis 21. libri 8. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Illustrissimi sui Mœcenatis. Non licuerat etiam doctissimo Archiepiscopo legere Commentariolum *Hessonis Scholastici* de rebus in Concilio Remensi gestis; ex quibus monumentis facile perspexisset Concilium Remense non prohibuisse Principibus Investituram rerum sive possessionum Ecclesiasticarum, sed solam Investituram Episcopatuum & Abbatiarum: quam quia dimiserat Rex Christianissimus, dimittere vero nolebat *Henricus* Imperator, par non erat utriusque causa.

Addiderim, difficulter probari posse Reges nostros in concedendis possessionum Ecclesiasticarum investituris ea distinctione usos, Regalium, & latifundiorum: Immo potius certum esse ipsos omnium rerum Ecclesiasticarum possessionem Regaliæ jure concessisse, etiam post Concilium Lateranense, in quo Investiturarum controversia finita est. Id colligitur ex *S. Bernardo* Epistola 170. ad *Ludovicum VII.* Regem, de quodam Monacho, qui ad Episcopatum Lingonensem electus erat, scribente, ejusque fidem erga ipsius Majestatem laudante, quod bonorum Ecclesiasticorum possessionem inire noluerit, donec ea ipsi fruenda concessisset. *Electio*, inquit, *rite celebrata est, Electus fidelis est. Non autem esset fidelis, si vestra & non per vos, habere vellet. Necdum ad vestra manum extendit, necdum civitatem vestram ingressus est, necdum prorsus se intromisit de aliquo, quamquam invitatio Cleri & Populi & oppressorum afflictio, & vota bonorum, id ab eo vehementissime flagitarint. Quæ cum ita sint, opus est, ut videtis, maturatione consilii non minus vestro honori, quam nostræ necessitati. Et nisi per præsentes nuncios expectanti populo, qui vester est, Serenitas vestra pro voto responderit, multorum religiosorum adversum vos, quod non expedit, devota vobis nunc corda turbabitis, & Regalibus vestris ipsis quæ ad Ecclesiam pertinent, non parvum, ut veremur, incommodum acquiretis.* Sane cum patrimonia Ecclesiarum velut bona mobilia possiderentur ab Episcopis, evecta per consequentiam ad dignitatem Feudorum, & ut minus præcipua, sequi conditionem principalium bonorum censebantur. Unde Reges Christianissimi non solum Feudorum, sed latifundiorum, immo decimarum, & in universum omnium redituum temporalium fruitionem Episcopis electis concedebant, postquam electionem canonicam assensu Regio comprobaverant: & nunc a sua Majestate nominatis eodem jure concedunt.

SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, pag. 607. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Cur Rex Galliæ non comprehendatur sub Excommunicatione contra Investituras?*

R. His Indiculi sui verbis significant RR. Censores, non probari sibi rationem quam affero, cur *Ludovicus Sextus* Rex Christianissimus Excommunicatione in causa Investiturarum contra Henricum Imperatorem lata obstrictus non esset. Recensita Illustrissimi Domini *De Marca* Responsione, quam ego quidem non probo, respondi: *Callistum II.* Pontificem Maximum *in Concilio Remensi non prohibuisse Principibus Investituram rerum sive possessionum Ecclesiasticarum, sed solam Investituram Episcopatuum & Abbatiarum: quam quia dimiserat Rex Christianissimus, dimittere vero nolebat Henricus Imperator, par non erat utriusque causa*. Quid vero hac in Responsione pœnitendum? Quid censura dignum?

SCHO-

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 609. & 610. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Reges Galliæ jure Regaliæ omnia bona temporalia dant; etiam decimas, quatenus ad feudalia reducantur.*

R. Reges Christianissimos rerum omnium Ecclesiasticarum possessionem Regaliæ jure concessisse, etiam post Concilium Lateranense, in quo Investiturarum controversia finita est, ex *S. Bernardo* probavi, cujus verba perspicua sunt. Non solum feudorum, sed & latifundiorum, immo decimarum, & in universum omnium redituum temporalium fruitionem Christianissimos Reges Episcopis Electis concessisse addidi, postquam electionem canonicam assensu suo comprobaverant: Quia cum patrimonia Ecclesiarum ab Episcopis velut bona mobilia possiderentur, evecta per consequentiam ad dignitatem feudorum, & ut minus præcipua sequi conditionem principalium bonorum censebantur. Non juris & dogmatis, sed facti quæstio est, cujus probabilem sane rationem, in Jure Civili fundatam attuli.

Nota.

UNiversam Decimarum historiam expendendo advenire sane est ecclesiarum Decimas non solum a Laicis usurpatas, in feudum eas retinuisse, verum etiam ab ipsis Principibus, sicut & ab Episcopis, & Ecclesiarum Rectoribus in feudum fuisse concessas, ut aperte supponitur *Extra. de Decim. cap. 25. & Extra. de iis quæ fiunt a Prælat. Sine conf. Capit. c. 7.* Huic occurrere malo sæpe conata est Ecclesia, & sæpe etiam gravioris ruinæ timore toleravit; illud saltem pro viribus prospiciens, ut quæ alendis sacris ministris fuerant assignata, Potentum avaritiæ non essent exposita, nec pro ditandis consanguineis ecclesiarum Rectorum deservirent: Nullibi autem adinvenio potestatem, quam habet Ecclesia Decimas colligendi, ex laicali titulo ortam fuisse, qualis tunc esset, quando easdem respiceret velut feuda sibi a Principibus elargita, unde ab eis earumdem decimarum ratione penderet. Non solum ex naturali jure dictante sustentationem illi tribuendam, qui alteri deservit, sed divino insuper jure decimas sibi tribuendas agnoscit Ecclesia; quapropter S. Hieronymus *in cap. 22. S. Matth.* ait: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, id est nummum, tributum, & pecuniam & quæ sunt Dei Deo, decimas, primitias, & oblationes, ac victimas.* Et D. Augustinus l. 5. homil. 48. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo. Majores nostri adeo copiis omnibus abundabant, qui Deo decimas dabant, & censum Cæsari reddebant. Modo autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio Fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur.* Incongruum porro est dicere jure feudali ecclesias obtinuisse ea, quæ sibi jure naturali & divino sunt tribuenda. Dicendum potius quod cum aliquando Principes jure protectionis temporalia vacantis ecclesiæ administraverint, ab eisdem eadem temporalia recipiebant, qui ad regendas ecclesias eligebantur; nec Principes vere Fide, moribusque christiani quod suum esset, sed quod Ecclesiæ, relaxare intelligebant. Diversimode S. Bernardum tradidisse non credo.

ARTICULUS XVIII.

Controversia de Investituris composita est in Concilio Lateranensi I. Oecumenico IX. Imperator Investituras Episcopatuum & Abbatiarum per Baculum & Annulum dimisit; & Canonicas Electiones libere fieri permisit. Ecclesia concessit ut Electiones præsente Imperatore fierent, & si quæ oriretur discordia, ipse saniori parti assensum auxiliumque præberet, Metropolitani & Comprovincialium Judicio vel Consilio: Electus vero Regalia ab ejus Majestate per Sceptrum acciperet.

ANno Christi millesimo centesimo vigesimo-primo, *Callixtus secundus* Legationem decrevit adversus *Henricum* Imperatorem, ejusque obeundæ munus *Aldeberto* Moguntino Archiepiscopo imposuit. Saxoniam universam adversus *Henricum* novus Legatus commovit, Principumque & plebis Catholicæ animos pro Ecclesiæ pace, quam tot annos turbarat, vehementer accendit, adeo ut ingens adversus ipsum progrederetur exercitus. Qui cum ab ejus castris non procul abesset, magno Dei beneficio factum est, ut Viri Principes Imperatorem adirent, ejusque animum consilio, suasione, obsecratione ita mitigarent, *Ut ipse præsens negotium, non suo, sed Optimatum utriusque partis arbitrio terminandum decreverit.* Duodecim ex utraque parte Primates electi, Virceburgum* convenerunt mense Septembri, die Sancto Michaeli sacra. Interfuit Conventui Imperator, Comitiisque per continuam hebdomadam habitis, de tollendo tantum schismate, Ecclesiæque & Imperii stabilienda concordia inter eos disceptatum est. Tandem Imperator *Sponsionis suæ non immemor, universas quæstiones quæ ventilabantur, non suimet arbitrio, nec suorum quorumlibet contentione, sed juxta Senatus Consultum concludi per omnia in omnibus concessit.* Hæc ad felicem ut perducerentur exitum, Legatio ad Apostolicam Sedem communi consensu destinata est, cujus munus Episcopo Spirensi & Abbati Fuldensi impositum. *Qui Romam hæc omnia deferrent, quatenus indicto per Apostolicam authoritatem Generali Concilio, quæcumque humano non possent, Spiritus Sancti Judicio terminarentur.* Legationem pacis incredibili gaudio suscepit *Callixtus* pacificus Pontifex, auditosque Oratores ad Imperatorem remisit, ad quem una destinavit Legatos *Lambertum* Cardinalem Episcopum Ostiensem, & duos alios Cardinales, quibus dedit in mandatis ut Sanctæ Sedis Apostolicæ authoritate Imperatorem ad communionem Ecclesiæ reciperent, post Investiturarum cessionem, ipsique vicissim jus inspiciendi sacras Electiones, & saniori parti assentiendi, Regaliaque per Sceptrum concedendi, nomine suo permitterent. Ut primum in Germaniam redierunt, generalis Conventus apud Wormatiam indictus est, ac paulopost habitus, in quo *Incredibile est quam prudenti, quam instanti, quam solicita cunctorum Procerum Consilio, pro pace & concordia per unam vel amplius hebdomadam certatum sit, donec ipse in cujus manu cor Regis est, omnem animositatem Augusti, sub Apostolica reverentia obedientiam, causa Matris Ecclesiæ, etiam ultra spem plurimorum inflexit. Ecclesiasticas* enimvero *Investituras, cæteraque spiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici administraverant, quæque ipse, ne Regni diminueretur honor, numquam vita comite se dimissurum proposuerat, humiliatus pro Christo coram multitudine maxima abnegavit, & in manus Episcopi Ostiensis, ac per ipsum Domino nostro Jesu Christo, suæque in perpetuum Ecclesiæ dimisit.* Aliqua vicissim Imperatori ob honorem Regni concessit *Callixtus.* Pacta scripto tradita, & mutuis firmata subscriptionibus fuere ad robur memoriamque sempiternam; Is autem erat Scriptorum tenor.

* Wirzbourg.

Conventus Wormatiensis.

„ Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & Sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ omnem Investituram per Annulum & Baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones & Regalia Beati Petri, quæ a principio hujus discordiæ, usque ad hodiernam diem ablata sunt, quæ habeo, eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo: quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & aliorum tam Clericorum quam Laicorum, consilio Principum & justitia, quæ habeo, ut reddantur fideliter juvabo: Et do veram pacem Domino Papæ Callixto, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & omnibus qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt; & in quibus Sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo.

Pacta Conventa Pontificem inter & Imperatorem.

„ Ego Callixtus servus servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia & ali-

qua

„ qua violentia : ut si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; & quæ ea his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii consecratus, infra sex menses Regalia per sceptrum a te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, secundum Officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno millesimo centesimo vigesimo secundo, nono Kalendas Octobris.

His Pactis, propter infinitæ multitudinis Conventum, loco campestri juxta Rhenum lectis, Episcopus Ostiensis Imperatorem, cum Exercito, Proceribus, omnibusque schismatis olim labe pollutis, ab excommunicatione absolvit; & Sancta Communione, pacisque osculo ipsum donavit.

Conventus Bambergensis.

Pacta Conventu summo Principum consensu confirmantur.

Alterum quoque Conventum, paulopost, scilicet in Festo *S. Martini*, Bambergæ habuit Imperator, in quo a Principibus qui priori non interfuerant, Sacerdotii & Imperii concordia summo consensu & applausu confirmata est. Ex isto Conventu proprios Oratores, cum uno ex Romanis, ad *Callistum II.* consanguineum suum, jam sibi conjunctissimum, direxit Imperator, gratissima nuncia, muneraque honorifica ferentes, ut testatur Abbas Urspergensis in Chronico ad annum 1120. ubi accuratissime tradit compositionis hujus Historiam & Pacta conventa describit, quæ pariter apud *Willelmum Malmesburiensem* pag. 169. & 170. legere est. Quæ etiam exhibet Codex Vaticanus ab Eminentissimo Annalium Ecclesiasticorum Parente laudatus.

Cum fausta pacis initæ Sacerdotium inter & Imperium nuncia *Callistus II.* accepisset, *Henrico* Imperatori obedientiam per Literas gratulatus est, eumque oravit ut quantocyus Sedis Apostolicæ Legatos cum suis Oratoribus ad Concilium Generale jam indictum remitteret, in quo tanti momenti negotium consummaretur. Literæ incipiunt : *Omnipotenti Domino*. In iis observanda hæc verba, quæ Sacerdotii & Imperii discordiam infinitorum malorum causam esse docent, eorumdem vero concordiam bonorum omnium incrementum : *Age ergo, Fili Carissime, ut tu nobis, & nos te fruamur in Domino : Perpendat Imperialis Excellentia tua, quantum diuturna Ecclesiæ Imperiique discordia Europæ Fidelibus intulerit detrimentum, & quantum nostra pax afferre poterit boni fructus, Domino cooperante, incrementum*. De Legatis vero ad Concilium mittendis ita scribit : *De iis autem quæ viva voce referenda prædictis fidelibus suis Nunciis commisisti, per eosdem quid nobis & nostris videatur Fratribus, respondemus. Legatos itaque nostros, qui apud vos sunt, benevolentiæ vestræ attentius commendantes, rogamus, ut quia Concilium indictum a Nobis accelerat, cito eos ad Nos, Domino largiente, remittas. Tuos vero Legatos ita instructos dirigas, ut juxta promissam tuum Regalia in integrum Ecclesiæ Romanæ restituant*. Datæ sunt hæ Literæ Idibus Decembris anni 1122.

Lateranensis Concilii convocatio.

Concilium Œcumenicum Lateranense Primum solius Romani Pontificis authoritate convocatum, probant hæc *Callisti II.* verba : *Ut quia Concilium indictum a nobis accelerat*, &c. Ipsi præfuit *Callistus* ipse Pontifex Maximus. Conciliorum Œcumenicorum in Occidente celebratorum primum istud fuit : Nonum inter Œcumenica numeratur : Lateranense appellatur a loco in quo celebratum est, scilicet a Basilica Lateranensi.

Præses.

Tempus.

Celebrationis annum millesimum centesimum vigesimum secundum a *Baronio* & *Binio* perperam notatum *P. Gabriel Cossartius* S. J. Professor doctissimus observat, & anno sequenti, nempe millesimo centesimo vigesimo-tertio habitum demonstrat. Primo, quia *Sagerius*, qui ipsi interfuit, jam Abbas factus *S. Dionysii*, & quidem *sequente Ordinationis suæ anno*, ut ipse testatur in Vita *Ludovici Crassi* Regis, inauguratus non fuit Abbas ante annum millesimum centesimum vigesimum-secundum, quo *Adamum* ejus Decessorem obiisse vetera Instrumenta plurima testantur.

Secundo, *Robertus de Monte* Concilium Romanum, quo controversia de Investituris composita est, quod certe aliud non est a Lateranensi Primo, anno millesimo centesimo vigesimo-tertio celebratum testatur. *Anno*, inquit, 1123. *Concilium Romæ celebratur, pax inter Regnum & Sacerdotium reformatur, & Jus Investiturarum Episcopalium ab Imperatore exfestucatur*.

Tertio, *Falconis Beneventani Chronicon* his characteribus Concilium istud consignat : *Anno 1123. Dominicæ Incarnationis, & quinto anno Pontificatus Domini Callisti II. Summi Pontificis & Universalis Papæ, mense Martio, prima Indictione*.

Numerus Patrum.

Trecentos & amplius Episcopos adfuisse testatur *Sagerius* Abbas. *Pandulphus* in Vita *Callisti II.* nongentos & nonaginta-septem, partim Episcopos, partim Abbates, ad hanc Synodum convenisse scribit.

In ea auditi sunt *Henrici* Imperatoris Legati, & hoc divinæ Scripturæ præconio collaudati. *Quam speciosi pedes evangelizantium bona!* Pacta in conventu Vormatiensi inter Imperium & Ecclesiam Romanam concordata, quæ incipiunt, *Ego Henricus* &c. *Ego Callistus*, &c totius Synodi Judicio confirmata sunt, & ab Imperatore per suos Oratores coram Patribus rati habita & executioni mandata; sicque pax optatissima Regnum inter & Sacerdotium coaluit, de qua *Otto Frisingensis*, Chronicorum lib. 7. cap. 16. ita scribit : „ Igitur Romano Imperio multis modis in se attrito, Imperator propter Anathema deficere a se Regnum videns, patrisque metuens exemplum congregato juxta Wormatiam maximo Principum Conventu, Investituram Episcoporum Legato Sedis Apostolicæ Lamberto, qui postmodum Summus Pontifex factus, Honorius est dictus, resignavit, per eumque ab Anathematis vinculo absolutus est. Privilegium ergo de hoc Ecclesiæ scribitur : ac ipsi rursum, ut Electi, tam Cisalpini, quam Transalpini, non prius ordinentur Episcopi, quam Regalia de manu ejus per Sceptrum suscipiant, Scripto confirmatur. Hoc pro bono Pacis sibi soli & non Successoribus datum dicunt Romani. Exhinc Ecclesia libertate ad plenum restituta, paceque ad integrum reformata, in magnum montem crevisse sub Callisto Papa II. invenitur. Unde de ipso Romæ scriptum est :

Ecce Callistus honor patriæ, decus Imperiale,
Burdinum nequam damnat pacemque reformat.

De eadem pace *Gotfridus Viterbiensis* Chronicorum parte 17. pag 509. ita canit :

Reddit Apostolico Cæsar quæcumque rogavit,
Pax bona conficitur, sublata Deo reparavit;
Jura suæ partis latus uterque trahit.

Canones.

In eadem Synodo, Christianæ & Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurandæ gratia, & Sacrarum Expeditionum Hierosolyma & in Hispaniam contra hostes Christiani nominis promovendarum, Canones conditi fuere. Duos supra viginti vulgatæ Conciliorum Editiones exhibent. Septemdecim dumtaxat vetus Codex MS. Monasterii Anianensis in Diœcesi Monspeliensi, ex quo illos edidit Clarissimus *Baluzius* ad calcem XXI. Capitis libri VIII. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, Illustrissimi Archipræsulis *Petri de Marca*. Sed duo interdum vulgatæ Editionis Canones in unum rediguntur, quamvis & aliqui desint. Decem & septem dumtaxat, in Codice Vaticano, qui continet Collectionem *Anselmi*, haberi observat *Baronius*. At alius est in Anianensi & Vaticano Canonum ordo, lectiones interim diversæ, & aliqui desunt in Anianensi, quos Vaticanus repræsentat.

Nota.

CUm Bossuet *part*. 2. *l*. 12. *cap*. 34. optaret etiam ex quatuor Lateranensibus œcumenicis Conciliis, & Lugdunense I. aliquid afferre, quo eorumdem Conciliorum authoritatem Papæ potestati anteponeret, dicit nil in eisdem gestum fuisse, nisi *sacro Approbante Concilio*. Hac vero formula declaratum asserit definitiones & canones etiam illorum Conciliorum, in quibus aderat Romanus Pontifex, nonnisi ab eodem Concilio plenam obtinere firmitatem; ac proinde majorem

esse

esse Concilii quam Pontificis authoritatem. Idem assens *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 31.

At Bossuet illationem gratis ab eo factam statim concipio, si considerem Regem, qui quamplures Judices constituerit, & sententiam pronunciaverit ex eorumdem Judicum approbatione. Pessime sane ex hoc judicarem illorum Judicum authoritatem regia esse superiorem, eique supereminere. Non inspiciendum proinde, si Præsules in Conciliis Pontificis definitiones probaverint, id enim ab eis præstandum erat, quia & ipsi Judicis munus exercent. Id considerandum est, qua nempe authoritate judicent, ac approbent. Nos scimus, teste Nicolao I. epistola 9. ad Michaelem Imperatorem, in Œcumenicis Synodis Pontificum decreta, definitionesque non occultatas sub modio, ut Præsules ex eis dignoscerent, si quæ macula in Fidei pulchritudine ab aliquo induci tentaretur, ac essent veluti specula, in quibus veritatem, rectitudinisque formulam omnes inspicerent. Ex iis, quæ in octo priora œcumenica Concilia animadvertenda duxi, scimus non semel Romanos Pontifices eisdem Conciliis definienda dictasse, ab iis quæ ipsi definierant, non recedendum mandasse. Scimus etiam quædam quæ ipsa decreverant Concilia nulla cassaque reddidisse. Qui ita se habet, profecto ostendit, potiorem quam exercet potestatem, ac aliis veluti subditis præest, ac temperat; ac proinde dum aliorum sententias definitionesque approbat seu confirmat, statim intelligimus Superioris officium exercere. Perperam vero ex eo dumtaxat quod aliquis alterius approbat judicium, superiorem obtinere jurisdictionem conciperemus, cum & qui nulli subditam potestatem exercent, velle possent & cum aliorum approbatione judicare: atque id re vera Romani Pontifices intenduot, dum œcumenica Concilia indicunt. Neque ex hoc prorsus inutilia quis dicat futura eadem Concilia, sicut ostendam in Animadversionibus de præstantia Papæ supra Concilia.

Interim animadvertendum in Lateranensi I. œcumenico Concilio cap. 1. modo eligendi Sum. Pontif. quod etiam legere est *cap. Licet extra de Elect.* ita haberi: *Ex hoc tamen nullum canonicis Constitutionibus prajudicium generatur, in quibus majoris & sanioris partis debet sententia prævalere; quia quod in eis dubium venerit, Superioris poterit judicio definiri. In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad Superiorem haberi.* Quod si Papa Superiorem non habet, illi subesse Concilium necesse est.

ARTICULUS XX.

De Canonibus Concilii Lateranensis Primi.

VUlgatam Editionem Conciliorum secutus, quæ duos supra viginti Canones exhibet, eorum Synopsim subjicio. *Primus* Simoniacas Ordinationes & promotiones prohibet sub periculo gradus & dignitatis iis qui sic ordinati fuerint, vel promoti. Descriptus est ad verbum ex Concilio Tolosano *Calisti II.* anno 1119. celebrato. *Secundus*, Præpositos, Archipresbyteros, Decanos, ex Presbyteris; Archidiaconos ex Diaconis assumi jubet. Et hic etiam ex Tolosana Synodo sumptus est, & in ista repetitus atque confirmatus. *Tertius*, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis concubinatum & uxorum contubernia penitus interdicit, aliarumque mulierum cohabitationem præter matrem, sororem, amitam, aut alias hujusmodi, de quibus nulla juste possit oriri suspicio, juxta Canones Nicænos. *Quartus*, Possessionum Ecclesiasticarum dispensationem, vel donationem Principibus, aliisque laicis vetat sub pœna sacrilegii. *Quintus*, Consanguineorum matrimonia divinis humanisque Legibus prohibita, infamia damnat. *Sextus* Ordinationes a *Burdino* Antipapa, ex quo a Romana Ecclesia damnatus est, vel ab Episcopis postea per ipsum consecratis factas, mittit in irritum. *Septimus*, Curam animarum, vel præbendas Ecclesiæ, ab Archidiacono, Archipresbytero, Præposito, vel Decano conferri vetat sine judicio vel consensu Episcopi, sub pœna excommunicationis. *Octavus*, Beneventanæ civitatis, quæ Schismatis tempore multis incursibus & invasionibus patuerat, securitati consulit, vibrato in eos, qui ipsam invadere deinceps ausi fuerint, Anathemate. *Nonus*, A suis Episcopis excommunicatos ab aliis ad communionem admitti vetat. *Decimus*, De sacris Expeditionibus, ad Orientalis, & Hispanicæ Ecclesiarum defensionem contra Infideles decernit. Indulgentias concedit Cruce signatis, & omnibus qui aliquid ad sacram militiam contulerint, & eorum familias ac bona in protectionem *B. Petri* & Romanæ Ecclesiæ suscipit, sicut jam ab *Urbano II.* in Concilio Claromontano statutum fuerat, lata in prædones ac invasores excommunicationis sententia. Cruce vero signatos, qui Sacræ Militiæ signum ac propositum abjecerant, quoniam voti religione & solemni quadam professione se pro Christianorum defensione, & Religionis tuitione devovisse censebantur, Crucem resumere, & Hierosolymitanum vel Hispanicum iter infra annum perficere jubet, sub pœna excommunicationis. Quin & Divina Officia in eorum terris, si viri Principes, aut provinciarum, urbium, castrorum, vel pagorum Domini fiot, interdicit, præter infantium Baptisma, & morientium Pœnitentias. Sed & alia ratio palam est cur ad resumendam Crucem Anathemate cogerentur, qui illam abjecerant. Gravissimorum scilicet criminum rei, homicidæ, raptores; incendiarii, adulteri, &c. Pœnitentiæ Canonicæ loco tam difficilem expeditionem aggrediebantur & adornabant, eratque tam arduum opus, satisfactionis pro peccatis illis impositæ vel imponendæ commutatio, ut constat ex Oratione *Urbani II.* in Claromontano Concilio, quam refert *Willelmus Tyrius* lib. 1. *De Bello Sacro*. Sicut ergo qui Pœnitentiam professi fuerant, vel ad eam publice peragendam propter crimina damnati, ad eam implendam Censuris Ecclesiasticis cogi poterant: ita qui Sacræ Militiæ nomen dederant & postmodum ab itineris Hierosolymitani vel Hispanici proposito defecerant, ad tam egregium opus, quod ipsis in Pœnitentiam impositum erat, resumendum & exequendum, excommunicationis & interdicti pœnis a Sancta Synodo Lateranensi prima sunt compulsi: Huoc porro fuisse, quem diximus, Sacrarum illarum Expeditionum finem, docet inter alios *Petrus Diaconus* lib. IV. Chronici Cassinensis, cap. XI. *Fertur*, inquit, *ista commotio apud Gallias occasione quorumdam Pœnitentium principia sumpsisse. Qui cum de innumeris sceleribus digne apud suos pœnitere non possent, & inter notos sine armis vivere vehementer erubescerent, authoritate atque consilio sanctæ memoriæ Urbani Papæ, prudentis & vere Apostolici viri, qui tunc pro Ecclesiæ negotiis illas adierat partes trans mare, ad eruendam ex Infidelium manibus Sanctum Sepulchri Christi locum, in pœnitentiam & remissionem peccatorum suorum fide promptissime se ire spoponderant; certi omnino redditi, quidquid periculorum incommodorumque subiissent, a Domino pœnitentiæ loco suscipiendum, dum tamen se a pristinis nequitiis jam continerent.*

CurCruce-signati qui Sacra Militiæ signum & propositum abjecerant, ad illud resumendum sub pœna excommunicationis compellantur.

Canon duodecimus Lateranensis, quo de agimus, Concilii, vetat ne Porticanorum sine heredibus morientium bona pervadantur. *Illam*, inquit Pontifex, *pravam defunctorum Porticanorum consuetudinem, quæ hactenus ibi fuit; ex Fratrum nostrorum & totius Curiæ consilio, necnon & voluntate atque consensu Præfecti, removendam censemus: ut Porticanorum habitatorum sine heredibus morientium bona, contra morientium deliberationem minime pervadantur; ita tamen ut Porticani in Romanæ Ecclesiæ, & nostra nostrorumque Successorum obedientia & fidelitate permaneant.* Canon iste in Anianensi Codice deest: legitur tamen in Vaticano, ut minime dubium sit quin ad istud Concilium pertineat. Cæterum non levis difficultas est, qui sint *Porticani habitatores*, quos iste Canon spectat. Quidam Portuenses, seu Portus Romani incolas intelligunt, qui ævo sequiori Porticani dicti sint, sicut Africani, Anglicani, Gallicani, Corsicani, &c. utque sensum aperiant Lateranensis hujus Canonis, observant, Præfectum Urbis Jus exercuisse in Præfectum Annonæ, & Curatorem Portus; cujus munus erat *Portum Claudii* ad Ostia Tyberina restaurare, curam mercium, quæ inibi exponebantur, gerere, incolas & extraneos ab injuriis vindicare.

Qui sint Porticani.

Jm quoque fuisse Præfecto in Centurionem Portus, qui cum militibus Portum tuebatur, ex Codice Theodosiano colligunt. Observant secundo, Urbis Præfectum facultates eorum publicasse, qui offensam contrahebant propter operas Portuenses (ex *S. Ambrosio* Epistola LXII. libri VIII. ad *Eusebium* Episcopum Bononiensem data.) Quin etiam vindicasse Præfectum bona eorum, qui sine liberis decederent; & illis qui ab intestato & sine herede moriebantur, successisse in Civitate Leonina: idque Juris abolevisse *Callistum II.* Pontificem Maximum anno 1123. Bulla data Albæ V. Idus Julii, Indictione Prima Pontificatus V. Unde cum in Portu quoque super bonis Porticanorum idem Jus usurparet, eam consuetudinem *Callistus* quoque sustulit Lege lata in Concilio Lateranensi I. De militibus qui Portum Romanum tuebantur agi, verba illa innuere videntur: *Ita tamen ut Porticani in Romana Ecclesia, & nostra Successorumque obedientia & fidelitate permaneant;* ad eum sensum quo in Civitate Centumcellensi consistentes *Devotissimi milites* dicuntur, Canone *Principali*, Dist. LXIII. *Principali Devotissimorum militum qui in Civitate Centumcellensi consistunt relatione ad nos directa, Sacram se insinuant Clementissimi Principis impetrasse, qua eis Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum fieri debere constituit.* Sic in Civitate Portuensi milites habitabant, qui ipsam tuerentur; qui Romano Pontifici fidelitatem & obedientiam debebant *Callisti* temporibus. Horum bona Præfectus Urbis Romæ sibi vindicabat, cum absque herede moriebantur. Pravum hunc morem tollere voluit *Callistus II.* sed ut Lex ferenda executioni facile & pacifice mandaretur, necessarius erat Præfecti, cujus maxime intererat, consensus, qui propterea exprimitur in Canone, de quo agimus. *Necnon & voluntate atque consensu Præfecti*. Hunc esse Canonis istius sensum conjiciebat doctissimus Vasionensium Episcopus & Vaticanæ Basilicæ Vicarius *Iosephus Suarez*, a D. *Joanne Ciampino* Literarum Apostolicarum a Secretis, & de Parco majori Abbreviatore, sententiam rogatus.

Alii negant, & quidem rectius, vocem *Porticanos* de Portuensibus intelligi posse, quod Pontificia Diplomata & Constitutiones tam Prædecessorum quam Successorum *Callisti II.* Ostiensis Portus incolas, nunquam *Porticanos*, sed invariabili vocabulo *Portuenses* appellarint. Quamobrem Porticanorum nomen a Porticibus derivari arbitrantur: & observant Romæ ante Barbarorum vastationes & incendia ingentes fuisse Porticus, ubi peregrini recipiebantur, quorum aliquæ a Basilica *S. Pauli* usque ad Portam Urbis pertinebant; ut colligitur ex *Procopio* lib. II. *De bello Gothico*; aliquæ a Basilica Principis Apostolorum usque ad Molem Hadriani; ut refert *Sigonius* in Historia Italiæ ad annum 1145. *Porticanos* itaque dictos, qui in Porticibus habitabant, advenas & peregrinos. Horum morientium bona Præfectum Urbis pervadere solitum *Callisti* temporibus. Tunc enim Præfectorum summa erat authoritas, & pene a Romanis Pontificibus independens, quia Imperatoribus juramento fidelitatis erant obstricti, & ab eo Præfecturæ Dignitatem tenebant, usque ad *Innocentii Tertii* tempora, qui Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, & consuetudines quas hucusque Præfecti usurpaverant contra Jura temporalia Romani Pontificis, contra Ecclesiæ libertatem, ac Reipublicæ bonum, abrogavit, ut ex ejus Vita & Literis compertum est. Consuetudinem itaque pravam, qua Porticanorum habitatorum, id est, peregrinorum & advenarum, seu mercatorum, (Nam in Porticibus merces venales prostabant) seu alterius conditionis hominum, in Porticibus habitantium, bona Urbis Præfectus sibi vendicabat, cum Romæ absque herede moriebantur, abolevit *Callistus II.* in Concilio I. Lateranensi Canone II. de Sententia Patrum, de totius Curiæ consilio, de ipsius Præfecti voluntate atque consensu. Adjecta conditio est: *Ita tamen ut Porticani in Romana Ecclesia & nostra Successorumque nostrorum obedientia & fidelitate permaneant:* Quia forsan ab obedientia Ecclesiæ & legitimi Pontificis defecerant tempore postremi Schismatis, a Præfecto Urbis in partes *Burdini* Antipapæ tracti. Hunc esse Canonis istius scopum conjiciebat vir doctissimus *Dominicus Galesius* Rubensis Episcopus. Quam sententiam olim propugnaverat vir maximus *Antonius Augustinus* Tarraconensis Archiepiscopus lib. II. *De Emendatione Gratiani* Dialogo V. *pag.* 279. *Edit. Baluzii*. Huncce Canonem explicans: *Fratres*, inquit, *interpretor Cardinales & Episcopos; Curiam vero, Curiam Romanam, non Clericorum, sed Civium Romanorum; Præfectum autem, Urbis Romæ Præfectum. Porticanos suspicor fuisse inepte dictos, non a Porticibus, sed a Portu Ostiensi & aliis, qui portoria exigerent. Consuetudo prava fuisse videtur ut eis morientibus sine heredibus, eorum bona diriperentur.* De voce *Porticani*, plura videre poterit studiosus Lector in Hierolexico sive Sacro Dictionario *Dominici Macri*, & *Caroli* ejus fratris Romæ edito Typis *Pontii Bernardon* anno 1677.

Canon XIII. Concilii Lateranensis I. Treugæ, id est, induciarum a privatis bellis authoritate Ecclesiæ indictarum infractores, si post tertiam monitionem satisfacere contempserint, ab Episcopo excommunicationis Sententia percelli statuit, cum Metropolitani consilio, aut cum duobus vel uno saltem vicinorum Episcoporum ferenda, & per scripturam Episcopis circumquaque denuntianda. *Decimus-quartus*, oblationes Ecclesiis factas a Laicis vendicari prohibet sub pœna Anathematis; Ecclesiasque incastellari, id est, a viris potentibus ut rem proprii dominii usurpari; aut in servitutem redigi vetat. *Decimus-quintus*, monetam falsam cudentes, aut studiose expendentes, tamquam maledictos, pauperum oppressores, & Reipublicæ perturbatores, a Communione removendos edicit. *Decimus-sextus*, eamdem pœnam decernit in eos qui peregrinis Romam aut alia loca sacra devotionis causa adeuntibus molestiam intolerint, aut eos novis teloneorum vel pedagiorum exactionibus vexaverint. *Decimus-septimus*, Abbatibus & Monachis prohibet publicas Pœnitentias dare, infirmos visitare, ad Sacramenta scilicet ipsis administranda, Unctiones facere, & Missas publicas cantare. Jubet vero ut Chrisma, & Oleum infirmorum, Consecrationes Altarium, Ordinationes Clericorum, ab Episcopis accipiant, in quorum sunt Diœcesibus constituti. Canon iste qui in Codice Anianensi est decimus-sextus, aliis quoque verbis in eo exhibetur: *Sanctorum etiam Patrum vestigiis inhærentes, generali Decreto sancimus, ut Monachi propriis Episcopis, cum omni humilitate subjecti existant, & eis ut Magistris & Ecclesiæ Dei Pastoribus debitam obedientiam & devotam in omnibus subjectionem exhibeant. Publicas Missarum solemnitates nusquam celebrent. A publicis etiam Infirmorum visitationibus, Inunctionibus, seu etiam Pœnitentiis, quod ad illorum nullatenus officium pertinet, sese omnino abstineant. In Ecclesiis vero quibus ministrare noscuntur, Presbyteros nonnisi per manum sui Episcopi habeant, qui ei de animarum cura suscepta respondeant.*

Publicarum Missarum celebratio, & publica visitationes infirmorum ad Sacramenta illis administranda Monachi prohibentur.

Decimus-octavus, Presbyteros Parochialibus Ecclesiis ab Episcopis præfici statuit, de animarum cura ipsis rationem reddituros: eos vero qui decimas & Ecclesias a laicis absque consensu Episcoporum susceperint, canonicæ obnoxios declarat ultioni. *Decimus-nonus*, servitia, seu contributiones, quas Monasteria vel eorum Ecclesiæ a tempore *Gregorii VII.* præstare consueverant, confirmat. Possessiones Ecclesiarum tricennales Abbatibus & Monachis prohibet. *Vigesimus*, eos qui Ecclesiis, earumque bonis, ac personis, videlicet Clericis, Monachis, Conversis, aratoribus, molestiam creaverint, Anathemate ferit. *Vigesimus-primus* Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Monachis prohibet, ne concubinas habeant, aut matrimonia contrahant: Contracta dirimit: Contrahentes ad Pœnitentiam cogendos, secundum Canones, edicit. Canon iste, qui in Anianensi Codice deest, uti & præcedens, videtur in altera Synodo conditus, & huicce Lateranensi falso adscriptus, quæ sane duos ejusdem argumenti Canones non condidisset. At Canon tertius vulgatarum editionum, qui in Codice Anianensi septimus est, Presbyteris, Diaconibus vel Subdiaconibus, *concubinarum & uxorum contubernia* penitus interdicit. Quorsum ergo Canone XXI. idem prohibuisset? *Canon Vigesimus-secundus*, alienationes possessionum Ravennatis Exarchatus, & bonorum

Canon 21. ad alteram Synodum pertinere videtur.

norum Ecclesiasticorum quocumque modo & a quibusvis factas damnat, irritasque declarat: Ordinationesque ab Episcopis seu intrusis, seu canonice electis, sine communi consensu Clericorum Ecclesiæ, sive per Simoniam factas, pariter irritas judicat; non quidem quoad substantiam ipsam (ut ita loquar) Ordinum, & Characterem; sed quoad executionem, locum & Privilegia quibus carere furtim aut simoniace Ordinatos decernit Sancta Synodus.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 624. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant; *Hoc tempore Præfectorum Urbis summa erat authoritas, & pene a Romanis Pontificibus independens.*

R. Et hæc mera facti quæstio. De *Callisti II.* tempore agitur. Tunc temporis summam fuisse Præfectorum Urbis authoritatem observavi, & pene a Romanis Pontificibus independentem, quia Imperatoribus juramento fidelitatis erant obstricti, & ab iis Dignitatem Præfecturæ tenebant usque ad *Innocentii III.* tempora, qui Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, & consuetudines quas hue-usque Præfecti usurpaverant contra jura temporalia Romani Pontificis; contra Ecclesiæ libertatem, ac Reipublicæ bonum abrogavit, ut ex ejus Vita & literis compertum est. In Gestis quidem Innocentii III. ab Authore coætaneo conscriptis, hæc leguntur: *Sequenti die post Consecrationem suam Petrum Urbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit: & per mantum, quod illi donavit, de Præfectura eum publice investivit, qui usque ad id tempus juramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo Præfecturæ tenebat honorem.* Hæc Innocentii III. Vita. Idem constat ex Epistola ejus XXIII. lib. I. & Epistola DLXXVII. Edit. *Baluzii*. Rem in Historia observatione dignam commemoravi, & ex probatis confirmavi monumentis. Cur mihi propterea molesti sunt Religiosi Censores? Non considerarunt hæc ante me observasse *Dominicum Galesium* Episcopum Rubensem, quem non sine honoris præfatione citavi; quam *Gelasii* Observationem *hierolexico* suo Romæ edito, & a Reverend. P. *Capisucchi* Sacri Palatii tunc temporis Magistro, postea S. R. E. Cardinali, approbato inseruerunt *Dominicus* & *Carolus Macri* fratres, verbo *Porticani*, pag. 483. col. 1. sed & *Odericus Raynaldus* in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum 1198. num. 13. idem refert.

Nota.

PRofecto usque ad Innocentium urbis Præfectus præfecturam ab Imperatore agnoscebat, eique fidelitatis juramento obstringebatur. Innocentius vero ipsum ad ligiam fidelitatem recepit, ac Præfecturam ut a se collatam exercere mandavit. Ita etiam narrat Franciscus Pagi in vita ipsius Innocentii, hæc etiam subdens: *Pariter ab aliis Baronibus circumquaque juramentum fidelitatis recepit: ac missis Nunciis per totum Ecclesiæ patrimonium fecit sibi fidelitatem ab omnibus exhiberi, & exclusis Justitiariis Senatoris suos ordinavit, electoque alio Senatore tam infra urbem, quam extra, Patrimonium recuperavit nuper amissum.* Primus ergo hic Pontifex plenum jus Romæ imperandi sibi vindicavit, & ab Ecclesiæ patrimonio injustos invasores pro viribus expulit.

DISSERTATIO V.

De GOFFRIDI *Vindocinensis Abbatis*, & MARBODI *Redonensis Episcopi Epistolis*, ROBERTO De ARBRISELLO *inscriptis*.

DE *Goffridi Vindocinensis Abbatis* Epistola *Fratri Roberto* inscripta egit vir doctissimus *P. Bollandus* S. J. in Commentario prævio ad Vitam *B. Roberti de Arbrisello*, ad diem 25. Februarii. Idem argumentum tractavit *P. Joannes A manu-Firma* Fontebraldensis Monachus in Dissertatione duplici *De Epistola contra B. Robertum de Arbrisello conficta*. Neutri attingere placuit Epistolam, quæ sub *Marbodi* Redonensis Episcopi nomine ad eumdem venerabilem virum scripta circumfertur. Utramque hac in Dissertatione expendam ubi præmonuero, Magistrum *Robertum de Arbrisello* cui sunt inscriptæ, virum fuisse pietate, doctrina, & zelo salutis animarum insignem, in villa *Arbrisello*, Diœceseos Redonensis, in Aremorica, natum anno circiter 1047. obiisse Ursani in Diœcesi Bituricensi, in Ordinis a se conditi Parthenone, anno 1117. Galliam Ecclesiamque universam Sanctitate sua illustravit, & Apostolicis ædificavit virtutibus. Christi bonus odor fuit vivens mortuusque; at Museæ morientes perdere conatæ sunt pretiosi suavitatem unguenti. Calumniam passus est a nebulonibus, præsertim a *Roscelino* Hæretico & ab æmulis, quos ipsi virtutum splendor, populorum ad ejus conciones incredibilis concursus, vitæ severioris studium, acerrima & ferventissima vitiorum reprehensio, novi instituti Ordinis, mulierum comitatus & ad vitam religiosam conversio, summa apud Ecclesiæ sæculique Principes gratia & authoritas pepererunt. Sed solis instar qui offusas nebulas dissipat, radiosque splendidiores diffundit, Sanctissimi Viri fama calumniis superior atrocissimis, de invidia & oblivione triumphavit: Ut quod de Josia (*Ecclesiastici* 49.) scriptum est Venerabili Fontebraldensis Ordinis Parente non immerito prædicari queat. *Memoria ejus in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem.* Ejus Vitam *Baldricus* Dolensis in Aremorica Episcopus, & Anonymus Fontis-Ebraldi Monachus ipsi coævus, ejusque discipulus, scripsere [a]. Utramque P. *Bollandus* edidit inter Acta Sanctorum mensis Februarii ad diem 25. & in Commentario ad eamdem Vitam prævio varia ejusdem Beati Viri collegit elogia; quæ *P. Joannes a Manu-Firma* in Dissertationem quoque suam congessit. Legi etiam de his potest *P. Nicquettus* S. J. Presbyter in Fontebraldensis Ordinis Historia. Nos, quod instituti nostri est, Criticam de *Goffridi Vindocinensis*, & *Marbodi* Epistolis Venerabilem *Robertum de Arbrisello*, & Sacrum Ordinem Fontis-Ebraldi spectantibus, Dissertationem aggrediamur.

Venerabilis Roberti de Arbrisello *elogium.*

Andream *ejus Capellanum & Confessarium recentiores vocant.*

ARTICULUS I.

GOFFRIDI VINDOCINENSIS *Abbatis Epistola* FRATRI ROBERTO *inscripta discutitur; illi asseritur contra recentiores quosdam Authores. Ejusque doctissimus Editor* P. SIRMONDUS *vindicatur a calumnia.*

QUadragesima-septima illa est Libri 4. sic inscripta: *Goffridus Vindocinensis Monasterii humilis servus, suo in Christo multum dilecto Fratri Roberto, servare modum discretionis, & terminis quos Patres posuerunt, esse contentum.* Sic autem habet:

„ Novit, Carissime, & bene novit tua Dilectio, „ aliquid aliter agere esse humanæ imperfectionis: „ & quod aliter actum est, nolle corrigere, diabolicæ præsumptionis. In nullo agere præter id quod „ est agendum, est Angelica perfectio, quam habere „ minime potest, quandiu hic sumus, nostra condi„tio. Dum igitur non habemus perfectionem An„geli, nullatenus habeamus præsumptionem Diabo„li. Hæc idcirco, Venerabilis Frater, proposui„mus, quia te talia egisse, & adhuc agere, fama „ discurrente sinistra, audivimus; quæ si vera sunt, „ ut nulla excusatione illa defendas, sed cum omni „ festinatione corrigas, tuam simplicitatem germa„næ caritatis visceribus commonemus. Audivimus „ enim quoniam circa sexum fœmineum quem re„gendum cepisti, duobus modis altero alteri pror„sus contrario te ita sollicitum reddis, quod modo

„ in utroque modum discretionis penitus, excedis. Fœminarum quasdam, ut dicitur, nimis familiariter tecum habitare permittis, quibus privata verba sæpius loqueris: & cum ipsis etiam & inter ipsas, nocto frequenter cubare non erubescis. Hinc tibi videris, ut asseris, Domini Salvatoris digne bajulare Crucem, cum extinguere conaris male accensum carnis ardorem. Hoc si modo agis, vel aliquando egisti, novum & inauditum, sed infructuosum genus Martyrii invenisti.

Et infra: „ Tu quidem in mundo quasi montem excelsum ascendisti; ac per hoc in te linguas & oculos hominum convertisti. Ergo stans in monte, vide ne corruas: nec per martyrium Martyribus Sanctis penitus ignotum, religiosæ vitæ principio notam infamiæ derelinquas. Nulla etiam tua actione Mundo, qui pene totus te sequitur, suscites scandalum. Nam fieret tibi damnatio gravior ruina plurimorum. Mulierum quibusdam, sicut fama sparsit & nos ante diximus, sæpe privatim loqueris, & earum accubitu novo quodam Martyrii genere cruciaris. Illis siquidem te semper sermone jucundum ostendis, & alacrem actione: omneque genus humanitatis exhibes: nulla servata parcitate. Aliis vero, si quando cum ipsis loqueris, semper locutione nimis durus appares, nimis districtus correctione: illas etiam fame & siti ac nuditate cruciat, omni relicta pietate. Quod si ita est, in utroque vehementer offendis, & modum totius discretionis transgrederis, &c. *Denique ita Epistolam concludit Author*: „ Vale, & nos tuarum sanctarum precum, suppliciter precamur, participes effice.

Hanc Epistolam a *Goffrido* Vindocinensi ad Venerabilem *Robertum de Arbrisella* scriptam negat vir eruditus *Bollandus* in Commentario prævio ad ejusdem *B. Roberti* Vitam; quod tempus facile assignari non possit, quo illam scripserit. Nec enim tempore *Urbani II.* quo nullas adhuc fœminas *Robertus* congregaverat: maxime, cum idem Pontifex ipsum Concionatorem Apostolicum instituerit, & Andegavis coram se concionari jusserit, quod certe non præstitisset, si jam sinistri illi rumores contra ipsius famam vulgati fuissent. Nec etiam Abbatia *Fontis-Ebraldi* jam condi cœpta: & Sanctimonialibus congregatis, licet claustro nedum inclusis. Tunc enim *Goffridus Vindocinensis* Fontem-Ebraldi frequentabat, & tam familiari Sanctimonialium fruebatur caritate, colloquio, ministerio, ut inter ipsarum manus gibbum seu tumorem, qui sibi in dorso succreverat, secari permiserit, ut ipse scribit Epistola 32. lib. 4. in qua & *Dilectas Deo Sanctimoniales Fontis-Ebraldi* vocat. Conferantur & Epistolæ 24. & 26. libri primi. Quamobrem extra omnem veri speciem esse ait, quod probrosam illam & duriorem Epistolam ad venerabilem *Robertum de Arbrisella* scripserit, quem monere coram poterat, si tale propudium fama de ipso sparsisset. Longe minus verisimile esse, quod Epistolam viri sibi amicissimi, & *Dilectarum Deo Sanctimonialium* famæ derogantem, inter adversaria servasset, ad memoriam posteritatis traducendam. Nec etiam credibile esse, quod Vindocinensis Abbas Venerabilem *Robertum* & Sanctimoniales Fontis-Ebraldi tam sincera dilectione coluisset, ipsisque fuisset adeo familiaris, si ipsius illarumque famam tam publicum dedecus contaminasset.

Tandem perfecto jam Fontis-Ebraldi claustro & Sanctimonialibus inclusis, audire non potuit *Goffridus* Abbas, *fama discurrente* sinistra, multominus dubitare, an verum esset propudium illud de Venerabili *Roberto* (si Superis placet) vulgatum; cum Ordinis Constitutiones ad amussim servarentur, quibus sancitum erat, ut ne quidem ad lectum decumbentis Abbatissæ & Sanctimonialium accedere Sacerdotes possent, earum Confessiones excepturi; & sacram Communionem administraturi, sed infirmis ad Oratorium delatis sacrum ministerium, obirent. Has rationes suas fecit P. *A Manu-Firma* Fontebraldensis Professor.

At videbitur forsan aliis assignari posse tempus, quo hanc scripserit Epistolam *Goffridus*, cum scilicet *Robertum de Arbrisello* concionantem innumera sexus utriusque multitudo sequebatur; vel cum ædificari cœptum est Fontis-Ebraldi Monasterium, antequam illæ omnis generis fœminæ, virgines, viduæ, meretrices ad meliorem frugem conversæ, votis sese obstrinxissent, aut certe antequam claustris septæ essent. Licet enim bis aut ter forsan illuc se contulerit *Goffridus* Abbas, Magistrum *Robertum de Arbrisella* & *Deo dilectas Sanctimoniales* invisurus; potuit tamen absens audire calumniam, seu famam sinistram a nebulonibus quibusdam contra Virum Sanctum & sanctas vel pœnitentes ejus alumnas vulgatam, a paucis nimium credulis (ut sunt hominum mentes ad fidem maledictis adhibendam proclives) exceptam; & de hujusmodi probro, quod contra ipsum, illasque, fama discurrente sinistra, jactabatur, illum amice commonere per Epistolam, quem adire tunc non posset. Hanc vero in adversariis non servavit, ut posteritati innotesceret; sed collectis, postquam e vita migravit, ejus Epistolis, hæc etiam inter cæteras inventa est, & a doctissimo Patre *Sirmondo* bona fide cum illis edita.

Goffrido Vindocinensi suppositam hanc Epistolam conjicit *Bollandus*, quod in Codice MS. Opusculorum & Epistolarum ipsius, qui in Cœnobio Vindocinensi asservatur, ea non extet, quod testati sunt ac propria manu subscripserunt Prior ac Supprior ejusdem Cœnobii rogante *Joanna Baptista de Barbonio* Fontis-Ebraldi Abbatissa. Addit P. *Joannes A Manu-Firma* Monachus Fontebraldensis, Dissertatione I. in Epistolam contra *B. Robertum* confictam, Articulo IV. Vindocinensem Codicem autographum esse *Goffridi* Abbatis, cum pagina quarta depictus sit indutus casula in cuspidem desinente, altero genu nixus, cum hac epigraphe: *Hic est Goffridus peccator*; quam eo defuncto nemo appingere ausus esset.

Verum in Codice MS. Vindocinensi hanc de qua agitur Goffridi Abbatis ad Robertum de Arbrisello Epistolam extare certo scimus, sed mutilam, titulo scilicet ac duodecim circiter primis lineis truncatis, abscisso folio Codicis maligna manu. Hinc factum ut Prior ac Supprior Vindocinenses, re non satis considerata solisque Epistolarum perlectis inscriptionibus, putaverint illam ad Robertum de Arbrisello deesse, idque Serenissimæ Abbatissæ Fontis-Ebraldi per literas testificati sint: & Cœnomanensis Codex antiquitate venerandus, hanc, de qua disserimus, Epistolam exhibet eadem manu scriptam qua cæteras; *Goffridi* ingenium stylumque sapit; *Multum dilecto Fratri Roberto* inscripta est. Elenchus Codicis *Robertum de Arbrisella Sanctimonialium de Fonte Ebraldi Procuratorem* designat. Qui quamvis alia manu descriptus sit, ac reliquus Codex, & in eo venerabilis *Robertus procurator*, non *Fundator Fontis-Ebraldi* nuncupetur, satis aliunde manifestum est Epistolam ad alium *Robertum* non referri, cum uni Fontebraldensis Ordinis Conditori hæc conveniant omnia, quod *sexum fœmineum regendum cepisset*; quod *in mundo quasi montem excelsum ascendisset, ac per hoc in se linguas & oculos hominum convertisset*. Nam inter viros sanctos & Apostolicos Prædicatores *Bernardum*, *Vitalem*, & *Robertum de Arbrisello* convenerat, ut *Robertus quidem fœminarum communi labore ad meliora conversarum sollicitudinem gereret; Bernardus vero & Vitalis moribus propensius providerent. Robertus itaque famosissimum illud Monasterium fœminarum de Fonte Ebraldi construxit, & Regularibus disciplinis informavit* (inquit *Guillelmus Neuburgensis* lib. 5. *De Rebus Anglicis*, cap. 15.) Et cur Sanctimonialium Fontis-Ebraldi Procurator æque ac Fundator dictus non fuisset venerabilis *Robertus de Arbrisello*, de quo scribit *Baldricus* Dolensis Episcopus in ejus Vita: *Ad cibos exquirendos exibat Robertus, mater apis, apis prudentissima*, &c. & qui Discipulos his verbis allocutus est, teste altero Scriptore Vitæ ejus Anonymo: *Deliberate vobiscum, utrum permanere velitis in vestra proposita, ut scilicet pro animarum vestrarum salute, obediatis Ancillarum Christi præcepta. Scitis enim, quia quæcumque, Deo cooperante, alicubi ædificavi, earum potestati atque dominatui subdidi*. Non est itaque de his minutiis vitilitigandum, sed fatendum est *P. Sirmondum* bona fide, nec absque criterio, hanc de qua agimus Epistolam inter cæteras *Goffridi* Vindocinensis Abbatis ex Codice Cœnomanensi edidisse. Cœnomanensis Codicis integritatem, & *Sirmondi* judicium confirmat Codex MS.

Bi-

Bibliothecæ Sanctæ Crucis; quæ Minorum Conventualium domus est Florentiæ, in quo extant *Goffridi Vindocinensis* Epistolæ, ex quibus quadragesima-tertia est, *Ad Robertum de Arbrisello Sanctimonialium de Fonte-Ebraldi Procuratorem*. Codex scriptus est Authoris ætate, teste Dom. *Joanne Mabillonio* in Itinere Italico. Idem confirmat Codex alter MS. in *Christinæ* Suecorum Reginæ Bibliotheca ab eodem *P. Mabillonio* visus, Epistolas *Goffridi* Abbatis Vindocinensis pariter continens, & has inter Epistolam *Ad Robertum de Arbrisello*, cujus nomen sola prima litera R. designatur. Scriptus est Codex ipsius Goffridi ætate. Sane licet *P. Joannis a Manu-Firma* Fontebraldensis Monachi studium in vindicanda venerabilis parentis sui *Roberti de Arbrisello* fama plurimum laudem, probare non possum quod *P. Sirmondum* pietate non minus quam eruditione præstantem, & prudentia conspicuum singulari, impietatis & imprudentiæ accuset, ceu qui libellum famosum in lucem ediderit. *Respondeo* (inquit pag. 47.) *impie judicium hoc imprudens pervulgatum esse edita in lucem cum notis hac ignominiosa beato Roberto Epistola. Nam qui legit libellum famosum, graviter peccat, cum sacris interdicatur. Igitur gravissime peccabit, qui illum tradit legendum; sed qui edidit in lucem cum Notis, probrosam hanc in B. Robertum Epistolam, omnibus legendum dedit libellum famosum. Quid itaque certius, quam eum gravissime peccasse, immo impietate Chamum superasse?* &c. Et prolata quadam *Vincentii Lirinensis* sententia, subdit: *Si tantum ex Vincentio Lirinensi sit peccatum, crimen ab alio vere patratum in lucem proferre, quantum peccatum erit, crimen falso alicui impositum, uti Sirmondus pervulgavit, pervulgare? Adeo atrox, adeo immane, adeo horrendum est, ut illius consocius olim morte mulctaretur.* Declamationem illam in *Sirmondum* Religiosos inter eruditosque viros celeberrimum contumeliosam, quis æquo animo ferre posset? An impietatis reus est, qui ex Codice MS. optimæ notæ inter alias Authoris alicujus Epistolas & illam edit, quæ ejusdem nomen præfert, ac eodem stylo scripta, eadem manu exarata est? An imprudenter vulgatur Epistola, quam qui supprimeret, malæ fidei reum se probaret? Quod a *P. Sirmondi* ingenuitate, & animi candore alienissimum erat. An libellum famosum vulgasse dici potest, qui vulgavit Epistolam commonitoriam, quam amicus scripsit ad amicum, de sinistris rumoribus qui adversus ipsius famam jactabantur?

P. Sirmondum palinodiam recantasse, idemque fecisse *Theophilum Raynaldum* in *Triade Fortium*, opponit Fontebraldensis Theologus *P. Joannes A manu firma* Articulo VI. Dissertationis I. Palinodiæ *Sirmondi* testem laudat *Bollandum* S. J. in Commentario prævio ad Vitam *B. Roberti de Arbrisello*, scribentem se a viro quodam sincero & gravi ejusdem Societatis accepisse, illum omnino postea judicasse, eam Epistolam *Goffridi* germanum fœtum non esse, re maturius considerata, ac deliberasse, si *Goffridi* Opusculo denuo prælo mandaret, eam Epistolam expungere. *Theophili Raynaldi* verba profert priorem sententiam retractantis. Tum de utroque Authore subdit: *Conjecturarum suarum inanitatem & calumniarum atrocitatem contemplans atque considerans, conscientia actus, & pœnitentia ductus [ut credibile, aut saltem probabile est] quidquid falso, imprudenter, & inverecunde in B. Robertum effutierat junior, senior retractavit.*

P. Theophilum Raynaldum mitto, in cujus libris nonnulla retractatione indiguisse, in Religiosos quosdam Ordines stylo scripta duriori, notum est. In postrema omnium ipsius Operum editione Opuscula quædam hujusmodi, Piissima Sapientissimaque Societas Jesu se *non agnoscere tamquam sua*, præfixa censura palam contestata est: Nec dubito quin pariter improbasset, quæ in famam Venerabilis *Roberti de Arbrisello*, & Fontebraldensis Ordinis idem *P. Theophilus* duriora scripserat, nisi ipse vulnus illatum curavisset. At de *P. Sirmondo* aliud ferendum judicium est, qui nec falsitatis accusari juste potest, cum Epistolam *Goffridi Vindocinensis* ad *Robertum* nec confinxerit, nec interpolaverit, neque Notis aut commentariis eidem Venerabili Viro, vel Sanctimonialibus aut Monachis Fontis-Ebraldi contumeliosis illustraverit, sed ea fideliter & ingenue reddiderit, quæ in Cœnomanensi Codice Abbatiæ *De Cultura Dei* leguntur: Nec imprudentiæ & inverecundiæ absque injuria potest insimulari, vel calumniarum atrocium reus agi, qui *Goffridi* Vindocinensis Opera publici juris faciens, quo nomine, aliisque plurimis de sacris Literis optime meritus est, Epistolam edidit, quam absque fraude supprimere non poterat. Palinodiæ *Sirmondi* testis unus, isque Anonymus a *P. Bollando* profertur. Ex viris plerisque eruditis omnium ordinum & Religiosissimæ imprimis Societatis Jesu qui Parisiis doctissimo *Sirmondo* familiariter usi sunt quorum aliqui sunt etiamnum superstites, nullus est qui *conscientia actum, & pœnitentia ductum, deliberasse* asserant *eam Epistolam expungere, si Goffridi Opuscula denuo prælo mandaret*. Et cur vir æque ingenuus ac eruditus, qui tot Observationes in adversariis reliquit, cujus tot Notæ posthumæ habentur, suam illam pœnitentiam aliqua saltem Notula testatus non fuisset? At nullius criminis necessaria pœnitentia non erat.

Rationes R. P. A. Manu-Firma *refelluntur.*

Quatuor ex Capitibus probare nititur *P. Joannes A manu-Firma* hanc Epistolam *Goffridi Vindocinensis* non esse: Primum quod ingratum Episcopum vituperaverit *Goffridus* * qui a Monacho hospitio susceptus, *cœpit ab ipso innocentis hospitis famulo ejus vitam, non approbando, prout dignum fuerat, sed reprobando inquirere: & quibus poterat verbis vas caritate plenum conabatur incrustare.* Idem autem sceleris genus patrasset *Goffridus* Abbas, si hanc scripsisset Epistolam: *Roberti* enim vitam non reprobando solum, sed etiam irridendo inquisisset.

Epist. 4. Lib. 3.

At deficere hoc ratiocinium videtur; cum aliud sit de alicujus vita & moribus alios interrogare maledicendo, utque ipsi noceas; aliud amicum monere de sinistris rumoribus qui adversus ipsum sparguntur, ab iis caveat, eaque emendet quæ carpuntur a nonnullis, si vera sint. Primum invidiæ, odiique fructus est, secundum pietatis & caritatis; Illud scelus est ingrati Episcopi, quem merito *Goffridus* reprehendit; istud amici officium quod Religiosus Abbas erga Venerabilem *Robertum* implevit.

Secundum argumentum Patris *A Manu-Firma* ex eo petitur, quod *Goffridus Vindocinensis* non fuerit is qui sinistra apud populum discurrente fama moveretur; sed potius quemlibet similem rumorem spreverit semper ac damnaverit, ut patet ex Epistola 46. hanc de qua agimus immediate præcedente, in qua scribit: *Mandasti nobis, quod dictum vobis fuerat, quod Herbertus Presbyter de Saviniaco quamdam maritatam tenebat, cujus maritum nocte graviter vulneravit, eo quod propriæ uxori adulterini amoris habenas non relaxabat...... Nos tamen non decet, & secundum canones nulli licet in incerta re sententiam dare .... Nec ista nobis, sed ab Episcopo suo sunt examinanda.* Nonne igitur multo magis injuriosum de Beato *Roberto* sprevisset & damnasset rumorem?

Fateor *Goffridum Abbatem* proclivem non fuisse ad credendum sinistræ famæ per ora vulgi discurrenti: nec etiam fidem adhibuit sinistris rumoribus, quos male feriati nebulones adversus virum religiosissimum sibique amicissimum *Robertum de Arbrisello* disseminarant; sed ipsum nihilominus admonuit; quod nisi præstitisset, veri amici officio defuisse non immerito videretur. Non credebat *Goffridus Herbertum* Presbyterum reum esse criminum quæ ipsi fama affingebat, & tamen in ipsa Epistola qua id profitetur, scribit: *Si vera sunt hæc, quæ de Presbytero fama sparsit, valde nequam est Presbyter qui talia fecit.* Quidni ergo sinistræ famæ contra *Robertum de Arbrisello* discurrenti minime credens, scribere ad ipsum potuit eadem cautione? *Quæ si vera sunt, ut nulla excusatione illa defendas, sed cum omni festinatione corrigas, tuam simplicitatem germanæ caritatis visceribus commonemus: Audivimus enim, &c. Fœminarum quasdam, ut dicitur, &c. Hoc si modo agis, vel aliquando egisti, &c. Mulierum quibusdam, sicut fama sparsit, sæpe privatim loqueris, &c. Quod si ita est, in utroque vehementer offendis, &c.* Goffridum *Vindocinensem* non credidisse sinistræ hujusmodi famæ, hic loquendi modus manifeste probat, idque magis suadet Epistolæ finis:

Vale

Vale, inquit, *& nos tuarum sanctarum precum, supplicitet precamur, participes effice*. Nemo vero ajus sanctas preces existimaret, aut iis se commendaret, quem cum fœminis & inter fœminas noctu cubare, & novum illud Martyrii genus invenisse crederet.

Tertium argumentum Patris *A Manu-Firma*, ex eo petitur, quod post obitum etiam *Roberti de Arbrisello* frequenter ad Fontem-Ebraldi *Goffridus* Vindocinensis Abbas diverterit, & concordiæ initæ inter *Petronillam* Abbatissam, & *Adamum de Rupe-Forti* Dynastam Credonensem * subscripserit. Ipsum autem passa non fuisset *Petronilla*, immo ipsum repudiasset, explosisset, insectata fuisset vehementius, si hanc scripsisset Epistolam Venerabili *Roberto* & Ordini injuriosam. Seigneur de Cram.

At cum perspectam haberet *Petronilla* sinceram *Goffridi* Vindocinensis adversus *B. Robertum de Arbrisello*, ejusque filias caritatem multis testimoniis probatam; cum probe nosset Epistolam, de qua agimus, eadem Christi caritate urgente ab ipso scriptam fuisse ad Magistrum *Robertum*; cum gratias ipsi haberet maximas, quod sinistræ famæ fidem non adhibuisset, immo cognita venerabilis viri & dilectarum Deo Sanctimonialium innocentia & caritate, ipsas, & post Magistri obitum, coleret atque tueretur; mirum esse debet nemini, quod ipsum ut unum e præcipuis Monasterii sui ac Ordinis amicis ac patronis *Petronilla* honorifice susceperit, ejusque arbitrio suam cum Domino Credonensi controversiam commiserit. *Goffridi* in Venerabilem *Robertum de Arbrisello*, ejusque filias ac filios observantiam, caritatem, beneficentiam, probat Charta Societatis cum ipsis initæ anno 1114. quam ex Chartulario Majoris Monasterii Fontis-Ebraldi profert *P. Bollandus* in Commentario prævio ad *B. Roberti* Vitam §. VI. Num. LVIII. cujus hic tenor est: *Notum facimus ita futuris, sicut præsentibus, quod Dominus Goffridus Abbas Vindocinensis, ante omnes & supra omnes Abbates, hujus loci, qui Fons-Ebraldi dicitur, familiaritatem habet & Beneficium: & cum ipse obierit per singulos annos ipsi solemniter celebrabimus Anniversarium. De Fratribus autem Vindocinensis Monasterii, de quibus bene habuerimus, tantum faciemus, quantum pro nobismetipsis. Ipse vero Dominus Abbas partem telonei quam apud S. Florentium habebat de sale, nostro Monasterio donavit in perpetuum, & habendam concessit. Facta sunt hæc in Capitulo Fontis-Ebraldi, præsentibus Domino Goffrido Abbate Vindocinensi, & Domno Roberto Magistro nostro, anno 1114. Indict. 7.* Charta hæc luculentum argumentum præbet, quo demonstretur, *Goffridum Vindocinensem* sinceræ studio charitatis commonefecisse *Robertum de Arbrisello* sibi in Christo dilectissimum, de propudio, quod fama discurrente sinistra de ipso inaudiverat, sed mendaci famæ fidem adhibuisse nullam, & comperta calumniæ tam immanis falsitate, Venerabilem Magistrum, & dilectas Deo Sanctimoniales Fontis-Ebraldi ferventiore caritate fuisse prosecutum, societatem cum ipsis inivisse, ipsasque beneficiis auxisse.

Quartum argumentum Patris *A Manu-Firma* ex eo petitur quod hujus Author Epistolæ, sa ea quæ scribit, fama discurrente sinistra audivisse testetur. Porro (inquit) sinistra numquam de B. *Roberto* discurrit fama. Si enim probrosus hujusmodi de illo sparsus esset rumor, quomodo *bonæ memoriæ, felicis recordationis, & memoria dignus* fuisset nuncupatus? Quomodo acceptus fuisset Regibus & Principibus, Episcopis, & Clericis, Consulibus, & quibuslibet popularibus? Quomodo Summorum Pontificum, Legatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & celeberrimorum Scriptorum testimoniis & laudibus celebratus?

Equidem si fama illa sinistra vera fuisset, si virorum proborum innixa testimonio, si publica, & omnium animos occupasset, si præclarum Venerabilis *Roberti de Arbrisello* nomen infuscasset, imminuissetque summam, quæ de illius castitate & sanctimonia apud bonos omnes erat, opinionem; istud Patris *A Manu-Firma* non infirmum esset argumentum: sed cum fama illa sinistra tenebriones quosdam ac nebulones dumtaxat authores habuerit, cum fuerit omnino mendax, cum pauci fidem ipsi adhibuerint, cum facile fuerit dissipata; ac Beati Viri sanctitas longe lateque nota & celebrata putidis illis calumniis superior extiterit, nihilosecius acceptus fuit Regibus & Principibus, Episcopis & Clericis, Consulibus & Plebi, nihilosecius Summorum Pontificum, Præsulum, & illustrium Scriptorum testimoniis celebratus est. Si Sancti Illustriores & maximis præconiis sua ætate, sequtisque sæculis ornati, calumniam passi sunt, cur ab hac sorte immunem Magistrum *Robertum de Arbrisello* Pater *A Manu-Firma* contendit, eisque dicam scribit impietatis & impudentiæ, qui *fama discurrente sinistra* probra quædam de ipso audivisse *Goffridum Vindocinensem* asserunt? Cur falsi postulat *Goffridi* Epistolam hac ratione, quod nusquam fama sinistra de Venerabili *Roberto* discurrerit: Quia si discurrisset, numquam tot fuisset præconiis celebratus, nullius certe momenti hæc ratio, nec beati viri causam tuetur satis. Quis enim majoribus præconiis celebratus est quam Christus; quem alii *Eliam*, alii *Jeremiam*, aut *unum ex Prophetis*; alii *Prophetam Magnum*, alii Magistrum *qui a Deo venit*; hi *bene omnia fecisse*; iste e medio turbarum prosiliens, *Beatum ventrem qui eum portavit*; illi *Messiam, Salvatorem, Filium Dei Vivi* prædicabant? Indene colliget Pater *A Manu-Firma* qui majori erga Christum amore ac pietate proculdubio flagrat, quam erga Venerabilem *Robertum* sinistram famam de Christo non discurrisse? Id ne asserat, Evangelium prohibebit; Joannis VII. *Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.* Legis infractorem, violatorem Sabbati, vini potatorem, in Beelsebud dæmonia ejicientem, Scribæ & Pharisæi blasphemaverunt. Et *Si patrem familias Beelsebud vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Christiana Religio sanctissima est, priorumque sæculorum Christiani flagrantibus persecutionibus sanctissime vivebant, & *S. Luca* testimonio in Actis Apostolorum, & priscorum Patrum præconiis celebrantur. Inde ne colliget Fontebraldensis Theologus, sinistram famam de primis Christianis non discurrisse? Ipsum forsan prohibebont Christianæ Religionis celebres Apologistæ Athenagoras, Justinus, Tertullianus, Minucius Felix. Apolog. cap. 7. *Dicimur sceleratissimi*, inquit Tertullianus, *de sacramento infanticidii, & pabulo inde, & post convivium incesto, quod eversores luminum, canes, lenones scilicet, tenebras, tum & libidinum impiarum inverecundiam procurent. Dicimur, tamen semper, nec vos quod tamdiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite si creditis, aut nolite credere, qui non eruistis.* Et cap. 40. *At e contraria illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant, qui adversum sanguinem innocentium conclamant prætexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit ad mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si lues, statim Christianos ad leonem.* S. Cornelius S. *Cypriani* aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum laudibus celebratus est. An inde colliget Fontebraldensis Professor, sinistram famam nusquam de ipso discurrisse? Ipsi hoc ratiocinium prohibebit, quam laudat, *S. Cypriani* Epistola 52. ad Antonianum: *Etiamsi*, inquit, *Majestas Domini protegentis & bonitas, Sacerdotem, quem fieri voluit, factum quoque protexit; tamen Cornelius quantum ad ejus devotionem pertinet & timorem, passus est quidquid pati potuit, & Tyrannum armis & bello postmodum victum, prior Sacerdotio suo vicit. Quod autem quædam de illo inhonesta & maligna jactantur, nolo mireris; cum scias hoc esse opus semper diaboli, ut servos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, ut qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Explorasse autem Collegas nostros scias, & verissime comperisse, nulla illum Libelli, ut quidam jactant, labe maculatum esse*, &c. Non ne contra S. *Cyprianum* Pontificum, Romani, Cleri, Martyrum, Confessorum, Virginum sacrarum præconiis suo tempore celebratum, sinistra fama ab obtrectatoribus sparsa est, ut ipse testatus Epistola 69. ad *Florentium Pupianum*, cujus

cujus hæc sunt verba. *Ego te, Frater, credideram tandem jam ad pœnitentiam converti, quod in præteritam tam infanda, tam turpia, tam etiam Gentilibus execranda, aut audisses de nobis temere aut credidisses... Prævaluit apud te contra divinam sententiam, & contra conscientiam nostram fidei suæ viribus nixam, inimicorum & malignorum commentum, quasi apud lapsus & profanos, & extra Ecclesiam positos, de quorum pectoribus excesserit Spiritus Sanctus, esse aliud possit nisi mens prava, & fallax lingua, & odia venenata, & sacrilega mendacia.* Quidni ergo & contra *Robertum de Arbrisello* fama sinistra vulgata sit, quæ *Goffridum Vindocinensem* impulerit ad eam scribendam Epistolam de qua agimus, ad eumdem Venerabilem Virum, sibique amicissimum? Etsi famæ tam mendaci non crediderint *Goffridus* bonique omnes, utpote a viris improbis sparsæ, quibus mens prava, & fallax lingua, & odia venenata, & sacrilega mendacia. Quid *S. Athanasium*, Magnum *Eustathium* Antiochenum Patriarcham, quid *S. Chrysostomum* commemorem; contra quos, licet tanta in opinione sanctitatis essent, totoque orbe celebres, fama nihilominus sinistra discurrit? Quid *S. Hieronymum* castissimum Doctorem, qui ut homo parum pudicus a multis traductus est, quod matronas & virgines quasdam Romanas, & sacrarum Scripturarum studio præstantes, assidue inviseret, ut eas in via Christianæ perfectionis dirigeret, ipsisque sacras Literas exponeret? Id ipse testatur Epistola 99. ad Asellam. „ Licet, *inquit*, me sceleratum quidam putent, & omnibus flagitiis obrutum, & pro peccatis meis hæc etiam parva sint: tamen tu bene facis, quod ex tua mente etiam malos bonos putas.... Osculabantur mihi manus quidam & ore vipereo detrahebant... Pene certe triennium cum eis vixi. Multa me Virginum crebro turba circumdedit. Divinos libros, ut potui, nonnullis sæpe disserui. Lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Dicant quid umquam in me aliter senserint, quam Christianum decebat? Pecuniam cujusquam accepi? Munera vel parva, vel magna non sprevi? In manus meas æs alicujus insonuit? Obliquus sermo, oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud objicitur nisi sexus meus; & hoc numquam objicitur, nisi cum Hierosolymam Paula & Melania proficiscuntur.... Antequam domum Sanctæ Paulæ nossem, totius in me Urbis studia consonabant: omnium pene judicio dignus Summo Sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damasus meus sermo erat: dicebar sanctus, dicebar humilis & disertus. Numquid domum alicujus lascivioris ingressus sum? Numquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ Matronarum, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens atque jejunans, squallens, fordibus fletibus pene excæcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem Sol sæpe deprehendit; cujus canticum Psalmi, sermo Evangelium, deliciæ continentia, vita jejunium? Nulla me potuit alia delectare, nisi quam manducantem numquam vidi? Sed postquam eam pro suæ merito castitatis venerari, colere, suspicere cœpi, omnes me illico deseruere virtutes. O invidia primum mordax tui? O Satanæ calliditas semper sancta persequens*... Maleficum quidam me garriunt: titulum fidei servus agnosco. Magum vocant & Judæi Dominum meum. Seductor Apostolus dictus est.... Quotam partem angustiarum perpessus sum, qui cruci milito? Infamiam falsi criminis imputarunt: sed scio per bonam & malam famam perveniri ad Regna cœlorum. Quid *S. Gilbertum Sempringhamensem*, Venerabili *Roberto de Arbrisello* supparem, in cujus Ordinem fœdæ calumniæ in Anglia vulgatæ sunt, a quibus Sanctimoniales & Canonicos istius Ordinis vindicavit *Willelmus Norvicensis* Epistola ad *Alexandrum III.* P. M. scripta, quam *J. Picardus* in Notis ad lib. 1. *Willelmi Neuburgensis* edidit? Quid denique propinquiores nostris temporibus Sanctos commemorem, Seraphicam Virginem *Theresiam*, majoris Dei gloriæ serventissimum æmolatorem *Ignatium de Loiola* piissimæ ac celeberrimæ *Societatis Jesu* Fundatorem, Sanctum *Joannem a Cruce*, quorum fama calumniis lacerata est? Ea sane omni tempore dæmonis vafrities fuit, ut bene observat *P. Bollandus* loco supra laudato, ut quos videret viros præstantes virtute ac scientia, ad aliorum procurandam salutem incumbere, neque ullis ipsius circumveniri fraudibus, revocarique a proposito colendæ & aliis inculcandæ pietatis posse; iis infamiam aliquam inurere conaretur, doctrina eorum aut moribus in suspicionem adductis: ita futurum ratus, ut si quæ erroris, aut etiam ignorantiæ opinio, si quæ cupiditatis, si quæ libidinis, aut certe levitatis, exciraia foret; continuo spernerentur, vitarentur, & quæ antea seminarant salutaria consilia abjicerentur. Præcipue tamen si quis fœminis ad sanctiorem vitam informandis operam navare cœperit, infamia eum turpitudinis alicujus notare satagunt dæmonis hoc in negotio administri. Nam cum sint fœminæ natura magis verecundæ, ac timidæ, illico, si quid tale audierint, verebuntur ne subdolis sermonibus vel pudori suo sensim labes inseratur, vel honestati certe nominis probrum consciscatur. Hæc vir eruditus. Quæ cum ita sint miror cur Fontebraldensis Professor sinistram famam de Venerabili Magistro *Roberto de Arbrisello* numquam discurrisse contendat, hoc argumento fretus adeo fragili: Si probrosus hujusmodi de illo sparsus esset rumor, quomodo bonæ memoriæ, fœlicis recordationis, & memoria dignus nuncupatus? Quomodo acceptus Regibus & Principibus, Episcopis & Clericis, Consulibus & quibuslibet popularibus? Quomodo Summorum Pontificum, Legatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & celeberrimorum Scriptorum testimoniis & laudibus celebratus? Ac eo vehementius istud Viri Religiosi miror ratiocinium, quod qui tam confidenter asseruit ac probandum sibi sumpsit; *Sinistram de Venerabili Roberto de Arbrisello numquam discurrisse famam*, paulo post velut sui oblitus ita scribat: *Quæres, cum tantus talisque fuerit Beatus Robertus, quomodo in suspicionem adductus? Quomodo infamia tantæ turpitudinis fuit notatus? Quomodo traductus a Roscelino ut homo parum pudicus? Respondeo id contigisse ex antiqua Satanæ malignitate, &c.*

Magistri Petri Abaelardi testimonio probare nititur Fontebraldensis Professor Epistolam 43. *Goffridi Vindocinensis*, Multum dilecto Fratri *Roberto* inscriptam, ipsius non esse, sed a *Roscelino* Hæretico sub ejus nomine scelerate confictam. Ita nimirum scripsit *Abaelardus* Epistola XXI. ad G. Parisiensem Episcopum: *Interea Deo gratias refero, quod summum Dei inimicum & fidei labefactorem in fide contrarium persero, & pro fide qua stamus dimicare compellor; & quod numero bonorum hominum jam esse videor ex ejus infestatione, quem solis bonis semper constat esse infestum, cujus tam vita quam disciplina omnibus est manifesta. Hic contra egregium illum præconem Christi Robertum de Arbrisello contumacem ausus est Epistolam confingere; & contra illum magnificum Ecclesiæ Doctorem Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum adeo per contumelias exarsit, ut ad Regis Anglici Imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia sit ejecta, & vix tam cum vita evaserit.*

Hæc Epistola non est Roscelini Hæretici.

Quamquam vero Patri *A Manu-Firma* hac in conjectura præiverint doctissimi viri *Bollandus*, & Cardinalis *Bona*, id confici non videtur ex Epistola mox laudata *Petri Abaelardi*: ex qua id probatur utnom *Roscelinum* Epistolam quamdam contumacem contra egregium Præconem Christi *Robertum de Arbrisello* confingere ausum esse. Sub cujus autem nomine sit conficta, vel an conficta dicatur ob probra quæ Venerabili *Roberto* affingebat, an etiam quod alieno nomine inscripta esset, liquido ex *Abaelardi* verbis colligi non potest. Certe cum Epistola *Petri Abaelardi* ad Parisiensem Episcopum G. inscripta sit, id est, *Gaufridum*, ut Fontebraldensis Professor interpretatur, vel *Guillelmum Gallonem*, aut *Girbertum*, qui æque hac litera initiali G. designari possunt, contumacem, de qua loquitur, Epistolam contra *Robertum de Arbrisello* confictam esse a *Roscelino* constat, vivente & florente *Goffrido Vindocinensi*. Porro quamvis *Roscelinus* esset bene naviterque impudens, non erat ita sensu destitutus, ut Epistolam sub nomine Abbatis, & Cardinalis floren-

rentissimæ pietatis & doctrinæ, adhuc viventis confingeret; quam suam esse statim negaturus erat, & velut spurium suppositiumque fœtum abjecturus. *Et Abaelardus* ad exaggerandum *Roscelini* scelus non tacuisset illum *Goffrido Vindocinensi* contumacem illam epistolam supposuisse; Hanc Epistolam suam non esse palam contestatus esset *Goffridus*, & *Roscelinum* tam insignis temeritatis fraudisque reum plecti curasset.

Nec hujus argumenti vim eluderet, qui hanc Epistolam post obitum *Goffridi Vindocinensis* confictam diceret, quod subtimide innuit *Bollandus* in Commentario prævio ad Vitam *B. Roberti de Arbriselo* §. VI. Num. LXI. *At fortassis*, inquit, *neque Roberto superstite, neque ipso Goffrido, qui decessit anno 1129. sed postea conficta, ut utriusque nomini macula inureretur, quæ in contemptum totius Ordinis, ac publicæ pietatis detrimentum redundaret*. Enimvero hanc evertit conjecturam *Abaelardi* Epistola *G. Dei gratia Parisiensis Sedis Episcopo* inscripta. Nam post obitum *Goffridi Vindocinensis*, Ecclesiam Parisiensem regebat adhuc *Stephanus*, ad usque diem 30. Julii 1140. Huic successit *Theobaldus*, quo sedente, *Abaelardus* obiit anno 1142. At litera G. nomen Parisiensis Episcopi designans, ad quem scripsit *Abaelardus*, nec *Stephani*, nec *Theobaldi* initialis est. Ad neutrum itaque scripsit, *Roscelinum* confinxisse Epistolam contra egregium Præconem Christi *Robertum de Arbrisello*. Igitur Epistolam contumacem de qua loquitur, confictam esse oportet, *Goffrido Vindocinensi* superstite.

ARTICULUS II.

Epistola MARBODO *adscripta, & ad* ROBERTUM DE ARBRISELLO *ut fertur, directa, expenditur, atque confutatur.*

DE *Marbodo* Redonensi Episcopo in Synopsi diximus, de Scriptoribus Ecclesiasticis cum ageremus. Sub ejus nomine circumfertur Epistola Redonis cum aliis ejus Operibus edita, cujus hæc inscriptio est: *Minimus Episcoporum, Roberto servo Dei, non solum recte offerre, sed & recte dividere*. Ad *Robertum de Arbrisello* datam ferunt, quem multis de rebus arguit, quibus offensionem populis creare dicebatur. Eleganti, sed acri stylo exarata est. Sic incipit: *Quoties de tua Fraternitate audio, quod Christianam Religionem deceat*, * *quodque sequacibus imitabile in tuam possit redundare mercedem: non solum tuo nomine gaudeo, sed & Capiti nostro congratulor Christo, cujus per te bonus odor longe lateque diffunditur. At vero cum quædam a te & dici, & fieri referuntur, quæ nec sanæ doctrinæ, nec honestæ vitæ conveniunt, tristitia pariter metuque confundor, ne vel bonis tuis diversa qualibet callidus hostis*, [*quod absit*] *interserat, ne* * *vel ipsa tua bona simplici quadam & indiscreta securitate non collocet..... Decet autem professionem tuam Charissime, qui* [* *ipsa insoliti habitus novitate omnium in te oculos convertisti, & ultra Pallium & crepidas*] *fortissima Philosophia in te ipso proposuisti exemplum, nihil in verbis aut factis ostendere* * *quod Sanctis aut Sacris authoritatibus possit inveniri contrarium; vel unde qui ædificari potuerunt* * *offendantur. Dicit enim Apostolus*: Sine offensione estote Judæis & Gentibus. & Ecclesiæ Dei. *Et alibi*: Non ergo blasphemetur bonum nostrum. *Ideo sollicita intentione vitam sermonesque tuos circumspice, ut nullam des occasionem adversario maledicti gratia. Meminisse debes cœlestium animalium, in quorum es numero reputatus, quæ plena describuntur oculis ante & retro. Nam & ipse Evangelium Christi circumferens, supra quadrigas Aminadab conscendisti. Vide ergo fili* * *dilectissime, nedum nimium de tua sanctitate confidis, infirmioribus membris offendiculum fias, aut scandalum, & pereat infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est*. * Sic enim peccantes, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. *Sed ne videar generaliter prosequens, non tam in te notanda corripere, quam inquolibet corripienda notare: quæ circa te plurimos scandalizant, specialiter designabo, ut si culpam cognoveris, emendare non negligas; sin minus, contrariæ opinionis errorem rationabili satisfactione dissolvas.*

Epistola

* *MS. Victor.* doceat.
* *Ne deest in MS. Victor.*
* *Quæ Parenthesi clauduntur, desunt in MS. Victor.*
* *Hæ voces*
* Sanctis *aut desunt in MS. Victor.*
* *Legitur in MS. Victor.* poterant.
* *Deest in MS. Victor.*
* *Reliqua hæc Apostoli Sententia deest in MS. Victor.*

Qui referebant, quædam a Venerabili Roberto de Arbrisello *& dici, & fieri, quæ nec sanæ doctrinæ, nec honestæ vitæ convenirent*, homines erant impudenter maledici, & calumniandi libidine æstuantes. Si enim ita se res habuisset, ipsi prædicationis officium non injunxisset *Urbanus II*. nec *secundum a se Dei Seminiverbium* statuisset, intelligens *quod Spiritus Sanctus os ejus aperuerit*. Et cum munus Apostolicum obire cœpit per finitimarum Diœceseon regiones Episcopi ipsi prædicationis officio interdixissent: ipsum sprevissent potius quam coluissent pii omnes, nullusque fuisset concionum ejus fructus, nisi vitæ honestas cum sana doctrina conjuncta fuisset. *At cum Summi Pontificis Legationi cœpit insistere* (inquit *Baldricus* Dolensis Episcopus coævus Author in ejus Vita) *cum finitimorum Episcopatuum regiones perambularet, Honorabatur ab omnibus, quoniam & honorandus erat; nam & gratia Dei evidenter cum illo ambulabat, Nec erat sermo illius sterilis, nec otiosus quem commendabat laudabilis & verborum & operum comitatus. Quod prædicabat, complebat operibus, ne forte cum aliis prædicaret, nec operaretur, ipse statim reprobus haberetur*. Præterea Ecclesiæ sæculique Principibus, Clero populoque Christiano gratus non fuisset Venerabilis *Robertus de Arbrisello*, si dixisset ac fecisset aliqua, quæ nec *sanæ doctrinæ*, nec *honestæ vitæ* convenirent. At de ipso scribit Baldricus, *Erat autem acceptus Regibus, Episcopis & Principibus, Clericis, & quibuslibet popularibus*. An aliquid sanæ doctrinæ vel honestæ vitæ contrarium dixit, aut fecit, cujus *quodlibet colloquium*, teste Baldrico, *Moralis ædificatio erat. Nam quidquid dicebat, Deum sapiebat. Cujus mens, cujus conscientia, cujus animus Deo semper adhæsit*. Qui *evidenter illius imitator claruit*, qui *dixit: Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me*. Qui *tot* secundum animam *languidos curavit, tot leprosos mundavit, tot mortuos suscitavit; Per quem tot loquutus est, tot operatus est Dominus*. Cujus vota & opera cum Dei voluntate ac operibus perfecte concordarunt. De quibus si interroges; Eumdem *Baldricum* respondentem audi: *Et hæc sunt si nescis, præter illa quæ fecit Beatus Robertus miracula, Deum diligere, Deo servire, Domini Roberti voluntatibus Deum eam efficaciter respondere: & omnia, quibus indigebant sui satellites, per manum ejus præbere. Noverat ejus fidem, cujus nolebat offendere voluntatem. Denique dum vixit, Robertum suum Deus semper extulit.... Tempora successere temporibus, nec unquam a pacto quod cum Deo pepigerat, refrixit Robertus, semper in amore Dei fervidior, semper recens, semper devotior*. An aliquid sanæ doctrinæ & honestæ vitæ contrarium dixit aut fecit, ille quem *Magnæ Religionis Virum, & Religionis studiis indesinenter insistentem* Paschalis II. Pontifex Maximus prædicavit? Quem *B. Petrus* Pictavensis Episcopus *Virum Apostolicum, verbo divinæ prædicationis sagaciter invigilantem, & tonitruo sanctæ exhortationis plures tam viros quam mulieres a sæculari luxu revocantem*? Quem *Robertus de Monte* dixit: *Virum aptum ad lucrandas animas & prædicandum Verbum Dei*? Quem *Chronicon S. Sergii* vocat *Virum Religiosum & Deo dignum*? Sane si qui ex dictis factisque Religiosi Viri Magistri *Roberti de Arbrisello* scandalum passi sunt, similes Pharisæis erant quibus Christi doctrina & opera scandalo fuere ob ipsorum malitiam ac cæcitatem; de quibus cum ipsum interrogarent Discipuli dicentes: *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo, scandalizati sunt*? Respondit: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*. Denique quam longe esset Venerabilis *Robertus* a præbendo infirmis scandalo *Baldricus* docet in ejus Vita cap. 1. num. 10. narrans, quomodo post Redonensis Episcopi mortem Canonicis exosus, qui *probis ejus actibus invidebant, decrevit invidiæ cedere, & juxta Magistri sui vocem, de civitate in civitatem fugere: Nolebat etenim cuilibet esse in scandalum, quod non ignorabat grande & grave piaculum*.

Confutatio.

Per-

Epistola.

Pergit Author Epistolæ: *Mulierum cohabitationem, in quo genere quondam peccasti, diceris plus amare, ut quasi antiquæ iniquitatis contagium novæ religionis exemplo circa eamdem materiam audeas expiare.*

Confutatio.

Putida calumnia est quod mulierum cohabitatione & amore peccasset *Robertus de Arbrisello*, cum prædicationis munus obire cœpit. Nisi enim integerrimæ famæ, & castissimæ conversationis fuisset, tam sanctum officium ipsi non demandasset *Urbanus II.* Et vero quandonam hoc in genere peccasset? An adolescens? At, *Baldrico* teste in ejus Vita, *Ab ipsa pueritia maturis moribus inolescere cœpit: Nec enim, ut assolet, Juvenis, ætatis illius sequebatur lasciviam: sed nitidam, prout poterat, amplexabatur castitatem, & intrinsecus diligebat munditiem.* An cum Parisiis studeret? At studia Literarum cum studiis pietatis & modestiæ, ipsum conjunxisse, idem Author testatur. Illis *exercitiis*, inquit, *totus desudabat: nec ob id conversationis approbatæ observantiam prætermittebat. Inter Conscholares quamdam modificatæ severitatis majestatem prætendebat; & quod de se futurum erat, id quibusdam indiciis evidenter significabat. Reddebat Scholasticis quod Scholasticorum erat, nec propterea se Dei servitio minus coaptabat. Auspicabantur de eo jam aliquid qui eum noverant, quoniam intuebantur in eo magnum quiddam.* Et qui *Silvestro* Redonensi Episcopo authores fuere ut ipsum ad Ecclesiæ regimen advocaret, *de ejus severitate & studio* retulerunt, dixeruntque: *Apprime eruditus est, corpore vegetus, & morum honestate compositus*, ut idem *Baldricus* Præsul scribit. In itudne peccatum inciderat Redonensis Archipresbyter? Quo tempore *In omnibus agendis Deum ante oculos habebat, in nullo desidiosus erat, turpis lucri a se cupiditatem extricabat, & in singulis legaliter sibimet imperabat. Incestas Sacerdotum & laicorum copulationes dirimendo, omnibus vitiis viriliter resistebat* (Baldrici verba sunt). Forte mulierosus evasit Andegavi, quo post obitum *Silvestri* Redonensis Antistitis secessit? Nequaquam. Ibi enim non minus exemplis sanctissimis virtutem, quam sermone, expositione, vel scriptis literas docuit in Scholis instar Academiæ a *Marbodo* Andegavensi nuper Archidiacono, tunc Episcopo Redonensi erectis. *Baldricum* Episcopum audire præstat ea de re ita scribentem in ejus Vita cap. 1. num. 10. *Venit igitur Andegavum, ibique Scholaribus incubuit studiis: nec propterea tepuit a Religione, siquidem divinas post Lectionem assiflebat Philosophiæ: vitabat otiosus esse nunc orationi, nunc vero lectioni deditus. Destinans itaque carnis illecebris austeritate dominari, subtus ad carnem indutus est loricam: qua veste duobus usus est annis, antequam ad Eremum processerit. Cibis interdum raris & vilibus utebatur, & interdum vigiliis occupabatur.* An mulierum cohabitatione delectari didicit in Eremo, in quam relictis Andegavis divertit, *hominum aspernatus Collegium, factus contubernalis bestiarum?* *In qua* (inquit *Baldricus* Præsul in ejus Vita cap. II.) *Quantis inhumanitatibus in se totus sævierit, quot & quantis cruciatibus se ipse mactaverit, quam diris concussionibus sese extenuaverit, quis digne recenseat? Nam præter ea quæ extrinsecus videbantur, uti pilis porcorum cilicium induere, barbam sine aqua radere, lectisternium præter humum vix nosse, vinum omnino cibosque lautos & signatos nescire, somnum permodicum naturali fragilitate compellente raro capere, quidam intrinsecus in eo erat conflictus, quidam mentis rugitus, quidam penetralium singultus, quem autumare posses crudelem & impium, cui nullum incidere poterat terminale remedium, quem multi susurrabant imbecillitati luteæ esse impossibilem & nimium. Litigabat enim ejulatu incomparabili cum Deo, & totum se vovebat pro Sacrificio.* An prædicationis initio fœminarum consuetudine peccavit? At si ita se res habuisset, sanctissimi ejus sodales *Bernardus* & *Vitalis* ipsi *fœminarum communi labore ad meliora conversarum sollicitudinem* non demandassent, velut singulari ad id munus gratia divinitus donato: quod ipsos præstitisse *Guillelmus Neuburgensis* asserit. Tandem humilitate maximus *Robertus*, qui in suprema ægritudine vel levissima pueritiæ & adolescentiæ peccata publice confessus est, non omisisset, quod mulierum cohabitatione & consuetudine peccasset; veniam petiisset scandali, exomologesim gravioris hujusce delicti egisset.

Epistola.

Subdit Author Epistolæ: *Has ergo non solum communi* * *mensa per diem, sed & communi accubitu per noctem dignaris, ut referunt, accubante simul & discipulorum grege, ut inter utrosque medius jacens, utrique sexui vigiliarum & somni leges præfigas. Has peregrinationis tuæ loquuntur esse pedissequas & disputanti tibi jugiter assidere: sed & diversis in locis & diversis regionibus, non parvum te asserunt habere numerum fœminarum per Xenodochia & diversoria divisarum, quas maribus non impune permixtas, quasi ad pauperum & peregrinorum obsequia deputasti. Quod quam pericalose sit factum, [ut compendiose dicam] vagitus infantium prodiderunt.*

* *Hæc desunt in MS. Victor.*

Confutatio.

Mera probra, calumnia immanis! Venerabilis *Robertus de Arbrisello* Sanctimonialium castitatem diligentissime sepsit, eas a viris segregavit, claustro inclusit: quomodo ergo inter eas noctu dormitavit, accubante simul discipulorum grege? Uni orationi ipsas consecravit: Commentitia ergo Xenodochia illa, in quibus maribus permixtæ essent quasi ad pauperum & peregrinorum obsequia deputatæ. *Baldricum* veracissimum ac fidelissimum Authorem, coævum, religione ac doctrina præstantem, in ejus Vita cap. III. audiamus. *Videns*, inquit, *subsequentium multitudinem dilatari, ne aliquid ageretur inconsulto, quoniam mulieres cum hominibus oportebat habitare; ubi possent sine scandalorum scrupulositate conversari & vivere, deliberavit perquirere, & si quod desertum contigisset reperire. Locus erat incultus & squallidus, spinetis obsitus & vepribus, ab antiquo Fons Ewrandi nuncupatus, ab hominum cohabitatione sequestratus... Silvulam hanc sive dumetum, in quo Dei nova familia & novus exercitus habitaret & laboraret, eligit, & dono a quibusdam possessoribus... Castrenses illi cum Deo suo desiderabant singulariter confabulari, ejusque colloquio peroptabant recreari. Inde procedebant ad opera, ut de laboribus manuum suarum vivere possent, & numquam otiosi vivere præsumerent. Mulieres tamen ab hominibus segregavit, & inter claustrum eas velut damnavit, quas orationi deputavit; homines vero laboribus mancipavit. Non sine discretione id agere videbatur, quia sexum teneriorem & imbecilliorem commendabat psalmodiæ & theoriæ; fortiorem autem applicabat exercitiis vitæ actualis. Laici & Clerici mixtim ambulabant: excepto quod Clerici psallebant, & Missas celebrabant: Laici laborem spontanei subibant. Omnibus silentium certis temporibus indicebatur. Blande respondere, & non jurare jubebantur: & omnes amore fraterno conglutinabantur. Nulla inter eos amaritudo, nulla invidentia, discordia nulla. Flexo collo, demisso vultu incedebant, garrulitatem vitabant, vaniloquium nesciebant.* Et cap. IV. *Claustra & claustra præparabantur: nec tamen tria vel quatuor tantis mulierum collegiis suffecerunt. Divisi sunt homines a mulieribus: & seorsum in locis remotioribus præparata sunt eis domus & domus. Mulieres iterum segregavit sagax Magister ab invicem: & rursus per cellas & cuneos distinxit eas: catervatim collocavit illos & illas, quoniam alteruter numerus in simplicitatem extendebatur. In claustro majori plusquam trecentas insimul collocavit: alias vel centenas, vel sexagenas, per alterius quantitatis turmas commendavit, alibi plus, alibi minus: necnon & homines per discretos delegavit manipulos.* Venerabilis *Roberti de Arbrisello*, & Fontebraldensis Ordinis descripta a *P. Bollando* præconia, propudiosum illum inter mulieres accubitum, & Sanctimonialium cum viris permixtionem, cujus fœditatem vagitus infantium prodidisse dicuntur ab Authore Epistolæ, quam expendimus, commentum esse & calumniam a diaboli ministris fabricatam atque vulgatam certissime probant. Scilicet, ille, quem Baldricus *Habitaculum Jesu Christi, Templum, & organum Spiritus Sancti, Responsalem & Vicarium Altissimi* vocat: Ille quem *Spectatæ Religionis Virum* Summi Pontifices prædicant: Ille quem *Virum Apostolicum* Leodegarius Bituricensis Archipræsul in Elogio Funebri appellat: quem Chronicon Sancti Sergii *Deo dignum*: Quem *Goffridus Grossus* in Vita *Sancti Bernardi* Tironen-

sis Abbatis *Fortissimum Justitiæ Propugnatorem, ac totius iniquitatis & injustitiæ expugnatorem*, ; qui in Pictavensi Concilio pro causa castitatis fortiter stetit adversus Regem incestis nuptiis cum *Bertrada* pollusum, Episcopis ipsis turpiter diffugientibus, & quantum in ipso fuit, martyrium pertulit : Ille qui publicæ libidinis victimas in ipsis prostibulis ad pœnitentiam, & ad amorem castitatis accendit : Ille *in quo & in ejus gloriosissima Congregatione Spiritum Sanctum* Monachi Sulienses agnoscunt : ille (inquam) adeo fuerit pudore destitutus, ut inter mulieres jacuerit, accubante simul discipulorum grege ? An qui *numquam vel a prædicatione, vel ab oratione, quibuslibet occasiunculis avulsus est*, Baldrico teste, tantum nefas commisit ?

Epistola.

Secundum criminationis caput est ab habitus novitate & insolentia. *Cæteram*, inquit, *de pannosi habitus insolentia plurimi te* * non immerito *redarguendum putant, quoniam nec canonicæ Professioni sub qua militare cœpisti, nec Ordini Sacerdotali, in quem promotus es, convenire videtur. Est enim singulis quibusque Ordinibus ac Professionibus apta quadam ac congruens distinctio habitus, qui si permutetur, publicam offendit judicium. Sapiens autem publicos mores non perturbabit, nec populum in se novitate** vitæ convertet. Siquidem id agere debemus, quemadmodum dicit Seneca, &c..... *Quo igitur tibi abjecto habitu** regulari * *opertum ad carnem cilicio, cum attrito pertusoque birro, seminudo crure, barba prolixa, capillis ad frontem circumcisis nudipedem per vulgus incedere, & novum quasi spectaculum præbere videaris, ut ad ornatum Lunatici solum tibi jam clavam deesse loquantur? Hoc tibi non tam apud simplices, ut dicere soles, authoritatem, quam apud sapientes* * *tumoris suspicionem comparas.*

* Deest in MS. Victor.

* Deest in MS. Victor.

* In MS. Victor. hæc desunt, nec Seneca laudatur.

* MS. Victor. furoris

Novus habitus, vilis, squallidus, Virum Apostolicum, Pœnitentiæ Prædicatorem, Vitæ Religiosæ Magistrum decebat. *Sordidæ vestes, candidæ mentis indicia sint : vilis tunica contemptum sæculi probet : ita dumtaxat ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant :* (inquit S. Hieronymus *Rusticum* instituens Monachum Epistola 4.) Sic olim Prophetæ, sic S. Præcursor, sic Apostoli incedebant ; ut tunc audirentur, cum videbantur ; ut etiam cum eloquium conticesceret, habitus sonaret, ut ab occursu suo vitia confunderent. Ita S. incedebat *Martinus*, teste *Sulpitio Severo* in ejus Vita cap. VII. plures Episcopos ejus electioni primum repugnasse referens, dicentes ; *Contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem.* Quorum *A populo sententiæ sanioris irrisa dementia est, qui illustrem virum dum vituperare cupiunt, prædicabant. Sumpto Episcopatu, idem constantissime perseverabat, qui prius fuerat. Eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu vilitas erat*. Tantum igitur abest ut reprehensione dignus fuerit Venerabilis *Roberti de Arbrisello* habitus, incessus, victus, pœnitentem & Cruci Christi confixum hominem referens, ut potius laudes propterea maximas promeritus fuerit. De ejus austeriori vivendi ratione ita scribit *Baldricus* Episcopus Cap. 3. *Longo tempore non jumento cuilibet insedit : nec vinum, nec cibos saporosos gustavit : Ipse semper nudis pedibus incedebat, & tunicas & saccum asperiores induebat, quousque consilio Sacerdotum, corpore jam fatiscente, calceatus jumentum ascendit, & corpusculo parumper indulsit, non ut delectaretur, sed ut ad laborem quoquo modo confortaretur : curam enim carnis facere cavebat in desideriis. Jejunia sæpe continuavit, orans frequenter pernoctavit, membra sua diuturna maceravit inedia, & nulla quemque exasperavit molestia. Hypocrisim a se funditus extirpabat, facie hilaris & jucundus, simplex & blandus in respondendo, copiosus in distribuendo, sibi modicum, Fratribus & Sororibus indulgebat multum.*

Confutatio.

Ob vestium vilitatem, asperitatem, singularitatem perperam & impie reprehensum ab æmulis & maledicis hominibus Venerabilem *Robertum de Arbrisello*, confirmant exempla Sanctorum Virorum, qui Religiosos Ordines pariter condiderunt. Cæterum hunc ab hypocrisi prorsus alienum fuisse, nec inanem gloriolam vili asperoque habitu aucupatum, ejus tyrocinium ostendit, cum Andegavi degeret, ubi toto biennio quo *ferruginea veste carnem domabat, delicatis desuper tegebatur pannis, oculis & favori hominum se occultans, conspectus vero Dei se dumtaxat manifestans. Favorales siquidem in omni vita sua despexit nugas ; & quasi venenum omne blandiloquium aspernatus est :* (inquit *Baldricus* Præsul). Licet ergo cilicio ad carnem indutus, *vili tunica, quæ mundi contemptum demonstraret*, amictus incesserit, ex quo vitæ perfectionis institutum aggressus est, ut ait Anonymus Fontis-Ebraldi Monachus in ejus Vita : verisimile tamen non est, quod opertus pertuso birro, & seminudo crure incesserit, ut Author istius Epistolæ ipsi improperat, cum de habitus insolentia sugillans. Nec etiam polixam barbam nutrivisse Venerabilem *Robertum* existimo (quamquam id culpandum non fuisset) siquidem in ipsa Eremo *sine aqua barbam radebat*, *ut refert Baldricus*.

Epistola

Tertium reprehensionis caput spectat declamationem acriorem in vitia absentium, etiam Virorum Ecclesiasticorum, in concionibus quas ad Christianas plebes habebat, *Porro*, inquit, *quod in sermonibus, quibus vulgares turbas & imperitos homines docere soles, non tantum præsentium* [*ut decet*] *vitia reprehendis*, * sed etiam absentium quorumcumque, Ecclesiasticorum non solum Ordinum ; * sed etiam Dignitatum crimina „ enumeras, carpis, laceras. * Tale mihi videtur ac si quis antidoto venenum admisceat, vel si * eodem foramine, sicut dicit S. Jacobus, dulcem & amaram aquam simul emanet. Hoc enim non est prædicare, sed dettrahere. Quænam autem ex absentium personarum reprehensione possit esse utilitas, vel quis inde spiritualis fructus proveniat, * non video : quoniam potius auditoribus idiotis peccandi quodammodo videris dare licentiam, cum eis exempla proponis majorum, quorum se possint authoritate tueri...... Absentes * indignari magis possunt & conqueri, quam ad emendationem tua promoveri detractione. At enim tibi forte conducit, ut cum vulgari opinione omnis Ecclesiæ Ordo viluerit, tu solus cum tuis habearis in pretio : Non enim desunt qui hoc * taliter interpretantur. Sed hæc astutia veterum hominem sonat, terrena, animalis, & diabolica est. Non decet possessionem tuam, non decet hanc peregrinationem, non decet hos pannos. * *Quod si te id captare negaveris, hoc tamen consequutum esse negare non potes.* „ Videmus egentes Presbyteros, a suis desertos gregibus, velut indignos quibus offerant, quorum se commendent orationibus, a quibus accipiant injunctiones pœnitentiæ, quibus decimas solvant & primitias : qui omnes tuo * querantur præjudicio condemnatos. Videmus ad te turbas undique confluentes, tibi tuisque honores, quos propriis debebant Sacerdotibus, * impendere. Quos tamen (ut manifestum est) non Religionis amor, sed ea quæ semper vulgo familiaris est curiositas, & novorum cupiditas ducit : Neque enim apparet vita eorum emendatior : Ita si ut aliena damna suis serviant emolumentis.

* *Hæc desunt in MS. Victor.*

* *Idem MS.*

* Quod non decet *MS. Victor.*

* ex eodem. *MS. Victor.*

* prorsus *MS. Victor.*

* vero. *MS. Victor.*

* tale.

* *Hæc sententia deest in MS. Victor.*

MS. Victor.

* queruntur judicio. *MS. Victor.*

* impendentes.

Confutatio.

Clericorum sæcularium invidiam in Concionatorem Apostolicum, novum Ordinem, hanc effutiisse calumniam, omnino verisimile est. Depravati erant Cleri mores : Sicut populus, sic Sacerdos. Beneficiorum Ecclesiasticorum nundinatio, sacrilegæ Presbyterorum cum concubinis copulæ, Laicorum in Ecclesias dominatio, vel potius tyrannis, & Ecclesiasticarum usurpatio facultatum, ac decimarum, incestæ consanguineorum nuptiæ, vitia erant his temporibus longe lateque serpentia ; ut constat ex Synodis sub *Urbano II. & Paschali II.* celebratis, sub quorum Pontificatu Venerabilis *Robertus de Arbrisello* Apostolici Concionatoris munus obiit. Ad hæc, odia pertinacissima, privatis bellis injurias ulciscebantur, unde tot de *Tregua & pace* Canones. Adversus vitia fervidus Prædicator declamabat, multos ad pœnitentiam adducebat, Clericos, Laicos, Nobiles, pauperes, viros, mulieres, virgines, viduas, meretrices. Hinc in ipsum concitatam invidiam facile crediderim, cum a Presbyteris, & Clericis incontinentibus & simoniacis, qui sua vitia palam redargui ægre ferebant ; tum ab avaris, qui *sua quærebant, non quæ Jesu Christi* ; nec Ecclesiæ ministrabant ut pascerent oves, sed ut ab illis pasce-

pascerentur : tum etiam a Laicis nonnullis, qui in cœno vitiorum hærebant, maxime ab iis qui *Philippo* Regi adulabantur, contra cujus incestas cum *Bertrada* nuptias in Concilio Pictavensi fortiter steterat. Publica vitia palam arguere necessum erat. His tenebantur, & qui ad Apostolici Viri conciones confluebant plurimi, & qui illas declinabant aut spernebant indurati e sacro præcipue Ordine viri. Cæterum summa prudentia, æque ac zelo in peccatores invectum esse Venerabilem Magistrum *Robertum de Arbrisello*, non designasse quemquam, detraxisse nemini, constat ex Episcoporum, in quorum Diœcesibus concionabatur, approbatione; constat ex eo quod *Regibus*, *Episcopis*, *Principibus*, *Clericis* probis, Deique & Ecclesiæ amantibus, & *quibuslibet popularibus, acceptus erat*; ut *Baldricus* testatur. Prudentiam, fervorem, efficaciam, in ejus Concionibus fuisse conjunctas, idem Præsul testis est Cap. 3. *In sermocinando*, inquit, *contra peccatores videbatur invectivus, peccati vero desertores affectu paterno consolabatur : unde accidit ut multi publicani & publicanæ ipsi adhæscint, atque toto posse obedierint .... sermo ejus non poterat esse non efficax, quia, ut ita dixerim, omnia omnibus erat; pœnitentibus lenis, austerus vitiosis, lugentibus blandus & facilis.* Quod vero vitam eorum qui ipsum sequebantur, emendatiorem non apparere scribit Author Epistolæ quam expedimus, calumnia est, his *Baldrici* Præsulis verbis confutata : *Ipsius*, inquit, *delibutum sermonibus, in tantum peccatis abrenuntiantium crevit examen, ut numerus pene fuerit innumerus; quos alio nolebat censeri vocabulo, nisi Pauperes Christi. Multi confluebant homines cujuslibet conditionis; conveniebant mulieres, pauperes & nobiles, viduæ & virgines, meretrices & masculorum aspernatrices. Nec jam innumeram copiositatem præparata capiebant taguriola.*

Anonymus B. *Roberti de Arbrisello* Discipulus, in ejus Vita, narrans quomodo precibus Dolensium Monachorum, ad quos Ursano diverterat, concionem habuerit, ipsius in sacro Ministerio exequendo prudentiam, fervorem, mansuetudinem, efficaciam prædicat his verbis, Cap. V. Num. XXIII. *Quorum precibus largus Dominus seminiverbius commotus, altera die cum quibusdam ex suis Sociis in Capitulum Monachorum ingressus est : ubi ultimum sermonem quem ad populum facturus erat prolixe faciens, quam dulciter, quam pie, quam misericorditer, quam devote, quam prudenter, quam caritative, quam simpliciter, quam discrete, auditores suos arguendo, obsecrando, increpando, declinare a malo, & facere bonum ipse docuerit, etiam illi qui interesse meruerunt, fatebantur se narrare non posse. Sed quid mirum, si hoc sermocinium tam excellenter implevit, per quem Deus tot & tanta sermocinia pene incomparabilia, testantibus illis qui audire meruerant, mundo præbuerat? Tantam namque prædicationis sanctæ gratiam ei Dominus donaverat, ut cum communem sermocinationem populo faceret, unusquisque, quod sibi conveniebat, acciperet. Non erat ejus prædicatio inefficax, sed in tantum audientium corda conterebat, ut patenter daretur intelligi quis esset illic. Nimirum Spiritus Sanctus aderat, sine cujus auxilio sermo Doctoris exterius frustra laborat.*

Quartum accusationis caput est, quod absque probatione cujuslibet conditionis & sexus homines ad Religionem compelleret, ac passim admitteret : novosque faciendo proselytos, priorum salutem negligeret : *Jam vero* inquit, *& illud qua ratione defendi potest, quod cujuslibet conditionis aut ætatis mares & fœminas, qui te prædicante, sicut fit, ad horam compunguntur, passim,* * *& statim ad Religionem profitendam adigis improbatos, cum dicat Apostolus : Probate spiritus si ex Deo sunt.* * B. quoque *Gregorius* * Papa *de non temere ad conversionem recipiendis*, * Fortunato scribens inter alia dicit : *Cum grave sit inexpertum obsequiis hominum sociari : quis possit dicere quanto sit gravius improbatos ad Dei servitium applicari? Inde ergo contingit, ut plerique ad pristinos actus relapsi, duplicem incurrunt damnationem. Quippe* * quorumdam ultra curam non geris, *quos nulla coercet Regula disciplina, sed suo quemque permittis arbitrio : sive tui nominis supra eos*, ut quidam putant *invocatione contentus, sive novi* * ut tu perhibes *inhians lucris : Ne circa jam acquisitos damna temporum patiaris. Sufficere enim tibi dicis, ut referunt, si vel una nocte peccatum impedias. Quæ quidem intentio in infinitum vadit, ut prioribus neglectis, de sequentibus curam geras. Scilicet hoc modo, quantum crescit numerus discipulorum, tantum augetur perditio neglectorum. Cujus te* * *principem fore timendum est, juxta quod Dominus loquitus dicens :* Vah! vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum; & cum factus fuerit, facitis eum duplo filium gehennæ. *Si autem pro uno proselyto vah! facientibus, quid debetur tales plurimos facienti?*

Epistola. MS. Victor.
* passim admittas. MS. Victor.
* improbatos compellas.
* Hæc desunt in
* MS. Victor.
* Ista desunt in MS. Victor.
* MS. Victor. sive sola. MS. Victor.
* non habet ut quidam putant.
* Neque ut tu perhibes.

MS. Victor.
* participem.

Virum *apprime eruditum*, cui jam olim *Silvester* Episcopus Redonensis, eum Archipresbyterum creans dixerat : *Esto, quæso, in Responsis Ecclesiasticis noster Interpres : audiam te, & loqueris in me;* Virum qui semper *orationi aut lectioni deditus* erat : *Cum quo gratia Dei evidenter ambulabat; In ambiguis consultum, in responsis promptum : Organum Spiritus Sancti, Responsalem & Vicarium Altissimi*, ut prædicat *Baldricus* Præsul : Virum cui Episcopi & Abbates de electione Abbatissæ consulenti responderunt teste Anonymo : *Tuum, Carissime Pater, super hac re potius tenendum est consilium : præsertim cum pro certo sciamus inter cæteros nostræ ætatis mortales tuum vigere consilium : Te enim donavit Deus mundo consiliatorem unimenum :* Virum, inquam, doctrina, consilio, experientia eximium, & a Spiritu Sancto illustratum, ad Religiosæ Vitæ professionem cujuslibet ætatis, sexus, conditionis homines adegisse, calumnia est putidissima. Primævæ Fontis Ebraldi Constitutiones, a Venerabili *Roberto* conditæ, probationis tempus decernunt, adeoque hanc evertunt calumniam. Insigne quoque mendacium est, quod eorum curam abjiceret, quos ad Vitam Religiosam adduxerat; vel quod eos nulla Regula coerceret. Commentum istud Anonymus ipsius Discipulus in ejus Vita cap. II. subruit, his verbis : *Dedit Eremitarum lucerna Robertus Genti suæ Religiosa quædam præcepta : ut videlicet tam viri quam mulieres unanimiter custodirent Religionis suæ sanctitatem, in locutione, in actu, in victu, atque vestitu . . . Si quis vero hæc mandata ad plenitudinem nosse desiderat, apud Fontem-Ebraldi, ubi tam pro amore tanti viri, quam pro magno munere scripta sunt, humiliter requirat.* In hujus observantia Regulæ instituebantur Sorores ad Fontem-Ebraldi, ibique diu probatæ, diversas in Provincias ad sacri propagationem Ordinis, novorumque Monasteriorum fundationem mittebantur, ut refert Anonymus Venerabilis *Roberti* Discipulus, in ejus Vita, Cap. 3. *Nonnulla*, inquit, *habitacula in diversis Provinciis, cooperante Deo, ædificaverat, in quibus Sanctimonialium cohortes, diutina Religione in Fontebraldensi claustro probatas, juxta locorum competentiam includebat.* Falsissimum igitur est, quod passim ad Religionem profitendam adigeret improbatos, nullaque ipsos Regula coerceret. Falsum non minus quod priorum curam abjiceret sive negligeret, ut eos institueret, quos posterius acquisierat. Enimvero (ut idem Author commemorat) *Illa habitacula in quibus oves Dominicas, cum consilio adjacentium Pontificum includebat, more boni Pastoris frequenter visitabat : ut si aliquando, diabolica suasione, aliqua vitiorum fomenta pullularent, ea pro posse suo radicitus extirparet.* Id executus est & imminente obitu, ut scribit *Baldricus* in ejus Vita. *Annis revolutis & annis, quibusdam indiciis sensit B. Robertus finem suum appropinquare, quia membris fatiscentibus corporis cœpit destitui viribus. Visitatum & salutatum ire Fratres disposuit, & Sorores : & ibat. Confortabat omnes in Domino . . . . . Et hortabatur ne unquam tepescerent a bonis institutis.* Quod spectat peccatores ad meliorem quidem frugem conversos, sed Vitam Religiosam minime professos, omnium gerere curam non poterat, cum innumeros variis in Provinciis ad pœnitentiam adduxisset : sed nec ipsi Apostoli omnium curam gerere poterant, quos Christo pepererant. *Paulus* plantabat, *Apollo* rigabat, Deus incrementum dabat. Ita Venerabilis *Robertus* vir Apostolicus concionibus serventissimis peccatores & peccatrices omnis ætatis & conditionis Christo iterum parturiit; curam vero ipsorum iis reliquit, ad quos spectabat,

Confutatio.

Ecclesiæ Pastoribus. Quin ex tanto numero aliqui ad pristinos actus sint reversi, qui in sæcularis vitæ periculis mansere, non dubito: sed Viro Apostolico tribui non debet quod non perseveraverint, sed eorum cupiditatibus, quæ sementem verbi suffocarunt? Et cur Venerabilis *Robertus de Arbrisello* propterea accusetur, cum nec omnes ab Apostolis, vel ab ipso Christo conversi perseveraverint, sed quidam ad pristinos actus sint relapsi.

Epistola. *MS. Victor.* * Nigerrimis. *MS. Victor addit.* * & in vicis. * *MS.* Si quæratur causa, Magistri se esse respondent. *MS.* * Malumus enim.

Pergit Author Epistolæ. „ Tuorum autem proselytorum tantus est numerus, ut eos gregatim videamus per Provincias discurrentes * Bigerricis vestibus adopertos, barbarum prolixitate notabiles, „ qui per agros quidem (ut dicitur) calceati, in urbibus vero * nudis pedibus gradiuntur: a quibus „ si * quærant causam homines, Magistrum te esse „ respondent, nec addere solent cujus, ut scilicet hac „ sola responsione tua pronuntietur excellentia. Et id „ quidem satis constat, illos homines esse, & secundum hominem ambulare. Sed absit hoc eos a tuo „ habere magisterio, ut sic agant, vel sic loquantur „ quomodo mundus novit. Malumus * culpas eorum „ tuæ imputari negligentiæ, quam tua authoritate „ muniri.

Confutatio.

Venerabilis *Roberti de Arbrisello* discipulos per Provincias discurrisse falsum est. Siquidem *silvulam Fontis-Ebraldi elegit, in qua Dei nova familia & novus exercitus habitaret & laboraret, & promiscuos Christianitatis tyrones illuc induxit* [inquit *Baldricus*] in ejusque manu *stabilitatem atque perseverantiam Fontebraldensi Ecclesiæ coram Deo & Sanctis ejus, omnes unanimiter atque spontanee promiserunt*, teste Anonymo in ejus Vita: & *obedientiam Ancillis Christi* voverunt. Cum vero nova Monasteria in diversis Provinciis condebat, *ad earum servitium aliquos ex Fratribus destinabat*; Non igitur gregatim per Provincias discurrebant. Nec adeo insolens erat ipsorum habitus, sed honestas, quamquam vilis & status Religiosi paupertati atque pœnitentiæ conveniens. Qua de re ejus Discipulus cap. 2. Vitæ ita scribit. *Noverat denique quam vilis tunica contemptum mundi demonstrat: & ob hanc causam & se & suos sibi subditos vilioribus indumentis vestiri volebat. Dicebat enim nobis, illa vestimenta omnibus Religiosis posse sufficere, quæ frigus humanæ fragilitatis possent expellere, non quæ corpus quandoque moriturum possent ornare; quod sine dubio reprehensione dignum est, & saculare. Hæc tamen Regula de vestimentis ab eo constituta est in nostra Religione, ut juxta S. Benedicti Magisterium, neque Fratres, neque Sorores nostræ inculparentur de nativo vestimentorum colore vel grossitate, aut latitudine.* Nudis pedibus per urbes, calceatos in agris, Fontebraldenses Monachos ambulasse, æque falsum. Si enim nudis pedibus aliquando incedebant in exordiis Ordinis & Venerabili Magistro vivente, id ejus exemplo faciebant. At ipse non in urbibus tantum, sed *semper nudis pedibus incedebat, quousque consilio Sacerdotum, corpore jam fatiscente: calceatus jumentum ascendit* [inquit *Baldricus*.] Accedit, quod in urbibus, castellis, & vicis rari essent. In desertis quippe locis Monasteria B. *Robertus* ædificabat. *Despiciebat*, inquit Anonymus, *intra castella vel vicos Conventus sua sanctæ Religionis habere, nimirum aperte cognoscens, proposito sanctæ Religionis talia nocere.* Venerabilem Robertum de Arbrisello *Magistrum*, vocabant, *quia neque Dominus, neque Abbas vocitari volebat*, Baldrico teste. Doctorem, Institutoremque suum quidni *Magistrum* appellassent? *Heloissam* Paracleti Abbatissam ac Sanctimoniales *S. Bernardus*, *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis, Episcopi & Pontifices Maximi arguendas non censuere, quod Petrum Abaelardum *Magistrum* appellarent: Cur itaque Venerabilis *Roberti de Arbrisello* discipuli reprehendantur, quod ipsum *Magistrum* vocarent? Ipsus secundum hominem ambulasse, calumnia est. An *Pauperes Christi*, qui *cum Deo suo singulariter confabulari desiderabant*, qui *numquam otiosi*, laborabant, qui *silentium certis temporibus* servabant, qui *amore fraterno conglutinabantur; inter quos nulla erat amaritudo, nulla invidentia, nulla discordia*; e quibus *Clerici psallebant, & Missas celebrabant; qui demisso vultu incedebant, garrulitatem vitabant, vaniloquium nesciebant; Ad quos accedebant Principes & populi, novam Dei familiam pro parsimonia regulari marcidam & pallidam visitaturi*: Quorum Cœnobio *Reges & Consules larga donaria* conferebant: *Qui de his quæ mittebantur eleemosynam faciebant copiosam, suscipiebant pauperes, debiles non repellebant, nec leprosos, nec impotentes*, ut *Baldricus* Præsul testatur, istine secundum hominem ambulasse, citra calumniam dici possunt?

Epistola.

Pergit Author Epistolæ: *Taceo de Juvenculis, quas ut supra dixi, sine examine Religionem professas, mutata veste per diversas cellulas protinus inclusisti, quarum rudimentis, vel si regulari custodia cingerentur, non modice timendum erat. Hujus igitur facti temeritatem miserabilis exitus probat. Aliæ enim, urgente partu, fractis ergastulis elapsæ sunt, aliæ in ipsis cellulis * pepererunt. Quod utique non accidisset, si tua prudentia rerum exitus metiretur.*

MS. Victor. * Ergastulis.

Confutatio.

Juvenculas sine examine ad Professionem religiosam a Venerabili *Roberto de Arbrisello* non admissas, superius probatum est. Quod in cellulis inclusæ, jacturam castitatis tanto cum scandalo passæ sint, horrenda calumnia est. Dic enim amabo, si quid simile contigisset, tantus ne Virginum & Matronarum honestissimarum numerus Ordini Fontis Ebraldi nomen dedisset? An præcipuum Monasterium *Ampliori Religionis gratia* eminere scripsisset *Paschalis II.*? An *Maximam Religionis observantiam ibi ex longo tempore custoditam* scripsisset *Gelasius II.*? An *Monasticæ Ordinis disciplinam ibi vigere* Callixtus II. testis oculatus prædicasset? Num suam erga Sanctimoniales Fontebraldenses benevolentiam, *pro Religione & honestate* ipsarum significasset, earumque se precibus commendasset *Lucius II.*? An *Virgines Christi* Hildebertus appellasset. *Quarum exterior apud homines conversatio, apud Deum mentis puritas innotescebat: * & quæ ad promerendum servorum Dei gratiam ipsæ sibi solæ sufficerent?* An *tantum tantæ Religionis* locum quem cum in partibus illis in scholis esset noviter inceptum viderat, *pro Dei voluntate fere ad quatuor aut quinque millia Sanctimonialium jam excrevisse*, gavisus & gratulatus esset *Sigerius* in Epistola ad *Eugenium III.* P. M. quam *P. Sirmondus* edidit in Notis ad *Goffridi Vindocinensis* Epistolas? An Episcopi Venerabilem *Robertum* rogassent, ut novi Ordinis Monasteria suis in Diœcesibus conderet, in eaque Sorores Fontis-Ebraldi traduceret? An Reges & Principes novas domos beneficiis auxissent? Num in Angliam & Hispaniam penetrassent novi Instituti Religiosæ coloniæ, vocantibus faventibusque Regibus, ac in locum Sanctimonialium ob pravos mores expulsarum fuissent substitutæ? An ipsas *Tota sæculi voluptate castratas, in Dei fervere obsequio* dixisset * *Willelmus Malmesburiensis*? An ipsas *sub disciplina sua religiose vivere, & ordinem tenere*, Chronicon Malleacense memorasset? Num Fontebraldenses Sanctimoniales *Jacobus de Vitriaco* S. R. E. Cardinalis cap. 20. *Occidentalis Historiæ*, inter eas enumerasset, *Quæ in honestate, & laudabilis conversationis proposito, & Religionis districtione perseverant*? Denique hanc plene confutant calumniam Venerabilis *Roberti de Arbrisello* verba, *Leodegarium* Archiepiscopum Bituricensem in suprema ægritudine etiam atque etiam rogantis, ut corpus suum ad Fontem-Ebraldi deferri, ibique sepeliri curaret. „ Non „ rogo te, *inquit*, ut sepelias me in Monasterio, „ vel in Claustro; sed tantum inter Fraterculos meos „ in Fontis-Ebraldi luto. Ibi etiam sunt Presbyteri mei, atque Clerici: ibi etiam sunt Sanctæ Virgines, Viduæ, ac Continentes, die ac nocte in „ Dei laudibus perseverantes: ibi sunt mei dilectissimi infirmi atque infirmæ: ibi sunt carissimi „ leprosi, atque leprosæ meæ: ibi sunt boni socii „ peregrinationis meæ: ibi sunt illi qui paupertates „ & labores pro Christo mecum diu sustinuere: ibi „ sunt qui frigora & calores, miserias & tribulationes pro animarum suarum salute patienter sustinuerunt: Qui ad vocem prædicationis meæ, inspirante Deo, & se, & sua reliquerunt: quorum alii corpore vivunt, alii vero in obedientia perseverantes obierunt.

* B. Hildebertus Epistol. 69. ad Honorium II.

* Lib. 5. de Gestis Regum Anglorum.

Epistola.

Ultimum reprehensionis caput petitur a desertione

ne Abbatiæ *De Rota*, & vitæ Canonicæ in qua stabilitatem voverat, & Canonicorum Regularium cura posthabita, ut Sororum regimini intenderet. „ Ultimum, (*inquit* Author Epistolæ) sed a primo non discrepans, tuæ, ut putatur, reprehensionis Capitulum est, de Professione vitæ Canonicæ & stabilitate loci prioris, susceptaque cura regiminis super Fratres ibidem professos, * quia omnia propter Sorores diceris contempsisse; supra quod vel rationabilem a tua Fraternitate petimus responsionem, vel certam tibi timemus damnationem. Et in hac quidem parte * *multa* contra te suppetit copia * dicendorum, sed nos per te dicenda malumus expectare.

MS. Victor. * super quo. * *Deest in MS. Victor.* * *In eodem lego*, discendorum.

Confutatio.

Lege quidem communi Canonom, Professionem Vitæ Canonicæ stabilitatem loci prioris, & regimen Fratrum deserere non poterat Venerabilis *Robertus de Arbrisello*; sed *lege privata, qua instinctu Spiritus Sancti in corde scribitur*, poterat, ut ait in causa simili *Stephanus* Abbas Sanctæ Genovefæ, & postea Tornacensis Episcopus, Epistola LXXI. Quod ex *Urbani* Papæ Decreto colligit, dicentis: *Si quis in Ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, si afflatus Spiritu Sancto, in aliquo Monasterio vel Regulari Canonica salvare se voluerit, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber authoritate nostra. Justo enim non est lex posita. Sed ubi Spiritus Domini, ibi libertas; & si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Quod ad Religiosos etiam pertinere colligit ex Concilio Triburiensi, in quo sic statutum est: *Virgines Sacræ, si pro lucro animæ suæ & propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, & ibidem commanere decreverint, Synodus concedit: Si vero fuga disciplinæ aliud quæsierint, ad locum redire cogantur.* At Venerabilis *Robertus de Arbrisello* Abbatiam de * *Rota*, & regimen Fratrum deseruerat propter districtiorem vitam, utque liberius munus Apostolicum obire posset. Votum quidem stabilitatis sub forma vivendi certis Institutionibus ordinata nuncupaverat: sed commutationem hujusmodi votorum fieri posse profitendo strictioris ac perfectioris vitæ genus certum est. *Votum quod commutationem non recipit, quasi substantiale est & principale, vovere animam suam Deo. Cætera, sicut est locus, Prælatus, habitus, forma vivendi, tamquam accessoria sunt; sed ab hominibus viventibus apponuntur, non quia sine his salvari non possit anima quæ vovetur, sed quia per hoc expeditior fit ad salutem via:* (inquit, idem *Stephanus* Abbas.) Nulli ergo reprehensioni obnoxius fuit Venerabilis *Robertus de Arbrisello*, maxime cum Summi Pontificis dispensatione, ex consilio Andegavensis Episcopi, in cujos Diœcesi sita erat Abbatia, & cum ipsorum Canonicorum Regularium, quibus præerat, permissione, Abbatia se abdicaverit, ut prædicationi liberius vacaret. Ita refert *Baldricus* Episcopus in ejus Vita, cap. II. *Ipse*, inquit, *ampli pectoris, nulli deesse voluisset, si Fratrum voluntas & Ordo permisisset. Cogitavit igitur ab eis discedere. Considerabat igitur quomodo id absque eorum molestia posset implere. In præsentia Pontificis Andegavensis, in cujus Diœcesi morabantur Canonici, ventum est, & juxta rei considerationem, & Domini Papæ jussionem, ex Episcopi consilio, & ex Clericorum permissione, Robertus libere discessit, ut liberius prædicationi vacaret, & expeditus quocumque & quibuscumque posset, proficeret.* Non itaque propter Sorores, de quibus tunc non cogitabat, regimen Fratrum contempserat, atque Abbatia se abdicaverat; sed ob Concionatoris Apostolici munus ab *Urbano II.* sibi demandatum, facilius exequendum, & ad animarum salutem plurimarum procurandam.

* La Roüe.

Epistola.

His verbis clauditur Epistola *Marbodo* adscripta: *Orantem pro nobis* * *Religionem tuam Christus custodiat* * dilectissime *frater*.

* *MS. Victor.* Sanctitatem tuam. *Vox* dilectissime, *abest ab eodem MS.*

Mirum sane, quod hominis, de quo tot probra vulgari scribit Author Epistolæ, velut Sancti, vel Religiosi viri precibus se commendet, si vera esse credat. Sed si vere a *Marbodo* religiosissimo Episcopo scripta est, judicium de his, quæ contra Venerabilem *Robertum de Arbrisello* vulgabantur, suum suspendit, nec ab alio doceri voluit, sed ab ipso, de veritate vel falsitate rumorum, qui contra præclaram ejus famam ab æmulis spargebantur & hostibus. *Sed nos*, inquit, *per te dicenda malumus expectare*.

Dixi, si vere a *Marbodo* scripta est, quia graves conjectuæ non desunt, quæ dubium faciant an a *Marbodo*. Redonensi Episcopo hæc Epistola scripta sit ad Venerabilem *Robertum de Arbrisello*. Primo in MS. Regalis Abbatiæ *S. Victoris* Parisiensis extat inter Epistolas *Hildeberti* Cœnomanensis Episcopi, Folio 117. verso. Nota Manuscripti est: E. D. Z. Epistolæ argumentum miniatis literis, sed eadem manu scriptis, sic proponitur: *Reprehendit quemdam, cujus Religio suspecta habebatur*. Nec *Roberti de Arbrisello*, nec *Marbodi*, nec *Minimi Episcoporum*, vocabula in inscriptione leguntur, sed sic habet: *Servo Dei non solum recte offerre, sed & recte dividere*. Secundo *Marbodus* non poterat non nosse Venerabilem *Robertum de Arbrisello*, & sanctam ipsius conversationem perspectam habere, qui quatuor annos, sub *Silvestro* Decessore suo Ecclesiæ Redonensis Archipresbyter fuerat, ac Diœceseos reformationem multum promoverat; deinde in Scholis ab ipso *Marbodo*, Andegavi, cum illius Ecclesiæ Archidiaconus esset, erectis, solido biennio docuerat; postea Abbatiam *De Rota* in eadem Diœcesi Andegavensi fundaverat, ibique Regulares Cononicos congregaverat; ac demum in hac & finitimis Diœcesibus Sacras Conciones habebat Apostolicus Prædicator, innumeros sexus utriusque homines ad meliorem frugem convertebat, & eximiarum circumquaque diffundebat odorem virtutum. At Epistolæ hujus Author Venerabilem *Robertum de Arbrisello* nosse non videtur, de quo tam probrosa, tam falsa, tam fictitia scribit. Tertio, *Marbodum* piissimum Præsulem tam immanes calumnias patulis auribus excepisse, & non tantum duram, sed petulantem, illusoriam, insultabundam Epistolam ad Sacerdotem, Concionatorem Apostolicum, Abbatem, virum sanctitatis & doctrinæ fama celebrem scripsisse, nemo sibi facile persuadeat.

Expenditur an hæc Epistola sit Marbodi.

Religiosissimi illius Præsulis esse non videtur.

Nec etiam ab *Hildeberto* Cœnomanensi Episcopo, cujus inter Epistolas extat in MS. Victorino, scriptam hanc Epistolam crediderim, quippe qui de Sanctimonialibus Fontis Ebraldi, quarum famam hæc lacerat Epistola, tam magnifice senserit, ut constat ex ejus Epistola LXIX. ad *Honorium II.* P. M. qua ipsum rogat, ut *Henrici* Regis Anglorum Donationem Fontis-Ebraldi Parthenoni factam confirmet. *Hanc ad vos*, inquit, *Beatissime Pater, interventionem pro Virginibus Christi suscepimus, quarum sicut exterior est apud homines conversatio, sic apud Deum, prout credimus, mentis puritas innotescit. Ea propter noluimus Ancillis Christi nostrum deesse interventum... In sinu nostro spes bona reposita est, pro eis a Patre filium exauditum iri, quæ ad promerendam servorum Dei gratiam ipsa sibi solæ sufficiant.*

Nec Hildeberti Cœnomanensis Episcopi.

Sane si Epistolam contumacem a *Roscelino* Hæretico contra egregium Præconem Christi *Robertum de Arbrisello* confictam habemus, hanc potius esse crediderim quæ *Marbodo* a nonnullis tribuitur, quam illam quæ inter *Goffridi Vindocinensis* Epistolas a doctissimo *Sirmondo*, ex fide MS. Codicis Cœnomanensis edita est.

Fuerit forte Roscelini, aut Clerici alicujus sæcularis egregie maledici.

Fœlicior erit fortassis conjectura, quod Sæculares Clerici, quorum plerique incontinentes erant, avari, simoniaci, & quorum pravis moribus cauterium adhibere satagebat Vir Apostolicus, has de ipso calumnias in vulgus sparserint: & quispiam ex illo Ordine invidentiæ œstro percitus contumeliosam illam Epistolam scripserit atque vulgaverit. Si enim Presbyteri Normanni, eorumque concubinæ in *S. Bernardi* Tironiensis Abbatis, contra ipsorum vitia publicamque fœditatem concionantis & agentis, necem conspirarunt, quid de Britonum Presbyterorum feritate tunc suspicari non liceat, quos Baldricus *incestis copulationibus* fœdatos commemorat, & de quibus non minus quam de plebe intelligendum est, quod scribit in Prologo Vitæ *B. Roberti* ad *Petronillam* Abbatissam? *Sarcinam grandem & gravem imbecillitati nostræ, Domina Petronilla, imposuisti; cum me & multa mundi fluctivagi inquietet procella, & maxime minoris Britanniæ, in qua cum scorpionibus habito, bestialis geminaque circumvallaverit feritas.* Quod vero a quopiam e Presbyterorum sæcularium

ordine

ordine hæc scripta sit Epistola, & vulgatæ calumoiæ, augurari licet ex querelis, quas continet de imminuta Presbyterorum parochialium authoritate, deque imminutis maxime oblationibus & decimis. *Videmus*, inquit, *egentes Presbyteros a suis desertos gregibus, velut indignos quibus offerant, quorum se commendent orationibus, a quibus accipiant injunctiones Pœnitentiæ, quibus decimas solvant & primitias, qui omnes tuo se queruntur judicio condemnatos. Videmus ad te turbas undique confluentes, tibi, tuisque honores, quos propriis debebant Sacerdotibus, impendere..... Itaque fit ut aliena damna tuis serviant emolumentis*. Presbyterorum sæcularium ea tempestate murmur & invidentia in Regulares, *Urbanum II.* Pootificem Maximom, Synodique Nemauseosis Patres impulit anno 1096. ad eorum *stultum dogma* damnandum Canone secundo, *Qui magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserebant Monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotali Officio indignos, neque Pœnitentiam, neque Christianitatem, seu absolutionem largiri posse per Sacerdotalis Officii inunctam gratiam*. Et *decertantes contra monachos* hac in re, *Sacerdotalis potentia arceri* officio præceperunt. Contra eumdem errorem statuit Synodus Canone III. *Oportere eos, qui sæculum reliquerunt, majorem solicitudinem habere pro peccatis hominum orare, & plus valere eorum peccata solvere, quam Presbyteros sæculares: Quia secundum Regulam Apostolicam vivunt*. Iisque fas esse *prædicare, baptizare, Communionem dare, suscipere Pœnitentes, peccata solvere*. (Com nimirum ab Episcopis Sacra illa Ministeria ipsis committuntur.) Istorum Erronum aliquem, quos *Urbanus II.* & Synodi Nemausensis Patres damnavere, petulantem hanc Epistolam, quæ *Marbodo* a nonnullis adscribitur, contra Venerabilem *Robertum de Arbrisello* scripsisse admodum verisimile est. Neque tamen huic ita sum addictus conjecturæ, ut si quis feliciorem proferat, magisque verisimilem, illam sequi non sim paratissimus.

DISSERTATIO VI.

De Concilio Lateranensi II. Oecumenico X.

COocilium istud, quod inter Œcumenica X. numeratur, aono Christi 1138. ab *Innocentio II.* Pontifice Maximo convocatum, celebratom est Romæ in Basilica Lateranensi, ipsomet Præside, anno 1139. media Quadragesima. Adsuere mille circiter Patres, ut Abbas Uispergensis, & *Otto Frisingensis* lib. VII. cap. XXXIII. testantur. Rationes convocandi Concilii tres omoino fuere. Prima Schisma *Petri Leonis*: altera, Petrobusianorum & *Arnaldi de Brixia* hæreses: tertia, Collapsæ Disciplinæ restauratio.

ARTICULUS I.

Schisma PETRI LEONIS, *prima Ratio Concilii celebrandi*.

QUod Primum Caput spectat, paulo uberior de teterrimo illo Schismate sermo habendus est. Electo *Innocentio II.* 16. Kalendas Martii anno 1130. a factiosis in Sedem *S. Petri* intrusus est longe dissimilis *Petrus Leonis* cognominatus, qui *Anacletus II.* dici voluit. Legitimam *Innocentii* electionem & *Anacleti* factionem Schismaticam graphice describit *Arnoldus* Bonævallis Abbas lib. II. De Vita *S. Bernardi*, cap. I. *Ea tempestate*, inqoit, *Honorius Papa viam universæ carnis ingressus est: nec mora, in electione dissidentibus Cardinalibus, & divisa Ecclesia, plures numero & saniores consilio, vita probabiles, viri virtutum, Presbyteri, Diaconi, Episcopi, Innocentium elegerunt, cujus vita & fama, ætas & scientia, digna Summo Sacerdotio habebatur. At vero pars altera infirmes ausus violentia, non ratione corroborans, Petrum Leonis ad hunc Apicem aspirantem, fraudulentis machinationibus seorsum & præcipitanter nominavit Anacletum, & cæteris renitentibus, ordinavit. Qui vero in parte Catholica erant, Electum suum solemniter ordinatum collocarunt in Cathedra, & per loca illa, in quibus sessiones habent ex antiqua consuetudine Romani Pontifices, circumduxere, & pro tempore honor debitus Apostolicæ adfuit Dignitati. Ex tunc sane circa Lateranense Palatium morabantur, nec erat jam eis tuta in domibus propriis mansio, cum eos acerrime Petri satellites insestarent. Ibi etiam diu resistere non valentes, per confœderatos sibi quosdam ex Nobilibus Romanis ad tempus in turribus eorum receptacula habuerunt. Sed nec in eis perseveravit fidelitas. Nam in brevi aut vi, aut formidine temeraria multitudinis, aut pretio corrupti sunt. Nam Petro tam propria generis virtute, quam adhærentium sibi affinitate multitudo tanta erat, ut fere tota eum civitas sequeretur, vel pecunia, vel commodis obligata. Congregaverat sane opes innumeras tam in exactionibus Curiæ quam in Legationum negotiationibus, quas ad expectandas nundinas reservarat. Insuper & paterni census ampla congeries, eatenus sigillata, modo distributa in populum, ad fas & nefas venalem plebem armaverat. Quibus erogatis, donaria Regum in ornamentis Ecclesiæ ab ipsis evulsit Altaribus. Et cum calices frangere, & crucifixos aureos dividere, ipsi profani Christiani vel timerent, vel erubescerent: Judæos ajunt esse quæsitos, qui sacra vasa & Imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Igitur quisque pro modo suo, secundum majus & minus, conducti ad scelus, sacramentis generalibus Petro vendiderunt assensum, & in omnem sanguinem manus exposuerunt & arma; & quotidianis congressibus partem quæ cum Innocentio erat, maledictis insectabantur & gladiis.*

Innocentii secundi Electio vindicata.

Interea nihil præteriit Pseudo-pontifex *Anacletus* ut suas in partes Principes Christianos pertraheret; ut fucum faceret Fidelibus nihil prætermisit. Dedit imprimis Literas ad *Lotharium* Regem, sed irrito conatu. In Ecclesiæ etenim unitate ac legitimi Pontificis obedientia perstitit *Lotharius*, quamvis Anacletiaoi Cardinales, Proceresque Romani, ad ejus Majastatem pro Antipapa scripsissent. Nec ad *Lotharium* dumtaxat Romanotum Regem, sed ad *Lodovicum VI.* Galliarum, Literas dedit per *Ottonem* Tudertinum Episcopum, quem Legationis munere adauxit, deferendas. Alium præterea Legatum in Gallias destinavit *Anacletus*, *Gregorium* Diaconum Cardinalem, in Provinciam Aquitaoiæ, scripsitque officiosissimas Literas ad Monachos Cluniacenses, probe sciens magni fore ponderis, si eos Communioni suæ addixisset, quorum in Galliis magna erat ob pietatis & doctrinæ famam authoritas. Has Literas Pseudo-pontificis *Anacleti* ad diversos datas, e Codice Cassinensi exscripsit, Annalibusque suis inseruit *Baronius* Tom. XII. ad annum Christi 1130. Verum vanus foit Aotipapæ conatus. Nam Cluniacenses *Innocentio* adhæserunt, ejusque electionem, quanto potuere zelo, propugnarunt. Testis est *Petrus* Venerabilis Abbas Cluniaceosis in Epistola ad *Innocentium* data, quæ libri tertii prima est. *Habetis*, inquit, *cum tota Ecclesia vobis a Deo commissa, & me in membris Christi ultimum, vestramque pariter Cluniacum, qui quandiu fuerit spiritus in naribus nostris, ad obediendum, ad collaborandum, fortassis etiam ad commoriendum parati erimus. Nulla certe mutabilium rerum permutatio nos mutare, nihil nos a Pastore, nihil a Petro, nihil a Christo, quæ omnia in te uno habemus, separare poterit.*

Porro judicium Cluoiacensiom tamquam præproperum redarguit *Reimbaldus* Leodiensium Episcopus, quod velut pendente adhuc lite, nec electionis utriusque meritis satis discussis, *Innocentii* partes adeo ferventibus studiis tuerentur; immo nec cum Anacletianis orare vellent. Hujus Præsulis Epistolam refert *Baronius* Tomo XII. Annalium pag. 197. Edit. Antuerpiensis.

Frustra quoque Orientis Imperatorem, frustra Angliæ Regem aliosque Principes tentavit *Anacletus*, frustra Sanctos Episcopos & Monachos sollicitavit. *Non est consilium contra consilium Domini* (inquit *S. Bernardus* Epistola CXXVI.) *Velociter currit sermo ejus, in conveniendo populos in unum, & Reges, ut Domino Papæ Innocentio serviant & obediant. Quis revocabit? Dei esse Judicium senserunt & consense-*

S. Bernardus electionis Innocentii secundi vindex.

runt

runt Galterius Ravennas, Hildegarius Tarraconensis, Norbertus Magdeburgensis, Conradus Salzburgensis Archiepiscopi. Dei esse judicium cognoverunt & acquieverunt Episcopi, Equipertus Monasteriensis, Hildebrannus Pistoriensis, Bernardus Papiensis, Landulphus Astensis, Hugo Gratianopolitanus, Bernardus Parmensis. Horum gloria specialis & præcipua sanctitas etiam hostibus reverenda, facile nobis, qui minorem & meriti & officii tenemus locum, aut errare secum, aut sapere persuasit. Taceo multitudinem cæterorum, Tusciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, & Aquitaniæ, Galliarum denique & Hispaniarum omnium, necnon & universæ Orientalis Ecclesiæ tam Archiepiscoporum quam Episcoporum, quorum nomina sunt in libro vitæ, sed Epistolæ brevitas non admittit. Hi omnes unanimes, non conducti pecunia, non seducti fallacia, non illecti privato carnis vel cognationis amore, non tremore compulsi potentia sæcularis; sed Dei proculdubio voluntatem sicut non ignorantes, ita nec dissimulantes. Petrum Leonis ingenue refutaverunt, ut secum Gregorium in Papam Innocentium susceperunt. Nostratum sane nemo ex nomine in his expressus est Literis, quia & omnes compendium non ferunt, & aliquorum invidiosa designatio adulationis notam non effugit. Non autem debeo prætermittere Sanctos, qui mundo mortui Deo melius vivunt, quorum vita abscondita est cum Christo in gloria, ubi certe studiose inquirunt, & non dubie inveniunt beneplacitum Dei, qui solliciti sunt, quomodo placeant ei. Itaque Camaldulenses, Vallumbrosani, Carthusienses, Cluniacenses, & qui de Majori Monasterio sunt, mei quoque Cistercienses, Casimblenses, Cadumenses, Tironenses, & Saviniacenses, universitas denique & unanimitas Fratrum tam Clericorum quam Monachorum regularis vitæ probatæque conversationis sequentes Episcopos, tamquam greges Pastores suos Innocentio firmiter adhærent, sincere favent, humiliter parent, verum Apostolorum Successorem fideliter recognoscunt. Quid Reges & Principes terræ? Nonne in eodem spiritu una cum subjectis sibi plebibus, Innocentium pariter amplectuntur, confitentes & ipsi Papam & Episcopum animarum suarum? Quis postremo in quocumque ordine vitæ illustris, & boni nominis homo idipsum non sapit? Et tamen adhuc isti nescio qua contentiosa importunitate & importuna contentione reclamant, vocant in causam orbem, & cum sua paucitate universitatem flagitant judicari, & qui præjudicaverant in electione, de confirmatione rejudicare contendunt, tunc propropere agentes, modo præpostere retractantes.

Nullus tamen partes *Innocentii* magis adjuvit, quam *Bernardus* ipse. Extant plures illius Epistolæ ad Ecclesiæ sæculique Principes, scriptæ pro *Innocentio* & contra *Anacletum*. Sed nullo sane luculentior illa quam proxime laudavimus CXXVI. ad Episcopos Aquitaniæ data, in qua his verbis utriusque electionis merita expendit. „ Velimus, nolimus (*inquit*) impleri quandoque necesse est veritatem Spiritus Sancti, fierique illam quæ prophetico spiritu prænuntiata legitur in Scripturis discessio, sed væ homini per quem venit. Quis vero ille nisi homo peccati, qui super electum a Catholicis Catholicum & canonice, Locum Sanctum invasit; quem tamen, non quia sanctus, sed quia summus est, affectavit. Invasit, inquam, invasit armis, igne, pecunia, non vitæ merito vel virtutum pervenit, in quo stat, & stat in quo pervenit. Nam illa quam jactat juratorum suorum non electio, sed factio, umbra tantum fuit, & occasio velamentum malitiæ. Dici potest electio, sed impudenter, sed mendaciter. Stat quippe Sententia authentica & Ecclesiastica. Post primam electionem non esse secundam. Celebrata proinde prima, quæ secundo præsumpta est, non est secunda, sed nulla. Nam etsi quid minus forte solemniter, minusve ordinabiliter processit in ea quæ præcessit, ut hostes unitatis contendunt, numquid tamen præsumi altera debuit, nisi sane priore prius discussa ratione, cassata Judicio?

Et infra: „ Duo itaque sunt de quibus contenditur, quisnam eorum rectius videatur Papa: Quorum primo quidem si personas compares, ut neutri sane vel derogare videar, vel adulari, dicam quod dici passim reperies, & neminem arbitror diffiteri: Quia videlicet Innocentii nostri vita vel fama nec æmulum timet, cum alterius nec ab amico tuta sit. Dehinc si electiones discutias, nostri itidem mox occurrit & promotione purior & ratione probabilior, & prior tempore. Porro de tempore constat: reliqua duo merita probant & dignitas eligentium. Hanc enim, ni fallor, partem saniorem invenies, tam Episcopos quam Cardinales Diaconos, sive Presbyteros, & quorum maxime interest de electione Summi Pontificis, & quanti in eligendo juxta Patrum scita sufficiant. Quid in consecratione? Nonne Ostiensem: ad quem specialiter spectat, habemus? Cum igitur & electus dignior, & electio sanior, & actio ordinabilior teneatur, qua isti ratione, immo qua contentione, contra jus & fas, & vota omnium bonorum, invitæ & renitenti Dei Ecclesiæ præficere alium, & illum deponere tentant? Horum conatui tam maligno, tam temerario, totis certe viribus renitendum esse videtis.

Et Epistola CXXIV. ad *Hildebertum* Archiepiscopum Turonensem: „ Ecce, *inquit*, Christus Domini ille Innocentius positus est in ruinam & in resurrectionem multorum. Nam qui Dei sunt, libenter junguntur ei: qui autem ex adverso stat, aut Antichristi est, aut Antichristus. Cernitur abominatio stare in Loco Sancto, quem ut obtineret, incendit igni Sanctuarium Dei. Persequitur Innocentium, & cum eo omnem innocentiam. Fugit ille nimirum a facie Leonis, sicut dicit Propheta: *Leo rugiet, quis non timebit?* .... Suffugit autem, non parcens vitæ suæ, sed dans locum iræ, non ut mortem evaderet, sed ut vitam acquireret .... Nec sane otiosa fuga Innocentii; Laborat quidem, sed honestatur in laboribus suis; pulsus Urbe, ab Orbe suscipitur..... Numquid non omnes Principes cognoverunt, quia ipse est vere Dei Electus? Francorum, Anglorum, Hispanorum, & postremo Romanorum Rex, Innocentium in Papam suscipiunt, & recognoscunt singularem animarum suarum Episcopum ...... *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Electio meliorum, approbatio plurium, & quod his efficacius est, morum attestatio, Innocentium apud omnes commendant, Summum confirmant Pontificem.

Gerardus Engolismensis Episcopus Petri Leonis Fautor.

Unus e Gallicanis Episcopis *Gerardus* Engolismensis *Anacleto* Pseudo-pontifici adhæsit, a quo eam ob causam Legati munere per Aquitaniam adauctus est. In eum acriter invehitur *S. Bernardus* Epistola CXXVI. ad Aquitaniæ Episcopos data. „ Ut enim, *inquit*, simplicem referam breviter actionem, primus aut inter primos scribit Papæ Innocentio, Legationem postulat, non obtinet. Indignatur, resilit ab illo, transit ad illum, ipsius se esse Legatum gloriatur.... An non grande peccatum, & delictum maximum superba illa verecundia, quam terram & cinerem pudet, non dico subjici, sed non dominari? Propter hoc ergo reliquit homo illum suum Patrem Sanctum Innocentium, & Matrem suam Sanctam Ecclesiam Catholicam, & adhæret Schismatiarchæ suo, & sunt duo in vanitate una. Percusserunt fœdus ad invicem .... Iste illum Papam; ille hunc vicissim Legatum scriptitat, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Invicem se consolantur, tuentur, commendant, quisque tamen pro se, non pro invicem. Nimirum homines sunt se ipsos amantes. Pari quidem studio convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus, sed plane intentionibus non cohærent. Quærit magis ex alterutro uterque profecto quæ sua sunt, idque (quod audire nefarium est) in hæreditate Christi. *Et infra*: Cæterum quoniam ista præceps & frontosa libido dominandi, ut pro obtentu vix annuæ, quod certe palam est, Legationis, primo quidem sui nec parcat senio, nec deferat Sacerdotio; deinde nec lateri Salvatoris, quod in aqua & sanguine colligendi unitate populi protulit redemptionem, ut quisquis tentaret dividere quos ille colligeret, & inde redimere, probaret sese non Christianum, sed Antichristum, reus mortis & crucis Christi.....Audet suis Sedibus

pellere

„ pellere Sanctos, qui nolunt bestiam adorare, quæ aperuit os suum in blasphemias, blasphemare nomen Domini, & tabernaculum ejus; Altare contra Altare erigere tentat; confundere fasque nefasque non confunditur; Abbates Abbatibus, Episcopos Episcopis superintrudere nititur, amovere Catholicos, promovere Schismaticos.

Arnulphus Archidiaconus Sagiensis De Seez, *contra Antipapam pro Innocentio secundo scribit.*
* De Lisieus.

Tractatum *De Schismate* contra *Gerardum* Engolismensem Episcopum, *Anacleti* Antipapæ Legatum, scripsit Arnulphus Sagiensis* Archidiaconus, deinde Lexoviensis* Episcopus, quem *Gofrido* Carnotensi Episcopo, *Innocentii II.* Legato dicavit. In quo ejus, ac Pseudo-pontificis mores, dolos, intrusionem, graphice describit: egregias vero *Innocentii II.* dotes Summo Pontificatu dignas commendat. *Gerardum* ex Normannia, patrio solo, rei familiaris inopia pulsum, ut ad ignotæ gentis limina peregrinus & mendicus astaret, pueritiam ignobili quæstu, adolescentiam ac juventutem incontinentiæ & avaritiæ sordibus fœdasse scribit. Ad Episcopatum non vitæ probabilis merito, non præcedente deliberatione, sed casu adductum, & cæcarum, ex præcedente discordia, mentium motu impellente provectum. Ubi inauguratus est, insolentia, quam ante paupertas represserat, efferri cœpisse, quos libuit infectari, rapinis & exactionibus exinanire Provinciam, Judicia sola munerum comparatione formare, Nobilium labefactare fortunas;

Gerardi Engolismensis fortuna & mores.

Nepotibus suis rerum tradere summam, quasi Platonem scientia, Catonem moribus, Scipionem genere superarent. Sacra quæque pretio vendere; Nefandis criminibus connivere: quod probat exemplo Engolismensis Abbatiæ, & Archidiaconi, quorum sacrilegium incestum non modo dissimulavit, sed risit.

Cap. II. De Romanæ Ecclesiæ Legatione per ambitionem quæsita, per obreptionem impetrata, sermonem facit. Mores illius Romanum Pontificem ait ignorasse, quod & ipsius hypocrisis, & distantia locorum effecere. Spectasse Christi Vicarium illius in rebus gerendis industriam, quam plurima literarum scientia confirmaret, & utriusque facundia sermonibus ornaret. Commissa sibi authoritate in illa gerenda Provincia abusum ad cupiditatem & ambitionem explendam. *Ad hoc enim*, inquit, *Concilia celebrari Sanctorum Patrum sanxit authoritas, ut inde virtutum doctrina, malorumque correctio proveniret, & velut exercitus sui facultate conspecta ipsam se plenius Ecclesia Mater cognosceret, ut adversum vitia severius insurgenda, instantium bellorum triumphos posset confidentius auspicari. Te vero ad hoc ea convocasse quis dubitat, ut cupido animo tuo & libidini dominandi morem gereres; & cum satietatem discrete singularum causarum lucra non præstant, ipsam plurium multitudo congregata conflaret?*

Petri Leonis genus, fortuna, mores.

Cap. III. *Petrum Leonis* Pseudopontificem suis coloribus pingit *Arnulphus*. Hujus avum Judæum fuisse narrat, qui susceptis Fidei Sacramentis, pecuniis, quas in Judaismo usura multiplici corrogarat, jus Romani civis, & illustriores Urbis affinitates mercatus est. Adolescentem in Gallias missum studiorum gratia, superbum & petulantem fuisse, omnique intemperantiæ impudenter addictum, tantam sibi pravis operibus & fœditate morum infamiam suscitasse, ut ejus ortu, ambitione, famaque præcognitis, ipsum esse Antichristum universitas gentium passim crederet, & publice testaretur: præsertim quod ex Judæis ortus; quod totius Urbis dominium Romanæ Sedis auspicabatur obtentu, quod vitiis deditus infamiam nulla virtute redimeret, & quod infinitam patris & avi pecuniam deinceps possessurus esset. *Ruinam orbis*, appellatum, & hoc gloriatum nomine. Monasticum habitum in Cœnobio Cluniacensi suscepisse, ut opprobria vitæ præteritæ sanctitatis amictu velaret, ac virtutis existimationem bonorum societas quæsita referret. Cardinalem deinde creatum, & variis Legationibus functum cupiditati suæ, potius quam justitiæ satisfacere studuisse: adeo ut illi ea tantum bonos exitus habuisse negotia viderentur, quæ merces adjecta, & marsupii plenitudo subsecuta probaret. Laute & luxuriose visisse, non apud divites tantum, sed apud inopes etiam Ecclesias, quibus postea id luere multis jejuniis & algoribus oporteret. Cumque pauperes Episcopos & Abbates gravissimis vexasset expensis, in ipsa Ecclesiarum ornamenta grassatum fuisse; ut plane sponsam Domini spoliare, suisque privare monilibus, ausu temerario videretur. Domi propriam Sororem, *Tropheam* nomine, nefario incestu polluisse, & nepotum suorum patrem, filiorum factum avunculum. Cum Legationem in Galliis obiret, puellam virili veste amictam circumduxisse, quæ ipsi in deliciis erat. Cujus rei testem Montispessulani populum & circumjectam appellat Provinciam. Inter meretricularum amplexus se Papam olim futurum jactitasse, &c.

Capite IV. *Innocentii II.* Papæ Actus recenset; ac primo corporis ejus habitudinem describit, deinde mores commendat. „ Vir, inquit, staturæ mediocris, quem nec abjectum brevitas, nec immanem reddat immensæ quantitatis excessus. Apparet in oculis ejus & vultu robusta simplicitas, & qua castitatem animi probet verecundia faciei. Quæ profecto facies tanta dignitate resplendet, ut & ipsi quamdam reverentiam ingerat intuenti. Ei quoque hanc inter cætera munificentiæ suæ dona specialem gratiam vis divina largita est, ut omnes se videntes mansueta sibi benignitate conciliet, & dilectionem solo nanciscatur aspectu. Ipsius etenim oculis divinum quiddam superna bonitas inspiravit, quod plenum gratiæ, quod reverentia dignum, quod honori congruum generaliter arbitretur. Vox blanda, sed non in nimiam tamen resoluta mollitiem, ut & suavitatis favor, & magnitudinis non desit authoritas. Continua vultus alacritas, risus in sermonis excursu sæpissimus, tanta tamen habitus honestate, ut verborum, vultusque possit augere, non minuere dignitatem. Quod quidem eo magis allicit intuentes, quoniam id in ipso quoddam illius æternæ jucunditatis videtur initium, cujus cum in ipso corpore quasdam existimo primitias accepisse. At si vitæ consideretur integritas, & a primis annis sub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamia condemnatum. In eo nil illiberale pueritia, nil adolescentia fluxum, nihil juventus infame, nil virilis ætas edidit indecorum. Inconcussa fides operationi bonæ fundamenta præstruxit. Consilio providus, benignus alloquio, facundia celebris, quam nec verborum fastus elatam, nec multitudo faciat affluentem. Tantumque apud omnes bonæ existimationis servabatur & gratiæ, ut quod alias perrarum est, esset ei ante electionis ejus tempora nullus hostis. Cibi, potusque tanta sobrietas, ut illis non fastidium, sed abstinentia modus terminator assistat. Vestitus autem Apostolatus tempori sane conveniens, quem nec Professio Clericalis excluderet, Cardinalatus Dignitas non horreret.... Prædicta vero Cardinalatus Dignitas ab ipso non impetrata quidem, sed ob vitæ mundioris, & scientiæ purioris meritum ultro data. Cujus muneris sic gessit officia, ut suis ipsum laudibus ampliaret. Fiebat honos titulis sui possessoris illustrior, nec tantum propria, quantum administratoris sui gloria præfulgebat... Postremo si non ille humani generis perfidus Adversator in Petro Leonis Ecclesiæ Dei præstruxisset insidias, nulla jam post Papam Honorium de successione quæstio superesset; cum vir unicus unicæ Dignitati divina jam videretur providentia præformatus. Narrat ibidem *Arnulphus*, quomodo *Innocentius* reluctatus sit ne ad Summum Pontificatum eveheretur; neque consensisse, nisi minis excommunicationis compulsum.

Innocentii secundi effigies, egregiæque dotes corporis & animi.

Anno Ordinationis suæ primo in Gallias appulit *Innocentius II.* & congregato apud Clarummontem Concilio, *Petrum Leonis* Antipapam, cum sui Schismatis consortibus damnavit, *Ottone Frisingensi* teste Lib. VII. Cap. XVIII. Hoc prævenerat Concilium *S. Hugonis* Gratianopolitani Episcopi, Comprovincialiumque Antistitum zelus. Qui in Synodo Anicii habita Pseudo-pontificem execrati erant, teste *Guigone* Majoris Carthusiæ Priore in Vita sancti *Hugonis*.

Congregati interim erant in Stampensi* Concilio Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi, ut in commune decernerent, quid reciperent, quid damnarent, inquit Abbas Bonævallis in Vita *S. Bernardi*, Libro II. *Neque enim*, ait, *Francia, cæteris regionibus proclivibus ad schismata, aliquando tali factione fœdata est, nec mali-*

* D'Estampes.

malignorum acquievit erroribus, nec fabricata est in Ecclesia idolum, nec venerata in Petri Cathedra monstrum. Neque enim in talibus causis principales aliquando eos tenuerunt Edicta, aut generalibus utilitatibus privata commoda prætulerunt; nec declinantes in partem, personis detulere, sed causis. Convocato igitur apud Stampas Concilio, Abbas Clarevallensis Bernardus specialiter ab ipso Francorum Rege & præcipuis quibusque Sacerdotibus accersitus, non mediocriter pavidus & tremebundus advenit; periculum quippe & pondus negotii non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem. Unde speravit pacem sine dubio proventuram. Ubi vero ad locum ventum est, celebrato prius jejunio, & precibus ad Deum fusis, cum de eodem verbo tractaturi Rex & Episcopi cum Principibus consedissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei Famulo imponeretur, & ex ore ejus tota causa penderet. Quod ille, timens licet ac tremens, monitis tamen virorum fidelium acquiescens, suscepit; & diligenter prosecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris electi, aperuit os suum, & Spiritus Sanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus Summum Pontificem Innocentium nominavit, & ratum esse omnes pariter acclamaverunt.

De eodem Concilio ita scribit *Arnulphus* Cap. V. Tractatus laudati: *Nuntiato in Galliis schismate, dum pro partibus vario favore multi multa loquuntur, fidelisque populus ancipiti raptatur errore, primus Regum Catholicus Princeps Rex Francorum Ludovicus occurrit. Is vocatis Episcopis, & omnibus qui probatæ religionis in Galliis habebantur, convocato etiam Clero, Regnique majoribus, Concilium statuit generale. Cumque se Petro Leonis ob sua & patris obsequia fateretur obnoxium, nihil tamen super hoc Celsitudini Regiæ voluit arrogare: Episcopis, & Patribus qui ex Monastica Religione convenerant, omni tradita potestate, ut ris, & in eos omnis Diffinitio conferretur; eo quod penes sanctos Episcopos Ecclesiæ dispensatio tota consistat; Abbates, quos Divinitatis contemplatio recreat, divina latere consilia non creditur.* Ibidem testatus Girardum Engolismensem Episcopum, cum huic interesse Concilio non posset, ad illud Nuntium cum literis destinasse, & *Innocentii* electioni fuisse suffragatum, scripsisseque *cum ipso stare justitiam, eo quod plane vir esset honestatis egregiæ; & ipsius electio prima tempore, & a præcipuis Romanæ Ecclesiæ fuerat celebrata personis. Porro Petrum per opulentam manum Cathedram posterius usurpasse, virum adeo vita reprobatum & nomine, ut si ipsum etiam qualibet electionis forma defenderet, promoveri tamen vita qualitas & infamia minime sustineret.*

Mox cœptum de Stampensi Concilio sermonem resumens, subdit: *Tandem ergo favore Divinitatis multis lachrymis implorato, dum utriusque personæ merita, & prosequentia partes studia conferuntur, inventus est Petrus indignior; adeo ut ex ipsius comparatione alteri personæ irrogari gravis injuria videretur. Studia vero partium tanta dividebat imparitas, ut Petro nondum extra Urbis mœnia quisquam favor, alterum infra Urbem quidam pars potior elegisset, & extra Urbem usque ad fines terræ tota jam fere Patrem confiteretur Ecclesia. Sumpta igitur ex Magni Leonis Papæ Decreto sententia, ubi se partium vota diviserant, visus est illis jure Canonico præferendus is, qui majoribus studiis juvabatur & meritis. Qua nimirum ratione cum in Papam Innocentium inspirante Domino convenissent, ipsi statim de obedientia tuo & debita subjectione scripsisti.* Addit Gerardum postea sententiam mutasse, ob negatum sibi ab *Innocentio* legationis munus, & ad *Anacletum* defecisse, idque multis exaggerat, ipsum falsi crimine, & inconstantiæ accusans.

Capite VII. partem utramque ponderat fautorum meritis. Solam *Petri Leonis* familiam, Rogerium Siciliæ Pseudo-Regem, & *Vuillelmum* Pictavensem Comitem ab ejus partibus stare cum *Girardo* ostendit: *Innocentio* vero parere Principes cæteros, & Religiosos Ordines Spiritu Dei illustratos. „Audi ergo, *inquit*, cum quibus habites, & quorum consortia respuas. Infidelis universitas illa quam sequeris, familia Petri Leonis est nondum fermento Judaicæ corruptionis penitus expiata. Et Tyrannus ille, quem altrix Tyrannorum Sicilia sustinet, Dionysii Successor, Aulæ ipsius heres, & ominis, emptus inani Regis nomine.... Huic numero solus Pictavensis Comes adjicitur, voluptatum vir, animalis homo, arcana spiritualium non attingens, ob repulsam petitionis illicitæ mancipatus errori. Sub qua paucitate si quis dixerit Sanctam Ecclesiam contineri, certe non derogata solum Christi videtur hereditas, sed penitus abrogata.... Partem vero nostram, si tamen hæc tantilla cogat exceptio ut nomine partis universitas fere tota vocetur, omnis Imperator, omnis Rex, omnis Princeps, omnis homo denique profitetur, quicumque Christiani nominis insignitur honore. Sed ego, si qua fides est, favorem Principum populique, quos adhuc sæcularis tenet affectio compeditos, in tam divino negotio negligenter attendo. Horum in hoc mihi consensus præcipuus est; horum me movet, motum trahit, tractum tenet authoritas, quibus datum est nosse Mysterium Regni Dei, quorum in cœlis esse jam ex parte conversatio perhibetur. Quales revera sunt qui Carthusiæ perpetuas nives inhabitant, & qui a Cisterciensi, vel Cluniacensi Monasterio profluentes lucis suæ radios undique diffuderunt. Hi enim a manibus suis & animo, saniore consilio terrena removentes, aspera veste, cibo cum raro, tum arido, vigiliis multisque laboribus corpus macerant ad eam tantam retributionem totis viribus anhelantes, quam diligentibus se Gratia repromisit. Horum sancta conversatio, sermo sapiens, in divinis discretio perspicax, quam denique nulla nubes terrenæ densitatis offuscat...... Horum ergo mentes promissus Spiritus Sanctus inhabitat, quas congrua sibi templa paravit, & eas necessario plena cognitione veritatis illustrat. Quoniam si Spiritus Deus est, Deus autem veritas, profecto sub præsentia Spiritus non restat ignorantia veritatis.“ Hæc *Arnulphus* Sagiensis Archidiaconus, & Lexoviensis deinde Episcopus, cujus Tractatus a Domno *Luca Dacherio* Ordinis Benedictini erudito Monacho editus est Tomo II. *Spicilegii*.

Vulgrinus Bituricensis Archiepiscopus Innocentii II. causam egregie tuetur.

Cum *Girardus* Antipapæ Legatus Aquitaniæ Episcopos *Innocentio II.* adhærentes, sibique resistentes vexaret nonnullosque deposuisset, ac Burdigalensem Archiepiscopatum absque Suffraganeorum assensu invasisset, Xantoniensis, Petragoricensis, & Pictavensis Episcopi ad *Vulgrinum* Bituricensem Archiepiscopum, Aquitaniæ Primatem scripsere; obsecrantes ut eorum Ecclesiis succurreret, ac *Girardum* schismatis signiferum coerceret. Non defuit officio *Vulgrinus* Archipræsul probatissimus, datisque literis ad Burdigalensis Provinciæ Episcopos, & ejusdem Ecclesiæ Clerum ac Populum, eos in obedientia *Innocentii II.* confirmavit, & ad sustinendam pro justitia & unitate Ecclesiæ persecutionem excitavit; latam ab *Innocentio* contra *Girardum* promulgavit sententiam: electionem ipsius a Burdigalensis Ecclesiæ Canonicis violentia Comitis Pictavensis factam irritam declaravit, & ne quis ei pareret, prohibuit. Hæc in primis verba observatione digna sunt: *Sæpe accidit ut machinatione Hæreticorum & tyrannide Principum a Sedibus suis Catholici & Religiosi expellerentur Episcopi, nec tamen everti potuit Ecclesia Dei: quia enim ædificata est supra petram, non possunt adversus eam portæ inferi prævalere. Quia igitur in partibus vestris aperta est porta inferi, caveant omnes Catholici ne per eam corruant, & descendant in infernum viventes. Quo utique corruunt & descendunt qui a Romana discedunt Ecclesia; qui putant Romanam Ecclesiam parietes esse vel marmora. Catholici Episcopi, & Catholici Cardinales, qui cum Domino Papa Innocentio persecutionem patiuntur propter justitiam, hi sunt Romana Ecclesia; non illi persecutores qui Sacram Sedem violenter tenendo violant, nec illi Schismatici, qui magis timuerunt hominem quam Deum, qui adhærentes Petro Leonis amiserunt petram justitiæ, quæ conculcabit leonem & draconem, & cito conteret sub pedibus suis omnem Satanæ potestatem. Vos autem, Fratres, fundamen-*

damento petra, super quod ædificare cœpistis, firmiter inhæreto. Minas Principum, damna possessionum, vexationes corporum charitate foras mittente timorem contemnite, &c.

In altera Epistola ad eosdem ita scribit: *Gratias agimus Deo pro vobis, quia fides vestra annunciatur in universo mundo. Facti estis Ecclesiæ Dei exemplum, & speculum virtutis & fidei. Renovata est in vobis Sanctorum Martyrum fortitudo. Aliis curvantibus genua sua ante Baal, vos pro Fide Catholica fideliter dimicatis, & Deo præstante virtutem inventi estis in fide stabiles & in opere efficaces.... Quod nos quidem qui in regimine primæ Sedis, authore Deo, constituti sumus, Domino Papæ Innocentio, sicut Sanctæ Sedis Apostolicæ Præsuli, & Catholico universalis Ecclesiæ Pastori, sincera devotione obedimus, nihilque est per quod ab ejus obedientia dimoveri possimus. In hac unitate nobiscum perseverant Patriarchæ & Primates, Metropolitani & Episcopi innumerabiles. In hac unitate permanet Dominus Rex Francorum, similiter & Rex Anglorum, Rex Alemannorum, Rex Hispanorum, & Rex Hierosolymorum, Duces ac Principes fere totius orbis terrarum. Hæc est Catholica, hæc est universalis Ecclesia, quæ fulget in Oriente, & paret usque in Occidentem*. Has literas legere est Capite LXIII. Patriarchii Bituricensis editi a *P. Philippo Labbè* Tomo II. Novæ Bibliothecæ Manuscriptorum librorum.

Post Concilia Remis & Leodii celebrata anno millesimo centesimo trigesimo-primo, & Placentiæ, Pisisque anno millesimo centesimo trigesimo-quarto, in quibus Anathemate confixus est *Anacletus* Antipapa cum suis asseclis ac fautoribus, Aquitania per *S. Bernardum* & *Gaufredum* Carnotensem Episcopum Legatumque Apostolicum ad *Innocentii* obedientiam revocata, anno millesimo centesimo trigesimo quinto; *Anacleto* e vivis sublato, paceque per *Victoris* alterius Antipapæ cessionem Ecclesiæ reddita anno millesimo centesimo trigesimo-octavo; Concilium Lateranense quo de agimus, celebratum est ad firmandam Ecclesiæ pacem, anno millesimo centesimo trigesimo nono: in quo Acta *Petri Leonis* rescissa sunt, & Ordinationes missæ in irritum Canone 30. cujus hæc sunt verba: *Ad hæc, Ordinationes factas Petro Leonis, & aliis Schismaticis & hæreticis, evacuamus & irritas esse censemus*. Quo sensu Canon iste sit intelligendus, *Innocentii II.* verba in Mauriniacensi Chronico relata indicant: *Et quicumque*, inquit, *per Girardum Engolismensem ad Altaris officium accesserunt, Apostolica Authoritate interdicimus ne ipsum impleant, & in illo Ordinis gradu perenniter demorantes, ad superiorem non ascendant*. Addit idem Chronographus, *Gaufridum* Carnotensem Episcopum, & Legatum Apostolicum, totam Aquitaniam perlustrasse, & Altaria a *Girardo* Engolismensi, vel *Gilone* Tusculanensi Episcopo Schismatico consecrata, solemni rito execratum fuisse, ac propriis manibus diruisse, aliaque extrui jussisse.

Concilium Lateranense secundum.

Ordinationes a Petro Leonis factæ irritæ declarantur.

ARTICULUS II.

Petrobusianorum, & Arnaldistarum hæreses; altera Concilii celebrandi Ratio.

DE *Petri de Bruis & Arnaldi de Brixia* erroribus in Synopsi satis superque actum est. Damnati fuere Petrobusiani in Concilio Tolosano, Præside *Callisto II.* anno millesimo centesimo decimo-nono, octavo Idus Junii, Canone III. quo palam est eosdem errores damnari, qui Petrobusianis a *Petro* Venerabili Abbate Cluniacensi tribuuntur. Porro cum hunc Canonem Tolosanum inter suos retulerit Concilium istud nostrum Lateranense, necessario asserendum est Petrobusianos in hoc Concilio iterum proscriptos esse cum Arnaldistis. Nam *Arnaldum de Brixia* discipulum fuisse *Petri de Bruis*, & errorum ipsius instauratorem ac propagatorem, facile constat. Canonis porro Lateranensis XXIII. qui & Tolosanus tertius est, hæc sunt verba: *Eos autem qui religiositatis speciem simulantes, Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, Baptisma puerorum, Sacerdotium, & cæteros Ecclesiasticos Ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tamquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus, & damnamus, & per Potestates exteras coerceri præcipimus. Defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus*. Hi Anabaptistarum & Calvinistarum Patriarchæ.

ARTICULUS III.

Restauratio Christianæ & Ecclesiasticæ Disciplinæ, tertia Concilii celebrandi Ratio.

COllapsa erat diuturno Schismate Disciplina, nec conditi olim Canones executioni mandabantur. Simonia, Clericorum incontinentia, bellorum privatorum, ludorumque gladiatoriorum furor, consanguineorum connubia, Beneficiorum absque Canonica institutione possessio, Monachorum & Sanctimonialium dissoluti mores, eversio Pœnitentialis Disciplinæ, Ecclesiæ faciem turpissimum in modum deformabant. Hæc aliaque mala sancta Synodus Œcumenica Lateranensis Secunda, ejusque Præses *Innocentius II.* Canonibus octo supra viginti curarunt (Alii enim duo Hæreticorum & Schismaticorum damnationem continent.)

Summa Canonum Concilii Oecumenici Lateranensis II.

Canon Primus, simoniace Ordinatos ab officio dejicit. *Secundus*, venditionem & emptionem Sacramentorum & rerum sacrarum, atque Dignitatum Ecclesiasticarum execratur; emptores honoribus privat male partis, & cum ipsis venditores & interventores, infamiæ nota percellendos edicit. *Et nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis, ante, vel post, aliquid a quoquam exigi vel dari* patitur, *quoniam simoniacum est*.

Canon tertius, excommunicatos a suis Episcopis, ab aliis recipi vetat, sub pœna excommunicationis.

Canon quartus, Clericos vestium superfluitate, colore, forma, & capillitio intuentium oculos offendentes, nisi ab Episcopis admoniti se correxerint, Ecclesiasticis privandos Beneficiis decernit.

Canon quintus, Decretum Chalcedonensis Concilii observari jubet, quo sancitum est, *Ut decedentium bona Episcoporum a nullo omnino hominum diripiantur, sed ad opus Ecclesiæ & Successoris sui in libera Oeconomi & Clericorum permaneant potestate. Cesset igitur de cætero illa detestabilis & sæva rapacitas. Si quis autem amodo hoc attentare præsumpserit, excommunicationi subjaceat*. Simili pœnæ subjiciuntur, qui morientium Presbyterorum vel Clericorum bona diripuerint. Canon iste vigesimus-secundus est Concilii Chalcedonensis, cujus executionem Remensis Synodus anno 1131. Præside *Innocentio II.* celebrata, jam ante imperaverat iisdem verbis Canone *III.*

Canon sextus decernit, ut qui in Ordine Subdiaconatus & supra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio & Ecclesiastico Beneficio careant.

Canon septimus prohibet, ne Sacerdotum conjugatorum aut concubinariorum Missas quis audiat; quod olim a *Gregorio VII. Urbano II. & Paschali II.* fuerat interdictum. Majorum Clericorum, Canonicorum Regularium, & Monachorum Professorum conjugia irrita declarat dirimique jubet; contrahentes vero Pœnitentiæ addici.

Canon Octavus, de Sanctimonialibus idem præcipit observari,

Canon nonus prohibet, ne Monachi & Canonici Regulares Jus Civile & Medicinam gratia lucri temporalis addiscant, & exerceant, & causarum Patronos agant; quod Imperialibus etiam Constitutionibus vetitum est. Si qui vero Episcopi, Abbates, aut Priores id permiserint, eos spoliandos honoribus, & excommunicatione plectendos Concilium decernit.

Canon decimus prohibet ne Laici decimas vel Ecclesias retineant, quas nisi Ecclesiæ restituant, *sacrilegii crimen* committunt, & *periculum æternæ* damnationis incurrunt, sive *ab Episcopis* sive a *Regibus*, vel quibuslibet personis eas acceperint. Qui ecclesias tenent, nec Episcopis restituere volunt, excommunicatione feriuntur.

Decimarum possessio ac retentio Laicis vetita.

Idem

Idem Canon Decreta olim condita renovat, ne Decani & Archidiaconi, nisi ex Presbyteris vel Diaconis assumantur his Dignitatibus privat, qui ordinari noluerint; vetat proinde ne adolescentibus, sed qui prudentia & merito vitæ clarescant, consecrantur. Denique cavet ne Parochiales Ecclesiæ conductitius Presbyteris committantur, præcipitque ut unaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem. Pars prior istius Canonis, qua decimarum possessio Laicis prohibetur, exscripta est ex Concilio Romano V. sub. *Gergorio VII.* anno 1178. cujus Canon 6. iisdem verbis conceptus est. Concilium Claromontanum omnibus Laicis interdixerat, ne Ecclesias vel Altaria retinerent, quam Canonem *Ordericus Vitalis* his verbis expressit; *Laicus decimas nec vendat, nec retineat.* Concilium Rothomagense anno 1096. Canone V. vetuerat ne Laici partem aliquam decimarum & oblationum retinerent. Nobiles enim cum ad restituendas Ecclesiis decimas *Guilelmus Conquestor* adegisset, post ejus mortem jus aliquod sibi in illarum partem vendicabant, ut antiquæ consuetudinis reliquias. Hinc statuit Synodus, *Ut omnes Ecclesiæ ita sint saisitæ de rebus suis, sicut fuerunt tempore Guillelmi Regis & cum eisdem consuetudinibus, & quod nullus Laicus participationem habeat in tertia parte decimæ vel in sepultura, vel in oblatione Altaris.* Concilium Nemausense Canone 6. ita sanxerat. *Laicus qui oblationem Ecclesiæ, sepulturam, decimam aut terram sanctuarii tenuerit, ab omnium Fidelium communione separetur.* Idem confirmarat Concilium Pictavense, cui *Paschalis II.* Legati præfuerunt, Canone 16. Has omnes prohibitiones confirmat sacra Synodus Lateranensis II. Quia *Decimas in usu pietatis concessas Canonica demonstrat authoritas.* Decimas olim *Carolus Martellus* invaserat, Militibusque suis contulerat. Ecclesiæ periculosis temporibus decimas Defensoribus suis concesserant. Interdum eas usurparant Laici, & earum confirmationem a Regibus obtinuerant: easque cæteris bonis suis ac feudis adjunxerant, & in unum veluti corpus cum illis redactas, transmiserant ad hæredes. Originis tamen suæ conditionem ac naturam non ideo amiserant, aut ex commixtione cum profanis bonis evaserant, ipsæ profanæ; sicut bona Regii Domanii, cum a Regibus oppignarantur, & iis feuenda conceduntur qui difficillimis temporibus Regii Ærarii penuriam suis facultatibus suppleverunt, aut alias de Regno & Rege sunt bene meriti, non ideo exsidunt a conditione sua, aut in sortem bonorum privatorum relabuntur. Unde sicut Reges Domanii sui bona sive a Decessoribus Regibus alienata, sive a Nobilibus olim usurpata, Jure suo repetunt ac Domanio suo vendicant, qualibet diuturna possessione non obstante, quia possessionis diuturnitas in his non præscribit: ita Ecclesia Decimas a Laicis possessas jure suo sibi poterat vendicare ac repetere, sive a Regibus sive ab Episcopis, sive ab aliis concessæ essent, sive ab ipsis aut ab eorum majoribus usurpatæ, quia decimæ illæ bonorum Ecclesiasticorum, & *in usum pietatis concessorum*, naturam & conditionem non amiserant, ipsarumque diuturna possessio non prohibebat reversionem, si eas Ecclesia repeteret. Bona enim Ecclesiæ alienata contra dispositionem Canonum, aut usurpata repeti possunt; nec jus Ecclesiæ qualibet diuturna possessione præscribitur. Decimas tamen quas Ecclesia Laicis de se bene meritis in Feudum perpetuum concesserat, & quæ propterea infeodatæ appellantur, non complectitur iste Canon.

Decreta De Treuga & pace. *Canones nudecimus & duodecimus*, statuunt de *Treuga & Pace* sive de induciis a bellis privatis, quorum furorem cum statim sistere non posset Ecclesia, quædam veluti repagula & obices apposuit, Pacem absolutissimam quibusdam personis concedi jubens, aliis Treugam sive inducias certis diebus, quarum infractores Anathemate plecterentur. Pax omni tempore indulta Canone undecimo Concilii II. Lateranensis, ratione Presbyterorum, Clericorum, Monachorum, peregrinorum mercatorum, rusticorum euntium & redeuntium, agricolarum cum bobus, equis aratoribus, & ovibus: ratione vero cæterorum Treuga, id est, induciæ aliquot dierum imperatæ Canone 12. scilicet a Mercurii suprema die usque ad diluculum diei Lunæ subsequentis, & ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & a Quinquagesima usque ad octavas Paschæ, sub pœna excommunicationis: quam si Episcopi infligere negligerent, damnum incurrerent Dignitatis. Pax hujusmodi decreta primum fuit ab Episcopis Gallicanis anno circiter 1134. quo plurima *De reformanda pace* Concilia habita *Glaber Rodulphus* testatur lib. 4. cap. 5. *Erat*, inquit, *descriptio capitatim digesta, qua continebantur, tam illa quæ prohibebantur, quam illa quæ devota sponsione omnipotenti Domino offerre decreverant. In quibus potissimum erat de inviolabili pace conservanda, ut scilicet viri utriusque conditionis, cujuscumque antea fuissent rei obnoxii, absque formidine procederent armis vacui. Prædo namque aut invasor alterius facultatis Legum districtione arctatus, vel donis facultatum, seu pœnis corporis acerrime mulctaretur. Locis nihilominus sacris omnium Ecclesiarum honor & reverentia talis exhiberetur; ut si quis ad ea cujuscumque culpa obnoxius confugium faceret, illæsus evaderet, nisi solummodo ille qui prædictæ pacis pactum violasset. Clericis similiter omnibus, Monachis, & Sanctimonialibus ut si quis cum eis per regionem pergeret, nullam vim ab aliquo pateretur.*

Anno 1041. *Treuga Domini*, seu induciæ a bellis privatis, primum per Aquitaniam, deinde sensim per alias Galliarum Provincias promulgatæ sunt, ut idem *Glaber* testatur lib. 5. cap. 1. *Contigit vero*, inquit, *ipso in tempore, inspirante divina gratia, primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per universum Galliarum territorium, firmari pactum propter timorem Dei pariter & amorem. Taliter ut nemo mortalium a Feriæ quartæ vespere usque ad secundam Feriam incipiente luce, ausu temerario præsumeret quippiam alicui homini per vim auferre, neque ultionis vindictam a quocumque inimico exigere, nec etiam a fidejussore vadimonium sumere. Quod si ab aliquo fieri contigisset, contra hoc Decretum publicum, aut de vita componeret, aut a Christianorum consortio expulsus, patria pelleretur. Hoc insuper placuit universis, veluti vulgo dicitur, ut Treuga Domini vocaretur. Quæ videlicet humanis non solum fulta præsidiis, verum etiam multoties divinis suffragata terroribus. Nam plerique vesana audaci temeritate præscriptum pactum non timuere transgredi, in quibus protinus aut divina vindex ira, seu humanus gladius ultor extitit. Et hoc passim tam frequenter contigit, ut præ sui multitudine singulatim non queant adnotari. Et hoc satis juste: Nam sicut dies Dominicus propter Dominicam Resurrectionem venerabilis habetur, & octavus cognominatur; ita quintus, sextus, & septimus ob Dominicæ Cœnæ, & ejusdem Passionis reverentiam, debent ab iniquis actionibus esse feriati. Contigit enim ut dum pene per totas Gallias hoc dissidium firmiter custodiretur, Neustria gens illud suscipere recusaret. Erat enim hujus rei occasio dissidium superbissimi litigii, quod ortum fuerat inter Henricum Regem filium Roberti & filios supradicti Odonis, qui vicissim incendiis bella miscentes intestina sibimet damna inferentes non modica, plurimas suorum strages dederunt. Deinde quoque occulto Dei judicio cœpit desævire in ipsorum plebibus divina ultio. Consumpsit enim quidam mortifer ardor multos tam de Magnatibus, quam de mediocribus atque infirmis populis, quosdam vero truncatis membrorum partibus, reservavit ad futurorum exemplum.*

Willelmus Conquestor hanc Pacem & Treugam in Anglia & Normannia sancivit lege data, quæ consilio Episcoporum & Baronum confirmata est in Concilio apud *Julibonam* * celebrato anno 1080. teste *Orderico Vitali* lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, pag. 552. his verbis: *Pax Dei* [*quæ vulgo Treuva dicitur*] *sicut ipse Princeps Guillelmus eam initio constituerat, firmiter teneatur, & per singulas Parochias dictis excommunicationibus renovetur. Qui vero servare contempserint, vel aliquatenus fregerint, Episcopi secundum quod prius statutum est, judicando justitiam faciant. Si quis vero Episcopo suo inobediens fuerit, domino, in cujus terra habitat, Episcopus hoc demonstret, & ille subdat eum Episcopali Justitiæ. Quod si & dominus facere contempserit, Regis Vicecomes per Episcopum inde requisitus, omni remota excusatione faciat.* Easdem inducias in Barcinonensi Comitatu decrevit *Raimundus Berengarius* Comes anno 1060.

* L'Isle-borum.

Hæc Decreta ab *Urbano II.* & Synodo Claromontana anno 1095. & a *Paschali II.* anno 1111. in Synodo Romana, recepta & amplificata sunt. Eodem anno *Guillimus* Auscitanus * Archiepiscopus, Sedis Apostolicæ Legatus, Pacem & Treugam juxta statuta Romani Concilii in Provincia sua promulgavit, ut testantur ejus Literæ ab Illustrissimo Archipræsule *Petro de Marca* ex Codice MS. Lascurrensis * Capituli editæ in Historia Bearnensi, & in Notis ad Concilium Claromontanum. Eadem hæc, de quæ agimus, Synodus Lateranensis Œcumenica II. sub *Innocentii II.* & altera Lateranensis pariter Œcumenica sub *Alexandro III.* ut suo loco dicemus, confirmarunt. De his *Yvo* Carnotensis Episcopus Epistola XC. ad *Daimbertum* Senonensem Archiepiscopum scribebat : *Trevia Dei non est communi lege sancita, pro communi tamen utilitate hominum, ex placito & pacto civitatis ac patriæ Episcoporum & Ecclesiarum, ut nostis, est authoritate firmata. Unde judicia violatæ pacis modificari oportet secundum pacta & diffinitiones, quas unaquaque Ecclesia consensu Parochianorum instituit, & per scripturam vel bonorum hominum testimonium memoriæ commendavit.* Hujus pacis induciarumque Constitutiones relatæ sunt in Libros Decretalium sub Titulo *De Treuga & Pace*. Unde mirari subit quod Annalium Ecclesiasticorum doctissimus Conditor ad annum 1034. laudata superius *Glabri* testimonia referens, Gallicanos Episcopos sugillet ob certos Induciarum dies constitutos : & quod hæc eorum Decreta de feriatione a strepitu fori, & privatis dissensionibus, vir alioqui perspicacissimus intellexerit : cum de ultione injuriarum ferro, manuque, prædationibus & incendiis, actum fuisse, *Glabri* contextus evidenter probet. Sed de his satis; cœptam Canonum Lateranensis Concilii II. enarrationem & expositionem persequamur.

Canon XIII. insatiabilem fœneratorum rapacitatem damnat, *Divinis & humanis Legibus per Scripturam in Veteri & Novo Testamenta abdicatam*, & fœneratores *ab omni Ecclesiastica consolatione* sequestrat; præcipitque ut *nisi cum summa cautela* non absolvantur & ad Communionem recipiantur; sed *in tota vita infames habeantur : & nisi resipuerint Christiana, sepultura priventur*. Utriusque Testamenti Scriptura, adeoque Divino Jure usuras prohiberi recte docet Sacra Synodus Lateranensis. Nam quod Vetus Testamentum spectat, Levitici XXV. hanc Legem Deus tulit : *Pecuniam tuam non dabis fratri tuo ad usuram :* Et Deuteronomii XXIII. *Fratri tuo absque usura id quo indiget commodabis*. Psalmo XIV. Æterna Beatitudo iis dumtaxat promittitur, qui sectantur munditiam, qui linguam veracem, qui innocuas manus habent, & pecuniam suam ad usuram non commodant : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo, &c. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram ? &c.* Ezechielis XVIII. inter viri justi dotes necessarias, ut vere sit justus & vita vivat, hæc numeratur. *Si ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit*. Et cap. 22. inter scelera propter quæ minatur Deus se indignationem suam super Judæos effusurum, usuras numerat. *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem, usuram & superabundantiam accepisti*. Quod spectat Legem Evangelicam inter præcepta legis naturæ Decalogo comprehensa, & in Evangelio renovata Matthæi XIX. illud legimus : *Non facies furtum :* cui præcepto usura adversatur; siquidem quod ex mutuo accipitur ultra sortem, legitimo titulo quæsitum non est; sed res est aliena, invito domino extorta. Sicut enim a furti crimine non excusatur ille, cui viator cum minis postulanti pecuniam omnem tradit, ut vitam redimat; ita qui pecuniam commodans indigenti ab eo usuras exigit, & extorquet, furti reus est : sicut enim viator extra vitæ periculum, aut casum illatæ violentiæ pecuniam suam non traderet homini, qui armata manu petit; ita qui mutuo pecuniam accipiens aliquid ultra sortem se daturum paciscitur, extra has angustias positus id non faceret. Quamobrem invitus dare censetur. Denique *Lucæ VI.* Christus hanc mutuum dandi Regulam Christianis tradit : *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Quod non minus præceptum est quam inimicorum dilectio cui subjungitur: *Veruntamen diligite inimicos vestros : benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes*. Nec solum a paupere, sed etiam a divite, aliquid ultra sortem exigere Lege divina vetitum est, cum in usuræ prohibitione nulla apponatur exceptio, sicut nec in prohibitione furti : quamvis usuras a pauperibus exigere gravius peccatum sit & immanius, quam a divitibus, sicut furari pauperi gravius atque crudelius est quam diviti; licet utrumque sit peccatum. Facessant itaque Jureconsulti quidam, qui usuram Jure Divino prohibitam negant, & ad consilia dumtaxat pertinere volunt quidquid in Scriptura Sacra adversus usuras continetur : vel immodicas quidem usuras, non autem mediocres prohibitas esse : quæ *Molinæi* Authoris damnati sententia est. Longe aliter sensere Christianæ Legis interpretes Ecclesiæque Patres SS. Basilius, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, &c. Basilius quidem in Psalmum 14. „ Inhumanitas est maxima, *inquit*, si quis egestate

„ premitur, mutuum ad vitæ subsidium quærat, dans
„ vero minime sorte contentus ex miseri calamitate
„ proventus & opes sibi excogitet. Dominus enim
„ palam nobis præcepit. *Ne vultum avertas ab eo,*
„ *qui abs te mutuum petit*. Pecunias, dic mihi, &
„ quæstum quæris ex inope.... Et si ille ditiorem
„ te reddere potuisset quid ad tuam januam quævis-
„ set ? Ad auxilium cum advenerit requirendum, re-
„ perit hostem : auxiliare antidotum cum quæsierit
„ diligenter, in exitiale venenum incidit. Officium
„ tuum fuerat hominis depressi egestatem consolari :
„ tu contra potius adauges, fructum ex homine de-
„ stituto acquirens, veluti si quis Medicus ad ægro-
„ tantes ingressus, loco reddendæ sanitatis, id quod
„ eis virium restabat, auferret. Et tu inopum cala-
„ mitates materiam tibi constituis augendi proven-
„ tus? Utque coloni ad satorum augmentum imbres
„ expectant, sic tu inopiam & publicam egestatem
„ hominum, ut pecunia tibi succrescat, & fias lu-
„ crosior, exquiris. An ignoras quod major tibi pec-
„ catorum exurgat acervus, quam sit accessus opum,
„ quem ex usuris venaris ?

Et infra : „ Lepores ajunt ejus esse naturæ, ut si-
„ mul & pariant, & nutriant, & superfœtent : sic
„ & fœneratoribus pecuniæ simul tempore & dantur
„ ad usuram, & gignunt, & superfœtant. Nondum
„ enim in manus accepisti, & præsentis mensis lu-
„ crum quæstumve expostularis. Hæc rursus pecunia
„ data fœnori alterum malum eduxit, illud rursus
„ aliud; denique malum hoc infinitum serpit .....
„ Semina omnia tempore nascuntur; animalia quo-
„ que tempore pariunt : fœnus vero hodie nascitur,
„ hodie parere incipit. Animalia item quæ cito pa-
„ riunt, cito etiam a partu desistunt. Pecuniæ vero
„ cum aviditate plus æquo habendi volucrem trahunt
„ originem, infinitam accessionem tanto progredien-
„ tem ulterius recipiunt. Unumquodque crescentium,
„ ubi ad justæ sibique convenientis staturæ magnitu-
„ dinem pervenit desinit augeri : argentum vero a-
„ vari omni tempore augescit. Animalia ubi suæ so-
„ boli cesserunt pariendi vices, non jam ulterius im-
„ prægnantur : fœnori tradentium pecuniæ, & quæ
„ succreverunt, statim pariunt, veteresque reno-
„ vantur.

Et infra : „ Iniqua prorsus mutui datio utrique,
„ danti pariter & accipienti, huic quidem in pecu-
„ nias, illi vero in ipsam animam damnum pœnam-
„ que afferens. Agricola accepta spica semen rursus
„ sub radice non scrutatur : Tu vero fructus habes,
„ nec desinis ipsam redituum sortem requirere. Sine
„ terra plantas, sine satione metis, cum incertum
„ sit cui congreges.. Igitur a volente accipere mutuo
„ ne vultum avertas, nec pecuniam tuam dederis ad
„ usuram, ut tam ex Veteri, quam Nova Lege quæ
„ conducibilia sint edoctus, bona cum spe ad Domi-
„ num hinc emigres.

S. Gregorius Nyssenus Basilii frater luculentam ac elegantem contra Usurarios Orationem edidit, qua divina lege vetitas usuras esse probat : *Ecquid respondebis*, inquit, *accusatus incorrupto Judici, quando tibi dixerit : Habuisti legem, Prophetas, Evangelicas præceptiones ; omnes audivisti simul ingeminantes una voce caritatem & humanitatem his quidem manentibus*

Marginal notes: * D'Euche. — * De l'Escar. — *Baronius emendatur.* — *Usura Divinis & Humanis Legibus damnata.* — *Usurariorum pœna.* — *Canonis Lateranensis cum Sacra Scriptura & Traditione consensus.*

„ bus, Fratri tuo non fœneraberis; *aliis vero*, Pecuniam suam non dedit ad usuram; *aliis*, Si mutuum dederis fratri tuo, non urgebis illum..... *Ad mutuum exhortor; altera enim donationis species est mutuum; sed addo hoc dandum esse sine fœnore, eoque modo quo Divina Oracula præcipiunt*. Addit, usuram naturæ adversari, cum pecunia per se parere pecuniam non queat, quod tamen efficere vult fœnerator. *Tu vero*, inquit, *æris & auri, rerum parere non solitarum, ne quære fœtum, neque coge paupertatem ea quæ divitum sunt præstare, neque usuras pendere illum, qui sortem petit, aut nescies quum mutui exposcendi necessitas digna sit misericordia. Quapropter Divina Scriptura ubique usuras prohibet*. Ibidem Usurarium cum eo comparat, qui precibus victus, febricitanti poculum porrigit, ipsumque perbrevi tempore exhilarat, dum poculum exhaurit; non longe post acerbissimam & decuplo graviorem febrim misero parit. Sic & qui egeno pecuniam sub fœnore commodat, necessitatem illius non sublevat, sed calamitatem auget. Tum describit Usurarii inhumanam avaritiam, qui absque labore immanem pecuniam ex mutuo corrodit: *Vult omnia sibi sine satu & inarata progigni; cui quidem aratrum, est calamus, ager charta; semen, atramentum; pluvia tempus, quod illi pecuniæ fructus occultis incrementis adauget. Falx illi est repetitio; area, domus, in qua miserorum fortuna ventilat. Cum videt omnia esse alicujus propria, imprecatur hominibus calamitates, ut coacti ad ipsum confugiant: odit qui rebus suis contenti vivunt & quos sibi conspicatur non esse obæratos, in hostium numero habet*.

Idem S. Doctor Homilia IV. in *Ecclesiasten* contra usuras sic loquitur: „ Improbum fœnoris inventum, qui aliud latrocinium & parricidium nominaverit, non procul ab eo quod decet, aberraverit. Quid enim refert an clanculum perfossis muris prædonis more aliena habeas, & prætereuntis cæde te eorum quæ habeat dominum constituas, an fœnoris necessitate acquiras ea quæ ad te non pertinent? o malum vocabulum, fœnus sit nomen latrocinii! o acerbas nuptias! o improbam conjunctionem, quam natura quidem non cognovit, avarorum autem morbus inter inanima innovavit! o graves & molestos conceptus, ex quibus ejusmodi fœtus, nempe fœnus, enascitur. Solummodo in rebus quæ sunt, discernitur animatum per discrimen sexus masculini & fœminini. Eis dixit Deus Creator: *Crescite & multiplicamini*; ut per mutuam ea se inter se generationem augerentur & multiplicarentur quæ gignuntur animantia. Auri autem fœtus, nempe fœnus, ex quonam consistit matrimonio, ea quanam perficitur conceptione? Cæterum ex Propheta didici quæ sit hujus fœtus conceptio: *Ecce parturiit injustitiam, concepit laborem & peperit iniquitatem*. Hic est ille partus quem parturit quidem avaritia, parit iniquitas, obstetricatur inhumanitas.

Et in Epistola ad *Letoium* Melitinensem Episcopum, Canone VI. „ Apud divinam Scripturam & fœnus & usura sunt prohibita, & per quamdam potentiam ad suam possessionem aliena traducere, etiamsi sub contractus aut transactionis specie hoc fortasse factum sit.

S. Joannes Chrysostomus Sermone LXIII. Tom. V. Edit. *Frontonis Ducæi*, æque usuram a Deo prohibitam docet. Ita enim loquitur: „ Qui hominibus prohibet usuras ne exigant, ipse exigit usuras? Quid ita? Quoniam damnanda est usura illa & accusationi obnoxia, hæc autem laudabilis & commendatione digna, (*usura nimirum doctrinæ accepta*). Itaque usura illa pecuniarum, & eum qui accipit, & eum qui solvit, damno afficit: Si quidem & ejus qui accipit, animam perdit; & ejus qui solvit, egestatem affligit. Quid enim crudelius fieri potest, quam cum ex proximi egestate quispiam quæstum facit, & in fratrum calamitatibus lucra sectatur? Cum quis benignitatis larvam gestans, inhumanitatem omnem exercet, & & qui porrigere manum debuerat, eum in barathrum propellit, qui subsidio indigebat, &c.

S. Ambrosius libro de Tobia Cap. II. *Fœnus jure execrabile* dicit, & *Lege prohibitum*: ideoque *Tobiam* hoc fugisse, *qui monebat filium ne præceptum Domini præteriret, ut ex substantia sua eleemosynam faceret, non pecuniam fœneraret*. Et Cap. III. fœneratoris immanitatem his verbis describit: „ Numeratur pecunia, addicitur libertas, absolvitur miser minore debito, majore ligatur. Talia sunt vestra, divites, beneficia. Minus datis, & plus exigitis. Talis humanitas, ut spolietis, etiam dum subvenitis. Fœcundus vobis etiam pauper est ad quæstum... Ille medicamentum quærit, vos offertis venenum. Panem implorat, gladium porrigitis. Libertatem obsecrat, servitutem irrogatis. Absolutionem precatur, infamis laquei nodum stringitis.

Et Cap. IV. „ Hanc præcipue injustitiam deplorat S. David, dicens: *Vidi iniquitatem & contradictionem in civitate, & non defecit de plateis ejus usura & dolus*. Itaque cum proditionem Judæ subjiceret, hoc præmisit: sive quod ultra sacrilegii invidiam, conjuratis Dominicæ necis fœnoris crimen accesserit, sive quod tantum sacrilegium satis abundeque usura fœnoris ultum. Mali fœneratores qui dederunt pecuniam ut interficerent Authorem salutis: Mali & isti, qui dant ut interficiant innocentem. Est iste quoque qui pecuniam acceperit, ut proditor Judas, laqueo se ipse suspendit. Ipsum Judam hoc maledicto putavit esse damnandum, ut scrutaretur fœnerator omnem substantiam ejus, quia quod præscriptio Tyrannorum, aut latronum manus operari solet, hoc sola fœneratoris nequitia consuevit auferre.

Cap. V. „ Pecunia fœneratoris, fluctus est quidem maris, non fructus: numquam quiescit, labitur, velut scopulo illisa, ita præmium debitoris percurrit, & continuo relabitur eo unde processit. Cum murmure venit, cum gemitu revertitur. Frequenter tamen placidum stat ventis mare, semper fœnoris unda jactatur. Mergit naufragos, expuit nudos, insepultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium suscipis.

Cap. VI. „ Nihil interest inter funus & fœnus, nihil inter mortem distat & sortem. Personat funebrem ululatum fœnoris usura.

Cap. XIV. „ Non novum, nec perfunctorium hoc malum est, quod veteris atque divinæ præscripto Legis inhibetur. Populus qui despoliaverat Ægyptum, qui pede transierat mare, monetur a fœnoris pecunia cavere naufragia. Et cum de aliis peccatis semel aut multum iterata admonitione præscripserit, de fœnore sæpius intimavit. Habes in Exodo: *Quod si pecuniam fœneraveris pupillo, orphano, pauperi, apud te non suffocabis eum, non impones illi usuram*. Ostendit quid sit suffocare, *id est*, usuram imponere. Strangulat enim, & quod pejus est, animam laqueat creditoris. Quo sermone, & prædonis violantiam, & deformis nodum mortis expressit.... Hoc quoque foris sero est dictum a quibusdam eorum Prudentibus. Quid est, *inquit*, fœnerari? Hominem occidere. Sed utique non Cato prior quam Moyses qui Legem accepit........ In Deuteronomio [a] quoque scriptum est: Non exiges a fratre tuo usuram pecuniæ, & usuram escarum, & usuram omnium rerum quascumque fœneraveris fratri tuo. Vides quantum pondus in verbis sit: Noli, *inquit*, exigere usuram a fratre tuo; cum quo habere debes omnia communia, ab eo tu usuram exigis? Frater tuus est, consors naturæ & cohæres gratiæ. Noli ab eo exigere amplius, a quo durum est repetere quod dederis, nisi cum habuerit unde solvat. Et quia plerique refugientes præcepta Legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tamquam usuram emolumenta percipiunt, ideo audiant quid Lex dicat: Neque usuram, *inquit*, escarum accipies, neque omnium rerum quas fœneraveris fratri tuo. Fraus enim ista & circumscriptio Legis est, non custodia. Et putas te pie facere, quia a negotiatore velut mutuum suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium pretio, unde tibi solvit usuram. Fraudis illius tu author, tu particeps, tibi proficit quidquid iste fraudaverit. Et esca usura est, & vestis usura est & quod

[a] Cap. 23.

„ quodcumque forti accedit, usura est. Quod velis ei nomen imponas, usura est.

Cap. XV. occupat objectionem ex *Deuteronomii* Cap. XXIII. petitam, qua fœnus erga fratres dumtaxat, non erga alienigenas prohibetur. Ad Evangelium attendendum esse respondet, quod est plenius: Hunc tamen locum usuræ non favere: siquidem Scriptura usuras non permittit erga alienigenas, nisi publicos hostes, & jure belli. *Legis ipsius*, inquit, *verba considera*; Fratri tuo non fœnerabis ad usuram, sed ab alienigena exiges. „ Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostes? Ibi, *inquit*, usuram exige. Cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime indicantur usuræ. Quem bello non potes vincere, de hoc cito potes centesima vindicare te. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat: Sine gladio & de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius & exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ. Frater autem suus omnis, fidei primum, deinde Romani Juris est populus. Denique in Levitico præscripsit etiam Lex usuram a fratre non esse poscendam. Sic enim habes: *Et vivet frater tuus tecum: pecuniam tuam non dabis illi in usuram, & in amplius recipiendum non dabis illi escas tuas*. Generaliter hæc Sententia Dei omne fortis excludit augmentum. Unde & David & benedictum æstimavit, & cœlesti habitatione dignum, qui pecuniam non dedit ad usuram. Si ergo qui non dedit, benedictus: sine dubio maledictus, qui ad usuram dedit.

Sanctus Hieronymus lib. VI. Commentariorum in *Ezechielem*, ad caput XVIII. eamdem doctrinam tradit: „ In principio Legis [*inquit*] a fratribus tantum fœnus tollitur: In Propheta ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele: *Pecuniam suam non dedit ad usuram*. Porro in Evangelio virtutis augmentum est præcipiente Domino: *Fœneramini his a quibus non speratis recipere*. Sequitur: *Et amplius non acceperit*. Putant quidam usuram tantum esse in pecunia. Quod prævidens Scriptura Divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, cæterarumque specierum usuræ exigi, sive, ut appellat sermo divinus, superabundantiæ; verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, & messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius partem mediam...... Solent argumentari ac dicere: Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios. Nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem & semis de meo habeat? Nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti. Si habenti, utique dare non debuerat; sed dedit non habenti: Ergo quare plus exigit quasi ab habente? Alii pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint.

S. Augustinus Epistola LIV. ad *Macedonium*, de restitutionis obligatione differens, usurarios, ceu fures, ad pecunias usuris partas restituendas teneri docet. „ Quid dicam de usuris [*inquit*] quas etiam ipsæ Leges & Judices reddi jubent? An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atque hujusmodi male utique possidentur.

Et Enarratione in Psalmum XXXVI. „ Nolo sitis fœnatores, & ideo nolo, quia Deus non vult ..... Unde apparet Deum hoc nolle? Dictum est alio loco: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Et quam detestabile sit quam odiosum, quam execrandum, puto quia & ipsi fœneratores noverunt. Rursus autem ego ipse, immo Deus noster, qui te prohibet esse fœneratorem, jubet te esse fœneratorem, & dicitur tibi: Fœnera Deo... Si fœneraveris homini id est, mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quam dedisti expectes accipere, non pecuniam solam; sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus quam dedisti, expectas accipere, fœnator es, & in hoc improbandus, non laudandus. Alia contra Usurarios ex Traditionis doctrina proferre possem; sed hæc satis sunt ad demonstrandum Lateranensis Canonis cum Scriptura Sacra & Traditione consensum. Ad alios Canones pergo.

Canon XIV. Detestabiles illas nundinas, vel ferias prohibet, ad quas milites ex condicto convenire solebant, & ad virium ostentationem congredi. Hujusmodi Gladiatoribus, si ibi mortui fuerint, Christianam sepulturam negari jubet; quamvis Pœnitentia & Viaticum rogantibus concessa fuerint.

Violenta manus injectio in Clericum aut Monachum, casus tum primum Apostolica Sedi universali Lege reservatus.

Canon XV. Violentas manus in Clericum aut Monachum injicientes excommunicat, Absolutionemque reservat Sedi Apostolicæ, præterquam urgente mortis periculo. Vetat etiam eos comprehendi, qui ad Ecclesiam aut Cœmeterium confugerint, sub eadem pœna. Etsi gravissimorum criminum rei Romam interdum ante hæc tempora ad Absolutionem impetrandam confugerint: nondum tamen Lege lata criminum quorumdam Absolutionem Sedi suæ reservarant Summi Pontifices: id primum factum ab *Innocentio II.* & Synodo Lateranensi Œcumenica II. hocce condito Canone.

Beneficia hereditario jure possidere nefas.

Canon XVI. Beneficia hereditario jure prohibet possideri: quod si quis tentaverit, debita pœna multabitur, & postulatis carebit. *Quoniam honores Ecclesiastici, sanguinis non sunt, sed meriti: & Ecclesia Dei non hereditario jure aliquem, neque secundum carnem, Successorem expectat, sed ad sua Regimina & Officiorum suorum dispensationes, honestas, sapientes, & religiosas personas exposcit*. Sane vocationem imprimis necessariam ad Ecclesiastica Beneficia obtinenda, Apostoli verba probant, ad Hebræos V. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Maledicti ergo qui dixerunt: *Hereditate possideamus sanctuarium Dei*. Hunc abusum Sæculo XII. frequentem *S. Bernardus* Declamatione in illud Evangelii, *Ecce nos reliquimus omnia*, graviter exagitat: *Si quis*, inquit, *vocaverit nos in honorem Cleri, convenire velim conscientias singulorum, ut secundum præceptum Domini ad cor Hierusalem loquar. Hunc enim parvulo adhuc aut forsitan necdum nato, Ecclesiastica jam Beneficia provida fama parentum solicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, illi vel illi tradamus Episcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui forte servimus, ut ditetur de bonis Domini, nec inter tot liberos nostra dividatur hereditas. Illum Præpositus aut Decanus, ut sibi succederet, plusquam materno educavit affectu, in deliciis nutrivit & delictis. Ille dignus Archidiaconatu, utpote filius Principis, magis autem si sit Episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est Episcopata progenies*, &c.

Malum istud Christiani Sacerdotii Institutioni palam adversatur, de quo *S. Leo* Sermone 11. in Anniversario Assumptionis suæ dicebat: *Denique cum hujus divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem curritur, nec quod caro & sanguis creavit, eligitur; sed cessante privilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit: ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas Sacerdotalis atque Regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ gignat Antistitem*.

Incestæ Consanguineorum Nuptiæ.

Canon XVII. Consanguineorum incestas conjunctiones in usum versas prohibet, quas *Sanctorum Patrum Instituta, & Sacrosancta Dei detestatur Ecclesia*; & Leges sæculi de tali contubernio natos infames pronuntiant, & ab hereditate repellunt. Hoc & superiori sæculo malum illud longe lateque grassabatur & repetitis Canonibus illud eradicare opus fuit!

Incendiarii excommunicantur. Quibus conditionibus absolvendi?

Canon XVIII. Incendiarios, quæ tunc pestis privatorum occasione bellorum immaniter grassabatur; & qui ipsos præcepto vel consilio ad id sceleris impulerint, aut auxilium præbuerint, excommunicatione ferit, & Christiana privandos edicit sepultura, nec absolvendos nisi resarcito damno; & imposito in Pœniten-

nitentiam belli sacri per annum labore Hierosolymis aut in Hispania.

Canon XIX. Episcopum qui temere, & absque cautione hujusmodi Incendiarium absolverit, ad damnum resarciendum adstringit, & ab Officio per annum suspendit. De hoc tamen aliisqua criminibus ut ultionem repetant Principes, & secundum Leges jus dicant nequaquam se prohibere, Synodus *Canone* XX. declarat.

Canon XXI. Presbyterorum filios ab altaris ministerio removet nisi Monasticam aut Canonicam Vitam fuerint professi.

Falsa Pœnitentia. *Canon XXII.* Sacerdotes admonet ut circa falsas laicorum Pœnitentias invigilent: & quæ sit falsa pœnitentia, docet. *Sane*, inquiunt Patres, *quia inter cætera unum est quod Sanctam maxime conturbat Ecclesiam, falsa videlicet Pœnitentia; Confratres nostros & Presbyteros admonemus, ne falsis Pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem Pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur; aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio... Falsa etiam fit Pœnitentia, cum Pœnitens ab Officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet: aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfiat, aut si offendenti offensus non indulgeat: aut si arma quis contra justitiam gerat.*

Canon XXIV. pretium pro Chrismate, Oleo sacro, & Christiana Sepultura vetat exigi.

Canon XXV. Beneficia de manu laica vetat accipi, qui acceperint, indigne acceptis privari decernit; quia *Laici juxta Decreta SS. Patrum, quamvis religiosi sint, nullam tamen habent disponendi de Ecclesiasticis facultatibus potestatem.* Id frequentibus quoque Conciliis antea vetitum hoc & superiori sæculo. Jus præsentationis Patronis Laicis competens Canon ille non petit; sed jus absolutum collationis & institutionis Ecclesiæ examini & confirmationi non subjectæ, quam Magnates usurpabant.

Canon XXVI. Quasdam sub habitu Sanctimonialium fœminas, nec *S. Basilii*, nec *S. Benedicti* nec *S. Augustini* Regulam servantes, in privatis domibus habitare, & viros hospitio excipere, sub pœna Anathematis prohibet.

Canon XXVII. Vetat Sanctimonialibus ne in unum Chorum ad psallendum cum Monachis aut Canonicis conveniant.

Canon XXVIII. Cavet ne defunctis Episcopis Ecclesiæ vacent ultra tres menses secundum sanctiones Patrum: & sub Anathemate interdicit ne Cathedralis Ecclesiæ Canonici ab electione Episcopi Religiosos Viros excludant; alioquin irrita esto.

Canon XXIX. Immanem Ballistariorum & Sagittariorum artem adversus Christianos exerceri sub excommunicationis pœna prohibet. Hæc Lateranensis Concilii II. Œcumenici X. Decreta Disciplinam spectantia.

DISSERTATIO VII.

De Varia PETRI ABAELARDI *Fortuna, Erroribus, Damnatione, & Pœnitentia.*

ARTICULUS I.

De ABAELARDI *Institutione ac Magisterio.*

PEtrus Abaelardus, oppido quodam oriundus, quod in ingressu minoris Britanniæ positum, ab urbe Nannetica, versus Orientem, octo circiter milliariis remotum *Palatium* appellatur; Parentibus piis *Berengario & Lucia* ortus est. Pater militari cingulo insignitus, & in literarum studium nihilominus propensus, filios ante literis instrui quam armis curabat. Hic ad Professionem Monasticam provecta jam ætate conversus est: quem in sacro proposito æmulata est *Lucia* conjux. *Petrus Abaelardus* ingenio ad literas facili præditus, militaris gloriæ pompam cum hæreditate primogenitis fratribus derelinquens; Martem abdicavit, ut Minervæ gremio educaretur: & Dialecticarum rationum armatura instructus, diversas disputando perambulavit Provincias, ubicumque hujus artis vigere studium audierat, Peripateticorum æmulator factus. Tandem Parisios pervenit, ubi *Guillelmi Campellensis*, Parisiensis Ecclesiæ Archidiaconi, Peripateticæ Philosophiæ celeberrimi Professoris fuit auditor. Ipsi primum gratus, postea ob disputandi vim, qua illum sæpe in Scholis superare videbatur, gravissimus extitit. Ex auditore, non multo post Scholarum Regens evasit, adhuc adolescens *Abaelardus*, Meloduni, * ac deinde Corbolii * Scholas posuit. * Melum
Dialecticæ artis Magisterio nomen sibi peperit amplissimum, sed maximam subiit *Guillelmi* Præceptoris invidiam, quem suis ita constrinxit argumentis, * Corboil
ut veterem de unitate essentiali naturæ universalis in omnibus individuis sententiam deponere cogeretur. Post hæc, cedente Parisiis *Guillelmo Campellensi*, qui Canonicorum Regularium Ordini nomen dederat, *Abaelardus* in Monte *Sanctæ Genovefa* Scholarum suarum castra constituit; sed *Guillelmus*, qui Cathedram suam alteri resignaverat, postmodum cum Fratribus reversus, æmulum passus est, quem olim discipulum habuerat.

Intermissis postea Philosophiæ exercitationibus, Britanniam ob domestica negotia repatriavit. Inde redux, *Guillelmo* Præceptore quondam suo ad Episcopatum assumpto, *Anselmum Laudunensem* in Theologicis audivit, cujus ingenii characteres describit, non ineleganter. *Accessi*, inquit, *ad hunc Senem, cui magis longævus usus, quam ingenium vel memoria nomen comparaverat. Ad quem si quis de aliqua quæstione pulsandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis auscultantium, sed nullus in conspectu quæstionantium. Verborum usum habebat mirabilem, sed sensu contemptibilem, & ratione vacuum. Cum ignem accenderet, domum suam fumo implebat, non luce illustrabat. Arbor ejus tota in foliis, aspicientibus a longe conspicua videbatur, sed propinquantibus & diligentius intuentibus infructuosa reperiebatur. Ad hanc itaque cum accessissem, ut fructum inde colligerem, deprehendi illam esse ficulneam, cui maledixit Dominus; seu illam veterem quercum, cui Pompejum Lucanus comparat, dicens:*

Stat magni nominis umbra
Qualis frugifero quercus sublimis in agro.

Deinde *Anselmi* lectiones parvipendens *Abaelardus* derepente Sacrarum Literarum expositionem ab *Ezechiele* auspicatus est, tanta quidem cum laude ut Magistri Scholas vacuaret. Hinc *Alberici Remensis* & *Lotulphi Lombardi*, crudelis in *Petrum* condiscipulum suum invidia. Horum suggestione ipsi docendi munere interdixit *Anselmus*. Quam ob rem *Abaelardus* Parisios reversus est, ubi scholis apertis, explanationem *Ezechielis* Lauduni inceptam, summo cum applausu consummavit. His exercitationibus, & pecuniam non modicam & famam celeberrimam sibi comparavit. Ista constant ex ipso *Abaelardo* in Epistola de Historia calamitatum suarum, ad Amicum data.

ARTICULUS II.

De PETRI ABAELARDI *Amoribus.*

QUI antea continentissime vixerat *Abaelardus*, tandem amore captus est *Heloissæ* nobilis virginis. *Fulberti* Canonici Insignis Ecclesiæ Parisiensis hæc neptis erat, forma præstans, doctrina præstantior, toto Regno ob eximias dotes celebris. *Abaelardus*, cui juventus, formæ gratia, doctrinæ celebritas, cantus & carminum ars suavissima, persuaserant, nullam ipsum repulsam passurum a quacumque fœminarum quam amore suo dignaretur, occasionem quæsivit qua puellam sibi domesticam, & quotidiana conversatione familiarem efficeret. Industria itaque sua egit, ut *Fulbertus* in domum suam ipsum sub quocumque procurationis pretio susciperet, ne domestica familiæ cura, inquiebat, ipsum a studiis impediret, utque modum impensis poneret. *Fulbertum* ad annuendum ejus votis, cum

ava-

avaritia, tum Neptis ad majorem eruditionem promovendæ studium impulere. Suscepit itaque Magistrum *Abaelardum*, ipsique Neptim charissimam ampliori literatura imbuendam tradidit. Nec multo post optatis potitus est *Abaelardus*. Audias ipsum amores suos describentem in Epistola de Historia calamitatum suarum ad Amicum. *Primum*, inquit, *domo una conjungimur, postmodum animo. Sub occasione itaque disciplinæ, amori penitus vacabamus, & secretos recessus, quos amor optabat, studium lectionis offerebat. Apertis itaque libris, plura de amore, quam de lectione verba se ingerebant, &c. Quid denique? Nullus a cupidis intermissus est gradus amoris & si quid insolitum amor excogitare potuit, est additum.* . . . . *Et quo me amplius hæc voluptas occupaverat, minus Philosophiæ vacare poteram, & Scholis operam dare* . . . . *Quem etiam ita negligentem & tepidum lectio tunc habebat, ut jam nihil ex ingenio, sed ex usu cuncta proferrem: nec jam nisi recitator pristinorum essem inventorum; & si qua invenire liceret, Carmina essent amatoria, non Philosophiæ secreta.*

Concepit interim *Heloissa*, & ab *Abaelardo* a domo avunculi furtim sublata in Britanniam, apud illius sororem filium peperit, quem *Astrolabium* nominavit. Quanta ob furtivum Neptis recessum, & areptum pudorem, exarserit in *Abaelardum* ira *Fulbertus*, cogitare facile est. Placare ipsum non potuit, nisi uxorem faceret ex amica. Multis dilectum suum a connubii subeundis vinculis *Heloissa* deterruit. Primo, quod nec ista conditione exulceratum avunculi animum placaret. Secundo, quod inglorium illi foret uni se fœminæ dicare, quem omnibus natura creaverat. Tertio, quod molestiis maximis stipatum esset matrimonium. Quarto, quod *Theophrasto* teste, uxor non sit ducenda Sapienti; & quod *Cicero* rogatus ab *Hirtio*, ut post repudium *Terentiæ*, sororem ejus duceret, dixerit, se non posse uxori & Philosophiæ pariter operam dare [ut refert *S. Hieronymus* Lib. I. adversus *Jovinianum*.] Quinto exemplo veterum Philosophorum, qui non tam relinquentes sæculum, quam fugientes, omnes sibi voluptates interdixere, ut in unius Philosophiæ requiescerent amplexibus: & Philosophiæ desiderio eadem sustinuerunt, quæ nunc ex amore Dei sustinent Monachi. Sexto, quod ipsa honestæ conversationis status illi matrimonium dissuadere deberet. „ Quæ enim, *inquiebat*, conventio Scholarium ad pedissequas, scriptoriorum ad cunabula, Librorum ad colos: stylorum sive calamorum ad fusos? Quis denique sacris vel Philosophicis meditationibus intentus, pueriles vagitus, nutricum quæ hos mitigant nænias, tumultuosam familiæ tam in viris, quam in fœminis turbam sustinere poterit? Ultimo, quia Clericus & Canonicus cum esset, indecorum erat ut sese nuptiis implicaret, ac obscœnis voluptatibus irrevocabiliter immergeret. Sed frustratis rationibus *Abaelardum* suum a proposito matrimonii revocare tentavit *Heloissa*; unde ipsi morem gerens, velut prophetice illachrymando ac suspirando, ait: *Unum ad ultimum restat, ut in perditione duorum minor non succedat dolor, quam præcessit amor.*

Parisios itaque reducta *Heloissa*, *Abaelardo* suo nuptiali benedictione confœderata est. Initum matrimonium, quod dissimulare proposuerant, *Fulberto* puellæ avunculo consentiente, cum ab ipso, tum ab ejus domesticis divulgari cœpit, præter fidem Magistro *Petro* datam. Se uxorem palam negabat *Heloissa*, ne famæ & fortunæ Dilecti sui officeret. Multis eam ob rem contumeliis ipsam afficiebat *Fulbertus*. Id cum *Abaelardus* agnovisset, illam ad Monasterium Argenteoli prope Parisios, ubi olim puellula educata fuerat atque erudita, transmisit: ipsique ut Monasticis vestibus, excepto velo, indueretur, author fuit. Id facile persuasit avunculo *Heloissæ*, ejusque consanguineis, sibi illusisse *Abaelardum*, eamque Monialibus adscripsisse, ut hoc pacto ab illa se expediret. Fictitiam ulti sunt injuriam inflicto ipsi pudendo acerboque vulnere, quo Eunuchus effectus est. Ista constant ex Epistola I. ipsius ad Amicum, de suarum calamitatum historia.

Argenteuil.

ARTICULUS III.

De PETRI ABAELARDI *&* HELOISSÆ *Conversione.*

ABaelardus ob inflicti vulneris infamiam pudore suffusus, potius quam devotione excitatus (ut ipse testatur) ad monasticorum latibula claustrorum secessit, ac in Abbatia *S. Dionysii* sacrum suscepit habitum: *Heloissa* vero benedictum ab Episcopo Velum in Monasterio Argenteolensi, in quo Priorissa postmodum fuit. Inde vero pulsis Monialibus a Monachis Sancti *Dionysii* illum locum sibi vendicantibus, in Oratorio *Paracleti*, quod a *Petro Abaelardo* constructum fuisse inferius dicemus, asylum invenit tutissimum, ac illi Abbatiæ initium dedit, eamque rexit ut prima Diaconissa sive Abbatissa. Quod Oratorium *Innocentius II.* Pontifex Maximus ipsi & Sororibus in perpetuum confirmavit Pontificio Diplomata. Plures extant *Abaelardi* ad *Heloissam*, & *Heloissæ* ad *Abaelardum* Epistolæ, quæ utriusque summam eruditionem testantur. Imprudentes ac muliebri levitate *Heloissa* in secunda sua Epistola ad *Petrum*, præteritorum amorum insaniam in memoriam revocat ac describit his verbis: *Etsi uxoris nomen sanctius ac validius videtur, dulcius mihi semper extitit amicæ vocabulum: aut si non indigneris, concubinæ vel scorti; ut quo me videlicet pro te amplius humiliarem, ampliorem apud te consequerer gratiam, & sic etiam excellentiæ tuæ gloriam minus læderem* . . . . *Deum testem invoco, si me Augustus universo præsidens mundo matrimonii honore dignaretur, totumque mihi orbem confirmaret in perpetuum possidendum, charius mihi & dignius videretur tua dici meretrix, quam illius Imperatrix.* Majorem præseferunt gravitatem, sapiunt modestiam, pietatem spirant, *Abaelardi* ad Charissimam suam Epistolæ post conversionem datæ. Cæterum sexus levitati condonandus est stylus *Heloissæ* liberior, quæ nihilominus vitam ad omnem virtutis normam religiose instituit; ut testatur Abaelardus. *Tantam autem gratiam*, inquit, *in oculis omnium illi Sorori nostræ, quæ cæteris præerat, Dominus annuit, ut eam Episcopi quasi filiam, Abbates quasi sororem, Laici quasi matrem diligerent: & omnes pariter ejus religionem, prudentiam, & in omnibus incomparabilem patientiæ mansuetudinem admirabantur. Quæ quanto rarius se videri permittebat, ut scilicet clauso cubiculo sacris meditationibus atque orationibus purius vacaret; tanto ardentius ejus præsentiam, atque spiritualis colloquii monita, hi qui foris sunt efflagitabant.* Ipsius pietatem ac eruditionem etiam commendat in adhortatoria ad studium literarum Epistola, scripta ad Sanctimoniales Paracletenses: *Magisterium*, inquit, *habetis in Matre, quod ad omnia vobis sufficere, tam ad exemplum scilicet virtutum, quam ad doctrinam literarum potest: quæ non solum Latinæ, verum etiam tam Hebraicæ, quam Græcæ non expers literaturæ, sola hoc tempore illam trium linguarum adepta peritiam videtur, quæ ab omnibus in B. Hieronymo tamquam singularis gratia prædicatur.* Hinc Antistites, Magnates, Fidelesque cæteri, Paracletense Monasterium bonis plurimis infra annum auxere. *Heloissam* aliquando invisit *S. Bernardus*, eamque & Sorores sacris adhortationibus corroboravit, ut testatur *Abaelardus* in Epistola ad eumdem Sanctum Abbatem. Eamdem impense coluit ac præconiis ornavit *B. Petrus Mauricius* Cluniacensis Abbas, ipsique gratulatus est, quod *Pro Logica Evangelium, pro Physica Apostolum, pro Platone Christum, pro Academia Claustrum, tota jam & vere Philosophica mulier elegisset.*

ARTICULUS IV.

De PETRI ABAELARDI *Persecutionibus*.

GRavissimas a falsis Fratribus, & ab æmulis *Alberico* & *Lotulpho* persecutiones passus est *Abaelardus*, quas luctuoso stylo exponit in Historia suarum calamitatum. Hi enim livore tabescentes ob famam quam pepererat Magistro *Petro* Liber *De Trinitate*, ab ipso compositus, eum ubique velut Hæreticum, & trium Deorum assertorem infamarunt. Qui rumor de ipso longe lateque sparsus, Conciliis in illum cogregatis occasionem dedit. Infensos vero habuit *Sancti Dionysii* Monachos, quod sæcularem ipsorum vitam, moresque irreligiosos liberius argueret. Ipsorum magis inflammavit invidiam vindicata in privato colloquio *Venerabilis Bedæ* sententia, qua asseruit, *Dionysium Areopagitam* Corinthiorum potius quam Atheniensium fuisse Episcopum. Ex qua consequens videbatur, *Dionysium* Galliarum Apostolum Areopagitam non esse, quem Atheniensium Episcopum ejus Acta testantur. Hinc gravis in *Abaelardum* tumoltus. Sandionysiani Monasterii, immo Regni Francorum hostis conclamatur, quod ei honorem auferat quo singulariter gloriatur, de Apostolatu *Dionysii Areopagitæ*. Ille contentionem excusat, Areopagitam se minime inficiatum profitetur. Disciplinam Regularem, si quid deliquerit sibi imponi frustra rogat. Abbas congregatis Senioribus comminatur se ad Regem quantocyus missurum, qui de ipso vindictam sumat, tamquam Regni sui gloriam & coronam ei auferente. Et interim Magistrum *Petrum* diligenter observari jubet, donec illum Regi tradat. Hinc sibi fuga

* Provins.

consulit *Abaelardus*, ac in terram Comitis *Theobaldi* se recipiens in Castro Pruvini * moratus est, in Cella quadam Tracensium Monachorum. Inde secedendi in aliquam solitudinem, ubi Monastice viveret, obtenta licentia ab Abbate Sandionysiano, de consensu Regis Christianissimi, ad amœnissimam Trecensis agri solitudinem se contulit, ibique liberaliter sibi concessa a quibusdam terra, annuente Episcopo Trecensi, Oratorium in nomine Sanctæ Trinitatis ex calamis primum & culmo construxit. Id cum Scholastici cognovissent, cœperunt undique concurrere, & relictis civitatibus & castellis, solitudinem inhabitare; pro domibus sibi construere tuguriola; pro delicatis cibis, herbis agrestibus & pane cibario victitare: pro mollibus stratis, culmum sibi & stramen comparare; & pro mensis glebas erigere. Cum vero ingentem eorum cœtum dictum Oratorium capere non posset, illud amplificarunt, & ex lapidibus & lignis construentes, meliorem in formam redegere. Quod cum in nomine Sanctæ Trinitatis fundatum, ac postea dedicatum esset; quia tamen ibi profugus ac vexatus *Abaelardus* divinæ gratia consolationis aliquantulum respiraverat; in

* Le Paraclet, *Monasterium Virginum*, in *Diœcesi Trecensi*.

memoriam tam insignis beneficii, *Paracleti* * nomen ipsi indidit. Ea ex appellatione calumniam passus est, quasi præter Ecclesiæ morem uni dumtaxat Sanctissimæ Trinitatis Personæ templum consecrasset. Hanc accusationem diserte diluit, ostendens primo se toti Trinitati Oratorium dicasse, cui *Paracleti* nomen apprime convenit, licet *Spiritus Paracleti* nomen tertiam solum designet personam, secundum illud *Joannis XIV.* ubi Christus ait: *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*. Et Apostolum II. ad Corinthios I. vocare Deum Patrem, *Deum totius consolationis*, quod *Paracleti* nomen significat. Secundo ostendit, quod etiamsi soli Spiritu Sancto Oratorium suum dicasset, nihil fecisset adversum rationi: Siquidem ratio suadet, illi personæ templum corporeum singulari quadam ratione posse consecrari, cui specialiter Apostolus templum tribuit spirituale, dicens:

1\. Cor. 6.

An nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti? Et certe cujus personæ rectius Ecclesia dici potest, quam ejus cujus operationi, cuncta quæ in Ecclesia ministrantur beneficia specialiter assignantur? (inquit ille)

E Paracletensi Oratorio, ad Abbatiam *S. Gildasii*

De Ruys.

Rivensis, in Diœcesi Venetensi, in Britannia minore, concordi Fratrum electione assumptus, multos in Præfectura illa monastica labores, multa pericula passus est. Maxime angebatur vir pius, certus quod si Monachos indisciplinatos ad regularem vitam compellere tentaret, securus vivere non posset. Si vero id pro viribus non ageret, damnationis æternæ subiret periculum (ut ipse ait.) Præter hæc, ipsi imminebat continua vexatio a Principe, seu potius Tyrannulo illius regionis, qui ex dissolutione monachorum occasionem nactus, omnia loca monasterio adjacentia in proprios usus redegerat, ac gravioribus exactionibus monachos ipsos, quam tributarios Judæos exagitabat. Porro quanta sit ab effrænatis monachis perpessus *Abaelardus*, quoties veneno etiam in sacrum calicem injecto, & in ipso Altaris Sacrificio appetitus, quoties gladio minaci perterritus, nemo facile credet, nisi qui ejus querimonias audierit in priori ad Amicum Epistola, ubi post multa hæc scribit: *Quotidie quasi cervici meæ gladium imminentem suspicio, ut inter epulas vix respirem, sicut de illo legitur, qui cum Dionysii Tyranni potentiam atque opes conquisitas maximæ imputaret beatitudini, filo latenter appensum super se gladium respiciens, quæ terrenam potentiam felicitas consequatur, edoctus est. Quod nunc quoque ipse de paupere monacho in Abbatem promotus incessanter experior, tanto scilicet miserior, quanto ditior effectus: ut nostro quoque exemplo, eorum qui id sponte appetunt, ambitio refrænetur*.

Denique detractorum linguis vexatus est *Abaelardus*. Cum enim ad Paracletense monasterium quod Charissimæ suæ *Heloissæ* concesserat, identidem reverteretur, ipsam & Sorores consiliis suis sublevaturus, id ipsi crimini verterunt obtrectatores pessimi; ac pristinæ voluptatis desiderio, carnalique amori tribuerunt quod ex nonius caritatis impulsu factitabat. Qua de re graviter conqueritur in fine prioris Epistolæ ad Amicum, ubi & maximam se consolationem percepisse significat ex illis *S. Hieronymi* verbis ad *Asellam* scribentis Epistola 99. *Nihil mihi objicitur nisi sexus meus; & hoc numquam objiceretur, nisi cum Hierosolymam Paula proficiscitur. Antequam domum Sanctæ Paulæ nossem, totius in me Urbis studia consonabant: omnium pene judicio dignus Summo Sacerdotio decernebar. Sed scio per bonam & malam famam pervenire ad Regna cælorum*. Ista discimus ex ipso *Abaelardo* in Epistola Historica de suis calamitatibus ad Amicum.

ARTICULUS V.

De PETRI ABAELARDI *Erroribus*.

PEtri *Abaelardi* errores *S. Bernardus*, Epistola 190. ad *Innocentium I. Guillelmus* Abbas *S. Theodorici* in Disputatione adversus ipsum *Abaelardum*, *Gaufrido* Carnotensi Episcopo, & *S. Bernardo* Claravallensi Abbati dicata, Anonymus in Disputatione adversus eumdem tribus libris comprehensa, Tomo III. Bibliothecæ Cisterciensis & *Otto Frisingensis* lib. 1. *De Gestis Friderici*, cap. 47. commemorant.

I. *Ponebat in Trinitate gradus, in majestate modos, numeros in æternitate. Constituebat Deum Patrem plenam esse potentiam, Filium quamdam potentiam, Spiritum Sanctum nullam potentiam. Atque hoc esse Filium ad Patrem, quod quamdam potentiam ad potentiam, quod speciem ad genus, quod materia tum ad materiam, quod hominem ad animal, quod æreum sigillum ad æs*. (Ex S. Bernardo, ex Guillelmo Abbate S. Theodorici, & ex Anonymo.)

Secundo asseruit *Spiritum Sanctum procedere quidem ex Patre & Filio, sed minime de Patris esse Filiive substantia*. (Ex S. Bernardo, aliisque mox laudatis Authoribus.)

Tertio negabat *Diabolum umquam jus aliquod in homine habuisse, & Filium Dei carnem assumpsisse ut hominem liberaret*. Nec Deum ob aliud in carne docebat apparuisse, quam *ob nostram verbo & exemplo institutionem, non ob aliud passum esse & mortuum, quam ob sua erga nos caritatis ostensionem & commendatio-*

dationem. (Ex S. Bernardo, & aliis supra laudatis Authoribus.)

Quarto. *Spiritum Sanctum, esse animam mundi* asserebat. (Ex Abbate Sancti Theodorici & Anonymo.)

Quinto, *Christum Deum & hominem non esse tertiam personam in Trinitate*: sive *Deum proprie hominem dicendum non esse*. (Ex iisdem.)

Sexto, *Quod libero arbitrio, sine adjuvante gratia bene possumus & velle & agere*. (Ex Abbate S. Theodorici.)

Septimo, *in Sacramento Altaris remanere in aere formam prioris substantiæ*. (Ex eodem.)

Octavo, *Ab Adam non trahi originalis peccati culpam, sed pœnam*. (Ex eodem.)

Nono *Nullum esse peccatum, nisi in consensu, & contemptu Dei* (Ex eodem.)

Decimo, *Concupiscentia, delectatione, & ignorantia nullum peccatum committi*. (Ex eodem.)

Undecimo, *Suggestiones diabolicas per Physicam fieri in hominibus*; Id est, contactu lapidum & herbarum, prout illorum sagax malitia novit harum rerum vires diversas diversis incitandis vitiis convenire. (Ex Eodem.)

Duodecimo, *Fidem diffiniebat æstimationem rerum quæ non videmur. Quasi* (inquit S. Bernardus) *cuique in ea sentire & loqui quæ libeat, liceat: aut pendeant sub incerto in vagis ac variis opinionibus nostra Fidei Sacramenta, & non magis certa veritate subsistant... Sed absit ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia æstimatione pendulum, & non magis totum quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum, oraculis & miraculis divinitus persuasum, stabilitum & consecratum partu Virginis, Sanguine Redemptoris, gloria Resurgentis, Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Si quo minus ipse postremo Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod filiis Dei sumus. Quomodo ergo fidem dicere quis audet æstimatione, nisi qui Spiritum istum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet? &c.*

Alios quoque errores ipsi objectos fuisse, constat ex illius Epistola Apologatica *Universis Ecclesiæ sanctæ filiis* inscripta. Nempe.

XIII. Quod limites præscriberet omnipotentiæ divinæ, asserendo Deum plura facere non posse quam fecerit, aut aliquando facturus sit.

XIV. Quod animæ Christi descensum ad inferos inficiaretur.

XV. Quod adventum in fine sæculi ad judicandos homines posse etiam attribui Patri dixisset.

XVI. Quod potestatem ligandi atque solvendi Apostolis a Christo concessam diffiteretur.

XVII. quod Deum mala nusquam impedire diceret, voluntates hominum immutando.

XVIII. quod crucifixores Christi non peccasse scripsisset.

XIX. Quod Spiritum timoris Domini in Christo non fuisse; & timorem Domini castum in futuro sæculo non futurum sentiret.

Has propositiones spectabat *S. Bernardus* ad Episcopos & Cardinales Romanæ Curiæ de *Abaelardo* scribens, Epistola CLXXXVII. „ Legite, si placet, librum Petri Abaelardi, quem dicit Theologiæ, ad manum est enim, cum sicut gloriatur, a Pluribus lectitetur in Curia, & videte, qualia ibi de Sancta Trinitate dicantur, de genitura Filii, de Processione Spiritus Sancti, & alia innumera Catholicis auribus & mentibus insueta. Legite & alium quem dicunt Sententiarum ejus, nec non & illum qui inscribitur: *Scito te ipsum*: & animadvertite quantæ & ibi silvescant segetes sacrilegiorum atque errorum; quid sentiat de anima Christi, de persona Christi, de descensu Christi ad inferos, de Sacramento Altaris, de potestate ligandi atque solvendi, de originali peccato, de concupiscentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiæ, de opere peccati, de voluntate peccandi. Et si quidem judicatis, me juste moveri, movemini & vos, ac ne frustra moveamini, agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis. Hos omnes errores sibi malitia vel ignorantia affictos, scripsit *Petrus Abaelardus* in Apologia, seu confessione Fidei; & se umquam scripsisse librum aliquem negavit, qui *Sententiarum* diceretur. Quæ ipsius excusatio, quia *S. Bernardi* accusatio est, §. sequenti diligentius erit expendanda, Incongrua exempla ad res fidei exponendas *Abaelardum* usurpasse, certum est. Unum refert inter cætera quibus ille usus est, *Otto Frisingensis* lib. 1. *De Gestis Friderici* cap. 52. illum nempe dixisse: *Sicut eadem oratio est propositio, assumptio & conclusio: ita eadem essentia est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.*

ARTICULUS VI.

Plerosque in errores vere impegit ABAELARDUS *quos ipsi* S. BERNARDUS & GUILLELMUS *Abbas* S. THEODORICI *tribuunt: Quamvis in quibusdam Capitibus potius in modo loquendi, quam re ipsa ab Ecclesiæ doctrina aberrasse videatur.*

PRima propositio, quod scilicet Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus Sanctus nulla potentia, &c. habetur in ejus Introductione ad Theologiam, *lib. 1. pag.* 1082. & 1083. „ Sicut, *inquit*, ex ære sigillum est æreum, & ex ipso quodammodo generatur: ita ex ipsa Dei Patria substantia Filius habet esse & secundum hoc ex ipso dicitur genitus. Ut enim ex supra positis jam dudum ostendimus, specialiter nomine Patris divina potentia declaratur, sicut nomine Filii divina sapientia significatur. Est autem divina sapientia quædam (ut ita dicam) ipsius Dei potentia qua videlicet ab omni sibi fallacia vel errore providere potest...... Cum igitur sapientia quædam (ut dictum est) sit potentia, sicut æreum sigillum, est quoddam æs; liquet profecto divinam sapientiam ex divina potentia esse suum habere, ad eam scilicet similitudinem, qua æreum sigillum ex ære dicitur esse, quod est ejus materia; vel species ex genere quod quasi materia speciei dicitur esse, ut animal hominis. Sicut enim ex eo quod est æreum sigillum, exigit necessario ut æs sit, & ex eo quod homo, ut animal sit, sed non e contrario: ita divina sapientia, quæ est potentia discernendi, exigit quod sit divina potentia, non e contrario. Quippe ut æs tam ad æreum sigillum quam ad alia se habet, & animal tam ad hominem quam ad alia sit, & potentia divina tam ad discernendum, quam ad operandum se habet. Et sicut æreum sigillum de ipsa æris substantia vel essentia dicitur esse, cum esse videlicet æreum sigillum sit esse æs quoddam; & esse hominem, id est animal rationale, sit esse animal quoddam: ita & divina sapientia de divinæ potentiæ dicitur esse substantia: cum videlicet esse sapientiam, id est, potentiam discernendi sit esse quamdam potentiam; quod est Filium de substantia Patris esse; vel ab ipso genitum esse; Nam & species ex genere quasi gigni, vel creari, Philosophi dicunt, secundum hoc scilicet quod ex ipso esse contrahunt. „ Hunc *Abaelardi* locum proferunt *S. Bernardus*, *Guillelmus S. Theodorici* Abbas, & Anonymus.

Pag. 1085. ejusdem libri, differens de Spiritu Sancto, ait: „ Benignitas quippe ipsa, quæ hoc nomine demonstratur, non est aliqua in Deo potentia sive sapientia; cum videlicet ipsum benignum esse, non sit in aliquo esse sapientem aut potentem. Sed hæc ejus bonitas magis secundum ipsum caritatis effectum, sive effectus accipienda est, Caritas autem, teste Gregorio, minus quam inter duos haberi non potest. Nemo enim, inquit, ad semetipsum caritatem dicitur habere, sed dilectionem in alterum extendit, ut esse caritas possit: procedere itaque Dei est, sese ad aliquam rem per affectum caritatis quodammodo extendere, ut eam videlicet diligat ac ei per amorem se conjungat. „ Hunc etiam locum proferunt Abbas *S. Theodoricis* & Anonymus.

Abaelardi mentem assecuti non videntur *S. Bernar-*

nardus, Abbas *S. Theodorici*, & Anonymus, qui ipsi tribuunt, quod Filium Dei *Semipotentiam* esse dixerit, Spiritum Sanctum non esse omnipotentem, adeoque non esse Deum senserit cum *Macedonio*. Diserte namque docuit *Abaelardus*, tres personas eadem omnipotentia æqualiter præditas esse, quamvis potentia Patri speciatim attribuatur, sicut sapientia Filio, & bonitas Spiritui Sancto. Lib. 1. pag. 988. & 989. „ Juxta proprietates, *inquit*, trium personarum, quædam specialiter ac tamquam proprie de aliqua earum dici vel accipi solent, quæ tamen juxta earum naturam, singulis inesse non ambigimus, ut sapientia Filio, caritas Spiritui Sancto specialiter attribuitur: Cum tamen tam Pater, quam Spiritus Sanctus, seu etiam tota Trinitas sapientia sit, & similiter tam Pater ipse, quam Filius, caritas dici possit. Sic etiam juxta personarum proprietates, quædam opera specialiter alicui personæ attribuuntur, quamvis indivisa totius Trinitatis opera prædicentur, & quidquid ab una earum fit, a singulis fieri constet. Sic & juxta ipsam Patris proprietatem, specialiter ei & maxime, quæ ad potentiam pertinent, assignari solent cum ex ipsius, ut dictum est, nomine divina specialiter potentia designetur: & eo ipso quod solus ipse ingenitus dicitur, hoc est, a se ipso, non ab alio existens, quædam ei secundum substantiæ modum propria maneat potentia. Ut cum videlicet ipse Pater omnia facere possit quæ Filius & Spiritus Sanctus, hoc insuper habeat ut a se ipso solus ipse queat existere, nec necesse habeat ab alio esse. Non minus tamen aut Filium, aut Spiritum Sanctum, omnipotentem prædicamus, quam Patrem. *Et infra*: At vero cum unaquæque trium personarum inde omnipotens dicatur, quod quidquid earum quæcumque velit efficere, possit complere: non tamen necesse est eodem modo se penitus habere unam, quo alteram, cum in suis proprietatibus diversæ sint. Solus quippe Pater potest esse Pater sive ingenitus, & solus Filius genitus, sicut & solus Spiritus Sanctus procedens: Quidquid itaque una persona facere potest, & alia potest; & ideo unaquæque omnipotens dicitur: Sed non quidquid una esse potest, vel cujus modo una esse potest, necesse est alteram esse.

Quamobrem *Abaelardus* in Apologia seu Confessione Fidei, hunc sensum a se omnino alienum profitetur. „ Quod igitur, *inquit*, mihi vel per malitiam impositum est quod scripserim; Quia Pater plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus Sanctus nulla potentia; hæc ego verba non tam hæretica quam diabolica, sicut justissimum est, abhorreo, detestor, & ea cum suo Authore pariter damno. Quæ si quis in meis reperiat scriptis, non solum me hæreticum, verum etiam Hæresiarcham profiteor.

Adversus *Abaelardum* expostulat Anonymus initio libri I. quod sanctæ Religionis & magni nominis Abbatem, *S. Bernardum* scilicet, insimulet falsa finxisse, nempe quod in Theologia sua scripserit, Filium esse quandam potentiam, Spiritum Sanctum nullam. Atque justa est ista expostulatio: id enim se scripsisse perperam negat *Abaelardus*, quamvis eo sensu non asseruerit, quem ipsi adversarii tribuebant; negando nimirum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum æque omnipotentes esse. Incongruis quidem similitudinibus æris & sigilli, speciei & generis, ad exponendum Sanctissimæ Trinitatis Mysterium usus est: absonos & insuetos in Ecclesia loquendi modos usurpavit, ut ipsi recte *S. Bernardus*, & Abbas *S. Theodorici* objiciunt: Sed non ideo in Sabellianam aut Arianam hæresim impegit, non Trinitatem destruxit, non blasphemiem dixit in Spiritum Sanctum, non Deorum novorum annuntiator fuit, ut maximi illi viri fervore disputationis abrepti ipsi improperarunt. Æquior est hæc *Guillelmi* Abbatis S. Theodorici censura: „ Hæc est, *inquit*, nova novi Theologi Theologia de Patre & Filio, Sanctæ Christianæ Fidei simplicitatem alienis vestiens exuviis reluctantem, & obscuriorem efficiens, dum nititur facere clariorem. Cum etenim in fide Trinitatis pro Patre & Filio producuntur nobis potentia generandi ac discernendi; tamquam filius de Patre, species de genere, materiatum de materia, quasi cacophaton videtur ingerere auribus Fidelium ipsa novitas tam verborum, quam sensuum, & bonorum euphonia nominum amissa, ipsa quasi resilit ab intellectu... Miror etiam vehementer, cum in hac ipsa Theologia sua bene & catholice sæpe prædicet homousion Trinitatem, Filium per omnia similem Patri & consubstantialem; quid sibi velit hæc æris & sigilli similitudo, quæ per omnia ad hoc videtur niti, ut inter Patrem & Filium inæqualitatis appareat dissimilitudo.

Eumdem errorem circa omnipotentiam Patris & Filii *Abaelardo* objicit *Gualterus* Episcopus Laudunensis, in Epistola ad ipsum data, quæ Tom. II. *Spicilegii Dacheriani* edita est pag. 473. ubi de ejus Introductione ad Theologiam ita scribit: *Quædam etiam ibi legi, quæ videntur a fide Catholica discrepare; ubi scilicet majorem omnipotentiam esse Patris, & Filii minorem, videmini affirmare his verbis*: „ Si potentiam tam ad naturam subsistendi, quam ad efficaciam operationis referamus, inveniemus ad proprietatem personæ Patris specialiter attinere potentiam, quæ non solum cum cæteris duabus personis æque omnia efficere potest, verum etiam ipsa sola a se, non ab altero existere habet: & sicut ex se habet existere, ita etiam ex se habet posse. Cæteræ vero personæ sicut ab ipso Patre habent esse, ita & ab ipso habent posse quod volunt efficere. *Et post pauca*: per Filium quippe intelligimus divinam Sapientiam; Sapientia autem cum sit quædam potentia discernendi, scilicet quasi quædam portio est Divinæ Omnipotentiæ; sicut quilibet Filius quædam proprie Patris portio esse dicitur. *Hæc verba in Tractatu vestro legi. Quis autem ex verbis vestris diligenter attendens nequeat manifeste concipere, quod omnipotentiam dicitis Patri convenire, non solum in hoc quod omnia facere potest, sed insuper in hoc quod ex se habet existere & posse, non ex alio? Si vero in his duobus consistit omnipotentia Patris, tunc nimirum Filius, qui de alio est, cum altero de prædictis careat, id est, non a se esse vel posse habeat, sed a Patre, & alterum solummodo habeat, id est, posse quodcumque vult facere, inæqualem & minorem habet potentiam, & sicut verba vestra testantur, partialem: velut cum humana potentia partim ex divitiis, partim ex strenuitate proveniat, profecto minoris est potentiæ qui solas habet divitias, & majoris qui cum strenuitate æquales possidet divitias.*

Secunda propositio, quod nempe Spiritus Sanctus non sit de Patris & Filii substantia, asseritur a *Petro Abaelardo* lib. II. Introductionis ad Theologiam, pag. 1085. & 1086. „ Cum itaque, *inquit*, tam Filius quam Spiritus Sanctus ex Patre sit, hic quidem genitus, ille procedens, differt in eo generatio ipsa a processione, quod is qui generatur, ex ipsa Patris substantia est, cum ipsa, ut dictum est, sapientia hoc est ipsum esse habeat, ut sit quædam potentia: Ipse vero caritatis affectus magis ad benignitatem animi, quam ad potentiam attineat; unde bene Filius ex Patre gigni dicitur; hoc est, ex ipsa Patris substantia proprie dicitur esse.... Non ignoramus nonnullos Ecclesiasticorum Doctorum astruere Spiritum quoque Sanctum ex substantia Patris esse, hoc est, ab eo sic esse, ut etiam ipse unius sit substantiæ cum Patre; proprie tamen non dicimus ex substantia Patris esse; Solus Filius dicendus est. Spiritus vero quamvis ejusdem substantiæ sit cum Patre & Filio; unde etiam Trinitas ὁμοούσιος id est, unius substantiæ prædicatur: minime tamen ex substantia Patris aut Filii, si proprie loquimur, esse dicendus est, quod oportet ipsum ex Patre vel Filio gigni, sed magis ex ipsis habet procedere, quod est Deum se per caritatem ad alterum extendere; quodammodo etenim per amorem unusquisque a se ipso ad alterum procedit; cum proprie nemo ad se ipsum caritatem habere dicatur, aut sibi ipsi benignus esse, sed alteri. Maxime autem Deus cum nullius indiget, erga se ipsum benignitatis affectu commoveri non potest, ut sibi aliud ex benignitate impendat, sed erga creaturas tantum, quæ divinæ gra-

gratiæ beneficiis indigent, non solum ut sint, sed ut bene sint.

Hunc locum spectat *S. Bernardus* in Epistola ad Innocentium II. „ Miror, *inquit*, hominem acutum & sciolum (ut quidem sibi ipse videtur) quomodo cum Spiritum Sanctum fateatur Patri & Filio consubstantialam, neget tamen ex Patris Filiique prodire substantia, nisi forte illos ex ipsius procedere velit. Quod quidem inauditum est & nefandum. Si autem nec is de illorum, nec illi de hujus substantia sunt, ubi quæso consubstantialitas? aut ergo fateator cum Ecclesia Spiritum Sanctum de substantia illorum esse, a quibus non negat procedere, aut certe cum Ario consubstantialitatem deneget, & prædicet aperte creationem. Deinde, si Filius de substantia Patris est, Spiritus Sanctus non est, differant necesse est a se invicem, non solum quia Spiritus Sanctus genitus non est, quod Filius est: sed etiam quod Filius de substantia Patris est, quod Spiritus Sanctus non est. Quam quidem posteriorem differentiam Fides Catholica hucusque nescivit.

Hunc eumdem locum profert *Guillelmus* Abbas *S. Theodorici* in Disputatione adversus *Petrum Abaelardum*, cap. 4. sicque de ipso censet: *Hæc est Theologia Magistri Petri de Spiritu Sancto, hoc de eo prædicat, & utinam non contra eum! Ad libitum suum summæ sibi essentiæ format effigiem: a forma vero fidei ab Apostolis tradita, a Spiritu Sancto per ipsos formata, & omnibus commendata Fidelibus, aufert quæ vult, apponit quæ vult, nova faciens omnia; nova verba, nova dogmata, quorum nonnisi ipse sibi auctor est.* Sequi porro ostendit ex ejus assertione, Spiritus Sancti processionem non tam *substantialem* esse, quam *affectualem*: & Spiritum Sanctum *qualitatem* quamdam Dei potius esse, quam *personam*, si benignitas est sive affectus Dei in creaturas. Si processio Spiritus Sancti in creaturam tantummodo est, remota creatura, Processionem non esse. Tandem, Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, esse procedere ex eo quod sunt; adeoque ex ipsorum substantia. Perperam itaque & falsissime scripsit *Abaelardus* in Apologia sua, sive Confessione Fidei: *Quisquis me scripsisse asserit, quod de substantia Patris Spiritus Sanctus etiam non sit, malitia vel ignorantia maxima fuit.*

Tertius error *Abaelardi* legitur libro II. Commentariorum ipsius in Epistolam ad Romanos, pag. 550. & 551. „ Primo itaque, *inquit*, videtur quærendum qua necessitate Deus hominem assumpserit, ut nos secundum carnem moriendo redimeret, vel a quo nos redemerit, qui nos vel justitia, vel potestate captos tenet; & qua justitia nos ab ejus potestate liberaverit, qui præcepta dederit, quæ ille suscipere vellet ut nos dimitteret. Et quod dicitur, quod a potestate Diaboli nos redemerit, qui per transgressionem primi hominis, qui se ei sponte obediendo subjecerat, jure quodam, omnem quoque ejus potestatem possidebat, ac semper possideret, nisi liberator veniret. Sed cum solos electos liberaverit, quando eos Diabolus possidebat, sive in hoc sæculo, sive in futuro, magis quam modo? Numquid & pauperem illum qui in sinu Abrahæ requiescebat, sicut divitem damnatum Diabolus cruciabat, licet minus eum torqueret; aut & in ipsum Abraham dominium habebat, ceterosque electos? His itaque rationibus convinci videtur, quod Diabolus in hominem quem seduxit, nullum jus seducendo acquisierit, nisi forte (ut diximus) quantum ad permissionem Domini pertinebat, qui eum illi quasi carcerario vel tortori suo, ad puniendum tradiderat...... Quæ itaque necessitas, aut quæ ratio, vel quid opus fuit, cum sola visione sua divina miseratio liberare hominem a Diabolo potuisset: Quid, inquam, opus fuit, propter redemptionem nostram, Filium Dei carne suscepta, tot & tantas inedias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam crucis asperrimam & ignominiosam mortem sustinere? Nobis autem videtur, quod in hoc justificati sumus in sanguine Christi, & Deo reconciliati, quod per hanc singularem gratiam nobis exhibitam, quod Filius suus nostram susceperit naturam, & in ipso nos tam verbo quam exemplo instituendo usque ad mortem perstitit, nos sibi amplius per amorem adstrinxit: ut tanto divinæ gratiæ accensi beneficio, nil jam tolerare propter ipsum vera reformidet caritas. Redemptio itaque nostra est illa summa in nobis per passionem Christi dilectio, quæ nos non solum a servitute peccati liberat, sed veram nobis filiorum Dei libertatem acquirit, ut amore ejus potius quam timore cuncta impleamus. Hunc locum indicat *S. Bernardus* in Epistola ad *Innocentium II.*

Alium ejus locum profert Abbas *S. Theoderici* * quo eumdem errorem insolentius propugnat his verbis: Cap. 7.
Sciendum est quod Doctores nostri post Apostolos in hoc conveniunt, quod Diabolus dominium & potestatem habebat super hominem & jure eum possidebat; ideo scilicet quod homo ex libertate arbitrii quam habebat, sponte Diabolo consensit. Ajunt namque, quod si aliquis aliquem vicerit; victus jure servus victoris constituitur. Ideo, sicut dicunt Doctores, hac necessitate incarnatus est Filius Dei; ut homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur a jugo Diaboli. Sed, ut nobis videtur, nec Diabolus unquam in homine habuit jus aliquod, nisi forte Deo permittente, sicut carcerarius: nec Filius Dei, ut homines liberaret, carnem assumpsit. Hunc etiam locum profert *S. Bernardus*, & in quodam libro Sententiarum ipsius se legisse testatur, sicque *Abaelardum* exagitat: *Quid in his verbis*, inquit, *intolerabilius judicem, blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non justius os loquens talia fustibus tunderetur, quam rationibus refelleretur? Non-ne omnium merito in se provocat manus, cujus manus contra omnes? Omnes*, inquit, *sic; sed non ego sic. Quid ergo tu, quid melius affers? Quid subtilius invenis? Quid secretius tibi revelatum jactas, quod prætierit sanctos, effugerit sapientes? An quod Filius Dei non ut hominem liberaret, hominem induit? Hoc plane nemini, te excepto, videtur; tu videris ubi videris. Ego Prophetas & Apostolos audio, obedio Evangelio, sed non Evangelio secundum Petrum, &c.*

Negavit quidem *Abaelardus* aliquem librum a se editum, qui *Sententiarum* diceretur: sed locum illum a *S. Bernardo* confictum credere sanctitas ipsius vetat. Sumptus est itaque ex libro *Abaelardi*, qui sic appellabatur, quod forte inscriptione careret, ac sententias nihilominus ipsius de rebus Theologicis contineret. Denique hæc verba a *S. Bernardo* & a *Guillelmo* Abbate S. Theodorici prolata, sua esse non negavit *Abaelardus*, sed errorem retractavit his verbis; * *Solum Filium Dei incarnatum profiteor, ut nos a servitute peccati & a jugo Diaboli liberaret, & supernæ aditum vitæ morte sua nobis reseraret.*

Quarta propositio *Abaelardi*, qua Spiritum Sanctum esse animam mundi asseruisse dicitur, ut ipsi objicit *Guillelmus* Abbas *S. Theoderici*, cap. V. scripta videri posset lib. I. Introductionis ad Theologiam pag. 1027. Verum eam opinionem recitat solum ex Platone, Macrobio, & aliis Philosophis, qui mundi divinam quamdam animam admiserunt. Illorum vero verba Catholicum in sensum inflexit Abaelardus. *Quod si*, inquit, *ad involucrum ista deflectamus, quæ de anima mundi a Philosophis dicta sunt, facile est rationabiliter cuncta accipi, nec a sacra fidei tenore exorbitare. Conferant anima humana corporibus nostris animalem vitam, conferat anima mundi. Nisi fallor, Spiritum Sanctum intellexerunt Philosophi, ipsis animabus nostris vitam spiritalem, distributione scilicet suorum donorum, ut sicut singula anima vita Corporum, Spiritus autem Sanctus vita animarum, quas vegetando ad profectum bonorum operum promovet. Quæ itaque modo anima nostra corpora Sancti Spiritus dicenda sunt, quas ipse per aliquod gratia sua donum quasi templum inhabitat, & virtutibus vivificat. Unde & illud est Augustini Sermone VI. de Verbis Domini:* „ Sicut vita corporis anima est, sic vita animæ Deus: Sicut expirat corpus cum animam emittit, ita anima cum Deum amittit. Deus amissus, mors animæ; anima amissa, mors corporis. Mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria. *Sed & illud quod ajunt, Animam totam singulis corporibus infusam omnia vivificare, atque anima quæ ad vivificandum* ido-

idemque reperio, nulla illorum dari via vel diversitas, natura impediente, pulchrum involucrum est, quo Caritas Dei, quam Spiritum Sanctum dicimus, cordibus humanis per fidei sive rationis donum primitus infusa, quodam vivificat ad bonorum operum fructum nos promovendo, ut vitam assequamur æternam: & in quibusdam ipse Spiritus vacare dicitur, pravitatis eorum duritia repugnante. Hanc autem animæ videlicet mundanæ doctrinam præcipue diligentissimus Philosophorum in expositione Macrobius reliquit.

Quintus error *Abaelardi* legitur libro III. Introductionis ad Theologiam, pag. 1128. *Cum ergo* (inquit) *& nunc sicut ante, juxta ipsam veritatis assertionem, Spiritus sit Deus, nec unquam, quod Spiritus est, corporeum fiat, aut partes recipiat; quomodo proprie vel Verbum dicitur fieri caro, vel Deus homo; cum Verbum ipsum nunc etiam sit Spiritus, quia est Deus, sicut & ante Incarnationem fuerat: Homo quippe res corporea est, membris composita ac dissolubilis: Deus vero nec corporea res est, nec partibus constat, ut dissolvi possit. Deus igitur nec caro; nec homo esse proprie dicendus est. Alioquin & homo e contrario proprie dicendus esset Deus. Unde aliquid creatum, vel quod non semper fuit, concedi oportet Deum esse, cum videlicet constet hominem creaturam esse, atque initium habere. Absit autem ut aliquam rem Deum esse ponamus, quæ non semper extiterit, aut non semper Deus fuerit. Hoc quippe est Deum novum vel recentem confiteri. A qua quidam perversitate Deus nos inhibens, ait: Israel si audieris me, non erit in te Deus recens.* Alium *Abaelardi* locum profert *Guillelmus* Abbas S. *Theodorici* cap. 8. Disputationis suæ qui sic habet: *Sciendum est quod licet concedamus quod Christus tertia sit persona in Trinitate: Non tamen concedimus, quod hæc persona quæ Christus est, sit tertia persona in Trinitate.* Quamobrem ipsi improperat eruditus Abbas, quod Deum ab homine secernat, sicut *Nestorius*. Et Catholicam fidem docere asserit, Christum filium hominis in ipsa natura humanitatis suæ, sed non ex ipsa secundum eam quam cum Deo habet unionem, tertiam esse in Trinitate Personam; quia sicut incarnatus Deus factus est Filius hominis propter hominem assumptum; sic assumptus homo factus est Filius Dei propter assumentem Deum. Ostendit denique ex *Abaelardi* sententia sequi, Christum hominem Deum esse quartam in Deo personam.

Abaelardum hoc in capita crasse Dialectica subtilitate certum est, & loquendi modum Nestorianum usurpasse; quamvis revera fuerit ab errore *Nestoriano* remotissimus; cum duarum naturarum in una persona unionem professus sit: *Cum dicitur*, inquit, *Deus fieri caro, vel Deus homo esse, sic accipiendum est, ut divina substantia humanæ sociari in personam unam intelligatur, non illa effici cui sociatur: sicut nec anima hominis caro fit cui unitur, nec in ejus naturam convertitur.... Sicut ergo in Deo una est substantia, sed diversæ personæ: ita e contrario in Christo una est persona, sed diversæ substantiæ, divina ut dictum est, atque humana, quarum nequaquam una in alteram est mutata, sed utraque propriam naturam retinet illa unione personæ, & ambæ in naturis suis permanent impermixtæ.* In Apologia Christum tertiam in Trinitate personam confitetur.

Errores Abaelardi doctrina de gratia.

Sextus error, circa gratiæ divinæ necessitatem, ab ipso asseritur Lib. IV. Expositionis Epistolæ ad Romanos, ubi nullam aliam gratiam, præter fidem, ad bene operandum & ad perseverandum necessariam docet, nec ad singulos actus bonos nova gratia opus esse, Pag. 652. 653. & 654. *Recte autem quærendum arbitror*, inquit, *& etsi injuriæ Deus argui non possit, quod aliquibus gratiam suam dare noluit: Quomodo tamen iniquis hominibus, quibus ipse gratiam dare noluit ut salvarentur, imputandum sit quod damnantur, ut videlicet sua culpa damnari dicantur? Aut si nulla eorum culpa est, quo merito suo ipsi damnari dicantur a Deo, qui unicuique reddit secundum opera ejus? Sed quæ rursus culpa est hominis si non salvetur, cui Deus gratiam per quam salvaretur, nunquam dare voluit, nec ipse sine illa potuit? Sed fortasse quis dicat, quod culpa ejus sit quod Deus gratiam ei dare illam noluerit, quam illi æqualiter obtulit, sicut & justis, sed oblatam ipse accipere noluit. Ad quod respondeo, quod nec ipsum accipere sine gratia Dei potest esse. Quia quidem gratiam accipiendi oblatum donum, cum Deus illi eam dare noluit, nec ipse sine hac gratia queat illud accipere, falso id culpæ ejus adscribitur, quod oblatam gratiam non accepit: veluti si Medicus ad infirmum veniens potionem offerret qua curari ille posset, sed nequaquam infirmus ad suscipiendum medicamentum erigere se valeret, nisi ipse quoque Medicus eum sublevaret: quæ est culpa infirmi, si curationem oblatam non suscipit, aut quæ est commendatio Medici in offerendo, si efficaciam medicaminis auferat non sublevando? Dicimus itaque non esse necesse in singulis bonis operibus novam nobis gratiam a Deo imperiiri, ut nequaquam scilicet bona operari vel velle possimus sine nova divinæ gratiæ præeunte dono; sed sæpe Deo æquale gratiæ suæ donum aliquibus distribuente, non eis tamen æqualiter operari contingit; immo sæpe eum minus operari, qui plus gratiæ ad operandum susceperit. Ut enim de amore vel desiderio temporalium verum evenit, ita de veris & æternis bonis accidit. Venit Præpotens aliquis, & opes suas aliquibus egenis pariter in mercede exponit atque offert, si quod eis præcipit impleverint. Alius itaque ex eis desiderio ostensæ & promissæ sibi mercedis accensus, laborem operis arripit, ac perficit. Alius autem cum piger sit ac magis laboris impatiens, tanto minus desiderio illo accenditur, quanto amplius laboris magnitudine deterretur; ac sæpe id evenit, ut qui fortior est corpore, ignavior sit mente, & qui pauperior est, pigrior existat. Quid est ergo quod cum æqualiter ostensæ sint & oblatæ pro mercede utriusque divitiæ, alius desiderio earum accensus, laborem tolerat ut ditetur, alius laborem negligit, & diutinam magis eligit paupertatem, quam ad horam sustinere laborem? Quid est hoc, quæso, nisi hujus probitas, & illius ignavia? Quid amplius uni quam alteri dives ille fecit, qui utrisque pariter parem mercedem exhibuit & promisit? In isto, inquies, tamen desiderium accendit, ut laboris eum patientem efficeret & consummatorem. Sed hoc, inquam, ex actione illa divitis consecutum est, non aliquid de ipsa actione est, idest, non ejus aliqua pars est. Quod ergo impedimentum in altero habuit, quod similiter eum non permoveat? Nullum profecto ostendere poteris, nisi ignaviam ejus qui laborem renuit. Sic & Deo nobis quotidie Regnum cælorum offerente alius Regni ipsius desiderio accensus, in bonis perseverat operibus, alius in sua torpescit ignavia. Æque tamen Deus utrisque offert illud, & quod suum est efficit, tantumque erga utrumque operatur Regni ipsius beatitudinem exponendo & promittendo, quod ad desiderium uniuscujusque accendendum sufficiat, absque nova alia gratia apposita. Quo enim major esse merces cognoscitur, magis unumquodque naturaliter suo allicitur desiderio; præsertim cum ad ipsum obtinendum sola sufficiat, multoque minori impensa vel sudore seu discrimine ab omnibus perveniri possit, quam ad acquisitionem terrenorum Regnorum. Ad desiderium itaque nostrum in Deo accendendum, & ad Regnum cæleste concupiscendum, quam præire gratiam necesse est, nisi ut beatitudo illa ad quam nos invitat, & via qua pervenire possimus, exponatur atque tradatur? Hanc autem gratiam tam reprobis ipse quam electis pariter impertit, utrosque de hoc instruendo æqualiter, ut ex eadem fidei gratia, quam perceperunt, alius ad bona opera incitetur, alius per torporis sui negligentiam inexcusabilis reddatur. Hæc itaque fides, quæ in isto per dilectionem operatur, in illo iners & segnis atque otiosa vacat; Gratia Dei est quæ unumquemque electum prævenit, ut bene velle incipiat, ac rursus bonæ voluntatis exordium subsequitur, ut voluntas ipsa perseveret: Nec necesse est ut per singula, quæ quotidie nova succedunt opera, aliam Deus gratiam præter ipsam fidem exponat, qua videlicet credimus, pro hoc quod facimus tantum nos præmium adepturos. Nam & negotiatores sæculi, cum tot ac tantos sustineant labores, una spe mercedis terrenæ, quam ab initio conceperunt, omnia tolerant, & cum diversa operentur, non diversa spe ad illa promoventur, sed una & eadem trahuntur.*

Alium ejusdem *Abaelardi* locum profert *Guillelmus* Abbas S. *Theodorici* Cap. 6. Disputationis suæ, qui sic habet, *Quæritur etiam, utrum omnes homines ita sola misericordia Dei salventur, ut nullus sit qui bonam voluntatem habere possit, nisi gratia præveniente Dei,*

qua

quæ cor moveat, & bonam voluntatem inspiret & inspiratam multiplicet, multiplicatam conservet. Quod si ita est, scilicet ut homo nihil ex se boni operari possit; ut aliquo modo ad divinam gratiam suscipiendam per liberum arbitrium sine auxilio gratiæ se erigere non possit: Non videtur ratio, quare si peccaverit, puniatur .....Sed quia ita non est, sed longe aliter, dicendum est prout veritas se habet: Dicendum est igitur quod homo per rationem a Deo quidem datam gratiæ appositæ cohærere potest: nec Deus plus facit isti qui salvatur, antequam cohæreat gratiæ, quam illi qui non salvatur. Sed sicut qui lapides pretiosos exponit venales, & desiderium videntium excitat ad emendum; similiter Deus gratiam suam apponit omnibus, consulit scripturis, & exemplis provocat: ut homines per libertatem arbitrii quam habent, gratiæ cohæreant. Qui prudens est, per libertatem arbitrii sui cohæret gratiæ: piger & carnalis, quamvis per liberum arbitrium possit, negligit, & ideo negligitur a Deo. Quod autem, sicut mortuus Lazarus non potuit reviviscere nisi Deo suscitante, sic ad bene volendum non posse surgere hominem, nisi gratia vivificante, dicitur aut creditur: Ideo vivificatio ista tribuitur gratiæ: Quia ratio qua homo intelligit a malo abstinendum & bene agendum, est a Deo. Et ideo hoc inspirante Deo agere dicitur, quia Deus per rationem quam dedit homini, facit eum peccatum ipsum agnoscere. Gratiam ad singulos actus necessariam non esse docuit his in locis *Abaelardus*: Ipsam in lege & doctrina dumtaxat positam: omnibus æqualiter dari, & homines per liberum arbitrium ipsi adhærere, vel eam negligere: Nec alio sensu dici hominem surgere non posse nisi gratia vivificante, quam quia Deus per rationem homini inditam efficit ut ipse peccatum agnoscat. De hac doctrina æquissima *Guillelmi* Abbatis censura est: *Hæc plane Pelagiana hæresis.* Eumque errorem luculentissimis aliquot *S. Augustini* testimoniis ibidem refellit. Hunc retractavit errorem *Abaelardus* in Apologia sive Confessione Fidei: *Gratiam Dei*, inquit, *ita omnibus necessariam profiteor, ut nec naturæ facultas, nec arbitrii libertas sine illa sufficere possit ad salutem. Ipsa quippe gratia nos prævenit ut velimus, ipsa subsequitur ut possimus, ipsa nos consociat ut perseveremus.*

Septima propositio, quæ est de accidentibus panis & vini in aere manentibus, substantia panis & vini mutata in Corpus & Sanguinem Christi, non spectat dogma fidei. Namque præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi, in Eucharistia Transubstantionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, accidentium denique separatorum existentiam profitebatur *Abaelardus*. An autem in aere circumstante, vel in Christi corpore existant, ad fidem nihil attinet. Hac de re *Guillelmus* Abbas *S. Theodorici* Cap. IX. Disputationis suæ: *Nobis vero videtur* (inquit) *quod accidentia illa, sive prioris formæ substantia, quæ* [*ut puto*] *non nisi consonus in unum accidentium concursus est, si ibi est, in Corpore Domini est, non formans illud, sed virtute operantis in ea sapientia Dei aptans illud, & modificans, ut secundum ritum mysterii & modum Sacramenti, habile fiat, & tractabile, & gustabile in forma aliena, quod non poterat esse in propria: agens exterius ut tractari possit & sumi corporaliter; agente interiore gratia ut sumatur incorruptibiliter & credenti sapiat, & amantem vivificet & nutriat spiritualiter.* Sed non minus errat *Guillelmus* Abbas, asserens accidentia panis & vini esse in Corpore & Sanguine Christi, quam *Abaelardus* affirmans esse in aere. Utramque opinionem refellit *S. Thomas III.* Parte Quæst. LXXVII. Articulo I. In quo ergo subjecto sunt? In nullo.

Octavus error de peccato originali habetur lib. II. Expositionis Epistolæ ad Romanos, pag. 586. ubi illud Apostoli, *In quo omnes peccaverunt*, ita exponit: *Id est pœnam peccati incurrerunt*, pag. 589. *Per peccatum Adæ multos dici, non omnino constitui peccatores, id est, æterna pœna tradi*, pag. 592. *Cum itaque dicimus homines cum originali peccato procreari & nasci, atque hoc ipsum originale peccatum ex primo parente contrahere: magis hoc ad pœnam peccati, cui videlicet pœnæ obnoxii tenentur, quam ad culpam animi & contemptum Dei referendum videtur. Qui enim nondum libero uti arbitrio potest, nec ullum adhuc rationis exercitium habet, nulla est ei transgressio, nulla negligentia imputanda, nec ullum omnino meritum, quo præmio vel pœna dignus sit, magis quam bestiis ipsis, quando in aliquo vel nocere vel juvare videntur.*

Hunc errorem *Abaelardus* in Apologia seu Confessione Fidei retractavit. *Ex Adam*, inquit, *in quo omnes peccavimus, tam culpam, quam pœnam nos contraxisse assero: quia illius peccatum nostrorum quoque peccatorum omnium origo extitit atque causa.*

Nonus error cum octavo connexus, quo peccatum non esse statuit, nisi in contemptu Dei, legitur in eodem libro pag. 591. *Pluribus autem modis*, inquit, *peccati nomen Scriptura Sacra accipit, uno quidem modo & proprie pro ipsa animæ culpa, & contemptu Dei, id est, prava voluntate nostra, qua rei apud Deum statuimur.. Altero autem modo peccatum dicitur ipsa peccati pœna, quam per ipsam incurrimus ...... Tertio autem modo ipse Christus ab Apostolo peccatum dicitur, id est, hostia pro peccato.*

Error decimus & decimus-octavus de ignorantia, legitur in solutione Problematis XIII. ab *Heloissa* propositi, pag. 407. *Quod autem dictum est*: Quicum- Luc. 12.
„ que dixerit verbum contra Filium hominis, remit- 10.
„ tetur ei: *Sic accipe, quod nullus, qui non per malitiam, sed per errorem detraxerit honori Christi, propter hoc damnabitur: cum hæc ignorantia invincibilis similem illum faciat illis, pro quibus Dominus in Passione sua, sive Stephanus oraverit. Pietati quippe atque rationi convenit, ut quicumque lege naturali creatorem omnium ac remuneratorem Deum recognoscentes, tanto illi zelo adhærent, ut per consensum, qui proprie peccatum dicitur, eum nitantur nequaquam offendere, tales arbitremur minime damnandos esse.* Hunc locum ejusdem profert *Guillelmus* Abbas Cap. XIII. Disputationis suæ. *Judæi qui Stephanum lapidaverunt, & Dominum crucifixerunt, non peccaverunt: immo plus peccavissent, si contra conscientiam æstimationis suæ ei pepercissent.*

Peccati Philosophus hæresis a P. Abaelardo asserta, & retractata.

Hos errores retractavit *Abaelardus* in Apologia seu Confessione Fidei. *Mala*, inquit, *per ignorantiam facta, culpæ sunt adscribenda: maxime cum per negligentiam nostram contingat nos ignorare quæ nobis necessarium erat pranosse: qualis ille fuit de quo Psalmista dicit*: Noluit intelligere ut bene ageret.

Crucifixores Christi in ipsa crucifixione gravissimum peccatum fateor commisisse.

Undecimum errorem de suggestione Diaboli per phy- Psalm. 35.
sicas impressiones adstruxit *Abaelardus* his verbis a 4.
Guillelmo S. Theodorici Abbate, Cap. X. prolatis: *De suggestione Diaboli solet quæri, quomodo possit suggerere hominibus, cum nec verbis nec signis hoc faciat. Ad quod dicimus, quia facit hoc per physicam rerum, lapidum vel herbarum: quia sicut in natura quorumdam lapidum est ferrum trahere, vel libidinem extinguere: ita quidam lapides sunt vel herbæ, quibus libido, ira, & cætera vitia excitantur. Quando ergo Diabolus vult suggerere alicui libidinem, vel alia vitia, apponit ei lapidem illum, sive herbam, quam scit talem habere virtutem.*

Duodecimum errorem, quo fidem diffiniebat æstimationem rerum quæ non videntur, legere est initio Introductionis ipsius ad Theologiam: *Est quippe Fides*, (inquit) *existimatio rerum non apparentium, hoc est, sensibus corporis non subjacentium.* At nomine existimationis, cognitionem dubiam & fluctuantem non intellexit *Abaelardus*, sed firmam persuasionem, adhæsionemque dogmatibus a Deo revelatis, & convictionem, quam *argumenti* nomine significat Apostolus, fidem diffiniens, *sperandarum substantiam rerum, argumentum non apparentium.* Hanc enim Apostoli diffinitionem *Abaelardus* etiam usurpat; quamvis Fidem minus proprie *existimationem appellet.*

Decimus-tertius error limites præscribens omnipo- Matt. 26.
tentiæ divinæ, legitur, lib. III. Introductionis ad 53.
Theologiam, ubi exponens illa Christi verba: „ An
„ putas quia non possum rogare Patrem meum, &
„ exhibebit mihi plus quam duodecim legiones An-
„ gelorum? *hæc habet pag. 1117.* Nequaquam conceden-
„ dum est quod vel tunc Dominus orare poterat quod
„ orandum non erat, vel Pater ei in hoc subveni-
„ re in quo subveniendum non esset... Non itaque
„ ex hoc Dominico dicto cogi possumus eum aliquid

posse

posse facere quod numquam faciat, de quo potius sentiendum videtur, id solummodo eum posse facere, quod ab eo fieri oportet. Nihil autem ab eo fieri oportet, quod numquam ab eo fiet. Alioquin optime bonus non esset, si quid facere dimitteret, quod a se opportune faciendum esse præsciret. . . Primum itaque atque opportune de Deo dictum est, quod ei subest posse eum voluerit, ut scilicet in singulis faciendis ita ejus potestas & voluntas se comitentur, ut quod velit possit, nec possit etiam tunc facere, quando ut fiat, non vult: veluti modo pluviam facere non vult, qui hoc ideo fieri non vult modo, quia id modo fieri non convenire, nec hoc tempus pluviæ idoneum censet; quadam utique rationabili de causa, licet nobis occulta. Si igitur pluviam nunc facere possit aut velit, eo utique tempore id facere potest, aut etiam vult, in quo id eum facere non oportet, quod ab omni dissonat ratione. Quantum igitur æstimo; cum id tantum Deus facere possit, quod eum facere convenit, nec eum quidquam facere convenit, quod facere prætermittat: Profecto id solum eum posse facere arbitror, quod quandoque facit; licet hæc nostra opinio paucos aut nullos habeat assectatores, & plurimum dictis Sanctorum, & aliquantulum a ratione dissentire videatur. Hoc quippe, inquiunt, æstimare, multum derogat divinæ excellentiæ ut videlicet id solummodo facere possit, quod quandoque facit, & id solum dimittere quod dimittit: cum nos etiam ipsi qui longe impotentiores sumus, multa etiam facere, & dimittere possumus; quæ nequaquam facimus vel dimittimus. Quibus quidem respondeo, Non ideo nos potentiores vel meliores æstimari debere, quia quædam facere possumus, quæ ille facere non potest, ut comedere, vel ambulare, vel denique peccare, quod a potentia Divinitatis penitus est remotum, & ab ejus dignitate prorsus alienum. Quod denique attinet Deum illa etiam posse facere, quæ numquam faciat, vel quæ hunc facere minime conveniat? Nam & quod nos quædam facere possumus, quæ facere non debemus, infirmitati potius nostræ quam dignitati adscribendum est, qui omnino meliores essemus, si ea tantum quæ facere debemus, facere possemus, nec quidquam a nobis inhoneste fieri posset.

Ad id vero quod objiciebatur, eos a Deo salvari posse qui non salvantur; & inde consequens esse ut Deus aliqua facere possit quæ non facit, respondet *Abaelardus*, id recte non colligi. „ Quippe, *inquit* cum dicimus eum posse a Deo salvari, ad facilitatem humanæ naturæ possibilitatem reducimus, ac si videlicet diceremus, Naturæ hominis non hoc repugnare ut ipse salvetur, qui in se ita mutabilis est, ut tam salvationi suæ, quam damnationi consentiat. Cum autem dicimus, Deum illum posse salvare, qui minime salvandus est, ad ipsam Divinitatis naturam possibilitatem reducimus; ut videlicet naturæ Dei non repugnet, quin eum salvet. Quod omnino falsissimum est. Prorsus quippe naturæ divinæ repugnat id eum facere, quod ejus derogat dignitati, & quod eum facere minime convenit.

Pag. 1112. *Si ponamus*, inquit, *ut plura vel pauciora Deus facere possit, vel ab his quæ facit cessare, profecto multum summæ ejus bonitati derogabimus. Constat quippe eam nonnisi bona facere posse: si autem bona, cum possit, non faciat, & ab aliquibus quæ facienda essent, se retrahat, quis eum tamquam æmulum vel iniquum non arguat? . . . . Quam etiam rationem Sancti secuti videntur, cum Deum Patrem probarent Filium tam bonum genuisse quantum potuit, ut ei æqualis esset. Unde Augustinus lib. Octoginta trium Quæ-* „ *stionum*, Cap. 63. Deus, *inquit*, quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, (nil enim Deo melius) debuit æqualem. Si enim voluit & non potuit, infirmus est, si potuit & noluit, invidus est. . . . *Hac itaque ratione qua convincitur, quia Deus Pater tam bonum generat Filium quantum potuit, cum videlicet aliter reus esset invidiæ, clarum est omnia quæ facit, quantum potest, egregia facere, nec ullum commodum quod conferre possit, subtrahere velle.*

Ibidem: *Hinc est illa Platonis verissima ratio, qua scilicet probat Deum nullatenus mundum meliorem potuisse facere, quam fecerit.*

Hunc errorem *Abaelardus* retractavit in Apologia sive Confessione Fidei: *Deum*, inquit, *ea solummodo posse facere credo, quæ ipsum facere convenit: & quod multa facere potest, quæ numquam faciet.*

Error decimus-quartus circa descensum animæ Christi ad inferos, legitur, in expositione Symboli Apostolici pag. 378. „ Ipsa quoque anima, *inquit*, quæ in carne passa fuerat, ad Inferos dicitur descendisse, quia Passionis illius efficaciam Justi senserunt antiqui per eam a pœnis liberati. Non enim anima vel spiritus aliquis, ut B. meminit Augustinus, loco movetur, sed solummodo corpus. Sicut ergo Deus qui ubique est, descendere quoque dicitur secundum aliquem suæ operationis effectum, ita & Anima illa, secundum efficaciam propriæ Passionis, quam habuit in electis, descendisse liberando dicitur.

Hunc errorem retractavit *Abaelardus*, at id se scripsisse falso negavit. *Sic & Animam Christi*, inquit *non per se ad inferos descendisse, sed per potentiam, omnino a meis verbis & sensu remotum est.*

Errores decimum-quintum, & decimum-sextum, in ejus operibus invenire non licuit; & illos abjurat in Apologia seu Confessione Fidei. „ Adventum *inquit*, Filii in fine sæculi, posse attribui Patri, numquam (sciat Deus) in mentem meam venit, nec se verbis meis asseruit. Potestatem ligandi atque solvendi Successoribus Apostolorum omnibus, ut ipsis æque Apostolis concessam esse profiteor, & tam indignis, quam dignis Episcopis, quamdiu eos Ecclesia susceperit.

Decimus-septimus, qui Deum mala nusquam impedire asserit, lib. III. Introductionis ad Theologiam pag. 1117. legitur. „ Quis, *inquit*, consentire malo dicendus est, nisi is per quem illud opportune disturbari potest? Cum autem sicut & beatus meminit Augustinus, mala etiam fieri bonum sit, quæ Deus quoque optime ordinat, nequaquam ab eo ea disturbari convenit, ne fiant, quæ ipso etiam attestante, fieri necesse est, ac dicente: *Necesse est enim veniant scandala. Væ autem, &c.* Matt. 18. 7.
Cum itaque scandala quæ bonum est fieri, disturbare opportune non possit, aut omnino etiam non possit qui nihil contra rationem potest, profecto nullatenus consentire peccatis dicendus est. Hunc errorem *Abaelardus* retractat his verbis: Mala Deum impedire frequenter fateor: quia non solum effectum malignantium prævenit, ne quod volunt possint: verum etiam voluntates eorum mutat, ut a malo, quod cogitaverunt, penitus divertant.

Postremum errorem, qui *Abaelardo* objectus est, de Spiritu timoris Domini in Christo non permanente, in ejus Operibus non invenio, & suam circa istud caput mentem plane Catholicam aperit in Apologia, his verbis. „ Multa de Christo dicuntur quæ non tam secundum caput, quam secundum corpus ipsius, quod est Ecclesia, sunt accipienda, ut ille Spiritus timoris, qui est initium sapientiæ, quem videlicet timorem perfecta caritas foras mittit. Hujus ergo timoris spiritum in anima Christi, qui perfectissimam habuit caritatem, numquam fuisse credendum est, qui tamen in inferioribus membris non deest. Tantæ quippe perfectionis & tantæ securitatis anima illa extitit per ipsam Verbi unionem, ut sciret nil omnino se committere posse, unde pœnas incurreret, vel Deum offenderet. Castum quippe timorem in sæculum sæculi permanentem, qui proprie reverentia caritatis dicitur, tam ipsi animæ Christi, quam electis Angelis & hominibus inesse semper recognosco. Unde & de ipsis supernis Spiritibus scriptum est; Adorant Dominationes, tremunt Potestates.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 35. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant. *Ad fidem nihil attinet quod Accidentia Eucharistiæ sint, in Christo, vel in aere circumstante.*

R. Id fidem non ſpectare ſcite ſcripſi, ſed utramque tamen opinionem erroneam eſſe. *Non minus* (inquam) *errat Guillelmus Abbas aſſerens accidentia panis & vini eſſe in Corpore & Sanguine Chriſti, quam Abaelardus affirmans eſſe in aere. Utramque opinionem refellit S. Thomas. In quo ergo ſubjecto ſunt ? In nullo.* Præſentia quidem realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia; Tranſſubſtantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti manentibus dumtaxat ſpeciebus, ſive accidentibus dogmata Fidei ſunt : ſed utrum accidentia illa Corpus & Sanguinem Chriſti afficiant, vel aeri circumſtanti adhæreant, aut in nullo omnino ſubjecto ſint alieno, dogma fidei non eſt. Sola tamen poſtrema Sententia vera eſt, & a Theologis omnibus propugnatur; duæ priores erroneæ ſunt. Unde inter Articulos *Joannis Wicleff* XLV. a Concilio Conſtantienſi damnatos ſecundus eſt. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.* Inter Articulos Wiclefi, alii notorie ſunt hæretici, alii non Catholici, ſed erronei, alii ſcandaloſi & blaſphemi, quidam piarum aurium offenſivi, nonnulli temerarii, & ſeditioſi, ut Sacra Synodus Conſtantienſis declarat. Hic Articulus, *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento*, in ſenſu Wiclefi, qui accidentia panis ſine panis materialis ſubſtantia manere negabat, & ſubſtantias panis & vini in Sacramento Altaris manere aſſerebat, hæreticus eſt. Accidentia enim ſive ſpecies panis & vini manere ſine panis & vini ſubſtantia, dogma fidei eſt ex Tranſſubſtantiationis fide conſequens : ſed utrum ſint in alieno ſubjecto, puta in aere circumſtanti, ad fidem non pertinet, cum Quæſtio Philoſophica ſit utrum accidens ex uno ſubjecto migrare poſſit in aliud. Error tamen eſt aſſerere cum Abaelardo, Accidentia panis poſt Tranſſubſtantiationem illius in Corpus Chriſti, reſidere in aere tamquam in ſubjecto. Notum eſt quid Carteſiani Philoſophi de accidentibus ſentiant, quorum opinionem etſi falſam & erroneam eſſe exiſtimem, nemo tamen dixerit eſſe hæreticam. Siquidem iſtius Sectæ Philoſophi Catholici credunt & profitentur: *Mirabilem illam & ſingularem Converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſſubſtantiationem appellat*; ut definivit Sacra Synodus Tridentina Seſſione XIII. Canone ſecundo. Et tamen aliter de accidentibus ſentiunt, quam vulgus Philoſophorum, immo nulla agnoſcunt accidentia.

ARTICULUS VII.

ABAELARDUS *in Concilio Sueſſionenſi damnatus eſt; quod nec anno MCXVI. nec anno MCXXXVI. ſed anno MCXXI. figi debet.*

PEtrum *Abaelardum* ad Eccleſiæ tribunal, ceu multiplicis erroris contra Fidem Catholicam reum detulerunt ejus æmuli *Albericus* & *Lotulphus*, Scholarum Remenſium Regentes. *Radulphum* ejuſdem Urbis Archiepiſcopum adverſus ipſius novitates impulere. Qui re cum *Conone* Præneſtino Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ in Galliis Legato communicata, Sueſſionenſe Concilium convocari curavit ad cognitionem cauſæ. *Abaelardo* dicta dies, ipſique juſſum, ut ſuum de Trinitate librum qui offenſionis materia erat, Synodo exhiberet. Siſtit ſe coram Legato Apoſtolico *Abaelardus*, ipſique Libellum examinandum & dijudicandum tradidit, ad correctionem vel ſatisfactionem ſe paratiſſimum profeſſus; ſi quid a Fide Catholica devium ſcripſiſſet. *Gauffridus* Carnotenſis Epiſcopus ipſi favit, inſtititque plurimum ut ſcriptis ejus prolatis, interrogaretur, ac libera facultas reſpondendi ipſi concederetur, ne vir ingenii & doctrinæ fama celebris, præjudicio videretur oppreſſus. Suaſit deinde, ut ad Abbatiam *S. Dionyſii* remitteretur, ibique majore Præſulum ac eruditorum virorum cœtu congregato, cauſa diſcuteretur. Sed ſanioris conſilii viſum eſt, ut homini Dialectico & ſophiſmatibus inſtructo, cæterum Novatori, & erroris multiplicis ex libro ſuo ſatis convicto, ſilentium imponeretur; Fideique Profeſſionem edere, ac librum palam comburere cogeretur. Id ex Synodi ſententia factum eſt. Poſt aliquas cum æmulis ſuis diſceptationes, ad Concilium vocatus, compulſus eſt Decreto Patrum Librum flammis tradere; ac Fidem ſuam coram omnibus exponere. Cumque propriis verbis profiteri vellet, Patres juſſere, ut *Symbolum S. Athanaſii* ex ſcripto recitaret, quo magis hominis Novatoris, in Dialectica nimium confidentis, ſuperbiam retunderent. Mox Abbati *Sancti Medardi* traditus eſt, ejus Clauſtro, velut carcere, concludendus. Inde tamen poſt eductum, Legatus Apoſtolicus ad Sandionyſianum Cœnobium remiſit. Hujus Concilii Hiſtoriam diſcimus ex *S. Bernardo* in Epiſtola ad *Yvonem* Cardinalem 193. ex *Ottone Friſingenſi* lib. 1. *De Rebus Geſtis Friderici* cap. XLVII. & uberrime ex Epiſtola I. ipſius *Abaelardi* de calamitatibus ſuis ad Amicum: quamquam teſtis in propria cauſa ſit plurimum ſuſpectus. Satis fuiſſe viſum Synodo ad libri damnationem, quod Romani Pontificis & Eccleſiæ Authoritate nequaquam approbatus, in publicum emiſſus eſſet, ex ipſius *Abaelardi* teſtimonio colligitur. *Dicebant*, inquit, *ad damnationem Libelli ſatis hoc eſſe debere, quod nec Romani Pontificis, nec Eccleſiæ Authoritate commendatum legere publice præſumpſeram, atque ad tranſcribendum jam pluribus eum ipſe præſtitiſſem. Perutilem futurum Fidei Chriſtianæ, ſi exemplo mei multorum præſumptio præveniretur.*

Abaelardi *Liber in Synodo damnatus, quod nec Romani Pontificis, nec Eccleſiæ Authoritate approbatus eſſet.*

Joannes Picardus S. Victoris Pariſienſis Canonicus, in Notis ad Epiſtolam *S. Bernardi* 190. Sueſſionenſem illam Synodum ad annum 1116. refert: Quia, inquit, Tabulæ Arroaſiæ, quæ Abbatia eſt in Diœceſi Attrebatenſi, *Cononem* Sedis Apoſtolicæ Legatum, qui Concilio iſti præfuit, obiiſſe memorant an. 1117. quinto Idus Auguſti. *Binius* anno 1136. illud collocat, ſuamque hanc epocham ex *Ottone Friſingenſi* colligere ſibi videtur lib. 1. *De Geſtis Friderici*, cap. 47. Verum ad annum milleſimum centeſimum vigeſimum-primum longe probabilius refertur. Ex *Abaelardo* enim, in Hiſtorica ſuarum calamitatum Relatione, conſtat celebratum eſſe aliquanto poſt mortem *Guilelmi Campellenſis*, Epiſcopi Catalaunenſis, quem obiiſſe anno milleſimo centeſimo vigeſimo-primo, octavo Kalendas Februarii, ex Tabulis *S. Stephani* Catalaunenſis, & ex *Alberico* certum eſt. Secundo, ex eodem *Abaelardo* intelligimus, celebratum fuiſſe Concilium iſtud Sueſſionenſe paulo ante obitum *Adami* Sandionyſiani Abbatis ipſi ſubinfenſi. Vivere autem deſiit *Adamus* Abbas anno milleſimo centeſimo vigeſimo-tertio. Probabilius itaque ad annum milleſimum centeſimum vigeſimum primum, quam ad annum milleſimum centeſimum decimum-ſextum refertur illa Synodus. Tertio, *Gauffridus* Carnotenſis Epiſcopus, maximum jam nomen inter Antiſtites Gallicanos obtinuerat, qui *Abaelardi* patrocinium in Concilio Sueſſionenſi ſuſcepit, (ut ipſe teſtatur in Epiſtola de ſuis calamitatibus ad Amicum) *Gauffridus* vero onus Epiſcopale non ſubiit, niſi anno milleſimo centeſimo decimo-ſexto. Quamobrem probabilius eſt poſt aliquot annos celebratum fuiſſe Concilium Sueſſionenſe. Quod vero ante annum milleſimum centeſimum trigeſimum-ſextum habitum fuerit, probat tum obitus *Guillelmi Campellenſis* anno milleſimo centeſimo vigeſimo-primo conſignatus, qui paulo ante Concilium iſtud defunctus eſt, tum *Radulphi Viridis* Remenſis Archiepiſcopi, qui huic Synodo interfuit, & damnationis *Abaelardi* promotor fuit & author, ſuprema dies anno milleſimo centeſimo vigeſimo-quarto notata. Præterea, Concilium Senonenſe contra eumdem *Abaelardum* convocatum eſt anno milleſimo centeſimo-quadrageſimo. Porro longe plures annos quam quatuor inter Concilium Sueſſionenſe & Senonenſe interceſſiſſe conſtat ex rerum a Petro Abaelardo geſtarum ſerie. Nam poſt Concilium Sueſſionenſe per dies aliquot in Monaſterio *S. Medardi* recluſus eſt. Inde in Abbatiam Sandionyſianam remiſſus, ibique aliquandiu commoratus, maximam apud *Adamum* Abbatem ſubiit invidiam, ab eoque vexatus eſt, propter aſſertam Venerabilis *Bedæ* ſententiam de *S. Dionyſio* Corinthiorum Epiſcopo

po

po, eodemque Areopagita. Fugere exinde coactus, ex Sandionysiano Cœnobio, ad terram Comitis *Theobaldi* proximam, in castro *Pruvini* aliquandiu etiam mansit, in Cella Trecensium Monachorum. Postea licentiam secedendi in aliquam solitudinem obtinuit a *Sugerio* Abbate. Secessit in eremum pagi Trecensis, ad fluviolum *Arduconem*, ubi extructo *Paracleti* Oratorio, multis annis sacram doctrinam docuit. Postea ad Abbatiam Rivensem *Sancti Gildasii* assumptus, plures ibi persecutiones passus est a perditissimis Monachis. Interea Sanctimonialibus Argenteolo pulsis, e Britannia rediit ad Paracletense Oratorium, quod cum omnibus annexis dilectæ suæ *Heloissa*, ac Sociabus concessit & donavit. Rediit in Abbatiam suam Rivensem : Pluries ad Paracletense Monasterium reversus est, ut charissimis suis subveniret. Porro hæc omnia contigisse intra annos quatuor, nemo facile credet. Non est igitur celebrata Synodus Suessionensis anno millesimo centesimo trigesimo-sexto, ut *Binius* opinatus est; sed probabilius refertur ad annum millesimum centesimum vigesimum-primum. Enimvero juvenis adhuc erat *Abaelardus* tempore Suessionensis Concilii, nec multos annos a sua & *Heloissa* conversione numerabat. Tempore vero Concilii Senonensis jam agebat senectutem, ut testatur *Petrus Venerabilis* Cluniacensis Abbas, in Epistola ad *Innocentium II.* pro *Petro Abaelardo*.

Frustra vero sententiæ suæ præsidium ex *Ottone Frisingensi* quærit *Binius*. Nam de *Abaelardo*, deque illius doctrina & multiplici damnatione *Otto Frisingensis** non agit, nisi ex occasione *Gilberti Porretani*, cui confutando & convincendo *S. Bernardus* studuerat. Cum autem ab eodem sancto Abbate convictus ante fuisset *Petrus Abaelardus* in Concilio Senonensi anno millesimo centesimo quadragesimo; inde factum est ut ejus meminerit occasione data, nec observata ratione temporis; satis habens monere, ea quæ de *Abaelardo* narrat, ante annum millesimum centesimum quadragesimum-octavum, quo *Gilbertus Porretanus* damnatus est, contigisse.

* Cap. 47. lib. 1. De Gestis Friderici.

Objiciet quispiam, *Guillelmum* Catalaunensem Episcopum adhoc superstitem fuisse anno millesimo centesimo-quadragesimo; siquidem Epistolæ Synodicæ Concilii Senonensis contra *Abaelardum* illo anno celebrati subscripsit : adeoque nutare opinionis nostræ fundamentum, quæ Suessionense Concilium ad annum millesimum centesimum vigesimum-primum refert, eo quod *Guillelmus Campellensis*, Catalaunensis Episcopus, cujus post mortem habitum est, eo anno octavo Kalendas Februarias obierit. Sed hæc objectio facile diluitur, observando, quod res est, in Synodica Senonensis Concilii, pro *Guillelmo*, legendum esse *Gaufridum* Catalaunensem Episcopum, qui ex Abbate *S. Medardi* Suessionensis, Pontificias Catalaunensis Ecclesiæ Infulas consecutus est anno millesimo centesimo trigesimo primo, obiitque anno millesimo centesimo quadragesimo-secundo, ut constat ex Chronico *Alberici*, & ex serie Catalaunensium Episcoporum Tomo II. *Galliæ Christianæ*. Inde autem errorem contigisse verisimile est, quod cum propria nomina primis tantum literis notarentur, Librarius qui vidit G. scripsit *Guillelmum* pro *Gaufredo*.

Arrouaise *Abbatia Ordinis Augustiniani, in Diœcesi Attrebatensi.*

Quod spectat *Arroasiæ* Tabulas, *Cononis* Prænestini Episcopi & Sedis Apostolicæ Legati, qui Concilio Suessionensi præfuit, obitum anno millesimo centesimo decimo septimo, V. Idus Augusti consignantes; quo momento fretus *Joannes Picardus* hanc Synodum ad annum millesimum centesimum decimum-sextum retulit : Tabulas illas mendosas esse certiora monumenta probant. Enimvero *Cononem* Prænestinum Episcopum, qui jam Legatione fungebatur in Galliis *Paschali II.* Pontifice, qui munus idem gessit sub *Gelasio II.* ac demum sub *Callisto II.* præfuitque Concilio Coloniensi anno millesimo centesimo decimo nono ut docet *Anselmus Gemblacensis* (quamquam Coloniense istud & Frideslariense ab eo celebrata anno millesimo centesimo decimo octavo tradat Urspergensis Abbas.) Anno millesimo centesimo-vigesimo 15. Kalendas Novembris, præfuisse Synodo Bellovacensi, in qua inter alia de corpore *Sancti Arnulphi* Suessionensis Episcopi e terra levando actum est, *Lisiardus* ejusdem Ecclesiæ Episcopus in ejus Vita Cap. XV. & Chronicon Senonense *S. Petri Vivi*, testantur. Præceptum *Ludovici Crassi* Regis Francorum, quo Ecclesiam *Cergiaci* resque ad eam pertinentes Abbatiæ Sandionysianæ donavit, eodem anno datum est præsente *Conone* Sedis Apostolicæ Legato. *Communicato*, inquit, *cum Palatinis nostris consilio ad ipsam sanctissimorum Martyrum* (Dionysii scilicet ac Sociorum) *Basilicam cum Conjuge nostra acceleravimus, & præsente venerabili Episcopo Domino Conone Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, quoniam jure & consuetudine Regum Francorum demigrantium, insignia Regni ipsi Sancto Martyri tamquam Protectori suo referuntur, Coronam Patris nostri ei reddidimus, pro dilatione redditionis satisfecimus, & tam pro salute animæ nostræ, quam pro Regni administratione, Conjugis & Prolis conservatione, Ecclesiam de Cergiaco sicut libere possidebamus cum decimis & omnibus ad eam pertinentibus, Ecclesiæ restituendo, ipsis Sanctis Martyribus contulimus ..... Actum publice anno Incarnati Verbi 1120. Adelaidis autem Regina V. concedente Philippo filio nostro.* Eodem anno *Cononem* ad Cœnobium Mauriniacense divertisse Chronicon Mauriniacense testatur. Immo Pontificio Diplomati *Callixti II.* anno millesimo ducentesimo vigesimo-secundo subscripsisse, docent *Ciaconius* noster & *Ferdinandus Ughellus*. Quæ cum ita sint, Arroasiæ Tabulas mendaces esse perspicuum est, quæ *Cononis* Prænestini Episcopi, & Sedis Apostolicæ in Galliis Legati obitum referunt ad annum millesimum centesimum decimum-septimum.

ARTICULUS VIII.

ABAELARDUS *ad Concilium Senonense post annos undeviginti vocatus, Romanum Pontificem appellavit. Ejus nihilominus errores damnati fuere a Gallicanis Episcopis : Et ad Sedem Apostolicam missa Relatio : Qua accepta, eadem prava dogmata damnavit* INNOCENTIUS II. *Et* ABAELARDO *ceu Hæretico silentium imposuit.*

EXtincto *Petri Leonis* schismate, anno millesimo centesimo quadragesimo, Concilium Senonis celebratum est in causa *Petri Abaelardi*; qui coram Archiepiscopo Senonensi ab adversariis suis conventus, ac velut hæreseon assertor passim diffamatus, ipsum rogavit ut suam exponere doctrinam, & ab hostium calumniis & objectionibus vindicare publico in consessu sibi liceret. Ad Synodum invitatus est *S. Bernardus* Clarevallensis Abbas, ut *Abaelardi* errores confutaret. Stata die adfuere Præsules, viri omnium Ordinum eruditi, celeberrimique congressus testis futurus *Ludovicus VII.* Rex Christianissimus. *Abaelardo* stante coram Synodo prolata sunt Capitula ex ipsius libris excerpta. Quæ dum legerentur, Concilio se subduxit, Romanum Pontificem appellans. Seditionis popularis metu ipsum appellasse scribit *Otto Frisingensis* : quod nequaquam verisimile est cum Rege Christianissimo, *Theobaldo* Comite, plurimisque Viris Nobilibus præsentibus, nihil esset a populo metuendum. Ob Sedis Apostolicæ reverentiam, *Abaelardus* Pontificis Maximi Judicio servatus est : nihilque in ejus personam statutum fuit a Patribus. Sed pro jure interim suo, prava illius dogmata damnarunt, ac de omnibus Relationem ad *Innocentium II.* misere; ipsum urgentes ut, pro sui Primatus officio, errores pariter damnaret, ac Synodi confirmata Sententia, Novatorem hominem coerceret. Ista constant ex *Goffrido* Clarevallensi Monacho in Vita *S. Bernardi*, lib. III. cap. V. & ex *Ottone Frisingensi* lib. 1. *De Gestis Friderici*, cap. XLVIII. ubi etiam exhibet Epistolam *Samsonis* Remensis Archiepiscopi, *Jossellini* Suessionensis, *Gaufredi* Catalaunensis, & *Alvisi* Attrebatensis Episcoporum ad *Innocentium II.* quæ brevem causæ *Abaelardi* expositionem, & Synodi gesta complectitur. „ Petrus „ Abaelardus [*inquiunt*] Christianæ Fidei meritum „ evacuare nititur, dum totum quod Deus est huma„ na ratione arbitratur se posse comprehendere : Ascen-

cendit usque ad coelos, & descendit usque ad abyssos. Nihil est quod lateat eum, sive in profundum inferni: sive in excelsum supra. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis & mirabilibus super se, scrutator majestatis, hæresum fabricator. Jamdudum fecerat librum de Sancta Trinitate, sed sub Legato Romanæ Ecclesiæ igne examinatus est, quia inventa est in eo iniquitas. Maledictus qui reædificat ruinas Jericho. Surrexit a mortuis liber ille, & cum eo multorum hæreses quæ dormierant, surrexerunt & apparuerunt multis. Denique jam extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quod liber suus in Curia Romana habet ubi caput suum reclinet; hinc confortatus & confirmatus est error illius. Proinde cum fiducia prædicat verbum iniquitatis usquequaque. Propterea cum in conspectu Episcoporum super his eum argueret Abbas Clarevallensis, zelo justitiæ & fidei armatus: ille nec confessus est, nec negavit; sed a die, a loco & Judice, quem ipse sibi elegerat, sine læsione, sine gravamine, ut prolongaret iniquitatem, Sedem Apostolicam appellavit. Episcopi qui propter hoc in unum convenerant, vestræ Reverentiæ deferentes, nihil in personam ejus egerunt: sed tantummodo Capitula a Sanctis olim Patribus condemnata, medicinali necessitate, ne morbus serperet, abjudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populum habet qui sibi credat, necesse est ut huic morbo celeri medicina occurratis. Processimus nos in hoc negotio, quousque ausi sumus. Tuum, Beatissime Pater, est de cætero providere, ne aliqua hæreticæ pravitatis macula decor Ecclesiæ contaminetur. Tibi commissa est Sponsa Christi, o Amice Sponsi. Tuum est eamdem uni viro virginem castam exhibere Christo. A S. Bernardo scriptam hanc Epistolam stylus loquitur.

S. Bernardus damnationis Abaelardi Promotor.

Sed & ipse nomine suo scripsit ad *Innocentium II.* Epistolas duas, scilicet 189. & 190. de causa *Abaelardi*. In priori de *Abaelardi* studio in novitatem, deque ejus erroribus, ita scribit: „ Stulte mihi dudum requiem promittebam, siquidem leonina rabies quievisset, & pax Ecclesiæ redderetur. Nam ecce illa quievit, sed non ego. Leonem evasimus, sed incidimus in draconem, qui non minus forsan noceat sedens in insidiis, quam ille rugiens de excelso. Quamquam non jam in insidiis, cujus virulenta folia utinam adhuc laterent in scriniis, & non in triviis legerentur!... Novum cuditur gentibus & populis Evangelium, nova proponitur Fides... De virtutibus & vitiis non moraliter, de Sacramentis Ecclesiæ non fideliter, de arcano Sanctæ Trinitatis non simpliciter, nec sobrie disputatur, sed cuncta nobis in perversum, cuncta præter solitum, & præter quam accepimus, ministrantur. Procedit Golias procero corpore, nobili illo suo bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque ejus armigero Arnaldo de Brixia &c. Denique in sugillationem Doctorum Ecclesiæ magnis effert laudibus Philosophos; adinventiones illorum & suas novitates Catholicorum Patrum doctrinæ præfert & fidei; & cum omnes fugiant a facie ejus, me omnium minimum expetit ad singulare certamen.

Indignum est rationem fidei humanis agitandam ratiunculis committere.

Tum gesta in Synodo Senonensi refert: „ Scripsit mihi, *inquit*, solicitante quidem ipso, Archiepiscopus Senonensis, diem statuens congressionis, quo ille in præsentia ejus & Coepiscoporum suorum deberet, si posset, statuere prava dogmata sua, contra quæ ego ausus mutire fuissem. Abnui, tum quia puer sum, & ille vir bellator ab adolescentia: tum quia judicarem indignum, rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quem tam certa ac stabili veritate constet esse subnixam. Dicebam sufficere scripta ejus ad accusandum eum, nec mea referre, sed Episcoporum, quorum esset ministerii de dogmatibus judicare. Ille nihilominus, immo eo amplius levavit vocem, vocavit multos, congregavit complices.... Disseminavit ubique, se mihi die statuto apud Senonas responsurum. Exiit sermo ad omnes, & non potuit me latere. Dissimulavi primum nec enim satis rumore populari movebar. Cedens tamen (licet vix, ita ut flerem) consilio amicorum, qui videntes quomodo se quasi ad spectaculum omnes pararent, timebant ne de nostra absentia & scandalum populo, & cornua crescerent adversario: Et quia error magis confirmaretur, cum non esset qui responderet aut contradiceret, occurri ad locum & diem, imparatus quidem & immunitus, nisi quod illud mente volvebam: *Nolite præmeditari qualiter respondeatis. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Et illud: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* „ Convenerant autem præter Episcopos & Abbates, plurimi Viri Religiosi, & de civitatibus Magistri Scholarum, & Clerici literati multi: & Rex præsens erat. Itaque in præsentia omnium Adversario stante ex adverso, producta sunt quædam Capitula de libris ejus excerpta. Quæ cum cœpissent legi, nolens audire, exivit, appellans ab electis Judicibus, quod non putamus licere. Porro Capitula Judicio omnium examinata, inventa sunt fidei adversantia, contraria veritati. Hæc pro me, ne levitate, aut certe temeritate usus in tanto negotio putarer. Verum tu, o Successor Petri, judicabis an debeat habere refugium ad Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu, inquam, Amice Sponsi, prævidebis quomodo liberes Sponsam a labiis iniquis, & a lingua dolosa. Hanc Epistolam per *Nicolaum* Clarevallensem Monachum ad *Innocentium II.* misit *Sanctus Bernardus*.

Luc. 21. 14.
Psal. 117. 6.

Sed & aliam scripsit prolixiorem ad eumdem Pontificem, quæ confutationem errorum *Abaelardi* complectitur. Incipit his verbis, quæ ipsius & Ecclesiæ Gallicanæ sententiam de Sedis Apost. Privilegiis exprimunt: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum, pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi fides non possit sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?*

Causæ Fidei ad Sedem Apostolicam referendæ.

Luc. 22. 31.

Scripsit etiam Abbas sanctissimus ad Cardinales S. E. R. eadem de causa Epistolam 187. quæ incipit his verbis: *Nulli dubium, quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de Regno Dei, succidere spinas, sedare querelas.* Scripsit speciatim ad *Guidonem de Castello* Cardinalem *Abaelardi* quondam discipulum, ut eum a favore ipsi commodando deterreret. Epistola incipit his verbis: *Injuriam facio vobis si aliquem a vobis ita diligi credam, ut cum eo pariter ejus errores diligatis:* De *Abaelardi* vero novitatibus hæc habet: *Magister Petrus in libris suis profanas vocum novitates inducit & sensuum, disputans de fide contra fidem, verbis Legis Legem impugnat. Nihil videt per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem omnia intuetur, ambulans in magnis & in mirabilibus super se.... Ego non eum accuso apud Patrem: est qui eum accuset liber suus, in quo sibi male complacuit. Cum de Trinitate loquitur, sapit Arium; cum de Gratia, sapit Pelagium; cum de Persona Christi, sapit Nestorium. Minus de vestra æquitate præsumo, si dia vos rogavero, ut in causa Christi nullum Christo præponatis. Illud autem scitote: quia expedit vobis, quibus potestas data est a Domino; expedit Ecclesiæ Christi; expedit etiam illi homini, ut ei silentium imponatur, cujus maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo.*

Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ fides deficere non potest.

Scripsit denique ad *Yvonem* Cardinalem Epistolam CXCIII. qua *Abaelardum* ita pingit: „ Magister Petrus Abaelardus, sine Regula Monachus, sine solicitudine Prælatus, nec Ordinem tenet, nec tenetur ab Ordine. Homo sibi dissimilis est, intus Herodes, foris Joannes, totus ambiguus, nihil habens de Monacho præter nomen & habitum.... Iniquitatem in excelso loquitur, integritatem fidei, castitatemque Ecclesiæ corrumpit. Transgreditur terminos quos posuerunt Patres nostri, de fide, de Sacramentis, de Trinitate disputans & scribens: Singola pro sua voluntate mutat, au-

Vehemens S. Bernardi in Abaelardum Invectiva.

ge-

„ get, & minuit. In Libris & in Operibus suis o„stendit se fabricatorem mendacii, & cultorem per„versorum dogmatum; Hæreticum se probans non „tam in errore, quam in pertinacia & defensione „erroris. Homo est egrediens mensuram suam, in „sapientia verbi evacuans virtutem Crucis Christi. „Nihil nescit omnium quæ in cœlo & quæ in ter„ra sunt, præter seipsum. Damnatus est Suessione „cum Opere suo coram Legato Romanæ Ecclesiæ. „Sed quasi non sufficeret ei illa damnatio, iterum „facit unde iterum damnetur, & jam novissimus er„ror pejor est priore. Quin zelus fidei paulo acriorem in mores *Petri Abaelardi* invectivam a *S. Bernardo* extorserit initio istius Epistolæ, nullus dubito.

Acceptis Concilii Senonensis, & *S. Bernardi* Literis, *Innocentius II.* Pontifex Maximus errores *Abaelardi*, secundum Judicium a Gallicanis Episcopis latum, damnavit, eique velut Hæretico perpetuum indixit silentium. *Innocentii* Rescriptum ad Senonensem & Remensem Archiepiscopos, eorumque Suffraganeos, & *S. Bernardum*, extat inter ejusdem Sancti Abbatis Epistolas 194. & in Collectionibus Conciliorum, inter Acta Concilii Senonensis. *Dolemus*, inquit, *quoniam sicut Literarum vestrarum inspectione, & missis a Fraternitate vestra nobis errorum Capitulis cognovimus, in novissimis diebus, quando instant tempora periculosa, Magistri Petri Abaelardi perniciosa doctrina, & prædictorum Hæreses, & alia perversa dogmata Catholicæ Fidei obviantia pullulare cœperunt. Verum in hoc maxime consolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus vestris pro Patribus tales filios suscitavit, & tempore Apostolatus nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit esse Pastores, qui novi Hæretici calumniis studeant obviare, & immaculatam Sponsam* Uni viro virginem castam exhibere Christo. *Nos itaque qui in B. Petri Cathedra* [*cui a Domino est dictum* : Et tu ali-
2. Cor. 11. 2. quando conversus, confirma Fratres tuos] *licet indigni residere conspicimur* : *Communicato Fratrum*
Luc. 22. 32. *nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio, destinata nobis a vestra Discretione Capitula, & universa ipsius Petri perversa dogmata Sanctorum Canonum authoritate cum suo Authore damnavimus : Eique tamquam Hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores & Defensores a Fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus.*

Extat alia brevissima *Innocentii II.* Epistola ad eosdem Archiepiscopos, ad calcem Concilii Œcumenici Lateranensis sub *Innocentio II.* ex veteri exemplari Monasterii Clarevallensis transcripta, qua *Arnaldum de Brixia, & Abaelardum, perversi dogmatis fabricatores, & Catholicæ Fidei impugnatores, in Religiosis locis separatim includi* jubet, *& libros erroris eorum, ubicumque reperti fuerint, igne comburi.* Sic erga Novatores agendum. Concilii Senonensis, & damnationis *Abaelardi*, cum a Gallicanis Præsulibus, tum ab *Innocentio II.* Pontifice Maximo, præter Authores laudatos meminere *Vincentius Bellovacensis* in Speculo Historiali lib. 27. cap. 13. *S. Antoninus*, *Trithemius* lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis & in Chronico Hirsaugiensi, *Joannes Nauclerus*, Vol. 3. Generatione 39. *Paulus Æmilius* lib. 5. Historiæ Francorum in *Ludovico Juniore*, *Helinandus*, *Joannes Canonicus S. Victoris* ad mœnia Parisiorum, &c.

ARTICULUS IX.

Apologeticum pro PETRO ABAELARDO *scripsit* BERENGARIUS *Pictaviensis ejus Discipulus. Verum contumelioso in* S. BERNARDUM *& Concilium Senonense Libello nulla fides* :

PRima petulantissimi Authoris in *S. Bernardum* contumelia hæc est, quod ab ipsa adolescentia protervus esset; quod ingenii sui acumen in mimicis cantiunculis, & rithmicis modulis ostentaret; quod illum commentandi & nugandi usum ad Sacrarum Scripturarum expositionem accerseret.

S. Bernardus a calumniis & Satyra Petri Pictaviensis vindicatur.

Secunda, quod vir sanctitatis & miraculorum opinione celebris, reprehensionis idoneam occasionem in *Petro Abaelardo* nancisci maluerit, quam ejus resipiscentiam procurare. At *Berengarium* mendacii convincit *Gofridus* lib. III. Vitæ *Sancti Bernardi* cap. 5. ubi scribit : *Solita bonitate & benignitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeste tamque rationabiliter egit, ut ille compunctus, ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa. Cæterum resilit a proposito saniori.*

Tertia, quod *Abaelardi* appellationi ad Sedem Apostolicam non detulerit Sanctus Bernardus : *Intra tot itaque & tantas angustias*, inquit, *deprehensus Abaelardus, ad Romani examinis confugit asylum. Filius sum*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ : volo causa mea quasi impii judicetur. Cæsarem appello. At Bernardus Abbas, in cujus brachio fidebat Præsulum multitudo, non dixit ut Præses qui tenebat Paulum in vinculis : Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis : sed Cæsarem appellasti, ad Cæsarem non ibis. Renuntiavit enim quæ gesta fuerant Apostolico, & statim a Romana Sede Literæ damnationis in Petrum per Gallicanam Ecclesiam volaverunt.* At putida illa calumnia est, quia ob reverentiam Sanctæ Sedis quam appellaverat *Abaelardus*, nihil in ejus personam decrevere Senonensis Concilii Patres, sed ejus tantum errores damnarunt, quod juris ipsorum erat (ut constat ex Epistola Synodica ad *Innocentium*.)

Quarta calumnia, quod absens, & inauditus, & inconvictus damnatus sit *Abaelardus*. cujus os *Promptuarium rationis, rubam fidei, & hospitium Trinitatis*, hyperbolice & adulatorie vocat. Sed esto, inauditus damnatus sit, quia contumax, & electos Judices fugiens, quod Canones vetant, an ideo inconvictus, cujus errores in libris ab ipso editis ita manifesti, ut *Berengarius* ipse, in Epistola ad Episcopum Mimatensem, fateatur *Ejus Capitula non sane sonare, ac se noluisse illorum esse Patronum, quia in Sententiam Abbatis*, (nempe S. Bernardi) *pedibus ivit.*

Quinta calumnia, quod verba illa *S. Bernardi* in Epistola ad Innocentium II. *Non debet refugium invenire apud Sedem Petri, qui fidem impugnat Petri*; rancori animi ejus in *Abaelardum* tribuat, & post nonnulla in Magistri prolata defensionem concludat his verbis : *Deberet ergo refugium apud Sedem Petri invenire, si non illecebra eloquii tui clausissent viscera misericordiæ Romanæ Ecclesiæ. Sed dum tu Petro clementiæ ostium obstruis, concepta vesania signanter impetum prodis.* At falsum est quod viscera misericordiæ Romanæ Ecclesiæ *Abaelardo* clauserit *S. Bernardus*, & quod ex animi rancore in ipsum scripserit, qui ejus tantum infensus fuit erroribus, personæ vero nequaquam. Non-ne enim ipsum non est amplexus, pacemque cum illo iniit, sopitis prioribus querelis, cum fidem suam exposuit, erroresque suos emendavit, ut testatur *Petrus Cluniacensis* in Epistola ad *Innocentium II.* pro *Abaelardo* scripta? Immo *Abaelardus* ipse in Apologia sua, seu Confessione Fidei, *S. Bernardum* dulci *Amici* nomine indicat.

Sexta contumelia, quod imprudenter egerit *Sanctus Bernardus*, hæreseos crimen *Abaelardo* impingens, qui scriptis ipse suis quædam tradidit perenni sepelienda silentio. Et quod in Indiculo errorum *Petri Abaelardi*, non propria ipsius dogmata, sed nefandi Commenti Capitula scripserit. Quædam tamen ex his Capitulis asseruisse & scripsisse *Abaelardum* fatetur, sed alio sensu. *Hæc & alia*, inquit, *Indiculus tuus continet, quorum quædam, fateor, Petrus & dixit & scripsit : quædam vero neque protulit, neque scripsit. Quæ autem dixerit, & quæ non dixerit, & quam Catholica mente ea quæ dixerit senserit, secundus abrepti Operis Tractatus Christiana disputatione ardenter & impigre declarabit.*

Septimo *S. Bernardum* carpit, quod expositionem Cantici Canticorum post Origenem, S. Ambrosium, Reticium Augustodunensem, & Venerabilem Bedam aggressus, nihil novi protulerit, sed sensum alienum verbis suis vestierit, & mediocri genere dicendi sit usus. Facete, sed temere. ipsum arguit, quod inter

Canticorum Salomonis Commentarios, mortem sui fratris inducat, in ejusque funeris prosecutione duos pene quaternos consumat, luctum ingerens nuptiis Sponsi, & tuba funebri clangens discumbente Sponso in Sponsæ gremio, & Juvenculis Sponsi Sponsæque Juvencolabus alterna jucunditate plaudentibus, ut Tragœdiam potius quam Epithalamium sapiat ejus Commentatio; Cantica in Elegos, Carmina in Threnos forte miserabili convertens. Sed quid vitii fuit, aut mimica *Berengarii* ironia dignum, fratrem plangere in ipsis Sponsi nuptiis, qui in lachrymis, doloribus, sanguinis effusione & morte nuptiarum fœdus sanxit cum Sponsa? Vitio id quidem ac defectui artis verti posset in Panegyrica Oratione, in qua sacrarum dumtaxat nuptiarum amorumque laudem suscepisset. At quod in expositione mystici sensus, & in adhortatione morali ad Conventum Fratrum suorum, paululum ab instituto suo diverterit Sanctus Abbas, nemo sanæ mentis reprehendere potest, cum dolor vehemens artis regulas nesciat, nec sit vehementior & justior, quam qui ex morte oritur amantissimi fratris.

Octava calumnia est, quod originem animarum de cœlo *S. Bernardus* asseruerit in Cantica Canticorum scribens; atque ita lapsus sit in *Origenis* errorem. Id enim tantum abest ut asseruerit; quin immo illud statuit discrimen inter Verbum Dei, quod est Dei imago, & animam quæ imago non est, sed ad imaginem Dei, quod illud de substantia Dei est, hæc vero non est de substantia Dei, sed dotes prope divinas habet, vel a creatione, vel a Dei dignatione, id est, gratia. *Verbum, inquit, est Veritas, est Sapientia, est Justitia; & hæc imago. Cujus Sapientiæ, Justitiæ, & Veritatis? Est enim imago hæc Justitia de Justitia, Sapientia de Sapientia, Veritas de Veritate, quasi de Lumine Lumen, de Deo Deus. Harum rerum nihil est anima, quoniam non est imago. Est tamen earum capax appetensque, & inde fortassis ad imaginem. Celsa creatura in capacitate quidem, majestatis, in appetentia autem rectitudinis insigne præferens..... Sed dico; nihil ne ergo amplius habet imago ab anima quæ ad imaginem est, quia & huic magnum rectumque assignamus? Et plurimum. Hæc ad mensuram accepit, illa ad æqualitatem. An non plus hæc? Adverte & aliud. Huic utrumque aut creatio, aut dignatio contulit: illi generatio. Atque id magnificentius esse non dubium est. Sed ne hoc quidem eminentius esse quis abnuat, quod cum a Deo huic; illi, & de Deo utrumque sit, id est, de Dei substantia. Est enim consubstantialis Deo imago sua.* (Sermone 80. in Cantica.) Sicubi vero dixerit, Animæ originem cœlestem esse; id intelligi solum voluit, quod a Deo immediate creetur, non cum corpore a parentibus ex semine traducatur: & quod ad Dei imaginem facta sit: quo sensu dixit Apostolus. *Genus ergo cum simus Dei, &c.* Quis vero non videat, *S. Bernardum* inepte, imperite, malitiose, Origenianæ hæreseos a *Berengario* accusari propter hæc verba: *Merito dixit Apostolus: Nostra conversatio est in Cœlis?*

Nono, vellicat Sententiam *S. Bernardi* in libro *De Diligendo Deo*, scribentis: Modum diligendi Deum esse, *diligere sine modo*. Id impossibile clamat Berengarius: *Cum enim stabile firmumque sit, Deum ea magnificentia esse præditum, ut nequaquam nostra in illam dilectio ejus dignitati æquipollenter respondere sufficiat, quomodo sine modo diligemus, quem cum modo diligere non valemus? Quomodo porrigetur dilectio ultra modum, cum semper remaneat citra modum?* At inscitiam suam & malevolentiam prodit *Berengarius*. Non enim eo sensu Deum diligi debere sine modo *S. Bernardus* dixit, quasi dilectio nostra infinita esse possit, aut debeat, sed quod nusquam nimius esse possit amor, quo Deum prosequimur, immo nec usquam divinæ bonitati conveniens. Quamobrem ipsum diligere debemus quantum possumus, & semper eniti ut magis amemus, cui nos totos debemus. „ Illum, *inquit*, ratio urget, & justitia naturalis, totum se tradere illi a quo se totum habet, & ex se toto debere diligere. Mihi profecto fides tanto plus indicit amandum, quanto & eum me ipso pluris æstimandum intelligo: quippe qui illum non solum mei, sed sui quoque ipsius teneo largitorem.... Ut quid non amaret opus artificem, cum haberet unde id posset? Et cur non quantum omnino posset, cum nihil omnino nisi ejus munere posset?... Quod si totum me debeo pro me facto, quid addam jam & pro refecto & refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus. Si quidem non solum de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptum est, *Dixit & facta sunt.* At vero qui me tantum & semel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed & indigna. *Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* In primo opere me mihi dedit, in secundo se. Et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se?... Cum dilectio quæ tendit in Deum, tendat in infinitum & immensum, quisnam quæso debeat esse nostri finis vel modus amoris? Quid quod amor ipse noster non jam gratuitus impenditur, sed rependitur debitus? Amat immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ caritas, amat Deus cujus magnitudinis non est finis, cujus sapientiæ non est numerus, cujus pax exuperat omnem intellectum, & vicem rependimus cum mensura? Deus meus, adjutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo, minus quidem justo, sed plane non minus posse meo. Qui etsi quantum debeo non possum, tamen ultra quam possum. Potero vero plus, cum plus donare dignaberis, numquam tamen prout dignus haberis.

Insolens Berengarii Pictavensis in Concilii Senonensis Patres declamatio.

Nec vero Patribus Concilii Senonensis quam *Sancto Bernardo* æquior est *Berengarius*, in quos effreni stylo debacchatur. E multis pauca hæc audi: „ Post prandium, *inquit*, allatus est Liber Petri & cuidam præceptum est, ut voce clamosa Petri Opuscula personaret. At ille odio Petri animatus, & vitis germine irrigatus; non illius qui dixit, *Ego sum vitis vera*, sed illius qui Patriarcham nudum stravit in area, sonorius quam postulatum fuerat, exclamavit. Post aliqua, Pontifices insultare, pedem pedi applodere, ridere, nugari conspiceres: ut facile quilibet judicaret, illos non Christo vota persolvere, sed Baccho. Inter hæc salutantur scyphi, pocula celebrantur, laudantur vina, Pontificum guttura irrigantur..... Denique cum aliquid subtile divinumque sonabat, quod auribus Pontificum erat insolitum, audientes omnes dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in Petrum: & oculos talpæ habentes, in Philosophum. Hoc, inquiunt, sinemus vivere monstrum? Moventesque caput quasi Judæi, *Vah! inquiunt, ecce qui destruit templum Dei.* Sic judicant verba luminis cæci, sic virum sobrium damnant ebrii, sic contra organum Trinitatis differunt calices facundi. Sic contra simplicem disputant cornuti. Sic Sanctum canes, sic margaritas porci corrodunt. Sic sal terræ infatuatur, sic legis fistula obturatur.... Biberat Episcoporum sobrietas sanguinem uvæ meracissimum, cujus integritatem aqua non devirginaverat, cujus calor ita incesserat cerebris, ut in somni lethargiam omnium oculi solverentur. Inter hæc sonat Lector, stertit auditor. Alius cubito innititur, ut det oculis suis somnum. Alius super molle cervical dormitionem palpebris suis molitur. Alius super genua caput reclinans, dormitat. Cum itaque Lector in Petri satis aliquod reperiret spinetum, surdis exclamabat auribus Pontificum; Damnatis? Tunc quidam vix ad extremam syllabam expergefacti, somnolenta voce, capite pendulo. Damnamus, ajebant. Alii vero damnantium tumultus excitati, decapitata prima syllaba, Namus, inquiunt. Vere natis, sed natatio vestra procella; natatio vestra, mersio. Sic milites dormientes testimonium perhibent, *Quia nobis dormientibus, venerunt Apostoli, & tulerunt corpus.* Qui vigilaverat in Lege Domini die ac nocte, nunc damnatur a Sacerdotibus Bacchi. Hæc & alia æque insolentia *Berengarius* Scholasticus,

Berengarius senior & prudentior factus, cum S. Bernardo sensit, ejusque sanctitatem veneratus est.

Hic tamen effrenem styli sui in *S. Bernardum* licentiam temperavit, senior, & paulo sapientior factus in

in Epistola ad Episcopum Mimatensem. „ Neque, *inquit*, æstimet me quispiam ad injuriam ejus stylum per ceram trahere, qui, meo judicio, nostrorum temporum est Martinus. Simpliciter, & sine vulpe candido pectori vestro loquor. Ego ita sentio de Abbate, quod sit lucerna ardens & lucens, sed tamen in testa est. Quod dedecus infigitur auro cum laudatur, si ejus scoria improbetur? Laudatis Abbatem? Magis ego laudo. Cur igitur inquietius contra eum scribis, de quo tam bene sentis: Porrigite patulas aures, ut ebibant rationem. Damnaverat Abaelardum Præceptorem meum, virum fidei buccinam, legis armarium, in morum via pede regio gradientem. Damnaverat, inquam, Abaelardum, & vocem ejus sine audientia strangulaverat. Eram ea tempestate adolescens, nondumque impuberes malas nubes lanuginis adumbrabat, eratque mihi velut Scholastico animus in ficta crebro materia declinare. Porro veri certaminis arridente vena, pectus appuli ut purgarem Abaelardum, Abbatisque confutarem audaciam. Sed non, inquiunt, a te Theologum talem argui oportebat. Tu enim bestia es, & montes tangere non debes. Parcius ista, Fratres: Mementote vos hoc objicere viro. In quo audet Abbas? Audet in literis, audeo & ego. Audet in Theologiis, audeo & ego. Audet in fide, audeo & ego. Audet in sanctitate, hic non audeo ego. Quid ergo peccavi, si fidelis fidelem, minor majorem, sæcularis Religiosum redargui? Momordi, fateor, non Contemplativum, sed Philosophum; non Confessorem, sed Scriptorem; non mentem, sed linguam; non præcordia, sed stylum; non meditationes viri, sed somnum. Legant eruditi Viri Apologeticum quem edidi, & si Dominum Abbatem juste non argui, licenter me redarguant ..... Sed cur, inquiunt, expleto primo Volumine, secundum (ut spoponderas) non texis? Quia processu temporis meum sapere crevit: & in sententiam Abbatis, pedibus (ut dicitur) ivi. Nolui esse Patronus Capitulorum objectorum Abaelardo, quia etsi sanum saperent, non sane sonabant. Postquam igitur, inquiunt, a secundo libro manus torpuit, quare primum non rasisti? Fecissem hoc, inquam, nisi cassa esset industria. Remanerent enim viva exemplaria, quæ jam per totam Franciam & Italiam concorrerunt. Si igitur, inquiunt, Apologiam illam jugulare non potes, damna vel vivam. Characterem rei fronti ejus infige ut omnis qui legerit, sciat te ætate, non malitia peccasse. Damnabo, inquam, tali conditione, ut si quid in personam hominis Dei dixi, joco legatur, non serio. „ Berengarii Pictavensis Apologeticus, & Epistola ad Episcopum Mimatensem, extant inter *Abaelardi* Opera.

SCHOLION.

In hoc Articulo, pag. 59. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant verbis suis interpolatam, non meis conceptam: *Episcopi de jure, non obstante appellatione ad Summum Pontificem, debent damnare doctrinam erroneam.*

R. Non sic ego scripsi, sed: *Ob reverentiam* (inquam) *Sanctæ Sedis, quam appellaverat Abaelardus, nihil in ejus personam decrevere Senonensis Concilii Patres; sed ejus tantum errores damnaverunt, quod juris ipsorum erat.* Quod errores Abaelardi Concilii Senonensis Patres damnaverint, facti res est, historica veritas. Quod juris Episcoporum id esset, *Innocentius II.* Pontifex Maximus & *Sanctus Bernardus* agnoverunt.

ARTICULUS X.

PETRUM ABAELARDUM S. BERNARDO, *&* *deinde* INNOCENTIO II. *Summo Pontifici reconciliatum* PETRUS VENERABILIS *Abbas Cluniacensis; Eumque Cluniaci suscepit.*

Testem hujus rei profero *Petrum* ipsum Cluniacensem Abbatem in Epistola ad *Innocentium II.* pro Petro Abaelardo, cujus hic tenor est. „ Magister Petrus, Sapientiæ vestræ ut credo, optime notus, nuper a Francia veniens, per Cluniacum transitum fecit. Quæsivimus quo tenderet. Gravatum se vexationibus quorumdam qui sibi, quod valde abhorrebat, Hæretici nomen imponebant, Majestatem Apostolicam se appellasse, & ad eam confugere velle, respondit. Laudavimus propositum, & ut ad notum & commune refugium confugeret, admonuimus: Justitiam Apostolicam, quæ nulli etiam extraneo vel peregrino defuit, sibi non defuturam diximus. Misericordiam ipsam, ubi ratio postularet, sibi occursuram promisimus. Venit interim Dominus Cisterciensis Abbas & de pace ipsius, & Domini Clarevallensis, cujus causa appellaverat, nobiscum & cum ipso pariter egit. Dedimus & nos operam paci ejus: &, ut ad illum cum ipso iret, hortati sumus. Addidimus hoc monitis nostris, si qua Catholicas aures offendentia aut scripsisset, aut dixisset; hortatu ejus & aliorum bonorum & sapientum, & a verbis suis amoveret, & a libris abraderet. Et factum est ita. Ivit, rediit, cum Domino Clarevallensi, mediante Cisterciensi, sopitis prioribus querelis, se pacifice convenisse, reversus retulit. Interim a nobis admonitus, magis autem a Deo (ut credimus) inspiratus, dimissis Scholarum & studiorum tumultibus, in Cluniaco vestra sibi perpetuam mansionem elegit. Quod nos senectuti ejus, debilitati ejus, religioni ejus congruere putantes; & scientiam ejus, vobis ea toto non incognitam, magnæ Fratrum nostrorum multitudini proficere posse credentes, voluntati ejus assensimus: & si sic benignitati vestræ beneplacitum esset, benigne & cum gaudio nobiscum, vestris, ut nostis, per omnia remanere concessimus. Rogo igitur ego qualiscumque, tamen vester, rogat devotissimus vobis Cluniacensis Conventus, rogat ipse per se, per nos, per præsentium latores filios vestros, per has quas ut scriberem, rogavit, Literas; ut reliquos dies vitæ & senectutis suæ qui fortasse non multi sunt, in Cluniaco vestra eum consummare jubeatis, & ne a domo, quam velut passer, ne a nido, quem velut turtur invenisse se gaudet, aliquorum instantia aut expelli, aut commoveri valeat, more quo omnes bonos colitis, & etiam istum dilexistis, scuto defensionis Apostolicæ protegatis.

ARTICULUS XI.

PETRUM ABAELARDUM, *præsertim post Fidei suæ expositionem, & errorum emendationem, Hæreticis immerito quis accenseret.*

Ille siquidem non est censendus Hæreticus, qui si in aliquos errores impingat imprudens, illos pertinaciter non propugnat, sed ad illorum emendationem paratus est; immo illos reipsa corrigit: porro nusquam errores suos pertinaciter propugnavit *Abaelardus*; ad illorum emendationem parato semper fuit animo; & illos revera correxit. Quam ob rem non est Hæreticis accensendus. Paratus, inquam, semper fuit ad suorum correctionem errorum, ut ipse in Prologo Introductionis suæ ad Theologiam profitetur. *In quo quidem opere*, inquit, *si culpis meis exigentibus, a Catholica, quod absit, exorbitavero intelligentia vel locutione, ignoscat ille mihi, qui ex intentione opera pensat, parato semper ad satisfactionem de male*

dictis

dictis vel corrigendis vel delendis; cum quis me Fidelium vel virtute rationis, vel authoritate Scripturæ correxerit. Et postquam aliqua Scripturæ Sacræ Oracula protulit, quæ docent, Sapientem se corripientes amare; & *Sancti Augustini* exemplum qui plura in Scriptis suis erronce posita retractavit, hæc subdit: *Tanti itaque viri instruclur exemplo, si qua forte per errorem protulerim, nulla in his per contentionem defendam, aut per elationem præsumam. Ut si nondum ignorantiæ vitio caream, hæresis tamen crimen non incurram. Non enim ignorantia hæreticum facit, sed magis superba obstinatio: Cum quis videlicet ex novitate aliqua nomen sibi comparare desiderans, aliquid inusitatum proferre gloriatur, quod adversus omnes defendere importune nititur: ut vel cæteris superior, vel nullis habeatur inferior. Unde Gennadius Massiliensis Lib. de Fide Ecclesiasticorum Dogmatum, ait:* „ Quolibet quis acquiescat modo; non est Hæreticus, nisi contentione Hæreticus fiat. *Augustinus in Epistola ad Optatum*: Si de anima falsitatis assertio proferatur, & falsitas mendacem, & falsitatis inopportuna defensio Hæreticom facit. *Rursus idem super Genesim*: Non ob aliud sont Hæretici, nisi quod Scripturas Sacras non recte intelligentes suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt. *Qui & in Libro de Utilitate credendi, Hæreticum diligenter describens*: Hæreticus, inquit, est (ut mea fert opinio) qui alicujus temporalis commodi, & maxime gloriæ causa, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur. *Item idem in XVIII. de Civitate Dei*: Qui in Ecclesia aliqua prava sapiunt, si correcti contumaciter resistunt, & sua pestifera dogmata emendare nolunt, sed & defendere persistunt, Hæretici fiunt. *Rursus idem de Unico Baptismo, Lib. IV.* Illum Hæreticum nondum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholica, fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit. Hæc *Abaelardus*.

Id confirmat Epistola illius seu Confessio Fidei ad *Heloissam* directa, in qua hæc habet; „ Nolo sic esse Philosophus, ut recalcitrem Paulo. Non sic esse Aristoteles, ut secludar a Christo. Non enim aliud nomen est sub cœlo, in quo oporteat me salvum fieri. Adoro Christum in dextera Patris regnantem. Amplector eum ulnis fidei in carne Virginali de Paracleto sumpta gloriosa divinitus operantem. Et ut trepida solicitudo cunctæque ambages a corde tui pectoris explodantur, hoc de me teneto, quod super illam Petram fundavi conscientiam meam, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam. Cujus Petræ titulum tibi breviter assignabo. Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum naturaliter & verum Deum; qui sic in personis approbat Trinitatem, ut semper in substantia custodiat unitatem. Credo filium per omnia Patri esse coæqualem, scilicet, æternitate, potestate, voluntate, & opere: Nec audio Arium, qui perverso ingenio actus, immo dæmoniaco seductus spiritu, gradus facit in Trinitate, Patrem majorem, Filium dogmatizans minorem: oblitus Legalis præcepti. *Non ascendes*, inquit Lex, *per gradus ad meum altare*. Ad altare quippe Dei per gradus ascendit, qui prius & posterius in Trinitate ponit, Spiritum etiam Sanctum Patri & Filio consubstantialem & coæqualem per omnia testor; utpote quem bonitatis nomine designari, Volumina mea sæpe declarant. Damno Sabellium, qui eamdem personam asserens Patris & Filii, Patrem passum autumavit. Credo etiam Filium Dei factum esse Filium hominis, unamque personam ex duabus, & in naturis duabus consistere. Qui post completam susceptæ humanitatis dispensationem passus est, & mortuus, & resurrexit, & ascendit in cœlum, venturusque est judicare vivos & mortuos. Assero etiam in Baptismo universa remitti delicta; gratiaque nos egere, qua & incipiamus bonum, & perficiamus; Lapsosque per Pœnitentiam reformari. De carnis autem resurrectione quid opus est dicere, cum frustra glorier me Christianum, si non credidero resurrecturum.

Quod vero errores suos correxerit *Abaelardus* testis est *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis, in ea quam supra laudavimus Epistola scribens eum cum *S. Bernardo*, *Sopitis prioribus querelis pacifice convenisse*. Nullæ autem erant *S. Bernardi* adversus *Abaelardum* querelæ nisi ob ejus errores. Necesse igitur fuit ut ipsos retractaret, ad *S. Bernardum* sibi conciliandum.

Testis est etiam *Otto Frisingensis*, *lib.* 1. De Gestis Friderici, *cap.* 49. „ Petrus, *inquit*, damnationem sui dogmatis a Romana Ecclesia confirmatam cognoscens, ad Cluniacense Cœnobium se contulit, Apologeticum scribens, prædictorum capitulorum partim verba, ex toto autem sensum abnegans.

Sed nullum est testimonium hac in causa locupletius, quam ejus Apologeticum seu Confessio Fidei, *Universis Ecclesiæ Sanctæ Filiis* inscripta. „ Notum Proverbium est, *inquit*, Nil tam bene dictum, quod non possit depravari; & (ut B. meminit Hieronymus) qui multos scribit libros, multos sumit Judices. Ego quoque cum pauca scripserim, parva vel ad comparationem aliorum, nulla, reprehensionis notam effugere non potui; cum tamen in his de quibus graviter accusor, nullam (scit Deus) meam cognoscam culpam, nec, si qua fuerit, procaciter defendam. Scripsi forte aliqua per errorem, quæ non oportuit: sed Deum testem & judicem in animam meam invoco, quia in his de quibus accusor, nil per malitiam aut per superbiam præsumpsi. Multa in Scholis multis locutus sum, nec umquam aquas furtivas, vel panem absconditum habuit mea doctrina. Palam locutus sum ad ædificationem fidei, sive morum, quod mihi salubre visum fuit: & quæcumque scripsi, libenter omnibus exposui, ut eos judices, non discipulos haberem. Quod si uspiam per multiloquium excessi, ut scriptum est: *In multiloquio non effugies peccatum*; Numquam importuna defensio me effecit Hæreticum, paratus semper ad satisfactionem de male dictis meis corrigendis, sive delendis: In quo certe proposito usque in finem perseverabo.... Agnoscat ergo fraterna caritas me qualemcumque filium Ecclesiæ, cum ipsa integre cuncta quæ recipit, recipere; cuncta quæ respuit, respuere: nec me umquam unionem fidei scidisse; quamvis imparem cæteris morum qualitate. Tum sigillatim Catholica Dogmata Capitulis erroneis a se assertis vel sibi objectis contraria profitetur.

ARTICULUS XII.

Post errorum emendationem, sancte vixit, obiitque MAGISTER PETRUS ABAELARDUS.

SAnctæ ipsius vitæ & obitus testem profero omni exceptione majorem *Petrum Venerabilem* Abbatem Cluniacensem in Epistola ad *Heloissam* Paraclетensem Abbatissam, in quo postquam ipsum *vere Christi Philosophum* prædicavit, hæc subdit: „ Non recolo vidisse me illi in humilitatis habitu & gestu similem; in tantum ut nec Germanus abjectior, nec ipse Martinus bene discernenti pauperior appareret. Cumque in magno illo Fratrum nostrorum grege me compellente, gradum superiorem teneret, ultimus omnium vestitu incultissimo videbatur. Mirabar sæpe, & in Processionibus eo me cum reliquis pro more præcedente, pene stupebam, tanti tamque famosi nominis hominem sic seipsum contemnere, sic se abjicere posse. Et quia sunt quidam Religionis professores, qui ipsum, quem gerunt, habitum religiosum nimis cupiunt esse sumptuosum: erat ille prorsus parcus in istis, & cujuscumque generis simplici veste contentus, nihil ultra quærebat. Hoc & in cibo, hoc & in potu, hoc & in omni cura corporis sui servabat. Et, non dico superflua, sed & cuncta nisi valde necessaria, tam in se, quam in omnibus, verbo pariter & vita damnabat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, silentium juge, nisi aut fratrum familiaris collatio

Magistri Petri Abaelardi elogium.

„ tio, aut ad ipsos in Conventu de divinis publicus sermo, eum loqui urgebant. Sacramenta cœlestia immortalis Agni sacrificium Deo offerendo, prout poterat, frequentabat: immo postquam literis & labore meo Apostolicæ gratiæ redditus est, pena continuabat. Et quid multa? Mens ejus, lingua ejus, opus ejus, semper divina, semper Philosophica, semper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiscum vir simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens a malo: Tali, inquam, per aliquantum temporis conversatione ultimos vitæ suæ dies aonsecrans Deo, pausandi gratia, (Nam plus solito scabie & quibusdam corporis incommoditatibus gravabatur) a me Cabilonem missus est. Nam propter illius soli amœnitatem, qua cunctis pene Burgundiæ nostræ partibus præeminet, locum ei habilem, prope urbem quidem, sed tamen Arari interfluente provideram. Ibi juxta quod incommoditas permittebat, antiqua sua revocans studia, libris semper incumbebat: Nec (sicut de magno Gregorio legitur,) momentum aliquod preterire finebat, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. In his sacrorum Operum exercitiis eum adventus illius Evangelici Visitatoris repetit, nec eum, ut multos, dormientem, sed vigilantem invenit. Invenit eum vere vigilantem, & ad æternitatis nuptias, non ut fatuam, sed ut sapientem virginem evocavit. Attulit enim ille secum lampadem plenam oleo, hoc est, conscientiam refertam sanctæ vitæ testimonio. Nam ad solvendum commune mortalium debitum morbo correptus, eoque ingravescente, in brevi ad axtrema perductus ast. Tunc vero quam sancte, quam devote, quam Catholice primo Fidei, dehinc peccatorum Confessionem fecerit; quanto inhiantis cordis affectu Viaticum peregrinationis ac vitæ æternæ pignus, Corpus scilicet Redemptoris Domini acceperit; quam fideliter corpus suum & animam hic & in æternum ipsi commendaverit, testes sunt Religiosi Fratres, & totus illius monasterii, in quo corpus Sancti Martyris Marcelli jacet, Conventus. Hoc Magister Petrus fine dies suos consummavit: & qui singulari scientiæ Magisterio toti pene orbi terrarum notus, & ubique famosus erat; in illius discipulatu, qui dixit: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde*, mitis & humilis perseverans; ad ipsum (ut dignum est credere) sic transivit. Hunc ergo, Venerabilis & Charissima in Domino soror cui post carnalem copulam tanto validiore, quanto meliore divinæ charitatis vinculo adhæsisti; cum quo & sub quo diu Domino deservisti; Hunc, inquam, loco tui, vel ut te alteram in gremio suo consovet, & in adventu Domini, in voce Archangeli, & in tuba Dei descendentis de cœlo, tibi per ipsius gratiam restituendum reservat.

Matth. 11. 29.

De eodem Chronicon Cluniacensa, in Petro Venerabili: *Abaelardus*, inquit, *Petrus nomine, ab erroribus fidei per Venerabilem Petrum Abbatem nostrum & Sanctum Bernardum Abbatem Clarevallensem revocatur, qua antea de fide dogmatizaverat perfide* (supple, *abjurans*) *Monachus Cluniacensis factus est. Et deinde mens ejus, lingua ejus, opus ejus semper divina fuere.* Obiit anno 1142. undecimo Kalendas Maji, ætatis 63. Ejus corpus *Heloissæ* Abbatissæ a *Petro Venerabili* Abbate Cluniacensi concessum, ad Monasterium Paracletense delatum est. Misit ad eamdem Religiosam Heroinam Venerabilis Abbas Magistri *Petri* absolutionem, eim tumulo appendendam. Erat his verbis concepta: *Ego Petrus Cluniacensis Abbas, qui Petrum Abaelardum in monachum Cluniacensem recepi, & corpus ejus furtim delatum Heloissæ Abbatissæ & Monialibus Paracleti concessi, authoritate omnipotentis Dei & omnium Sanctorum, absolvo eum pro officio ab omnibus peccatis suis.* Absolutiones hujusmodi per modum suffragii Defunctis Fidelibus tribuebantur.

Misit etiam Epitaphium duplex, quo Magistri *Petri Abaelardi* ingenium, eruditio, pietas celebrantur.

PRIMUM EPITAPHIUM.

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, Logicis quicumque fuerunt,
Aut par, aut melior, studiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, subtilis & acer:
Omnia vi superans rationis, & arte loquendi,
Abaelardus erat: sed tunc magis omnia vicit,
Cum Cluniacensem Monachum, moremque professus,
Ad Christi veram transivit Philosophiam.
In qua longæva bene complens ultima vitæ,
Philosophis quandoque bonis se connumerandum
Spem dedit, undenas Majo revocante Kalendas.

EPITAPHIUM ALTERUM.

Petrus in hac petra latitat, quem mundus Homerum
Clamabat, sed jam sydera sydus habeat.
Sol erat hic Gallis, sed eum jam fata tulerunt;
Ergo caret regio Gallica Sole suo.
Ille sciens quidquid fuit ulli scibile, vicit
Artifices, artes absque docente docens.
Undecimæ Maji Petrum rapuere Kalendæ,
Privantes Logices atria Rege suo.
Est satis in tumulo; Petrus hic jacet Abaelardus,
Cui soli patuit scibile quidquid erat.

Abaelardi Opera.

Varia reliquit Opera, ex quibus extant Epistolæ variæ, Expositiones in Orationem Dominicam, in Symbolum Apostolorum, & in Symbolum *S. Athanasii*, Solutiones Problematum ab *Heloissa* propositorum, Commentariorum in Epistolam ad Romanos libri quinque, Sermones ad Virgines Paracletenses per totum annum legendi; *Introductionis ad Theologiam* libri tres, quorum postremus est imperfectus; Liber adversus Hæreses, quem tamen stylus negare videtur *Abaelardo*; & *Institutio* seu *Regula Sanctimonialium*, rogante *Heloissa* Virginibus Paracletensibus scripta. Edita sunt ab Illustri Viro *Francisco Amboesio*. In iis præter errores olim ipsi objectos & damnatos, Theologi Parisienses, quorum Censura in limine Operum est edita, nonnullos alios nævos notarunt: quos inter non minimus est, quod *Sancto Norberto* insultat in Sermone de *Sancto Joanne Baptista* quasi mortui suscitationem frustra tentasset, & ad excusationem populum objurgasset, quod infidelitate sua posuisset obicem miraculo. Non mirum quod *Norberto* adhuc vivente, adeoque ejus sanctitate nondum vindicata, id de ipso effutierit, quem suis erroribus adversum cum *S. Bernardo* fuerat expertus de quibus Epistola Historica de suis calamitatibus ad Amicum ita scripsit: *Priores Æmuli, cum per se jam minus valerent, quosdam adversum me novos Apostolos, quibus mundus plurimum credebat, excitaverunt. Quorum alter Regularium Canonicorum vitam, alter Monachorum se resuscitasse gloriabatur. Hi prædicando per mundum discurrentes, & me impudenter, quantum poterant, corrodentes, non modice tam Ecclesiasticis quibusdam, quam sæcularibus Potestatibus contemptibilem ad tempus effecerant, & de mea tam fide quam vita adeo sinistra disseminaverunt, ut ipsos quoque amicorum nostrorum præcipuos a me averterent; & qui adhuc pristini amoris erga me aliquid retinerent, hoc ipsi modis omnibus metu illorum dissimularent.* Sed hanc, aliasque vitæ prioris culpas, Scriptorumque nævos Pœnitentia eluit *Abaelardus*. In Cœnobio Parisiensi *S. Germani a Pratis* extat liber *Abaelardi*, qui vulgo, *Sic & Non* appellatur, cujus inscriptionem sic effert vetus Codex MS. *Incipiunt Sententiæ ex Divinis Scripturis collectæ, quæ contrariæ videntur; pro qua quidem contrarietate, hæc compilatio Sententiarum, Sic & Non appellatur.* Forte ad hunc librum respexit *S. Bernardus*, cum librum Sententiarum *Petri Abaelardi* citavit.

DIS-

DISSERTATIO VIII.

De Contentione inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Gallicanos Præsules exorta in Concilio Remensi, anno 1148. occasione Symboli contra GILBERTI PORRETANI Errores ab istis editi: In qua Episcoporum, & Romani Pontificis Jura in Judicio causarum Fidei explicantur.

Fidei Symbolum in Synodo Remensi contra *Gilberti Porretani* errores a Gallicanis Præsulibus editum diximus in Synopsi, Capitulo 11. Art. 10. Inde ortam contentionem Cardinales inter & Gallicanos Episcopos narrat *Otto Frisingensis* lib. 1. *De Gestis Friderici I.* cap. 57. his verbis: *Quod Gallicana Ecclesia factum tam graviter sacer Cardinalium Senatus accepit, ut cum magna mentis indignatione Curiam intraret, ac tamquam unum corpus effecti, una omnes voce Pontifici suo dicerent: Scire debes, quod a nobis quos tamquam per Cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, a privato universalis Pater effectus, jam deinceps te non tuum, sed nostrum potius esse oportere: nec privatas & modernas amicitias antiquis & communibus præponere, sed omnium utilitati consulere, Romanaque Curia culmen ex Officii tui necessitudine curare & observare debere. Sed quid fecit Abbas tuus,*

*S. Bernardus.

& cum eo Gallicana Ecclesia? Qua fronte, qua ausu cervicem contra Romanæ Sedis Primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola quæ claudit, & nemo aperit; aperit & nemo claudit. Ipsa sola de Fide Catholica discutere habens, a nullo, etiam absens, in hoc singulari honore pati præjudicium potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem nostram contemnentes, super Capitulis, quæ hic diebus nobis assidentibus agitata sunt, tamquam finitivæ Sententiæ ultimam manum apponendo, nobis inconsultis Fidem suam scribere præsumpserunt. Certe si in Oriente, utpote Alexandria vel Antiochia, coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra finiri valeret authoritate: Quin immo, juxta antiquorum Patrum statuta, vel exempla, Romano servaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia usurpare audent, quod etiam remotioribus & majoribus non licet? Volumus igitur huic tam temerariæ novitati celeriter assurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas. Quos Romanus Pontifex blando mitigans eloquio, Abbate ad se vocato, de facto, qualitateve facti solerter inquirit. Cui ille humiliter & cum reverentia respondit; Se vel Dominos Episcopos nihil de præfatis Capitulis definisse; sed quia ab Episcopo Pictavino audierat ut Fides sua scriberetur: idcirco quia solus nollet, illorum authoritate ac testimonio simpliciter se quod sentiret exposuisse. Hacque tam humili quam modesta ipsius responsa prædicta Cardinalium indignatio conquievit: Ita tamen ut præfatum Scriptum, tamquam inconsulta Curia prolatum, velut authoritatis pondere carens, pro Symbolo in Ecclesia, quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.

Non est privatarum Ecclesiarum, Symbolum condere universæ Ecclesiæ proponendum.

II. Ex hoc facto quidam perperam colligunt, causarum Fidei Judicia non ad Episcopos quoslibet, sed ad unum Romanum Pontificem cum Collegio Dominorum Cardinalium pertinere. At id ex ista Cardinalium expostulatione nequaquam consequens est, sed solum quod finitivam sententiam in causis Fidei dicere, Juris sit Romani Pontificis: Nec Fidei Symbolum Ecclesiæ proponendum universæ Episcopis edere liceat, S. R. E. Cardinalibus & Summo Pontifice inconsultis, maxime in Synodo, cui adsunt. At Episcopi Gallicani *Eugenio III.* Pontifici Maximo & S. R. E. Cardinalibus præsentibus, Fidei Formulam sive Symbolum edidisse iisdem inconsultis videbantur. Unde non absque ratione aliqua adversus ipsos expostularunt Cardinales. Qui tamen statim acquieverunt, cum audivere, non eo fine conditum esse Symbolum hujusmodi a Præsulibus Gallicanis, ut toti proponeretur Ecclesiæ, verum ut *Gilberto Porretano* roganti Fidem suam consignarent. Id *Eugenio III.* significat *S. Bernardus*, teste *Ottone Frisingensi*, ejusque responso Cardinalium indignatio conquievit: *Ita tamen ut præfatum Scriptum, tamquam inconsulta Curia prolatum, velut authoritatis pondere carens, pro Symbolo in Ecclesia, quod in Conciliis contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur.* Juris enimvero Ecclesiarum privatarum non est Fidei Formulam aut Symbolum condere, quod Fidelibus universis proponatur, absque conscientia & authoritate Romani Pontificis, cujus est Fidei controversias finire, & generalia Decreta cum de Fide, tum de Christiana morum disciplina Ecclesiis condere. Dubia namque circa Fidem & Disciplinam emergentia, inter majores & difficiliores causas censentur, quas Romano Pontifici beata consuetudo servavit. Siquidem, ut præclare disseruit *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæst. I. Art X. *Nova editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo authoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus authoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt Fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur; ut dicitur in Decretalibus, Extra, De Baptismo, Cap. Majores. Unde & Dominus Lucæ XXII. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit.* „ Ego pro te rogavi, Petre, ut non „ deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, con- „ firma fratres tuos. *Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud 1. Corinth. 1.* Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata. *Quod servari non posset, nisi quæstio de Fide exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam authoritatem Romani Pontificis* (non exclusa tamen Concilii Generalis divina supremaque authoritate) *pertinet nova editio Symboli; sicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum Generalem, & alia hujusmodi.*

Nova editio Symboli, jus est Romani Pontificis, non exclusa Concilio Generali.

III. Dixi, non exclusa Concilii Generalis divina supremaque authoritate: I. Quia Christus Ecclesiæ suæ, quam Generale Concilium repræsentat, authoritatem dedit finiendi controversias Fidei, ac indeficientis judicii privilegium ipsi contulit, ut Scriptura Sacra docet, Matthæi 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matthæi 18. *Dic Ecclesiæ; Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Joannis 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* 1. ad Timotheum 3. *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Actuum 15. *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Quæ Ecclesiæ indeficientia, dogma fidei est. II. Quia authoritatem finiendi controversias fidei, ligandi & solvendi, oves pascendi, Christus *S. Petro* tribuit, quatenus Ecclesiæ personam gerebat; adeoque non soli Petro, sed Ecclesiæ hanc potestatem contulit. *S. Augustini* principium est variis in locis, & præsertim Sermone 108. de diversis. *Pene ubique*, inquit, *solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam: Propter ipsam personam quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit:* Tibi dabo claves Regni cœlorum. HAS ENIM CLAVES NON HOMO UNUS, SED UNITAS ACCEPIT ECCLESIÆ. *Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est:* Tibi trado *quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves Regni cœlorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis,* „ Accipite Spiritum Sanctum. *Et continuo:* Si cui dimi- „ seritis peccata, dimittentur ei, si cujus tenueritis, „ tenebuntur. *Hoc ad claves pertinet, de quibus di-* „ *ctum est:* Quæ solveritis in terra, soluta erunt in „ cœlo; & quæ ligaveritis in terra, ligata erunt in „ cœlo. *Sed hoc Petro dixit, ut scias quia Petrus universæ Ecclesiæ personam tunc gerebat*, &c. *Columba ligat, columba solvit*, &c. *Merito etiam post Resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas: Non enim inter Discipulos solus meruit pascere Dominicas oves: sed quando Christus ad unum*

loqui-

loquitur, unitas commendatur, & Petro primitus, quia in Apostolis Petrus est primus. III. Quia S. *Leo Magnus* Summi Pontificis Decreta, fidem etiam spectantia universalis Synodi assensu confirmari docet, ad *Theodoretum* scribens Epistola 75. sive 93. edit. Quenellii. *Quotiescumque*, inquit, *divina gratia administrante, illos, qui foris sunt, sonte doctrina aut submergimus, aut purgamus, in nullo ab illis, quae Spiritus Sancti divinitas in Chalcedonensi Concilio protulit, fidei regulis recedentes inter utrumque hostem novellae perfidiae sermonem nostrum cum omni cautelo libremus: non jam quod absit, tamquam de dubiis disceptantes, sed authoritate summa, quae bene definita sunt, adstruentes*; Cum ET IN APOSTOLICÆ SEDIS EPISTOLA UNIVERSALIS SANCTÆ SYNODI ASSENSU FIRMATA, *tanta divinae authoritatis testimonia noverimus esse congesta, ut nullas queat ulterius dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit*, &c. IV. Quia Constantiensis Sessione IV. & Basileensis Sessione 3. Œcumenicarum Synodorum Decretis, a *Martino V. & Eugenio IV.* Summis Pontificibus confirmatis, divina illa supremaque Conciliorum Generalium in finiendis fidei controversiis, aliisque causis Ecclesiasticis authoritas asseritur & confirmatur. V. Quia S. *Thomae* in ipso quem laudavi, Articulo, Concilii Generalis authoritati non derogat, sed Pontificiam eum ipsa conjungit; ut ex Argumento praeliminari, & ex responsione ad secundum compertum est. *Sed contra est* (inquit) *quod editio Symboli facta est in Synodo Generali. Sed hujusmodi Synodus authoritate solius Summi Pontificis potest congregari, ut habetur in Decretis Dist. 17. Ergo editio Symboli ad authoritatem Summi Pontificis pertinet*. Et in Responsione ad secundam objectionem, *dicendum*, inquit, *quod prohibitio & sententia Synodi* (Ephesinae de alio Symbolo non edendo) *se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per hujusmodi sententiam Synodi Generalis, ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem Symboli facere; non quidem aliam fidem continentem, sed eamdem magis expositam. Sic enim quaelibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id quod praecedens Synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus haeresis insurgentis.* *UNDE PERTINET AD SUMMUM PONTIFICEM CUJUS AUTHORITATE SYNODUS CONGREGATUR, ET EJUS SENTENTIA CONFIRMATUR*.

Summi Pontificis in Concilio Generali authoritas.

Ex quibus Angelici Doctoris verbis perspicuum est, ipsum novi Symboli editionem *ad solam authoritatem Summi Pontificis pertinere*, dixisse, non excludendo Synodum Œcumenicam; non excludendo etiam *Divinam Episcoporum Authoritatem*, de controversiis fidei in Synodis judicantium: sed Authoritatem utramque conjungendo, Summi Pontificis, & Synodi, quam Summus Pontifex congregat, & authoritate sua confirmat?

Juris est Episcoporum de causis Fidei judicare.

IV. Hoc unum etiam voluere S. R. E. Cardinales in Concilio Remensi, cum dixere; *Sedem Romanam solam de Fide Catholica discutere habere*. Sed non sunt inficiati, juris esse Episcoporum, cognoscere fidei causas, ac de iis Judicium ferre: siquidem eum ob finem ipsos ad Synodum Remensem *Eugenius III.* convocaverat. Sic *Petri Abaelardi* errores in Concilio primum Suessionensi anno 1121. & Senonensi anno 1140. ab Episcopis Gallicanis fuerant damnati: Quibus ob hujusmodi damnationem *Innocentius II.* gratulatus est. Ad quem scribens *Sanctus Bernardus* ait, *Esse ministerii Episcoporum de dogmatibus judicare*. Sic *Berengarii* haeresis in Concilio Parisiensi anno 1050. & Turonensi anno 1055. ab ejusdem Ecclesiae Gallicanae Praesulibus proscripta. Sic *Gotescalchi* errores in Synodo apud *Carisiacum* anno 853. quatuor celeberrimis Capitulis confixerunt. Praedamnatus fuerat gyrovagus ille monachus in Synodo altera ibidem celebrata anno 849. & in Moguntina anno superiori. Sic *Elipandi & Felicis*, haeresim damnaverat Synodus Francofordiensis anno 794. Sic de processione Spiritus Sancti a Filio statuerat Synodus Gentiliacensis anno 767. Ita S. *Gregorius Magnus* ad *Virgilium* Arelatensem Archiepiscopum scripserat lib. 9. Epist. 49. ut ad Simoniacam haeresim damnandam & extirpandam, Synodum congregaret: *Quatenus* (inquit) *melius ab omnibus caveatur quod authore Deo, omnium fuerit constitutione damnatum*. Ita Monothelitarum haeresim damnarunt a S. *Martino I.* Pontifice Maximo admoniti Gallicani Praesules. Data quippe ad S. *Amandum* Trajectensem Episcopum Epistola, jusserat ipsos convenire, ut abominandam haeresim pariter confligerent, consensu suo confirmantes latam a Romana Synodo & ab ipso Pontifice sententiam. *Confirmantes* (inquit) *atque consentientes eis quae pro Orthodoxa Fide, & destructione haereticorum, vesania nuper exorta a nobis statuta sunt*. Ita Semipelagianorum errorem in Concilio II. Arausicano damnaverant anno 529. necnon in Valentino; & eorum Definitiones *Bonifacius II.* Pontifex Maximus approbaverat, data ad S. *Caesarium* Epistola. *Quod etiam*, (inquit) *Fraternitatem tuam, habita collatione cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum, juxta Fidem gaudemus sensisse Catholicam, in his scilicet, in quibus uno consensu definierunt, Fidem qua in Christo credimus, gratia Divinitatis praeveniente conferri*. Ita Praedestinatianam haeresim confoderant in Concilio Arelatensi anno 475. Ita S. *Leo* Gallicanorum Praesulum rogavit sententiam de celebri illa sua ad S. *Flavianum* Epistola contra *Eutychetem* scripta, eosque etiam Judices in Fidei causa agnovit, Epistola 52. vel 77. secundum editionem Quenellii. *Optassemus*, inquit, *Fraternitatis vestrae literas, eo tempore quo promiseratis, accipere, ut profecturis ad Orientem Fratribus nostris, quos ad Sanctam Synodum, vice nostra pro Catholicae Fidei defensione direximus, etiam vestra sententia Professio jungeretur*, &c. Sic Italiae Episcopi, S. *Leonis* Epistolam a Gallis nostris mutuati, postquam ipsam pariter ad Traditionem examinarunt, ipsi cum veneratione subscripsere, & haeresim habita Synodo confixere, ut constat ex Epistola *Eusebii* Mediolanensis Archiepiscopi ad eumdem S. Pontificem data. *Et quia*, inquit, *omnia Majorum Fidei nobis antiquitus tradita tota puritate convenuunt, placuit omnibus quorum subscriptio subter annexa nomina poterit declarare; eos qui impie de Incarnationis Dominicae Sacramento sentiunt..... suo etiam consensu, authoritatis vestrae praecedente Sententia, damnatione congrua persequendos*. Ita Priscillianistarum causam in Concilio Burdegalensi Gallicani Praesules judicarunt anno 385. quorum nimiam facilitatem arguit *Severus Sulpitius*, quod Priscillianum ad Principis Tribunal appellantem dimisissent; *Quia* (inquit) *aut Sententiam inrefragantem ferre debuerant, aut si ipsi suspecti habebantur, aliis Episcopis audientiam reservare, non causam Imperatori permittere*. Ita missam in Gallias *Potamii & Osii* blasphemiam seu Sirmiensem infidelis Fidei impietatem, non solum non suscepit, sed nunciatam etiam significatamque damnavit Ecclesia Gallicana, teste S. *Hilario* in lib. *De Synodis*. Ita plerique ejusdem Ecclesiae Episcopi contra Montanistas Judicium tulere, anno circiter 177. ut refert *Eusebius*, lib. 5. *Historiae Ecclesiasticae*, cap. 3.

Episcopi, etiam extra Concilia Generalia, causarum fidei jure divino Judices.

V. Nec in Gallicana tantum, sed in aliis pariter Ecclesiis, Episcopi, etiam extra Concilia Œcumenica, quibus hac formula subscribunt: *Ego N. Definiens*; vel, *Judicans subscripsi*, causas Fidei, cognoverunt & judicarunt. Sic Eutychiana haeresis a *Flaviano* & Coepiscopis in Concilio Constantinopolitano damnata. Sic Pelagiana in Synodis Palaestina & Africanis, in quibus *Innocentius I.* authoritatem judicandi de fidei controversiis agnovit, finitivam dumtaxat Sedi Apostolicae servans Sententiam, post Synodorum Relationem. His quippe verbis ad Patres Concilii Carthaginensis scribit Epistola 24. *Inquirendo de his rebus, quas omni cum solicitudine decet a Sacerdotibus, maxime a vero justoque & Catholico tractari Concilio, antiquae traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticae memores Disciplinae vestrae Religionis vigorem non minus nunc in consulendo*, QUAM ANTEA CUM PRONUNTIARETIS, *vera ratione firmatis qui ad nostrum referendum approbastis esse Judicium, scientes quid Apostolicae Sedi debeatur, a qua ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis hujus emersit. Quam sequentes, tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id*

Finitivum causarum fidei judicium ad Sedem Apostolicum pertinet.

vero quod Patrum Instituta Sacerdotali officio custodientes; non censetis esse calcanda: Quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis, remotisque Provinciis ageretur, NON PRIUS DUCERENT FINIENDUM, NISI AD HUJUS SEDIS NOTITIAM PERVENIRET, UT TOTA HUJUS AUTHORITATE, JUSTA QUÆ FUERIT, PRONUNTIATIO FIRMARETUR: *Indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ [velut de natali suo fonte aquæ cuncta procederent, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorrupta manerent] quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cæno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret.*

Ita *Siricius* cum Synodi Capuensis Patres, tum Episcopos ab ea deputatos, in causa *Bonosi* Judices agnovit, Epistola ad *Anysium*, & cæteros Illyrici Episcopos. *Accepi*, inquit, *literas vestras de Bonoso, quibus vel pro veritate, vel pro modestia, nostrum sententiam sciscitari voluistis. Sed cum hujusmodi fuerit Concilii Capuensis Judicium, ut finitimi Bonoso atque Accusatoribus ejus Judices tribuerentur, & præcipue Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent, advertimus quod nobis judicandi forma competere non possit. Nam si integra esset hodie Synodus, recte de iis quæ comprehendis vestrorum Scriptorum serie, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis Judicium, Sententiam ferre de omnibus nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus ejus, vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cum Bonosus Episcopus post Judicium vestrum misisset ad Fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi; responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modeste, patienter, ordine gerenda; neque contra Sententiam tentatum aliquid; ut quod videretur vobis Justitiæ convenire; statueretis, quibus hanc Synodus dederat authoritatem. Ideo primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis: Nos quasi ex Synodi authoritate judicare non convenit.*

Sic *Eustathii* prava dogmata in Gangreosi Concilio; Sic Ariana perfidia in Alexandrino; sic *Pauli Samosateni* impietas in Antiocheno proscripta est. Ita quæstionem de Baptismate Hæreticorum *S. Cyprianus* cum Episcopis Africanis; *Firmilianus* cum Episcopis Cappadociæ, vicinarumque Provinciarum, agitarunt: quibus etsi Romani merito errorem objecerint, numquam tamen incompetentiam. Quid de omnibus pene antiquis hæresibus dicam, quæ ab Episcopis damnatæ sunt in illis Provinciis in quibus ortæ erant? Tandem Apostolorum Successores Episcopos esse, Catholicorum nemo dubitaverit. Illi vero controversiam de Legalibus exortam cum *S. Petro* judicarunt. *Ego judico* (inquit) S. Jacobus *non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Visum est Spiritui Sancto & nobis* (inquiunt

Act. 15.

Apostoli) *nihil ulterius imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Quæ potestas Jure divino Apostolis & Episcopis, qui ipsis succedunt, competit, & missionis divinæ privilegio, Christo Domino dicente: "*Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Quamobrem *Gelasius II.* Episcopos a Deo Judices omnium causarum Ecclesiasticarum constitutos esse professus est in Epistola ad Gallos. *De controversia*, inquit, *quæ inter Ecclesiam & Regnum est, vel conventioni, vel justitiæ libenter acquiescimus,* FRATRUM NOSTRORUM JUDICIO, QUI A DEO SUNT JUDICES IN ECCLESIA CONSTITUTI, *& sine quibus hæc causa tractari non potest.*

Joann. 29.

Episcopi judices a Deo in Ecclesia constituti.

VI. In eadem postea sententia fuit *Alexander III.* ad quem cum relatum esset, *Petrum Lombardum*, quondam Episcopum Parisiensem, Magistrum Sententiarum nuncupatum, in quibusdam scriptis suis errores contra fidem adstruxisse, & inter alios, *Quod Christus, secundum quod homo, non est aliquid*: ad *Willelmum* Senonensem Archiepiscopum Literas dedit, ut suæ Provinciæ Episcopis, aliisque Viris Religiosis Parisios congregatis, hunc errorem in Synodo damnaret, ac in Scholis Theologicis doceri prohiberet. Epistolæ verba subjicio. *Cum in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viva voce injunximus, ut suffraganeis tuis Parisius tibi adscitis, abrogationem pravæ doctrinæ Petri quondam Parisiensis Episcopi, qua dicitur, Quod Christus, secundum quod est homo, non est aliquid, omnino intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est quod Fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus, quod tibi, cum præsens esses, præcepimus, Suffraganeos tuos Parisios convocare, & una cum illis, & aliis Viris Religiosis & prudentibus, præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare: & a Magistris Scholaribus ibidem in Theologia studentibus, Christum, sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, ex anima & corpore consistentem, præcipias edoceri: Universis firmiter & districte injungens, quod doctrinam illam de cætero nunquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur.* Hanc Epistolam e Concilio Lateranensi III. datam significat *Matthæus Paris*, ad annum 1179. Verum emendanda est ejus Chronologia. Siquidem Concilii Lateranensis tempore, non *Willelmus*, sed *Guido* Senonensis Ecclesiæ Sacris præerat. Jam enim ad Archiepiscopatum Remensem migraverat *Willelmus* ab anno 1175. ut constat ex Chronico *Alberici*. Porro in Epistola *Alexandri III.* duo sunt observatione digna: Primum, quod Pontifex Metropolitanorum authoritatem in suis Provinciis sartam tectam esse voluerit, primamque causarum Ecclesiasticarum cognitionem ad ipsos deferri. Secundo, quod Archiepiscopos ac Episcopos controversiarum fidei Jure Divino Judices agnoverit in Synodis Provinciarum suarum; quamvis ad Sedem Apostolicam de his referre debeant, cujus demum judicio finiuntur.

VII. Quæ cum ita sint, evidens est falso ac perperam quosdam ex facto & expostulatione DD. Cardinalium adversus Gallicanos Præsules in Synodo Remensi adversus *Gilbertum Porretanum* congregata, colligere, Judicium controversiarum fidei ad Episcopos non pertinere, sed ad unum Romanum Pontificem. Ad hunc tamen spectat confirmatio Judicii ab Episcopis lati; ad quem proinde hujusmodi causas referre debent. Ejusque est Fidei Formulam Christianis universis proponere, & finitivam ferre sententiam, cui parere omnia Catholicæ Ecclesiæ membra teneantur, & certo persuasum habere, ejus Decretis & Constitutionibus, de his quæ ad fidem pertinent, seu quæ ad salutem æternam necessaria sunt, EX CATHEDRA editis, id est ACCEDENTE ECCLESIÆ CONSENSU firmatis, nullum errorem subesse posse, cum Ecclesiam indeficientis Judicii privilegio a Christo donatam fides doceat. Hæc *S. Thomæ* doctrina est Quodlibeto IX. Articulo XVI. *Dico ergo*, inquit, *quod Judicium eorum, qui præsunt Ecclesiæ, potest errare in quibusdam, si personæ eorum tantum respiciantur: tamen si consideretur divina providentia quæ Ecclesiam suum Spiritu Sancto dirigit, ut non erret, sicut promisit Joannis XIV. quod* Spiritus adveniens docebit omnem veritatem, *de necessariis scilicet ad salutem*: CERTUM EST QUOD JUDICIUM ECCLESIÆ UNIVERSALIS ERRARE, IN HIS QUÆ AD FIDEM PERTINENT, IMPOSSIBILE EST. *Unde magis standum est sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de Fide, quam in Judicio profert* (secundum Traditionem scilicet Ecclesiæ Romanæ, Cui Apostoli *Petrus* & *Paulus* totam doctrinam Fidei cum sanguine profuderunt; secundum quam ipsum judicasse, accedens Ecclesiæ consensus testatur ac manifeste probat) *quam quorumlibet Sapientum Hominum in Scripturis opinioni.*

Confirmatio judicii in causis fidei ab Episcopis lati pertinet ad Romanum Pontificem.

Ejus Definitioni ex Cathedra *editæ nullus error subesse potest.*

VIII. Id verbis pariter & exemplis docuere homines sanctissimi & Scripturarum Sacrarum sapientia spectatissimi. *S. Hieronymus* ex Oriente ad *Damasum* Papam scribens Epistola 57. *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frustra discerpit: & Christi vineam exterminant vulpes: ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: Ideo mihi Cathedram Petri, & Fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam; in-*

de

de nunc anima mea postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Profligato a sobole mala patrimonio, APUD VOS SOLOS INCORRUPTA PATRUM SERVATUR HEREDITAS. *Ibi caespite terra foecundo, Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta sulcis frumenta in lolium avenasque degenerant. Nunc in Occidente Sol justitiae oritur: in Oriente autem Lucifer ille qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terrae, vos aurea vasa & argentea: hic testacea vasa vel lignea, virgam ferream, & aeternum opperiuntur incendium.... Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri, Communione consocior: super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio..... Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio..... Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur authoritas...... Simul etiam cui apud Antiochiam debeam communicare, significes.*

IX. S. *Augustinus* lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum, his verbis compellat *Bonifacium I.* Pontificem Maximum, cui opus illud suum nuncupat: *Haec ergo, quae istis duabus Epistolis illorum, ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere Sanctitatem, non tam discenda, quam examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui.*

S. *Anselmus* Cantuariensis Archiepiscopus, in Epistola nuncupatoria libri *De Fide Trinitatis & De Incarnatione Verbi*, ad *Urbanum II.* Pontificem Maximum: *Quoniam divina providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia; ut ejus authoritate corrigatur: nec ulli alii tutius, si quid contra errorem respondetur, ostenditur; ut ejus prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli dignius possum; ita nulli libentius praesentem Epistolam, quam vestrae destino Sapientiae: quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur; & quod regulam veritatis tenet, vestra authoritate roboretur.*

S. *Thomas* in Epistola Dedicatoria Catenae *Aureae* ad *Urbanum IV.* Pontificem Maximum: *Suscipiat Vestra Sanctitas praesens Opus, vestro discutiendum corrigendumque Judicio, vestrae solicitudinis & obedientiae meae fructum, ut dum a vobis emanavit praeceptum, & vobis reservetur finale Judicium, ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur.*

XII. Prioris loci Sententiae consectanea sunt quae docet idem Scholarum Theologicarum Angelus Secunda Secundae, Quaest. 11. Articulo 6. in Responsione ad tertiam objectionem. *Dicendum*, inquit, *quod minores non habeant fidem implicitam in fide majorum, nisi quatenus majores adhaerent doctrinae divinae.... Unde humana cognitio non fit Regula Fidei, sed veritas divina: a qua si aliqui majorum deficiant, non praejudicant fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt: nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhaereant, contra Universalis Ecclesiae fidem, quae non potest deficere, Domino dicente, Lucae 22. EGO PRO TE ROGAVI, PETRE, UT NON DEFICIAT FIDES TUA.* Haec S. *Thomae*. Observatione dignum est, istud Christi Domini Oraculum, non de fide *Petri*, quatenus singularis persona est, sed de Fide universalis Ecclesiae ab Angelico Doctore explicari.

Et Quaestione 11. Articulo 2. in Responsione ad tertiam objectionem. *Sic ergo*, inquit, *aliqui Doctores videntur dissensisse, vel circa ea quorum nihil est ad fidem, utrum sic vel aliter teneantur; vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quae nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent authoritate Universalis Ecclesiae determinata, si quis tali Ordinationi pertinaciter repugnaret, Haereticus censeretur. Quae quidem authoritas principaliter residet in summo Pontifice. Dicitur enim Causa 24. Quaest. 1. QUOTIES fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres nostros & Coepiscopos, non nisi ad Petrum, id est, ad sui nominis & honoris authorem referre debere.* Quae verba sunt *Innocentii I.* in Epistola ad Synodum Milevitanam. Illos demum Haereticos habet *S. Thomas*, qui dogmatibus universalis Ecclesiae authoritate determinatis pertinaciter repugnant. Id a *S. Augustino* didicerat, qui *S. Cypriani*, & Coepiscoporum Africanorum errorem de iterando eorum baptismate qui ab Haereticis baptizati essent, venialem fuisse docet, quantumvis *Stephanus I.* Pontifex Maximus nihil innovandum judicasset, sed illud dumtaxat sequendum quod traditum erat, ut redeuntibus ab haeresi manus imponeretur in Poenitentiam: quia nondum universalis Ecclesiae consensu haec finita erat controversia, & eliquata veritas. Lib. 1. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. 18. *Restat*, inquit, *ut hoc de Baptismo pie credamus, quod universa Ecclesia a sacrilegio Schismatis remota custodit. In qua tamen, si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista quaestione salva pace sentirent, donec Universali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanae infirmitatis errorem cooperiret Caritas unitatis, sicut scriptum est, quia Caritas cooperit multitudinem peccatorum. Quia enim absente extera inaniter habeatur, eadem praesente quaedam venialiter non habentur. Extant B. Martyris Cypriani in ejus Literis magna documenta, ut ad illum jam veniam, de cujus sibi authoritate isti carnaliter blandiuntur, cum ejus Charitate spiritualiter perimuntur. Nam illis temporibus, antequam Plenarii Concilii Sententia, quid in hac re sentiendum esset, totius Ecclesiae consensio confirmasset, visum est ei cum ferme 80. Coepiscopis suis Africanarum Ecclesiarum, Omnem hominem qui extra Ecclesiae Catholicae Communionem baptizatus fuisset, oportere ad Ecclesiam venientem denuo baptizari.*

Illud etiam ponderandum est quod ait S. Thomas: *Quae quidem authoritas principaliter residet in Summo Pontifice*. Principaliter, inquit, non totaliter. Principaliter, quia nobilius Ecclesiae membrum est; & ministeriale caput; praerogativam habet suffragii in Conciliis Oecumenicis, quae illius authoritate congregantur, & ejus Sententia confirmantur, ut docet idem *S. Thomas*, & sic finitiva de controversiis fidei Sententia ad ipsum pertinet. Non totaliter, quia in caeteris etiam Episcopis, & in Synodo Oecumenica residet divina illa authoritas. Sic anima principaliter in corde vel in cerebro residet, non totaliter; quia per totum corpus, membraque omnia vis ejus informatrix, quae ipsa est animae substantia, diffunditur: Sic in Monarchiis quibusdam Aristocratia temperatis, regiminis authoritas principaliter in Rege residet, non totaliter; quia Regni etiam Ordinibus & Comitiis convenit. Sic authoritas dirimendi controversias fidei, in Romano Pontifice principaliter; in Ecclesia Universali, & Synodo Oecumenica ipsam repraesentante, totaliter residet; sicut Episcopatus apex, potestatis plenitudo & Apostolicus Principatus Romano Pontifici convenit; sed ab ipso totaliter non habetur Episcopatus; alioqui nullus alius Episcopus esset. Enimvero *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur* [inquit *S. Cyprianus* Lib. *De Unitate Ecclesiae*.]

Authoritas dirimendi controversias fidei in Romano Pontifice principaliter residet.

XIV. Laudatis *S. Thomae* locis alterum addo ex Quaestione 25. Supplementi, Articulo 1. in Argumento, sed contra. *Praeterea*, inquit, UNIVERSALIS ECCLESIA NON POTEST ERRARE; *quia qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dixit* PETRO, *super cujus Confessione Ecclesia fundata est:* EGO ROGAVI PRO TE, UT NON DEFICIAT FIDES TUA. *Sed Ecclesia universalis Indulgentias approbat & facit. Ergo Indulgentiae aliquid valent.* Attribuit rursus universali Ecclesiae, non singularibus *S. Petri*, aut Successorum personis tribuit *S. Thomas*; nec aliud ibi colligit ex illis Christi Domini verbis: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Alibi tamen, scilicet Commentario in Cap. 16. *S. Matthaei*, illa pertinere asserit ad Ecclesiam Romanam, ad fidem *S. Petri*, & ad totam Ecclesiam Occidentalem. Explicat Christi verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praevalebunt adversus eam*, aitque: *Et qui sunt portae inferi? Haeretici, tyranni, daemones*

Universalis Ecclesiae judicium indeficiens.

Habetur in editis vituperari; sed mendum esse nemo non videt.

nes, peccata. Et quamvis alia Ecclesia vitiari possit *per Hereticos; Ecclesia tamen Romana non fuit Hereticis depravata, quia supra Petrum erat fundata. Unde in Constantinopoli fuerunt Heretici, & labor Apostolorum amissus erat: Sola Petri Ecclesia inviolata permansit. Unde Luca* 22. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua. ET HOC NON SOLUM REFERTUR AD ECCLESIAM PETRI, SED AD FIDEM PETRI, ET AD TOTAM OCCIDENTALEM ECCLESIAM. *Unde credo quod Occidentales majorem reverentiam debent Petro, quam aliis Apostolis.*

Romanæ Ecclesiæ fides deficere non potest.

Sane deficere non posse Romanæ Ecclesiæ Fidem, *quæ annuntiatur in universo mundo*, in quo *etsi loquelæ dissimiles sunt*, tamen *virtus traditionis una & eadem est*, ut ait *S. Irenæus* lib. 1. c. 3. Illam Fidem quam *S. Petrus* confessus est: quam Apostoli Romanæ Ecclesiæ cum sanguine profuderunt, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit, ut loquitur *Tertullianus*. Eam Fidem, quæ tam integra, tam illibata ad hanc usque diem in Ecclesia Romana servata est, ut etiamnum vera siut, & perpetuæ veritatis futura, quæ scripsit *S. Irenæus* lib. 3. c. 3. *Maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem Principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique Fideles; in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis Traditio.* Hanc fidem Ecclesiæ Romanæ, quatenus per *B. Petri* Sedem caput orbis effecta est, ut ait *S. Leo* & *OMNIUM ECCLESIARUM MATER ET MAGISTRA* evasit, ut loquuntur Concilia Œcumenica. Fidem illam, cujus professione CATHOLICI ROMANI dicimur & sumus: de qua Sacra Synodus Tridentina Sessione III. hoc Oraculum protulit: *Symbolum Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, tamquam principium illud in quo omnes qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ inferi numquam prævalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit*: Hanc, inquam, Fidem deficere non posse, non unus censuit *S. Thomas*, sed 11. & 12. sæculi, quorum tractamus Historiam, Doctores affirmarunt. Ex quorum etiam doctrina colligitur, authoritatem finiendi controversias fidei ad Romanam Ecclesiam & Summum Pontificem pertinere.

Apostolica Traditio in Romana Ecclesia semper conservata.

Authoritas finiendi controversias fidei ad Ecclesiam Romanam & summum Pontificem pertinet.

Romana Ecclesia est quasi totum omnium Ecclesiarum.

XV. *Lanfrancus* Cantuariensis Archiepiscopus, de Ecclesiæ suæ Primatu contra Eboracensem Archiepiscopum disputans in Synodo an. 1072. „ Romana, *inquit*, Ecclesia quasi totum est omnium, cæteræ Ecclesiæ quasi ejus partes. Sicut enim quodam intuitu homo est genus individuorum suorum, & tamen in unoquoque individuo inest totius hominis tota proprietas: in quodam respectu Sedes Romana est genus, & totum omnium Ecclesiarum: & tamen in unaquaque Ecclesia totius Christianæ Fidei tota regnat integritas. *Refert* Willelmus Malmesburiensis *lib.* 1. De gestis Pontificum Anglorum.

Omnes causæ fidei ad Romanum Pontificem referendæ.

XVI. *S. Bernardus* scribens ad *Innocentium II.* Pontificem Maximum occasione errorum *Petri Abaelardi* in Synodo Senonensi damnatorum: „ Oportet [*inquit*] ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi resarciri damna Fidei, ubi non possit Fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua*? Ergo quod sequitur a Petri Successore exigitur: *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*. Id quidem modo necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscatis, Pater amantissime, Principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra authoritate conteritis fidei corruptores.

Totus orbis est Romani Pontificis Diœcesis.

Venerabilis *Guigo* Chartusiæ Majoris Prior suo & Fratrum nomine ad *Innocentium II.* scribebat: „ Non pars una, sed totus pene orbis est vestra Diœcesis. Nam sicut Deus est unus, Mediator unus, Mundus unus, Sol unus, & ut minora inferamus, in animalibus cunctis caput unum; ita B. Petri Vicarius, id est, Papa, non potest esse nisi unus. Universo itaque mundo rigorem disciplinæ, rectitudinem justitiæ, lumen doctrinæ, & ipsis, quam nomine quoque præfertis, irreprehensibilis debetis exemplar innocentiæ „. Refertur hæc Epistola in Chronico Mauriniacensi. Porro si totus orbis Christianus Romani Pontificis Diœcesis est, si universo mundo lumen doctrinæ debet; Episcopi & Synodi regionum Symbolum Fidei condere, & Christianis omnibus proponere non possunt absque Summi Pontificis & Romanæ Ecclesiæ authoritate. Quamobrem, ut superius diximus, S. R. E. Cardinales non ideo Gallicanis Episcopis succensebant, quod de fidei controversiis judicassent (id enim ipsorum juris erat) sed quod Symbolum inconsulto Romano Pontifice, & ipsius Cardinalibus Synodo præsentibus, seorsim congregati condidissent, atque ita officio erga communem *Matrem & Magistram* suo defuisse viderentur.

Romanæ Ecclesiæ documenta & judicia in confirmatione fidei suscipienda.

XVIII. Eodem sæculo *Potho* Prumiensis Monachus & Presbyter lib. 3. *De statu domus Dei*, docet Romanæ Ecclesiæ & Summi Pontificis documenta in confirmatione Fidei eruditione Sacræ Religionis esse amplectenda, secundum Traditionem Patrum: & majora negotia, inter quæ controversiæ Fidei, & ordinatio Symboli, principem locum tenent, ad Sedem Apostolicam esse referenda. „ Ecclesiasticæ, *inquit*, Disciplinæ instrumentum, est canonicæ authoritatis Privilegium, quod in Apostolica Sede fundatur, ubi divinæ voluntatis institutio omnibus principaliter Ecclesiæ Prælatis, eorumque subditis traditur, ubi firmamentum dispensationis Ecclesiæ specialiter collocatur. Hoc namque Privilegium B. Petro Apostolorum Principi cœlesti decreto principaliter traditum atque firmatum, Sancti Patres cum magna veneratione suscipientes atque Sanctam Romanam Ecclesiam servantes, tam in Generalibus Conciliis, quam & in cæteris scripturis & gestis suis, Universalem Matrem appellaverunt; & sicut ejus documenta in confirmatione Fidei, & eruditione Sacræ Religionis, ita etiam Judicia susceperunt, in hoc consentientes & quasi uno spiritu & una voce concordantes, omnes majores res & præcipua negotia, nec non omnium Ecclesiarum Judicia, ad eam quasi ad Matrem & Caput referri debere, ab ea nusquam appellari; Judicia ejus a nemine retractari aut refelli debere vel posse.

Judicia ejus a nemine retractanda.

Judicia quæstionum fidei majorumque omnium causarum nullius sunt roboris, si præter sententiam Romani Pontificis præsumantur.

XIX. *Anselmus* Havelburgensis Episcopus *S. Bernardo* coævus, in Dialogis Eugenio III. dicatis anno 1145. lib. 3. cap. 9. „ Ecclesiastica, *inquit*, Regula jubet nullum ea debere habere vigorem quæ præter Romani Pontificis sententiam præsumuntur, & quæ ab eo Apostolica authoritate ac subscriptione non firmantur.

Et *Cap.* 10. „ Dominus Jesus, non Andreæ, non Joannis, non Jacobi, nec alicujus alterius, sed solius Petri naviculam ascendit, & sedens docebat turbas, figuraliter ostendens, a Sancta Romana Ecclesia, cui præficiendus erat Petrus Princeps Apostolorum, Evangelicam & Apostolicam doctrinam in turbas populorum per omnem mundum profluxuram .... inter Apostolos ætate senior, fide certior, in audiendis verbis vitæ æternæ simplicior, unde & *Barjona*, id est, *Filius Columbæ* appellatus est; in dandis reddendisque responsis inter Christum & Apostolos promptior; in sanandis infirmis etiam sui corporis umbra efficacior; qui etiam post Ascensionem Domini, vice Christi illam novellam & primitivam suscepit Ecclesiam. Ipse Ananiam & Saphiram Spiritui Sancto mentientes spi-

Sicut Romanus Pontifex vices Christi gerit, sic Episcopi cæteri vices gerunt Apostolorum.

„ spiritu oris sui extinctos, ab Ecclesia, & ab illa Sancta Societate sequestravit. Ipse Simonem Magum cum pecunia sua damnavit, & Primatum sui Apostolatus, inter cæteros Apostolos humiliter major ubique virtutibus & miraculis, cooperante Domino, honorificavit. Quocirca nulli Fidelium convenit aliquatenus dubitare, seu in quæstionem ponere, sed firmissime tenere, quod Petrus a Domino Princeps Apostolorum sit constitutus. Quemadmodum autem solus Romanus Pontifex vice Petri vicem gerit Christi; ita sane cæteri Episcopi vicem gerunt Apostolorum sub Christo, & vice Christi sub Petro, & vice Petri sub Pontifice Romano ejus Vicario: nec in hoc aliquatenus derogatur alicui Apostolorum, si unicuique humiliter suum attribuitur officium.

Et Cap. 12. „ Certum est, & nulli, qui sani sit capitis, dubium, quod sicut una est Ecclesia, ita & unius Ecclesiæ unum caput est in terris; & hic est Romanus Pontifex, quem non solum authoritas humani Imperii, sed majestas divini Judicii, principaliter omnibus præesse voluit ... Quod autem dixisti, hæreses hic exortas, hic esse mortuas: & hoc dixisti factum esse authoritate Sanctorum Patrum qui fuerunt in Oriente, & qui in Niceno Concilio, & in aliis multis Conciliis congregati sunt: miror tuam prudentiam, quod hoc adscribas membris, quod erat Capitis, & quod Assidentibus hoc attribuas, quod constat esse Præsidentis. Qui videlicet SS. Patres, qui eidem Conciliis interfuerunt, si hodie omnes viverent, nullus eorum, nec omnes quidem simul, aliquam authoritatem alicujus Concilii sibi usurparent. Quin potius omnem Conciliorum authoritatem Romano Pontifici recognoscerent, aut in propria persona Præsidenti, aut per Legatos suos universa confirmanti. Ecclesiastica namque Regula, quam ipsi non ignoraverunt, ita jubet: NON OPORTERE PRÆTER SENTENTIAM ROMANI PONTIFICIS CONCILIA CELEBRARI. Sciendum est ergo quod hæreses hic exortæ sunt, Græcorum quidem errore; sed & hic quidem destructæ sunt, non Græcorum, sed Romanorum Pontificum authoritate. *Quod Historia Ecclesiastica luculenter probat, subditque:* Ecce vides qualibet hæreses hic & ubique exortas, a Petra Fidei per Petrum Apostolum collisas & destructas. Itaque non solum ex prædictis, verum etiam ex aliis multis Conciliis, per Orientem celebratis, nec-non etiam ex pluribus Africanorum Conciliis, in quibus variæ hæreses damnatæ sunt. *CONSTAT ROMANAM ECCLESIAM DUO DIVINA PRIVILEGIA DIVINITUS HABERE. VIDELICET PRÆ OMNIBUS INCORRUPTAM PURITATEM FIDEI, ET SUPER OMNES POTESTATEM JUDICANDI.*

Romani Pontificis summa in Conciliis authoritas.

Duo Romanæ Ecclesiæ divina Privilegia.

„ Nechites *Archiepiscopus Nicomedia dixit:* Nos in hoc Archivo Agiæ Sophiæ antiqua Romanorum Pontificum Gesta, & Conciliorum habemus Actiones, in quibus hæc eadem quæ dixisti de authoritate Romanæ Ecclesiæ reperiuntur: & ideo non parva verecundia nobis esset, si ea negaremus, quæ apud nos a Patribus nostris scripta præ oculis habemus.

S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus & Martyr, Epistola 97. libri 1. ad omnes Episcopos Angliæ data: *Si curamus* (inquit) *esse quod dicimur, & nostri nominis, qui appellamur Episcopi & Pontifices, nosse volumus significationem, oportet nos jugi sollicitudine considerare & imitari vestigia illius, qui Pontifex in æternum a Deo constitutus, seipsum pro nobis Patri obtulit in Ara Crucis, & de summa Cælorum omnium specula actus & actuum intentiones jugiter speculatur.... Vices enim illius in terris gerendas suscepimus, adepti sumus gloriam nominis, honorem fructusque laborum spiritualium temporaliter possidemus, Apostolis & Apostolicis Viris in Ecclesiarum fastigiis succedentes, ut nostro ministerio peccati & mortis destruatur imperium, & in fide & profectu virtutum coalescens ædificium Christi, crescat in templum sanctum in Domino.... Initio nascentis Ecclesiæ, sicut*

Ephes. 4. 11.

„ *Beatus docet Apostolus*, Christus cœlos ascendens, ut adimpleret omnia, quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, „ alios Pastores & Magistros, ad instructionem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi. *Neque enim omnia uni committenda erant officia, sed unumquodque suo donandum erat officio: ita tamen ut Caput in quo velut in arce & quodam capitolio virtutum omnes congeruntur sensus, & universis & singulis provideret: & ei vicissim omnia famularentur pro ratione suæ conditionis. Doctor Gentium, qui gloriatur se non ab homine, neque per hominem Evangelium didicisse, sed instructum a Christo, ascendit Hierosolymam, cum Ecclesiarum Principe de fide contulit, ne forte in vacuum curreret, vel cucurrisset. Et ut plurimis patet exemplis, singula Evangelii flumina ad mare, unde orta sunt, redeunt, ut iterum fluant. Siquidem fons Paradisi unus est, sed in plura rescinditur flumina, ut undique irriget terram. Quis Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum, fontem Catholicæ doctrinæ ambigit esse? Quis Claves Regni Cælorum Petro traditas esse ignorat? Nonne in fide & doctrina Petri totius Ecclesiæ structura consurgit, donec occurramus omnes Christo in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei? Necesse quidem est multos esse qui plantent, multos qui irrigent, quoniam hoc exigit processus verbi, & dilatatio populorum. Sed quicumque sit qui rigat aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi qui plantavit in fide Petri & doctrinæ ipsius acquiescit. Sane ad eum maxima populi judicia referuntur, a Romano examinanda Pontifice: & dispositi sub eo Matris Ecclesiæ Magistratus, quatenus in partem sollicitudinis acciti sunt, creditam exercent potestatem. Ut Sacerdos, quod in plebe sibi commissa expedire non potest, ad Episcopum referat; qui negotia supra se ad Archiepiscopum reducit, aut Primatem; a quibus quidquid maximum fuerit, Romano Pontifici reservatur. Ordinem hunc Petrus docuit. Hunc usque modo Catholica servavit Ecclesia, nec unquam, authore Domino, quidquid moliatur iniquitas, subvertetur.*

Romana Ecclesia caput omnium Ecclesiarum, & fons Catholicæ doctrinæ.

Illi vero 11. & 12. Sæculi Patres cum antiquioribus de fidei puritate & integritate in Catholica Apostolica Romana Ecclesia, cæterarum *Matre & Magistra, Matrice & originali Fidei*, Centro Communionis, *Traditionis Fonte*, ab ejus per *S. Petrum* fundatione, singulari Christi munere servata, & usque ad finem mundi servanda, sensere. Cum *Origene*, Tomo 12. in *Matthæum*, Huetianæ Editionis, ubi hæc verba Christi ad *S. Petrum* explicans, *Tu es Petrus: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, hæc habet: *Quam autem*, Eam? *An enim Petram super quam Christus ædificat Ecclesiam? An Ecclesiam? Ambiguo quippe locutio est, An quasi unam eamdemque rem, Petram & Ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo: Nec enim adversus Petram super quam Christus Ecclesiam ædificat, nec adversus Ecclesiam portæ Inferi prævalebunt.* Et paulo post: *Ecclesia vero tanquam Christi ædificium, qui sapienter ædificavit domum suam super Petram, portarum Inferi capax non est, prævalentium quidem adversus quemcumque hominem qui extra Petram & Ecclesiam fuerit, sed invalidarum adversus illam.* Et infra: *Existimo his verbis* Portæ inferi non prævalebunt adversus eam, *convenienter id esse subnexum:* Dabo tibi Claves Regni Cælorum: *Nam qui contra Inferi portas munitus est, ut adversus eum non prævalerent, dignus est, qui ab ipso Verbo* Claves *Regni Cælorum accipiat*, &c. Subdit denique: *Vide autem quanta vi polleat Petra, super quam a Christo ædificatur Ecclesia: & quicumque dicit:* Tu es Christus Filius Dei Vivi, *ut illius Judicia firma maneant, quasi Deo in illo judicante, ut in ipso Jusdicendo Portæ Inferi adversus eum non prævaleant.*

Consensus Patrum undecimi & duodecimi Sæculi cum superiorum sæculorum Patribus de perpetua fidei puritate & integritate in Rom. Ecclesia.

Nec adversus Ecclesiam, nec adversus Petram, super quam a Christo fundata est, portæ Inferi prævalebunt.

Sensere cum *S. Joanne Chrysostomo* Homilia 55. in *Matthæum*, explicante illa Christi verba: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: ID EST*, (inquit) *Fidem atque confessionem.* Et Portæ inferi non prævalebunt adversus eam: *Si vero adversus Ecclesiam non prævalebunt, multo minus adversus me prævalebunt*, Ego autem dabo tibi Claves Regni Cœlorum .... *Se ipsum hic duabus pollicitationibus Filium esse Dei revelat & ostendit. Nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & ut Ecclesias tot tantisque*

tisque

tisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus Caput & Pastor Piscator homo atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superat: hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt se pollicetur daturum. Ita & Pater ad Jeremiam dicebat: „ Sicut columnam ferream, & sicut murum „ æneum posui te. *Sed ipsum quidem genti uni Pater, hunc autem universo terrarum orbi Christus præposuit. Quare libenter ab his quæsierim, qui dignitatem Filii minorem quam Patris dicunt, quænam sibi majora dona videantur, quæ Pater, aut quæ Filius Petro largitus est. Pater quidem revelationem Filii sui dedit: Filius autem partim ut tam Patris quam Filii revelationem ubique terrarum seminaret: Partim ut quamvis homo esset mortalis, cœlesti tamen potestate polleret, & claves haberet Regni Cœlorum: Ita Petrus Ecclesiam per universum orbem amplificatam Cœlo etiam ipso validiorem monstravit.* „ Transibunt [*inquit*] cœlum & „ terra, verba autem mea non transibunt.

Sensere cum *S. Petro Chrysologo* ad *Eutychetem* scribente: *B. Petrus qui in propria Sede vivit & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem.*

Soliditas fidei, quæ in S. Petro laudata est, perpetua est.

Cum *S. Leone* Sermone 11. in Anniversario die Assumptionis suæ. *Soliditas*, inquit, *illius Fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est. Et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit: ita permanet quod in Christo Petrus instituit.* Et infra: *Si quid itaque a nobis recte agitur, recteque discernitur: Si quid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur; illius est operum atque meritorum, cujus in Sede sua vivit potestas & excellit authoritas. Hoc enim obtinuit, dilectissimi, illa confessio, quæ a Deo Patre Apostolico inspirata cordi, omnia humanarum opinionum incerta transcendit, & firmitatem Petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit. In universa namque Ecclesia:* Tu es Christus Filius Dei vivi, *quotidie Petrus dicit: & omnis lingua quæ confitetur Dominum, Magisterio ejus vocis imbuitur. Hæc fides Diabolum vincit, & captivorum ejus vincula dissolvit. Hæc erutos mundo inserit Cœlo, & portæ Inferi adversus eam prævalere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est, ut eam neque hæretica umquam perrumpere pravitas, nec pagana potuerit superare perfidia.* Et Sermone 3. explicans illa Christi verba ad S. Petrum: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, &c. hæc habet: *Id est, cum ego sim inviolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum: ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* „ Et super hanc Petram ædificabo „ Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt „ adversus eam. *Super hanc*, inquit, *fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista, vox vitæ est.... Propter quod dicitur Beatissimo Petro:* Tibi dabo

Matt. 16.

„ Claves Regni Cœlorum. Et quæcumque ligave„ris super terram, erunt ligata & in cœlis, & „ quæcumque solveris super terram, erunt soluta „ & in cœlis. *Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius æquitate fertur Judicium....... Instante autem Passione sua Dominus, quæ Discipulorum erat turbatura constantiam, Simoni inquit:* „ Simon; ecce Satanas expo„stulavit vos, ut cerneret sicut triticum. Ego au„tem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et „ tu aliquando conversus confirma fratres tuos, ut „ non intretis in tentationem. *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

S. Petri privilegium.

Luc. 22. 31.

Christus proprie Petri supplicat pro fide Petri.

Firmitas per Christum Petro, per Petrum Apostolis reliquis collata.

Sensere cum *Agathone* Pontifice Maximo, in Epistola Dogmatica ad Imperatores lecta Actione 4. Synodi Sexti Generalis, & approbata Actione 8. unanimi Patrum consensu, quam & aliquis *tamquam ex Spiritu Sancto dictatam per os Sancti ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri*, se recipere professus est. *Hæc est*, inquit Agatho, *vera fidei regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit ac defendit hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ Traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab authoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatur est:* „ Petre Petre [*inquiens*] ecce Satan ex„petivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: „ Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides „ tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres „ tuos. *Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum: quorum & Pusillitas mea, licet impar & minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere.*

Romana Ecclesia a tramite Apostolicæ Traditionis numquam aberravit.

Sensere cum VIII. Synodo Œcumenica, quæ libellum ab *Hadriano II.* Pontifice Maximo ad se missum, & ab omnibus Episcopis subscribendum, approbavit Actione 1. Quo in libello hæc leguntur: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, deinde a constitutis Dei & Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum. Sicut enim scriptum est:* Sine fide impossibile est placere Deo: *sic rursus legitur:* Fides sine operibus mortua est. *Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis:* Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: *hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: Quia in Sede Apostolica immaculata est semper Catholica servata Religio, & sancta celebrata doctrina.* Et infra. *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem & observantes ejus omnia Constituta speramus, ut in una Communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra & vera Christianæ Religionis soliditas: promittentes etiam*, SEQUESTRATOS A COMMUNIONE ECCLESIÆ CATHOLICÆ, ID EST, NON CONSENTIENTES SEDI APOSTOLICÆ EORUM NOMINA INTER SACRA NON RECITANDA ESSE MYSTERIA.

Hebr. 11. 6.

Jacobi 2. 17.

Matt. 16. 28.

Catholici non sunt, qui Sedi Apostolicæ in fide non consentiunt, nec ei Communione junguntur.

Sensere cum *S. Leone IX.* Pontifice Maximo in Epistola ad *Michaelem* Constantinopolitanum Patriarcham, & *Leonem* Acridanum Episcopum, cap. 7. scribente: *Taliter Sancta Ecclesia super petram, id est, Christum, & super Petrum ædificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda. Sic pollicetur ipsa Veritas; per quam sunt vera quæcumque sunt vera,* Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Cujus promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum.* „ Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sic„ut triticum? Ego autem rogavi pro te, ut non „ deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, con„firma fratres tuos. *Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat, in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede Principis Apostolorum Romana videlicet Ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per Successores suos reprobata & convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta; & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, confirmata?* Legatur & Epistola V. ad *Petrum* Antiochenum Episcopum.

Omnes Hæreses tam per S. Petrum quam Successores ejus reprobata & expugnata.

Luc. 22. 31. 32.

S. Petri Fides hactenus non defecit, nec in finem usque deficiet.

XXII.

Ex Ecclesiæ consensu innotescit, Romanum Pontificem Ecclesiæ sua fidem ac traditionem in judicio controversiarum fidei secutum esse.

XXII. Rogabit quispiam: Qua ratione innotescet Romanum Pontificem Ecclesiæ suæ fidem ac traditionem in Judicio controversiarum fidei esse secutum. Respondeo, id compertum iri cum ex ipsius Ecclesiæ Romanæ, tum ex aliarum Ecclesiarum, quæ cum ipsa communicant, consensu. Nam *Tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & Apostolicæ, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem Sacramenti una traditio. Hinc igitur dirigimus præscriptionem, si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos Prædicatores, quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, & cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid Christus illis revelaverit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli, condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, ut ajunt, voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Verba sunt *Tertulliani* lib. *De Præscriptionibus*. Cum itaque Romani Pontificis de Fide Decreta, Romanæ Ecclesiæ & communicantium cum ipsa Ecclesiarum studiis consonantibus suscipiuntur, vel in Concilio universalem Ecclesiam repræsentante, vel extra Concilium communi conspiratione, tunc Dominus, *Qua Vicarii sui prius ministerio definierat*, UNIVERSÆ FRATERNITATIS IRRETRACTABILI FIRMAT ASSENSU; UT VERE A SEDE PRODIISSE OSTENDAT, QUOD PRIUS A PRIMA OMNIUM SEDE FORMATUM TOTIUS CHRISTIANI ORBIS JUDICIUM RECEPERIT. UT IN HOC QUOQUE CAPITI MEMBRA CONCORDENT: Verba sunt *S. Leonis* Epistola 93. Edit. *Quenellii*, ad Theodoretum Episcopum scripta alias 63.

Ita ex Ecclesiæ consensu ad *Hadriani I.* Pontificis Maximi Sententiam contra *Elipandi* & *Felicis* hæresim accedente, probavit *Carolus Magnus* in Epistola ad ipsum *Elipandum* & alios Hispaniæ Episcopos data, qui Majestatis ipsius arbitratui causæ cognitionem suæ detulerant, ipsos jam ut Hæreticos habendos, execrandos, nisi errorem de adoptiva Christi filiatione abjurarent. „Fraterna cogente caritate [*inquit Rex Magnus*] jussimus Sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique nostræ ditionis Ecclesiis congregari Concilium, quatenus sancta omnium unanimitas firmiter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper novis assertionibus, & sanctæ Dei universali Ecclesiæ antiquis temporibus inauditis, vos & vestris scriptis, totalisse cognovimus. Immo & ad Beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione, nostræ devotionis ter quaterque direximus Missos: scire cupientes quid Sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta Traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione. Nec-non & de Britanniæ partibus aliquos Ecclesiasticæ Disciplinæ viros convocavimus, ut ex multorum diligenti consideratione veritas Catholicæ Fidei investigaretur, & probatissimis Sanctorum Patrum hinc inde roborata testimoniis, absque ulla dubitatione teneatur. Idcirco vobis per singulos Libellos dirigere curavimus, quid prædictorum Patrum pia unanimitas & pacifica perscrutatio Authoritate Ecclesiastica inveniret, statuisset, confirmaret. Primo quid Dominus Apostolicus, cum Sancta Romana Ecclesia, & Episcopis illis in partibus quaquaversum commorantibus, & Catholicis Doctoribus sentiret, sub unius Libelli tenore statuimus. Deinde secundo loco, quid Ecclesiastici Doctores & Sacerdotes Ecclesiarum Christi de propinquioribus Italiæ partibus, cum Petro Mediolanensi Archiepiscopo, & Paulino Forojulianensi vel Aquilejanensi Patriarcha viris in Domino valde venerabilibus, intelligi vel firmiter credi voluissent, suis propriis responsionibus exaratum posuimus Libellum: quia ipsi quoque præsentes nostro Synodali Conventui adfuerunt. Post hæc, tenet & tertius Libellus orthodoxam Sanctorum Patrum Episcoporum, & virorum venerabilium fidem, qui, in Germaniæ, Galliæ, & Britanniæ partibus, dignis Deo deserviunt officiis: vestrisque objectionibus Sanctarum Scripturarum testimoniis roboratas obtinet responsiones. Dehinc quarto loco meæ propriæ unanimitatis cum his sanctissimis prædictorum Patrum Decretis, & Catholicis Statutis consensum subnexui, sicut vosmetipsi in vestra Epistola, quam meo specialiter assignastis nomini, rogare curastis: Id est, ne paucorum subdolis assertionibus consentiens, sed plurimorum testimoniis roboratam fidem firmiter tenerem. POST HANC VERO CORREPTIONEM, SIVE ADMONITIONEM APOSTOLICÆ AUCTORITATIS, ET SYNODALIS UNANIMITATIS, SI NON RESIPISCITIS AB ERRORE, SCITOTE OMNINO VOS PRO HÆRETICIS HABENDOS, *NEC ULLAM VOBISCUM COMMUNIONEM PRO DEO AUDEMUS HABERE*. Hæc *Carolus Magnus*. Istam porro doctrinam Sacra Facultas Parisiensis, cæteræque Galliarum Academiæ, sequi se profitentur, cum docent: *Romanum Pontificem non esse infallibilem, nullo Ecclesiæ consensu accedente*.

Legantur quæ hoc de argumento scripsi Diss. II. in Histor. Eccl. Sæculi VII.

Romana Eccles. in causis fidei & dubiæ disciplinæ consulenda.

XXIII. Id tamen minime prohibet, quin Romanam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam, in qua fides prædicatur, & unitas servatur Ecclesiæ, in causis fidei & dubiæ disciplinæ consulendam censeant, & ejusmodi *Majora negotia*, ac *difficiles causas* ad eam, *post Episcopale Judicium*, referendas; ut loquitur *Innocentius I.* in Epistola ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum, & in Epistola ad Concilium Milevitanum; cui consentiunt *Zosimus* ad Episcopos Galliæ scribens, *Bonifacius I.* Epistola II. ad eosdem, *Sanctus Leo* in Epistola ad *Anastasium* Thessalonicensem Episcopum, *Hilarius* Epistola VIII. *Vigilius* Epistola VII. ad *Auxanium* Arelatensem Episcopum, *Sanctus Gregorius* Epistola LII. Lib. IV. ad universos Galliarum Episcopos data; *Gregorius IV.* Epistola ad universos Episcopos Galliæ & Germaniæ, de causa *Aldrici* Cenomanensis Episcopi; *Leo IV.* in Epistola ad Episcopos Britanniæ, cujus verba refert *Gratianus* Distinct. 20. C. I. *Nicolaus* I. passim, *Joannes VIII.* Epistola 93. ad Arelatensem Episcopum, *Leo IX.* Epistola 4. ad *Petrum* & *Joannem* Episcopos data, &c.

Romani Pontificis Decreta in Quæstionibus fidei ad omnes & singulas Ecclesias pertinent, illisque ab omnibus Christianis parendum est.

Nec etiam id prohibet, quin censeant eædem Academiæ, & quotquot in Galliis Catholice sentiunt, in Quæstionibus fidei præcipuas Summi Pontificis esse Partes, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere, iisque obedientiam a Christianis omnibus deberi. Et *Sancti Aviti* Viennensis Episcopi, Gallicanorumque Præsulum, quorum nomine ad *Hormisdam* scribebat, observantiam erga Sedem Apostolicam, & divinum Romani Pontificis Primatum, non solum commendant, sed intimo gerunt animo, ac palam profitentur. Verba Sancti & eruditi Episcopi adscribo. *Diversorum fida relatione comperimus de reconciliatione vel concordia Ecclesiæ Romanæ jactare se Græciam: quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur, ita verendum est ne callide simuletur. Quæsumus ergo servitio meo juncto, ut quid filiis vestris Fratribus meis, id est, Gallicanis, si consulant, respondere debeam, instruatis: Quia jam securus, non dicam de Viennensi, sed* DE TOTIUS GALLIÆ DEVOTIONE POLLICEAR, OMNES VESTRAM SUPER STATU FIDEI CAPTARE SENTENTIAM. *Orate ut sic nos prædictorum Professio fucata non fallat, sicut ab unitate quam regitis, veritas comperta non separat*. Scripta est hæc Epistola anno 517. estque inter Epistolas *Aviti* a *P. Sermonda* editas 87.

Ita censet Ecclesia Gallicana.

Sex S. Thomæ pronuntiata de Romani Pontificis Summa Authoritate.

XXIV. Denique Parisienses, & cæteri Galliarum Theologi, sex illa *S. Thomæ* pronuntiata in Opusculo adversus errores Græcorum, contra hæreticos

& Schis-

& Schismaticos Pontificiæ Majestatis hostes omni virium ac studiorum contentione tuentur:

S. Thomas.

1. *Romanus Pontifex Successor Petri, & Christi Vicarius, est Primus & Maximus omnium Episcoporum.*

2. *Summus Pontifex in tota Ecclesia Christi universalem Prælationem obtinet.* Ait quidem S. Thomas, *In totam Ecclesiam*: sed hoc loqueodi modo idem intelligit, ac per totam Ecclesiam, ubique, in toto orbe Christiano, ut ex probationibus ipsius, seu ex verbis Patrum ab ipso prolatis compertum est. Unde sic ejus pronuntiatum exprimere malui, quam æquivocationi & calumniæ expositum relinquere. Hunc sensum approbat, proponitque ut dogma fidei *Martinus V.* Pontifex Maximus in Concilio Constantiensi in Bulla contra errores *Joannis Wicklef & Joannis Hus*, qua inter cætera quemvis de his erroribus suspectum interrogari jubet: *Utrum credat quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine expresso, sit Successor Beati Petri* HABENS SUPREMAM AUTHORITATEM IN ECCLESIA DEI.

S. Thomas.

3. *Romanus Pontifex habet in Ecclesia plenitudinem potestatis.* Quæ tamen non est ita simpliciter intelligenda, sicut est illa supremæ authoritatis, quæ Deo omnipotenti convenit, *Apud quem non est impossibile omne verbum*: Nec est illa plenitudo potestatis Excellentiæ, quam in Christo prædicamus; cum novos articulos fidei condere, & Sacramenta instituere, vel abrogare non possit: sed ast plenitudo potestatis ministerialis, quanta scilicet necessaria est ad regimen universalis Ecclesiæ ad salutem Fidelium procurandam: ut exponit Cardinalis *De Turrecremata* lib. II. *De Ecclesia*, cap. 53. Ad quam plenitudinem potestatis pertinet, secundum eumdem Angelicum Doctorem, Quodlibeto IV. Quæst. VIII. Art. II. ut in Ecclesia universa de Canonibus dispenset. *Papa*, inquit, *habet plenitudinem potestatis in Ecclesia; ita scilicet quod quæcumque sunt instituta per Ecclesiam vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia a Papa... Licet dispensare non debeat, nisi ex magna & evidenti causa*. Et, ut ait idem S. Doctor Secunda Secundæ, Quæst. 89. Art. 12. *Omnis dispensatio debeat fieri ad honorem Christi, & ad utilitatem Ecclesiæ.*

S. Thomas.

4. *S. Petrus est Christi Vicarius, & Romanus Pontifex S. Petri Successor in eadem potestate ei a Christo collata.*

S. Thomas.

5. *Ad Summum Pontificem pertinet quæ fidei sunt determinare.* At non ipsi soli judicandi convenit authoritas, quamvis in judicio quæstionum fidei præcipuæ sint ejus partes, & ad eum finitiva pertineat sententia, qui extra Synodum Decreta fidei condere potest, quibus parere Christiani omnes tenentur; quorum authoritate (accedente Ecclesiæ consensu) Hæreses etiam absque Synodo Œcumenica, opprimuntur: & qui Synodorum etiam Œcumenicarum Decreta authoritate sua confirmat. Uni (inquam) Romano Pontifici Authoritatem judicandi controversias fidei non tribuit *S. Thomas*, nec tribuet quisquis Verbo Dei & Traditioni fideliter adhærebit. Episcopis enimvero & Conciliis Provincialibus, Nationalibus, & præsertim Œcumenicis, Jus illud ac authoritatem competere, Scriptura Sacra & Traditio docent, ut superius demonstratum est. Hæc semper Sacræ Facultatis Parisiensis sententia fuit, cujus nomine *Petrus de Alliaco*, postea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, cum aliis ab eadem Deputatis Doctoribus contra *F. Joannem de Montesons* scribebat, hanc propositionem: *Ad solam Summum Pontificem pertinet eorum quæ tangant fidem, examinatio & decisio*, continere manifestam hæresim, immo multas hæreses. *Primo quia per illam Exelasionem excluditur universalis Ecclesia, & Generale Concilium eam repræsentans, quod est Hæreticum .... Secundo per illud excluditur Sedes Apostolica, quod est contra ipsum, & est manifeste Hæreticum ... Tertio, excludantur Episcopi Catholici ab omnimoda cognitione, examinatione, & decisione eorum quæ sunt fidei, quod est contra Jus tam Divinum, quam humanum, &c.*

Romani Pontificis Constitutionibus ac Decretis Hæresis absque Concilio Oecumenico damnantur & opprimuntur.

Propositiones a Sacra Facultate Parisiensi damnata.

Eadem Sacra Facultas mense Martii, anni 1429. has Propositiones a F. *Joanne Sarrazin* assertas confixit.

1. *Omnes Potestates Jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ a Papali Potestate, sunt ab ipso Papa, quantum ad institutionem & collationem.*

2. *Hujusmodi Potestates non sunt de Jure Divino, nec immediate institutæ a Deo.*

3. *Non invenitur Christum tales Potestates, scilicet alias a Papali, expresse ordinasse, sed tantum supremam, cui commisit Ecclesiæ fundationem.*

4. *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota authoritas dans vigorem Statutis, in solo Summo residet Pontifice.*

Dictus autem *F. Joannes Sarrazin*, Sacræ Facultatis Judicio se subjecit, veritates erroneis Propositionibus suis contrarias in solemni Magistrorum Conventu asseruit, & hanc inter cæteras: *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota authoritas dans vigorem Statutis residet non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto & Ecclesia Catholica.*

Eadem Sacra Facultas anno 1655. Januario mense, Magistro *Francisco Guillou* Baccalaureo hanc propositionum quarumdam in suis Thesibus Minoris Ordinariæ contentarum Declarationem & expositionem imperavit: *Agnosco & fateor, Episcoporum Jurisdictionem esse Juris Divini, & esse immediate a Christo, eosque in Conciliis Generalibus vere esse Judices; atque in iis, ex eorum Judiciis Summum Pontificem pronuntiare.*

Anno 1664. die 1. Aprilis, eadem Sacra Facultas Propositiones larvati Authoris qui de Romano Pontifice in libro quodam suo scripserat: *Ejus est omnia emergentia circa fidem dubia infallibilis veritatis oraculo tollere & explanare*, &c. hac Censura confixit: *Hæ Propositiones, quatenus excludunt ab Ecclesia Infallibilitatem activam, seu authoritatem emergentia circa fidem dubia, infallibilis veritatis oraculo tollendi & explanandi, falsæ sunt, temeraria, scandalosa, & hæretica.*

Christianus Lupus refellitur.

Merito itaque Propositionem illam rejicimus, ac improbamus, quæ in Indice rerum in *S. Thomæ Cantuariensis* Epistolis a *P. Lupo* editis contentarum, majusculis exarata characteribus est ad fucum lectoribus incautis faciendum: *ROMANI PONTIFICIS SOLIUS PERSONA SOLA EST JUDEX CONTROVERSIARUM.* Notat *P. Lupus*, seu quisquis est Author Indicis, pagina 356. & 465. ut a *S. Thoma Cantuariensi* & a *Joanne Saresberiensi* Propositionem illam assertam indicet. Verum nihil hujusmodi legitur his in locis. In priori quidem *Sanctus Thomas* ad *Alexandrum III.* scribit: *Vestri oris duntaxat expectamus Judicium, aut illius qui spiritum Principum auferre consuevit, & liberare pauperem a Potente.* Sed inerudite & absurde ex his verbis colligitur, *Romani Pontificis solius personam solam esse Judicem controversiarum.* Ibi enim de controversiis fidei, aut de cæteris omnibus non agit *S. Thomas*, sed de causa sua, cujus unus Romanus Pontifex Judex erat, a quo finitiva sententia expectanda esset, cum ad eum per appellationem esset devoluta, nec Generale Concilium esset convocatum: ab Episcopis vero Angliæ judicari non posset. Non vero negavit *Sanctus Thomas Cantuariensis*, quin causa sua, vel in Synodo Plenaria totius Occidentis, vel in Œcumenica judicari ab Episcopis posset, Romano Pontifice Præside, prærogativam suffragii obtinente, & Synodi Judicium confirmante. Nec aliud etiam colligitur ex loco posteriori, ex illis nempe verbis *Joannis Saresberiensis* ad eumdem Pontificem scribentis: *Miseris Cantuariensibus, ad quos inter Deum & se Mediatores confugiendum est nisi ad Romanam Ecclesiam, ubi viget divinæ Legis custodia, & totius Sacerdotis Principatus? Nam si illa post Deum decreverit salvare nos, continuo liberabimur. Si manus erexeritis, sternetur Amalech. Et qui vos Pharaoni dedit in Deum, dejiciet omnes adversarios Ecclesiæ a facie nostra.* De libertate Ecclesiæ, de sacris Canonibus, de Juribus Archiepiscopi & Cantuariensis Ecclesiæ vindicandis agebatur. Nemo vero negaverit Romanum Pontificem ratione Divini Primatus horum esse tutorem, ac vindicem, ac in eos qui libertatem Ecclesiæ, qui Canones, qui jura Episcoporum violant, posse ex eorumdem præscripto Canonum agere, & in promptu habere ulcisci omnem inobedientiam. Id unum ab *Alexandro III. S. Thomas Cantuariensis*, & *Joannes Saresberiensis* expectabant.

S. Thomas.

VI. Denique Angelici Doctoris pronuntiatum in laudato contra Græcos Opusculo, quod etiam amplectimur ac profitemur, illud est: *Subesse Romano* Pon-

Pontifici est de necessitate salutis. Sive secundum præscriptam a *Pio IV.* Pontifice Maximo Professionis Fidei Formulam, totius orbis Christiani reverentia consecratam: *Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco: Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro*.

Catholici omnes Theologi Primatum Romani Pontificis jure divino institutum, ut dogma fidei, summo consensu prædicant: quæstiones vero nonnullæ in quibus dissentiunt de Romano Pontifice, ad humanas opiniones pertinent.

XXV. Etsi vero in aliis capitibus quæ salva fide Primatus, *Jure Divino* Romano Pontifici convenientis, inter Catholicos; salva etiam pace fraternæ charitatis, more Christiano, modesteque disceptantur: Utrum scilicet Concilium Œcumenicum sit Pontifice Romano superius? Utrum Romanus Pontifex inconsulta Ecclesia, & nullo ipsius accedente consensu, sit infallibilis? Utrum potestatem nullam habeat, vel indirectam, in Regum temporalia? Quid sit Pontificem EX CATHEDRA pronuntiare? &c. A plerisque exterarum gentium Theologis, Gallicani Doctores dissentiant: nihil propterea de observantia erga Sedem Apostolicam & *Sancti Petri* in ea Successores remittere censendi sunt, aut ejusdem Sanctæ Sedis imminuere Majestatem. Cum enim tria sint „ velut finitima sibimet in animis hominum, distin„ ctione dignissima, credere, intelligere, opinari: & *Quod credimus, authoritati, quod intelligimus, rationi, quod opinamur, errori* debeamus; ut Sanctus Augustinus docet lib. *De Utilitate credendi*: certumque sit ejusmodi quæstiones ad fidem non pertinere, ipso Cardinali *Bellarmino* teste: Nec etiam in his locum habeat demonstratio: superest ut ad humanas opiniones revocentur. Quid vero, amabo, summæ potestati *Sancto Petro*, & ejus Successoribus, Romanis Pontificibus a Christo collatæ dignitatis & splendoris accedit, ex eo quod hæ vel illæ opiniones propugnentur a Catholicis Theologis? Cum sacer ille Pontificiæ potestatis apex, ejusque Jura ac privilegia innata & insita, non humanis opinionibus nitantur, sed Scripturæ Sacræ, & Traditionis oraculis comprobentur. Sane si Deus non solum mundum, sed se ipsum disputationibus nostris tradit, permittitque: Unde Theologi tot de potentia Dei quæstiones in Scholis agitant, quærendo num Deus hæc vel illa possit absoluta potentia, negandoque de plurimis; quamvis Deum omnipotentem credant universi: Quid mirum si Romani Pontifices, Christi Vicarii, permittant ut Theologi Catholici de suæ potestatis extensione, modo vel usu, modeste disceptent, dum nihilominus in Confessione Primatus Jure Divino *Sancto Petro* a Christo collati, & ad ejus Successores transmissi conveniunt; ac de illis dumtaxat diffident, quæ summam fidei non spectant? In quibus tamen Scholarum controversiis contentiones, scissuræ, scandalaque fratrum, omnibus æque vitanda sunt, illudque Apostoli animo tenendum & opere ipso implendum:

1. Cor. 11.

Si quis inter vos contentiosus videtur, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.

II. Ad Cor. 13.

Quamquam vero illas dumtaxat opiniones amplectar ac propugnem, quas veras seu probabiliores existimo, illud etiam Apostolicum usurpans: *Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate*:

Author omnia scripta sua ac pronuntiata examini ac Judicio Summi Pontificis subiicit.

Errare tamen me posse vel nolentem, quod humanum est, cum probe noverim: quæcumque hac in Dissertatione, cæterisque, ac in toto Opere scripsi, vel Deo dante sum scripturus, *Majorum meorum, & præcipue Romani Pontificis*, examini ac Judicio subjecta velim. *Nec enim mea mihi, sed illorum placere debet sententia, quibus & de me, & de mea sententia judicare desuper datum est: Et decet nos imitari non solum docendi diligentiam, sed etiam discendi modestiam*.*

**Hæc verba mutuor ab Anselmo Havelburgensi Episcopo, lib. III. Dialogorum, cap. 15.*

SCHOLION I.

In hac Dissertatione, pag. 138. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Symbolum Ecclesiæ particulares facere possunt, sicut de rebus fidei judicare, non ita tamen quod omnes obliget*.

R. Non ita scripsi: sed *Juris Ecclesiarum privatarum non est, Fidei formulam seu Symbolum condere, quod Fidelibus universis proponatur, absque conscientia & Authoritate Romani Pontificis, cujus est Fidei controversias finire, & generalia Decreta cum de Fide, tum de Christiana morum Disciplina Ecclesiis condere. Dubia namque circa Fidem & Disciplinam emergentia inter maximas & difficiliores causas censentur, quas Romano Pontifici beata consuetudo servavit*. Nihil ad Summi Pontificis asserendum Primatum & Authoritatem magnificentius ac luculentius dici potest. Mirum quod hunc locum reprehendant RR. Censores. Displicet illis dubio procul, quod judicium causarum Fidei ad Episcopos pertinere propugnem, sive in Synodis Provincialibus & Nationalibus, sive in Generalibus, sive etiam in suis Diœcesibus, cum in iis errores aliqui contra fidem oriuntur: sed hæc est Sacræ Facultatis Parisiensis, Ecclesiæ Gallicanæ, Sedis Apostolicæ, Ecclesiæ universæ doctrina.

SCHOLION II.

In eadem Dissertatione, pag. 139. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Concilii Generalis divina supremaque authoritas est*.

R. Ita declaravit sacrum Concilium Constantiense, confirmavit *Martinus V.* Pontifex Maximus. Hæc Sacræ Facultatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ doctrina, quam Petrus de Alliaco, & Venerabilis Gersonius in Concilio Constantiensi; quam Theologi & Episcopi Galli in ipso Concilio Tridentino, constanter propugnarunt; quam & aliarum gentium Theologi & Canonistæ plures & doctrina celebres tuentur, Cardinalis *Cusanus Panormitanus*, Magister ejus Cardinalis Florentinus, *Tostatus* Episcopus Abulensis, *Joannes Driedo* lib. 4. *De Dogmatibus*, cap. 4. *Dionysius Carthusianus* lib. 1. *De Authoritate Papæ & Concilii*, cap. 31. *Thomas Illyricus* Ordinis FF. Minorum in *Clypeo Papali*, quem adversus Lutherum edidit, & *Hadriano VI.* dicavit; Coloniensis Academia, in Tractatu *De Potestate Papæ & Concilii*, quem ad *Theodoricum* Coloniensem Episcopum scripsit; Cracoviensis Academia, in Tractatu suo *De Authoritate Conciliorum*, quem anno 1441. ad *Uladislaum* Poloniæ & Hungariæ Regem exaravit. Opinionem a Catholicis Academiis pluribus & celeberrimis, a Theologis & Canonistis omnium gentium & Ordinum insignibus propugnatam, non est cur reprehendant Religiosi Censores.

SCHOLION III.

Religiosi Censores ibidem hanc Propositionem velut meam reprehendunt: *Ecclesiæ, id est, Concilio Generali data infallibilitas Judicii & finiendi controversias*.

R. Tò *id est*, ibi non legitur, hæc explicatio non est mea: Ecclesiam enim extra Concilium Generale authoritatem habere finiendi controversias fidei, judiciique indeficientis privilegia a Christo donatam, qui cum ipsa *est omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: a Spiritu Sancto illuminatam, qui *docet illam omnem veritatem*: esse semper *columnam & firmamentum veritatis*, quamvis non sit in Concilio congregata, credo & propugno. Sed ita scripsi eo loci: *Christus Ecclesiæ suæ, quam Generale Concilium repræsentat, authoritatem dedit finiendi controversias fidei, ac indeficientis judicii privilegium ipsi contulit, ut Scriptura Sacra docet*. Ista autem Propositio quoad omnes partes dogma Catholicum est.

SCHOLION IV.

In eadem Dissertatione, pag. 140. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Potestas oves pascendi data fuit S. Petro, quatenus Ecclesiæ personam gerebat, & ideo non soli Petro, sed Ecclesiæ data est*.

R. Sancti Augustini principium est, cujus verba ibidem refero.

SCHOLION V.

In eadem Dissertatione, pag. 141. hanc Propositionem notant Religiosi Censores : *Papa Decreta a Concilio Generali confirmantur*.

R. Non ita scripsi, sed *S. Leo Magnus* (inquam) *Summi Pontificis Decreta Fidem etiam spectantia, universalis Synodi assensu confirmari docet*. Facti quæstio est. An S. Leonis sensum sim assecutus, hæc Sancti Pontificis ad Theodoretum scribentis verba demonstrant : APOSTOLICÆ SEDIS EPISTOLA UNIVERSALIS SANCTÆ SYNODI ASSENSU FIRMATA. Id tamen non impedit quin Romanus Pontifex jus habeat congregandi Concilia, illis per se vel per Legatos præsidendi, & illa confirmandi, ut occasione data propugno. Quæ sententia mea semper fuit.

SCHOLION VI.

Ibidem hanc Propositionem notant Religiosi Censores : *Conciliorum Constantiensis & Basileensis approbata Decreta*.

R. Constantiensis Synodi Decreta *Martinum V.* Basileensis, ad Sessionem saltem 18. Eugenium IV. approbasse & confirmasse, horum Pontificum Diplomata probant, ipsis Conciliis inserta. De Sessionis tertiæ Basileensis Concilii Decretis, non de iis quæ translato Ferrariam, ac deinde Florentiam Concilio edita sunt, loquor eo loci. Sic loquuntur Sacra Facultas Parisiensis & Ecclesia Gallicana.

SCHOLION VII.

Ad eamdem Dissertationem, pag. 142. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apposuerunt : *Divi Thomæ extorta explanatio : Ad solum Papam pertinet condere Symbolum, non excludendo Concilium Generale, & divinam Episcoporum Authoritatem*.

R. Religiosis Censoribus videtur contorta, aliis viris eruditis, nulloque præjudicio præoccupatis plana & naturalis forte videtur, quemadmodum visa est & mihi. *Unusquisque in suo sensu abundet*. An sic vel aliter intelligendus sit S. Thomas, mera criticæ quæstio est.

SCHOLION VIII.

Ibidem hanc Propositionem notant Religiosi Censores : *Episcopi in diversis Conciliis de rebus Fidei judicavere; unde eorum authoritas non excluditur, quia divina*.

R. Juris esse Episcoporum cognoscere Fidei causas, ac de illis Judicium ferre, ex multis factis, exemplis & monumentis Antiquitatis Ecclesiasticæ confirmo totis sex paginis sequentibus. Divinam esse Episcoporum Authoritatem, sive a Christo immediate institutam, doctrina est Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ, ne plura dicam impræsentiarum. Theologorum Hispanorum & Gallorum concors erat sententia in Concilio Tridentino, de Authoritate Episcoporum jure divino instituta. Hanc postremo tradiderat *Franciscus Victoria* Dominicanus, Theologus præstantissimus, & Theologiæ Scholasticæ in Hispania seminator. Hinc variæ concertationes ortæ. Hanc sententiam Summum Pontificem improbasse ac rejecisse falso scripsit *Petrus Suavis Polanus*. Quæstionem Concilium non finivit, quod ea non inter Catholicos, & Hæreticos controversa esset, sed inter Catholicos Theologos disceptaretur. Ita refert *Palavicinus* in Historia Concilii Tridentini, Lib. 19. Cap. 6. & Cap. 8. Lib. 21. Cap. 12. & 13. Verum hac seposita Quæstione, utrum Episcoporum authoritas & jurisdictio sit a Christo immediate instituta : certum semper est eorum Authoritatem *Divinam* esse, siquidem *Ordinatione Divina* sunt instituti, ut sacra Synodus Tridentina loquitur Sessione 23. Canone sexto. Quid igitur causæ cur hanc Propositionem reprehendant RR. Censores, *Episcoporum Divina Authoritas*.

SCHOLION IX.

In eadem Dissertatione, pag. 147. Religiosi Censores hanc Propositionem notant velut meam : *Cuidam Concilio Provinciali Galliæ Romani errorem attribuerunt, non incompetentiam judicandi*.

R. De Concilio Provinciali Galliæ ne verbum quidem ullum habetur eo loci. En verba mea : *Quæstionem de Baptismate hæreticorum S. Cyprianus cum Africanis Episcopis; Firmilianus cum Episcopis Cappadociæ, aliarumque Provinciarum agitarunt : quibus etsi Romani merito errorem objecerint, numquam tamen incompetentiam*. Quid in hac Observatione veritati contrarium? Si hunc locum attente legissent RR. Censores, Concilia Africæ & Cappadociæ non existimassent esse Concilia Provincialia Galliæ. Conciliis Nationalibus & Provincialibus incompetentiam de Fidei controversiis judicandi objici debuisse sentiunt a Romana Ecclesia : sed alia est Romanæ Ecclesiæ, sicut & Gallicanæ sententia.

SCHOLION X.

In eadem Dissertatione, pag. 149. hanc Propositionem notant Religiosi Censores : *Alexander III. dicit, quod Episcopis in suis Provinciis competit jure divino potestas judicandi*.

R. Mera hæc facti quæstio. Hanc *Alexandri III.* fuisse sententiam, ex ejus Epistola ad *Willelmum* Senonensem Archiepiscopum probavi. Cæterum Propositionem meam mutilarunt RR. Censores, ut jus Sedis Apostolicæ siluisse vel minuisse videret. *Episcopos* (inquam) *Controversiarum Fidei jure divino Judices agnovit in Synodis Provinciarum suarum : Quamvis ad Sedem Apostolicam de his referre debeant, cujus demum judicio finiuntur*.

SCHOLION XI.

Dissertationis ejusdem pag. 150. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Finitiva Sententia Papæ omnes parere debent ex Cathedra edita, id est, accedente Ecclesiæ consensu firmatæ, cui nullus subesse potest error : quia Ecclesia ex Privilegio Christi est indeficientis judicii*.

R. De Summi Pontificis Authoritate eo loci magnifica loquor. Illi tribuo quicquid Fides Catholica tribuendum docet. Indeficientis etiam judicii Privilegium illi assero, cum loquitur *Ex Cathedra*, ut vulgo ajunt Theologi. Cæterum cum inter Theologos non conveniat quid sit illud, *Ex Cathedra loqui*, Sacræ Facultatis Parisiensis, in qua sum institutus, opinionem & explicationem sequor, Pontificum Decreta *Ex Cathedra* edita dicens, quæ *Accedente Ecclesiæ consensu* firmantur. *His nullum errorem subesse posse*, vere ac religiose affirmo : *cum Ecclesiam indeficientis Judicii Privilegio a Christo donatam fides doceat*. An solum Pontificem Romanum, non Ecclesiam, infallibilem esse volunt Religiosi Censores? Contrarium censet Sacra Facultas Parisiensis & Ecclesia Gallicana. Ecclesiam indeficientis Judicii privilegio a Christo donatam, dogma Fidei est.

SCHOLION XII.

Hanc rursus Propositionem ibidem notant Religiosi Censores : *Sententiæ Papæ standum est, judicantis secundum Traditionem, quod apparet ex consensu Ecclesiæ accedente*.

R. *Secundum Traditionem Ecclesiæ Romanæ, cui Apostoli Petrus & Paulus totam doctrinam fidei cum sanguine profuderunt*, judicium de fidei controversiis ferre debere Romanum Pontificem, recte scripsi. Utrum porro secundum hanc traditionem judicaverit, *Accedentem Ecclesiæ consensum testari ac manifeste probare*. Indeficientis judicii in Summo Pontifice Privilegium, ex Ecclesiæ consensu velut ex argumento, signo, & testimonio, quo manifeste probetur, non velut ex causa a qua derivetur, repeto. Hoc est quod *Silvester Prierias* Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Magister in Summa, verbo *Concilium*, scripsit : *Sicut*

non

non errat Ecclesia perseveranter, ita nec Papa quamdiu est caput Ecclesiæ, & ut caput Ecclesiæ, id est, utens adjutorio membrorum Ecclesiæ, per Concilia, & orationes, & hujusmodi. Hoc est, quod *Joannes Viguerius* Ordinis Prædicatorum Professor Conventus Tolosani scripsit in *Institutionibus Theologicis*, ubi de potestate condendi Symbolum tractat. *Summus Pontifex* (inquit) *ut privata persona errare potest, non tamen ut est Summus Pontifex. Ideo si ut privata persona Symbolum edere tentaret, non esset Symbolum, maxime ubi a vera fide deviaret. Si autem procedat & pronuntiet ut Summus Pontifex, quando observat Ritum in Conciliis Apostolorum & Sanctorum Patrum definitionibus observari solitum, ut puta quando vocat Concilia Episcoporum, & instat instareque facit orationibus, & invocat Spiritum Sanctum, cujus assistentia Ecclesiæ promissa est, immo & ipsemet talibus Congregationibus affuturum se pollicitus est, non patitur ipsum errare: & sic quod Papa ut Papa facit, Concilium rite congregatum, quod repræsentat universalem Ecclesiam facit. Sedes enim Romana Concilio rite congregato directa in determinationibus fidei & morum sic confirmata est, ut errare non possit*. Institutiones Theologicæ Viguerii Romæ non sunt improbatæ, licet ita senserit ac scripserit. Ego vero Concilii congregationem necessariam non esse censeo, ut Summi Pontificis Decreta secundum Traditionem edita & ab infallibili oraculo profecta censeantur: satis esse existimo, ut Ecclesiæ consensus accedat vel antecedens, vel consequens, etiam extra Concilium.

SCHOLION XIII.

Pag. 153. ejusdem Dissertationis, Religiosi Censores hanc Popositionem notant: *S. Thomas hanc sententiam Christi*, Rogavi pro te Petre, *&c. explicat de Ecclesia, non de persona Petri*.

R. Non de fide S. Petri, *quatenus singularis* & privata *persona est, sed de fide universalis Ecclesiæ*, istud Christi Domini oraculum a S. Thoma explicari dixi. Facti quæstio est. S. Thomæ testimonia protuli. Addidi pag. 156. S. Thomam Commentario in Cap. 16. Sancti Matthæi, illa Christi verba, *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, referre *Non solum ad Ecclesiam Petri, sed ad Fidem Petri, & ad totam Occidentalem Ecclesiam. Ad fidem, quæ tam integra, tam illibata ad hanc usque diem in Ecclesia Romana servata est, ut etiamnum vera sint, & perpetua veritatis futura, quæ scripsit S. Irenæus*: Ad „ hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem „ necesse est omnem convenire Ecclesiam..... in „ qua semper conservata est ea quæ est ab Apostolis „ Traditio. *Hanc*, inquam, *fidem Ecclesia Romana, quatenus per B. Petri Sedem caput orbis effecta est, & omnium Ecclesiarum mater & magistra evasit: Fidem illam, cujus professione Catholici Romani dicimur & sumus.... Hanc fidem deficere non posse, non unus censuit S. Thomas, sed 11. & 12. sæculi, quorum tractamus historiam, Doctores affirmant. Ex quorum etiam doctrina colligitur, authoritatem finiendi Controversias fidei ad Romanam Ecclesiam & Summum Pontificem pertinere*. Hæc & alia quæ sequentibus viginti paginis subjunxi ad utramque illam veritatem confirmandam testimonia Patrum & Authorum Ecclesiasticorum selecta, luculenta, egregia dissimularunt RR. Censores. Sententiam illam Christi, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, eo modo explico, quo explicuit Thomas Valdensis lib. 11. Doctrinalis Fidei, cap. 19. *Hæc est Ecclesia Christi Catholica & Apostolica, Mater credentium populorum, quæ fidem habet indefectibilem secundum promissam Christi ad Petrum, qui tunc figuram gessit Ecclesiæ. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, &c.* Eo modo explico quo explicuit Joannes a Turrecremata Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis lib. 2. Summæ, cap. 109. *Tanta*, inquit, *soliditate veritatis Apostolicum Thronum Clementia Divinitatis firmavit, quod judicium ejus in his quæ fidei sunt errare a veritate non possit. Decebat sane ut Sedes illa, quæ superni dispositione consilii Magistra fidei & Cardo omnium instituebatur Ecclesiarum, in his quæ fidei sunt hominumque necessaria saluti, ab ipso omnium authore Deo, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, hoc singulari infallibilitatis munere donaretur: in cujus rei sacramentum & primo illius Sedis Pontifici divina dispensatione nomen firmitatis imponitur, scilicet Petrus, quod Syra lingua rupes interpretatur*. Et infra: *Apostolicæ Sedis Judicium in his quæ fidei sunt, esse indefectibile, manifeste probatur ex promissione illa Christi, qua Petro pro Sede sua loquens, ait Lucæ XXII. EGO pro te rogavi, ut non deficiat fides tua*, &c. Et infra: *Illa Magistra & Regina omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia, cui dictum est; Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua*.... Hunc locum explicui ut *Joannes Driedo* Theologus Lovaniensis lib. *De Ecclesiasticis Dogmatibus*, cap. 3. p. 3. in Resp. ad primum: *Sic verba Christi ad Petrum dicta*: „ Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, *accipienda sunt ut intelligantur, non Petro soli, ut privatæ personæ, sed ut futuro Ecclesiæ universalis Pastori; & ideo quod Petro promittitur, dignitati Cathedræ Petri promittitur: proinde & intelligitur promissum omnibus, qui Petro in dignitate Pastorali succedunt, cum in Petro intelligantur & ipse & omnes Successores illius. Rursus intelligantur de fide permansura non apud personam Petri & Successorum ejus, sed apud Sedem, Dignitatem Pastoralem, Cathedram seu Ecclesiam Petri. Sic sensus erit*, Ut non deficiat fides tua, *ut non prorsus pereat fides a Sede tua, a Cathedra tua, intelligendo Sedem, Cathedram, seu Ecclesiam, non solum universaliter, sed specialiter futuram ad curam Petri & Successorum illius. Quo fit ut verba Christi dicta Petro ex consequenti dicta intelligantur Romanæ Sedi, cui præsidet Episcopus, qui Petro legitima lectione succedit. Non est igitur arbitrandum absurdum, si Christus specialiter videtur orasse pro Diœcesi ipsius Petri & Successorum ejus; talem siquidem intelligentiam habuerunt Cyprianus, Bernardus, cæterique Patres; arbitrantes apud Ecclesiam Romanam fidem non perituram usque in consummationem sæculi* &c.

SCHOLION XIV.

Pag. 154. Dissertationis ejusdem, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *In S. Cypriano fuit venialis error de Baptismo, quia nondum fuerat in Concilio Generali definitum, quamquam Papa declarasset standum Traditioni*.

R. Scripsi dumtaxat hanc fuisse *S. Augustini* Sententiam, cujus verba protuli ex libro 1. *De Baptismo*, cap. 18. An ita docuerit *S. Augustinus*, meru facti quæstio est.

SCHOLION XV.

Pag. 155. ejusdem Dissertationis, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *In Papa residet authoritas definiendi res fidei principaliter, non totaliter*.

R. Authoritatem illam *principaliter in Summo Pontifice residere*, S. Thomas docet. Hinc consequens est, ut totaliter in ipso non resideat: sicut cum dicimus, Animam esse principaliter in corde vel in cerebro, consequens est in his non esse totaliter. Sic (inquam) authoritas judicandi de Controversiis Fidei in Summo Pontifice residet *principaliter, quia nobilius Ecclesiæ membrum est, & ministeriale Caput, prærogativum habet suffragii in Conciliis Oecumenicis, quæ illius Authoritate congregantur, & ejus sententia confirmantur, & sic finitiva de controversiis fidei sententia ad ipsum pertinet. Non totaliter, quia in cæteris etiam Episcopis, & in Synodo Oecumenica residet divina illa Authoritas*. Num authoritatem judicandi controversias fidei, non solum principaliter, sed totaliter in Romano Pontifice residere RR. Censores volunt? Nullam scilicet Episcopis, & Synodis, etiam generalibus, in Spiritu Sancto legitime congregatis hanc in rem a Christo collatam? Sed hanc doctrinam Scripturæ Sacræ, Traditioni, Doctrinæ Romanæ & universalis Ecclesiæ contrariam Sacra Facultas Parisiensis censet. Joannes de Turrecremata Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, lib. 3. Summæ *De Ecclesia*, cap. 64. scripsit: *In materia fidei jam definita per Apostolicam Sedem potius standum est judicio Pa-*

pæ, quam Patrum Concilio, juxta B. Hieronymum in Cap. HÆC *est fides : In materia autem nondum ab Ecclesia definita magis regulariter standum foret judicio Patrum totius Concilii, quam Judicio Romani Pontificis. Colligitur ex Cap. ANASTASIUS.* Id autem non scripsisset, si authoritatem judicandi controversias fidei in Summo Pontifice totaliter residere sensisset, ita ut in Episcopis & Conciliis nullatenus resideat.

SCHOLION XVI.

Pag. 159. ejusdem Dissertationis, hanc Propositionem notant Religiosi Censores : *Cardinales non ideo Gallicanis Episcopis succensebant, quod de fidei controversiis judicassent ; id enim ipsorum juris erat.*

R. Id a me luculenter probatum. Id juris Episcoporum esse, quamvis in hujusmodi judiciis præcipuæ sint Romani Pontificis partes, quia summus est controversiarum fidei Judex, & ad Eum referri debet Episcoporum judicium, & ejus Authoritate controversiæ fidei finiuntur : censent Sacra Facultas Parisiensis & Ecclesia Gallicana.

SCHOLION XVII.

Pag. 178. ejusdem Dissertationis, id reprehendunt Religiosi Censores : *Hanc Propositionem Facultas Parisiensis tamquam erroneam damnavit : TOTA authoritas dans vigorem statutis Concilii Generalis non residet in solo Summo Pontifice.*

R. Facti quæstio est, cujus veritatem Sacræ Facultatis Regesta & Tabularia testantur.

Nota.

RAtiones, quibus S. Thomas uni Romano Pontifici novi edendi symboli tribuit authoritatem, illam ab alia quacumque particulari synodo ablegant. Dum nova editio symboli inter majores causas sit referenda, ut observat Angelicus, jam Capiti ecclesiæ reservatur ; ita etenim ipsius gubernium exposcebat, & experientia ipsa compertum est majores & difficiliores ecclesiæ causas ipsius judicio esse subjiciendas. Sed neque esse privatarum ecclesiarum symbolum condere, quamvis non proponendum omnibus fidelibus, illa S. Thomæ ratio demonstrat, qua id uni Romano Pontifici assignat, ut nempe eadem sit totius ecclesiæ fides. Sane si daretur unicuique ecclesiæ particulare Symbolum suis fidelibus proponere, facillime eveniret unius ecclesiæ symbolum ab altero in verbis saltem & explicatione discriminari ; atque ita schismatum occasio posset oriri, ob quæ vitanda vult S. Thomas unum Romanum Pontificem posse symbolum edere. Id prævidisse videntur & ipsi Apostoli, quapropter ut unum idemque symbolum esset in ecclesia, & ita eodem modo ubique fidelibus fidei mysteria proponerentur, de symbolo ubique promulgando convenere antequam dividerentur. Qui ecclesiæ historiam perscrutantur, sciunt quas turbas inter fideles excitaverit additio facta symbolo illius vocis, *Filioque* : quid ergo non pertimescendum, ubi singulis ecclesiis fas esset particulare symbolum indicere ?

Nota.

ALibi plene examinanda præstantia Papæ supra œcumenicum Concilium. Hic nihilominus aliquatenus sistendum ad quædam explicanda quæ affirmat Natalis, simulque demonstrandum mentem S. Thomæ non fuisse assequutum.

Primo igitur præ oculis habenda illa propositio : *Concilii generalis divina supremaque authoritas.* Vera ea est, si a Romano Pontifice fuerit indictum, quoties tamen ecclesia suo non sit viduata pastore, vel incertum non sit, cujus vocem debeat audire. Ubi innotescat indubitatus Pontifex, non potitur Concilium divina authoritate, si ab eo non convocetur, vel saltem ratam habeat ipsius celebrationem ; elanguent enim membra a capite discissa, & sua carent virtute. Hinc crimini datum est Dioscoro, quod *Synodum ausus est facere sine authoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam factum est, nec fieri licet,* ut ajebat Legatus Pontificis in Concilio Chalcedonensi *act.* 1. Probare insuper necesse est Romanum Pontificem, conciliorum sanctiones eisdem conciliis adhærendo, ut quæ decrevit, divina intelligantur prodidisse authoritate : infirma etenim essent quæ membra statuerent, Capite refragante : *In universalibus Synodis,* ajebat Nicolaus I. ep. 7. *quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod Sedes B. Petri probavit, ut ipsi scitis, habetur ? Sicut e contrario quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo constat hactenus reprobatum.* Et S. Jo. de Capistrano 2. *p.* 3. *p. princ.* 3. *de Pap. & Concil. sive Eccles. auct.* hæc habet : *Pro solutione omnium contrariorum dicendum est, quod superstite Papa, & sic Sede plena & non vacante, semper in universalibus Conciliis tam in principio vocationis, quam in omnibus agendis & continuandis & terminandis, authoritas Papæ est necessaria. Papa ergo vivente sine sua licentia & authoritate nullum concilium, nulla lex universalis, nulla constitutio, nullaque valida sententia.*

Mirum autem est Natalem opinari potuisse S. Thomam putasse inesse Conciliis divinam authoritatem, si ab ipsis illa segregetur potestas, quam in ea transfundit summus Pontifex. Observandum igitur in argumento *sed contra,* editionem symboli summo Pontifici ea ratione asserere, quia facta est in synodis generalibus, quas ad eumdem pertinet convocare. Hoc sane argumentum nullam habet vim, si ita non concipiatur : Cum Concilia generalia, quæ minora sunt Pontifice, quia ab eo convocantur, symbolum ediderint, consequens multo magis est id posse Romanum Pontificem, in quo superior emicat potestas. Et quidem ubi Concilium Papa superius credidisset, ex eo quod Concilium symbolum ediderit, pessime intulisset id ad Papam pertinere ; minime enim oportet & Inferiorem eam obtinere authoritatem, quam Superior operatur. Porro si in Pontifice major splendescit authoritas & eam ad Concilium derivare concipimus ; qui etenim superior est inferioribus confert potestatem. Ipse Angelicus exponit vim præfati argumenti in responsione ad secundum ; postquam etenim prohibitionem edendi symbolum universales Synodos non afficere affirmavit, statim ita infert : *Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus authoritate synodus congregatur & ejus sententia confirmatur :* quæ verba, nisi velimus violentas admittere interpretationes, subjectionem synodi Romano Pontifici palam innuunt.

Ex his lux affulget ad intelligendum, in quo sensu S. Thomas dixerit in Romano Pontifice *principaliter* residere potestatem ea quæ ad fidem spectant decernendi. Ideo *principaliter* in Romano Pontifice residere dicit Natalis *num.* 12. quia non illius membrum est & caput ministeriale, non quia tota in eo sit authoritas, quæ fidei sunt proponendi. Ita in Monarchiis aristocratia temperatis, in rege principaliter emicat regiminis potestas, non tamen totaliter, hæc etenim in regni Ordinibus consideratur. Hujusmodi tamen explicationi jam dicta opponuntur, ubi etenim probare assumpsit Angelicus Romanum Pontificem non carere potestate edendi Symbolum, quia eadem potiuntur Concilia generalia, in Romano Pontifice, ut visum est, superiorem Conciliis agnovit potestatem, & si illis superior est, necesse est esse totalem. Sed & illud non prætereundum art. 10. cit. n. 2. D. Thomam asserere ita ad Romanum Pontificem pertinere quæ fidei sunt decernere, ut *finaliter* ab eo determinetur, & quæ determinaverit, *inconcussa fide* esse tenenda : *Ad cujus authoritatem,* ait D. Thomas, *pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.* Quis autem non habens plenitudinem potestatis, potest *finaliter* aliquid judicare ? Ubi consurgere posset obligatio *inconcussa fide* assentiendi iis, quæ a non plena potestate decernerentur ? Dum igitur S. Thomas in Romano Pontifice potestatem *principaliter* ea decernendi quæ sunt fidei, agnovit, nihil plenitudini detraxit potestatis : sicut nihil profecto Monarchæ subtrahit, qui dicit *principaliter* ab eo regnum moderari, ita etenim dicendo non defectum innuit potestatis, sed quod alios in partem regiminis assumit.

Nota.

Nota.

ALiquando, ut tam crebro adnotatum est, nomine *confirmationis* nudus consensus indicatur, aliquando vero accessio authoritatis, & ultima firmitas. In primo sensu dictum est Concilium Chalcedonense confirmasse epistolam Sancti Leonis, ac post ejusdem Concilii finem quosdam illud confirmasse, ut observavi in animadversionibus ad eamdem S. Leonis Epistolam. Hunc vero sensum semper præfefert, quoties Inferiores, quæ decrevere Superiores, dicuntur confirmasse. Quando vero Pontifices Concilia confirmarunt, illis ultimam firmitatem tribuere; & re vera superflue solicita fuissent Concilia de pontificia confirmatione obtinenda, quoties absque illa nihil eis defuisset authoritatis. Vidimus in una ex præcedentibus Notis Nicolaum I. tamquam rem exploratam asseruisse, nihil ratum fuisse in universalibus Conciliis, nisi quod Romanus Pontifex probavit: non ergo decreta Conciliorum inconcussam obtinebant authoritatem quoadusque ab eodem Pontifice confirmarentur. Verum hac de re iterum sermo erit in Animadversionibus de præstantia Pontificis supra Concilium.

Nota.

SI ideo dicatur episcopus in Conciliis divina authoritate judicare, quia Deus voluit in ecclesia sua Ordinem Episcopalem assurgere, in hoc sensu nil est quod possit opponi. Si vero Episcopis divina asseratur authoritas, quia immediate a Christo jurisdictionem obtinuerint, id non cohæret iis, quæ perpendi. tom. 3. pag. 105.

Nota.

QUO sensu dictum sit claves Petro fuisse collatas, prout Ecclesiam repræsentabat, late expenditur in Animadversionibus de præstantia Pontificis supra Concilium.

Nota.

OMnino admittenda omnia ea, quæ cumulat Natalis in Scholio XIII. Ex eo ergo quod Christus impetraverit fidem Petri non defecturam, optime infertur fidem Ecclesiæ Romanæ, quæ caput orbis, magistra fidei, omniumque ecclesiarum cardo in Sede Petri facta est, non posse deficere. At perperam etiam inferretur hujusmodi privilegium non respexisse Petri personam, ejusque Successores, quatenus funguntur officio Doctoris, & Magistri universæ Ecclesiæ, ut videbimus quando Christi verba ad examen revocabimus in præfatis Animadversionibus.

Cæterum si ex Christi oratione discimus, Apostolicæ Sedis judicium in iis, quæ fidei sunt, esse indefectibile, promissam esse dignitati pastorali, seu Petri Cathedræ in fide firmitatem, ego statim concipio Romanos Pontifices pro universa Ecclesia fidei veritates definientes hujusmodi prærogativis suffultos. Conspiceretur ne in Cathedra Petri, in Sede Apostolica fides indefectibilis, quoties Magistri in ea sedentes, errores tamquam veritates credendas docerent, proponerentque?

ANIMADVERSIONES in Romani Pontificis privilegia, quæ in superiori Dissertatione PP. authoritate exponit P. Natalis, ex quibus in ipsius definitionibus infallibilitatem agnoscere necesse est.

ETiam atque etiam rogo meum Lectorem, ut non parcat aliquatenus immorari in perscrutandis tot authoritatibus, quas P. Natalis in superiori dissertatione coadunavit, ut semper magis cognoscat quas prærogativas PP. agnoverint in Christi Vicario. Primo igitur non solum S. Thomas, sed antea Innocentius I. quam refert Natalis *n.* 5. pronunciaverat finitivum controversiarum fidei judicium ad Romanum Pontificem pertinere, ac post ejus sententiam cæteras ecclesias veluti a natali sua fonte incorruptas doctrinæ aquas delibare. Profecto si ultimus controversiarum judex est Romanus Pontifex, necesse est in proferenda sententia esse infallibilem: sicut etiam si ab eo debent incorruptæ fidei aquæ diffluere. Ubi in iis quæ pertinent ad fidem proponendis, errori esset obnoxius, ipsius judicium non esset controversiarum finitivum, & ab eo aquæ turbidæ possent derivare; ac proinde aliud Tribunal esset adeundum, quod controversiis finem imponeret, incorruptamque doctrinam pronunciaret.

Secundo observandum PP. simul adnectere ecclesiæ infallibilitatem, ac infallibilitatem Romani Pontificis, & ex eo quod Ecclesia universalis non possit errare, inerrantiam Summi Pontificis agnoscunt. Et omissa modo authoritate S. Thomæ, de qua paulo post, S. Hieronymus *n.* 8. doceri expostulat a Sancto Damaso, quia apud ipsius cathedram perseverat fides Apostolico ore laudata. S. Thomas Cantuariensis *n.* 19. Romanam Ecclesiam fontem esse catholicæ doctrinæ affirmat, & super fidem, & doctrinam Petri Ecclesiæ structuram consurgere; ex quibus demum infert maxima ecclesiæ judicia examini Romani Pontificis, esse subjicienda. Origenes sub eodem numero relatus, privilegia collata ecclesiæ simul Petro concessa agnoscit, ex quo concludit Petræ, nempe Petri, judicia firma manere, *quasi Deo in illo judicante, ut in ipso jure dicendo portæ inferi adversus eum non prævaleant*. Sed ne longius protraham sermonem, perpendantur quæ habet ibi Natalis ex S. Joan. Chrysostomo, ex S. Leone, ex S. Agathone &c. & si veritatem interpretationibus ineptis non velit Lector obscurare, videbit ex ipsorum mente ita ecclesiæ infallibilitatem prædicari, ut in ipsius Caput refundatur. Ubi ergo inerrantiam ecclesiæ universæ a Christo collatam fateamur, idem dicendum de Romano Pontifice, ex iisdem etenim Evangelii verbis utramque PP. inferunt.

Id si considerasset Natalis, non dixisset antea, & postea *n.* 22. ex eo dignosci Romanum Pontificem in judicando de fidei controversiis non errasse, si ecclesiæ Romanæ aliarumque ecclasiarum illi assensus accedat. Equidem non diffiteor universæ ecclesiæ assensum signum esse veritatis; neque etenim portæ inferi prævalebunt adversus eam, nec aliud sonant verba quæ ibidem allegat ex Tertulliano; at prorsus inficias ibo expectandum eumdem consensum, ut Pontificis infallibilitas innotescat. Si ex verbis Christi, quæ toties inculcant PP. apud Natalem, universæ Ecclesiæ donatum agnoscunt privilegium, ut erroribus non possit sordidari, cur non idem privilegium Romano Pontifici collatum dicendum est, cum una & de ecclesia, & de Pontifice eadem Christi verba interpretentur? Hinc, ut infra etiam observabo, perpetuus est S. Thomas in inferenda Romani Pontificis infallibilitate, quia & immunem ab errore Christus suam voluit esse ecclesiam. Quo vero sensu dixerit S. Leo quæ ipse definierat *irretractabili universæ fraternitatis assensu firmari*, expendi in Animadversionibus post Dissert. 12. sæcul. 5. §. 3. Sufficiat hic adnotare S. Leonem antea a Natale relatum dixisse, quod quidquid ipse recte agebat, opus erat meritorum D. Petri, authoritatis, & potestatis; atque id obtinuisse ejusdem confessionem, ob quam accepit firmitatem Petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur. Neque etiam urgent, quæ P. Natalis refert ex Epistola Caroli Magni; manifeste etenim apparet ultra Romanæ, aliarum etiam ecclesiarum fidem a se exploratam dixisse, ut ita semper magis Elipandus, & Felix inexcusabiles redderentur, si non resipiscerent. Id manifeste dignoscitur, si expendantur ipsius verba, quibus scribit Romanum Pontificem consuluisse: *Ad Beatissimum*, ait, *Apostolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione nostra devotionis terque quaterque direximus Missos, scire cupientes quid sancta Romana ecclesia apostolicis edocta Traditionibus, de hac respondere voluisset inquisitione*. Si ergo quod Pontifex respondisset apostolicis innixum traditionibus agnoscebat, superfluum sane erat aliarum ecclesiarum responsa expetere; unde si de eis fuit solicitus, non alia ratione fecisse credendum est, nisi ut præfati semper magis agnoscerent hæretica dogmata

pro-

propugnare, cum viderent omnes ecclesias eadem respuere.

Tertio observandum ab Anselmo Havelburgensi, quem allegat Natalis n. 19. omnem Conciliorum authoritatem ab uno Romano Pontifice derivari. Juvat hic ejus verba repetere: *Quod autem dixisti*, ait, *hæreses hic exortas, hic esse mortuas, & hoc dixisti factum esse authoritate Sanctorum Patrum, qui fuerunt in Oriente, & qui in Nicæno Concilio, & in aliis multis Conciliis congregati sunt: miror tuam prudentiam quod hoc adscribas membris, quod erat Capitis; & quod Assidentibus hoc attribuas, quod constat esse Præsidentis. Qui videlicet SS. PP. qui eisdem conciliis interfuerunt, si hodie omnes viverent, nullus eorum, nec omnes quidem simul aliquam authoritatem alicujus concilii sibi usurparent, quia potius omnem conciliorum authoritatem Romano Pontifici recognoscerent, aut in propria persona præsidenti, aut per Legatos suos universa confirmanti.* Cum igitur inseparabili nexu colligata sint duo illa Romani Pontificis privilegia, quod ita Conciliis Œcumenicis præsit, ut illis authoritatem tribuat firmitatemque, & quod ipsius definitiones sint irreformabiles, ex hoc consurgit novum pontificiæ infallibilitatis argumentum.

Quarto non prætereundum non semel in superiore dissertatione Natalem scripsisse illa Christi verba: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua*, non tribui a S. Thoma S. Petri & Successorum personis, sed ecclesiæ universali. Verum non negando Christum etiam Ecclesiam universalem respexisse, video Sanctum Thomam ea oratione etiam S. Petrum ut summum Pontificem, ac proinde & ejus Successores in fide stabilitos putasse eo in loco, quem *n.* 2. citat Natalis *ex* 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10. Ibi igitur postquam dixit ad eum editionem symboli pertinere, ad quem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ita subdit: *Hoc autem pertinet ad authoritatem summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decretalibus Extra. de Bapt. cap. Majores. Unde & Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit; Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Demum animadvertendum quod Natalis videns tot prærogativas considerari a PP. in Romano Pontifice, ex quibus necesse est illum in definiendo infallibilem agnoscere, ita conatur eas explicare, ut simul cum ejusdem authoritate Conciliorum authoritas cumuletur. Verum non quæritur quid præstare possint œcumenica Concilia, sed quid Pontifex ex sola sua potestate; & si bene perpendantur verba PP. quos Natalis allegat, statim dignoscetur illorum mentem esse tandem fidei causas ad unum Summum Pontificem esse referendas, ipsiusque sententiam ab ecclesiis esse amplectendam, ipsumque Pontificem a periculo errandi abesse, sicut ab eo universa abest ecclesia; atque tam longe est a veritate ut velint Summi Pontificis & Conciliorum authoritatem simul uniendas, ut Siricius Papa *n.* 5. citatus tandem dicat: *Nos quasi ex Synodi authoritate judicare non convenit.*

Hæc etiam manifesta fiunt S. Thomæ mentem introspicienti; nil aliud etenim stabilire intendit, quam quid Summus Pontifex ex sua possit authoritate, quatenus ut Christi Vicarius ecclesiam regit; ipsique absque alterius accessione authoritatis tribuit finaliter determinare quæ fidei sunt, ita ut post ipsius determinationem *inconcussa fide* sint tenenda, ut habet 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10. atque ipsius verba refert P. Natalis *n.* 2. Ex eo etiam quod ecclesiæ judicium errare non possit, infert *standum esse sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide* quodl. 9. art. 16. Et opusc. *adversus Græcos* in eo agnoscit *universalem prælationem in tota ecclesia Christi — plenitudinem potestatis in Ecclesia —* sicut & ad eum *pertinere quæ fidei sunt determinare*. Horum omnium obvius sensus statim nobis repræsentat Papam ita fungi divino magisterio in Christi ecclesia, ut nulli subsit; ita etenim convenit habenti universalem prælationem, & plenitudinem potestatis; & si nulli subest, omni prorsus infallibilitate ipsius definitiones donantur. Qui vero ex iis quæ docet S. Thomas præfatas prærogativas vult a summo Pontifice removere, oportet diversis interpretationibus S. Thomam ad alia distrahere, quæ statim commode rejiciuntur, cum naturali verborum sensui adversentur. Dum e. g. dixit S. Thomas Romanum Pontificem *in totam ecclesiam universalem prælationem obtinere*, statim nulli inferiorem agnoscimus. Ut vero Natalis hanc prælationem subducat, ex proprio sensu dicit *n.* 24. S. Thomam intellexisse *per totam ecclesiam*. Sed fallitur, & potissimum fallitur dum putat stabilire suam interpretationem ex iis, quæ dicit S. Thomas in Opusculo contra Græcos. Ut stabiliret *universalem* Pontificis *prælationem in totam Ecclesiam Christi* observat in Conc. Chalcedonensi *universalem Patriarcham* fuisse appellatum. Porro qui universalis est Dominus, non solum singulis partibus, sed omnibus etiam simul sumptis dominatur. Atque ita particulares Patriarchæ non solum singulis sui Patriarchatus ecclesiis, sed universis simul imperant. Observat ex Chrysostomo *Filium, quæ Patris est, & ipsius Filii potestatem, Petro ubique terrarum concessisse*. Hæc vero addit ex Cyrillo; *Sicut Christus accepit a Patre Dux & sceptrum Ecclesiæ Gentium ex Israel egrediens super omnem principatum & potestatem, super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem, sic & Petro, & ejus Successoribus plenissime commisit*. Et etiam. *Nulli alii quam Petro, Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit*. Dum vero S. Thomas Pontificis potestatem cum Christi potestate adæquat, certe intelligere non potuit omnibus singulis Ecclesiis, non vero etiam simul sumptis præesse. Sed & perpendantur quæ ipse Natalis refert ex S. Thom. n. 2. Docet ibi Angelicus necesse esse quod *quæstio de fide exorta determinetur per eum, qui toti ecclesiæ præest, sicut ejus sententia a tota ecclesia firmiter teneatur*. En S. Doctorem velle Romanum Pontificem *toti ecclesiæ* præesse, cur ergo & *in totam Ecclesiam* non dominabitur; Qui toti regno præest, & in totum regnum imperium exercet. Et re vera si *in totam Ecclesiam* Romani Pontificis potestas non protenderetur, male inferret S. Thomas ex eo quod toti ecclesiæ præsit, illius sententiam firmiter a tota ecclesia esse tenendam.

Nota.

De approbatione decretorum Conciliorum Constantiensis, & Basileensis sermo erit, ubi de his Conciliis late pertractabimus.

DISSERTATIO IX.

De Concilio Lateranensi III. Oecumenico XI.

ARTICULUS I.

Concilii Indictio Ab ALEXANDRO III. *Pontifice Maximo facta.*

Cum *Fridericus I.* schisma ejurasset, jamque toto orbe Christiano legitimus Pontifex coleretur *Alexander III.* Concilium Œcumenicum Romæ celebrandum indixit. Convocatio fieri cœpta est anno 1177. ut testatur *Willelmus Tyrius*, lib. 21. de Bello sacro, cap. 26. *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini 1178. qui erat Regni Domini Balduini IV. annus V. mense Octobri, cum anno præcedente indicta esset per universum Latinorum orbem Romæ Synodus Generalis, ad eamdem Synodum vocati profecti sunt de nostro Oriente, ego Willelmus Tyriensis Archiepiscopus*, &c. Epistolam ad Episcopos & Abbates Tusciæ ea de re missam anno 1178. ad Orientales primum, deinde ad aliarum regionum Antistites scriptam verisimile est. Hujusmodi namque Literas convocatorias Synodorum, easdem ad universos orbis Christiani Episcopos datas fuisse, sola inscriptione mutata, norunt Antiquitatis Ecclesiasticæ periti. Per Subdiaconos mittebantur. Sic *Octavianum* Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum ad Rothomagensem Provin-

ciam

ciam ab *Alexandro III.* missum, ut Archiepiscopum, & Suffraganeos ipsius, Abbatesque convocaret; & alios pariter Subdiaconos ad cæteras orbis Christiani Provincias ob eamdem causam missos, *Robertus de Monte* ad annum 1179. commemorat. Qui tamen uno anno tardius convocationis & celebrationis istius Concilii figit epocham. In Literis convocationis significat *Alexander*, Concilia Generalia cumprimis utilia esse, quia non possent facile plenum robur habere, quæ particulariter extra Concilium Œcumenicum decernerentur. „ Quia, *inquit*, in Ecclesia Dei correctione videmus quamplurima indigere, tam ad emendanda quæ digna emendatione videntur, quam ad promulganda quæ saluti Fidelium visa fuerint expedire: de diversis partibus personas Ecclesiasticas decrevimus evocandas, quarum præsentia & consilio quæ fuerint salubria statuantur; & quod bonum, secundum consuetudinem antiquorum Patrum providetur, & firmetur a multis. Quod si particulariter fieret, non facile posset plenum robur habere. Quocirca per Apostolica vobis Scripta mandamus, qualiter huic nostræ dispositioni plenis desideriis cooperari curetis, & prima Dominica advenientis Quadragesimæ, ad Urbem Romam, ducente Domino, veniatis, & cooperante Sancti Spiritus gratia, tum in corrigendis enormitatibus, tum in statuendis quæ Deo grata fuerint, communi studio, quod fuerit agendum, agatur, & uno humero sublevemus Arcam Domini, atque uno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Conciliorum Generalium utilitas.

ARTICULUS II.

Concilii tempus, Locus, Præses, Numerus Episcoporum.

Concilium Lateranense III. Œcumenicum XI. celebratum est anno Christi millesimo centesimo septuagesimo-nono, ipsius *Alexandri XX. Friderici* Imperatoris XXV. ut colligitur ex *Ottone Frisingensi* lib. 7. Chronicorum cap. ultimo, scribente: *Alexander universalis totius Ecclesiæ Pater canonice confirmatus est, qui secundo confirmationis suæ anno maximum Romæ Concilium congregavit*, &c. Annus confirmationis *Alexandri III.* quo scilicet *Friderico* Imperatore schisma ejurante, a toto orbe Christiano legitimus Pontifex agnitus est, & quovis æmulo sublato, sedit pacifice, fuit millesimus centesimus septuagesimus septimus; annus igitur Lateranensis Concilii fuit millesimus centesimus septuagesimus-nonus. Hanc epocham confirmant *Matthæus Paris*, *Willelmus Tyrius*, *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis, *Helmoldus* in Chronico Sclavorum, Lib. 2. Cap. 28. & *Albertus Stadensis*, in Chronico. Falso itaque scribit Abbas Urspergensis in Chronico: *Anno Domini millesimo centesimo octogesimo-secundo, Alexander Papa celebravit Concilium Generale in Basilica Lateranensi, circa Kalendas Aprilis, licet alibi reperiatur quod ipsum celebraverit anno Domini millesimo centesimo septuagesimo-nono. Sed potest esse quod tunc cum aliquibus Episcopis Italiæ Synodum habuerit.* Celebrata est ista Synodus Romæ, in Basilica Lateranensi, unde Lateranensis III. nuncupatur, & inter Œcumenicas numeratur undecima. Ipsi præfuit *Alexander III.* Adfuerunt trecenti Episcopi, teste *Willelmo Tyrio* lib. 21. *De bello sacro*, cap. 25. Decem supra trecentos numerat *Matthæus Paris* in Historia Anglorum ad annum 1179. Sed Tyrio Archipræsuli, qui unus erat e Patribus, magis credendum. E Gallicana Ecclesia magno numero adfuere, quorum nomina Sedesque docet Fragmentum Actorum editum a J. *Picardo* in Notis ad *Guillelmum Neubrigensem* p. 737. & a D. *Luca Dacherio*, Tom. XII. *Spicilegii* pag. 638. demum in Collectione Labbeana Conciliorum. Inchoata est Synodus quinta die Martii. In ea de Schismaticorum damnatione, & de mediis prohibendi in posterum Schismatis, de damnatione Valdensium & Albigensium Hæreticorum, & de restauranda Disciplina actum est.

ARTICULUS III.

Concilii celebrandi prima ratio fuit damnatio Schismaticorum.

Rolandus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarius post *Hadriani IV.* obitum a Cardinalibus viginti tribus electus Pontifex, & *Alexander III.* appellatus, æmulum passus est *Octavianum*, qui tribus tantum suffragiis munitus, Pontificiæ Dignitatis Insignia temere assumpsit, & *S. Petri* Sedem invasit, imposito sibi nomine, *Victoris IV.* Ut primum consecratus est *Alexander* Legatos misit ad *Fridericum I.* Imperatorem, qui tunc obsidionem Cremonensem urgebat. Quos ille non solum superbe & contemptim excepit, Literasque Pontificis aspernatus est, sed & suspendium ipsis intentavit sacrilegus. Id constat ex Actis *Alexandri III.* ex Codice Vaticano ab Annalium Ecclesiasticorum Parente laudatis. Scripsit etiam novus Pontifex ad *Gerardum* Episcopum, & Canonicos, ac Magistros Bononienses, Epistolam, qua Jus electionis suæ exposuit. Hanc exhibet *Radevicus* lib. 2. *De Gestis Friderici*, cap. 51. Literas etiam Encyclicas ad omnes Episcopos, & Principes, & inprimis ad *Fridericum*, & ejus Curiam scripserunt, cum *Victor* Antipapa, tum Cardinales ipsi adhærentes, quibus fucum facere sunt conati & electionem suam legitimam comprobare; *Alexandri*, quasi intrusionem, cum execratione sugillare. Has Literas exhibet *Radevicus* cap. 50. & 52. ejusdem libri. Scripserunt pariter ad Imperatorem *Alexandri* Cardinales, ipsumque obsecrarunt, ut Ecclesiam Romanam tueretur a Schismaticis, prout ex officio Dignitatis Imperialis tenebatur. Hanc Epistolam apud *Radevicum* cap. 53. legere est. *Fridericus* in partes *Octaviani* propensior, studiis omnibus in id incubuit, ut Sedem ipsis confirmare, sibique invisum *Alexandrum* excluderet. Specie igitur conciliandæ Ecclesiasticæ pacis, Concilium indixit Papiæ celebrandum, seu Curiam potius, ad quam totius Imperii, & aliorum Regnorum Episcopos & Abbates convocavit, ipsumque adesse jussit *Alexandrum*, cum Cardinalibus qui eum elegerant, ut electionis utriusque merita discuterentur ac declararetur quis illorum regimen universalis Ecclesiæ jure deberet obtinere. Scripsit etiam ea de re ad Ultramontanos Episcopos. Epistolas exhibet *Radevicus* Lib. 11. Cap. 55. & 56. Missi Romam ab Imperatore Verdensis & Pragensis Episcopi, Literas ipsius *Alexandro III.* tradidere, ipsum ut Pontificem nequaquam reveriti. Sed nec *Fridericus* ipsum in suis Literis alio nomine quam *Rolandum* Cancellarium, *Octavianum* vero Romanum Pontificem appellabat, præjudicata causa, cujus ad examen Synodum se convocare simulabat. *Alexander* inito cum Fratribus consilio respondit, se Imperatorem venerari ut *Advocatum & specialem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Defensorem*, eumque præ cæteris orbis Christiani Principibus, nisi per ipsum staret, in honore habiturum; salvo tamen in omnibus Regis Regum honore. Cæterum ejus Majestatem fines suos excurrere, dum sibi tribuit authoritatem Concilium convocandi *sine conscientia Romani Pontificis*, ipsumque Pontificem ad præsentiam suam, *sicut homo super illum potestatem habens*, præcipit convenire. „ B. Petro & per eum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus ipse per Deum magister extitit & fundator, hoc Privilegium legitime a Domino Jesu Christo, Sanctisque Patribus traditum esse, & per prospera & adversa, etiam cum sanguinis effusione, usque ad hæc tempora conservatum, ut universarum Ecclesiarum causas ipsius authoritate discuteret ac finiret; ipsa vero nullius umquam Judicio subjaceret. Unde se non passurum ut Ecclesiæ libertas opprimatur; nec sibi integrum esse ad Curiam ab Imperatore convocatam accedere, ejusque Sententiam subire, sed potius extrema quæque toleraturum. „ Ad Curiam ejus, *inquit*, vel ad Sententiam accedere, Canonica Traditio, & reverenda Patrum authoritas non permittit. Unde cum nec in minoribus Ecclesiis Advocati earum & sin-

Schisma Octaviani.

Fridericus I. Antipapæ Protector.

Papiense Conciliabulum ab Imperatore Schismatico congregatum.

Alexandri III. magnanimitas.

„ singulares Principes, vocationes, disceptationes, ac decisiones hujusmodi causarum sibi aut Curiis suis usurpent, sed suorum Metropolitanorum, aut Apostolicæ Sedis semper notitiam & definitionem habere expectent: divina videtur animadversione dignissimum, & ab omni Ecclesia tanto durius arguendum, quanto amplius ad universalis Ecclesiæ periculum redundaret, si per ignorantiam nostram, aut pusillanimitatem spiritus, a Capite (quod Deus avertat) diebus nostris iste morbus inciperet, & nos Ecclesiam pretioso Sanguine Christi redemptam, in servitutem redigi sineremus. Ergo pro cujus libertate tuenda Patres nostri proprium sanguinem effuderunt; & nos ipsi, ad eorum exemplum, exigente necessitatis articulo, extrema audemus pericula substinere „. Ob generosum *Alexandri* responsum indignati Imperatoris Nuntii, ad *Octavianum* Signiæ degentem accesserunt, ipsumque Imperatoris & Curiæ ipsius nomine, velut legitimum Pontificem salutavere. Ista constant ex Actis *Alexandri III.* quæ *Baronius* ex Vaticano Codice sæpe laudavit.

Arnulfus Lexoviensis Episcopus Alexandri III. legitimam electionem tuetur, & Gallicanam Anglicanamque Ecclesiam in ejus obedientia confirmat.

Interim cæteros Principes ad suum colendum Antipapam trahere conatus est *Fridericus*, atque inprimis Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem *Henricum II.* & Christianissimum Regem *Ludavicum VII.* sed frustra. Siquidem *Arnulphus* Lexoviensis in Normannia Episcopus, vir cui pietas & eruditio magnam apud Regem *Henricum* gratiam & authoritatem conciliarant, ejus Majestatem adiit, statim atque certior factus est de rebus in *Alexandri III.* electione gestis, ejusque occupavit animum adversus Antipapam, & ad *Alexandri* obedientiam inclinavit. Edicto solemni suam legitimo Pontifici adhæsionem, & execrationem schismatis profiteri, eamdemque obedientiam imperare subditis decreverat; sed ab Imperatore rogatus ut *Alexandri* susceptionem differret, ab Edicto promulgando abstinuit, satis esse judicans suam opere & exemplo significare voluntatem. Id discimus ex Epistola *Arnulphi* ad Alexandrum III. „ Ex quo, *inquit*, promotionis vestræ auribus nostris veritas, & oppositæ præsumptionis error innotuit, festinavi ad nostri notitiam Principis id perferre, ut vacantem animum ejus favore vestro, quibus debebam persuasionibus occuparem... Hæsit ille aliquandiu, sed statim operante Spiritus Sancti gratia confirmatus, nullum se alium quam vos suscepturum, hilari constantia, constantique simul hilaritate promisit. In quo cum proxime de differenda vestra susceptione Imperatoris Literas accepisset, cui, discurrentibus invicem Literis & Legatis, plurima videtur charitate conjunctus, ne preces ejus sprevisse, & in præjudicium ejus festinasse videretur, generale quidem suppressit Edictum, sed nequaquam manus aut linguam a literarum nominisque vestri veneratione continuit, neque quemquam nostrum voluit continere. Arbitratus est siquidem minus valituram pro vobis Edicti jactantiam, quam operis veritatem. Firma apud eum est & indubitata vestri Apostolatus authoritas, atque in quamcumque partem cor prædicti Principis fuerit inclinatum, iste proculdubio non sequetur errantem.

Tom. 22. Biblioth. Patrum Edit. Lugdun.

Cardinalibus etiam, qui *Alexandrum III.* elegerant, gratulatus est *Arnulphus* Lexoviensis, datis ad eos literis, quibus *Octaviani* Antipapæ, & ejus Electorum vitia, & Schismatis fœditatem palam ostendit. „ Si enim, *inquit*, eos quos ab unitate Catholica profana sejunxit ambitio, numerus vel opinio, vel quælibet electionis forma defenderet, aliqua fortassis erroris materia contrahi potuisset. Sed tres tantum de tota universitate seducti sunt, & hi sane quos magis supportare videbatur Ecclesia, quam in aliquo de eorum industria gloriari, quia scilicet eos nec virtutis elegantia, nec literarum peritia commendabat. Numquid enim is qui inter eos ætate præcedebat & ordine (Tusculanum loquor) horam quietis & prandii solitus observare, Epicurus alter reputabatur ab omnibus, omnium negligens, nisi alicujus forte quod oblata futuri proventus auspicatio præveniret? Quod adeo verum est, ut cæteris laborantibus, solus præmaturæ, sicut dicitur, ab electione discesserit, quoniam hora prandii videbatur instare, ne avidus desiderio suo fraudaretur exactor, & inania adversus negligentes manus inciperent viscera murmurare. Alius affectatæ Cancellariæ confusus opprobrio, & alienæ Prælationis honore dejectus, conceptum de invidia personale odium in Ecclesiam convertere temeraria malignitate præsumpsit. Tertius vero solius inter alios perituræ privilegio carnis exultans, arbitratus est nihil negandum sanguini, nihil sacris Canonibus deferendum. Neque enim potest debitam eis exhibere reverentiam, quos ignorat: Ideoque similem sibi brutum brutus elegit, ut in utroque sibi invicem de pari literarum imperitia responderent. Sed & Apostolicæ severitatis eos disciplina terrebat, ne eorum præcipitem cohiberet audaciam, & vagos temerariæ cupiditatis frænaret excursus. Hic numerus, hæc tanta peritia, hoc tam venerabile sanctumque Collegium, Ecclesiam Dei, renitentibus universis affectavit ad propriam pertrahere voluptatem, & a dextris Regis ad detestabiles Satanæ transferre complexus. Visa tamen totius fere universitatis concordia desperati, ad unitatem statim redituri fuerant vel inviti: sed stupentibus ipsis, ideoque cessantibus, Shismatici majores diutius effrænata non tulit ambitio præparatoque furtim, sicut dicitur, Pluviali de manibus offerentis arrepto, in humeros suos tanta festinatione conjecit, ut hærentibus collo fimbriis, pavimentum lamberet pars superior indumenti. Sic indutus, ad Cathedram, nullo adhuc etiam prædictorum comitante, cucurrit nomen ipse sibi Victoris acclamans, & ad suffragandum sibi & decantandas laudes, præparator impudenter exhortans .... Discurrentibus igitur armatis, cœpit per Ecclesiam quasi quædam theatralis scena disponi, dum parietes fulgor illustraret armorum, & lasciva quasi triumphantium acclamatio resultaret. Horum manibus denique pluviali composito, ad Palatium usque perductus est, comitantibus his, paucisque Sacerdotibus, quorum infamis quæstus est simplicitatem peregrinorum eludere, & assiduis Altare B. Petri sacrilegiis infestare. Porro hæc initia ejus non sunt meliore gavisa processu, si quis vel emendicatæ execrationis ordinem, vel redemptam Laicæ gratiam Potestatis exquirat.

Deinde partis alterius, merita expendit, immo universitatis *Alexandrum III.* colentis, *Sed*, inquit, *neque nomen partis tantilla eorum meretur exceptio, nec universitatem nostram partis decet appellatione censeri, quia perditorum segregatio numerum non minuit electorum, nec detrimentum sentit area Domini, si granis manentibus, palea ventilabro purgante discedant. Igitur omnia recensenti manifestam, quod sanctitatis zelus consecravit initia, processum sancta prudentia fortitudo direxit, patientia debita consummabit effectu, pacem Deo volente perseverantia fides inconcussa præstabit. Nihil hic carnale, nihil terrenum, nihil vestri ad privatam utilitatem oculi respexerunt, sed ad commune bonum & honorem Ecclesiæ totis vos constat anhelasse desideriis, totis viribus insudasse.*

Venit interea dies Papiensi Conventui statuta. Adfuere dumtaxat 44. aut secundum *Radevicum*, quinquaginta Archiepiscopi & Episcopi, ad parendum Imperatoris voluntati plerique devotissimi. De quorum studiis certus *Fridericus*, speciem quemdam libertatis reliquit Synodo, & a cognitione causæ se subtraxit, ne sæculari, non Ecclesiastico Judicio finita diceretur. Quamobrem considentes Episcopos compellavit his verbis: *Quamvis noverim officia ac dignitate Imperii penes nos esse potestatem congregandorum Conciliorum, præsertim in tantis Ecclesiæ periculis, authoritatem tamen definiendi hujus maximi negotii vestræ prudentiæ vestræque potestati committo. Deus enim constituit vos Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi. Et quia in his quæ ad Deum sunt, non est nostrum de vobis judicare, tales vos & taliter in hac causa hortamus habere, tamquam solius Dei de vobis expectantes Judicium.* Conciliabulum Papiense secundum *Octavianum* Sententiam dixit, *Alexandro* reprobato: quam *Fridericus* confirmavit, scripta ad *Eberardum* Saltzburgensem Archiepiscopum, & Suffraganeos ejus Epistola, quæ incipit his verbis: *Anno 1160.*

Si

Si fuero Concilio Papiæ interfuissetis, & Encyclicas etiam Literas per universum Christianum orbem direxere Conciliabuli Præsides, quibus confirmatam *Victoris* ab Ecclesia Pontificiam Dignitatem significabant; Incipiunt his verbis: *Quia Sedis Apostolicæ turbatio*, &c. Scripsit etiam Bambergensis Episcopus ad cognominem Saltzburgensem Archiepiscopum Epistolam, cujus hoc est exordium: *Convenientibus in unum Papiæ Episcopis*, &c. Has Literas, nec-non Epistolam Canonicorum *S. Petri* pro parte *Victoris* Antipapæ, ad Imperatorem & Papiensis Conventus Præsules, exhibet *Radovicus* lib. II. de Gestis Friderici I. a Cap. LXIII. ad LXXII. quæ mendaciis passim scatent. Egregia vero Schismaticorum pro Antipapæ causa tuenda ratio, quod prior *Octavianus* immantatus fuisset (ut loqountur) seu Pontificiis Insignibus ornatus; Quasi violenta possessio jus legitime electi *Alexandri* reddere cassum & irritum valuisset. Hujus ineptiam rationis demonstrat *Arnulphus Lexoviensis* in Epistola ad Archiepiscopos & Episcopos Angliæ. *Unde etiam*, inquit, *sibi mentiendi causam composuit iniquitas, asserens Octavianum, priusquam alter eligeretur, per novem dies Apostolatus Cathedram solitariam insedisse: quasi ille ab initio, licet renuerit, non fuisset electus, uniusque violenta possessio sanctificare injustitiam, & ambitionis audaciam valeat expiare.* De Papiensi Conciliabulo lege *Guillelmum Neuburgensem*, lib. 2. de Rebus Anglicis, cap. IX. Lege & Epistolam LIX. Joannis Saresberiensis: *Quidquid*, inquit, *Papiæ gestum, tam æquitati, quam legitimis Constitutionibus, & Sanctionibus Patrum invenitur adversum ..... Universalem Ecclesiam quis particularis Ecclesiæ subjecit judicio? Quis Teutonicos constituit Judices nationum? Quis hanc brutis, impetuosis hominibus auctoritatem contulit, ut pro arbitrio Principem statuant super capita filiorum hominum? ..... Scena theatralis hæc species est, potius quam reverendi imago Concilii. Quid quod Regnorum & Provinciarum magnus, falsus tamen collectus est numerus, ut subscriptores ignaros verum facilius secum in præcipitium trahant? Quis ad illius Concilii statuta moveatur, ubi sedere Patres censere parati, si Regnum, si templa petat, jugulumque Senatus, passurasque infanda nurus, & si quid tyrannicum atrocius excogitari potest? Et quidem bene cum Ecclesia actum est, quod Cæsar qui aderat, plura jubere erubuit, quam ipsa pati.*

De Papiensis Conciliabuli gestis certior factus *Alexander*, Arnulphum Lexoviensem Episcopum de iisdem admonuit, ipsique jussit ut apud Regem & Præsules Angliæ, nec-non apud vicinos & circumpositos Episcopos, & primarios omnium Ordinum viros, causam suam, immo Sedis Apostolicæ, & universalis Ecclesiæ tueretur, atque unitatem Ecclesiasticam promoveret. Istæ *Alexandri III.* literæ his verbis incipiunt: *Literas a tua nobis Prudentia destinatas*, &c. De Papiensi Conciliabulo hæc habent inter alia. *Cæterum ut prædictus Imperator Ecclesiam Dei suæ videretur subjugare & supponere ditioni, & eam in supremam redigere servitutem, memorato Apostatico Pontificalia insignia reddidit, & eum de Papatu, quod est a sæculis inauditum, per annulum [prout dicitur] investivit. Quosdam etiam Episcopos, aliis discretioribus & honestioribus occulte de illo Conciliabulo fugientibus, reverentiam exhibere laicali violentia, & tyrannica oppressione coegit.*

Partes sibi commissas egregie implevit *Arnulphus*, data ad Archiepiscopos & Episcopos Anglicanos Epistola, quæ incipit his verbis. *Quanta tempestate laboret Ecclesia*, &c. De servili Antipapæ ambitione, qui usurpata Pontificatus insignia deposuerat ad pedes Imperatoris, & postea de manu ipsius receperat, hæc habet: „ Cæterum hic blanda Schismatici desperantis humiliatione seductus est, dum ille personam suam arbitrio ejus exponit, & causam; neque se quidquam fore, nisi de sola ipsius voluntate præsumit. Unde & ad pedes ejus ipsa dicitur Apostolatus Insignia resignasse, posteaque de mano ipsius Investituram accepisse per annulum: ut veteri scilicet quæstione composita, Regnum plane de Sacerdotio, de spiritualibus temporalia, de Ecclesiasticis viderentur sæcularia triumphasse. Indignum facinus, omnibusque sæculis detestanda malitia; Ordinationem scilicet divinam qualibet temeritate convertere, & redemptam Sanguine Christi perimere libertatem. *Tum de Papiensi Conciliabulo subdit*: Prædictus itaque Princeps, Negotium suum tamquam sub umbra pietatis exercens, Ecclesiasticum congregavit sæculari potestate Conventum, ut præsumptionem Schismatici illius proprio roboraret assensu, & quos posset, ad obedientiam illius tyrannicæ potestatis terroribus inclinaret: ea siquidem intentione, ut utriusque gladii virtute comminuta, pristinam reformet imperii Majestatem, ut utriusque invicem cooperante potentia, omnia Regna propriæ subjiciat ditioni. Porro illi quos Schismatico conciliaverat necessitas aut voluntas, falsitatis & blasphemiæ Symbolum conscripserunt: ut quod de veritate non possunt, saltem conquisitæ multitudinis suffragio prævalere credantur. Quod scriptum si forte contigerit ad Sapientiæ vestræ venire conspectum, multa plenum falsitate credatis: licet etiam, si absolutam contineret in omnibus veritatem, nihil, quod ibi dispositum sit, aliquem de jure sortiretur effectum. Neque enim arbitrium dici potest, ad quod voluntaria partium compromissio non abstringit, nec Judicialis Sententia, quæ nec ab ordinaria Jurisdictione, nec a delegata procedit. Sed & causam communem privata authoritate decidere, qua arrogantia præsumpserunt, nobisque tamquam inferioribus imponere Magistratum, quos divina bonitas pares Ordine, & etiam spectabiles constituit Dignitate? Sed neque causa dici debet, ubi inter consentientes nullum potuit esse litigium: neque sine contradictione quæstio vel formari potuit, vel absolvi. Ad hæc, si quod de Octaviano factum est, ab initio forte non valuit, ex post facto istorum nullo jure valuit confirmari: Cum ipse jam ab eo, qui poterat, condemnationis Sententiam, debitique pœnam Anathematis excepisset.

Ibidem locupletissimum de Ecclesia Gallicana quæ *Alexandrum III.* ceu legitimum Pontificem susceperat, testimonium perhibet Arnulphus. „ Benedictus, *inquit*, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui Ecclesiæ Gallicanæ solitam misericordiam benignus impendit, ut eam semper & agnitione veritatis illustret, & pedes ejus a Justitiæ tramite nullatenus aberrare permittat. Sicut enim omnes, quos ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabida Teutonici furoris provexit invidia, virtus Altissimi manifesta dejecit: sic omnibus quos devotio Gallicana suscepit, victuriam semper contulit & triumphum. Cumque multis constet cæteras regiones abundasse portentis; sola Gallia monstra non habuit, sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, & plurima operum exhibitione præfulsit. Unde nunc quoque personarum penitus qualitate discussa, factisque electionum plenius exploratis, in personam Sanctissimi Patris Alexandri, de vere Catholici & Serenissimi Regis sui beneplacito convenerunt, Literasque ejus & Nuncios passim & suscipiunt, & honorant.

Laus Ecclesiæ Gallicanæ.

Non deerant in utroque Regno, Galliæ & Angliæ viri Politici, filii hujus sæculi, qui Neutralitatem Regibus suaderent; non esse festinandum hac in causa; spectandam esse pacato animo Romanorum, Germanorumque contentionem; expectandum donec litem alterius Electi mors ditimeret. Sufficere Communionem cum Episcopis in quolibet Regno, donec Deus voluntatem suam signis, evidentioribus declarasset; Romanam Ecclesiam semper onerosam fuisse Principibus: Commodum esse ut jugum occasione data aliquandiu excuteretur, ut Romana plecteretur ambitio. Sed saniora vicere consilia Episcoporum & Abbatum, quos Rex Christianissimus Bellovacum, Rex Angliæ apud Novum Mercatum * congregarat. * Illi enim Antipapam, Schismaticamque factionem triomphaturam certi, si *Alexandri III.* susceptio differretur, neque in causa unitatis Ecclesiasticæ adeo evidenti cunctandum, ejus obedientiam sunt amplexi reprobato Antipapa *Victore*, quamquam ejus, & *Friderici* Augusti Legati adessent, electionem ejus propugnantes. Sed stabant pro Justitia Legati

Concilia Bellovaci, & apud Novum Mercatum celebrata. A. 1161.

Novus Mercatus, *vulgo* Neufmarchè, *Normanniæ Castrum, nunc vicus exiguus in Diœcesi Rothomagensi.*

Alexandri III. quorum præclaras dotes *Arnulphus* Lexoviensis prædicat in Epistola ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ, ex qua & causæ statum in utroque Regno proxime a nobis descriptum, didicimus. „ Venerabilibus, *inquit*, Patribus nostris, Sedis Apostolicæ Legatis assistimus, cum eis toto studio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatibus insistentes. In quibus tanta refulget Apostolicæ sanctitatis & doctrinæ perfectio, ut eis plus gratiæ merita contrahant, quam terroris reverentia disciplinæ. Viri sunt quorum sanctitatem miratur populus, sapientiam Clerus usquequaque collaudat, ad virtutem severitatis Principes expavescunt. Ad summam, tanta omne opus suum mansuetudine temperant, ut neque severitas disciplinæ pereat, & in omni parte Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia convalescat ... Convenerant ex mandato Regum venerabiles de Regno utriusque personæ, ut de Romani Pontificis susceptione tractarent, de quo nihil adhuc publice fuerat constitutum. Stabant itaque Fratres illi causam Ecclesiæ non sine magno discrimine prosequentes, quoniam apud plerosque favor iniquitatis convaluerat, adeo ut qui manifeste repudium veritatis, suggerere non audebant, differendum potius sæculari quadam astutia prædicarent. Eventum scilicet rei dubiæ potius expectandum, quam subjiciendam fortuitis casibus tantorum Principum Majestatem. Non oportere eos temeritate nimiæ festinationis involvi, quos securius illæsos sola poterat expectatio conservare. Romanam Ecclesiam semper onerosam extitisse Principibus, jugum aliquando data occasione ponendum, donec cupiditatis pœnas ambitio detestanda luisset. Solvendum morte alterutrius quæstionis incertum atque interim posse Religionem Episcoporum per singula Regna sufficere, donec divina voluntas signis evidentioribus appareret. Accedebat Legatorum Imperatoris, & Cardinalium, maledicti scilicet Joannis, & Guidonis instantia, quibus dari videbatur de modica dilatione triumphus, si Fratres vestros vel ad modicum tempus qualibet dilatio suspendisset. Præterea cum animos Regum in favorem Domini nostri omnium conscientiæ crederet inclinatos, in partes Imperatoris cessisse dilatione præstita crederetur, & paulo minus detrimenti suspicio, quam notitia forte veritatis afferret.

Politica consilia Religioni sæpe adversa.

Synodorum Bellovaci & apud Novum Mercatum habiturum sola superest memoria apud *Robertum de Monte* in Appendice ad Sigebertum. *Anno*, inquit, 1161. *mense Julio, Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Episcopos Normanniæ, & Abbates, & Barones apud Novum Mercatum: & Ludovicus Rex Francorum adunavit suos Belvaci, & ibi tractatum est de receptione Papa Alexandri, & refutatione Victoris: & consenserunt Alexandro, reprobato Victore.*

Gallicana & Anglicana Ecclesia Alexandrum III. ut legitimum Pontificem recipit & colit.

Quoniam vero hæc potius Comitia Politica quam veri nominis Concilia videbantur, in quibus Barones cum Præsulibus considebant: Religiosissimi Principes operæ pretium duxerunt Concilium ex utroque Regno Tolosam convocare, in quo majori solemnitate discussa causa, legitimus Pontifex Publico Edicto colendus sanciretur, & Schismatici diris omnibus devoverentur. De ista Synodo *Gerochus* Reichenspergensis in Bavaria præpositus lib. 1. De Investigatione Antichristi, hæc habet: „ Interim dum hæc scribimus, & ad præferendam partem Victoris, pro reverentia maxime Concilii Papiæ celebrati, articulum jam fere inclinamus ... alii ac novi rumores per certos internuntios advolitant, in occiduis partibus, Regno videlicet Franciæ, civitate Tolosa, celebratum esse Concilium, cui centum Patres inter Episcopos & Abbates interfuerunt, una cum Regibus Franciæ & Angliæ, quorum studio iidem Patres convenerunt. Ubi & Octaviani, quem victorem dicunt, simul & Alexandri Papæ, atque Imperatoris Augusti Friderici, nec non & Regis Hispaniæ Legati aderant. Illic sane utriusque partis defensoribus sufficienter auditis, eidem Concilio tandem in Alexandrum complacuit, Octavianus vero qui & Victor, ab universo Concilio, cum suis principalibus defensoribus excommunicatus est. Gerochi Fragmentum edidit *Sebastianus Tengnagellus* cum aliis Veteribus contra Schismaticos Monumentis.

Concilium Tolosanum.

De eodem Concilio legenda *Fastredi* Clarevallensis Abbatis Epistola ad *Omnibonum* Veronensem Episcopum, ex qua etiam singularia quædam ad Historiam Papiensis Cooeiliabuli spectantia discimus: scilicet ante illius celebrationem *Fridericum* suscepisse *Octavianum* in Papam per Nuncios suos, & Literas auro bullatas. Secundo, mentitos fuisse Schismaticos, qui centum quinquaginta tres Episcopos Papiam convenisse, & pro *Victore* subscripsisse gloriabantur: Nam quadraginta quatuor dumtaxat adfuerant: *Qui ad Imperatoris vocem, qui se profitebatur Laicum, & talem ad quem non pertinet judicare de Curia Romana, nec discutere electionem Summorum Pontificum, omnes cum Willelmo Papiensi, Presbytero Cardinali S. Petri ad Vincula, qui neutri parti adhæserat* (& qui Legatione fungebatur in Galliis Alexandri III. nomine, cum Synodus Tolosana habita est) *diutina deliberatione consilium habuerunt, se neutrum suscepturos, eo quod pauci essent de tota Ecclesia: quousque vel communis omnium, vel plurium Regnorum Synodus conveniret; vel manifestius appareret; quem eorum major & sanior pars Ecclesiæ sequeretur; & idem se consulturos Imperatori. Imperator autem non consensit, sed quos potuit, minis & precibus singillatim vocatos coegit suscipere, quem ipse ante susceperat: absentibus tamen de numero supradicto, sicut idem Willelmus Cardinalis manifeste asseruit, viginti-quatuor, ex quibus unus fuit Papiensis Episcopus, in cujus civitate ista fiebant.*

Subdit Fastredus de Synodo Tolosana: *Communi itaque consilia prædictorum Regum, & totius ipsorum Ecclesiæ, reprobatus est Schismaticus Octavianus; susceptus Alexander Papa, & Legati ejus, condigno honore & reverentia.*

Ejusdem Synodi meminit *Guillelmus Neuburgensis*, lib. II. *De Rebus Anglicis*, cap. IX. *Guidonem Cremensem* Cardinalem Schismaticum, pro *Victore* Antipapa; *Guillelmum* Cardinalem Catholicum & Episcopum Papiensem, pro *Alexandro III.* coram Patribus perorasse commemorat. *Denique*, inquit, *in illa altercatione mutua quasi duello totius ita negotii veritas claruit, ut neuter ulterius Princeps cunctaretur, repudiata parte Octaviani; Dominum Alexandrum recipere, & cum Regnis sibi subditis, in eis quæ Dei sunt de cætero tamquam Patri parere. Prænominatis ergo Schismaticis cum dedecore & confusione discedentibus, Principes & Pontifices nostri, lata solemniter in Schismaticos excommunicationis Sententia, solverunt Conventum.*

Jam quidem antea Galliæ Angliæque Reges *Alexandrum* ceu lagitimum Pontificem colebant, sed solemne de obedientia ipsi ab omnibus suæ ditioni subditis præstanda distulerant Edictum, quia ut ait *Arnulfus Lexoviensis* in Epistola ad Episcopos Angliæ: *Solent Principes Dominique terrarum majora negotia quadam semper mora suspendere, ut dilatione crescat authoritas, & major lætitia desideria protracta consummet*. Quemadmodum autem apud Anglos & Normannos, finitimasque Provincias, *Arnulphus* Lexoviensis Episcopus; ita *Willelmus* Senonensis in Galliæ meditullio, & *Petrus* Tarentasiæ Archiepiscopus Sanctissimus apud Allobroges, regionesque vicinas, *Alexandri III.* electionem provexerunt, atque tuiti sunt. *De Willelmo* testem habemus *Petrum Blesensem*, *de Petro Tarentasiensi*, ejus Acta apud *P. Henschenium* lib. I. ad diem VIII. Maii fidem faciunt.

Politica Regula.

Hæc Occidentis Concilia in causa *Alexandri III.* habita præcessit Nazarena Synodus * ab *Amalrico* Patriarcha Hierosolymitano habita, in qua Palæstinæ Episcopi *Alexandrum III.* ceu legitimum Pontificem receperunt & coluerunt, *Octaviano*, & ejus fautoribus Anathemate confixis. Epistolam Synodicam hujus Concilii ad *Alexandrum* Papam directam edidit *Sebastianus Tengnagellus* inter Vetera Monumenta contra Schismaticos. Legationis ab *Alexandro III.* ad Orientis Ecclesias missæ meminit *Guillelmus Tyrius* lib. XVIII. *De Bello Sacro*, cap. XXIX.

Nazarena Synodus.

An. 1160.

Papiensis Acta Conciliabuli, & *Victoris* Antipapæ electionem, seu potius intrusionem, a Schismatica factio-

Ann. 1161.

Conciliabulum Laudense.

Laus Pompeja, vulgo Lodi, in Longobardia, urbs Episcopalis, sub Metropoli Mediolanensi.

factione sua confirmari curavit *Fridericus* in altero apud Laudam Conciliabulo, anno 1161. Hujus Acta memorat *Otto Morena* in Chronico Laudensi. Hunc Historicum Antipapæ *Victori* adhæsisse palam est. Mendacia audacter scribit, quorum unum sit specimen: *Fuere*, inquit, *in ipso Concilio recitatæ Literæ excusatoriæ Regis Daciæ, & Regis Norvegiæ, & Regis Hungariæ, & Regis Bohemiæ, & sex Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum, multorumque Abbatum, tam Clarevallensium quam aliarum Congregationum, atque Præpositorum, in quibus omnibus Literis continebatur, ipsos Reges cum universis eorum Provinciis, & prædictos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Præpositos, velle se tenere præfatum Dominum Victorem pro Papa & Domino; & se velle ratum habere totum quod Dominus Victor statuit in ipso Concilio cum aliis sibi præsentibus.* Hæc vero falsi convincit *Arnulphi Lexoviensis* testimonium, qui Francorum, Anglorum, Hiberniæ, & Norvegiæ Regna statim *Alexandro III.* adhæsisse scribit in Epistola ad Cardinales. Eumdem Chronologum falsi convincit *Fastredus* Clarevallensis Abbas in Epistola ad *Omnibonum* Veronensem Episcopum. Hæc enim locupletissimum testimonium de Clarevallensibus præbet, quod *Victoris* Antipapæ factioni minime faverint, sed *Alexandro III.* constanter paruerint.

Synodus Monspeliensis.

Anno Christi millesimo centesimo sexagesimo-secundo, *Alexander III.* ad solitum Summorum Pontificum in rebus adversis Asylum, in Gallias scilicet ad Regem Christianissimum confugit. Synodum habuit apud Montempessulanum cum aliquot Archiepiscopis & Episcopis Gallicanis, in qua *Victorem* Antipapam & ejus complices excommunicavit. Hujus Synodi meminit ipse *Alexander* in Epistola ad *Omnibonum* Veronensem Episcopum. Parisios deinde profectus, Concilium anno sequenti Turonis celebrandum indixit.

Synodus Turonensis.

Anno millesimo centesimo sexagesimo-tertio Synodus Turonensis celebrata est, *Alexandro III* Præside duodecimo Kalendas Julii, in Ecclesia *Sancti Mauritii*. Adfuere septemdecim Cardinales, Episcopi centum viginti quatuor, Abbates quadringenti & quatuordecim. Ad dextram Summi Pontificis *S. Thomas* Cantuariensis Archiepiscopus sedebat. Coram Patribus Sermonem habuit jussu *Alexandri III. Arnulphus* Lexoviensis Episcopus, cujus istud Exordium: „ Hodiernum Sermonem Domini & Patres mei, mihi Domini nostri qui præsidet, Romani videlicet Pontificis injungit authoritas. Et ego quidem munus injunctum magis de necessitate obedientiæ, quam de animi volontate suscipio. Mallem ut in alium declinasset ista dignatio, cujus & vita commendabilior esset, major tam scientiæ quam eloquentiæ plenitudo. Quis enim ego sum, qui in auribus tot, tam prudentium, tam venerabilium personarum, quemlibet mihi debeam usurpare Sermonem? Sed & quis ego sum, qui mandato Romani Pontificis audeam obviare? &c. De unitate, & libertate Ecclesiæ differit, sine quibus Ecclesia consistere non potest; & quarum primam tunc temporis scindere mirebatur Schismaticorum ambitio; alteram quærebat auferre violentia Tyrannorum; sed frustra. „ Impossibile siquidem est, spirituale Ecclesiasticæ unitatis scindere Sacramentum, quod inter Christum & Ecclesiam, ipso Patre authore, indissolubili fœdere connexum est, & firmatum. Impossibile est suam Ecclesiæ Dei tollere libertatem, quam Dominici Sanguinis consecravit effusio. Eo in Concilio, Papiensis Acta Conciliabuli damnata sunt, *Victor* Antipapa & ejus fautores excommunicati. decem Canones conditi; quorum nonus irritas *Octaviani* seu *Victoris* Antipapæ, & aliorum Schismaticorum Ordinationes declarant his verbis: *Ordinationes factas ab Octaviano, & aliis Schismaticis & Hæreticis, evacuamus, & irritas omnes esse dicimus & decernimus.* Hujus Synodi meminere Acta *Alexandri III. Robertus de Monte* in Appendice ad Chronicon Sigeberti, *Guillelmus* Neubrigensis Lib. II. de Rebus Anglicis, Cap. XIV. & XV. qui & Canones illius describit. *Matthæus Paris* in Historia Anglicana, *Romualdus* Salernitanus Archiepiscopus in Chronico, Vezeliacensis Historia Lib. IV. &c.

Ecclesiæ libertatem Dominici sanguinis consecravit effusio.

Schismaticorum Ordinationes irritæ declarantur.

Schisma in Conciliabulo Herbipolensi confirmatum.

Herbipolis, vulgo Wirzbourg, in Franconia, urbs Episcopalis, sub Moguntina Metropoli.

Mortuo Victore Antipapa, ipsi substitutus est a Schismaticis in Cathedra pestilentiæ *Guido* Cremensis, quem *Paschalem III.* appellarunt. Ad ipsius intrusionem confirmandam Conciliabulum Herbipoli Fridericus Imperator indixit, anno millesimo centesimo sexagesimo sexto. Ibi super Sacras Reliquias juravit Sacrilegus & Schismaticus Princeps, se umquam *Alexandrum III.* pro Pontifice legitimo suscepturum, nec fautoribus ejus gratiam redditurum suam, nec ejus Successori, quem pars ipsius eligeret in Papam, pariturum, semper vero se adhæsurum *Paschali*; eique obedientiam & honorem exhibiturum: & numquam se absolutionem ab hoc juramento postulaturum, aut oblatam recepturum, suumque in Imperio Successorem eodem juramento obstringi voluit. Idem juramentum quadraginta Episcopi super Sancta Evangelia præstiterunt. Idipsum jurarunt sæculares Principes. Id docent ipsius *Friderici* Encyclicæ Literæ, quas ex Codice Vaticano descripsit Annalium Ecclesiasticorum Parens, & ex eo Conciliorum Collectores.

Anno Christi millesimo centesimo sexagesimo-octavo *Alexander, III.* Romæ Synodum habuit in Lateranensi Basilica, in qua *Fridericum* Imperatorem in promovendo & fovendo Schismate pertinacem excommunicavit, immo & exauthoravit, ut *Joannes Saresberiensis* testatur in Epistola ad Cantiæ Superiorem. Ejus verba Dissertatione II. circa finem Articuli IX. protuli.

Romana Synodus.

Anno millesimo centesimo septuagesimo, mortuo *Guidone Cremensi*, tertius Antipapa substitutus est a Schismatica factione, scilicet *Joannes Strumensis* Abbas.

Fridericus I. cum iis quos in partes traxerat, ad Ecclesiæ unitatem redit.

Anno millesimo centesimo septuagesimo septimo, *Fridericus* Augustus ejurato Schismate, cum Episcopis & Principibus sibi adhærentibus ad Ecclesiæ unitatem rediit, & *Alexandrum III.* ceu legitimum Pontificem coluit. Pax Venetiis inita est. *Alexandri* Acta, & Epistolæ ad Capuanum Archiepiscopum & *Petrum* Cassinensem Abbatem, ad *Richardum* Cantuariensem, ad *Rogerium* Eboracensem, & *Hugonem* Dunelmensem; item Literæ *Friderici* & Principum ad *Alexandrum*, testes sunt tunc initæ & confirmatæ pacis Imperium inter ac Sacerdotium. Testes sunt & *Willelmus Tyrius* lib. XVIII. de Bello Sacro cap. XXVI. *Matthæus Paris, & Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis, *Romualdus* Archiepiscopus Salernitanus in Chronico, &c. Literas hac de re datas ab *Alexandro III.* & a *Friderico* Imperatore, Conciliorum Collectio sub titulo Concilii Veneti exhibet.

Concilii Lateranensis Tertii Decreta contra Schismaticos.

Anno 1179. Decretum editum est in Œcumenica Synodo Lateranensi III. Canone II. quo Pseudopontificum Ordinationes irritas Patres dixerunt; „ Quod a Prædecessore nostro felicis memoriæ Innocentio factum est (*inquit* Pontifex cum Patribus) innovantes, Ordinationes ab Octaviano & Guidone hæresiarchis, necnon & Joanne Strumensi qui eos secutus est, & ab ordinatis ab eis irritas esse censemus: adjicientes, etiam ut si qui Dignitates Ecclesiasticas, seu Beneficia per prædictos schismaticos receperunt, careant impetratis.... Illos autem qui sponte juramentum de tenendo Schismate præstiterint, a Sacris Ordinibus & Dignitatibus decrevimus manere suspensos.

Schismatici ad Ecclesiæ Communionem ante non sunt recepti, quam Schisma sub præscripta Formula ejurassent. His porro verbis concepta erat: „ Ego anathematizo, & recuso omnem hæresim extollentem se adversus Sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam; præcipue verò Schisma Octaviani, Guidonis & Joannis: & Ordinationes eorum irritas judico, & eis contradico; & modo inantea me obediturum juro, & promitto fidelitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino meo Alexandro, & Successoribus ejus juste intrantibus; ipsique serviam absque omni malo ingenio, contra omnem hominem secundum ordinem eum. Consilia ejus quæ mihi scripto certo mandaverit vel ipse commiserit, nulli hominum pandam nec etiam pro periculo corporis atque membrorum: Legatum Ecclesiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducam,

„ cam; & juvabo expensis. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia. Ita referunt Albertus Stadensis in Chronico, & *Albertus Krantzius* in Metropoli, lib. VII. cap. III.

Nullo est Romani Pontificis electio, in quam duæ partes Cardinalium non conspiraverint.

In eadem Synodo celebre Decretum editum est, vitandis in posterum Schismatibus opportunum, ut nulla Romani Pontificis electio censeretur, in quam duæ partes Cardinalium non conspirassent. Est Canon primus, his verbis conceptus: „ Licet de evitanda discordia in electione Summi Pontificis manifesta satis a nostris Prædecessoribus Constituta manaverint; tamen quia sæpe post illa per improbæ ambitionis audaciam, gravem passa est Ecclesia scissuram; nos etiam ad malum hoc evitandum de consilio Fratrum nostrorum, & Sacri approbatione Concilii aliquid decrevimus adjungendum. Statuimus igitur ut si forte inimico homine superseminante zizania inter Cardinales de substituendo Pontifice non potuerit concordia plena esse, & duabus partibus concordantibus, tertia pars noluerit concordare, aut sibi alium præsumpserit ordinare, ille Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus fuerit electus & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus, quia rem non potest, sibi nomen Episcopi usurpaverit, tam ipse quam qui eum receperint, excommunicationi subjaceant, & totius sacri Ordinis privatione mulctentur, ita ut Viatici eis etiam, nisi tantum in ultimis, Communio denegetur: & nisi resipuerint, cum Dathan & Abiron, quos terra vivos absorbuit, accipiant portionem. Præterea si a paucioribus aliquis, quam a duabus partibus fuerit electus ad Apostolatus officium, nisi major concordia intercesserit, nullatenus assumatur, & prædictæ pœnæ subjaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum Canonicis Constitutionibus, & aliis Ecclesiasticis præjudicium generetur, in quibus majoris & sanioris partis debet Sententia prævalere: quia quod eis in dubium venerit, Superioris poterit Judicio diffiniri. In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad Superiorem haberi.

Epist. XXX. Appendicis II.

Inter cæteras Ecclesias Gallicana; inter cæteros Principes Christianos, Rex Christianissimus *Ludovicus VII.* Ecclesiæ unitatem, jusque legitimi Pontificis, hoc in Schismate majori studio, ardore, constantia tuiti sunt, ut constat ex gratulatoriis *Alexandri III.* Literis ad eumdem Christianissimum Regem Ludovicum. „ Quantum, *inquit*, Illustres & Magnifici

Gallicana Ecclesia, & Reges Christianissimi semper in unitate, & observantia ac devotione erga Romanam Ecclesiam constantes.

Proavi & Progenitores tui Reges Francorum Sacrosanctæ Ecclesiæ devoti semper & obedientes extiterint, quanta ei commoda & devotionis obsequia exhibuerint, nos ex multis & magnificis utilitatibus, quæ per eos Sanctæ Dei Ecclesiæ provenerunt, manifeste cognovimus: & Fratres nostri, qui diotius sunt in Romana Ecclesia conversati, idipsum plenius agnoverunt. Tu vero Progenitorum tuorum laudabilis imitator existens, ut ita paternarum virtutum, sicut & Regni hæredem te veraciter exhiberes: ad eorum exemplum, singularem & unicam matrem tuam Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ex quo Excellentiæ tuæ Regnum a Deo commissum est gubernandum, propensius dilexisti, in pressuris & necessitatibus suis ei fideliter adstitisti; & nihil umquam fuit, quod a devotione & subventione ipsius Regium potuerit animum revocare. Illo siquidem Friderico qui pro sui officii debito Advocatus Ecclesiæ ac Defensor deberet existere, adversus eam crudeliter sæviente: Tu sicut Princeps Christianissimus, eam diligis & honoras, & ipsam sincero veneraris affectu. Quæ

Romana Ecclesia in Reges Christianissimos & Gallicanam Ecclesiam propensio.

utique in omni tribulatione sua, tam apud prædecessores tuos, quam apud te ipsum, & optatæ portum quietis obtinuit, & refugium semper opportunum invenit. Gallicana quoque Ecclesia inter omnes alias orbis Ecclesias, quæcumque aliæ provenientibus scandalis in tribulatione nutassent, numquam a Catholicæ Matris unitate recessit, numquam ab ejus subjectione & reverentia se subtraxit; sed tamquam devotissima filia, firma semper & stabilis in ejus devotione permansit. Unde ipsa Mater omnium & Magistra Romana Ecclesia Progenitores tuos, & te ipsum inter cæteros orbis Principes; Gallicanam quoque Ecclesiam speciali & singulari prærogativa dilexit: ad honorem, incrementum, & exaltationem vestram intendit: & in omnibus, in quibus secundum Deum potuit, vestræ satisfaciens voluntati, personas vestras propensius honoravit. Nullum siquidem in toto orbe terrarum Principem esse credimus, quem Antecessores nostri, & nos ipsi, ampliori affectione diligere teneamur, & cui magis a nobis sit, quam tuæ Celsitudini deferendum. Firmiter namque in cordis armario retinemus, & tam ea publica fama, quam ea Archiepiscoporum & Episcoporum Regni tui, & dilectorum filiorum nostrorum, Henrici, Willelmi, & Odonis Cardinalium, quos pro necessitate Ecclesiæ, pro honore quoque & utilitate Regni & tua, ad partes illas destinavimus, transmissa relatione cognovimus, qualiter receptionem nostram quidquid alii facerent, Regium animum ab ipso principio efficaciter induxisti. Et alii sunt exemplo tuo ad illud idem vehementius provocati, & in nostra devotione succensi.

SCHOLION.

Ad hunc Articulum, pag. 93. Edit. primæ Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Laudat Ecclesiam Gallicanam, quod numquam erret, nec a justitia deflectat. Sic laudat Ecclesiam Gallicanam ut Romanam; & ut appareat in præsenti negotio eam non errare.*

R. Quæ in laudem Ecclesiæ Gallicanæ leguntur eo loci, non mea sunt, sed *Arnulfi* Lexoviensis Episcopi verba, qui *Alexandri III.* electionem contra Octavianum Antipapam egregie tuitus est, atque unitatis Ecclesiasticæ negotium totis viribus promovit. Præsulis istius Religiosissimi literas ad Episcopos Anglicanos hac in causa datas recenseo, ex iisque describo quæ ad hoc Historiæ caput spectant. Intertextam Gallicanæ Ecclesiæ commendationem supprimere non debui. Hæc tamen referens tam non æquo Gallicanam Ecclesiam Romanæ, *omnium Ecclesiarum*, adeoque & Gallicanæ, *Matri & Magistræ*, quam non æquat Arnulfus, quam non æquat Cardinalis *Baronius*, hanc Arnulfi Epistolam, & hæc ipsa in laudem Ecclesiæ Gallicanæ verba referens ad annum 1160. Num. 64. Nec magis respexi, cum hæc scriberem, negotia quæ tum Clero Gallicano cum Romana Curia erant, quam ea respexerint olim Arnulfus & Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens. In scriptis meis reprehendunt RR. Censores, quæ *Baronius* Annalibus suis Ecclesiasticis inseruit, & cum res ipsas reprehendere non possint, intentionem meam criminantur, Dei jura, qui solus est cordium scrutator & judex, usurpantes.

ARTICULUS IV.

Concilii celebrandi ratio altera fuit damnatio Waldensium Hæreticorum.

De Waldensium erroribus, qui duodecimo inclinante sæculo grassabantur, in Synopsi egimus. Contra ipsos *Alexander III.* gladium Apostolicum distrinxit, in Concilio primum Turonensi anno 1168. deinde in Œcumenico Lateranensi III. Canon quartus Synodi Turonensis vetat ne quis eis receptaculum præbeat aut præsidium, nec ullum cum eis etiam in venditione vel emptione commercium habeat, sub pœna excommunicationis. Et Catholicis Principibus præcipit, ut deprehensos in carcerem conjiciant, & bonorum proscriptione mulctent. Canonis verba subjicio. *In partibus Tolosæ damnanda hæresis dudum emersit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca se diffundens per Guasconiam & alias Provincias quamplurimos jam infecit. Quæ dum in modum serpentis intra suas evolutiones absconditur, quanto serpit occultius, tanto gravius Dominicam vineam in simplicibus demolitur. Unde contra eos Episcopos & omnes Domini Sacerdotes in illis partibus commorantes vigi-*

lare

lere præcipimus, & sub interminatione Anathematis prohibere, ut ubi cogniti fuerint illius hæresis sectatores, nec receptaculum quisquam eis in terra sua præbere, aut præsidium impertire præsumat. Sed nec in venditione aut emptione aliqua cum eis omnino commercium habeatur: ut solatio saltem humanitatis amisso, ab errore vitæ suæ resipiscere compellantur. Quisquis autem contra hæc venire tentaverit, tamquam particeps iniquitatis eorum, Anathemate feriatur. Illi vero si deprehensi fuerint, per Catholicos Principes custodiæ mancipati, omnium bonorum amissione mulctentur. Et quoniam de diversis partibus in unum latibulum crebro conveniunt, & præter consensum erroris, nullum cohabitandi causam habentes, in uno domicilio commorantur: talia Conventicula & investigentur attentius, & si vera fuerint, canonica severitate vetentur.

* De Brabantionibus, lege Notas Joannis Picardi in l. 2. Gulielmi Neuburgensis *pag. 735. & in lib. V. p. 779.*

* Bascoli, *vulgo* les Basques.

* Coterellos *appellatos, ejusmodi prædones, quod majoribus cultellis armati essent, quos Tolosani vulgo,* Cotterels *vocant, censet* Marca *lib.* * *Historiæ Bearnensis c. 14.*

* Triaverdini, *Forte legendum* Triamillini, *monet* Gongius *in Glossario, ac prædones illos ita vocatos, quod sicis trium lamellis uterentur, seu pugionibus quibus triplex lamella seu lamina ferrea esset.*

Canon vero vigesimus septimus Concilii Lateranensis III. idem decernit, ac eorum insuper subditos absolvit a debito fidelitatis & hominii, & totius obsequii. Et quoniam ferro & igne in Catholicos, & in Ecclesias ac Monasteria grassabantur, Fidelibus præcipit ut contra ipsos arma sumant, Indulgentiamque concedit pugnaturis sacra Synodus, & eos sub Ecclesiæ protectione suscipit, non secus ac eos qui Sepulchrum Dominicum visitant. Bonorum vero confiscatione, immo & servitute, si ita visum fuerit Principibus, hujusmodi Hæreticos, & eorum fautores plecti statuit. Canonis verba adscribo. *Sicut ait Beatus Leo: Licet Ecclesiastica Disciplina Sacerdotali contenta Judicio, cruentas non efficiat ultiones; Catholicorum tamen Principum Constitutionibus adjuvatur, ut sæpe quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium. Eo propter quia in Gasconia, Albigesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis: ita Hæreticorum, quos alii Catharos, alii Patarenos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant & infirmos: eos, & defensores eorum, & receptores, Anathemati decernimus subjacere: & sub Anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus vel in terra sua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præsumat. Si autem in hoc peccato decesserint, non sub nostrorum Privilegiorum cuilibet indultorum obtentu, aut sub aliacumque occasione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Christianos recipiant sepulturam.*

Damnat Synodus & nefarios prædones ex Belgio, seu Brabantia, Aragonia, Navarra, &c. turmatim erumpentes, parte Canonis altera. *De Brabantionibus* * *& Aragonensibus, Navarris, Bascolis* *, *Coterellis* * *& Triaverdinis* *, *qui tantam in Christianos immanitatem exercent, ut nec Ecclesiis nec Monasteriis deferant, non viduis & pupillis, non senibus & pueris, nec cuilibet parcant ætati, aut sexui, sed more Paganorum omnia perdant & vastent, similiter constituimus, ut qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel foverint per regiones in quibus taliter debacchantur, in Dominicis & aliis solemnibus diebus per Ecclesias publice denuntientur, & eodem omnino Sententia & pœna cum prædictis Hæreticis habeantur adstricti, nec ad communionem recipiantur Ecclesiæ, nisi societate illa pestifera & hæresi abjuratis. Relaxatos autem se noverint a debito fidelitatis & hominii, ac totius obsequii, donec in tanta iniquitate permanserint, quicumque illis aliquo pacto tenentur annexi. Ipsis autem, cunctisque Fidelibus, in remissionem peccatorum enjungimus, ut tantis cladibus se viriliter opponant, & contra eos armis populum Christianum tueantur.* Illam tamen absolutionem a Sacramento vel debito fidelitatis & hominii ac totius obsequii, concessam ne existimes subditis Principum Supremorum, si forte in Hæresim lapsi essent, aut Hæreticis essent fœderati. Hanc speciem Canon non attingit: sed de Dominis subalternis oppidorum, pagorum, aut castrorum, seu de Toparchis intelligi debet: quos tamen Sacra Synodus suis Toparchiis, Dominiis & bonis authoritate sua non privat, vel eorum subditos a debito fidelitatis & hominii absolvit, sed consensu Principum & Dominorum principalium, quibus ipsi jure feudi obnoxii sunt: & declarat quid mereantur, & quas ipsis pœnas infligere Principes debeant. Id indicant verba sequentia: *Confiscentur que eorum bona & liberum sit Principibus hujusmodi homines subjicere servituti.* Idem probant verba Canonis vigesimi-quarti contra eos qui Saracenis arma subministrant, aut in eorum pyraticis navibus naucleros agunt: *Tales igitur a Communione Ecclesiæ præcisos, & excommunicationi pro iniquitate subjectos, & rerum suarum per sæculi Principes Catholicos & Consules civitatum, privatione mulctari & capientium servos, si capti fuerint, fore censemus.* Sacra itaque Synodus authoritatem sibi non tribuit privandi Hæreticos bonis suis ac dominiis vel ipsos addicendi servituti, aut alias pœnas temporales ipsis infligendi, præter eas quæ sunt fori spiritualis; sed Principes adhortata est, ipsisque jussit, ut gladio ad vindictam malefactorum sibi a Deo collato, ut ejus Ministri, pestes hujusmodi compescant.

Concilium Lateranense III. *subditos Principum supremorum in Hæresim lapsorum, a debita fidelitate & obedientia non absolvit.*

Parcior olim Indulgentiarum Ecclesia.

Pergit Canon de Cruce signatis seu qui bello sacro contra Hæreticos nomen dederint: *Qui autem in vera Pœnitentia ibi decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ se non dubitent percepturos. Nos etiam de misericordia Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli authoritate confisi, fidelibus Christianis qui contra eos arma susceperint, ad Episcoporum, seu aliorum Prælatorum consilium, ad eos decertando expugnandos, biennium de pœnitentia injuncta relaxamus: aut si longiorem ibi moram habuerint; Episcoporum discretioni, quibus hujus rei cura fuerit injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium, secundum modum laboris major eis indulgentia tribuatur.* Indulgentia Plenaria iis tantum conceditur, qui in sacra Expeditione occumbunt (Tunc enim parcior erat Indulgentiarum hujusmodi Ecclesia.) Aliis biennium dumtaxat de injuncta Pœnitentia relaxat, secundum modum laboris, relaxandam Episcopis committit Synodus.

SCHOLION I.

In hoc Articulo pag. 110. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem suis verbis conceptam notant: *Concilium generale absolvit subditos Hæreticorum a dominio: sed hoc non facit Concilium de supremis Dominis, sed subordinatis Regibus; Neque authoritate propria id facit, quæ non excedit ordinem spiritualem, sed insinuat quid a Principibus temporalibus fieri potest circa ipsos.*

R. De sensu Canonis XXVII. Concilii Lateranensis III. ego. *Illam tamen Absolutionem a Sacramento vel debito fidelitatis & hominii ac totius obsequii* (inquam) *concessam ne existimes subditis Principum supremorum, si forte in Hæresim lapsi essent, aut Hæreticis essent fœderati. Hanc speciem Canon non attingit*, &c. Quid Synodus decreverit ac senserit expono & probo ex ipsius verbis. Mera Criticæ quæstio est. Juris quæstionem eo loci non attingo, circa quam nota est Sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ sententia.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 111. Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Indulgentiæ plenariæ hoc tempore non erant ita frequentes.*

R. Historiæ res est, ex ipsomet Canone XXVII. Concilii Lateranensis, cujus verba mox descripsi, perspicua & evidens. De parciori concessione Indulgentiarum tempore *Alexandri Tertii* legere potuissent Religiosi Censores Cardinalem *Baronium* ad annum 1177. num. LXXVI. ubi observat, *Alexandrum III.* cum Altare majus Ecclesiæ primariæ Ferrariensis dedicavit, *Quibuslibet vere pœnitentibus & confessis in festivitate Dedicationis ipsius Altaris illud visitantibus annum unum de criminalibus, & septimam partem venialium relaxisse .... Quibus videas* (inquit Baronius) *usum ejus temporis concedendi per Romanos Pontifices Indulgentias, quæ unius anni terminum non excederent, præterquam in Expeditione Terræ Sanctæ; ut constat ex aliis aliorum etiam Pontificum Diplomatibus. Quibus redarguuntur Scriptores, quibus traditur concessam ab eodem Pontifice primis diebus Dominicis singulorum mensium Anconitanis tantum Indul-*

dulgentiarum, quantum arena possent capere amba manus simul juncta. Qua digna risu, &c. Hæc Baronius.

Nota.

SI quid factum sit inspiciamus, nescio assentiri P. Natali affirmanti Concilium suam authoritatem in temporalia non extendisse. Si Canonis verba juxta sensum, quem præseferunt, considerentur, apparebit quidem pœnas a Concilio stabilitas ab aliis exequendas voluisse, at ipsummet Concilium eas decrevisse. Et primo jam stabilitam fuisse a Concilio Turonensi pœnam Confiscationis bonorum in hæreticos Valdenses patet ex verbis canonis IV. quæ refert Natalis: *Omnium bonorum amissione mulctentur*. Concilium postea œcumenicum Lateranense prædonum subditos a vinculo fidelitatis liberos pronunciat: *Relaxatos autem se noverint a debito fidelitatis, & hominii &c.* ac demum confiscationis bonorum pœna puniendos statuit: *Confiscentur eorum bona &c.* Si proinde observetur non voluisse Concilium Principes commonefacere de pœnis quibus prædones essent puniendi, sed easdem pœnas per semetipsum decrevisse, neque consensum alicujus expetiisse, re vera fatendum erit longe esse a mente Concilii qui putat declarasse tantum quid meruerint, & quæ pœnæ a Principibus essent infligendæ. Et re vera novum ea ætate non erat ecclesiam hujusmodi authoritatem exercere; nam iis omissis, quæ sæculo præcedente adversus Henricum Gregorius VII. adorsus fuerat, ipse Alexander III. qui huic Synodo Lateranensi præfuit, an. 1168. in altera particulari Synodo Lateranensi Fridericum I. Imperatorem excommunicationis mucrone confoderat, subditosque a fidelitatis juramento absolverat; ex quo factum est tandem Pontifici paruisse, ac sententiam revocari exorasse.

Nota.

OMittendum hic non duxi Romanos Pontifices prima fortasse vice indulgentiam plenariam concessisse, dum Alexander II. qui una cum ecclesiæ universalis regimine Lucanæ Ecclesiæ cathedram, quam prius obtinebat, retinuit, cathedralis dedicationem celebravit. De Indulgentia ea occasione ab Alexandro concessa hæc habent Godefridus Henschenius, & Daniel Papebrochius *in Conatu Chronico historico ad catalogum Pontificum differt.* 17. c. 8. quique habetur in Propilæo ad Acta SS. Maii. *Prævisse Urbano videntur quoad indulgentias sacras quædam loca visitantibus concedendas Pontifices aliqui, sed non multo antiquiores, eodemque undecimo sæculo. Nam in Codice MSS. Lucensis Ecclesiæ inter Vaticanæ Bibliotheca libros servato, invenio quod Alexander II. an.* 1070. *peracta ejusdem Ecclesia solemnissima dedicatione concessit, ut octo dierum spatio dedicationis memoria perageretur annis singulis, concessa Indulgentia pœnitentia. Nihil tam antiquum reperire potuit* [*si prædictam fictitiam inscriptionem excipimus & quasdam SS. Silvestro, & Gregorio similiter affictas indulgentias*] *Cardinalis Baronius, licet eo animo scrutatus omnia, ut ecclesiasticorum rituum vetustatem probaret contra hæreticos. Deest tamen authoritati præfata specificatio indulgentiæ: & hanc primum invenio apud ipsum Baronium ad an.* 1030. Quamvis autem ea verba *concessa indulgentia pœnitentiæ* non satis exprimere videantur *plenariam* fuisse, id tamen non obscure colligitur ex antiquo Codice Bibliothecæ, & ex alio Archivii Canonicorum Lucanæ Cathedralis, ibi enim dicitur celebrantes die Dedicationis ab omni jugo pœnitentiæ esse absolutos: quod jam pridem & observaverat celeberrimus Florentinius *l.* 2. *p.* 107. *de Gestis Mathildis*.

ARTICULUS V.

Tertia Concilii celebrandi ratio, restitutio fuit Ecclesiastica Disciplina.

QUa tempestate convocatum est Concilium III. Lateranense, labefactata penitus erat Ecclesiæ Disciplina. Regnabat in Ecclesiis & Monasteriis simoniaca labes, vigebat in Ecclesiasticis avaritia & fastus; in Laicis usurarum cernere erat voraginem; perversus erat ordo Judiciorum Ecclesiasticorum; Beneficiis præficiebantur juvenes & indigni, ac in Clericis spiritalis polygamia horrendum in modum grassabatur. His, aliisque malis opportunum adhibuit remedium cum Sacra Synodo Œcumenica *Alexander III.* Pontifex Maximus, Canonibus vigintiseptem in eum finem constitutis.

Summa Canonum Concilii Oecumenici Lateranensis Tertii.

Primus, electionem Summi Pontificis Canonicam ac legitimam non fore in posterum decernit, nisi duæ partes Cardinalium ad eamdem conspirent. Hunc supra descripsimus Art. III.

Secundus, Pseudopontificum, aliorumque Schismaticorum Ordinationes, & alienationes seu invasiones bonorum Ecclesiasticorum, irritas decernit.

Ætas & qualitates ordinandorum, sive promovendorum ad Ecclesiasticas Dignitates & beneficia.

Tertius, conditiones præscribit promovendis ad regimen Ecclesiarum necessarias, scilicet: *Ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum ætatis annum egerit, & de legitimo sit matrimonio natus, qui etiam vita & scientia commendabilis demonstretur.* Quæ autem habebat Beneficia, vacare declarat, cum electus Antistes confirmationem electionis acceperit, ac tempus infra quod Episcopum consecrari Canones jubent, elapsum fuerit: tuncque Collatorem posse de illis disponere. Statuit idem Canon, ut inferiora Ministeria, puta Decanatus, Archidiaconatus, & alia quæ animarum curam annexam habent, & Parochialium Ecclesiarum regimen, nisi qui vigesimum-quintum ætatis annum attigerit, & qui *scientia & moribus existat commendandus*, nemo accipiat. Si vero Archidiaconus in Diaconum, Decanus, aut Curatus in Presbyterum, præfixo a Canonibus tempore non fuerint ordinati, illos Beneficio excidere declarat: Clericos qui contra formam istam elegerint, eligendi potestate privatos, & ab Ecclesiasticis Beneficiis triennio suspensos.

Juvenum ad Ecclesiasticas dignitates promotio corruptela erat duodecimo sæculo frequens; adversus quam *S. Bernardus* ad *Henricum* Senonensem Archiepiscopum scribebat, Epistola XLII. „ Scholares pueri „ & impuberes adolescentuli, ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas Dignitates, & „ de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris; lætiores interim quod virgas evaserint, quam „ quod meruerint principari, nec tam illis blanditur „ adeptum, quam adeptum imperium „. Hildebertus Cenomanensis Episcopus Juveni qui in Andegavensem episcopum electus fuerat, & cui (præter cæteros electionis defectus) ætas Canonibus præscripta deerat, suasit ut cederet, nec ejus consecrationi adesse voluit. Sic autem ad illum scripsit Epistola XII. „ In Summis Sacerdotibus ætas integra postulatur, unde nec periculum religio mereatur, nec „ reverentiam dignitas amittat. Hinc est quod Ezechieli in trigesimo anno cœli aperiuntur, & „ videt visiones Domini, & prophetat. Prius ætas „ Prophetæ describitur, ut quibus annis prædicatio committi debeat, ostendatur. Christus quo„ que Ioannem supra Petrum dilexit. Petro tamen „ non Joanni concessa est potestas ligandi atque „ solvendi. Qui enim per Isaiam dixerat, *Auferte offendicula de via populi mei*, coram Discipulis offendiculum ponere noluit, nec majoribus „ anteponere juvenem; quamvis eum prærogativa „ castitatis sibi præ cæteris fecerat familiarem. Detulit igitur ætati, non meritis; nec prætulit conjugatum virgini, sed provectiorem juniori. Deni„ que Luca docente didicimus, quod Beatissima Vir„ go Maria Christum invenit in templo sedentem in „ medio Doctorum audientem illos & interrogantem. Donec annorum defuit integritas, Doctor omnium

omnium

„ minium fines Discipuli non excessit: ubi vero „ pleni dies accesserunt, factus est magister pro debito, qui fuerat discipulus pro exemplo. His omnibus impressa est Ecclesiæ forma quam sequatur, certusque limes ætatis appositus, infra quem „ fieri Episcopum, facto cedit ad Judicium.

Eamdem corruptelam in *Rogerio* Eboracensi Archiepiscopo perstringit *Guillelmus Neuburgensis*, lib. 3. de Rebus Anglicis, cap. V. „ Pro personis, *inquit*, „ spectabilibus, quibus tamquam quibusdam monilibus Eboracensis olim refulsit Ecclesia, titolavit imberbes, & quosdam etiam agentes sub ferula, & aptos magis pro ætate ædificare casas, & plostello adjungere mures, ludere par impar, equitare in arundine longa, quam personas gerere in Ecclesia Magnatum: ut scilicet usque ad annos viriles curam agens Titulatorum, universa perciperet commoda Titulorum. Prudenter itaque *Alexander* III. & Concilii Lateranensis Patres sanxerunt, ut juxta Canones, nemo Episcopus ordinaretur, nisi qui trigesimum ætatis annum; Decanus, Archidiaconus, Curatus, &c. nisi qui vigesimum-quintum attigisset ac vita & scientia esset commendatus.

Canon quartus Lateranensis Concilii prohibet ne Prælati subditos suos gravent in Visitationibus; atque hanc ob caosam prohibet ne Archiepiscopi quadraginta vel quinquaginta equorum numerum excedant; Cardinales, viginti quinque; Episcopi triginta: Archidiaconi, quinque aut septem; Decani sub ipsis constituti duobus equis sint contenti. Quod tamen secundum *tolerantiam* dictum in illis dumtaxat locis permittit observari, in quibus ampliores sunt redditus, & Ecclesiæ facultates. In pauperioribus autem locis eam teneri jubet mensuram, ut ex Majorum accessu minores non graventur.

Ordinandorum Titulus.

Canon quintus, aliquem sine certo Titulo prohibet ordinari Presbyterum vel Diaconum. Episcopum qui aliquem sine titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, ordinaverit, obligat ad necessaria ei subministranda, donec ei in aliqua Ecclesia convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet: nisi Ordinatus ex patrimonio, vel propriis bonis vivere possit. Canonem integrum adscribo. *Episcopus, si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia militiæ clericalis assignet, nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua, vel paterna hereditate subsidium vitæ possit habere.* Neminem absque Titulo ordinari sanxit Ecclesia, cum ut Clericis vagandi subtraheretur occasio, & ut perpetuo divinis Ministeriis intenderent, in Ecclesiis, quibus erant in ipsa Ordinatione addicti, residentes: tum ut ex suo Titulo necessaria ad victum & vestitum haberent, nec mendicare cum Ecclesiæ dedecore cogerentur. In hoc vero quem exponimus Canone, tituli patrimonialis mentio primum occurrit, ante hæc tempora ignoti. Relatus est hic Canon in libros Decretalium, Titolo *De Præbendis & Dignitatibus*, Cap. *Episcopus*. Huic geminum est Cap. *Non liceat*, ibidem, cujus hæc sunt verba; *Non liceat ulli Episcopo ordinare Clericos, & eis nullas alimonias præstare; sed duorum alterum eligat; vel non faciat clericos; vel si fecerit, det illis unde vivere possint.* Id confirmavit postea *Innocentius III.* Cap. *Cum secundum Apostolum*, Ibidem. *Licet*, inquit, *Prædecessores nostri Ordinationes eorum, qui sine certo Titulo promoventur, in injuriam Ordinantium irritas esse voluerint, & inanes: Nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per Ordinatores, vel Successores eorum, provideri volumus Ordinatis, donec per eos Ecclesiastica Beneficia consequantur.* Quam ob rem jubet Episcopo Zamorensi, ut Subdiacono, quem ejus Decessor ordinaverat, tamdiu vitæ necessaria subministret, donec in Zamorensi Ecclesia, vel in altera, competens Beneficium Ecclesiasticum fuerit assecutus: quod nisi præstet, Censuris Ecclesiasticis ad id compelletur. Idem statuit Cap. *Accepimus*, Tit. *De ætate & qualitatibus Ordinandorum*. De Presbyteris tantum & Diaconis Canonem Concilii Lateranensis esse intelligendum probat *Stephanus Tornacensis* Epist. CXCIV. ad aliquem ex *Alexandri III.* Successoribus scripta, qui Episcopos novis mandatis adigere volebat ad clericos omnes, quos ordinaverant sustentandos, vel ad Beneficia ipsis conferenda.

Primæ Patrimonialis tituli mentio.

Judiciorum ordo.

Canon sextus Ordinem Judiciorum Ecclesiasticorum moderatur: prohibetque ne Episcopi, & Archidiaconi, suspensionis vel excommunicationis Sententiam ferant in subditos, nisi canonica monitione præmissa: Subditis vero ne ante contestationem litis ad Superiorem Judicem appellent. Legitime vero appellantibus, certum præfigi tempus jubet ad appellationem persequendam. Infra quod si causam agere ad superioris Judicis tribunal neglexerint, Episcopus jure suo utatur. Qui vero interjecta appellatione, se subduxerit, impensarum solutione mulctatur. Monachis præsertim & Religiosis quibusque Viris prohibet, ne *contra regularem Prælati sui & Capituli disciplinam* appellare præsumant.

Appellatio contra Regularem Disciplinam Monachis interdicta.

Simoniacæ exactiones consuetudo non excusat.

Canon septimus Simoniacas exactiones pro Sacramentorum administratione, vel Beneficiorum collatione damnat & prohibet; neque consuetudinem ipsas a Simoniaca labe purgare docet: *Putant*, inquit, *plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa involuisse consuetudine arbitrantur: non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat, & vel pro personis Ecclesiasticis deducendis ad Sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut mortuis sepeliendis, seu etiam aliis Sacramentis aliquid exigatur, districtius inhibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum: cujus factum turpis muneris exactione imitatur.* Iste porro Canon Lateranensis Concilii transcriptus est libro V. Decretalium Tit. III. *De Simonia*, cap. *Cum in Ecclesiæ*. Vetuit etiam *Alexander III.* Episcopis, sub periculo gradus, ne pro Chrismate nummos ab Ecclesiis extorquerent, qualicumque consuetudine hanc exactionem tueri, & qualicumque nomine ipsam honestare conarentur. *Audivimus*, inquit, *quod nummos pro Chrismate ab Ecclesiis extorquetis: quos nunc Cathedraticum, aliquando Paschalem præstationem, interdum Episcopalem consuetudinem appellatis. Quia vero hoc simoniacum esse cognoscitur; Mandamus, quatenus prætextu alicujus consuetudinis vel prælationis, præscriptos denarios nullatenus exigatis: pro certo scituri, quod si hoc præsumpseritis, periculum Ordinis & Dignitatis poteritis non immerito formidare.*

Exactiones pro sepulturis vetitæ.

Quod vero sepulturas spectat, in decreto *Gratiani* circa hæc tempora edito, Causa XIII. Quæstione II. plura capita leguntur, quibus exactiones pro sepultura prohibentur, scilicet C. *Questa est* sumptum ex S. Gregorio Magno Lib. VII. Regesti, Indictione II. Epistola LV. C. *In Ecclesiastico*, ex Concilio Triburicosi, Canone XVI. C. *Præcipiendum*, ex Concilio Nannetensi Canone VI. pro quo Gratianus Varense nescio quod Concilium perperam laudat. Si quid ergo, secundum consuetudinem piam, in Christianorum funeribus exigit Ecclesia, eleemosyna est pro redemptione peccatorum imperata, non pretium pro loco vel spatio sepulturæ, ut scribebat *Paschalis* II. ad Episcopum Augustodonensem Norigaudum. *Statuimus* inquit, *ut pro sepulturæ quidem loco, vel spatio, nullum penitus ab aliquo pretium exigatur: pro redemptione vero peccatorum, morientes, in Ecclesia in qua Fidei Sacramenta acceperint, eleemosynam dare, secundum Apostolica Decreta statuimus omnino & confirmamus. Si quis autem ad aliam vivens, sive moriens, se conferre voluerit, de eo quod pro salute animæ suæ dare disposuerit, secundum Apostolica Decreta, Matrici Ecclesiæ partem relinquat.* Eadem Parochialium Ecclesiarum jura in Fidelium exequiis firmaverat multo ante Paschalem II. *Leo* III. siquidem ipsius Decretum est quod in Appendice Concilii Lateranensis III. Parte XLII. Tit. *De Sepulturis & Defunctorum voluntatibus*, Cap. II. legitur: *Nulli*, inquit, *denegamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam. Sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem judicii sui illi Ecclesiæ censemus jure dari, in qua cælesti pabulo a principio sui exordii refectus cognoscitur: ut [juxta Apostolum] sint socii consolationum, ut fuerunt passionum; & sic demum ubicumque libi-*

Parochialium Ecclesiarum jura ad funebrem & sepulchralem eleemosynam exigendam

tum

tum fuerit, eligat sepulturam. Aliter ne fiat, Authoritate Domini nostri, qui per Prophetam locutus est, dicens: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui, *sub Anathematis vinculo detestamur, & contradicimus.* Refertur etiam lib. III. Decretalium, Tit. *De Sepulturis*, C. *Nos instituta.* Tandem *Alexander* III. Decessorum suorum Decretis inhærens, statuit ut si quis in infirmitate positus se & sua Monasteria tradit, ac ex illo morbo moritur, Ecclesia Parochialis Canonicam habeat de bonis illis portionem: secus si Religionem sanus ac vegetus profiteatur. *De his qui in infirmitate vel sanitate cum bonis suis ad religiosa loca se transferunt, nihil tibi vel Ecclesiis, a quibus receperunt salutis pabula, relinquentes, hoc tua volumus Prudentia innotescere: Quod si in ægritudine ipsa ad Religionem transeant, dummodo de ægritudine illa decedant, de bonis suis ipsis Ecclesiis a quibus assumpti fuerint, Canonica debet Portio exhiberi. Si vero ad Religiosa loca se in sanitate transtulerint, de his quæ locis ipsis conferunt cogi non possunt aliquid præscriptis Ecclesiis impertiri: quia liberum est eis tunc bona sua, non solum Religiosis, sed etiam quibuslibet privatis conferre personis.* (Ibidem Cap. *De his.*) Ex quibus liquet, æquum esse ut a Fidelibus moribundis eleemosynæ conferantur Ecclesiis, in quibus sepulturam eligunt, & Parochialibus etiam Ecclesiis, a quibus salutis pabula receperunt, si alibi sepulturam eligant, & ad pias illas consuetudines præstandas ab Episcopis cogi posse, quamvis sacri Canones vetent ne aliquid pro sepultura exigatur.

Gratiæ Expectativæ damnantur.

Canon Octavus Concilii III. Lateranensis vetat, ne *Ecclesiastica Ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ alicui tribuantur, seu promittantur, antequam vacent: ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum. Cum enim id etiam in ipsis Gentilium Legibus inveniatur prohibitum; turpe nimis est, & Divina plenum animadversione Judicii, si locum in Dei Ecclesia futuræ successionis expectatio habeat, quam etiam damnare ipsi Gentiles homines curaverunt.*

Tempus Beneficiorum collationi præfixum.

Præbendas porro & quælibet Ecclesiastica Beneficia vacantia, conferri jubet infra sex menses a die vacationis. Si conferre distulerit Episcopus, ubi ad ipsum spectat, jus ad Capitulum devolutum est: Si ad Capitulum electio pertinet, & infra tempus constitutum non elegerit, jus devolutum est ad Episcopum: Si ambo neglexerint, providebit Metropolitanus. Gratias Expectativas Canon iste proscribit, quarum tamen lues frequentior fuit sequentibus sæculis. Has damnavit Basileense Concilium Sessione 31. Quam Ecclesia Gallicana Avarici Biturigum congregata, quoad hoc Disciplinæ caput, aliaque salubria Decreta, recepit, ac Pragmatica Sanctione confirmavit *Carolus VII.* Rex Christianissimus. Illas tandem penitus sustulit Sacra Synodus Tridentina Sessione 24. de Reformatione, cap. 19.

Privilegiorum moderatio.

Canon Nonus Templarios, & Hospitalarios, S. Joannis Hierosolymitani, aliosque Viros Religiosos, qui indulta sibi ab Apostolica Sede excedentes Privilegia, contra Episcopalem Authoritatem multa præsumebant, coercet; ipsisque vetat primo, ne Ecclesias & Decimas de manu laicorum, sine Episcoporum consensu recipiant, jubetque ut dimittant hoc modo susceptas. Secundo, præcipit ut excommunicatos & nominatim interdictos ab Episcopis, ipsi etiam vitent. Tertio statuit, ut in Ecclesiis quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos Presbyteros Episcopis præsentent: ut eis quidem de plebis cura respondeant: ipsis vero Fratribus pro rebus temporalibus reddant rationem. Quarto decernit, ut si ad Ecclesiam Interdicto subjectam venerint, nonnisi semel in anno ad Ecclesiasticum admittantur Officium, nec tunc ibi corpora defunctorum sepeliant. Quinto, eos qui se Religiosis Ordinibus non omnino tradiderunt, sed ad ipsorum Fraternitatem admissi, propriis in ædibus commorantur, Immunitatum ipsis concessarum non esse participes declarat, sed Episcoporum Disciplinæ ac Judicio, non minus quam Diœcesanos reliquos, subjacere.

Pretii exactio pro ingressu Religionis, & peculium Monachis & Religiosis quibusque Viris prohibentur.

Canon Decimus de Monastica statuit Disciplina: imprimis ne Monachi & Religiosi quique viri *pretio recipiantur in Monasterio*. Ei qui pro sua receptione compulsus aliquid dederit, ascensus ad Sacros Ordines prohibetur. Qui acceperit, Officio privatur. Secundo, vetat ne peculium habeant. *Qui peculium habuerit, nisi ei ab Abbate pro injuncta fuerit administratione permissum, a Communione removeatur Altaris: & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec Oblatio pro eo fiat; nec inter fratres recipiat sepulturam.* Abbas circa hujus Decreti executionem negligens, Officii privatione mulctatur. Priores Conventualibus Ecclesiis gratis præfici jubet, nec amoveri nisi manifestam & justam ob causam, nempe ob crimen, ob dilapidationem facultatum, aut pro necessitate majoris Officii gerendi. Exactionem pecuniæ pro ingressu Religionis *Alexander* III. severe prohibuit, & Abbatem ac Monachos cujusdam Cœnobii, qui pecuniam pro receptione Fratris extorserant, ratione consuetudinis, ad restitutionem compulit: Abbatem & Majores Monasterii ab Officiis suspendit: Novitium in aliud Monasterium transferri jussit: (Cap. *Veniens*, Tit. *De Simonia*, lib. V. Decretal.) *Veniens ad nos F. Presbyter proposuit quod Abbas & Fratres Sancti R. noluerant eum in Monachum recipere, quousque triginta solidos dare conveniret. Conventione autem facta, sequenti die eum Monasticum habitum induerent, & iidem Monachi triginta solidos, Abbas vero decem, & familia duodecim pro pastu [asserentes hoc esse de consuetudine Monasterii] postularunt. Quoniam ergo factum hujusmodi perniciosum videtur; Mandamus quatenus si ita esse inveneris, Abbatem & Monachos ad restituendam pecuniam præfato F. tam indigne acceptam, compellas: & Abbatem, & majores personas Monasterii, pro tantæ pravitatis excessu, ab Officii executione suspendens præcipias dicto F. ut in alio Monasterio, in habitu Monastico, Domino studeat deservire.*

Clericorum continentia.

Canon XI. Continentiam Clericis imperat, utque mulierculas e domibus suis ejiciant; Officium alioqui & Beneficium Ecclesiasticum amissuri. Idem Canon criminis nefarii reos, quod excidium quinque civitatibus intulit, si Clerici fuerint, ejicit a Clero, vel ad Pœnitentiam agendam in Monasteria detrudit: Laicos a Christiana Communione removet. Vetat denique Clericis ne Monasteria Virginum, *sine manifesta & necessaria causa*, frequentent; jubetque Episcopis ut illos arceant a periculosa utrique sexui familiaritate, & contumaces Beneficiis privent.

Sæculares Magistratus gerere Clericis vetat Concilium Lateranense Tertium.

Canon XII. prohibet Clericis ne ad sæcularia tribunalia causas agant, nisi proprias, vel Ecclesiæ; & ne litium procurationes suscipiant, nisi pro miserabilibus forte personis & ex caritate: & ne procurationes villarum, aut *Jurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus Principibus, vel sæcularibus viris, ut Justitiarii eorum fiant, Clericorum quisquam assumere præsumat. Si quis adversus hoc tentaverit [quoniam contra doctrinam Apostoli est dicentis,* Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*] & sæculariter agit: Ecclesiastico fiat Ministerio alienus, pro eo quod Officio Clericali neglecto fluctibus sæculi, ut Potentibus sæculi placeat, se immergit.* Religiosis Viris eadem multo severius prohibentur. Tunc non ferebat Ecclesiæ Disciplina ut Clerici, præsertim Sacris Ordinibus initiati, sæculares Magistratus gererent. Hinc Abrincatense Concilium in Neustria, paucis annis ante Lateranense III. Œcumenicum, scilicet anno 1162. Canone 12. ita decernit: *Clerici Judices non ponantur ad Jurisdictiones sæcularium Potestatum administrandas. Qui autem hoc præsumpserint, e Beneficiis Ecclesiasticis arceantur.* Huic præerant Concilio *Theodinus* & *Albertus* Cardinales, Sedis Apostolicæ Legati.

Petrus Blesensis in Tractatu *De Institutione Episcopi*, pag. 452. luculenter ostendit quam sit a Clericali Professione alienum Magistratus sæculares gerere. *Si te Curialium*, inquit, *& maxime Scacarii labyrinthis immerseris, magna spiritualis exercitii dispendia patieris. Nemo potest duobus Dominis servire, Deo & mammonæ. Non excidat a te quomodo in Tonsura capitis, quando electus es in sortem Domini, renuntiasti ignominiæ laicali. In die autem consecrationis tuæ, super abrenuntiatione sæcularium emisisti vota quæ distinxerunt labia tua. Alligatus es verbis oris tui, ad consecrantis interrogationem sine exceptione aliqua promisisti, quod de cætero a terrenis negotiis, & a turpibus lucris te alienares, tuamque sollicitudinem*

di-

divinis semper negotiis mancipares. Quid tibi ad Scenarium? Quid tibi ad fiscales reditus, ut vel horulam brevem curam posthabeas animarum? Et Epist. 26. *Res*, inquit, *plena discriminis est in Clericis usus Legum: totum enim hominem adeo sibi vendicant, ut cum rei familiaris providentia fraudet, suspendat a spiritualibus, a divinis avellat*, &c.

Beneficiorum pluralitas prohibetur, Residentia imperatur.

Canon XIII. Spiritalem Polygamiam damnat; plura ab uno Clerico possideri Beneficia prohibet: iis tantum qoi residere possint & commissum Officium per se ipsos exercere, illa conferri jubet; alioquin irritam Collationem pronuntiat, & Collatorem privat concedendi potestate. Totum adscribere Canonem operæ pretium est. *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales contra Sacrorum Canonum Instituta nituntur acquirere; ita ut cum unum Officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum: ne id de cætero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere: Quod si aliter fuerit actum, & qui receperit, quod contra Sanctos Canones accepit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate privetur.* Canon iste iosertus est Lib. III. Decretalium Tit. *De Clericis non residentibus*, C. *Quia nonnulli*.

Canon XIV. eumdem abusum perstringit his verbis: *Quia in tantum jam quorumdam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed sex aut plures Ecclesias perhibeantur habere, nec duabus debitam possint provisionem impendere: per Fratres & Coepiscopos nostros carissimos emendari præcipimus; & de multitudine Præbendarum Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam & vagationis induxit, & certum continet periculum animarum: eorum, qui Ecclesiis digne valeant deservire, volumus Ecclesiasticis Beneficiis indigentiam sublevari.* Beneficiorum pluralitas multiplicem deformitatem habet. Primo, quod qui unius officium vix implere potest, plurium stipendia sibi vendicet. Secundo, quod Officium Sacrum propter quod Beneficium Ecclesiasticum institutum est, residentiam postulet Ministri Ecclesiastici. Residere autem in pluribus non potest. Tertio, quod justitiam distributivam lædat plurium Beneficiorum in onam personam coacervatio; ex quibus plurium Clericorum virtute & literis conspicuorum posset inopia sublevari. Quarto, quia fovet ambitionem & cupiditatem, dissolutionisque & vagationis occasionem præbet. *Unde certum continet periculum animarum.* Canon iste insertus est Lib. 3. Decretalium Tit. 5. *De Præbendis & Dignitatibus*, C. *Quia in tantum*. Ibidem C. *Cum teneamur*, Mandatum Sedis Apostolicæ de conferendo alicui Beneficio non adimpleri permittit, si aliod Beneficium habeat, ex quo valeat commode substentari; oisi forte in Literis Apostolicis id expressum esset. *Si mandatum nostrum*, inquit, *pro alicujus provisione receperis, qui aliud Beneficium habeat de quo valeat commode sustentari: nisi forte in Literis ipsis de hoc mentio habeatur; aut si non potest ei sine scandalo providere, æquanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum.* Ibidem C. *Ad hæc licet*, ita decernit: *Illud est omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una vel diversis Ecclesiis, plures Dignitates, vel Personatus obtineat: cum singula Officia in Ecclesiis assiduitatem exigat Personarum.* Idem docet C. *Cum non ignores*, decernitque ut electus ad secundam Ecclesiam, primam dimittat. Et ad Episcopum Jaouensem scribens: *Cum non ignores* (inquit) *quod una Ecclesia unius debet esse Sacerdotis, mirabile gerimus & indignum si uni personæ locum in pluribus Ecclesiis velis concedere, & in Episcopatu tuo inducere consuetudinem Gallicanæ Ecclesiæ, quæ cum unum ad plura recipiat Beneficia contra Sacrorum Canonum Instituta, non comprobatur a nobis, licet non possit præ multitudine delinquentium emendari.* Refertor Lib. III. Collectionis II. Decretalium Tit. IV. *De Præbendis*, Cap. I.

Canonica Beneficiorum collatio a Laicis fieri non potest sine Ecclesiæ Authoritate.

Canon XIV. Prohibet præterea Clericis, ne Ecclesias a Laicis sine proprii Episcopi Authoritate recipiant, sub pœna excommunicationis, immo & exauthorationis. *Presbyter autem* (inquit) *sive Clericus, qui Ecclesiam per laicos, sine proprii Episcopi Authoritate, receperit tenendam, Communione privetur; & si perstiterit, Ministerio Ecclesiastico & Ordine deponatur.* Ecclesiastica Beneficia absque Canonica Institutione legitime possideri non possunt. Cum Spiritualia Ministeria annexa habeant, spirituali tantum authoritate conferri possunt: ea maxime quibus animarum cura, & Sacramentorum administratio, vel prædicandi munus, conjuncta suot, ut Episcopatus, Abbatia, Decanatus, vel Præpositura, Archidiaconatus, Pœoitentiarii vel Ecclesiastis Dignitas. Missio enimvero ad obeunda hujusmodi Beneficiorum Mioisteria necessaria est, quæ non est a laicis, sed ab Ecclesia, & ab Ecclesiastica potestate, Christi nomine & authoritate agente, qui dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Possunt tamen laici Jus conferendi Beneficia concessione & authoritate Ecclesiæ obtinere. Sic Francorum Anglorumque Reges Beneficia io Ecclesiis vacantibus Regaliorum Jure conferebant, ut probat cap. *Ex diligenti* Extra, *De Jure Patronatus*, in I. Collectione Antiqua Decretalium ab *Antonio Augustino* edita, quod est *Alexandri III.* Archiepiscopis, & Episcopis per Angliam constitutis, scribebat idem Pontifex cap. *Relatum est*, ibidem, contra Collationes a laicis absque Privilegio factas: *Relatum est auribus nostris, quod nonnulli ambitione nimia tracti, occasione laicæ recognitionis & potentia sæcularis, in sæculari foro non requisita Episcopi audientia, Patronatus Ecclesiarum, & Beneficia Ecclesiastica sibi præsumant in vestris Parochiis vendicare. Quoniam igitur hujusmodi personæ non intrant per ostium, sed aliunde conscendunt; ac per hoc indigni sunt Pastoris nomine vel prærogativa gaudere, mandamus atque præcipimus, quatenus eos quos Patronatus Ecclesiarum, & Ecclesiastica Beneficia prædicto modo constat adeptos, si commoniti minime resignaverint, nisi præscriptione, aut Episcopali concessione muniti fuerint, sublato appellationis diffugio, ab Officio reddatis, & Beneficiis alienos; & si nec sic destiterint, vinculo Anathematis innodetis, & usque ad dignam satisfactionem teneatis, & tenere faciatis adstrictos.*

Ecclesiastica Jurisdictio.

Idem *Canon XIV.* Concilii Lateranensis, Laicos qoi Ecclesiasticas personas, & ipsos etiam Episcopos suo Judicio stare compellant, a Communione segregandos edicit. Laicorum Magistratuum in Jurisdictionem Ecclesiasticam excursus Concilium Nemausense anno 1096. Canone 14. rapinam & sacrilegium vocaverat: *Nec Clericos*, inquit, *nec Monachos ullus ad sæculare cogat venire Judicium in Curiam suam; quoniam hoc rapina esset & sacrilegium.* Concilium Remense sob Eugenio III. anno 1148. ita sanxerat: *Decernimus ut Laici Ecclesiastica terminare negotia non præsumant; & Episcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Ecclesiarum Prælati, de Ecclesiasticis negotiis, vel de aliis quæ spiritalia esse noscuntur, aliquorum Laicorum Judicio non disponant; nec propter eorum prohibitionem, Ecclesiasticam dimittant Justitiam exercere.* Inter Consuetudinum Regiarum Capita, quæ *S. Thomas Cantuariensis* ardore tam sancto, & invicta constaosia impugnavit, unum illud erat: *Quod Clerici teneantur ad sæcularia Judicia.* Alexander III. ad Upsalensem Archiepiscopum, & ejus Suffraganeos contra hanc Laicorum audaciam his verbis scribebat: *Accedit ad hæc, quod Clerici, sive ipsi adversus Laicos, sive Laici adversus eos litigantes experiri voluerit, Laicorum Judicia subire, & secundum ipsorum instituta, sive Leges agere, vel defendere se coguntur. Nec solum inferioris Ordinis Clerici talibus injuriis fatigantur, verum etiam vos ipsi, si justitiæ vigorem zelo Dei succensi aliquando exercetis, vel ad igniti ferri examen, vel ad aliquod aque prohibitum & execrabile Judicium provocamini: nulla Canonibus qui id prohibent, vel Pontificali Dignitati exhibita reverentia, &c.* Idem Pontifex ad *Ludovicum VII.* Regem Christianissimom scribebat. *Et Reges Francorum sanxerunt, ut hi quibus a Clericis injuria irrogatur, eos apud Ecclesiasticos Judices debeant solummodo convenire. Idipsum præsertim super his quorum injuria infra Sacros Ordines peragitur, de consuetudine Regni tui, usque ad hæc tempora accepimus observatum.*

Ep. 19. Appendicis I.

Decimarum restitutio Laicis imperatur.

Postrema pars Canonis XIV. prohibet *Ne laici De-*

Canon Lateranensis Decimas infeodatas non spectat.

cimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis vero *ceeperit*, *& Ecclsia non tradiderit*, *Christiana sepultura privetur*. Insetta est lib. III. Decretalium Tit. 30. *De Decimis*, Cap. *Probibemus*. Infeodatas Decimas Canon iste non spectat, quas nimirum laici de Ecclesia bene meriti ante Concilium Lateranense, ejusdem Ecclesiæ concessione in Feudum perpetuum possidendas acceperant. Quæcumque nunc possidentur a laicis, infeodatæ censentur ante Concilii Lateranensis tempora. Credere enim par est ea tempestate restitutas fuisse, quæcumque alio titulo possidebantur, nec inanem fuisse Lateranensis Concilii œcumenici Sanctionem, Decreta *Gregorii VII.* in Concilio Romano V. Lateranensis Concilii œcumenici sub *Innocentio II.* Cap. 10. Remensis sub *Eugenio III.* Cap. 8. & Turonensis sub ipso *Alexandro III.* Canone 3. confirmantem. Utrum vero Decimas infeodatas laici absque Ecclesiæ consensu ad alios laicos transmittere possint, aut Monasteriis, vel quibus voluerint, Ecclesiis donare, alia quæstio est: Si Jus Canonicum consulamus, id fieri absque Ecclesiæ consensu non potest, ut constat ex *Innocentio III.* Can. *Cum Apostolica*, Lib. 3. Decretalium Tit. *De his qua fiunt a Prælatis*; ubi ita rescribit: *Nam & in Lateranensi Concilio est inhibitum, ne qualibet religiosa persona Ecclesias & Decimas de manibus laicorum, sine consensu Episcoporum recipiat. Per quod indirecte datur intelligi quod sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesia sit Decimas de manibus recipere laicorum. Hoc autem de illis Decimis intelligimus, qua laicis in feudum perpetuo sunt concessa*. Idem colligitur ex Canone, *Ex parte*, Tit. *De Feudis*. At, si Gallicanam Jurisprudentiam attendamus, hujusque Regni mores, non est necessarius novus Ecclesiæ consensus ut laici de Decimis Infeodatis prout sibi placuerit, disponant: quia Ecclesiæ conniventia ab antiquo factum est, ut Decretales mox laudatæ vim in Galliis nullam haberent; in quibus Decimæ infeodatæ omnibus omnium commerciorum legibus subjiciuntur, venditionibus, pignorationibus, donationibus, dotibus, transactionibus, compromissis; & ad forum civile omnino spectant.

Bona per Ecclesiæ acquisita Clerici transmittere non possunt ad heredes.

Canon XV. Concilii III. Lateranensis prohibet Clericis ne bona per Ecclesias acquisita transmittant ad heredes, vel quovis alio modo de illis disponant, quæ ad Ecclesiam pertinent, secundum antiquos Canones. *Cum*, inquit, *in officiis caritatis illis primo teneamur obnoxii, a quibus nos beneficium cognoscimus accepisse: e contrario Ecclesiastici quidam Clerici, cum ab Ecclesiis suis multa bona perceperint, bona per Ecclesias acquisita in alios usus præsumunt transferre. Hoc igitur quia & antiquis Canonibus constat inhibitum, nos etiam nihilominus inhibemus. Indemnitati itaque Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere*. Insertus est Lib. 3. Decretalium Tit. 21. *De Testamentis & ultimis voluntatibus*, cap. *Cum in Officiis*. Hanc disciplinam confirmat *Alexander III.* ibid. cap. *Ad hæc*, cujus hæc sunt verba: *Præsentibus innotescat, quod Clerici de mobilibus, qua per Ecclesiam sunt adepti, jure testari non possunt*.

Et cap. *Quia nos*, Episcopo cuidam ita respondet: *Licet Clerici de his qua paterna successione, vel cognatione intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant: de his tamen qua consideratione Ecclesia perceperunt, nullum Jure possunt facere testamentum*.

Ibidem, Cap. *Relatum est*, rogatus utrum Canon Lateranensis Concilii, de quo agimus, de immobilibus tantum, vel etiam de mobilibus intelligendus esset, respondet, *Quod generaliter bona qualibet per Ecclesiam acquisita, ei debent juxta Lateranense Concilium, post acquirentis obitum remanere ..... Licet autem mobilia per Ecclesiam acquisita, de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint; consuetudinis tamen est non improbanda, ut de his pauperibus & religiosis locis, & illis qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Cæterum qua ex hereditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, distribuantur pro arbitrio decedentis*.

Munus Officialis vendere nefas.

Idem Canon Lateranensis prohibet, ne Decanos ad Jurisdictionem Episcopalem exercendam, sub pretio statuant, sive ne hujusmodi Ecclesiasticos Magistratus vendant Episcopi: alioqui potestate hæc Officia conferendi priventur.

Canon XVI. statuit, *Ut nisi a paucioribus & inferioribus aliquid rationabile fuerit ostensum, appellatione remota semper prævaleat & suum consequatur effectum, quod a majori & saniori parte Capituli fuerit definitum*. Insertus est Lib. 3. Decretalium, Tit. 11. *De his qua fiunt a majori parte Capituli*, cap. *Cum in cunctis*.

Quid agendum cum Patroni plures in præsentatione ad Beneficium discordant?

Canon XVII. Medetur malo, quod ex Fundatorum seu Patronorum dissensione in Ecclesiam redundat: cum ad plures præsentatio spectat, nec in ejusdem Clerici nominationem conspirant, sed in plures partes dividuntur. Tunc enim illum Ecclesiæ præfici jubet Sacra Synodus, *qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur & probatur assensu. Si autem hoc sine scandalo fieri nequiverit, ordinet Antistes Ecclesiam, sicut melius secundum Deum viderit ordinandam. Idipsum etiam faciat, si de jure Patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, infra quatuor menses non fuerit definitum*. Relatus est in Lib. 3. Decretalium Tit. 39. *De Jure Patronatus*, cap. *Quoniam in quibusdam*.

Præbenda Theologalis institutio.

Canon XVIII. Statuit ut in singulis Ecclesiis Cathedralibus, Magistro, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, & Scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod Beneficium assignetur, quo docentis necessitas sublevetur, & discentibus via pateat ad doctrinam. Idem quoque in aliis Ecclesiis ac Monasteriis restitui jubet, in quibus aliquid olim ad hoc deputatum est. Porro pro docendi licentia pretium exigi vetat: aut a docendi munere peritos, qui docere voluerint, repelli, sub pœna privationis Beneficii.

Ecclesiarum immunitas.

Canon XIX. Publicos Magistratus & Consules Civitatum perstringit, qui Ecclesiis onera imponunt, & Jurisdictionem Ecclesiasticam imminuunt. Id ne deinceps aggrediantur, sub pœna excommunicationis prohibet. Nisi *Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla coactione, ad relevandas communes necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda*. Insertus est Lib. 3. Decretalium Tit. 49. *De Immunitate Ecclesiarum*, Can. *Non minus*.

Canon XX. Torneamenta, seu nundinas illas vel ferias, ad quas Milites ex condicto venire solebant, & ad ostentationem virium congredi prohibet; atque eos qui in hujusmodi congressibus mortui fuerint, Ecclesiastica sepultura privandos edicit: Quamvis Pœnitentia poscentibus non negetur: Quod jam in Concilio Lateranensi II. sub *Innocentio II.* & ab *Eugenio III.* fuerat constitutum. Insertus est Lib. 5. Decretalium Tit. 13. *De Torneamentis* cap. *Felicis*.

Canones XXI. & XXII. *Treugam* & *Pacem*, religiose servari jubent: vetantque ne quisquam novas Pædagiorum exactiones, sine Regum & Principum Authoritate, & consensu statuere, aut de novo statutas tenere, aut veteres augere præsumat, sub pœna excommunicationis. Relati sunt hi Canones in lib. 1. Decretalium Tit. 33. *De Treuga & Pace*, C. *Treugas* & C. *Innovamus*.

Canon XXIII. Leprosis simul degentibus Ecclesiam, & Cœmeterium, propriumque Presbyterum concedit, atque Immunitatem a Decimis solvendis.

Canon XXIV. Excommunicationem decernit in Christianos, qui Saracenis arma & alia ad Christianos impugnandos necessaria subministrant, aut in eorum navibus rectores fiunt. Eamdem pœnam statuit in eos, qui piraticam in Christianos exercent, aut naufragorum bona invadunt.

Usura damnatio, & usurariorum pœna.

Canon XXV. Statuit ne *Usurarii manifesti nec ad Communionem admittantur Altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam*. Qui autem Sacerdos eorum Oblationem acceperit: aut eos Christianæ sepulturæ tradiderit: *& ea qua acceperit, reddere compellatur*; & donec ad arbitrium Episcopi sui fecerit satis, *ab officii sui maneat executione suspensus*. Canon iste relatus est in lib. 5. De-

cretalium Tit. 19. *De Usaris*, cap. *Quin in omnibus*. Ibi & sequenti Canone *Super eo*, Pontifex crimen usurarum *atriusque Tstamenti pagina* damnatum docet; neque super hoc dispensationem aliquam fieri posse: *Quin cum Scriptara Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri: malto magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur*.

Usurarum restitutio. Idem Pontifex cap. *Cum tu*, ibidem manifestos usurarios ad Communionem recipiendos non esse statuit, donec usuras, non solum post, sed etiam ante Lateranensis Concilii Decretum acceptas restituerint iis a quibus receperunt, vel eorum heredibus; vel, si nulli superstites sint heredes, in pauperes erogaverint. *Sive ante*, inquit, *sive post interdictam nostrum, usuras extorserint, cogendi sunt per pœnam, quam statuimus in Concilio, eas his, a quibus extorserunt, vel eorum heredibus restituere; vel his non superstitibus, pauperibus erogare: dummodo in facultatibus habeant, unde ipsis possint eas restituere: eam juxta verbum B. Augustini; Non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Illi autem, qui non habent in facultatibus, unde usuras valeant restituere, non debent illa pœna multari: Cum eos nota paupertatis evidenter excuset. Possessiones vero quæ de usuris comparatæ sunt, debent vendi, & ipsarum pretia his, a quibus usuræ sunt extortæ, restitui: ut sic non solum a pœna, sed etiam a peccato possint [quod per usurarum extorsionem incurrerant] liberari*.

Idem cap. *Tua nos*, respondet, usurariorum heredes ad usurarum restitutionem esse compellendos. *Filii*, inquit, *ad restituendas usuras, ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur. Idipsum etiam contra heredes extraneos credimus exercendum*.

Canon XXVI. Concilii Lateranensis, excommunicationem in Christianos decernit, qui Judæis servierint. Testimonium Christianorum adversus Judæos, in omnibus causis recipi jubet. Conversos ad fidem, a suis possessionibus excludi vetat.

Canon XXVII. Hæreticos Albigenses, & eorum defensores anathemate damnat, & sacram expeditionem ad eos coercendos indicit. His Canonibus Christianam Disciplinam sanxit Sacra Synodus Œcumenica Lateranensis III.

SCHOLION I.

In hoc Articulo, pag. 127. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc propositionem notant: *Regi Galliæ Authoritate Ecclesiæ competit jus conferendi Beneficia, quod Regalia dicitur*.

R. Jus conferendi Beneficia obtinere posse Laicos concessione & authoritate Ecclesiæ observavi. *Sic* (inquam) *Francorum Anglorumque Reges Beneficia in Ecclesiis vacantibus Regaliorum jure conferebant, ut probat cap.* Ex diligenti, Extr. De Jure Patronatus, *in Collectione 1. Decretalium ab Antonio Augustino edita, quod est Alexandri III.* Ecclesiam jus conferendi Beneficia Principibus indulsisse, sive Jus Patronatus, sive Regaliæ, innumera Monumenta probant, nec-non Gallicanæ Ecclesiæ mores, & usus, quos Romana Ecclesia approbat. De Jure ipso, non de amplitudine & extensione Juris istius, eo loci loquor.

SCHOLION II.

In eodem Articulo, pag. 130. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Decimæ infeodatæ in Galliis ad forum civile omnino spectant, quia Ecclesiæ conniventia factum est, ut Decretales in Gallia vim non habeant*.

R. Gallicanam Jurisprudentiam, Regnique mores ignorant, qui id reprehendunt. Ecclesiæ conniventia factum esse, ut Decretales quædam Innocentii III. scilicet cap. *Cum Apostolica*, Extr. *De his quæ fiunt a Prælatis*, & cap. *Ex parte*, Extr. *De Feudis*, quibus vetitum est ne Laici de Decimis infeodatis, prout sibi placuerit disponant, vim non habeant in Galliis, ubi contrarius viget usus, intelligentibus Romanis Pontificibus, nec improbantibus, certissimum est. Quæstiones sunt facti. Cæterum falso mihi imputarit RR. Censores quod decretales in Gallias vim non habere dixerim (quæ propositio indefinita est, & falsa) cum de quibusdam tantum Decretalibus mox citatis id dixerim. Judicium de Decimis infeodatis ad sæculares Judices in Galliis pertinere, sive de petitione, sive de possessione agatur, Galli omnes Jurisconsulti testantur. Legi potest ea de re *Fevretus* lib. 6. *De Abusu*, cap. 11. & Senatusconsulta relata a *Papone*, lib. 1. Tit 5. a *Charonda* lib. 1. Responsionum, cap. 53. a *Loisem* litera C. & ejus Commentatore num. 48. & litera D. num. 8. & 29. & litera G. num. 6. Sed & in Hispania, Reges Catholicos & eorum Officiales esse in possessione, & solitos esse judicare causas hujusmodi decimarum, quia considerantur tamquam aliquid mere temporale & profanum, hoc ipso quod a laicis jure dominii possideri possunt, testantur *Covarravias Variarum Quæstionum*, cap. 35. *Oldradus* Consilio 93.° *Joannes Gattieres*, *Practicarum Quæstionum* lib. 1. Quæst. 14. *Alvarus Velascus*, *De jure Emphyteutico* Quæst. 2. *Castillo* ad Legem 6. Tauri; *Petrus Belluga* in Speculo Principum, Rub. XIII. §. *Tractamus*; Camillus Borellus in Notis in *Bellugam*, & in Tractatu *De Præstantia Regis Catholici*. Eumque usum Hispani Jurisconsulti confirmant Constitutione *Philippi II.* data Madriti anno 1569.

Nota.

PRimum ex Galliæ Regibus, qui ex Pontificis concessione potuerit beneficia conferre, puto fuisse Ludovicum VII. Hic cum redux esset ex Palæstina, accepit apostolicum mandatum, quo ipsius arbitrio permittebatur primam præbendam in quacumque regni Cathedrali conferre, unaque fructus temporis, quo vacasset. At pius Rex saluti animæ suæ prospiciens, ea concessione uti recusavit, conducibilius sibi fore affirmans illius privilegii Authenticum igni tradere, quam semetipsum periculo æternorum cruciatuum committere. *Valsingham. in Hypod. Neutr. ad an.* 1148. At nihilominus ab usu similis privilegii non abstinuit S. Ludovicus hujus nominis IX. unde de eo legitur quod ubi ad beneficia sui patronatus, vel suæ collationis eligere debebat, ut dignissimi deligerentur satagebat, electosque commendabat Cancellario ecclesiæ Parisiensis, aliisque pietate ac doctrina conspicuis viris, Dominicanis præcipue ac Franciscanis: *Du Chesne t.* 5. *p.* 445. *an.* 1269. Non invenio deinde Romanos Pontifices alicui ex Galliæ Regibus hujusmodi privilegium tribuisse, quapropter Bonifacius VIII. de Philippo Pulchro beneficia conferente ita conquerebatur: *Ad te hujusmodi ecclesiastica dignitatum, personatuum, canonicatuum, beneficiorum, & prebendarum collatio non potest quomodolibet pertinere, nec pertinet; nec per tuam collationem potest alicui jus acquiri sine authoritate vel consensu Sedis Apostolicæ tacitis, vel expressis: quæ qui accipit & se denegat accepisse, eis propter ingratitudinem est privandus*. Rainal. ad an. 1311. n. 34. Rex nihilominus jus conferendi beneficia ex immemorabili suorum Prædecessorum consuetudine defendit: *Histoir de Differ. entre Bonif. VIII. & Phil. Bel. p.* 44. 48. 75. 317. Cum vero Romani Pontifices eamdem consuetudinem non possent ignorare, fateri necesse est accessione taciti ipsorum consensus fuisse roboratam. Interim ex iis supposititium puto privilegium Alexandri III. quod Natalis credit fuisse collatum Regibus Gallorum, Anglorumque. Si hujusmodi concessum fuisset privilegium, non debuisset Philippus jus beneficia conferendi ex sola consuetudine vindicare. Quæ vero postea Bonifacius eidem Philippo privilegia beneficia conferendi concesserit, non est hujus loci observare.

Nota.

UBI decimarum controversiæ jus respiciant, apud nos ad Ecclesiæ tribunalia deferuntur; cum etenim jus easdem percipiendi a titulo spirituali derivetur, spectat ad ecclesiæ judicem de eodem cognoscere: *Rebuff. de Decim. q.* 10. *n.* 35. & 36. Ex re

re vera inter alia, quæ S. Thomas episcopus Cantuariensis adversus laicam potestatem decertans nulla irritaque declaravit, illud etiam fuit. *Quod Laici, sive Rex, sive alii tractent causas de ecclesiis vel de decimis*. Ita refert etiam Natalis infra dissert. 10. ar. 7. Si vero decimarum controversiæ circa factum versentur, ut si de earum furto agatur, vel an aliquis solverit, quamvis non desint qui ipsarum judicium vel soli ecclesiæ judici reservent, seu e contra foro laico, melius meo videri opinantur, qui hujusmodi causas ad mixtum forum autumant pertinere: *Rebuff. cit. q. 12. n. 3. Gomez in Repert. ad cap. si annuum n. 16. de Judic. Covarr. in pract. qq. c. 35. n. 2. Suarez t. 1. de Relig. l. 2. c. 38. n. 16.*

DISSERTATIO X.

De Causa S. THOMÆ CANTUARIENSIS, ARCHIEPISCOPI & Martyris.

ARTICULUS I.

De Causis quæ Sanctum Archipræsulem cum Rege Angliæ HENRICO II. commiserunt. Unam ex illis causis fuisse JUS REGALIÆ, quod S. THOMAS CANTUARIENSIS ad exilium & Martyrium usque impugnaverit, figmentum est.

THomas, Cantuariensis primum Ecclesiæ Archidiaconus a *Theobaldo* Episcopo creatus, illius deinde consilio Regni Cancellarius ab *Henrico II.* factus est, eique Principis ejus filii Institutio commissa. Quo in munere non minus Ecclesiæ quam Regni utilitates promovit, consiliis suis Regem, quantum poterat, ab Ecclesiæ Juribus invadendis ac violanda libertate deterrens. Post obitum *Theobaldi*, urgente Rege, Cantuariensis Archiepiscopus electus est anno 1162. Regis voluntati parere primum recusavit ei se *adversarium* fore prænuntians, propter *Ecclesiasticam libertatem*. Sed *Henrici* Pisani Cardinalis & Sedis Apostolicæ in Anglia Legati persuasione, Dei voluntati, qui eum ad tuendam Ecclesiæ libertatem ad Primam Anglicanæ Ecclesiæ Sedem vocabat, tandem consensit: atque ab *Henrico* Principe Regis filio paternæ voluntatis interprete, ab omni rationum de munere pristino reddendarum onere absolutus, Dominica post Pentecostem consecratus est, Palliioque ab *Alexandro Tertio* Pontifice Maximo insignitus. Ista constant ex Actis *S. Thomæ Cantuariensis*, ab Authoribus quatuor ipsi familiaribus conscriptis, scilicet *Heriberto* Clerico, *Willelmo* Cantuariensi Monacho, *Joanne Saresberiensi*, & *Alano* Monacho; quæ deinceps nomine Historiæ Quadripartitæ laudabimus. Edita sunt cum ejusdem sancti *Thomæ* Epistolis a viro doctissimo *Christiano Lupo*.

Qui Christiane & caste in Aula vixerat, Pontifex factus, vitam ad omnem sanctitatis normam instituit; utque facilius pauperum egestatem sublevaret, Cantuariensis Ecclesiæ bona e Nobilium, qui ea invaserant manibus, Episcopali magnanimitate eripuit. Ea res multorum odia adversus Archipræsulem Sanctissimum concitavit quibus prævaluit ejus apud Regem gratia & Authoritas. Sed caritatis & pacis inimicus non multo post semina discordiæ sparsit Regnum inter & Sacerdotium.

Plurimas inter causas, quæ *S. Thomam* cum *Henrico* Rege commiserunt, prima hæc fuit quod se Cancellarii munere abdicaverit. Rex enim eum Cantuariensem Archiepiscopum creari curaverat ea intentione, ut utramque simul Dignitatem servaret, ejusque Ministerium Regno esset utilius dum Ecclesiastica & Politica Potestas in eodem conjunctæ, omnium Ordinum homines in officio continerent, & ad Regis honorem & commoda promovenda conspirarent. At Sanctus Archipræsul sibi integrum non esse existimavit, sæcularem gerere Magistratum, qui Aulicis rebus ipsum immergeret, ac animum ejus Regem inter & Ecclesiam divideret: paruitque Apostolico Oraculo dicenti: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. (Id constat ex Historia Quadripartita *S. Thomæ* Cap. 17. Libri 1.) II. Ad Timoth. 2.

Altera causa quæ Sanctum Archipræsulem invisum Regi fecit, ab iisdem Quadripartitæ Historiæ Scriptoribus hæc memoratur, quod injustam tributi prohibuerit exactionem.

Tertia quod pravam consuetudinem, qua Rex Episcoporum electiones differri curabat, ut *vacantium Ecclesiarum fructibus in* Fiscum redactis diutius frueretur, vehementer improbaverit, Regemque urserit ut vacantibus a longo tempore Ecclesiis Episcopos ordinari fineret. Qua de re præter Historiam Quadripartitam, ita canit *Willelmus Brito* lib. 8. *Philippidos*,

Nam Rex Anglorum Jus usurpaverat illud Tom. V. Duchesnii p. 187.
Usque modo ut solus Pastores ipse crearet.
Nam quoties Pastore carens Prælatica Sedes,
Civili lecto naturalive vacasset,
Protinus Ecclesiæ bona cuncta vacantis ab ipso
Usurpata, suos convertebantur in usus.
Sicque Dei Sponsam viduans, quantam ipse volebat,
Cogebat placito sibi demum nubere Sponsa.
Istaque causa fuit aliis specialior, ob quam
Ense trucidavit Thomam trux ille Beatum,
Qui tam perversos ritus abolere volebat.

Historia Quadripartita, seu Vita *S. Thomæ* cap. 15. libri 1. ubi de Consecratione Wigorniensis & Herefordensis Episcoporum agit, ea de re hæc habet: „ Has duas Sedes vacantes cum Rex aliquando „ tenuisset, a novo Metropolitano suo sæpius est conventus, nunc rogatus, nunc monitus, interdum & „ acriter, sed amice correptus, quod in Sedibus va„ cantibus Clero de substituendis Pastoribus non con„ sentiret. Mos enim profanus in plurimis jam Re„ gnis inolevit, quod Episcopatus vacantes & Mo„ nasteria Reges pro voto per annos tenent, & qua„ si Christo proscripto, applicantur fisco dos viduæ, „ & Crucifixi patrimonium, calamitosorum refrige„ ria, & egenorum subsidia. Hæc Archipræsul reco„ lens & attendens sui esse officii talia non sustinere „ Regem, quem super hominem diligebat, nunc ro„ gabat, nunc monebat, ut Sedes diu vacantes or„ dinari permitteret, in temporalibus, & spirituali„ bus, quæ inde constabant mala, non tacens.

Ex his verbis vir religiosus & eruditus *I. Christianus Lupus*, cujus piis manibus bene precor, seu quisquis ille est, qui copiosissimum Indicem rerum in vita, & Epistolis *S. Thomæ Cantuariensis* contentarum, qui notarum suppleret vices, artificiose adornavit; ut *Regaliæ* Jus, quo Reges Christianissimi fruuntur, & nomen ipsum in invidiam vocaret; *Regaliam* controversiæ, quæ inter *Henricum II.* Angliæ Regem, & *S. Thomam Cantuariensem* intercessit, caput fuisse præcipuum observavit: huic restitisse *S. Thomam*, hanc damnasse *Alexandrum III.* hanc fuisse unam ex Consuetudinibus propter quas exulavit, & gloriosa martyrio affectus est *S. Thomas*, Capitulo 12. Clarendunensi expressam: *Cum vacaverit Archiepiscopatus vel Episcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de Dominio Regis, debet esse in manu ejus, & inde percipit omnes reditus & exitus sicut Dominicos.* „ Regaliam, „ pro ea parte qua Jus est conferendi Beneficia, qui„ bus non est annexa cura animarum, fuisse similiter „ prætensionem Regis Angliæ damnatam. Scilicet „ Beneficia contulisse laicos in Anglia passim, & in„ vestivisse Clericos sua authoritate. Tam dantem, „ quam accipientem, excommunicasse *S. Thomam*. „ Pronuntiasse *Alexandrum III.* utrumque esse ana„ thematizatam juxta Patrum Instituta. Similes col„ lationes authoritate *S. Petri* cassasse & irritasse, „ mandasse sub excommunicatione, ut & fructus re„ stituerentur, & Beneficia. Indicat Epistolam *Alexandri III.* pag. 665. id est, inter Epistolas *S. Thomæ* a se editas 30. libri 4. cujus hæc sunt verba: „ Ad audientiam nostram pervenit, quod post „ instantem turbationem, quæ inter carissimum in „ Christo filium nostrum Henricum Illustrem Re„ gem Anglorum, & venerabilem Fratrem nostrum „ Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, exigen„ tibus peccatis emersit, quædam prava consuetudo

Christianus Lupus refellitur.

in

in illis partibus inolevit, scilicet quod laici Ecclesias & Ecclesiastica Beneficia soleant passim in Regno Anglorum conferre, & authoritate sua Clericos investire. Unde quoniam id Sanctorum Patrum Institutionibus adeo cognoscitur contraire, ut danti & accipienti de manu laica sit Anathema: & hoc in in Ecclesiasticæ libertatis perniciem non est dubium graviter redundare: Nos universas donationes a laicis de Ecclesiis quibuslibet, hoc turbationis tempore, quibuscumque factas, authoritate B. Petri ac nostra omnino cassamus, & irritas esse decernimus. Quapropter universitati vestræ per Apostolica Scripta mandamus, & in virtute obedientiæ injungimus, quatenus universos illos, qui Ecclesias, Præbendas, vel alia Ecclesiastica Beneficia, ubicumque per Angliam, de manu laica, & maxime hujus turbationis tempore susceperunt, diligentius moneatis & instantius exhortari curetis, quod Ecclesias ipsas, Præbendas, vel Beneficia, cum fructibus inde perceptis, in manus vestras omni contradictione & appellatione cessante, resignent; & eis ad quorum resignationem Jure Ecclesiastico spectat, disponendas relinquant. Quod si ad commonitionem nostram, infra quadraginta dies post harum susceptionem, non fecerint, vos eos authoritate nostra .... Excommunicationis Sententia feriatis..... Si autem in his exequendis negligentes fueritis aut remissi, Nos omnes illos, qui Ecclesias, vel cætera Beneficia Ecclesiastica, præter assensum Episcoporum, ad quos eorum donatio spectat, de manu laicorum suscepisse noscuntur, nisi Præceptis nostris, infra terminum præscriptum, paruerint, Excommunicationis Sententiæ decernimus subjacere.

Verum falsissimæ sunt observationes illæ. Quod enim spectat vacantium Episcopatuum reditus a Rege occupatos, id unum reprehendit *S. Thomas Cantuariensis*, quod Ecclesiarum vacationem Rex protraheret ex industria, ut diutius reditibus frueretur, nec Sedes diu vacantes ordinari permitteret: cum tamen ex diuturniori vacatione damna gravissima cum in spiritualibus tum in temporalibus Ecclesiæ paterentur. Hic erat mos profanus, quem *Heribertus* in Vita *S. Thomæ* sugillat. Sed Regem Angliæ non reprehendit *S. Thomas*, quod fructus vacantium Ecclesiarum perciperet. Ipse enim, dum Regni Cancellarius esset, Regis nomine fructus hujusmodi perceperat: ob idque facessitum ipsi negotium est in Conventu Northamtonensi, ut Historia Quadripartita, seu Vita ipsius lib. 1. cap. 27. testatur. *Propositum est*, inquit, *ex parte Regis adversus Archiepiscopum, quod cum haberet vacantes Episcopatus & Abbatias, multos reditus Domini Regis per annos plurimos in manu sua, nullam sibi super his reddidit rationem, quam nunc sibi Rex requirebat exhiberi*. Porro Sanctum Archipræsulem nullo propterea vexatum scrupulo fuisse legimus. Abusum itaque, non usum *S. Thomas* reprehendit; ut confirmat ejus Epistola 79. Libri 3. *Quis unquam*, inquit, *Romano Pontifice sciente & vidente, tanta licentia abusus est Ecclesiarum bonis, quanta nunc abutitur Rex Anglorum? Ecce jam quinquennio possedit Episcopatum nostrum, & omnium nostrorum bona. Item Lincolniensem, Bathoniensem, Herfordensem, Eliensem Episcopatus redegit in usus proprios. Landavensis Ecclesiæ possessiones fere omnes distribuit Militibus suis. Baugorensem, quæ jam fere decennio Episcopum non habet, non patitur ordinari. Quid de Abbatiis dicetur, quas detinet? Nam illarum numerus incertus est. Et hoc se licenter facere gloriatur Jure Consuetudinum*.

Quod spectat Consuetudinum Claredunæ promulgatarum Capitulum 12. id ab *Alexandro III.* damnatum non fuit, qua parte fructus Ecclesiarum vacantium Regi adjudicabat; sed quia vendicabat ipsi *sicut Dominicos*: cum æquitas ac pietas suaderent, ut reditus illi, quos patrimonia pauperum, oblationes fidelium, pretia peccatorum, Patres appellant & Concilia, in profanos usus non cederent, nec in proprias utilitates a Rege converterentur, sicut alii reditus Regales, sed pios in usus erogarentur. Qua in re maxime Regum Christianissimorum pietas semper enituit.

Præterea, Capitulum illud 12. electionem in Capella Regis assensu ipsius, & consilio personarum Regni, quas ad hoc vocaret, fieri jubebat: adeoque sacrarum electionum perimebat libertatem, dum nullus poterat eligi nisi quem Rex designasset. Hanc ob causam ipsum reprehendit *Alexander III.* Epistola inter editas a *P. Lupo* 11. libri 3. *Nec velis*, inquit, *eos, qui electionem facturi sunt, personam de qua electionem facere debeant, nominare. Hoc enim esset non eos, sed te ipsum potius electionem eorum ministerio celebrare, & in electione ipsa libertatem omnino illis eligendi subtrahere*. Ea Consuetudo Capitulo 12. Claredunensi confirmata, ab *Alexandro III.* damnata est.

Tertio, non solum *Fidelitatem*, sed *Homagium* Regi ab Electo faciendum, sicut Ligio Domino suo sanciebat. Quod ab *Alexandro III.* damnatum non fuit: cum id *S. Anselmus Paschalis II.* Pontifex Maximus *Henrico I.* Angliæ Regi permisissent, ut in Dissertatione de Investituris ostendi.

Nec etiam *Regalia*, quatenus Beneficiorum in Ecclesia Episcopo destituta vacantium, quæ conferre jure suo Episcopus debuisset, collationem a Regibus factam complectuntur, damnavit *Alexander III.* Epistola superius laudata ut *P. Lupo*, sive Indicis Authori perperam visum est. Sed collationes a quibusvis laicis Dominis, Regis subditis, fervente dissidio usurpatas, etiam Ecclesiarum, id est, Beneficiorum curam animarum annexam habentium. Certe tantum abest ut *Jus Regaliæ* damnaverit *Alexander III.* ut illud etiam approbaverit. Id ex ipsius Rescripto ad Decanum, Præcentorem, & Capitulum Vellense, meridiana luce clarius probatur, quod antiquæ Collectioni primæ Decretalium ab *Antonio Augustino* editæ, lib. 3. Titulo *De Jure Patronatus, & Ecclesiis a Laicis concessis*, cap. *Ex diligenti*, insertum est. *Episcopo*, inquit, *de medio sublato, & reditibus Episcopatus ad fiscum devolutis, cum quadam Præbenda in jam dicta Ecclesia vacaret, carissimus in Christo filius noster Henricus Illustris Rex Anglorum, eam Thomæ Clerico suo contulit: cui etiam aliam postmodum in eadem Ecclesia vacantem, cum Archidiaconatu, ad quem dicitur pertinere, concessit: quas insimul non debet habere; cum nulli sit licitum in eadem Ecclesia duas Præbendas obtinere*. Sane Pontifex Collationem Præbendæ, immo & Archidiaconatus, a Rege Angliæ *Henrico II.* jure factam non negat, non mittit in irritum: quia facta erat, Sede vacante, & reditibus Episcopatus ad fiscum devolutis (*Nam Collatio Beneficiorum computatur in fructu*: ut Jurisperiti, Axiomatis instar statuunt, secundum Glossam in Cap. *Generali Constitutione, De electione & electi potestate*, in 6. hac parte recisam in editione Romana; immo præeunte *Alexandro III.* Juris peritissimo Pontifice) unam improbat damnatque Beneficiorum pluralitatem. Perceptionem itaque fructuum, & Beneficiorum Collationem a Regibus factam, vacante Sede, Regaliæ Jure, tantum abest ut *Alexander III.* damnaverit, ut etiam Jus illud approbaverit.

Quamquam Beneficiorum curam animarum annexam habentium Collationem Rex Anglorum *Henricus II.* etiam usurparet, Abbatiarum scilicet, Prioratuum, &c. invitis Episcopis, Ecclesia repugnante. Sic Monachis Primatialis Ecclesiæ Cantuariensis, exulante S. *Thoma*. Priorem dedit. Qua de re *Joannes Sarisberiensis* Epistola 35. inter Epistolas *S. Thomæ* lib. 2. ita expostulat: *Priore mortuo, misistis ad Regem, de Archiepiscopo nec mentio facta est inter vos. Prudenter utique, ut absolveret defuncti Fratris animam. Rex, ad quem Jura Sacerdotii credunt, qui desipiunt, pertinere. Alioquin ratio non occurrit, quare curam animarum suscipiat aliquis de manu ejus, nedum vestrorum, qui merito scientiæ religionis, & dignitatis, estis in capite Regni, Prima Sede Britanniarum a Domino constituti*. Hunc abusum, non legitimum *Regaliæ* usum damnavit *Alexander III.*

Jus idem conferendi Beneficia Regaliæ Jure exercuit *Richardus* Angliæ Rex *Henrici II.* filius, non improbante Ecclesia. Id constat ex illius Mandato, quo Clericos, qui Dignitatem & Præbendas in Ecclesia Eboracensi, vacante Sede, absque præcepto & concessione *Henrici II.* Regis parentis sui obtinuerant,

rant,

rant, Beneficiis illis exturbari, & fructus restituere jubet. Sacra jussionis verba exhibeo. *Richardus Dei, gratia Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ & Comes Andegaviæ, Willelmo de S. Maria Ecclesia, & Hugoni Bardulpho, salutem. Sciatis quod didicimus, quod in morte Patris nostri, sine præcepto suo & conscientia, habuerunt literas de Sigillo suo* Gaufredus de Mulcamp. *de habendo Archidiaconatu* De Sliveland; & Willelmus de Stigandebi, *& Magister* Herardus, *de Præbendis habendis in Ecclesia Eboracensi, quæ tunc vacabat, & erat in manu nostra. Et ideo præcipimus, quod Præfatos ab Archidiaconatu & Præbendis dictis sine mora dissocietis, repetentes quidquid exinde perceperunt postquam illos redditus ita fraudulenter & per surreptionem sunt adepti.* Refert *Rogerius Hovedenus* posteriori parte Annalium, ad annum 1194. pag. 748.

Willelmus Neuburgensis lib. 5. *De Rebus Anglicis* cap. 10. *Hugonis* Dunelmensis Episcopi obitum commemorans, scribit: *Illo autem mortuo, & Episcopatu illico per Ministros Regios in Fiscum redacto, idem omnia secreta ejus scrutantes, quidquid repertum est Regis applicuere commodis.* Henricus II. Consuetudines Regni sui tempore in detrimentum Ecclesiasticæ libertatis introductas coram Legatis Apostolicis ejuraverat ac penitus dimiserat Abrincis * anno 1172. ut *Alexandri III.* Mandatis pareret, ac Absolutionem impetraret. Nec eos *Richardus* ejus filius restituit. Rex tamen uterque Regaliæ Jus exercuit in Ecclesiis vacantibus, tam redituum perceptione, quam Beneficiorum Collatione, ut Historiæ monumenta probant. Figmentum ergo est quod Jus illud a *S. Thoma Cantuariensi* impugnatum, ab *Alexandro III.* damnatum fuerit; aut quod fuerit una ex Consuetudinibus contra Ecclesiæ libertatem Clarendunæ promulgatis, & Ecclesiæ Judicio proscriptis.

* Avranches.

Eadem *Regalia*, cum in Jure Custodiæ & advocationis seu tuitionis bonorum Ecclesiasticorum, tum in Jure Feudorum fundata (his enim duobus velut inconcussis cardinibus nititur) Christianissimi Reges XI. & XII. Sæculo, Ecclesia probante fruebantur. *Ludovicus VI. Crassus* vulgo nuncupatus Jus illud exercebat in Turonensi Ecclesia. Illius possessionem frustra turbare conatus est *Hildebertus* Archiepiscopus, cujus ea de re ad amicum Episcopum Epistola Tomo XIII. *Spicilegii Dacheriani* edita pag. 265. sic habet: *Cum ex Præcepto Romani Pontificis de Episcopatu ad Turonicam Metropolim transiissem, Archidiaconatum in ea atque Decaniam personis vacantes inveni. Deinde peracto fere in eadem Metropoli anno, Regis Literas accepi continentes Regem præscriptas dedisse Dignitates, atque mihi præcipere quod personas, quibus eas ipse dederat, in Sedibus earum Dignitatum mittere non differrem. Quo audito, nolui in causa Dei contra Dominum parere Potestati.... Attendens tamen oportere conveniri Regem, atque ut ab ejusmodi temperaret, admoneri, ad eum profectus sum. Cæterum inexorabilem inveni Christum Domini.... Denique nec bonam spem mecum ab eo reportans, agendi cum eo diem suscepi, adsui statuto die & loco in audientia eorum qui convenerant, paratus respondere objectis, & Canonicum subire Judicium. Dehinc audita utriusque partis causa, cum ego adhuc debitum expectarem Judicium, Rex mihi per seipsum prohibuit, ne quidquam de prædictarum redditibus Dignitatum aut præsumerem, aut ordinarem. Frustra preces attuli, frustra protuli plurima, quibus in manifestis etiam injuriis iratam deceret mitescere Potestatem. Arguar mendacii, nisi venerabilis Andegavorum Episcopus, nec-non plures cum eo Sacerdotes, mihi testimonium perhibuerint quod paratus fuerim justitiam exequi, quod eorum subdidi judicio qui de me non habebant judicare. Denique sic regressum a Rege secutus est nuncius, qui diceret dixisse Regem, Ne fructus possessionum Turonensis Ecclesiæ, quas Regis potestas attingit, ad præfatam deferretur Ecclesiam, sed Fisco deinceps adscriptus, Regiis usibus deserviret; quod ita factum est. Terra quoque ipsius mihi ita suspecta est, ut eam ingredi non audeam. Nec tamen hæc loquor tamquam vobis clamorem super Christo Domini deponens, tamquam postulans Ecclesiasticæ rigorem disciplinæ; subvenire Ecclesiæ & mihi per vestrum deprecor interventum, & Regi ex caritate suggeri, ne sagittas suas in sene compleat Sacerdote*, &c. Sane potiorem fuisse quoad Jus conferendi Præbendas & Dignitates, quæ Ecclesia Turonensi Episcopo destituta vacaverant, Regis quam *Hildeberti* causam, ex eo constat, quod Episcoporum & Abbatum nemo *Hildeberti* causam susceperit, aut pro eo apud Regem intercesserit, ne quidem *S. Bernardus*, ipsi amicissimus; qui tamen Senonensis Archipræsulis & Parisiensis Episcopi, quos idem Rex alias ob causas vexavit, patrocinium cum aliis Prælatis Ecclesiasticæ Disciplinæ ac libertatis studiosissimis, haud segniter suscepit. Conquerentem de Præsulum etiam amicissimorum silentio *Hildebertum* Epistola 75. audiamus, *Silent amici, silent Sacerdotes Jesu Christi, denique silent & illi, quorum suffragio credidi Regem mecum in gratiam rediturum. Credidi quidem, sed super dolorem vulnerum meorum Rex, illis silentibus adjecit. Eorum erat, si res ita postulasset, opponere se murum pro domo Israel. Verum apud Serenissimum Regem opus est exhortatione potius quam increpatione, consilio quam præcepto, doctrina quam virga. His ille conveniendus fuit, his reverenter instruendus, ne sagittas suas in sene compleret Sacerdote, &c.* cum *Paschalem II.* Pontificem Maximum in Galliis susceperit *Ludovicus VI.* ipsique adversus *Henricum IV.* Imperatorem pro virili faverit in causa Investiturarum, ut Dissertatione IV. ostendi: cum Romanæ Ecclesiæ, & Sedi Apostolicæ Religione maxima & observantia singulari adhæserit, credere par est ipsum in *Regaliæ* negotio nihil sibi tribuisse, nisi quod Jure ab Ecclesia approbato atque confirmato sibi competeret, ac a Regibus Decessoribus ad se transfusum esset.

Attamen Jus Regis, quoad Collationem Decanatus & Archidiaconatus, non ita clarum videbatur *Hildeberto*, quod eæ Dignitates aliquam animarum curam, & Ecclesiasticam Jurisdictionem sive spiritualia munia annexa habeant, ad quæ obeunda laicus authoritatem & remissionem dare non posset. Unde Sæculo XIII. anno scilicet 1236. *Gregorius IX.* Pontifex Maximus ad *Fridericum* II. Imperatorem de *Regaliæ* usu scribebat. *Esto quod aliqua Beneficia vacantia conferas; ut curam tamen animarum illis annexam committere valeas, Jus spirituale, quod non cadit in laicum, non permittit. Esto quod in Collatione Beneficiorum morientibus succedas [ut dicis] Episcopis, majorem in hoc ipsis non adipisceris potestatem.* Est Epistola 253. libri 10. Regesti *Gregorii* IX. descripta ab *Odorico Raynaldo* ad annum supra notatum Num. 21. *Regaliam* in eo quem optabat statu *Gregorius* IX. Maximus Optimusque Pontifex, nunc in Galliis quoad hæc duo capita, constitutam gratulamur, immortali LUDOVICI MAGNI erga Ecclesiam beneficio. Rex enim Religione & Justitia, non minus quam rerum fortiter gestarum gloria maximus, qui juribus suis, cum dubia ipsi visa sunt vel obscura, Heroica magnanimitate cessit non semel ubi de subditorum suorum fortunis & utilitatibus agebatur, ac multo magis ad cedendum, vel remittendum aliquid de iisdem paratissimum ac propensissimum se exhibet, ubi de Ecclesiæ Juribus quæstio est, quibus utilitates suas omnes postponit, in *Regaliæ* Jura exercendo certos sibi limites Sanctissimo præscripsit Edicto dato in castro *S. Germani in Laya*, Januario mense anni millesimi sexcentesimi octogesimi-secundi, & in Supremi Senatus tabulas Sacra Jussione relato die vigesima-quarta Januarii ejusdem anni. Sua scilicet Capitulis Jura in Beneficiorum Collatione Sede etiam vacante, conservari sanxit. Illorum duntaxat retinuit Collationem, quorum Episcopos Collatores esse, quorum in Jura quoad hoc succedit, in more & usu Ecclesiarum est. Nec etiam illa Beneficia Rex Piissimus a se suisque Successoribus absolute conferri voluit, quæ animarum curam, seu Jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualia munia quædam annexa habent: Sed ea lege, ut ii quibus a se vel ab iis fuerint collata, coram Vicariis Generalibus Capituli, Sede vacante, aut novis Episcopis se sistant, a quibus, canonico examine prævio, approbationem ac missionem ad has obeundas functiones obtineant. Quæ Christianissimi & Invictissimi Regis, qui ab una Justitia & Pietate vinci potest, munificentia in Ecclesiam, eo magis celebranda est, & perennibus consignanda mo-

monumentis, quod ipsius Majestas illis in Ecclesiæ gratiam cesserit Juribus, quibus & Reges Decessores ejus potiti, consentiente vel permittente Ecclesia, & quæ ipsius Majestati Regii Magistratus non dubiis documentis asserere sese contestabantur.

Ludovicus VII. Junior appellatus, *Crassi* filius vacantium fructus Ecclesiarum eodem Jure percipiebat, Beneficiaque conferebat, quo Pater. Id agnovit *S. Bernardus* Epistola 170. ad ipsum scripta in gratiam Monachi ad Episcopatum Lingonensem electi: *Electio*, inquit, *vestra celebrata est. Electus fidelis est. Non autem esset fidelis si vestra, & non per vos habere vellet. Necdum prorsus se intromisit de aliquo: quamquam invitatio Cleri & Populi, & oppressorum afflictio & vota bonorum, id ab eo vehementissime flagitarent.*

Idem Rex in diplomate dato anno 1161. Parisiensem Episcopatum & *Regalia*, post mortem Episcopi *Theobaldi* in manum suam venisse ait. Sed nolle se declarat ad utilitatem convertere suam, oblationes & reditus Altaris Capiceriæ, quos *Hedera* donat Parthenoni. *Post obitum*, inquit, *Parisiensis Episcopi, bonæ memoriæ, Theobaldi, Episcopatus & Regale in manum nostram venit, & similiter Capiseria reditus: Sed cum oblationes & reditum Altaris nollemus assumere in usus Regios, Monasterium Virginale de Hedera* * *conspeximus multis indigere, & Sacrarum Virginum indigentiæ succurrere dignum duximus. Notum itaque facimus universis præsentibus & futuris, quod pro nostra, & Antecessorum nostrorum Regum Franciæ animabus, quidquid capiebamus in Capiceria Ecclesiæ Parisiensis, Sede vacante, & Episcopatu existente in manu Regia, Conventui Sororum de Hedera, quoties vacaverit Episcopatus, donavimus habendum, usque ad ipsam diem qua facta fuerit electio.* Diploma istud editum est Tomo X. *Spicilegii Dacheriani*, pag. 648.

* Hiere.

Porro *Ludovicus VII. qui S. Thomæ Cantuariensis*, immo Ecclesiasticæ libertatis causam tam acriter defendit; quem idem S. Archipræsul & Martyr Epistola 78. lib. 3. *Virum Deo plenum* prædicavit; quem Epistola 79. libri 2. a Pietate & Justitia, nec-non ab Ecclesiæ protectione commendat: *Ecclesiam*, inquit, *veneratur, & protegit*: qui Summos Pontifices *Innocentium II. Eugenium III. & Alexandrum III.* in Galliis honorificentissime & amantissime suscepit, cujus tanta erat adversus Sedem Apostolicam & Summum Pontificem observantia, ut ad Hostiensem Episcopum scriberet: *Non habemus Papam accusare, vel in manifesto arguere, quia Dominus est; sed qua ipsius opinionem designant omnino silere non possumus*: qui Pontificum majestatem contra *Fridericum Ænobardum* Imperatorem tuitus est: qui *S. Bernardum*, *Petrum Venerabilem* Abbatem Cluniacensem, aliosque viros Sanctos impense colebat, lubenter audiebat: qui *Sugerii* Sandionysiani Abbatis Religiosissimi Consiliis in Regni administratione utebatur: ille, inquam, Jus Regaliæ non exercuisset, si Jus illud unum fuisset e præcipuis capitibus Anglicanarum Consuetudinum ab *Alexandro III.* damnatarum, ob quarum impugnationem exilium passus & martyrio coronatus est *S. Thomas*: nec *Alexander* prudentissimus & æquissimus Pontifex in Rege Francorum tulisset Ecclesiastici Juris usurpationem, quam in Anglorum Rege tanta severitate, rituque adeo solemni damnasset. Scribebat ad *Alexandrum III. S. Thomas Cantuariensis* Epistola 30. libri 2. de Legatis Apostolicis & Archiepiscopo Rothomagensi. *Proposuerunt nobis duritiam Regis, malitiam temporis, necessitates & calamitates Ecclesiæ, quæ fere ubique terrarum, excepta Francia, impugnatur.* At excipi Francia non potuisset, si *Regalia Jus*, quo *Ludovicus VII.* fruebatur, ab *Alexandro III.* in *Causa S. Thomæ Cantuariensis* damnatum fuisset.

Ludovici parentis & avi exemplo *Regaliæ* Jure usus est *Philippus Augustus*, sive quatenus perceptionem fructuum, sive quatenus Præbendarum & Dignitatum Collationem, vacantibus Ecclesiis, complectitur. Id probat ejus Testamentum, anno 1190. conditum, cum in Syriam contra *Saladinum* profectus est. *Nos vero*, inquit, *tam Canonicos, quam Monachos monemus, ut talem Pastorem eligant, qui Deo placeat, & utilis sit Regno. Regina autem & Archiepiscopus tandiu Regalia in manu sua teneant, donec Electus consecratus sit, vel benedictus, & tunc Regalia sine contradictione ei reddantur. Præterea præcipimus, quod si præbenda vel Beneficium aliquod Ecclesiasticum vacaverit, quando Regalia in manu nostra venient, secundum quod melius & honestius poterunt, Regina & Archiepiscopus viris honestis & literatis, consilio Fratris Bernardi conferant: Salvis tamen Donationibus nostris, quas per Literas Patentes quasdam fecimus.*

Plura hoc de argumento dicerem, si in postera tempora excurrere liceret, sed intra fines 11. & 12. sæculi continere me impræsentiarum velim; nec de *Regaliæ* Jure disserere Jurisperitorum more, sed Historici, mores duorum illorum sæculorum exponentis, eorum quæ in *Regaliæ* negotio secutis sæculis gesta vel decreta sunt, examine in tempus opportunum servato; & intacta modo quæstione de illius extensione & amplitudine Juris. Id unum colligo ex his quæ superius disserui; In controversia quæ inter *S. Thomam Cantuariensem* & *Henricum II.* Anglorum Regem intercessit, de *Regaliæ* Jure quæstionem nullam fuisse; nec Sanctum Archipræsulem & Martyrem impugnasse perceptionem redituum, aut Collationem Beneficiorum a Rege Angliæ factas, Ecclesiis vacantibus. Denique morem illum tunc in Anglia & Galliis usitatum ac solemnem, ab *Alexandro Tertio* Pontifice Maximo damnatum non fuisse, ut finxit *P. Lupus*, seu quisquis Indicem in Vitam & Epistolas *S. Thomæ* ab eo editas artificio singulari contexuit, ut lectoribus fucum faceret. Et istud quidem argumenti genus in præsenti attingere, mei non erat propositi, nisi laudati Observationes Authoris in hanc me digressionem impulissent; ex qua emergendum est, ut causarum, quæ S. Cantuariensium Archipræsulem *Thomam* cum *Henrico II.* Magnæ Britanniæ Rege commiserunt, expositionem absolvamus.

Quarta dissidii causa fuit, contentio de Jurisdictionis Ecclesiasticæ & Regiæ finibus. Homicidam scilicet Presbyterum Curiæ sæculari tradere noluit *S. Thomas*, sed exauthoratum in Monasterium ad agendam criminis pœnitentiam detrusit. *Philippum* prætera Canonicum facinorosum, qui Regio Magistratui injuriam intulerat, pœnis dumtaxat canonicis damnavit, Regiis Judicibus tradere noluit, quamvis Rex id non solum optaret, sed juberet. Accessit Nobilis cujusdam excommunicatio inconsulto Rege: cum nempe S. Archiepiscopus vacantem Ainesfordiæ Ecclesiam cuidam *Laurentio* contulisset, *Willelmus* Villæ Dominus, & sibi jus Patronatus vendicans, *Laurentium* expulit. Ejus audaciam excommunicatione castigavit *S. Thomas*. Qua de re cum Regem minime certiorem fecisset, ejus offensam incurrit. Istud enim unum e Regiis esse Juribus contendebat; *Ut nullus qui de Rege teneret in capite, vel ejus Minister, citra illius scientiam excommunicaretur: ne Rex ignorantia lapsus, excommunicato communicaret; Comitem vel Baronem ad se venientem, ad osculum, vel consilium admittens*. Ita referunt *Radulphus de Diceto* in *Imaginibus Historiarum*, ad annum 1163. & *Matthæus Paris*, in Historia Anglicana ad eumdem annum.

Has ob causas in Sanctum Archipræsulem commotus Rex *Henricus*, ipsum cæterosque Episcopos apud Westmonasterium * convenire jussit. Eo in Conventu significavit Episcopis, velle se ut Clerici facinorosi, post pœnam canonicam ab Ecclesiastico Judice ipsis irrogatam, Curiæ sæculari traderentur, nulla Privilegii, quod Reges *Henricus I.* & *Stephanus* Anglicano Clero concesserant, habita ratione; id se justitiæ studio postulare quod flagitiosi Clerici non aliter coerceri possent, quam legum publicarum severitate, corporaliumque pœnarum metu: siquidem eos qui omnem Dei & Ecclesiæ timorem ac reverentiam abjecerant, Censurarum Ecclesiasticarum metus non continebat in officio. Sanctus Cantuariensium Archipræsul, cæterique Antistites, cum Primate suo ad defensionem Ecclesiasticæ libertatis tunc temporis conspirantes, Regem humillimis precibus interpellarunt, ne Privilegia Ecclesiæ violaret, eique servata, quam Domino suo debebant, reverentia restitere. Iratus Princeps ob Episcoporum, & *Thomæ* præsertim omnium Capitis constantiam, ipsos interrogavit, Num

* Westmoinster *oppidulum olim Monasterio insigne, prope Londinum.*

Re-

Regias consuetudines observare vellent? Addiditque se non passurum ot tristi judicio, se regnante, damnarentur, quæ *Henrico I.* avo suo imperante ab Episcopis summa religione fuerant observatæ. *Thomas* Archipræsul, habito cum Coepiscopis consilio, Regi omnium nomine respondit; *Illos se & Fratres suos observaturos, salvo ordine suo*. Cæteri Antistites sigillatim interrogati, idem responderunt. Unus *Hilarius* Cicestrensis Episcopus, ut Regis animum jam ex concordi cæterorum Præsulum responsione exacerbatum deliniret, se Regias Consuetudines observaturum spopondit *bona fide*. Tum Rex ad Archipræsulem & cæteros Antistites conversus, aciem contra se firmatam conquestus est, & fraudem in illis verbis latere, *Salvo Ordine suo*; Instititque ut absolute nulla exceptione adjecta, se Regias Consuetudines observaturos promitterent. Sanctus Archipræsul respondit: Se & Coepiscopos Regi fidelitatem jurasse, *Vitam* scilicet, *Membrum & honorem terrenum Salvo Ordine suo*. Honoris porro terreni appellatione Regias Consuetudines comprehendi; nec se ad earum observationem sub alia verborum formula obligaturos, nisi sub qua prius juraverant. Protracta usque ad noctem contentione, Rex ira percitus, insalutatis Episcopis recessit: in crastino vero munitiones & honores Archipræsuli, dum Cancellarius esset, commissos ab ipso repetiit, recepitque, ac Londonia subito exiit: quod maximum fuit indignationis illius argumentum. Ista constant ex Historia Quadripartita, lib. I. Cap. 19. & ex *Gervasio Dorobernensi* in Chronico, ad annum 1163.

ARTICULUS II.

SANCTUS THOMAS CANTUARIENSIS ALEXANDRUM III. Pontificem Maximum de suis angustiis, & de tempestate Ecclesiæ Anglicanæ imminente certiorem fecit. Hunc vero & cæteros Episcopos ad Ecclesiæ defendendam libertatem Pontifex hortatus est.

REgis indignatio Politicorum Præsulum concussit animos, & redituum suorum captionem, aut exilium metuentes, prudentia carnis suggerente, ad Aulam profecti sunt, ut ejus Majestatem demulcerent. Aura Aulica afflati, Regi non solum obsequi, sed & adulari, brevi cœpere: nec tantum Primatem suum *Thomam* pro Ecclesiæ privilegiis & libertate pugnantem deseruere, verum etiam ipsum maleficis consiliis, & importunis precibus, ad prodendam Ecclesiæ causam inflectere conati sunt. Imminentem inde sibi & Ecclesiæ Cantuariensi tempestatem præsentiens Sanctus Archipræsul, ad Summum Pontificem *Alexandrum III.* Literas dedit, quibus sui animi anxietatem, & Anglicanæ statum Ecclesiæ, ejus exposuit Sanctitati. Ipsum per literas consolatus est Christi Vicarius, datas Senonis in Gallia 7. Kalendas Novembris anno 1163. quæ incipiunt his verbis: *Literas, quas nobis tua Fraternitas destinavit,*
Epist. V. Alexandri III. seu Epist. 171. lib. 1. Edit. P. Lupi.
&c. * Et quia se ad Sedem Apostolicam appellatum a quibusdam significaverat, gratum sibi fore scripsit, ut appellationem ipsam, si vellet, per se ipsum persequeretur, & Romanæ Ecclesiæ authoritatem ac protectionem, quantum salva justitia fas est, ipsi adfuturam pollicitus est. Ipsum demum est hortatus, ut in Cantuariensem Ecclesiam se reciperet, ac nullo timore, vel adversitate ad renuntiandum juribus & dignitati Ecclesiæ suæ abduceretur.

Alias ad Sanctum Archipræsulem, & cæteros Majoris Britanniæ Episcopos Literas dedit *Alexander*, quibus eos admonuit, ne quid Regi contra libertatem Ecclesiasticam indulgerent. Incipiunt his verbis: *Ad hoc Pontificalis Officii onus suscepisse noscimini, &c.* Hic autem erat Mandati Apostolici tenor: *Fraternitati vestræ in virtute obedientiæ injungimus quatenus si Illustris Anglorum Rex quidquam a vobis requisierit, quod contra Ecclesiasticam libertatem existat, hoc ei facere nullatenus attentetis. Nec vos ei in aliquo, & maxime contra Romanam Ecclesiam, obligetis: aut novæ promissionis seu Juramenti formam inducere præsumatis, præter id quod Episcopi suis Regibus facere consueverunt. Si autem jam dicto Regi super hujusmodi vos in aliquo adstrictos cognoscitis, quod promisistis nullatenus observetis, sed hoc potius revocare curetis, & de promissione illicita Deo studentis & Ecclesiæ reconciliari.*

ARTICULUS III.

S. THOMAS CANTUARIENSIS Anglicani Cleri precibus flexus, se Regias Consuetudines bona fide observaturum promisit, ac solemni Juramento confirmavit in Conventu Clarendunensi.
De Clarendun.

HAnc Summi Pontificis Epistolam nondum forte receperat Cantuariensis Archipræsul, cum Episcoporum & Abbatum quorumdam precibus victus, qui verbuli unius occasione pacem Ecclesiæ non esse in discrimen vocandam ajebant, & Clerum omnem persecutioni exponendum: maxime cum Rex jurejurando Cardinalibus promisisse diceretur, quod nihil in Ecclesiæ injuriam & incommodum quæreret, sed tantum coram Optimatibus suis vellet honorari, nec indecoram pati repulsam: Episcoporum, inquam, & maxime *Roberti Herfordiensis* viri religiosissimi Abbatis *De Eleemosyna*, aliorumque magnorum virorum precibus victus, consiliisque persuasus, morem se gesturum Regi spopondit, ac verbum immutaturum, quod ejus displicebat Majestati. Idque Regi apud Oxoniam degenti palam ipse pollicitus est, tentationi cedens ad tempus. Rex *Thomam* sereniori vultu, placidiorique suscipiens animo optare se dixit ut Regiarum Consuetudinum observationem sub simplici & absoluta verborum formola profiteretur solemnibus in Comitiis, ut suus publice imminutus honos, coram Regni Proceribus resarciretur.
Historia Quadripart. seu Vita S. Thomæ *Edit.* P. Lupi cap. 21.
Quamobrem generalem omnium Ordinum Regni Conventum Clarendunam convocavit ad diem Januarii trigesimam, anno Christi 1164. Congregatis Ordinibus, Rex *Henricus* Archipræsulem Cantuariensem, & reliquos Episcopos urget, ut promissa sine fuco & absque mora impleant. Cunctatur Archipræsul, incautum promissum jam suspectum habens cogitansque Principes ultra quam liceat, sæpe manus extendere. Archipræsulis tergiversatione Rex in furorem actus, metum vehementem Episcopis incutit. Duo ex illis, scilicet Saresberiensis & Norvicensis; jam olim Regi invisi, timentes ne hujus turbinis occasione acrior in ipsos vindicta desæviret, Archipræsulem supplices & gemebundi adeunt, obsecrantes ut animi pertinaciam remittat, ne ipse carcerem, Clerus exterminium, ipsi vero capitis damnationem incurrant. Sed & Viri principes Regisque consanguinei, Thomæ renuntiant, se Regis imperio ad vim ipsi inferendam mox cogendos, nisi morem gerat ejus Majestati. *Richardus* Templi Hierosolymitani Magnus Prior, & *Hostius de Bolonia*, ejusdem Ordinis Eques, viri sapientia & Regis familiaritate conspicui, eumdem sanctum Primatem hortantur, ut aliquid de summo jure remittat periculoso tempore, graviorem ut avertat ab Ecclesia tempestatem. Inter hæc, Satellites districtis gladiis per Aulam discurrunt, & Episcopis minantur, quasi mox ipsorum capita petituri. His commotus Archipræsul & Coepiscoporum timens periculo, qui suo non timebat, ad parendum Regis voluntati inflexus est, seque Regias Consuetudines observaturum absque exceptione promisit, verbis illis suppressis quæ dissidii semen fuerant *Salvo Ordine suo*: Idque juramento firmavit. Præsules reliqui sub eadem forma juravere. Tum Rex Consuetudines illas recenseri jussit, ac in Codicillum referri, cui Antistites, Ordinesque cæteri subscriberent. Harum plurimæ nec Regiæ erant, nec antiquæ, sed odio Archipræsulis *Thomæ* cum aliis conscriptæ sunt ab ejus hostibus, ut Ecclesiam in servitutem redigerent, & nova discordiæ semina ipsum inter ac Regem spargerent: Regi namque juveni & novo Archipræsuli fucum facere, difficile non erat.

Hæc autem erant Consuetudinum Regiarum Clarendunæ recensitarum capita. *Primum*, Ut controversiæ

de

Extant post Vitam S. Thomæ Edit. P. Lupi p. 163.

de advocatione & præsentatione Ecclesiarum emergentes in *Curia Regis* disceptarentur ac finirentur. *Secundum*, Ut Ecclesiæ *de feudo Regis* absque ipsius concesshone & assensu in perpetuum dari non possent. *Tertium*, Ut Clerici quacumque de causa a regio Judice vocati, ejus Curiæ se sisterent. Et quod Regii Judices jus haberent inspiciendi quomodo causæ in Curia Ecclesiastica tractarentur; Et Clericos criminis contra Leges publicas convictos vel confessos ulterius tueri non posset Ecclesia. *Quartum*, Ut *Archiepiscopis, Episcopis, & personis Regni, exire de Regno* nefas esset *absque Regis licentia*. Et si exire vellent, ejus Majestati securitatem darent, quod nec eundo, nec moram faciendo, nec redeundo, malum vel damnum adversus ipsam vel Regnum machinarentur. *Quintum*, Quod Excommunicati vadimonium ad permanentiam dare non deberent, nec juramentum præstare tenerentur; sed vadimonium dumtaxat standi judicio Ecclesiæ, ubi absolvuntur. *Sextum*, Quod Laici accusari non deberent, nisi per certos & legales accusatores & testes coram Episcopo, salvis Archidiaconi juribus. Si vero tales sint rei, quos nemo velit, audeatve accusare, Vicecomes ab Episcopo requisitus duodecim legales homines de Visneto, (id est, de vicinia) sive de villa, coram Episcopo juramentum præstare faciat de dicenda veritate. *Septimum*, Ut nullus qui de Rege tenebat in capite, nec aliquis ejus Ministrorum, *excommunicaretur*, nec terra ejus *Interdicto Ecclesiastico* supponeretur, nisi prius Rex conveniretur si esset intra Regnum; vel Justitia ejus si a Regno abesset, ut rectum de ipso faceret, & quod pertinebat ad *Curiam Regiam*, ibidem finiretur; quod vero ad *Curiam Ecclesiasticam*, ad eamdem judicandum remitteretur. *Octavum*, Ut *appellationes*, si quæ emergerent, *ab Archidiacono ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum* procederent. Si autem Archiepiscopus Jus non diceret, causa deferretur *ad Regem*, ut ejus Mandato *in Curia Archiepiscopi* finiretur: nec alius appellaretur Judex *absque regio assensu*. *Nonum*, Ut si controversia inter Clericum & Laicum, vel contra, de ullo tenemento, (id est, possessione domus, vel latifondii) emergeret, quod Clericus ad eleemosynam, Laicus ad Laicum feudum attrahere vellet, recognitione duodecim legalium hominum, coram Judicibus Regiis dirimeretur. Et si recognitum fuisset ad eleemosynam pertinere, Placitum fieret in Curia Ecclesiastica: si ad Laicum Feudum, in Curia Regia: si ambo eumdem Episcopum vel Baronem advocarent, (id est subjectionem latifundii sui, aut prædii agnoscerent) Placitum in Curia ipsius fieret: ita ut ob recognitionem factam, saisinam non amitteret, qui prius saisitus fueras. (Id est, possessione non excideret, qui fuerat possessionem adeptus.) *Decimum*, Ut qui de civitate, vel Castello, vel Burgo, vel dominico Manerio * Regis esset, si ab Archidiacono vel Episcopo de aliquo crimine esset in Judicium vocatus, de quo ipsis respondere deberet, & sistere se nollet ad Ecclesiasticum Tribunal, posset quidem contumaci Sacris omnibus interdici, excommunicationis tamen sententia in ipsum ferri non posset, prius quam Regius Villæ Minister conveniretur, ut eum ad satisfactionem venire cogeret. Si vero deficeret Regius Judex, posset Episcopus accusatum Canonicis pœnis coercere. *Undecimum*, Ut Archiepiscopi, Episcopi, & universæ Personæ Regni, qui de Rege tenebant in capite, haberent possessiones suas de Rege, (id est, a Rege in possessionem mitterentur, & Investituram de manu ejus acciperent) sicut Baroniam, & inde responderent Justitiariis & Ministris Regis, & sequerentur, & facerent omnes Consuetudines Regias & sicut cæteri Barones, Judiciis Curiæ Regis interesse tenerentur: quousque ad membrorum imminutionem, vel ad mortem Judicium inclinaretur. *Duodecimum*, his verbis conceptum erat: *Cum vacaverit Archiepiscopatus, vel Episcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus in Dominio Regis, esse debet in manu ipsius, & inde percipiet omnes reditus & exitus, sicut Dominicos reditus suos. Et cum ventum fuerit ad consulendum Ecclesiæ, debet Dominus Rex mandare potiores personas Ecclesiæ, & in Capella ipsius debet fieri electio, assensu ipsius Regis, & consilio personarum Regni, quas ad hoc faciendum vocaverit. Et ibidem faciet Electus Homagium & Fidelitatem Domino Regi, sicut legio Domino suo, de vita sua, & de membris, & de honore terreno, salvo Ordine suo, priusquam consecretur*. Decernebat *Decimum tertium*, Ut si quis de Proceribus Regni disfortiaret (id est, denegaret) Archiepiscopo, vel Episcopo, vel Archidiacono, de se vel de suis justitiam exhibere: Rex Jus diceret ac redderet. Si quis vero Regi disfortiaret rectitudinem suam (id est, Jus & æquum denegaret) Archiepiscopi, Episcopi, vel Archidiaconi, ipsum ad satisfaciendum Regi cogere tenerentur. *Decimum-quartum*, Ut Catalla (id est, bona mere mobilia ut exponit *Somnerus* in Glossario) eorum qui sunt in Regis foris-facto (id est, qui rei sunt apud Regem, vel bonis a Rege multati sunt) non detineat Ecclesia, vel cœmeterium, contra Justitiam Regis: quia ipsius Regis sunt, sive in Ecclesiis, sive extra fuerint inventa. *Decimum-quintum*, Ut Placita de debitis, fide interposita, vel aliter contractis, in Curia Regis haberentur. *Decimum-sextum*, Ut filii rusticorum, *absque assensu Domini*, in cujus terra nati erant, *non ordinarentur*.

Advocare, Donner aveu. Saisire, *a verbo Gallico* saisir saisina saisie. * Mancrium, *Mansio cum certa agri portione a voce Gallica Manoir.*

His articulis in scriptum redactis, Rex Cantuariensem Archipræsulem cæterosque Antistites urget, ut ipsos subscriptionibus suis ac sigillis muniant. Rem tanti momenti tantisper differendam suadet Archipræsul; ac interim apographum dictarum Consuetudinum recipit. Atque ita dimittitur Conventus. Ista constant ex Historia Quadripartita, ex *Gervasio Dorobernensi* in Chronico, & *Matthæo Paris* in Historia Anglicana.

ARTICULUS IV.

S. THOMAS de Regiarum Consuetudinum jurata observatione Pœnitentiam agit.

ARchipræsul *Thomas*, qui viros pios, Deique & Ecclesiæ amori omnia postponentes in familiam suam & ad domestica ministeria assumpserat, unius ex illis, Cruciferi nimirum sui reprehensione, incredibili facta libertate, lapsum suum agnovit, ab Incruenti Sacrificii oblatione seipsum suspendit, severam sibi indixit pœnitentiam: datisque ad *Alexandrum III.* Pontificem Maximum literis, vulnus a se illatum Ecclesiasticæ libertati ipsi exposuit, & absolutionem rogavit. *Thomam* paternis literis consolatus est Summus Pontifex, culpam ejus excusavit, quam ex obreptione potius, quam ex ignavia & mala voluntate commissam intelligebat: prohibuit ne a Sacrificio Missæ offerendo amplius abstineret, ipsum Apostolica authoritate absolvens. Quo ex facto perperam nonnulli colligunt, Absolutionem Sacramentalem absentibus per literas olim dari solitam. Absolutio enim qua *S. Thomam* Cantuariensem donavit *Alexander III.* Sacramentalis non erat, sed Canonica; nimirum a Censuris Ecclesiasticis, si quas forte incurrisset, quæ ipsum a Sacris celebratione prohiberent; & a Juramento de Regiis Consuetudinibus absque exceptione observandis, quod imprudenter præstiterat. Sed Sacramentalem Absolutionem ut consequeretur, peccata sua debebat apud Sacerdotem deponere, & præsens confiteri ac absolvi, ut idem Pontifex significat: *Si igitur*, inquit, *aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere; quidquid sit, Sacerdoti, qui discretus & providus habeatur, tibi consulimus per Pœnitentiam confiteri. Quo facto, & misericors Dominus, qui multo amplius ad cor respicit, quam ad actus, tibi consueta pietatis sua miseratione dimittet*.

Vita S. Thomæ, c.20.

Absolutio ab Alexandro III. per Literas Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo data non erat Sacramentalis.

Episcopus Ebroicensis, sequester pacis, Regem inter & Archiepiscopum intercessit; sed irriti fuerunt Religiosissimi Præsulis conatus. Obstinato siquidem Rex animo fuit in recusanda pace, nisi Regias Consuetudines Archipræsul Cantuariensis subscriptione sua confirmaret. Ista constant ex Historia Quadripartita, ex *Gervasio Dorobernensi*, in Chronico, & *Matthæo Paris* in Historia Anglicana.

Consensum porro superius recensitis Anglicanarum

S. Thomæ Cantuariensi non licuit hoc in negotio œconomia & dissimulatione uti.

Consuetudinum capitibus datum, rem fuisse Pœnitentia dignam, nec S. *Thomæ* Cantuariensi licuisse hoc in negotio œconomia uti & dissimulatione, quod homines quidam Politici magis quam Christiani esfutiebant, ostendit *Joannes Saresberiensis* in Epistola ad *Albertum* Cardinalem, inter Epistolas *S. Thomæ* a P. *Lupo* editas 50. lib. 2. *De altero*, inquit, *Legatorum merito confidit Ecclesia, qui creditur agi Spiritu Dei. Et utinam alter Potentatui, & gratiæ Regis, quam appetiit hactenus, præferat veritatem. Quod si fecerit, nec confirmationem, nec tolerantiam, aut dissimulationem consuetudinum Regis ab aliquo Episcoporum exiget, quæ Legi Dei patenter adversantur, Sedis Apostolicæ privilegium dissipant, & animæ jus & authoritatem eorum, quæ gerenda sunt in Ecclesia Dei, in Principis conferunt voluntatem ...... Ego, quisquis ille sit, qui in tantarum pravitatum usurpatione silere & dissimulare consulit Sacerdotes, hæreticum esse non dubito, & præambulum Antichristi, si non personaliter Antichristus*. „ Clama, inquit *Spiritus Sanctus per Prophetam*, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum. *Et Apostolus, in quo loquitur Christus*: Argue, *inquit*, obsecra, increpa. *Et omnem punire inobedientiam promptus, ipsi Angelo, qui in cælis est Anathema denunciat, si se erigat contra Christum, & doceat contra Evangelii veritatem. Et audet homuncia monere & consulere Sacerdoti, ut taceat, & dissimulet injuriam Christi, mala faciens, ut proveniant bona. Nonne peremti impii sanguis de manu Sacerdotis exquiritur, ut & ipse pro silentio moriatur? Moyses manus non demisisse, sed erexisse describitur, ut Amalech sterneretur. Arca Dei non legitur captivata, nisi quando perversa mansuetudine patris Sacerdos arguens filios uti maluit, quam severitate Pontificis. Achab etsi reprobus fuerit, præ quibusdam Sacerdotibus nostræ ætatis Divinæ Legis habuit zelum. Nam qui aurum, argentum, variam supellectilem, liberos & uxores Regi Syriæ in commercium pacis exposuerat, domorum scrutinia non concessit, ut Divinæ Legis servaret libros, quos Rex inimicus præ cæteris omnibus cupiebat auferre. Unde & Legis zelus a Deo Authore ipsi Achab consolationem contulit & triumphum. Petrus solidas invenit aquas ambulans in Fidei fundamento; mergi tamen cœpit ex quo imminentis auræ timuit flatum.*

ARTICULUS V.

Rex HENRICUS mittit Legatos ad Summum Pontificem: qui deliniendum esse Regem censet, & ajut precibus aliquid tribuendum: quamvis nihil concedendum sit contra Justitiam, & Ecclesiæ libertatem.

THomæ Cantuariensis Archipræsulis constantiam authoritate sua frangere cum non posset *Henricus II.* Legatos Senonas ad Summum Pontificem direxit, qui ejus animum adversus Archipræsulem occuparent, & duo suæ Majestatis nomine ab ejus Sanctitate postularent: scilicet Apostolicæ Legationis honorem pro Eboracensi Archiepiscopo, & Regiarum Consuetudinum Clarendonæ promulgatarum confirmationem. Consilium autem Regis, Legationem Apostolicam Eboracensi Archipræsuli demandari supplicantis, istud erat; ut Cantuariensis Archiepiscopi imminuto Primatu, immo authoritate ad Eboracensem pro tempore translata, facile *Thomæ* exauthorari posset. Regis petitionem admittere se non posse salva conscientia sua, & Ecclesiæ libertate, respondit *Alexander III.* ne tamen omnimoda repulsa ipsum adversus Apostolicam Sedem & adversus Cantuariensem Archiepiscopum vehementius commoveret, aliquid ipsi indulgendum visum est. In gratiam itaque Regis, Legati Apostolici munus Eboracensi Archiepiscopo concessit Pontifex; iis tamen finibus circumscriptum, ut nec in personam nec in Diœcesim Cantuariensis Archipræsulis ullum propterea jus haberet; nec Anglicani Antistites ab obedientia, quam ipsi ut Insulæ totius Primati debebant, propterea essent absoluti; ut aliis declaravit Literis. De his vero *S. Thomam* certiorem fecit Pontifex, ita ad ipsum scribens: * „ Quod enim de antiquis Consuetudinibus & dignitatibus conservandis prius mandari rogaverat, nuper, sicut tu & alii observare promiseratis, ea cum multa instantia petiit authoritate Apostolicæ Sedis sibi & suis posteris confirmari. Sed nos petitionem istam nequaquam admisimus. Verumtamen ne ad nimiam amaritudinem, & vehementiorem animi turbationem eum circa Nos & te ipsum provocaremus; ne etiam id consideratione tui putaretur quomodolibet impediri; Nos tibi & nobis consultius providere volentes, & pensantes tempora periculosa, Legationis Literas præfato Archiepiscopo concedendas eidem Regni concessimus. *Ibidem docet Pontifex quanta œconomia cum Principibus sit agendum*. „ Quoniam vero, *inquit*, vobis imperandum voluntati, prudentiam tuam monemus, consulimus, & omnimodis exhortamur, quatenus sicut vir providus & discretus necessitatem temporis metiens, & quæ inde tibi & Ecclesiæ tuæ possint provenire perversa, fidei meditatione attendens, prænominato Regi in omnibus & per omnia, salva honestate Ecclesiastici Ordinis, deferre satagas, & ejus tibi gratiam & amorem incessanter recuperare intendas; ne secus faciendo, eum contra te & nosmetipsos conturbes; & ii qui non eodem spiritu ambulant, tibi & nobis valeant propter hoc insultare.

* Epist. VIII. Alexandri III. *œconomia.*

Censet Alexander III. summa cum Principibus œconomia agendum.

Literas etiam dedit ad *Henricum* Regem Pontifex Maximus, quibus divini intuitu judicii ipsum ab Ecclesiæ libertate Privilegiisque violandis deterret. „ Si eo ordine, *inquit*, quem non decet pervertas, & quæ Jesu Christi sunt, tuæ potestati usurpans, novas leges ad Ecclesiarum oppressionem, & Christi pauperum, pro tuo beneplacito condas; Consuetudines etiam, quas avitas vocas, inducas: Tu ipse proculdubio in extremo examine, quod effugere non poteris, modo consimili judicaberis, & eadem mensura qua mensus fueris, remetietur tibi. Verum ne commonitiones nostræ auribus Excellentiæ tuæ tædiosæ vel asperæ videantur, scriptum recollige, quod *Filium quem pater diligit, corripit*: Pro certo cognoscens, quod quanto personam tuam ardentiori caritate in Domino diligimus, & sincerissimæ tuæ devotionis insignia nobis & Ecclesiæ Dei multipliciter & magnifice olim exhibita ad memoriam sæpius & studiosius revocamus; tanto hæc cognitioni tuæ, spiritalem tibi & æternam salutem votivis cordis affectibus exoptantes, libentius intimamus. Si enim te in aliquo judicium futurum deterret, aut præmiorum in æterna requie corona delectat: veritatem, quæ Deus est, & justitiam colere, jus suum unicuique tribuere negotia Ecclesiastica, & præsertim criminalia, quæ de læsione fidei vel juramenti emergunt, causas super rebus & possessionibus Ecclesiarum, personis Ecclesiasticis tractanda relinquere, Regnum & Sacerdotium non confundere, non adeo Serenitatem tuam deceret, quam etiam expediret. Si autem universa, quæ in usus tuos, per hujusmodi angarias, de bonis Ecclesiasticis convertuntur, in refectionem pauperum, vel aliis pietatis operibus expenderes; obsequium non magis Deo gratum efficeres, quam si altari quolibet discooperto, aliud cooperires; aut si Petrum crucifigeres, ut Paulum a mortis periculo liberares. Recolere siquidem debes, qualiter Rex Saul, quia devicto Amalech, prædam contra divinum præceptum reservare volebat; cum se, ad excusationem sui, hæc ad sacrificandum reservare proponeret, a Domino fuerit reprobatus, & alius, eo vivo, in honorem & dignitatem Regiam subrogatus...... Quomodo etiam Rex Ozias, dum thurificare voluit, & Sacerdotis sibi officium usurpare, lepra, digna Dei ultione, percussus fuisset, tuæ saluti congruit ad animum revocare. Si vero successus tuos viribus & potestati tuæ, & non Deo adscribas, intentionem quoque & animum tuum ab Ecclesiasticorum virorum & Ecclesiarum oppressione non retrahas; ille proculdubio, quia alium te præfecit, & magnum in orbe Principem ad Fidelium suo-

Epist. X.

Alexander III. Regem divini consideratione judicii ab Ecclesiæ libertate violanda, & pravis consuetudinibus propugnandis deterret.

tum

„ rum gubernationem, non ad depressionem constituit, talenta tibi commissa gravi a te cum usura „ requiret; & sicut de Roboam filio Salomonis legitur, qui pro delicto patris est a Regno ejectus; „ commissum paternum in heredes transfundet. Tu „ ergo pravis cujuslibet suggestionibus non acquiescas. Hanc Epistolam Annalibus suis inseruit *Rogerius de Hoveden*, pag. 500.

Epist. IX.

Alexandri Tertii prudent. consilium.

Rursus *Thomam* Cantuariensem Archipræsulem monuit Summus Pontifex, ut in suis & Ecclesiæ rebus: *Nihil propere vel præcipitanter, sed mature & graviter faceret, ad gratiam & benevolentiam Illustris Regis Anglorum recuperandam, quantum salva libertate Ecclesiæ, & honestate Officii fieri poterat*: nec eum vel terram ipsius præcipitibus Censuris percelleret, sed expectaret donec Deus daret tempora meliora.

ARTICULUS VI.

Northamtona, vulgo Northamtin, *comitatus cognominis caput.*

Generalis Conventus Episcoporum NORTHAMTONÆ contra S. Thomam Cantuariensem.

HEnricus II. tractos in partes Episcopos *Northamtonam* convocavit anno 1164. contra sanctum Archipræsulem *Thomam Cantuariensem* deliberaturos. Prima die sanctum Archipræsulem damnarunt, quod vocatus a Rege coram ejus Majestate sese non stitisset. Omnium honorum mobilium ipsius decreta confiscatio, quæ Sententia his verbis exprimebatur: *De omni mobili suo in Regis misericordia judicatus est*. Adversus iniquam Sententiam reclamavit S. Thomas: *Quale sit judicium hoc*, inquit, *sæcula post futura non tacebunt; nova quippe judiciorum forma hæc est, forte secundum novos canones * apud Clarendunam promulgatos. Siquidem a sæculo non est auditum, quemquam Cantuariensem Archiepiscopum, in Curia Regum Anglorum, pro qualicumque causa judicatum: tum propter dignitatem Ecclesiæ, tum propter authoritatem personæ, tum quia ipse Regum omnium qui in Regno sunt spiritualis pater sit, & ob id semper ei deferendum ab omnibus.*

Vita S. Thomæ cap. 25. 26. 27. 28. & 29. lib. 1.

* *Id est* Consuetudines Angliæ.

Secunda die, adjudicarunt Regi quingentas libras argenteorum, quas Rex se mutuo dedisse *Thomæ* adhuc Cancellario; ille vero se dono accepisse asserebat, sed probare non poterat certis documentis. Quamobrem fidejussores quinque constituere, singulos pro libris centum, compulsus est.

Tertia die, januis obseratis, ne sancto Archipræsuli pateret exitus, Regis nomine ipsi jussum est, ut de reditibus vacantium Episcopatuum & Abbatiarum, quos perceperat, dum Cancellarius esset, rationem redderet.

Quæsito a prudentibus consilio, se responsurum dixit S. *Thomas*. Episcopi plerique omnes Wintoniensi excepto secundum Regis desiderium suffragati sunt. „ Gilbertus Londoniensis *dixit*: Si pater, recolis, „ unde te Dominus Rex sustulerit, quid tibi contulerit, considerata temporum malitia, quantam ruinam Catholicæ Ecclesiæ & nobis paraveris, si in „ his Regi resistere volueris, non solum Archiepiscopatui Cantuariensi, sed in decuplo, si tanti fuerit, cedere deberes. Et forsitan si hanc in te viderit humilitatem, te Rex in universum restituet.

„ Henricus Wintoniensis * *dixit*: Hæc forma consilii Catholicæ Ecclesiæ penitus perniciosa nos omnes obligat & confundit: quia si Archiepiscopus „ noster & totius Angliæ Primas nobis id relinqueret exemplum, ut ad nutum & comminationem „ Principis, authoritati & curæ animarum sibi commissæ quisque Episcopus debeat cedere; quis erit „ de cætero status Ecclesiæ, nisi ut nulla agantur de „ jure, & omnia confundantur pro libitu? Et sic eris „ Sacerdos sicut & populus.

* De Winchester.

„ Hilarius Cicestrensis * *dixit*. Nisi temporis instantia & Catholicæ Ecclesiæ perturbatio aliud exigeret, standum utique esset vestræ Sententiæ. Verum „ ubi nutat Canonum authoritas, plurimum subtrahendum severitati, ut in eo proficiat dispensatio, „ quod possit destruere severa correctio. Censeo igitur cedendum Regiæ voluntati, sed ad tempus.

* De Chichester.

„ Lincolniensis * Episcopus *vir simplex & minus prudens dixit*: „ Patet vitam hominis istius & sanguinem quæri: & necessarium alterum eorum erit, aut „ Archiepiscopatui, aut vitæ cedendum. Quis sin fructus de Archiepiscopatu, si vitæ cesserit, non video.

* De Lincolne.

„ Bartolomæus *Exoniensis Episcopus dixit*: Palam „ est quod dies mali sunt, & si possemus sub dissimulationis umbra hujus tempestatis impetum transilire illæsi; id præcipue procurandum, nec ad id „ de facili perveniendum, nisi subtrahatur plurimum „ severitati. Temporis instantia id requirit, maxime „ cum non sit generalis, sed particularis persecutio. „ Satius est igitur unum caput in parte periclitari, „ quam totam Anglicanam Ecclesiam inevitabili discrimini exponere.

* D'Excest.

Rogerius Wigorniensis Episcopus Sententiam magis dissimulavit, quam dixit: „ Nullum, *inquit*, in hac „ parte dabo consilium: quia si dixero a Deo susceptam animarum curam ad Regiam comminationem & voluntatem oportere relinquere, contra „ conscientiam meam & capitis mei condemnationem loqueretur os meum. Si censeam Regi resistendum ecce qui sui sunt, audient per quos idipsum innotescat Regi, statimque ejiciar extra synagogam, & erit sors mea de cætero cum publicis „ hostibus & condemnatis. Idcirco nec hoc dico: „ nec illud consulo.

* De Wouchester.

Sanctus Cantuariensium Archipræsul inducias in crastinum postulavit, seque responsurum dixit quod Dominus inspiraret. Sequenti die morbo ilisco vexatus, e lecto surgere non potuit. Id tergiversationi tribuerunt ejus hostes. Dies ipsi dicta proxime sequens. Sanctus Archipræsul Sacro in memoriam *S. Stephani* protomartyris celebrato, quod incipit: *Sederunt principes & adversum me loquebantur*; sacris vestibus indutus, Cappa Clericali superinjecta ad Aulam profectus est, & Regis exteriorem cameram, Crucem ipse suam manibus ferens, intravit. Id male interpretati plerique Regi suggesserunt, ipsum Cruce armatum, & insolito habitu ejus Majestatem, velut persecutorem & tyrannum convenire. Alii ipsum precibus flectere conati sunt, ut imminens periculum a suo & Confratrum capite averteret. Cicestrensis Episcopus, cum cæteris jam Regiæ voluntati omnino devotis, sanctum Archipræsulem conveniens, his verbis compellavit: „ Aliquando noster fuisti Archiepiscopus, & tenebamur tibi obedire; sed quia „ Domino Regi fidelitatem jurasti, hoc est, vitam, „ membra, & terrenam dignitatem sibi per te fore „ salvam, & Consuetudines, quas ipse repetit, conservandas, & tu eas niteris destruere; præcipue „ cum spectent ad terrenam suam dignitatem & honorem. Idcirco te reum perjurii dicimus; & perjuro Archiepiscopo de cætero non habemus obedire. Nos itaque & nostra sub Domini Papæ protectione ponentes, te ad ejus præsentiam appellamus „ super his responsurum. *Et diem statuit*.

Vita S. Thomæ Cap. 32.

Post hæc, seorsim sedentibus Episcopis, Comites & Barones Cantuariensem Archipræsulem convenerunt; quorum primus *Robertus Leicestrensis*, * ipsi Regis Mandatum de rationibus reddendis significavit: alioqui ferendam in ipsum Sententiam. Id se facturum negavit sanctus Archipræsul, quod electionis suæ tempore ab omni obligatione Curiali fuisset absolutus, *Henrico* Principe Regis filio & Regni herede id palam denuntiante; nomine & Mandato Patris. Tum his verbis Comitem compellavit. *Quanto dignior est anima quam corpus, tanto magis Deo & mihi teneris obedire, quam terreno Regi. Nec Lex, nec ratio permittit ut filii patrem judicent vel condemnent. Unde Regis, tuum, & aliorum declino judicium, sub Deo solo a Domino Papa judicandus, cujus coram omnibus vobis, præsentiam appello; Ecclesia Cantuariensi, Ordine & Dignitate mea, cum ad eam pertinentibus, sub Dei & sua protectione positis. Nihilominus vos, Fratres & Coepiscopi mei, quia magis homini quam Deo obeditis, ad Domini Papæ audientiam & Judicium voco, & sic Catholicæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis authoritate munitus, hinc recedo.*

* De Leicester.

S. Thomas Cantuariensis ad Sedem Apostolicam appellat.

Vita S. Thomæ Cap. 33.

Secessit revera, & in Belgium transfretavit sanctus Archipræsul : indeque ad Regem Christianissimum *Ludovicum VII.* confugit, qui ipsum benigne suscepit & honorifice ; quamvis Rex Angliæ postulasset per Legatos, ne ipsum in Regno suo pateretur, aut ipsi ullo pacto faveret. Regis Christianissimi *Ludovici VII.* vox illa commendatur, cum Regis Anglorum Literas legisset, *Thomam quondam Archiepiscopum dicentes : Certe sicut Rex Anglorum, ita & ego Rex sum. Verumtamen minimum de Clericis Regni mei deponere ego non valerem.* Addidit : *Hoc de pristina Dignitate diadematis Regum Francorum fore, ut Exules, & præsertim Personæ Ecclesiasticæ, Regum & Regni securitate & pace fruantur, & a persecutorum injuria defendantur.* Illa constant ex Vita *S. Thomæ* lib. II. cap. 8. & ex *Matthæo Parisio*, in Historia Anglicana ad annum 1164.

Ludovici VII. Regis Christianissimi religiosa magnanimitas.

ARTICULUS VII.

Gesta in Causa S. THOMÆ CANTUARIENSIS tempore ipsius exilii usque ad confectam pacem exponuntur. Causa ipsius æquitas multis confirmatur, & Gallicanæ etiam Ecclesiæ testimonio.

S. Thomæ Cantuariensis *Appellationem suscipit Alexander III.*

SAnctum Cantuariensium Archipræsulem, ad Sedem Apostolicam appellantem, paterno sinu excepit *Alexander III.* ejusque Legatos ad se, cum Literis persecutionem ipsi a Rege Angliæ illatam exponentibus præmissos, benigne audivit Senonis ; & Conventus Northamtonensis Acta rescidit. Epistolam *S. Thomæ* ad *Alexandrum III.* quæ incipit, *Ad audientiam tuam*, apud *Rogerium de Hoveden* legere est, posteriori parte Annalium, pag. 498. *Alexandri III.* Responsum sic incipit : *Quod minor majorem judicare non possit, & eum præsertim cui jure noscitur Prælationis subesse, & obedientiæ vinculo tenetur adstrictus, tam humana quam divina leges demonstrant, &c.* De Sententia porro Northamtonæ in Thomam lata sic judicat : *Sententiam ab Episcopis & Baronibus Angliæ contra te ad primam Regis citationem cui copiam non fecisti, adversum te præsumptuose prolatam, in qua tibi jam dicti Episcopi & Barones omnia mobilia, tam contra juris formam, quam contra Ecclesiasticam consuetudinem abjudicarunt, præsertim cum nulla mobilia, præterquam de bonis Ecclesiæ tuæ habueris, irritam penitus esse censemus.*

Sententiam Northamtonæ in eum latam in irritum mittit.

Legatio Regis Anglorum contra S. Thomam.

Non multo post, Regis Anglorum Legati Senonas ad Summum Pontificem pervenere, & ad ejus colloquium admissi, multa contra sanctum Cantuariensem Archipræsulem suggesserant, verbis immodestis & injuriosis. Sapientior Episcopis Legatis fuit ac modestius peroravit Comes *De Arundello*, & ipse Legatorum unus, ita de Cantuariensi Archiepiscopo locutus : *Nihilominus & Dominus Archiepiscopus in suo gradu & ordine æque instructus, in his quæ ad eum pertinent providus & discretus, licet (ut quibusdam visum est) aliquando nimis acutus. Et nisi ista quæ nunc est inter Dominum Regem & Dominum Archiepiscopum esset dissensio, Regnum & Sacerdotium mutuo congauderent ad invicem paci & concordiæ sub Principe bono & Pastore optimo. Est igitur hæc nostra supplicatio, ut ad tollendam istam dissensionem, & ad pacis & amoris reformationem, vestra gratia attentius invigilare velit.* Pontifici porro supplicabant Regis Anglorum Oratores, ut Legatos in Angliam dirigeret, illucque remitteret Archipræsulem Cantuariensem, ab ipsis omni appellatione remota, judicandum. Legatos se concessurum promisit Summus Pontifex, sed Archipræsulem ab alio quam a se minime judicandum respondit : neque justum esse, ut in Angliam remitteretur, inter inimicos judicandus. Jussitque ut ejus adventum expectarent, quo absente nihil jure statui posset. Verum causæ suæ diffidentes, subito reversi sunt, præfixum sibi a Rege tempus afferentes.

Vita S. Thomæ lib. II. cap. 9.

Interea Cantuariensis Archipræsul Senonas pervenit, causam coram Summo Pontifice & Dominis Cardinalibus peroravit, Consuetudinum Capita Clarendunæ conscripta & promulgata protulit. Ceterum se Archiepiscopatu indignissimum professus, annulum Summo Pontifici tradidit, asseruitque se jampridem authoritati Episcopali renuntiaturum, nisi Ecclesiæ Catholicæ pessimum se relinquere putasset exemplum, Ecclesiæ sibi commissæ regimine se abdicando ad nutum & minas Principis. Ea de re consilium cum Cardinalibus Pontifex communicavit. Quibusdam visum est, cessionem Cantuariensis Archipræsulis accipiendam esse, ut occasionem prorsus opportunam procurandæ pacis : aliis & quidem prudentioribus, iniquum esse, *Ut qui, pro tuenda Ecclesiæ libertate, summo discrimini non solum divitias & gloriam, dignitatem, authoritatem, sed & vitam exposuit, ad libitum Regis deberet suo jure privari : sicut forma fieret aliis in consimili causa Regibus resistendi, si ei sua justitia servaretur illæsa, sic eo cadente, caderent universi Episcopi, ut nullus futuris temporibus audeat quis obviare Principis voluntati : & sic vacillabit status Catholicæ Ecclesiæ, & Romani Pontificis authoritas deperibit. Expedit igitur* (inquiebant) *Hunc restitui etiam invitum, & ei qui pro nobis omnibus dimicat, omnimodis est succurrendum.* In eam ceteri consensere sententiam. *Thomæ* itaque jussit Pontifex ut Dignitate servata, in acie pro Ecclesia Dei fortiter staret, eique Ecclesiæ Romanæ nusquam defuturum auxilium promisit.

S. Thomas coram Summo Pontifice perorat, seque abdicere vult Archiepiscopatu.

Gervasius *in Chronico.*

Secundum hæc, de Consuetudinibus Clarendunæ juramento firmatis deliberatum est. Summi Pontificis hæc sententia fuit : *Inter abominabilia hæc quæ hic lecta sunt & audita, nulla quidem bona, sed quædam tolerabilia Ecclesiæ sunt, quæ utcumque potest tolerare ; sed horum major pars reprobata, & ab antiquis quidem & authenticis damnata est Conciliis, utpote directo sacris Sanctionibus adversa.* Ita refert Historia Quadripartita additque : *Et hæc quidem Dominus Papa in audientia omnium reprobavit, & ab Ecclesia in posterum damnanda censuit.* Ex iis autem sex duntaxat capita tolerata fuisse ab Ecclesia Romana, scilicet secundum, sextum, undecimum, decimum-tertium, decimum-quartum, & decimum-sextum ; cetera vero ejusdem judicio damnata, docet Vaticanus Codex, in quo descripta sunt post Quadripartitam S. Thomæ Cantuariensis Historiam, hac singulis adscripta nota : *Hoc damnavit Sancta Romana Ecclesia sub Alexandro III.* vel, *Hoc toleravit.* Transumptum apud *Baronium* ad annum 1164. & in editione *P. Lupi*, pag. 163. sub hoc titulo *Causa exilii & martyrii B. Thomæ* : & Conciliorum Collectionibus, inter Acta Conventus Clarendunensis legere est. Sane vel solum Articulum VIII. (ut de ceteris in præsenti sileam) dissimulari, ferrique nullatenus potuisse, ac Episcopos debuisse potius Sanguinem profundere, quam illi assentiri, sacri Canones, & tota antiquitas Ecclesiastica demonstrant ; cujus monumentis Appellationes ad Romanum Pontificem, non solum a Judiciis Metropolitanorum, sed & Synodorum Nationalium confirmantur. Jusque istud recipiendi ac judicandi Appellationes secundum præscripta Canonum, ex toto orbe Christiano ad Sedem Apostolicam delatas divinum est, *S. Petro* a Salvatore nostro concessum cum Primatum in Ecclesia universa, & in ipsos Apostolos, & ad ejus Successores transfusum. Prohibere igitur ne Appellationes ultra Curiam Archiepiscopi deferrentur absque assensu Regis, quid aliud erat, quam Romanæ Ecclesiæ jura violare : omnium Episcoporum libertatem opprimere, omnem Ecclesiæ disciplinam pessumdare, & priscos Anglicanæ Ecclesiæ mores evertere ; in qua appellationes ad Sedem Apostolicam in usu fuisse ab initio, ex Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum a Venerabili Beda conscripta demonstratur.

Majorem partem Anglicanarum Consuetudinum *damnat* Alexander III.

Prohibitio Appellationum ad Sedem Apostolicam a S. Tho*mæ, salvo officio ferri ac dissimulari non potuit.*

Sed & S. *Anselmus Willelmo II.* jubenti *quatenus jurejurando promitteret quod nunquam Sedem S. Petri, vel ejus Vicarium pro quavis causa appellaret, aut sub omni celeritate de terra sua recederet*, respondit ; teste Eadmero lib. III. Historiæ Novorum : *Deo hujusmodi jussionem tuam, qui Christianus es, omnimodis esse non debere. Hoc enim jurare, Beatum Petrum est abjurare. Qui autem Beatum Petrum abjurat, Christum, qui eum super Ecclesiam suam principem fecit, indubitanter abjurat.* Multis etiam ostendit S. Archipræsul Regem juste sibi negare non posse licentiam adeundi Romanum Pontificem pro Ecclesiæ

suæ

ſuæ neceſſitatibus: *Sed quod aſſeris, Conſuetudines tuæ non eſſe ut ego cauſa ſalutis animæ meæ, cauſa regiminis Eccleſiæ Dei quod ſuſcepi, Beatum Petrum requiram & ejus Vicarium: pronuntio hanc conſuetudinem Deo & rectitudini contraire, & idcirco ab omni ſervo Dei ſpernendam profiteor ac refutandam.* Objicienti Regi ipſum juraſſe Conſuetudinum Regiarum obſervantiam, reſpondit Anſelmus; *Scio me ſpopondiſſe conſuetudines tuas, ipſas videlicet quae per rectitudinem, & ſecundum Deum, in Regno tuo poſſides, me ſecundum Deum ſervaturum, & eas per juſtitiam contra omnes homines pro meo poſſe defenſurum.* Ex his patet, *Alexandri III.* judicium cum *S. Anſelmi* ſententia omnino convenire: & *S. Thomam Cantuarienſem* recte & ex officio reſtitiſſe *Henrico II.* Conſuetudines illas promulganti ac vindicanti.

Jus certe Appellationum ad Romanum Pontificem in quibuſvis cauſis Eccleſiaſticis, juxta præſcripta canonum ita perſpicuum, ita indubitatum eſt, ut ipſe *Guilbertus* Londonienſis Epiſcopus, fœdus Regis aſſentator, & Eccleſiaſticæ proditor libertatis, qui conſuetudines Anglicanas tuebatur, a ſanctiſſimo Angliæ Primate *Thoma* Cantuarienſi excommunicatus, adhibito Cleri ſui conſilio, Romanum Pontificem appellaverit his verbis: *Solius Papæ eſt privilegium, ab eo non poſſe appellari.* * *Et appellatione tutus per invocationem ſanctiſſimi nominis Sanctæ Trinitatis elido ejus factum ad firmam petram, ſupra quam fundata eſt Eccleſia.* Ita ſcribit Magiſter *Willelmus* ad S. *Thomam* inter ejus Epiſtolas 41. libri 3. Quin & ipſe Rex *Henricus*, contra Cenſuras, quas a Sancto Primate metuebat, appellatione ad Sedem Apoſtolicam ſe munire conatus eſt, ut ille refert Epiſtola 135. lib. 1. ad *Hyacinthum* Cardinalem data. *Egerat primo Rex Angliæ*, inquit, *ut ad Sedem Apoſtolicam nulla fieret Appellatio. . . . Sed nunc perductus eſt, ut coactus ſit confugere ad Sedem Petri & Domini Papæ invocare nomen, quod ante inhibuerat invocari.*

** Ad alios Epiſcopos, aut Synodos Provinciarum, vel Nationum.*

Cum *S. Thomae* literas Legationis per totam Britanniam, excepta Provincia Eboracenſi, ſuſcepiſſet, idem, cujus mox meminimus, Londonienſis Epiſcopus Regi author fuit, ut Anglicanam Eccleſiam ad Romanum Pontificem appellare curaret: *Bene facietis*, inquit, *ſi Mandatis Apoſtolicis pace veſtra obediri conceſſeritis, & reddito Denario B. Petri, & Clericis, quæ ſua ſunt, in miſericordia veſtra reſtitutis, Epiſcopis omnibus mandaveritis, ut ſi in literis Archiepiſcopi adverſus Regni Conſuetudines gravamen aliquod intellexerint, ad Dominum Papam ſtatim, vel ad Legatos qui diriguntur ad vos, confidenter appellent. Sic enim opus miſericordia perficietis, & nos ab inobedientiæ reatu conſervabitis, & cauſæ veſtræ, ne in aliquo detrimentum accipiat, communi omnium appellatione providebitis.* Eſt inter Epiſtolas *S. Thomæ* 131. lib. 1.

Secundum Londonienſis Epiſcopi conſilium, Angliæ Clerus Romanum Pontificem *Alexandrum III.* appellavit, Appellationemque ſuam ſancto Cantuarienſium Archipræſuli denuntiavit: „ Ordo Judiciorum novus hic eſt [*inquiunt Epiſcopi & Clerici*] damnare primum, & de culpa poſtremo cognoſcere. Quem ne in Dominum noſtrum Regem & Regnum ejus, ne in nos & commiſſas nobis Eccleſias & Parochias, in Domini Papæ damnum, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ dedecus & detrimentum, noſtræque confuſionis augmentum non modicum, exercere tenetis & extendere, remedium vobis Appellationis opponimus. Et qui contra metum gravaminum in facie Eccleſiæ viva jamdudum voce ad Dominum Papam appellavimus, iterato jam nunc ad ipſum ſcripto etiam appellamus. Eſt inter Epiſtolas *S. Thomæ* a *P. Lupo* editas 126. libri 1. Idem conſtat ex ipſorum Epiſtola ad *Alexandrum III.* 128. ejuſdem libri. Ex quibus omnibus monumentis conficitur, Regem Eccleſiamque Anglicanam, verbis factiſque probaſſe iniquitatem ſummam Conſuetudinum Clarendune promulgatarum, quoad illud præſertim caput, quo Appellationes ad Romanum Pontificem prohibebantur: adeoque diſſimulare non potuiſſe nec debuiſſe *S. Thomam Cantuarienſem* hoc Eccleſiaſticæ diſciplinæ ac libertati, hoc authoritati Summi Pontificis illatum vulnus. Sed de his ſatis. Senonas, ubi ſanctum Archipræſulem in *Alexandri* III. & Cardinalium Conſiſtorio reliquimus, nos revocat hiſtoriæ ſeries.

S. Thomas Monachis Pontiniaci a Summo Pontifice commendatus. Pontiniacum Pontigny Cœnobium Ordinis Ciſtercienſis, in Diœceſi Autiſiodorenſi.

Dimiſſo Conſiſtorio, Pontifex ſanctum Cantuarienſium Archipræſulem Abbati Pontiniacenſi commendavit, ut eum cum paucis domeſticis in Monaſterio ſuo ſuſciperet ac foveret. Ubi ſolido ferme biennio manſit, auſteriorum exercitatione virtutum, & Monaſticæ diſciplinæ uſu, quoddam futuri Martyris tyrocinium agens.

Interea Rex Angliæ furore percitus, quod nihil a ſummo Pontifice contra *Thomam* impetrare potuiſſet, Cantuarienſis Archiepiſcopatus, & omnium clericorum ſancto Præſuli adhærentium reditus capi juſſit, & in fiſcum inferri; omnes ipſorum cognatos e Regno amandavit, nullo habito delectu ætatis aut ſexus, juramento prius adſtrictos, ut Pontiniaci degentem convenirent, ut novis domeſticæ calamitatis ſpectaculis in dies cruciaretur. Quin etiam, quod horrendum dictu, omnibus ſubditis ſuis prohibuit, ne preces ad Deum pro Archipræſule funderent, ut teſtatur Hiſtoria Quadripartita.

S. Thomas *Epiſtolam Commonitoriam ſcribit ad Regem Angliæ.*

Sanctus Archipræſul altero exilii ſui anno, Chriſti vero 1164. Commonitoriam ad Regem Angliæ ſcripſit Epiſtolam, ut eum ad pœnitentiam emolliret; cujus verba ſummam humilitatem & caritatem ſpirant. „ Confiſus, *inquit*, de miſericordia Altiſſimi, de cujus manu ſunt corda Regum, & quo voluerit, inclinabit ea (& utinam in partem meliorem!) loquar ad Dominum meum, quia ſemel cœpi. Multoties enim bona parantur invitis, maxime cum eorum potius ſaluti conſulitur, quam voluntati. In terra veſtra captiva tenetur Filia Sion, Sponſa Regis Magni, oppreſſa a multis, afflicta ab his, qui a longo tempore oderunt eam, & a quibus potius honoranda eſſet, quam affligenda, maxime a vobis. Habita igitur vobiſcum recordatione beneficiorum ſingulorum, quæ vobis contulit Deus, ſolvite eam, & permittite conregnare Sponſo ſuo. . . . . Credite mihi dilectiſſime Domine, Sereniſſime Princeps; patiens enim retributor eſt Dominus, longanimis expectator, ſed ultor graviſſimus. Audite me, & benefacite. Sin autem, verendum eſt (quod abſit) ne accingatur gladio ſuo ſuper femur ſuum Potentiſſimus, & veniat in manu valida cum militia multa liberare Sponſam ſuam, non ſine grandi plaga, de oppreſſione & ſervitute tribulantis. Si vero me audieritis, quoniam neceſſe habet Dominus in hoc inſtanti obſequium veſtrum experiri, benefaciet vobis Deus, & addet gloriam gloriæ veſtræ in progeniem filiorum & filiarum veſtrarum, uſque in tempora longa. Alioquin vereor (quod tibi Deus avertat) ne non deficiat gladius de domo veſtra, donec veniat qui ulciſcatur de plano ſuam & ſuorum injuriam Altiſſimus: ſicut nec de domo Salomonis, a quo, licet eum Deus elegiſſet; . . . Quoniam receſſit a via Dei, ſcidit Deus Regnum, &c.

Lib. I. Epiſt. LXIII. Edit. P. Lupi.

Ejuſdem Epiſtola ad Herefordenſem Epiſcopum De Hereford.

Scripſit etiam ad Herefordenſem Epiſcopum, ſibi quondam amiciſſimum, a quo literas acceperat, conſolatorias quidem, ſed ad remittendum aliquid de invicta conſtantia, & ad obſequendum Regi hortatorias, ipſumque graviter increpuit ob malesanum conſilium, & ad tuendam Eccleſiæ libertatem excitavit. „ Ecce tu, *inquit*, quem credebam mihi a Domino datum eſſe, ut mecum ædificares, evelleres, & plantares, propinas mihi ſtimulum in ruinam, ſolatium in deſperationem . . . Et cum deberes animi vacillantis firmare conſtantiam, ſuſtinere mecum congreſſum ad defendendum patrimonium Crucifixi, ad reprimendos & expugnandos hoſtes Eccleſiæ, inſtillare auribus meis, inſpirare animo meo, ut obſecrarem inſtantius, arguerem arctius, increparem durius. Quod ſi me non audirent, exclamare certe debueras contra me; Exurge quare obdormis? Exere gladium S. Petri, vindica ſanguinem ſervorum Chriſti qui effuſus eſt, injurias Eccleſiæ, quæ in nobis & noſtris fiunt tota die. Excidit-ne a memoria tua quantis ſim injuriis afflictus, quibus affectus contumeliis, cum in perſona mea contra omnem authoritatem, & contra omnem

Lib. 1. Ep. XL. Edit P. Lupi.

juris

„ juris formam iterum judicaretur Christus ante tribunal Præsidis? ... Qua animi conscientia ista dissimulare potes tu, de quo sperabatur quod esses redempturus Israel, liberaturus a servitute Ecclesiam? „ Et nunc quia tanto tempore tacuisti, doleo super „ te, Fili mi primogenite, &c. Sic ipsum appellat, quod primus Episcoporum esset quem consecraverat. Has Literas apud *Rogerium de Hoveden*, posteriori parte Annalium legere est, pag. 503. & 504.

Regis Anglorum ad Alexandrum III. *Legatio minax.*

Reverso Romam *Alexandro III.* Oratores ad ipsum misit *Henricus* Rex Anglorum, *Joannem Oxoniensem*, & *Richardum Ilcestrensem* Clericos, qui ejus Sanctitati minarentur, Dominum suum ab ejus obedientia recessurum, Antipapæ adhæsurum, nisi avitas Regum Angliæ Consuetudines confirmaret. Per Germaniam transeuntes Wirceburgi substitere, ubi *Fridericus* Imperator coacto Conciliabulo, juramentum ab omnibus Episcopis & Proceribus contra legitimum Pontificem *Alexandrum* extorquebat, eosque novo Antipapæ obstringebat. Idem juramentum præstitere *Henrici II.* Oratores, ipsius nomine, sed præter ejus mentem. Soluto Wirceburgensi Conventu, Romam perrexere, Summo Pontifici Regis literas obtulere, minasque addiderunt insolentes. Quibus nihil commotus *Alexander*, ipsos ob sacrilegum juramentum severe castigatos dimisit; gravesque scripsit ad Regem Anglorum literas, quibus eum ob perfidiam erga Sedem Apostolicam, ob prohibitas ad Sanctam Sedem Appellationes, & vetitam ad Apostolorum limina profectionem, ob initum fœdus cum Schismaticis & excommunicatis, ob exilium denique Cantuariensis Archipræsulis severe objurgavit. Scripserunt & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & de injuriis ab ejus Majestate Ecclesiæ illatis, apud ipsammet conquesti, admonuere, ut quæ prave gesserat, emendaret. Hæ quidem literæ non extant: sed Apologeticas ab eodem Rege ad Cardinales datas exhibet Codex Vaticanus, ex quo illas Annalium Ecclesiasticorum Conditor descripsit.

Alexandri III. *& Cardinalium querula ad Regem Anglorum de ipsomet litera.*

Apologetica Literæ Regis Anglorum ad Cardinales.

Ad primum querimoniarum caput ita respondit: *In integritate gratia & dilectionis, Domini Papa libenter perseverare volumus & affectamus, si nobis & Regno nostro eumdem honorem, & honoris & dignitatis conservationem observaverit, quam sancti & honesti Romani Pontifices viris nobilibus & potentibus Prædecessoribus nostris exhibuerunt.*

Ad secundum sic respondit: *Appellationes, quas proponit nos prohibuisse, & ne quis de Regno nostro Curiam Romanam visitaret, nos asserit inhibuisse: vestram nolumus latere prudentiam, quod nec Appellationes, nec visitationes aliquatenus impedivimus, qui eo modo, ea ratione, eo ordine fiunt, qua temporibus Prædecessorum nostrorum juxta Regni nostri Consuetudines & dignitates solebant fieri.*

Ad tertium Caput respondit, se accepisse *Fridericum* Imperatorem a Summo Pontifice pro excommunicato non haberi: nec sibi illicitum existimasse, filiam suam filio Imperatoris collocare; quia similium fœderum exempla in Majoribus suis habebat.

Ad quartum sic respondit: *Cantuariensem Archiepiscopum numquam expulimus, nec a Regno nostro exire coegimus ..... Si autem idem Archiepiscopus, sicut ex propria voluntate aufugit, eodem modo voluntarie reverti voluerit, & nobis fecerit, quod Domino & Principi facere deberet, Nos eidem, juxta Clericorum & laicorum consilium, tam Regni nostri, quam Transmarinorum, quod debebimus, exequemur. Verum ipsum per nos revocandum non censemus, quem a Regno nostro exire non coegimus. Itaque si nobis constiterit nos in aliquo deliquisse & excessisse, consilio Cleri & Baronum nostrorum, juxta consuetudines & Dignitates & Celsitudines Regni nostri, quidquid debuerimus, animo libenti faciemus. Si vero aliquis Jura & Consuetudines & Dignitates Regni nostri impedire attentaverit, seu diminuere, ipsum publicum hostem, & manifestum nominis nostri, & honoris, & Regni æstimabimus inimicum.*

Alexandri III. *Litera ad Londoniensem Episcopum ejusdemque Præsulis Responsum.*

Eadem pene *Henrici* Regis nomine respondit *Gilbertus* Londoniensis Episcopus *Alexandro* III. qui ipsi jusserat, ut cum Archiepiscopo Rothomagensi & Herefordensi Præsule, Majestatem ejus conveniret, eamque ad satisfaciendum Ecclesiæ & Cantuariensi Archipræsuli, nomine suo hortaretur. *Alexandri* III. ad Londoniensem Episcopum literas, & ejusdem Antistitis responsum exhibet *Rogerius de Hoveden*, posteriori parte Annalium, pag. 191. & 192. Articulum de Appellationibus extra Regnum non prosequendis emollivit, & quodam fuco obduxit Londoniensis Præsul. Regis enim prohibitionem ad causas civiles restrinxit: *In Appellationibus*, inquit, *ex antiqua sui Regni institutione, id sibi vendicat honoris & oneris ut ob civilem causam nullus Clericorum Regni sui ejusdem Regni fines exeat, nisi, an ipsius authoritate & mandato jus suum obtinere queat, prius experiendo cognoscat. Quod si nec sic obtinuerit, ad Excellentiam vestram, ipso eo nullo reclamante, cum volet, quilibet appellavit. In quo si juri vestro vel honori præjudicatur in aliquo, id se totius Ecclesiæ Regni sui consilio correcturum in proximo, juvante Domino, pollicetur.*

Inter Epistolas S. Thomæ 38. *lib.* 1. *Edit. P. Lupi.*

Denique Summo Pontifici posuit ob oculos mala, quæ nimia erga Regem severitas Ecclesiæ inferret, ideoque sanctitatem ejus obsecravit, ut a censuris abstineret. *Unde*, inquit, *vestra supplicandum æstimavimus Excellentia, quatenus illud præ oculis habentes* „ Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet; *zelum illum, qui ad ulciscendam omnem, qua Ecclesia Dei irrogatur, injuriam, laudabiliter igne Divini Spiritus accensus est, si placet, ad tempus intra fines modestia cohibeatis: ne vel Interdicti Sententiam, vel ultimum illud Præcisionis elogium proferendo, Ecclesias universas subverti misere toleretis; & tam Regem ipsum, quam innumeros cum eo populos, a vestra (quod absit) obedientia irrevocabiliter avertatis. Bonum est membrum capiti cohærere, vel saucium; quam a corpore projici jam præcisum. Redeunt ad sanitatem saucia, vix corpori coalescunt jam præcisa. Adducit desperationem præcisio, restituit sanitatem vulneri sæpe medicantis operatio ... Sanguis Regius tunc scit demum vinci, cum vicerit: nec verecundatur cedere, cum superaverit. Mansuetudine tolerandus est. Monitis & patientia superandus .... Non enim est dubium severitati detrahendum fore, cum strages imminet populorum.*

Severitatem erga Regem Ecclesiæ periculosam fore suadet.

Dum Summus Pontifex Episcopos Angliæ ad suggerenda Regi consilia salutis hortabatur, *S. Thomas Cantuariensis* ejus animum vehementioribus, quam antea, literis pulsavit, ac terrore divinorum judiciorum concutere conatus est. Has literas, quæ incipiunt his verbis, *Expectans expectavi ut intenderet vobis Dominus*, Annalium Ecclesiasticorum parens ex Codice Vaticano descripsit ad annum 1166. His Literis demonstrat, Reges Ecclesiæ & Sacerdotibus subesse debere, non eorum jura usurpare, nisi Saulis, Oziæ, Azariæ & Ozæ instar, a Deo vindice plecti velint: *Ad Sacerdotes suos*, inquit, *voluit Deus, quæ Ecclesiæ sua sunt, disponenda pertinere, non ad potestates Seculi. Quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas. Non vobis igitur vendicetis jus alienum & ministerium quod alteri deputatum est; neque contra eum contendatis a quo omnia sunt constituta; Ne contra illius beneficia pugnare videamini, a quo vestram consecuti estis potestatem. Non a legibus publicis, non a sæculi Potestatibus, sed a Pontificibus & Sacerdotibus, omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos voluit ordinari & discuti. Christiani Reges subdere debent executiones suas Ecclesiasticis Præsulibus, non præferre. Scriptum quippe est; Numquam de Sacerdotibus, nisi Ecclesiam judicare debere; nec esse humanarum Legum, de talibus ferre Sententiam. Obsequi solere Principes Christianos statutis Ecclesiæ, non suam potestatem præponere; Episcopis caput Principes subdere, non de Episcopis judicare. Duo quippe sunt quibus principaliter regitur Mundus, authoritas Sacra Pontificis, & Regalis Potestas: in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto & de ipsis Regibus sunt in divino reddituri examine rationem. Nosse certe debueratis, ex illorum vos pendere judicio, non illos ad vestram posse redigi voluntatem. Plurimi namque Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicarunt, &c.*

S. Thomæ Cantuariensis. *Litera ad Regem Anglorum vehementes Lib.* 1. *Epist.*

S. Thomæ *Epist.* 65. *Edit.* P. Lupi.

Deinde postquam Davidis exemplo Regem ad pœnitentiam hortatus est, terribilem hancce comminationem subjicit: *Hæc ad præsens, Domine mi, vobis scri-*

scribo, cætera silentia prætereus, donec videam utrum sermo meus capiat in vobis. Si reportaverit mihi a vobis fructus dignos pœnitentiæ, & audiam a nunciantibus, & congaudeam dicentibus: Filius suus Rex mortuus fuerat, sed revixit; perierat, & inventus est. Quod si me non audieritis, qui solitus sum ante Majestatem Corporis Christi in abundantia lacrymarum, & gemitibus non minimis orare pro vobis; certe ibidem clamabo contra vos, & dicam: Exurge Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, & injuriarum, quæ a Rege Anglorum & suis tibi & tuis fiunt tota die, &c. Tandem sic Epistolam concludit: *Attendite ubi sunt Imperatores, ubi Reges, & alii Principes, ubi Archiepiscopi, & Episcopi, qui nos præcesserunt. Ipsi quidem laboraverunt, & alii in eorum labores introierunt? Quid ultra? Sic transit mundus, & ejus gloria. Memorare ergo novissima tua, & in æternum non peccabis: & si peccaveris, in vita pœnitebis.* Paternis admonitionibus, Apostolicisque minis apud superbum Principem Sanctus Archipræsul nihil promovit.

S. Thomas Apostolica Legatione per Angliam ornatus.

Id cum intellexisset Summus Pontifex *Alexander III.* quo ipsum pro Justitia & Ecclesiæ defensione exulem non modo solaretur, sed etiam ornaret; ac Regi, Præsulibusque Anglicanis redderet metuendum, ipsi Legationem Apostolicam per totam Angliam una excepta Diœcesi Eboracensi, restituit. Id testantur *Alexandri III.* Literæ quæ incipiunt his verbis:

Epist. 14.

Sacrosancta Romana Ecclesia, quibus meritis præconiis Thomam *Cantuariensem* extollit: *Attendentes*, inquit, *devotionis & fidei constantiam, qua pro Ecclesia Dei sicut columna immobilis perstitisti, honestatis & literaturæ, ac discretionis prudentiam, qua præeminere dignosceris, considerantes, dignum duximus personam tuam tantarum virtutum insignibus decoratam, quodam speciali privilegio, & singulari prærogativa diligere & honorare, tuæque utilitatis solita benignitate prospicere. Inde est quod nos tibi Legationem totius Angliæ, excepto Episcopatu Eboracensi, benigno favore concedimus, ut ibi vice nostra corrigas, quæ inveneris corrigenda: & ad honorem Dei, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & salutem animarum statuas, ædifices, & plantes, quæ statuenda fuerint, & plantanda.* Data est hæc Epistola Anagniæ VII. Idus Octobris anni 1167.

Summi Pontificis Mandata recipit Londoniensis Episcopus.

Has Literas, aliaque Summi Pontificis mandata Præsulibus Anglicanis significanda, *Gilbertus* Londoniensis Episcopus accepit; nempe ut qui Clericorum Cantuariensis Archiepiscopi reditus, Regis mandato perceperant, ad plenam eorum restitutionem, infra duos menses, Anathematis sententia, omni appellatione remota, compellerentur. Secundo ut ipse Londoniensis Antistes *Denarium Sancti Petri* exigeret & Nuntiis Apostolicis traderet. De his Regem *Henricum II.* certiorem fecit Londoniensis Episcopus, datis ad ejus Majestatem Literis quas ex Codice Vaticano descripsit Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum 1167. Incipiunt his verbis: *Tanta nos, Domine, Mandatorum moles ad præsens opprimit.*

Appellationem Pontificiorum Executionem Mandatorum non suspendere profitetur.

Sedi Apostolicæ necessario parendum scribit, nec appellationem a Mandatis Pontificiis eorum executionem suspendere. *Quod*, inquit, *Authoritas apostolica præcipit, hoc appellatio non suspendit; nec adversus ejus Mandatum, ullum potest esse remedium: cum quod præcipitur, implere necesse sit, aut inobedientiæ reatum incurrere.* Proinde Regi author est, ut sinat Episcopos Summi Pontificis Mandatis parere, & Clericis Cantuariensis Archiepiscopi sua reddi, Denariumque *S. Petri* reddi jubeat. Cæterum omnibus Episcopis præcipiat, ut si in Literis Archipræsulis Cantuariensis gravamen aliquod *adversus Regni Consuetudinem intellexerint, ad Dominum Papam statim, vel ad ejus Legatos, confidenter appellent.* (Inter Epistolas *S. Thomæ* 131. lib. 1. Edit. P. *Lupi*.)

S. Thomas Consuetudines Anglicanas Sedis Apostolicæ Authoritate damnat.

Credita sibi Legatione statim functus est Sanctus *Thomas Cantuariensis*: & Consuetudines Anglicanas in Clarendonensi Conventu promulgatas, Authoritate Apostolica damnavit, præcipue vero sex earum Capita, quæ in Literis ad Londoniensem Episcopum, cæterosque Præsules Anglicanos ea de re datis expressit; omnes earum observatores & exactores excommunicavit: Episcopos a juramento, quo se ad eas observandas obstrinxerant, absolvit. Eos etiam, qui Schismaticis in Germania communicarent, necnon qui Cantuariensis Ecclesiæ bona occupabant, excommunicatos nominatim denuntiavit. Laudatarum Literarum istud exordium est: *Fratres mei dilectissimi, quare non consurgitis mihi adversus malignantes?* De Consuetudinibus Anglicanis hæc habent: *Scriptum illud, in quo illæ, non Consuetudines, sed pravitates potius, quibus perturbatur & confunditur Anglicana Ecclesia, continentur, ipsiusque scripti authoritatem, invocata Spiritus Sancti gratia, publice condemnavimus, & cassavimus. Universos etiam observatores, Exactores, Consiliarios, Adjutores, seu Defensores earum, excommunicavimus: Omnesque vos Episcopos a Promissione, qua contra Institutionem Ecclesiasticam ad earum observationem tenebamini, Authoritate Dei, & nostra, absolvimus. Quis enim dubitat Sacerdotes Christi, Regum & Principum, & omnium Fidelium Patres & Magistros censeri? Non-ne miserabilis insania esse cognoscitur, si filius Patrem, discipulus Magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere, a quo credit, se non solum in terra, sed & in cœlis, ligari posse & solvi? Proinde ne in hujus sententia commissum incidatis, authoritatem ipsius scripti, ipsumque scriptum, cum pravitatibus quæ in eo continentur, irritum duximus & cassavimus, præsertim in his:*

Ep. 96. l. 1. Edit. P. Lupi.

1. Quod non appelletur ad Sedem Apostolicam super aliqua causa, nisi licentia Regis.

2. Quod non liceat Archiepiscopo, vel Episcopo, exire de Regno & venire ad vocationem Domini Papæ sine licentia Domini Regis.

3. Quod non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui teneat de Rege in capite, sine licentia Regis; vel terram ipsius, vel Officialium suorum, in Interdicto ponere.

4. Quod non liceat Episcopo coercere aliquem de perjurio vel fide læsa.

5. Quod Clerici trahantur ad sæcularia Judicia.

6. Quod laici, sive Rex, sive alii tractent causas de Ecclesiis, vel decimis, & alia in hunc modum.

De his a se Legationis Apostolicæ Authoritate decretis *Alexandrum III.* certiorem fecit *S. Thomas Cantuariensis*, rogavitque ut ea confirmaret. Porro se brevi Regem nominatim excommunicaturum, nisi resipisceret. *Verum*, inquit, *in personam Regis nondum Sententiam dedimus, daturi forsitan, nisi resipuerit & ex his, quæ fecerit, apprehenderit, disciplinam. Ut ergo Beatissime Pater, Apostolicæ Sedis authoritas, & Ecclesiæ libertas, quæ in partibus nostris tota fere deperiit, utcumque valeat restaurari; necesse est, & modis omnibus expedit, ut quod a nobis gestum est, ratum omnimodis habeatis.* Has *S. Thomæ* ad *Alexandrum Tertium* Literas quæ Incipiunt: *Satis superque sustinui correctionem Regis Angliæ expectans*, legere est & apud *Rogerium de Hoveden*, posteriori parte Annalium, pag. 505.

Ep. 138. l. 1. P. Lupi.

Alexander III. S. Thomæ Sententiam confirmat.

Cantuariensis Archipræsulis Sententiam confirmavit *Alexander III.* & minaces ad Regem Anglorum scripsit Literas, in quibus hæc inter alia: *Duritiam tuam, sicut hactenus, contra Justitiam, & salutem nostram, non duximus ulterius supportandam: nec præfato Archiepiscopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin Officii sui debitum libere prosequatur, & suam & Ecclesiæ suæ injuriam Ecclesiasticæ severitatis gladio ulciscatur.* Has Literas, quæ incipiunt his verbis. *Quam paterne & quam benigne Regiam sæpius Excellentiam convenerimus*; refert *Rogerius de Hoveden*, pag. 506.

Regis & Præsulum Anglicanorum ad Pontificem Appellatio, & Legatio.

Intentatis a sancto Cantuariensium Archipræsule Censurarum Ecclesiasticarum minis territus & magis irritatus Rex Anglorum, Episcopos & Proceres Cismarinarum ditionum suarum, *Chinonum* (quod Provinciæ Toronensis oppidum est, prope Pictones) congregavit anno 1167. ab iisque consilium rogavit de mediis quibus Excommunicationis vel Interdicti fulmina mox a *Thoma Cantuariensi* vibranda declinare posset. In hanc ab omnibus Sententiam itum est, ad Summum Pontificem appellandum esse. Cantuariensis Ecclesiæ Suffraganei hanc Appellationem sancto Archipræsuli significarunt, datis ad ipsum Literis, quarum initium est: *Quæ vestro, Pater in longinqua*

quæ

Inter Epistolas S. Thomæ, cap. 26. & c. 28. l. 1. Edit. P. Lupi.

que defessus. Ad Summum etiam Pontificem scripsere, ad ejus Tribunal causam deferentes. Literarum quas ea de re dederunt, istud est exordium : *Vestram, Pater, meminisse credimus Excellentiam*. Regem Contumacem esse negant, utpote qui contestatus sit se de singulis capitibus, de quibus fuerat ab ipso Papa commonitus *Ecclesiæ Regni sui se pariturum judicio*. Ipsius Acta excusant, quantum possunt, Sententiam excommunicationis in quosdam Proceres latam ; & minas Regi intentatas ab Archipræsule Cantuariensi, violatum Judiciorum ordine conqueruntur. Eo tendere turbas illas ajunt, ut abrupta Regni & Sacerdotii concordia, Rex & populus a Sedis Apostolicæ obedientia recedant. Quæ mala ut avertant, se ad ejus Sanctitatem appellasse denuntiant, & Appellationi terminum designasse diem Dominicæ Ascensionis. Has Literas Annalibus suis inseruit *Rogerius de Hoveden*, pag. 509. 510. 511. & 512. Divino sane judicio accidit, ut Rex, qui Appellationes ad Sedem Apostolicam pravis Consuetudinibus suis antiquare & abrogare voluerat, earum jus & usum suo & Episcoporum Regni sui exemplo confirmaret, ut observat *Joannes Saresberiensis* Epistola ad Exoniensem Episcopum. *Et ita* (inquit) *nescio quo pacto* [*nisi quia veritas ventilata plus pollet, & justitia quo magis concutitur, eo amplius convalescit*] *dum Rex per avitas consuetudines Appellationum jus evacuare conatur, magis confirmat : dum ipsemet pro capite suo ad appellandi refugium cogitur evolare*. Londoniensi Episcopo respondet *S. Thomas Cantuariensis* gravissimis Literis, iisque apologeticis. Interjectam ab ipso & cæteris appellationem perperam vocari remedium ait, quæ est obedientiæ impedimentum. Frustra ipsos persuasum habere, quod ludificatoria hujusmodi appellatio ipsos ab obedientia dispenset. Ipsum minime prohibiturum quin suo fungatur munere ; siquidem vindicandi in omnem obedientiam & officium accepit, & præceptum. Ipsos fucum facere, cum ajunt Regem esse fuisseque semper ad satisfaciendum paratissimum. *Illud*, inquit, *quod dicis paratum esse ad satisfaciendum, quo sensu intelligis ? Illos, quorum se Deus dicit, & patrem & judicem, orphanos, viduas pupillos innocentes & omnino hujus, qua nos movet controversiæ ignaros vides proscribi, & taces : Clericos exterminari, & non reclamas. Alios bonis suis spoliari, & contumeliis affici, & non contradicis : Servientes meos in vincula conjici, & teneri, & obmutescis : Matris tuæ Cantuariensis Ecclesiæ bona diripi, & non resistis : Me Patrem tuum gladios cervici meæ jamjam imminentes vix evasisse, & non doles. Et quod deterius est, cum persecutoribus meis, & in me, Deo & Ecclesia ipsius, & hoc non in occulto stare non erubescis. Est ne hoc satisfacere, perpetrata mala non corrigere, & malis deteriora de die in diem adjicere ?*

S. Thomæ Responsum ad Appellationem significatam.

Ep. 108. l. 1. Edit. P. Lupi.

Addit, satisfactionis loco censeri non posse voluntatem illam Regis, (ut ipsi scripserant) ad parendum Judicio Ecclesiæ Regni sui comparatam. *Quasi*, inquit, *condigna sit satisfactio hæc. Quis est in terra, vel etiam in cœlo, qui de divina dispositione præsumat judicare ? Humana judicantur, divina penitus inconcussa relinquuntur. Quanto melius, frater mi, illi salubrius, tibi securius, intimare ei, persuadere omnibus modis elaborares, voluntatem Dei, de conservanda pace Ecclesiæ suæ, de non appetendis his quæ concessa non sunt ejus administrationi, de honorandis Sacerdotibus Dei ? .... Sciat ergo & intelligat, te intimante, Dominus meus, quod qui dominatur in Regno hominum, sed & Angelorum, duas sub se Potestates ordinavit, Principes & Sacerdotes ; unam terrenam, alteram spiritalem ; unam ministrantem, alteram præeminentem ; unam cui potentiam concessit, alteram cui reverentiam exhiberi voluit. Qui vero his vel illis de suo Jure subtrahit, Dei ordinationi resistit*. Hæ *S. Thomæ* ad Londoniensem Episcopum Literæ quas Annalium Ecclesiasticorum Parens ex Codice Vaticano descripsit, incipiunt his verbis : *Mirandum & vehementer stupendum*. Istis vero concluduntur : *Non obliviscamur illum districtum Judicem, ante cujus tribunal constitutos sola nos Veritas judicabit, amoto timore & fiducia omnis terrenæ Potestatis*. Est inter Epistolas a P. *Lupo* editas 108. libri 1. Ejusdem est argumenti Epistola 128. *Universo Clero Angliæ*, inscripta, & pariter Apologetica, in qua hæc de Ecclesiæ firmitate observanda sunt : *Proprium est Ecclesiæ ut tunc vincat, cum læditur ; tunc intelligat, cum arguitur ; tunc obtineat, cum deseritur. Nolite ergo, Fratres, super ipsam flere, sed super vos ipsos qui facitis vobis nomen, sed non grande, ex hoc facto & dicto ex ore omnium. Qui provocatis in vos odium Dei & universorum. Qui paratis innocenti laqueum, qui cuditis novas & ingeniosas rationes in subversionem libertatis Ecclesiæ : Fratres, per misericordiam Dei in vanum laboratis. Stabit enim ipsa Ecclesia, etsi sæpius concussa, in ea fortitudine & firmitate, in qua firmiter fundata est, donec Filius ille perditionis surgat*, &c. Ipsorum Appellationem Jure nullam esse ostendit, nec Regi suffragari. *Non solent*, inquit, *audiri Appellantes, nisi quorum interest, aut quibus mandatum est, aut qui negotium gerant alienum. Interestne vestra ut non coerceantur delinquentes adversus Ecclesiam ? Absit. Si vero qui subvertit Ecclesiæ libertatem, qui bona ipsius invadit & occupat, ac in suos convertit usus in sui defensionem minime super hoc auditur Appellans, multo minus & pro eo Appellantes. Ergo nec Domino Regi suffragatur a vobis pro ipso edita, nec videtur vobis prodesse pro ipso Appellatio emissa. Unde si in hoc casu appellare non potest, nec mandare, sic nec vos super hoc ab ipso Mandatum suscipere. Adjicimus vos in parte ista nullatenus ejus gerere posse negotium. Nemo enim Episcoporum alterius contra se negotium gerere potest, maxime in oppressione Ecclesiæ, cujus ipse defensor est ; & præsertim unde generaliter læditur Ecclesiæ conditio. Ergo si nec vestra interest appellare, nec super hoc Mandatum valetis suscipere, nec aliorum gerere negotium, nec auditur appellatio vestra, nec Jure tenetur*.

Ecclesiæ firmitas inconcussa.

Tandem Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem his verbis convenit, ipsique bene adprecatur : *Audiat itaque Dominus meus postulationem Fidelis sui, consilium Episcopi, Patris exhortationem, ut benefaciat ei Deus, & augeat dies ejus, & annos Filiorum ipsius in tempora longa. Permittat Ecclesiam frui pace & libertate sub ipso, tamquam sub Rege Christianissimo ; Ecclesiam Romanam uti Jure & Libertate in terra sua, quam habere debet, & habet in cæteris Regnis. Restituat Cantuariensi Ecclesiæ, & nobis Jura sua & Libertates, & omnia ablata, cum pace & securitate nostra, ut libere & quiete, possimus Deo militare sub ipso, & ipse debeat obsequio nostro uti, prout ei placuerit, Salvo honore Dei, & Ecclesiæ Romanæ, & Ordine nostro. Ista sunt Dignitates Regiæ, Leges optimæ, quas petere debet Rex Christianissimus, & observare : quibus gaudere debet, & sub ipso florere Ecclesia. Ista sunt Leges obtemperantes Legi divinæ, non derogantes ; quas qui non observaverit, inimicus Dei constituitur*.

Londoniensem Episcopum Ecclesiæ Jura & Libertatem prodentem, & Regem pravis consiliis in impœnitentia foventem, paulopost excommunicavit S. Cantuariensium Archipræsul ; & Literas ad Clerum Londoniensem dedit de vitandis excommunicatis : quas apud *Rogerium de Hoveden*, pag. 512. & 513. legere est. Sunt Epistolæ 39. 40. & 43. lib. 3. editionis *P. Lupi*.

Londoniensem Episcopum S. Thomas excommunicat.

Interea Rex Anglorum Literas comminatorias scripsit ad Cistercienses Monachos in Comitiis Generalibus congregatos, significans se omnia Ordinis bona in suis ditionibus constituta, in Fiscum redacturum, nisi hostem suum e Pontiniaco Monasterio expellerent. Regis Literas cum sancto *Thoma* communicarunt Monachi, nec tamen ipsum rogarunt ut abiret ; persuasi sanctissimum Præsulem nolle ibi manere in detrimentum Ordinis (si tamen detrimentum, & non potius lucrum dicenda erat jactura bonorum temporalium ob defensionem justitiæ, & susceptionem Archipræsulis propter causam Ecclesiæ exulis). Fœdam illam Monachorum ignaviam & cupiditatem sibi scandalo fuisse significavit Rex Christianissimus *Ludovicus VII.* cum per Nuntium a Sancto Archipræsule missum ea de re certior factus est. Ipsum enim exclamasse : *O Religio ! o Religio ! ubi es ! Ecce enim, quos credebamus sæculo mortuos, sæculi ruinas timent, & pro rebus caducis, quas propter Dominum con-*

Rex Anglorum S. Thomam Pontiniaco ejici curat.

Ludovicus VII. *Rex Francorum,* S. Thomam *honorifice recipit ac fovet.*

Seu Vita S. Thomæ, Lat. c. 27.

contempsisse profitentur, a Dei opere, quod cœperant, convertuntur retrorsum, Dei causa exulantem ejicientes a se: Tradit Historia Quadripartita, * cui consentit *Gervasius Doroberuensis* in Chronico, pag. 1401. additque, Regem Christianissimum sibi ipsi gratulatum, quod hæc sibi data esset occasio Archipræsuli Sancto subveniendi, misisse Virum Nobilem ex Aula sua cum trecentis stipatoribus, qui eum honorifice deducerent Senonas. Ibi ab *Hugone* Archiepiscopo, Clero Populoque, summa lætitia exceptus, in Cœnobio *Sanctæ Columbæ* annos quatuor diversatus est. Cum Pontiniaco secessit, revelatione divina de futuro certior factus est Martyrio, ut refert mox laudatus *Gervasius*. Sub idem tempus, scripsit iterum ad Regem Angliæ Sanctus Archipræsul, ejus Majestatem ex parte omnipotentis Dei, & in virtute Spiritus Sancti, & in remissionem peccatorum adjurans, ut gratiam suam, & pacem veram sibi, & Ecclesiæ Cantuariensi restitueret. Has Literas, quæ incipiunt his verbis, *Breviloquio utimur ad vos*, Cardinalis *Baronius*, ex Codice Vaticano descripsit ad annum 1167. num. 71. Est Epistola 66. Libri 1. Edit. *P. Lupi*.

Nova Regis Anglorum Legatio ad Alexandrum III.

Eodem anno, Res Angliæ, ut imminentem sibi & Regno Excommunicationis & Interdicti Sententiam averteret, novam Legationem Romam destinavit ad *Alexandrum III.* cujus munus imposuit *Joanni Oxenefordiensi*, quem ob Saresberiensem Decanatus invasionem *S. Thomas* excommunicaverat. Hic Summum Pontificem malis artibus circumvenit, abjuratisque Regiis Consuetudinibus, & facta promissione de pace Regem inter & Archiepiscopum Cantuariensem pro virili procurando, Absolutionem ab excommunicatione, ad Saresberiensem Decanatum impetravit. Effecit etiam ut Papa Legatos in Angliam mitteret, *Willelmum Papiensem Henrico* Regi amicissimum, & *Ottonem*, Sanctæ Rom. Eccl. Cardinales ad pacem inter ipsum Regem & Cantuariensem Archiepiscopum componendam, & ad concordiam inter Reges Francorum & Anglorum procurandam.

* D'Oxford.

Alexander III. *Legatos mittit in Angliam ad pacem inter Archiepiscopum & Regem componendam.*

De hac Legatione certiorem fecit Cantuariensem Archipræsulem, ipsumque monuit, ut animum suum ad pacem inclinaret, quantum salva sua & Ecclesiæ honestate fieri posset. Scripsit etiam ad Regem Anglorum, jubens ut Legatos Apostolicos eo quo par erat honore susciperet, eaque executioni mandaret, quæ suo nomine erant proposituri. Scribit demum ad *Ludovicum* VII. Regem Christianissimum, ut authoritatem suam interponat ad pacem tam optatam promovendam. Quæ si componi non possit, rogat ejus Majestatem, ut gratum habeat legationem Apostolicam Archipræsuli Cantuariensi per Gallias imponi, si hoc absque Cleri Gallicani offensione fieri valeat; sibique significet suam ea de re voluntatem, ac interim silentium servet. Adscribo verba, in quibus momentum non leve est ad probandum Summos Pontifices Legatos in Gallias non misisse, nisi de consensu Regis Christianissimi, & qui ejus Majestati accepti essent. *Si autem*, inquit, *quod Deus avertat, convenire non possint, dummodo Regia voluntati sederet & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret, & gratum valde existeret & acceptum, si absque gravi scandalo personarum Regni tui fieri possit, nos prænominatum Archiepiscopum specialis honoris prærogativa inter cæteros donaremus, & sibi vices nostras committeremus in illis partibus exequendas. Unde Serenitatem tuam, quanta possumus prece rogamus, ut si pacem, salva honestate sua & Ecclesiæ, quod omnimodis optaremus, habere non possit, nobis, super his voluntatem tuam sub omni celeritate studeat intimare. Et hoc interim habeas omnino secretum.* (Est inter Epistolas *S. Thomæ* editas a *P. Lupo* 43. libri 2.)

Epist. 18. Alexandri III.

Epist. 29. Alexander III.

Rogat Regem Francorum, ut Apostolica per Gallias Legatione S. Thomam *ornari consentiat.*

Summi Pontifices Legatos in Gallias non mittebant, nisi de consensu Regis Christianissimi & qui ejus Majestati grati essent.

Joannis Oxoniensis, *Regis Anglorum ad Summum Pontificem Legati insolentia.*

Legatione perfunctus rediit *Joannes Oxonefordiensis* ubique canens, Io triumphe, falsos rumores spargens, & insolenter *S. Thomæ Cantuariensi* insultans. Mentiebatur namque Legatos a Romano Pontifice missos esse ut causam Cantuariensis Archipræsulis cum Anglorum Rege finirent: *Willelmum Papiensem* Cardinalem Regi penitus addictum gloriabatur, ab eoque *Thomam* certissime deponendum; Anglicanos Episcopos, Regemque, jam ab illius jurisdictione esse absolutos; quia Pontifex Legationem ipsius per Angliam ad tempus suspenderet, donec scilicet venissent, & quandiu præsentes essent Legati: Cardinales plerosque omnes Regiis partibus esse devotissimos. *Henricus* II. superbiam vehementer augebat illa a Summo Pontifice decreta legatio palamque glorjabatur, se Avi sui consecutum Privilegium, *Quia in terra sua erat Rex Legatus Apostolicus, Patriarcha, & omnia quæ volebat*: ut refert *Joannes Saresberiensis in* Epistola ad *Joannem* Pictaviensem Episcopum.

Regis Christianissimi Ludovici VII. *studium in* S. Thomam *& fervor pro ejus causa.*

His rumoribus, quibus fundamentum præbebat nova Legatio, *Joanni Oxonefordiensi* Romæ exhibitus honos, ejusque confirmatio in Saresberiensi Decanatu, & Cardinalis Papiensis summa cum Anglorum Rege necessitudo, *S. Thomas* Cantuariensis graviter afflictus est, mœroremque suum in sinum amici gentilisque sui *Joannis Cantuariensis* effudit, datis ad ipsum Literis, quas Annalium Ecclesiasticorum Parens ex Codice Vaticano descripsit ad annum 1167. Num. 77. Est Epistola 165. lib. 1. Edit. *P. Lupi*. Doluere pii omnes; Indignatus est præ cæteris *Ludovicus* Rex Christianissimus, quod Romanus Pontifex a viro nequissimo *Joanne Oxoniensi* deceptus, ita (ut ferebat fama) Sanctum Archipræsulem, qui se pro tuenda Ecclesiæ libertate devoverat, desereret, ac inimicorum ipsius votis annueret. Parum abfuit quin Rex Christianissimus Regni sui ingressu Legatos Apostolicos prohiberet. Sed & de convocandis Præsulibus Gallicanis ea de re deliberaturis consilium iniit: *S. Thomæ* Cantuariensis injuriam, Ecclesiæ, suamque existimans. Quia etiam palam contestatus est Religiosissimus Princeps, *Non esse sibi minus molestum*, quod Romanus Pontifex contra S. Thomam (sic enim ferebat fama mendax) *Legatos mitteret, quam si ad Coronam ejus auferendam eos destinaret*. Id constat ex Epistola *Lombardi* Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, qui tum in Galliis versabatur, ad *Alexandrum III.* quem de illis rumoribus ejus Sanctitati, adeo indecoris certiorem fecit. Ejus Epistolam ex Codice Vaticano describit Cardinalis *Baronius* ad annum 1167. Num. 82. subditque: *Huc usque Lombardus, quem dicet aliquis Theologum illum insignem, qui Parisiis claruit, dictum proprio nomine Petrum Lombardum. His enim temporibus vixit*. Et qui Vitam *S. Thomæ* Cantuariensis Gallice scripsit Modernus Auctor * hunc ipsum *Petrum Lombardum*, Archiepiscopum Parisiensem & Magistrum Sententiarum nuncupatum, has ad *Alexandrum III.* scripsisse Literas indicat. Sed perperam: siquidem hujus Epistolæ Author se Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum inscribit. *Petrus* vero *Lombardus* creatus est Episcopus Parisiensis anno 1159. vel certe 1160. cessione *Philippi* Franciæ filii, *Ludovici VII.* Regis Fratris; nec superstes erat anno 1167. quo hæc Epistola ad *Alexandrum III.* scripta est. Obiit enim anno 1164. Est inter editas a *P. Lupo* 166. lib. 1. Fuit autem *Lombardus* ille Placentia oriundus, *S. Thomæ* Domesticus vir doctissimus, qui ipsum Canones docuit; Romam ab exilio vocatus, Cardinalis ac demum Beneventanus Archipræsul creatus, ut habet Catalogus Eruditorum *S. Thomæ*.

Lombardi *Subdiaconi ad Summum Pontificem litera.*

* De Beaulieu.

Literæ Legatorum Apostolicorum ad S. Thomam.

Statim atque Gallias attigerunt Sedis Apostolicæ Legati, *S. Thomam Cantuariensem* Literis suis prævenerunt; scripsit primus *Willelmus Papiensis*: cujus perlecta Epistola commotus est Sanctus Archipræsul, quod se ad finiendas quæstiones, quæ inter ipsum & Regem vertebantur, missum in Angliam jactaret. Quamobrem ipsi acerbioribus literis respondit, a quibus tamen mittendis ipsum deterruit amicus fidissimus *Joannes Saresberiensis*, cujus eas censuræ subjecerat, ingenue & libere significans, Cardinalem, Sedis Apostolicæ Legatum, in prima salutatione suspicionibus inurendum, & gratis exacerbandum non esse, & contra Romanæ Ecclesiæ reverentiam dehonestandum conviciis: nec Pontificium Cursorem sic alloquendum sibi videri. Hunc scribendi modum ipsius causæ nociturum, si Cardinalis suas Literas ejusque Responsum ad Summum Pontificem mitteret. Etsi inimicus adhuc esset Legatus, esse dissimulandum, donec inimicitias opere demonstraret. Ipsum sine causa commoveri, quod Legatus scripsisset se ad finiendas quæstiones missum esse: siquidem causæ quælibet non solum Sententia, sed & benigna compositione finiri pos-

Joannis Saresberiensis prudens consilium.

De Salisbery.

possunt. Paruit viro prudentissimo & amicissimo Sanctus Archipræsul, & modestiores ad Legatum Apostolicum Literas dedit. Has & illas, nec-non Commonitoriam *Joannis Saresberiensis* Epistolam, ex Codice Vaticano descriptas, Cardinalis *Baronius* Annalibus suis inseruit ad annum 1168. Num. 11. 12. & 13. Edidit *P. Lupus* Epist. 10. 11. 19. & 20. libri 2.

S. Thomas Willelmum Papiensem, *Legatorum alterum Judicem recusat.*

Nihilominus datis ad *Alexandrum III.* Literis de Legatione *Willelmo Papiensi* credita conquestus est *S. Thomas*, eumque Judicem recusavit. *Credimus*, *quidem* (inquit) *non esse Juri consentaneum, nos ejus subire Judicium vel examen, qui quærit commercium sibi facere de sanguine nostro, de pretio, utinam non iniquitatis! quærit sibi nomen & gloriam .... Proinde supplicamus Paternitati vestræ affectuose, [si ei cura est de nobis] ut evacuetur potestas ejus, si quam tamen habet circa nos & negotia nostra. Transferatur malleus iste a nobis, qui potius elegit esse malleator Clericorum obsequendo Principi, quam Regum offensor, consequendo gratiam divinam.* Est Epistola 22. libri 11. Edit. *P. Lupi*.

Scripsit etiam ad *Thomam Cantuariensem Otto* Cardinalis, Legatorum alter, ad eumque misit Clericum suum, arcana quædam renunciaturum. Ad ipsum vicissim Literas fiduciæ suæ testes, & gaudii de ipsius Legatione a se & Coexulibus concepti, dedit S. Archipræsul: quas exhibet Annalium Ecclesiasticorum Parens ad eumdem annum Num. 16. & 17. Est Epistola 18. libri 2. edit. *P. Lupi*.

Alexander III. *Legatorum authoritatem coercet.*

Dum hæc gererentur, *Alexander III.* de rumoribus a *Joanne Oxoniensi* sparsis certior factus, & querimoniis Regis Christianissimi & Ecclesiæ Gallicanæ excitatus, de quibus ad ipsum *Willelmus* Carnotensis Episcopus electus scripserat, semel & iterum scripsit ad Legatos, eorum authoritatem circumscribens, ne ea in Cantuariensem Archipræsulem abuterentur. Vetuit in primis ne conjunctim vel divisim Regnum Anglorum adirent, vel de Regni ejusdem negotiis tractarent, & præsertim de consecrationibus Episcoporum aliquid statuerent, nisi prius Cantuariensis Archiepiscopus Regi ex integro reconciliatus fuisset. Ipsis etiam jussit ut Sancto Archipræsuli, & ejus Ecclesiæ, antiqua Jura & libertates integras & illibatas servarent; & omnem ab ejus animo amaritudinem & suspicionem tollerent: *Joannem* vero *Oxoniensem* plecterent.

* Ep. 21. 32.

Legatorum Collatio cum S. Thoma.

Postquam Apostolici Legati Regem Anglorum adiere, & cum eo de causa *Thomæ Cantuariensis* sunt collocuti, Sanctum Archipræsulem ad Collationem invitarunt, de ipsius negotio habendam *Gisortium* inter & *Triam* in Neustria. Ibi multis Propositionibus ejus animum tentavit Cardinalis Papiensis. Duritiam Regis, malitiam temporis, calamitatem Ecclesiæ exposuit, necnon ipsius Regis querelas de armis Regis Francorum, & Comitis Flandriæ, ejus artibus contra suam Majestatem conversis. Quam accusationem diluit Sanctus Archipræsul cum rationibus optimis, tum Regis Christianissimi testimonio, qui ejus innocentiam coram Legatis Juramenti religione purgavit. Suasere Legati ut humilitate & modestia Regem Anglorum, Dominum suum, placaret. Respondit Sanctus Archipræsul, se Regi omnem humilitatem, obsequium, devotionem exhibiturum, *Salvo honore Dei, & Apostolicæ Sedis, Libertate Ecclesiæ, honestate personæ suæ, & possessionibus Ecclesiarum.* Rogarunt, num vellet Regi polliceri Consuetudinum, quibus usi fuerant ejus Antecessores, confirmationem & observantiam. Quod si præstaret, in Sedem suam, & gratiam Regis, esset ipsorum intercessione restituendus. Respondit *S. Thomas*, se consuetudinum, quæ Ecclesiæ perimebant libertatem, quæ Sedis Apostolicæ Privilegium convellebant, quæ Legi Dei palam adversabantur, nusquam promissurum observantiam; nec eas dissimulaturum, quod non poterat sine periculo Ordinis & salutis. Se tamen fidem Regi, *Salvo Ordine suo*, juratam servaturum. Adjecit Cardinalis Papiensis, melius esse ut Archiepiscopatu cederet, quam ut Ecclesia diutius vexaretur. Respondit Sanctus Archipræsul, se minime cessurum, quod abdicatio sua in ruinam Ecclesiasticæ libertatis vergeret. Quæsierunt, num vellet eorum stare Judicio de quæstionibus, quæ Regem inter & ipsum vertebantur.

Willelmus Papiensis *Legatorum alter Anglorum Regi devotus.*

Respondit *S. Thomas*, Se & suos, Sede, administratione, & bonis omnibus spoliatos, post omnium restitutionem, Summi Pontificis, aut cujus sua Sanctitas juberet, Judicium subituros. Sciscitati sunt rursus, An Episcoporum, qui contra ipsum appellaverant, litem ipsorum Judicio finiri vellet. Respondit S. Archipræsul, Se Romani Pontificis hac de re non accepisse mandatum, nec inopiam suam litium hujusmodi sumptibus satis esse. Ita *Willelmi Papiensis* Anglorum Regi penitus addicti dolosas propositiones prudentissimis responsis elusit. Ista discimus ex Relatione *S. Thomæ Cantuariensis* ad *Alexandrum III.* missa, quæ incipit his verbis: *Miseriarum cumulus*, quam ex Codice Vaticano *Baronius* descripsit ad annum 1168. Numero 38, & ex *Rogerio de Hoveden*, pag. 516. & 517. istius congressus Historiam referente. In fine istius Relationis, S. Archipræsul calamitates Ecclesiæ sub Regis Anglorum oppressione gementis Summo Pontifici exponit, præsertim quod septem Episcopatuum vacantium redditus a multo jam tempore perciperet, nec fineret viduatis Ecclesiis ordinari Pastores. Tum Apostolici pectoris zelum contra tam pravos usus excitat. *Si ista*, inquit, *Pater Optime, dissimulamus, quid in die Judicii respondebimus Christo? Quis Antichristo resistet venienti, si tantam patientiam vitiorum & criminum jam accommodamus præambulis ejus? Talibus enim dissimulationibus insolescunt Potestates, Reges transeunt in Tyrannos, ut Ecclesiæ nullum Jus, nullum Privilegium, nisi de eorum arbitrio censeant relinquendum .... Frustra nobis Siculorum aut Hungarorum proponuntur exempla, quæ nos in die Judicii minime excusarent, si Tyrannorum barbariem præferremus Apostolicis Institutis, & sæcularium insolentiam Potestatum crederemus potius formam esse vivendi, quam Testamentum æternum confirmatum sanguine, & morte Filii Dei.* Est Epistola 30. libri 2. Edit. *P. Lupi*.

Soluta collatione, Legati Apostolici ad Regem Angliæ rediere, eique constantiam Cantuariensis Archipræsulis exposuere, a qua nullis Propositionibus dimoveri poterat. His auditis, Anglicani Episcopi Literas Summi Pontificis legerunt, quibus Cantuariensi Archiepiscopo prohibebat ne Regnum Angliæ Interdicto supponeret, quas per obreptionem extorserat Cardinalis Papiensis. Tum suo, totiusque Regni nomine ad *Alexandrum Tertium* appellarunt, & diem constituerunt appellationi persequendæ, Sedis Apostolicæ ac Legatorum protectionem adversus Archipræsulis gravamina implorantes. Secundum hæc, Legati *Thomæ Cantuariensi* Authoritate Apostolica prohibuere, ne Censuras ullas Ecclesiasticas in Regem, Episcopos & Regnum Angliæ distringeret, donec Sedes Apostolica adiretur, & Summi Pontificis voluntas exploraretur. Ista constant ex Literis Legatorum, quæ incipiunt his verbis, *Innotuit Regi*, quas ex Codice Vaticano descriptas in Annalibus Ecclesiasticis legere est ad annum 1168. Num. 49. Est Epist. 29. lib. 11. Edit. *P. Lupi*.

Legati S. Thomæ prohibent ne Censuras in Regem, aut Regnum ferat.

Ægre tulerunt boni omnes suspensam a Pontifice & a Legatis authoritatem Cantuariensis Archiepiscopi, in dispendium evidens Ecclesiasticæ libertatis. Quo de vulnere apud Summum Pontificem & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quorum plurimi ab Anglorum Rege muneribus corrupti dicebantur, Sanctus Archipræsul gravissime conquestus est, datis ad eos Literis, quas Annalium Ecclesiasticorum Conditor ex Vaticano Codice descriptas exhibet ad annum 1168. Num. 50. & 53. In ea quam scripsit ad Cardinales, hæc habet inter alia: *Quis erit de cætero vigor in membris, si capitis ipsius robur emarcuerit? Jam certe clamitatur in plateis, prædicatur per civitates & vicos, quia non fit Justitia Romæ de Potentibus. Ut quid sepiis vineæ nostras spinis? Cur objicitis nobis offensionis lapidem? Ut quid tollitis nobis omnem nostram authoritatem, ne vindicemus injuriam Christi, ne compensemus Ecclesiæ jacturam, prout nunc possumus, Ecclesiastica saltem Censura? .... Certum tenete, expectatio ista plurimum habet periculi, salutis nihil. Aliàs* * *curandus est is morbus, si non per dissimulationem vestram vultis infici Reges universæ terræ. Dulcis enim est omni Tyranno amara servitus Ecclesiæ, nec tolli facilis, si non fit*

S. Thomas *datis ad Cardinales Literis de suspensione authoritatis suæ conqueritur.*

* *Alia ratione.*

et

ei citissimo ipsa sua dulcedo amara severitate Justitiæ..... Resumite vires, accingimini gladio Verbi Dei Potentissimi; exerite gladium Beati Petri, injuriam Christi vindicate & suorum, nulli parcat oculus vester. Facite judicium & justitiam sine dilatione omni patienti injuriam. Hæc est via regia, hæc est via quæ ducit ad vitam. Hac vobis incedendum est, ut sequamini vestigia Christi, vestigia Apostolorum, quorum estis Vicarii. Non simulatione, aut ingenio regenda est Ecclesia, sed justitia & veritate, quæ se observantem liberat ab omni periculo.* Est Epistola 46. libri 1. Edit. *P. Lupi*.

* *Id est Politica humana, & prudentia carnis.*

Summus Pontifex Legatos revocat.

Justis Sancti *Thomæ Cantuariensis* querimoniis, commotus *Alexander III.* Legatos in Urbem revocavit. Anglicani Episcopi Appellationem Sancto Primati significandam interim curarunt. Eorum Nuntios non recepit *S. Thomas*, quod cum excommunicatis communicassent. Cardinalis Papiensis omnes ab ipso excommunicatos absolvi decrevit, hancque Norvicensi & Cicestrensi Præsulibus demandavit provinciam. De absolutione præpostera apud *Alexandrum III.* conquestus est *Joannes Saresberiensis*, datis ad ejus Sanctitatem Literis, in quibus hæc animadversione digna: *Fateor, & verum est, omnia Romano licere Pontifici, sed ea dumtaxat quæ Jure Divino Ecclesiasticæ sunt concessa potestati. Liceat ei nova Jura condere, vetera abrogare, dum tamen ea quæ a Dei verbo in Evangelio vel Lege perpetuam causam habent, mutare non possit. Ausim dicere, quod nec Petrus quemquam perseverantem in scelere & voluntate peccandi possit absolvere: nec Claves accepit, quibus januam Regni possit Impœnitentibus aperire. Unde ergo illi hæc data potestas?* (Epist. 60. lib. 2. Edit. *P. Lupi*.) Hæc ut primum novit Pontifex, jussit Legatis, ut eos qui Cantuariensis Ecclesiæ, vel Clericorum ejusdem bona detinebant, ad satisfactionem compellerent: contumaces nova excommunicatione constringerent, si ab ea fuissent absoluti, quam in eos Cantuariensis Archiepiscopus tulerat.

Cardinalis Papiensis excommunicatos a S. Thoma *jubet absolvi.*

Joannis Saresberiensis *apud Alexandrum III. querimoniæ.*

Romanus Pontifex ea quæ juris sunt divini immutare non potest.

Cardinales Legatos imminente discessu pœnituit quod ad Regis voluntatem Ecclesiæ causam nimis depressissent. Quamobrem ejus Majestatem *Otto* primum, deinde *Wilhelmus Papiensis* convenere, urgentes ut Archiepiscopo Cantuariensi pacem, reditum ad suam Ecclesiam, bonaque restitueret. Sed ejus pertinaciam vincere minime potuerunt. Consuetudinum enim observantiam constanter exegit, quas Antecessores suos habuisse constaret Juramento centum hominum ex Anglia, centum ex Normannia, & centum ex Andegavia & aliis ditionibus suis. Quæ conditio si Archiepiscopo Cantuariensi displiceret, paratum se dixit stare arbitrio tum Episcoporum Angliæ, tum Cismarinorum. Quod si nec istud gratum esset, in Judicio Summi Pontificis acquieturum, ea conditione ut filii sui avitis Juribus non privarentur. Circa restitutionem redituum Ecclesiasticorum, nullo se vexari scrupulo respondit, quod Ecclesiis & pauperibus, quidquid perceperat, erogasset. Ita re infecta Cardinales abiere; ut refert *Joannes Saresberiensis* in Epistola ad Archidiaconum Exoniensem, 108. inter Epistolas *S. Thomæ* lib. 2. Edit. *P. Lupi*.

Epist. 24.

Legati Apostolici Regem Angliæ officii admonent ante discessum.

Post discessum Legatorum Apostolicorum, *Ludovicus VII.* Rex Christianissimus sequestrem se pacis Regem Anglorum inter & Cantuariensem Archipræsulem interposuit. Colloquium *Henrici* Regis cum Sancto Archiepiscopo decretum est. *Thomas*, prout inter ipsum & Regem Francorum conventum fuerat, ad pedes Regis Angliæ procidit, dicens: *Totam causam, unde inter nos orta est dissensio, tuo committo arbitrio, honore salvo Dei.* Hac restrictione Rex offensus est, & Sancto Archipræsuli superbiam & ingrati animi vitium exprobravit. Tum ad Regem Francorum conversus, ait: *Domine mi, attende si placet. Quidquid ipsi displicuerit, dicet honori Dei esse contrarium, & mea omnia sibi vendicabit. Sed ne videar honori Dei, vel sibi in aliquo valde resistere, hæc offero: Quod Antecessorum suorum major & sanctior fecit Antecessorum meorum minimo, hoc mihi faciat, & quiesco.* Visa est æqua conditio. Rex Christianissimus Cantuariensem Archiepiscopum ursit, ut eam absque restrictione acciperet. Renuit ille magna constantia, nefas esse dicens clausulam illam silentio premere, *Salvo honore Dei*, cum Apostoli passi sint, quia nomen Christi subticere nolebant. Utriusque Regni Proceres Sanctum Archipræsulem proterviæ & superbiæ accusarunt, & utriusque Regis auxilio proclamarunt indignum, qui neutrius consilio aut voluntati morem gereret, ac paci obicem solus apponeret. Soluto colloquio, Regis Francorum animus a *S. Thoma* nonnihil alienatus est, adeo ut nec solita subsidia ipsi subministraret, metuendique ratio esset, ne illum cum suis e Regno ejiceret. Sed res in contrarium cessit, Deo cor Regis infra triduum immutante. Vocato enim Sancto Archipræsule, ad pedes ipsius procidit, admirando humilitatis exemplo voceque singultibus intermixta veniam petiit, & absolutionem a peccato. „ Vere, *inquit*, „ Domine mi Pater, tu solus vidisti. Nos enim cæci fuimus, qui contra Dominum dedimus tibi consilium, ut in causa tua, immo Dei ad nutum hominis honorem Dei remitteres. Pœnitet nos, Pater, & graviter pœnitet. Ignosce rogo & ab hac culpa me miserum absolve. Sed & Deo, & tibi me ipsum & Regnum meum expono. Et ab hac hora promitto quod tibi vel tuis non deero, quamdiu Deo authore vixero. „ Data Regi benedictione, Senonas regressus est *S. Thomas*, ubi Religiosissimus Princeps victum ipsi & omnia necessaria regali munificentia exhibuit, usque dum in Angliam reversus est. Id molestissime tulit Rex Anglorum, per se non stetisse dicens, quin pax componeretur; sed Archiepiscopum Cantuariensem ipsam arroganter & contumeliose rejecisse. Quamobrem illum a Rege Francorum in sui dedecus & injuriam deinceps foveri ac defendi. Cujus Nuntiis hoc Responsum dedit Christianissimi Regis magnanimitate & pietate dignum Ludovicus VII. „ Si Rex Angliæ avitas Consuetudines licet minus (ut ajunt) divinæ legi congruas, tamen ut ad Regiam Dignitatem spectantes, non sustinet abrogari: multo minus mihi licet Jus illius liberalitatis subvertere, quod cum Corona Regni Jure mihi competit hereditario. Consuevit siquidem Francia ab antiquis temporibus omnes miseros & afflictos, & maxime pro Justitia exulantes recipere, & donec pacem habuerint fovere, tueri, & defendere. Cujus honoris & Excellentiæ gratia, Deo propitio, me vivente, ad nullius personæ suggestionem Cantuariensi Exuli derogabitur „. Illa constant ex Vita *S. Thomæ* lib. 2. cap. 27. & 28. Edit. *P. Lupi*; ex *Gervasio Dorobernensi* in Chronico pag. 1406. & 1407. ex ipso *S. Thoma* in Epistola ad *Humbaldum* Cardinalem, in qua Regem Christianissimum *Virum Deo plenum* prædicat. „ Vir, *inquit*, Deo plenus respondit, se hoc jus hereditarium ab Antecessoribus contraxisse, & semper fuisse Consuetudinis Regni Francorum, ut omnes pro Justitia Exulantes benigne reciperet, & eis debita humanitatis solatia impenderet. Et dixit se numquam tam laudabilem hereditatem & Deo gratam, ex causa qualibet deserturum. Adjecit etiam quod nos receperat de manu Domini Papæ, quem solum in terris habet Dominum (in spiritualibus, nam in temporalibus Rex Francorum nullum præter Deum Dominum agnoscit.) „ Et ideo nec pro Imperatore, nec pro Rege, nec pro aliqua Mundi Potestate dimissurum, quin foveat nos & causam nostram, quamdiu necesse fuerit, quoniam Deus nobiscum est, & pro tuenda Lege ipsius tot injurias & damna sustinemus. *Est Epist. 79. lib. 3. Edit.* P. Lupi.

Ludovic. VII. *se pacis sequestrem inter S.* Thomam *& Anglorum Regem interponit.*

Regis Francorum pietas & humilitas.

Pietas & munificentia erga eos qui pro Justitia exulant & patiuntur, Jus hereditarium est Regum Francorum.

Novos interim conatus adhibuit Rex Anglorum, ut *S. Thomam Cantuariensem* dejiceret. Novos idcirco Romam destinavit Oratores, Regis Siciliæ authoritatem interposuit, præcipuas Italiæ civitates, Mediolanum, Cremonam, Parmam, Papiam, Bononiam, & potentissimas Romæ familias magnificis promissis tentavit, ut Summum Pontificem contra *Thomam* commoverent, & ab ejus obtinerent Sanctitate, ut eum a Galliis, asylo tutissimo, dimoveret, Romamque evocaret, utque ipsum ad alium Archiepiscopatum transferret. Id constat ex Literis *S. Thomæ* ad *Humbaldum* Cardinalem, mox laudatis, quas ex codice Vaticano repræsentat *Baronius* ad annum 1169. num. 3. Petitiones injustas repulit *Alexander III.* Vias tamen pacis iterum tentandas arbitratus est

Nova Regis Anglorum ad Romanum Pontificem Legatio.

Novam Legationem in Angliam decernit. Alexand. III.

est si forte flecti posses Regis Anglorum animus. Ideo novos Legatos ad ipsum misit, anno 1169. *Gratianum* Eugenii III. nepotem, & *Vivianum* Romanæ quondam Ecclesiæ Advocatum; jussitque Sancto Archipræsuli, ut ad eorum usque discessum a ferendis in Regem, in personas Regni, vel totum Regnum censuris abstineret, ac si quas tulisset, suspenderet, ut omnis conquerendi occasio Regi tolleretur. Cæterum si Legati redirent infecta pace, eum deinceps omni authoritate sua usurum. De hac Legatione extant *Alexandri III.* Epistolæ ad *Thomam Cantuariensem*, & ad *Henricum II.* Angliæ Regem, 25. & 26.

Apostolicorum Legatorum gesta cum Anglorum Rege.

Multoties cum Anglorum Rege congressi sunt Apostolici Legati. De absolutione Clericorum in ipsius Aula ab Archiepiscopo Cantuariensi excommunicatorum mota quæstio est. Illos absolvere Legati recusarunt, nisi prius de bonis Cantuariensis Ecclesiæ restituendis juramentum præstarent. Rex institit ut absque juramento absolverentur. Quin etiam de Summo Pontifice conquestus minatus est. *Gratianus* honeste quidem, sed constanter & intrepide respondit: *Domine, noli minari: Nos enim nullas minas timemus; quia de tali Curia sumus, quæ consuevit imperare Imperatoribus & Regibus.* Consensere tandem Legati studio pacis & restitutionis Cantuariensis Archiepiscopi, ut absque juramento Clerici excommunicati absolverentur. Petiit Rex ut in Angliam ambo, vel alteruter transfretarent, excommunicatos absoluturi; aut saltem e suis Clericis aliquem illuc mitterent, cui ipse ante reditum omnes Ecclesiæ & exulum facultates redderet. Recusarunt illi. De formula pacis scribenda, Legatos inter & Regem atque Episcopos actum est. Rex postulavit ut in conventionis Formula scriberetur *Salva Dignitate Regni sui*. Conditionem Legati Apostolici rejecere, quia hac inserta clausula, Rex Consuetudines Anglicanas, mutato dumtaxat nomine evicisset. Ne tamen paci ponere obicem viderentur, hoc proposuere medium, ut hæc verba: *Salva Libertate Ecclesiæ*, in Pactis scriberentur; qua conditione & ipsi hæc scribi permitterent, *Salva Dignitate Regni*. Anglis non placuit Propositio. Sed inter ipsos inter & Legatos conventum est, ut Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiam suam & reditus cum integritate reciperet, sicut ante exilium habebat, & ejus Clerici & amici similiter sua, nulla hinc inde adjecta conditione. At Rex propositionem hujusmodi gratam non habuit, verba illa *Salva Dignitate Regni*, Pactis inseri pertinaciter postulans. Re itaque infecta, Romam redit *Gratianus*. Remansit apud Regem Angliæ *Vivianus* Legatorum alter, vana spe componendæ pacis ab eodem deceptus. Qui data occasione colloquii inter Sanctissimum Angliæ & Christianissimum Francorum Regem ad *S. Dionysium* indicti, *S. Thomam* Cantuariensem hortatus est ut Parisios se conferret: quo de ipsius pace tractari posset commodius. Anglorum Regi ad Montem Martyrum* occurrit Sanctus Archipræsul, rogavitque ejus Majestatem, Rothomagensi & Sagiensi Episcopis Mediatoribus, ut sibi suisque pro amore Dei & Domini Papæ, gratiam suam, pacem, possessiones, & ablata restitueret, paratum se esse contestatus ad exhibendum ejus Majestati, quidquid Archiepiscopus Principi debet. Respondit Rex Anglorum, se ex animo condonare offensas & querelas, si quas contra Cantuariensem Archipræsulem habuerat, & de his quæ contra se proponeret Archipræsul, paratum esse stare *Dicto Curiæ Domini sui Regis Francorum, vel Judicio Ecclesiæ Gallicanæ, aut scholarium Parisiensium:* (id est, Magistrorum Sacræ Facultatis Parisiensis.) Reposuit Cantuariensis Archipræsul, se *Curiæ Domini Regis, si ei placeret, aut Gallicanæ Ecclesiæ non refutare Judicium: malle tamen cum illo amicabiliter componere, quam litigare.* Conditiones proposuit ejus Majestati, ut Ecclesiam, & possessiones sibi suisque ablatas, & gratiam & pacem & securitatem præstaret in osculo pacis. Mobilium vero medietatem Ecclesiæ restitueret. Subscribere noluit Rex *Henricus* ei conditioni, ut Archipræsulem Cantuariensem osculo pacis donaret. Quamobrem Rex ipse Christianissimus *Thomæ* author fuit; ut ab homine, qui totus ad fraudem compositus erat, sibi caveret, nec absque osculo, quasi sigillo pacis, in Angliam reverteretur. Pace itaque infecta, discessere. Ita constant ex Historia Quadripartita, ex Relatione Amici ad *S. Thomam*, quam ex Codice Vaticano describit Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum 1169. num. 12. & est Epistola 6. libri 13. ex Relatione *S. Thomæ* ad *Willelmum* Archiepiscopum Senonensem missa, quam exhibet Eminentissimus idem Author num. 28. & est Epistola 61. lib. 3. Edit. *P. Lupi*, & ex *Gervasio Dorobernensi* in Chronico, pag. 1408.

Gratiani Apostolici Legati magnanimitas.

Formulam, Salva Dignitate Regni, Legati Apostolici & Thomas Cantuariensis Archipræsul rejiciunt.

* Montmartre.

Rex Anglorum Curiæ Regis Francorum, vel Ecclesiæ Gallicanæ, aut Sacræ Facultatis Parisiensis Judicio stare se velle profitetur.

S. Thomas Cantuariensis Curiæ Regis Christianissimi, aut Ecclesiæ Gallicanæ Judicio causam suam se lubenter commissurum respondet.

Plerisque visam est delicatiorem fuisse Legatorum Apostolicorum & Sancti Cantuariensium Archipræsulis cautionem. Ita sensit *Bernardus* Nivernensis Episcopus, quem Legatione Apostolica in hac *S. Thomæ* Cantuariensis causa postmodum *Alexander III.* ornavit. Sic enim ad eumdem Pontificem scripsit: „ Postmodum vero revocato, quem præbuerant consensu, verbum conservandæ in posterum Regiæ „ Dignitatis admittere noluerunt, ea quæ utiliter & „ & provide ordinata fuerant, exequi recusantes, „ tamquam in hoc verbo aliquid Ecclesiasticæ Dignitati derogaretur, cum omnibus sanius & recte „ intelligentibus videatur, quod Dignitas Regia Ecclesiasticam provehat potius, quam minuat Dignitatem, sicut versa vice Ecclesiastica libertas Regiam adornat & veneratur Majestatem. Est enim „ in his duabus rebus firmissimus amicitiarum nodus & amica connexio, cum & Regiam Excellentiam Dignitas Ecclesiastica provehat, & pacem „ Ecclesiasticam Regia conservet authoritas. Nos „ itaque Paternitatis vestræ genibus advoluti, quanta possumus supplicatione, Pietatem vestram exoramus; ne in tanto rerum discrimine literarum „ apices, & verborum conceptiones potius, quam „ ipsam amplecti velitis veritatem, sed juxta datum „ vobis a Deo discretionis & consilii spiritum dormitet aliquantulum apud vos severitas disciplinæ, ut „ magis proficiat benignitas & mansuetudo gratiæ: „ & causa unius, sicut pium Patrem decet, multorum aut certe innumerabilium discrimen & periculum præferatis. (Inter Epistolas *S. Thomæ* 22. lib. 3. Edit. *P. Lupi*.)

Legatorum Apostolicorum & Cantuariensis Archiepiscopi cautio plerisque delicatior visa est.

Idem pene scripsit pacis Ecclesiasticæ studiosissimus Normanniæ Clerus: „ Postmodum, *inquit*, revocato consenso, verbum conservandæ in futurum Regiæ Dignitatis admittere noluerunt cum „ Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Religiosæ personæ, Optimates Regni, qui aderant, pro bono „ tantæ pacis multis precibus institissent, quoniam „ in observatione Regiæ Dignitatis nullatenus videbatur nobis libertas aut dignitas Ecclesiastica „ prægravari. Siquidem dignitas Ecclesiastica Regiam provehit potius quam adimat dignitatem, „ & Regalis dignitas Ecclesiasticam conservare potius consuevit, quam tollere libertatem. Etenim „ quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas „ Ecclesiastica & regalis occurrunt. Cum nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine „ protectione Regia consequatur. Est inter Epistolas *S. Thomæ* a *P. Lupo* editas 23. libri 3.

At Legati Apostolici, in his verbis, *Salva dignitate Regni sui*, fraudem latere suspicabantur, ac jure metuebant ne damnatas ab Apostolica Sede Consuetudines, & Ecclesiasticæ libertati infensas, hac formula tueri vellet, earumque observantiam exigere. Quo circa *S. Thomas* Dignitatem Regni se conservaturum lubentissime pollicitus est, hac tamen prudenter adjecta clausula: *Salvo ordine meo, & fidelitate Romanæ Ecclesiæ.* Quæ cautio cum Regi accepta non esset, infecta pace discessum est, ut constat ex Epistola *Viviani* Cardinalis ad *Alexandrum Tertium* inter Epistolas *S. Thomæ* a *P. Lupo* editas 27. libri 3. Et ex Epistola 54. S. Archipræsulis ad eamdem Pontificem: *Item dicit Rex se non controversatum esse de Consuetudinibus suis, quas tamen mutato duntaxat verbo, sibi servari petit nomine dignitatum. Et ego quidem dignitates Regni libenter servabo, sicut sæpius obtuli*, salvo ordine meo, & fidelitate Ecclesiæ Rom. *Sed ut novam Juramenti formam in Ecclesiam inducam, authore Deo, & Pietate vestra mihi prospiciente,*

te, nulla necessitate induci potero. Nam quod a me nunc obtinebit, ab omnibus Episcopis & Ecclesia tota indubitanter exiget. Observationem Canonum, sed nec Evangelii Mandata se impleturos aliqui jurare compelluntur; certe nec tutum esset; Et Episcopi ad observantiam Consuetudinum vel Dignitatum arctabuntur, inaudito exemplo, Juramenti necessitate? Forma Fidelitatis exigit in Ecclesia Gallicana & Anglicana, ut Prælati Ecclesiarum Principibus jurent se servaturos eis Fidem, in indemnitate vitæ, membrorum, honoris terreni, salvo ordine suo: *Et hæc forma etiam in exprobis Consuetudinibus ejus inserta est. In hac forma juravi, & me jurasse publice profitebor, & hac debet esse contentus. Nec ego in hac parte transgrediar temere terminos a Patribus constitutos.* Idem scribit ad Ostiensem Episcopum, ad *Hyacintum*, & *Willelmum Papiensem*, Cardinales, Epistolis 55. 56. & 57. lib. 3.

Edictum Regis Angliæ contra Ecclesiæ libertatem.

Abjecta spe pacis, Rex Christianissimus, & Archiepiscopus Senonensis, *Alexandrum III.* obsecrarunt, ut in Regnum Angliæ ferret Interdicti Sententiam; unicum illud scribentes superesse medium, quo Rex *Henricus* ad pacem Ecclesiæ & Archiepiscopo Cantuariensi concedendam compelli posset. Id metuens vehementer Princeps obstinatus, Edictum Ecclesiæ cumprimis injuriosum & incommodum promulgavit, cujus hæc erant capita. *Primum*, Ut si quis Literas Romani Pontificis, vel Cantuariensis Archiepiscopi, aut aliquod ipsorum de Interdicto Mandatum in Angliam ferens deprehenderetur, in Carcerem conjiceretur, ac plecteretur ut Regis & Regni proditor. *Secundum*, Ut quicumque Sententiæ interdicti paruissent, cujuscumque essent Ordinis, e Regno cum omni cognatione sua expellerentur, bonis ipsorum Fisco addictis. *Tertium*, Clericis omnibus qui extra Regnum versabantur, diem dicebat, quo redire tenerentur, sub pœna proscriptionis bonorum, & exilii perpetui. *Quartum*, Appellationes ad Romanum Pontificem, vel ad Cantuariensem Archiepiscopum prohibebat, & ne Placita eorum Mandata tenerentur, pœna carceris & captionis bonorum in transgressores constituta, cujuscumque essent Ordinis. *Quintum*, jubebat inquiri an Laici transfretantes, vel ex transmarinis Provinciis redeuntes aliquod ferrent Mandatum contra honorem Regis: & ut hujusmodi Mandatorum aut Epistolarum latores carcere damnarentur. *Sextum & Septimum*, idem servari jubebant erga Clericos, & Canonicos, vel Monachos, quibus & transfretare vetabant absque Literis. *Octavum*, omnes Walenses, seu Clericos, seu Laicos, qui absque Literis Regis in Angliam appellerent, capi ac detineri decernit; quotquot vero in Scholis Angliæ studiis vacabant, e Regno ejici. Hoc Edictum doctissimus Cardinalis *Baronius* conditum ac promulgatum scribit anno 1164. quo & illud describit in Annalibus Num. 73. & sequentibus: eumdemque Eminentissimum Scriptorem sequitur Author Vitæ *S. Thomæ Cantuariensis* Gallice editæ Parisiis anno 1674. Verum illud ante annum 1169. conditum ac promulgatum non fuisse, probat *Gervasii* Dorobernensis seu Cantuariensis, Monachi Benedictini, supparis Authoris, qui scilicet floruit anno Christi 1200. testimonium. Hoc Edictum post Vitam *S. Thomæ* Edit. *P. Lupi* pag. 167. & sequentibus legere est.

Cardinalis Baronii *Anachronismus.*

Novos Legatos mittit Alexander III.

Alexandri III. Epist. 29.

Eodem anno, Summus Pontifex *Alexander III.* maxima semper œconomia & lenitate erga Regem Anglorum usus novam Legationem ad ipsum decrevit, cujus munus demandavit *Simoni* Priori *de Monte Dei*, & *Bernardo de Corila*, qui primum commonitorias, deinde, si opus esset, comminatorias Literas ejus Majestati traderent; quæ incipiunt his verbis, *Quam paterne*. Legati Regem adiere cum Rege Francorum colloquium habentem, traditisque commonitoriis Papæ Literis, Archipræsuli Cantuariensi persuaserunt, ut Regem humilitate, precibus & obsequiis promereretur ac flecteret. Paruit *S. Thomas*, & flexis genibus, pacis compositionem Deo ac Regi se penitus permittere contestatus est, hac adjecta clausula, *Ad honorem Dei*. Illam respuit Rex *Henricus*; ne videretur (inquiebat) ab honore Dei servando alienus, cum ad eum servandum Archiepiscopus propensissimus esset. Porro nihil aliud se postulare significavit, nisi ut in verbo veritatis promitteret, se sine omni malo ingenio servaturum Consuetudines, quas Sancti Archiepiscopi Cantuarienses Regibus suis servaverant, & quarum ipse observationem alias promiserat. Respondit S. Archipræsul, se fidelitatem juratam ejus Majestati servaturum, id est, *vitam, membrum, & honorem terrenum salvo Ordine suo*. Immo pro Ecclesiæ pace, & ejus gratia recuperanda, promisit se *Consuetudines illas, quas Sancti Antecessores sui Regibus servaverunt, salvo Ordine suo, et servaturum, quatenus secundum Deum posset*. Rex conditionem recusavit, absolutum de servandis Consuetudinibus Juramentum exigens. Cum autem nihil apud ejus Majestatem commonitoriæ Summi Pontificis Literæ promovissent, comminatorias ipsi paulo post Apostolici Legati tradidere; apud ipsum institere vehementius, ut Archipræsuli Cantuariensi gratiam suam restitueret, ac liberam Ecclesiæ suæ dispositionem illi permitteret: sed ipsorum preces ambiguis responsionibus elusit. Constant ista ex Relationibus Legatorum ad *Alexandrum III.* ex Codice Vaticano descriptis ab Illustrissimo Cardinali *Baronio* ad annum 1169. Num. 39. & 43. quæ sunt Epistolæ 8. & 10. libri 4. Edit. *P. Lupi*.

Regem Angliæ, in neganda pace pertinaciorem reddebat securitas ipsi a Summo Pontifice concessa contra Censurarum Ecclesiasticarum fulmina, & suspensa Cantuariensis Archiepiscopi, quoad earum inflictionem, authoritas. Qua de re ita scripserat ad ejus Majestatem Alexander III. * *Eidem quoque Archiepiscopo, ne te, aut tuos, seu Regnum gubernationi tuæ commissum, donec causæ illæ debitum sortiantur effectum, in aliquo gravare, vel turbare, aut inquietare attentet, omnimodis inhibemus. Verum si præfatus Archiepiscopus in te, aut Regnum tuum, vel personas Regni, interim aliquam Sententiam tulerit, nos eam irritam esse, & non te tenere censemus. Ad indictionem autem hujus rei & argumentum nostræ voluntatis, Literas præsentes, si articulus ingruerit necessitatis, ostendas. Alioquin Serenitatem tuam rogamus, & attentius commonemus, ut Literas ipsas aut earum tenorem a nullo sciri permittas, sed eas habeas omnino secretas.* Hac œconomia erga Regem potentissimum utendum visum est prudentissimo Pontifici, & potius leve aliquod vulnus Ecclesiasticæ Disciplinæ inferendum, quam intempestivis Censuris impellendum in Schisma cum toto Regno. Dei patientiam imitatus est, quæ peccatores ad Pœnitentiam adducit. Et quamvis a Cantuariensi Archiepiscopo Regem juste excommunicari, & Regnum Interdicto supponi posse non dubitaret; ejus tamen zelum cohibendum censuit ad tempus, ne graviora mala orirentur, & multarum animarum pernicies. Ita tamen se gessit, ut Sancti Archipræsulis authoritatem deprimi nollet. Unde Regem monuerat, ne Literas illas publicaret absque necessitate. Verum ejus monitis non paruit; sed ostentatione maxima Literas Apostolicas protulit. Quod non solum Sanctum Archipræsulem afflixit, sed Regem Reginamque Francorum, nonnihil commovit adversus Pontificem Maximum, cujus œconomia justitiam opprimere videretur.

*Epist. 30. *Hanc refert* Rogerius de Hoveden *pag.* 515.

Alexandri Tertii œconomia prudens erga Regem Anglorum.

Et quidem Rex Christianissimus ita ad *Alexandrum III.* scripsit † *Tenemus firmiter & recolimus, quia D. Cantuariensem, Virum probatum, pro Ecclesia Dei exilium ferentem, nobis per manum tradidistis. Et nos eum sicut commendatum vestrum habemus, & non quantum volumus, ipsi proficimus, sed libenter & ex devoto corde eum honoramus. Recordamur etiam, quia ipsum in discessu vestro commendavimus vobis, & cum magna precum instantia petebamus, ut eam foveritis, ut eum Exulem vestrum misericorditer respiceretis. Sed, sicut dicitur & nostram commendationem & exilium ejus postposuit sollicitudo vestra. Sciatis autem quod nimis turbato animo portaremus ea, quæ dicuntur facta esse, sicut in Normannia & Anglia, & etiam in Francia prædicatur, nisi eamdem emendare satageret vestra Sinceritas. Sciatis etiam quia multi scandalizantur, & in eo quod factum esse dicitur, Paternitatem vestram culpare & notare non dubitant. Nos ipsi admodum indignantes miramur, & magis mirabimur, nisi Integritas vestra, ea quæ dicuntur, falsa esse ostenderit. Et pro ipsius calamitate tam longa, & pro tollenda infamia ista, expediret Vobis & Curiæ in brevi quip-*

Rex & Ecclesia Gallicana causam Ecclesiasticæ libertatis, & S. Thomæ Cantuariensis *pro virili tuentur.*

piam

piam & super hoc facere ex novo & virili consilio. (Epist. 18. lib. 4. Edit. *P. Lupi*.)

Scripsit etiam Piissima Regina *Ludovici VII.* conjux ad Summum Pontificem literas Justitiæ & Ecclesiasticæ libertatis studium, reverentiam & caritatem in Ecclesiam Romanam, & in Sanctum Archipræsulem Cantuariensem spirantes. *Verbis*, inquit, *sicut Patri loquar & Domino, cujus honorem Dominus meus Rex & ego, & totum Regnum nostrum desideramus ut proprium: quia vester honor noster est, & confusio vestra, quam Deus avertat, nostra. Qui vos in Patrem suscepimus & Dominum, & in circuitu nostro frementium Regum, & animam vestram quærentium, pro Deo & vobis contempsimus inimicitias. Audite, si placet, filiam vestram, & in eo quod dictura sum, non sexum contemnatis fœmineum, sed amantis attendatis affectum. Anno præterito gravissimum in Ecclesia Gallicana scandalum fecit Joannes de Oxeneford, qui suo perjurio de Romana tam facile triumphavit Ecclesia. Secuti sunt eum Cardinales, quorum bona opera nondum audita sunt in terra nostra, & utinam mala silentio tegerentur! Unde & scandala multiplicata sunt. Nunc autem per novissimos suos Nuncios obtinuit Rex Angliæ Literas, [si tamen adulteratæ non sunt] Patentes, quibus statuistis, ut Cantuariensis Archiepiscopus, qui jam quadriennio pro justitia exulavit, Sententiam ferre non possit in eum, vel in terram ejus, nec gravamen inferre alicui personæ de terra sua, donec in ipsius gratiam restituatur. Nonne, Pater, ex his literis habere videtur authoritatem impune peccandi, & Archiepiscopum perpetuo proscribendi? Nam de cætero in arbitrio ejus erit eum recipere. Hinc adeo scandalizata est apud nos tota Ecclesia, ut magis turbari non possit: quia malum exemplum omnibus Principibus datum est. Dominus meus Rex, cui Archiepiscopum tradidistis, turbatur plurimum, quod inter manus ejus, si tamen in hac sententia persliteritis, Innocens jugulatus. Dolet Regnum totum, quod apud vos prævalent hostes nostri. Expectat adhuc Dominus meus Rex exitum promissionis vestræ quam nisi citius viderit adimpleri, quid de Romana Ecclesia sperare debeat, edocebitur, & posteri sui.* Est inter Epistolas, *S. Thomæ a P. Lupo* editas 19. libri 4. Nec solum Principes, sed & Episcopi Gallicani oppressam a Rege Anglorum Ecclesiæ libertatem vehementer doluerunt, eum seu Tyrannum habuerunt, *S. Thomæ* causam susceperunt, ad Summum Pontificem, qui eam pene deserere videbatur, aut certe non satis urgere, & nimia adversus Regem Anglorum œconomia uti, acerrimas literas dedere. Ita scripsit *Stephanus* Meldensis Episcopus: *Crebrescunt, Pater, scandala temporibus nostris. Sed væ illi per quem scandalum venit. Si enim præcipitio & mola asinaria dignus est & profundo, qui unum de Christi parvulis scandalizat, quod meretur Judicium, quas in se provocat pœnas, qui totam Ecclesiam Dei scandalo replet, Sanctorum corda percellit, ut si fieri posset, a fidelitate & devotione Sedis Apostolicæ moveantur Electi? Et quidem Joannes de Oxeneford anno præterito gravi scandalo collisit Ecclesiam, qui Domini Cantuariensis excommunicatos, persistentes in scelere suo, quod omnibus notum est, sine omni non dico satisfactione, sed etiam sine satisfactionis imagine fecit absolvi. . .. Cæterum scandalum illud, licet maximum fuerit, jocus erat præ his, quæ Regis Angliæ Nuncii nuper attulerunt, & quod omnium Fidelium vestrorum corda magis exulcerat, in colloquio Regum novissime publicata sunt. Lecta enim sunt literæ, quibus Dominus Cantuariensis, vir literarum eruditione & morum honestate, sed magis pro causa Domini & libertate Ecclesiæ, cujus assertor est, venerandus, potestate debita coercendi subditos privatus est, donec redeat in gratiam Regis illius, cui gratus esse non poterit, nisi Deo ingratus sit, & infidelis Apostolicæ Sedi, & toti perniciosus Ecclesiæ. Confusus est Christianissimus Rex in verbo isto, stupuit Ecclesia Gallicana. Principes doluerunt, quod tantum prævaluit apud vos manifestus hostis Regni Francorum, universalis Ecclesiæ persecutor, incentor schismatis, quoad potuit, & fautor hæreticorum . . . . Dominus noster Rex quantum motus sit, quod tantum acquievistis Ecclesiæ Persecutori & hosti suo, non facile dixerim, ne referenti vestra Sanctitas indignetur; sed certum est hoc scandalum sedari non posse, nisi citam adhibueritis medicinam. . . . Placeat itaque Majestati vestræ in consolationem Domini Cantuariensis, immo in sublevationem Ecclesiæ, mitigare animam ejus, & Ecclesiam Gallicanam a tanto scandalo liberare. Quod utique fieri posse non arbitror, nisi absolvatur innocens, & impius vinciatur . . . . . Verendum est ne alii Principes in destitutione Ecclesiæ hoc exemplo similia præsumant, & quoties a Christi Sacerdotibus corripiuntur, ora eorum nitantur occludere, & ministerii detrahere potestatem.* Est inter Epistolas *S. Thomæ a P. Lupo* editas, 20. Libri 4.

Antea scripserat idem Præsul: *Licet non sit Discipulus super Magistrum, Judiciaque Pastorum ovibus veneranda sint, non retractanda, non tamen erit incongruum, si patri filius in causa pietatis supplicet, & bonum Dominum pro bono pacis humilis servus instanter interpellet. Novit non solum Romana, sed & omnis Catholica Ecclesia, quam injuste Dominus Cantuariensis exulet, quam inique vapulet, de quam bono opere lapidetur. Et quod dum Ecclesiæ verus nititur esse filius, hostibus Ecclesiæ factus est hostis publicus . . . Filiali igitur devotione postulamus, ut erga Dominum Cantuariensem indefessam & solidam, solitamque geratis circumspectionem . . . . Et Domini Regis, & totius Ecclesiæ Gallicanæ vobis & conservetis benevolentiam & augeatis amicitiam.*

Scripsit & N. Senonensis Thesaurarius: *Præcepistis, Pater, ut Domino nostro Christianissimo Regi consilii vestri verbo proferrem, & erigerem mentem ejus, data spe relevationis Domini Cantuariensis, ne moveretur, si forte audiret Nuncios Regis Angliæ grave aliquid contra eumdem Archiepiscopum a vobis impetrasse . . . . Sed ecce occasione literarum, quas Rex nuper fecit in Episcoporum colloquio publicari . . . . adeo confusus & turbatus est, ut me in vestra promissione mendacem dicat, & quod de opesibus Ecclesiæ Romanæ nihil boni sperabit amplius, nisi quatenus fides persuaserit oculata. Nec, ut ait, moleste ferret; si iniquos forte preces porrigeat, repelleretur a vobis; sed dolet, miratur, & stupet, quod plus valent apud vos manifesti persecutoris Ecclesiæ, & hostis Regni sui vilissimæ personæ contra Deum porrectæ preces aut minæ, quam Fides & obsequium ejus, & Regni sui, & pro Deo & secundum Deum omni legi & æquitati consona, si ab ipso porrigantur & toto Regno . . . . Precor ergo & consulo in ea fide, qua Patri debetur & Domino, quatenus promissionem, quam ei per me fecistis, citius adimplendo in sublevatione Domini Cantuariensis, mitigetis animam ejus, ostendentes quod iniquitatem Regis Angliæ, qui ipsius & Regni Francorum, & Ecclesiæ Dei publicus hostis est, non vultis diutius supportare.* Est Epistola 21. libri 4.

Scripsere pro eadem causa Canonici Remenses: *Exerat, si placet, quoniam tempus est, in incentores schismatis & tortores Ecclesiæ gladium Petri dextera vestra, & venerabilem Dominum Cantuariensem, qui pro Justitia jam quinquennio dignoscitur exulare, saltem nunc tandem miseratione debita consoletur . . . . In vos omnium oculi diriguntur: studiosius expectantes, quam consolationem præstabitis Confessori, quem exitum causæ Dei, quam severitate tantam compescetis audaciam. Vestris itaque pedibus provoluti supplicamus attentius, ut prospiciatis honori vestro, & Ecclesiæ libertati: quia sublevatio unius erit indubitata consolatio plurimorum. Si enim tam sincera causa in conspectu vestro periclitatur, quis audebit de cætero sæculi Potestatibus, quamlibet molitionem attentantibus obviare?*

Scripsit pro eadem causa Remensis Archiepiscopus: *Venerabilis Frater & Amicus noster, Dominus Cantuariensis, apud nos pro honore Dei & libertate Ecclesiæ, pro Sedis Apostolicæ Privilegiis, jam quintum annum exilii proscriptus agit. Si placet, Domine, jam satis est, quod huc usque sustinuit. Jam tempus est miserendi, propter multa: Tum ne alii Ecclesiarum Prælati ab Officii sui executione ipsius terreantur exemplo: tum ne quod hactenus adversus eum ab uno præsumptum est, ab aliis sæculi Potestatibus in oppressione Ecclesiarum trahatur ad consequentiam mali. Supplicamus itaque Paternitati vestræ, in quam omnium oculi conjecti sunt, præstolantes quem exitum causa Dei sub*

vestro

vestro examine sortietur, quatenus tanto Exuli, immo tamen sincera causæ subveniatis, & vestro prospiciatis honori, & Ecclesiæ libertati pariter & saluti. Si enim Assertor honoris Dei torquetur in patibulo, quid spei cæteris divini nominis Confessoribus relinquetur? Est Epistola 24. libri 4. inter Epistolas *Sancti Thomæ* a *Patro Lupo* editas.

Scripsit pro eadem causa *Mauritius* Parisiensis Episcopus, ad Alexandrum III. *Placeat Majestati vestræ Domino Cantuariensi, quem constat pro justitia, pro libertate Ecclesiæ, pro tuendis Apostolicæ Sedis Privilegiis, jam quinquennio exilium fortiter & alacriter sustinere, opem ferre, & tum præfatum Londoniensem, quam alios Ecclesiæ malefactores, quos, ut meruerant, serius tamen Anathemate perculit, allidere & conterere ad Apostolicam Petram, juxta quam ubsorti sunt Authores eorum. Alioquin timendum est, ne si, quod absit, tantum scelus remaneat impunitum, citius & Gallicanæ, & Anglicanæ Ecclesiæ perniciem, & Religionis ruinam operetur.* Est inter Epistolas *S. Thomæ* 86. libri III.

Scripsit rursus una cum *Bernardo* Noviomensi Episcopo: *Nos Sanctitati vestræ pro Ecclesia Anglicana, & Venerabili viro Cantuariensi Archiepiscopo, preces sæpius porrexisse meminimus, nec poterit Deo propitio nostra instantia cohiberi, donec ei misericordiam impendatis, & Apostolicæ Majestatis dextera malitiam reprimatis eorum, qui Christum in illo conantur extinguere, & totius Ecclesiæ perimere libertatem. Gravia quidem sunt & multa damna, quæ diu fortiterque sustinuit, atroces nimis in se & suis patienter excepit injurias; sed divina cooperante gratia, ad magnum jam Ecclesiæ profectum, ut indubitanter credimus, pervenerant. Nam apud illum Anglorum Regem, cui non satis est indebita servitute torquere subjectos, crutis affligere innocentes, contradicentes decipere, vicinis insultare, fraudare Dominos, nisi contra fas & jura conculcet Ecclesiam, jam de Consuetudinibus & dignitatibus nec mentio est, &c... Absit a Sanctitate vestri Pontificatus, ut tam patens injuria Christi Confessoribus irrogetur, & pernicioso exemplo Tyrannorum adversus Ecclesiam armetur & roboretur iniquitas. Summa desiderii nostri est, & totius Ecclesiæ Gallicanæ, ut tantum scandalum celeri subventione de medio tollatis, & præfatum Regem his quæ Christiano Regi competunt, faciatis esse contentum, & Regi Regum sua Privilegia illibata relinquere.* Est inter Epistolas *S. Thomæ* a *P. Lupo* editas 37. libri 4.

Graves hac de re cum Regis, tum Præsulum Gallicanorum querelas cum accepisset *Alexander III.* factum suum excusavit datis ad *S. Thomam Cantuariensem* Literis,* quibus & plenam ipsi restituit libertatem utendi authoritate sua in Regem, & in Regnum Anglorum, prout causæ Ecclesiæ expedire videretur: *Nisi, inquit, quod speramus, & ei proposuimus, usque ad initium proximæ Quadragesimæ effectui mancipaverit, sed in sua fuerit obstinatione induratus, Tibi ex tunc authoritatem tuam restituimus, ut tam in personas, quam etiam in Regnum, & in ipsum Regem, si tibi & Ecclesiæ tuæ congruere & expedire cognoveris, facultatem liberam habeas debitum officii tui, cessante omni appellationis obstaculo exercendi; gravitate ac maturitate Pontificali adhibita, quam convenit adhiberi.*

*Epist. 32.

Eboracensis Archiepiscopus ad coronationem Henrici III. *Regis a Rege Patre electus. Jura Cantuariensis Archiepiscopi violata. Romanum Pontificem & Archiepiscopum Cantuariensem Rex Anglorum subditos abjurare cogit.*

Anno Christi 1170. *Henricus II.* Rex Anglorum filium suum *Henricum* Regem inaugurari & coronari voluit. Ad hanc autem ceremoniam peragendam, suggerentibus Consiliariis iniquis, proprioque odio, quo in *Thomam Cantuariensem* flagrabat, instigante, Archiepiscopum elegit Eboracensem, quamvis Regum Coronatio Primatis Angliæ, Cantuariensis nimirum Archipræsulis Privilegium esset ipsa consuetudine firmatum. Hac de re certior factus *Alexander III.* Eboracensi Archiepiscopo cæterisque Præsulibus Anglicanis prohibuit sub Ordinis & Officii periculo, ne Principem coronare præsumerent. Scripsit ad eosdem *S. Thomas Cantuariensis*, ipsique & propria authoritate, & Summi Pontificis nomine, sub iisdem pœnis idem vetuit. Quod ubi accepit Angliæ Rex, subditos omnes obstrinxit ad obedientiam Summi Pontificis & Archiepiscopi Cantuariensis ejurandam.

Quantum *S. Thomæ* dolorem intulerit commissarum ipsi animarum lapsus, explicare difficile est. Statim vero ipsas erigere, & earum vulneribus mederi, Pastorali caritate curavit. Quamobrem datis ad Anglos Literis, quibus gravitatem criminis ab eis perpetrati ostendit, de tam nefario Juramento pœnitentes, eos præsertim, qui non sponte, sed coacti juraverant, absolvit: & Episcopis, qui jurare noluerunt, vel etiam secundi Ordinis Sacerdotibus potestatem fecit congruam satisfactionem Pœnitentibus injungendi. Cæterum certam sibi esse significavit de victoria justitiæ & veritatis fiduciam. *Scire autem volo vos, Fratres* (inquit) *quia & Juramenta illicita, & cætera enormia multa, quæ pravis suggestionibus in oppressione Justitiæ & Veritatis circa vos facta sunt, ipsa favente Veritate, magis evenient ad ipsius profectum. Veritas enim claudi & ligari potest; vinci vero non potest; quæ & suorum paucitate contenta est, & multitudine hominum non tenetur.* Has Archipræsulis Sanctissimi Literas, quæ incipiunt his verbis: *Sciatis, Charissimi, quod in multa tribulatione & angustia cordis scripsimus*, ex Codice Vaticano descripsit Cardinalis *Baronius* in Annalibus, ad annum 1170. num. 4. Et est inter editas a *P. Lupo* Epistola 47. lib. 4.

S. Thomæ *cura de Lapsis.*

Mense Junio exeunte, celebrata est Regis Coronatio ab Archiepiscopo Eboracensi*, assistentibus Episcopis Londoniensi, Saresberiensi & Roffensi*, in Ecclesia Westmonasteriensi *S. Petri*, in ipsa Diœcesi Cantuariensis Archiepiscopi, pro justitia exulis, violato Jure Cantuariensis Ecclesiæ, ad cujus Archipræsulem Regum Coronatio pertinebat. De hoc facinore certior factus Pontifex Literis *S. Thomæ Cantuariensis, & Willelmi Senonensis* Archiepiscopi, qui Satanam Romæ solvi, Christum iterum crucifigi, homicidam dimitti, & *tum Christianissimum Regem Francorum, quam totam Gallicanam Ecclesiam, turbari a scandalis, quæ manabant ab Apostolica Sede*, scripserant amariora verba extorquente Justitiæ zelo, eorum (inquam) Literis monitus *Alexander III.* & quod nefarias Regni Anglicani Consuetudines novus Rex Juramento confirmasset, Episcopis illis suadentibus, aut certe conniventibus; Eboracensem Archiepiscopum, & cæteros Præsules ejusdem facinoris conscios ab omni Officio Episcopali suspendit. Immo Londoniensem & Saresberiensem excommunicavit. Alexandri III. Literas ad *Rogerum Eboracensem & Hugonem Dunelmensem*, hanc Sententiam continentes descripsit *Rogerius de Hoveden* in Annalibus pag. 518. Est inter Epistolas *S. Thomæ* a *P. Lupo* editas 67. libri 5.

* D'Yorch.

* De Rochester.

Epist. 18. Alexandri III.

Interim Summus Pontifex novam Legationem ad Regem Anglorum decreverat, cujus munus demandarat *Rotrodo** Rothomagensi Archiepiscopo, & *Bernardo* Episcopo Nivernensi*, quibus dedit in Mandatis, ut Regem Anglorum convenirent, & nomine Sedis Apostolicæ urgerent ad pacem Archipræsuli Cantuariensi concedendam. In qua neganda si pro more pertinacem comperirent, in Angliæ Regnum, & in omnem Regis ejusdem ditiones Interdicti ferrent Sententiam. Literas etiam comminatorias scripsit ad ejus Majestatem, quibus ipsi jubebat ut absque tergiversatione pacem Cantuariensi cum Archiepiscopo componeret, alioquin eamdem ab Apostolica Sede expectaret Sententiam quam in *Fridericum* Imperatorem tulerat. Ita refert *S. Thomas* in Epistola ad *Alexandrum* Papam, 45. libri 5.

Nova Legatio Summi Pontificis ad Regem Anglorum.

* Rotrou.

* De Nevers.

ARTICULUS VIII.

De Pace inter S. THOMAM CANTUARIENSEM & Angliæ Regem inita. Et de Gestis S. Præsulis pro Ecclesiæ Causa a reditu in Angliam usque ad Martyrium.

SEveritatem lenitate temperatam erga Regem Angliæ utilem fuisse Ecclesiæ rebus probavit eventus. *Alexandri* III. siquidem Literis & imminentium Ecclesiæ fulminum metu, aspirante Dei gratia, in cujus manu cor Regis est, subito ad pacis consilia est inflexus, suamque de ea conficienda voluntatem

Le-

Legatis Apostolicis per literas significavit. Collationi statuta dies, designatusque locus, pratum amœnissimum in finibus agrorum Carnotensis & Cœnomanensis, quod *Pratum Proditorum* appellabant. Illuc Senonensis Archiepiscopus *Willelmus*, quem Summus Pontifex aliis Legatis adjunxerat, cum *S. Thoma* se contulit. Sanctum Archipræsulem ad familiare colloquium admisit Rex Angliæ, ipsumque honore singulari, & amicitiæ testificatione prosecutus est; pacem & securitatem ipsi & Coexulibus restituit; Ecclesiæ possessiones se redditurum promisit, statim atque in Angliam rediisset Archipræsul; quod in filii sui Coronatione contra Jura Cantuariensis Ecclesiæ præsumptum fuerat, se emendatorum pollicitus est, & novam ejusdem Principis inaugurationem decreturum, priori in irritum missa. Consensit denique ut Summi Pontificis Sententia in Archiepiscopum Eboracensem, & Londoniensem ac Saresberiensem Præsules, executioni mandaretur. Consuetudinum, quas ardore tam pertinaci propugnaverat, nulla habita ratio, factave mentio est. Ista constant ex Historia Quadripartita, ex relatione *S. Thomæ Cantuariensis* ad *Alexandrum III.* cujus fragmentum *Baronius* ex Codice Vaticano describit ad annum 1170. num 26. & est Epistola 45. lib. 5. & ex *Gervasio Dorobernensi*, in Chronico, pag. 1412. Inita pax die *S. Mariæ Magdalenæ* sacra. Regem filium de pace cum Sancto Archiepiscopo inita certiorem fecit *Henricus II.* jussitque ut ipsi & Coexulibus possessiones omnes restituerentur. Secundum gratias actas Regi Christianissimo, cæterisque Benefactoribus suis, in Portu *Witsandi* navim conscendit, in Angliam transfretaturus; præmissis Summi Pontificis Literis, quæ Archiepiscopi Eboracensis, & aliorum Præsulum suspensionem, & aliorum excommunicationem continebant, quæ ipsis ante Cantuariensis Archipræsulis appulsum, ab *Idonea* virilis animi Virgine, ad quam ea de re scripsit *S. Thomas* Epistolam 70. lib. 5. traditæ fuerunt ac significatæ. Eboracensis, Londoniensis, & Saresberiensis Antistites, conjuratione facta, Satellites conduxerunt, cui *S. Thomam* a Regni aditu prohiberent, sed juvante Deo ipsorum insidias evasit, & *Sandwicum* * appulit. Inde se contulit Cantuariam, & a Clero populoque suo lætitia incredibili susceptus est. Vix respiraverat ex itinere, cum ipsum Regii Ministri convenere, Majestatis ipsius nomine denunciantes, ut suspensos & excommunicatos Episcopos absolveret: Latam quippe contra illos Sententiam, in Regis injuriam redundare. Id se facturum negavit Sanctus Archipræsul, dicens; Non esse Judicis inferioris, ut Superioris Sententiam solvat, nullique hominum licere abrogare quod Sedes Apostolica decrevit. At cum Regis nomine comminari pergerent, se pro pace Ecclesiæ, & reverentia Regis, Salva Sedis Apostolicæ reverentia, promisit Londoniensi & Saresberiensi Episcopis absolutionem concessurum, si in forma Ecclesiæ jurarent se Romani Pontificis Mandatis parituros. Eboracensis Archipræsul reposuit: Juramentum hujusmodi, nisi consentiente Rege, non debere præstari, præsertim ab Episcopis; quia contra dignitatem Principis & Consuetudines Regni pugnabat. Respondit Cantuariensis Archiepiscopus; eosdem Præsules a se prius excommunicatos, absolutionem consecutos non fuisse, nisi præstito Juramento: ideoque potiori jure eamdem ipsis esse conditionem subeundam; ut absolutionem a Censuris per Summum Pontificem latis promererentur. Sanctissimi Primatis Mandato parere decreverant Episcopi, nisi Eboracensis Archipræsul, discordiæ & seditionis incentor, vir nefariorum criminum infamia jam olim notatus, & novus hujus temporis Caiphas (ut *Joannes Saresberiensis* vocat) dissuasisset. Is cum aliis duobus Præsulibus transfretavit in Normanniam, ubi Regem adire, & multas contra Sanctissimum Primatem querimonias, multa accusationum capita ad ejus detulere Majestatem; publicæ perturbatorem pacis, persecutorem Episcoporum, Regis inimicum inclamantes. His commotus Rex, suique præ ira haud compos, in funestam vocem erupit, omnibus familiaribus suis, & sibi propter accepta beneficia obnoxiis maledicens, quod ipsum de uno Sacerdote, Regnum suum ita perturbante, non vindicarent.

Witsand, *prope Caletum*, vulgo Calais.

* Sanduvic.

Historia Quadrip. seu Vita S. Thomæ *Lib. III.*

His furentis Principis vocibus concisi quatuor impii Satellites, in necem Archipræsulis Sanctissimi conspirarunt, moxque in Angliam profecti, ipsum primo in Palatio Archiepiscopali probris & convitiis aggressi, tandem in ipsa Ecclesia, Vespertini Officii tempore, in crastino Festivitatis Sanctorum Innocentium, gladiis impetentes, Deo & *Sanctæ Mariæ*, & Sanctis ejusdem Ecclesiæ Patronis, atque *B. Dionysio*, se ipsum & causam Ecclesiæ ferventissime commendantem, ut victimam Ecclesiasticæ libertatis immolarunt. Ista constant ex Historia Quadripartita, ex *Gervasii* Chronico a pag. 1413. ad pag. 1418. ex *Rogerio de Hoveden* in Annalibus Anglicanis pag. 521. & 522. ex *Radulpho de Diceto, in Imaginibus Historiarum*, ex Chronico *Joannis Bromton*, & ex *Matthæo Paris* ad ann. 1171. quo Martyrium *S. Thomæ* Cantuariensis consignat, annos a Nativitate Dominica numerans, quamvis secundum communem numerandi rationem passus sit anno 1170. ætatis 53. Episcopatus 9. exilii 7. Sancti Martyris gloriam insignibus miraculis Deus illustravit.

Guillelmus Neuburgensis, coævus Author lib. 11. *De rebus Anglicis*, cap. 25. ubi de cæde *S. Thomæ Cantuariensis* agit, in Sanctum Archipræsulem & Martyrem minus æquus est, cum in dubium revocat an prudenter egerit, præmittendo in Angliam literas Summi Pontificis contra Eboracensem Archiepiscopum, & alios Præsules: *Rege ergo*, inquit, *in Transmarinis partibus consistente, idem Archiepiscopus cum licentia & gratia Regis ad Ecclesiam Propriam remeabat. Habebat autem penes se, Rege inscio, literas Domini Papæ contra Eboracensem & alios Episcopos, qui illi infaustissimæ Coronationi interfuerunt, impetratas, facta jam concordia irritatrices, & majoris iræ provocatrices futuras. Has in Angliam ad suspensionem Episcoporum præmissas, ipse sequebatur zelo justitiæ fervidus, utrum autem plene secundum scientiam, novit Deus. Nostræ enim parvitati nequaquam conceditur de tanti viri actibus temere judicare. Puto tamen quod Beatissimus Papa Gregorius in molli adhuc teneraque Regis concordia mitius egisset; & ea quæ sine fidei Christianæ periculo tolerari potuissent, ratione temporis & compositione pacis dissimulanda duxisset, juxta illud Propheticum:* „ Prudens in tempore illo tacebit, quia tem„pus malum est. *Itaque quod a Venerabili Pontifice tunc factum est, nec laudandum esse judico, nec vituperare præsumo: Sed dico, si vel modice in hujusmodi a Sancto viro per zeli laudabilis motum immoderatiorem impetum est excessum; hoc ipsum est sacra, quæ consecuta noscitur, igne Passionis excoctum. Ita quippe Sancti Viri vel amandi vel laudandi sunt a nobis, ut tantum in quibus homines vel forte fuerunt, vel fuisse noscuntur, nequaquam vel amemus vel laudemus, sed ea tantum in quibus eos sine scrupulo imitari debemus. Quis enim dicat eos in omnibus quæ ab ipsis fiunt, esse imitabiles? Non ergo in omnibus quæ faciunt, sed sapienter & caute debent laudari, ut sua Deo prærogativa servetur, in cujus laudibus nemo potest esse nimius, quantamcumque laudare conetur.* Prudenter sane Sanctum Archipræsulem egisse, nemo negaverit, qui noverit Episcopos Ecclesiasticæ libertatis proditores, & violatæ Disciplinæ reos, omniumque authores scandalorum, Censuris Ecclesiasticis juste coerceri potuisse, immo debuisse, ne ipsorum impunitas cum ipsis, tum cæteris incentivum esset delinquendi. Censuras illas a *S. Thoma Cantuariensi* dumtaxat latas non fuisse, sed ab *Alexandro Tertio* prudentissimo Pontifice, qui tanta œconomia cum erga Regem Angliæ, tum erga Episcopos illos usus fuerat; ut propterea Christianissimi Regis, totius Ecclesiæ Gallicanæ, multorumque virorum religiosissimorum offensionem incurrerit. Denique *S. Thomam Cantuariensem* Censuras illas significasse, consentiente Anglorum Rege, ut Historia Quadripartita testatur, cui major quam *Guillelmo Neuburgensi* adhibenda fides est. Nec *S. Gregorium* mitius acturum (ut conjicit *Guillelmus Neuburgensis*) verisimile est. Hac enim in causa secutus fuisset Regulam quam ipse tradidit lib. 31. Moralium in Job. cap. 14. *Plerumque*, inquit, *quieti atque inconcussi relinquimur, si obviare pravis per justitiam non curamus. Sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, si jam verum lumen intrinsecus*

respi-

Guillelmus Neuburgensis, S. ThomamCantuatiensem *minus æquus*.

S. Thomas Cantuariensis *a calumnia vindicatur*.

Amos 5.

vasficit, si in se flammam sancti ferworis accendit: in quantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione Justitia nosmetipsos objicere, & perversis ad injusta erumpentibus, etiam cum ab eis non quarimur, obviam. Hanc regulam secutus est *S. Thomas Cantuariensis*.

S. Thomæ Cantuariensis elogium.

De ejus laudibus legenda *Petri Blesensis* Epistola 17. ad Canonicos de Bellovidere. *Elegit eum Dominus*, inquit, *in Sacerdotem sibi, ut esset in populo ejus ductor & Doctor, vita speculum, pœnitentiæ forma, & sanctitatis exemplum. Deus scientiarum Dominus dederat ei linguam eruditam, & infuderat ei abundanter spiritum sapientiæ & intellectus, ut esset inter doctos doctior, inter sapientes sapientior, inter optimos melior, inter homines socius, inter maximos major. Erat praco verbi divini, tuba Evangelii, amicus Sponsi, columna Cleri, oculus caci, pes claudi, sal terra, patria lumen, Minister Altissimi, Vicarius Christi, Christus Domini. Tota conversatio ejus erat schola honestatis, morum adificatio, & structura salutis. Erat in judicio rectus, in dispensatione industrius, in pracipiendo discretus, in loquendo modestus, in consilio circumspectus, parcissimus in cibo, in donando largissimus, in ira pacificus, in carne Angelus, inter injurias mansuetus, timidus in prosperis, securissimus in adversis, in eleemosynis effusus, in misericordiis totus. Erat Religiosorum gloria, delicia plebis, timor Principum, Deus Pharaonis.* De ejusdem Archipræsulis Sanctissimi Martyrio & Miraculis, legenda *Joannis Saresberiensis*, individui ejus in exilio comitis, amicique fidissimi Epistola ducentesima octogesima-sexta ad *Joannem Pictaviensem* Episcopum, Tom. 23. Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis.

ARTICULUS IX.

De Gestis in Causa S. THOMÆ CANTUARIENSIS post ejus Martyrium.

Inter Epistolas S. Thomæ 78. 80. 81. & 82. Libri 5.

NUncio de nece Cantuariensis Archipræsulis divulgato, statim *Alexandrum III.* datis ad ejus Sanctitatem Literis, ad sacrilegi facinoris ac parricidii ultionem excitarunt *Ludovicus VII.* Rex Christianissimus, *Theobaldus* Comes Blesensis, & *Willelmus* Archiepiscopus Senonensis. Quorum Epistolas *Rogerius de Hoveden* in Annalibus Anglicanis pag. 523. & 524. & *Joannes Bromton* in Chronico pag. 1065. & 1066. & 1067. descripsere. Scripserunt etiam ad Summum Pontificem, Episcopi Angliæ & Normanniæ, Regem *Henricum II.* a nece Sancti Martyris purgantes. Missi utrimque Nuncii. *Alexander III.* Regis Anglorum Nuncios ægre admodum audivit, nec aliter excommunicationis sententiam ab ipso, Interdictum a Regno avertere potuerunt, quam præstito nomine Majestatis ipsius juramento, quod caedem Sancti Cantuariensium Archipræsulis, nec imperasses, nec approbasset, immo de ipsa vehementer doluisset ac doleret. Quoniam vero verbis imprudentibus, acerbis querimoniis & impotentis iræ significatione, hoc perpetrandi facinus satellitibus sacrilegis occasionem dederat, staret Summi Pontificis Mandato in subeunda Pœnitentia, idque ipse coram Legatis Apostolicis juraret. Authores occis. *S. Thomæ Cantuariensis*, & omnes qui consilio, auxilio, vel assensu, venerant in communionem sceleris, vel qui parricidas reciperent aut foverent, generatim excommunicavit *Alexander III.* Ista constant ex Historia Quadripartita, & ex Relationibus Nunciorum Regis Angliæ; quas ex Codice Vaticano describit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum 1171. Num. 6. & 11. Relationem istarum alteram legere est apud *Rogerium de Hoveden* in Annalibus Angliæ pag. 526. Sunt inter Epistolas *S. Thomæ* a *P. Lupo* editas, 83. & 84. lib. 5.

Henricus II. Rex Angliæ a cæde S. Thomæ Cantuariensis absolvitur.

Henricum II. Angliæ Regem revera insontem fuisse e cæde *S. Thomæ* Cantuariensis, quod nec Mandato, neque consilio, nec assensu facinori fuisset cooperatus, testatur Historia Quadripartita libri 4. cap. 3. his verbis: *Divulgato tam lethali facto undique, mox ut ad Regem Anglia pervenit, afflictus est afflictione magna, & per quadraginta dies sedit: mœrensque toto illo pœnitentiali dierum numero, acerbiorem multo plus quam mortuorum luctum fecit; lagenticum cibos comedit, equum non ascendit, nulla jargantium causa, nulla agendorum consultatio, nulla pulsantium querela ingrediebatur ad eum, nulla tot terrarum regendarum sibi causa proponebatur, omnia tunc quasi postponenti præ dolore; sedebat quippe solitarius super hoc quod acciderat, ingemiscens semper & dolens, & sæpe sæpius iterans, Heu! Heu! accidisse sic!*

Rem ita se habere comperuerunt Legati Apostolici, ab *Alexandro III.* ad Regem missi, *Theodinus* & *Albertus* Presbyteri Cardinales, ipsum in Normannia degentem adiere; cumque ad parendum Sedis Apostolicæ Mandatis invenere paratissimum. Dominica igitur proxima Christi Ascensioni, apud Abrincas, in frequenti Episcoporum, & Procerum conventu, Rege etiam filio præsente, Rex *Henricus II.* tactis Sacris Evangeliis, juravit se Cantuariensis Archiepiscopi necem nec imperasse, nec voluisse, immo de ipsa vehementer doluisse: confessus est tamen se iræ & doloris testificatione, & verbis querulis de Sancto Archiepiscopo imprudenter & indignationis impetu prolatis, occasionem dedisse facinori, quod sine ipsius conscientia perpetratum erat. Quamobrem Pœnitentiam omnem & satisfactionem sibi a Sedis Apostolicæ Legatis imponendam se humiliter subiturum, & religiose adimpleturum juravit. Has vero satisfactionis conditiones ipsi injunxerunt Cardinales Legati: Primo, ut ducentos Milites sumptibus suis aleret in Palæstina per annum integrum. Secundo ut Statuta Clarendonensia, & pravas omnes Consuetudines Regni sui tempore in Ecclesiam inductas penitus dimitteret: observatas ante sua tempora, si quæ malæ essent, juxta Summi Pontificis Mandatum, de consilio Religiosorum virorum temperaret. Imprimis autem ut Appellationes ad Romanum Pontificem se non impediturum in Ecclesiasticis causis, nec permissurum ut impedirentur, juraret. Si tamen aliquos suspectos haberet, securitatem exigere posset ab eis, quod nec suæ Majestati, nec Regno malum molirentur. Tertio, ut Ecclesiæ Cantuariensi omnia prædia, latifundia, & facultates restitueret, quibus anno antequam Sanctus Archiepiscopus ab ejus gratia excidisset, fruebatur: & omnibus quos propter Sanctum Archipræsulem invisos habuerat, pacem, bonaque restitueret. Quarto, ut si opus esset, Exercitum in Hispaniam duceret contra Infideles, jubente Romano Pontifice. Jejunia etiam & eleemosynas, aliaque pietatis opera ipsi secreto indixerunt. Hæc omnia se impleturum juravit, idemque præstitit *Henricus Junior* ejus filius. Secundum hæc, Legati Apostolici Regem Pœnitentis habitu veniam præ foribus Ecclesiæ postulantem absolverunt, & in Ecclesiam introduxere. Ista constant ex Historia Quadripartita, ex Relatione de Absolutione Regis Angliæ tunc temporis scripta, quam ex Codice Vaticano exhibet Cardinalis *Baronius* ad annum 1172. Num. 11. inter Epistolas *S. Thomæ* 88. & 89. lib. 5. ex Actis Purgationis, & Charta Absolutionis Regis *Henrici II.* relatis a *Rogerio de Hoveden* in Annalibus Anglicanis pag. 529. ex Legatorum epistola ad Archiepiscopum Ravennensem, quam idem Author describis pag. 530. ex *Gervasio* in Chronico, ad annum 1172. pag. 1422. ex *Guillelmo Neuburgensi* lib. 11. *De Rebus Anglicis* cap. 25. ex *Radulpho de Diceto* in *Imaginibus Historiarum*, pag. 560. ex *Joanne Bromton* in Chronico pag. 1080. & 1081. & ex *Matthæo Paris* ad annum 1172. pag. 88. Post reditum Legatorum Apostolicorum, de miraculis *S. Thomæ* Cantuariensis certior factus *Alexander III.* ipsum ritu solemni in Sanctorum Martyrum album retulit, Idibus Martii anni 1173. datis ea de re Diplomatibus Apostolicis, cum ad Cantuariensem Ecclesiam, tum ad Christi fideles universos.

S. Thomæ Cantuariensis invocatio.

Ad te, Pontifex & Martyr sanctissime, orationem converto, supplexque obsecro, ut Ecclesiæ Christi Sponsæ, quam, sicut ipse dilexisti tradens temetipsum pro ea, perpetuam pacem: ut Romanis Pontificibus & Episcopis, zelum pro Ecclesiæ libertate & disciplina tuenda cum sanctitate conjunctum: Ut Clericis & Viris Religiosis pietatem, sæculi contemptum, & sacrum fervorem: Ut Serenissimo Magnæ Britanniæ Regi totique Regno, veram fidem & cum Ro-

Romana Ecclesia Communionem, qualis temporibus tuis vigebat: Ut Regi Christianissimo LUDOVICO MAGNO HÆRESEOS EXPUGNATORI a sanctissimo Pontifice INNOCENTIO XI. jure nuncupato affluentem cœlestium donorum copiam, diuturnam vitam, perpetuam fœlicitatem; ut Gallicanæ Ecclesiæ, & Regno Francorum, ubi solatium, subsidium, ac tuitionem invenisti, dum Exul pro justitia his in partibus degeres, tranquillitatem & florentissimi status conservationem, jugi apud Deum, quo frueris, Intercessione impetres.

SCHOLION I.

In hac Dissertatione, Articulo 1. pag. 184. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *S. Thomas Cantuariensis jus Regaliæ non impugnavit.*

R. Mera facti & Historiæ quæstio est.

SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, pag. 187. Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Redarguit Lupum asserentem S. Thomam Cantuariensem propter Regaliam Martyrium subiisse.*

R. Hanc *Lupi Christiani* Observationem firmissimis argumentis refello. Theologum a Theologo, Historicum ab Historico in facti & Historiæ quæstionibus dissentire, quale crimen? Cæterum modeste & cum honoria præfatione id præstiti. *Ex his verbis* (inquam) *Vir Religiosus & Eruditus P. Christianus Lupus, cujus piis Manibus bene precor*, &c.

SCHOLION III.

Articulo V. Dissertationis ejusdem, pagina 216. Editionis primæ, hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Summa cum Principibus œconomia agendum.*

R. Ita sensit *Alexander Tertius*, cujus verba refero. Nullamne œconomiam, nullam moderationem erga Principes servandam Religiosi Censores volunt? Num injuriam *Alexandro tertio* a me factam putant, quod ejus ad *S. Thomam Cantuariensem* literas referens & expendens, id notaverim: *Ibidem docet Pontifex quanta œconomia cum Principibus sit agendum?* Quod tamen salva honestate Ordinis Ecclesiastici, salva Ecclesiæ libertate, salva justitia faciendum, & hic, & in tota Dissertatione passim scripsi.

SCHOLION IV.

Dissertationis ejusdem Articulo, VII. pag. 236. hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Severitas erga Regem Ecclesiæ periculosa.*

R. Id scribebat ad Alexandrum III. Londoniensis Episcopus, cujus verba refero. Mera facti & Historiæ res est. *Summo* (inquam) *Pontifici posuit ob oculos mala, quæ nimia erga Regem severitas Ecclesiæ inferret: ideoque Sanctitatem ejus obsecravit, ut a Censuris abstineret.* Tum ejus verba subjicio. Severitatem erga Reges non esse periculosam Ecclesiæ, & semper exercendam esse, existimant-ne Religiosi Censores? Contrarium censent Pontifices Sanctissimi & prudentissimi.

SCHOLION V.

In eodem Articulo, pag. 249. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Summi Pontifices Legatos in Gallias non mittebant, nisi de consensu Regis Christianissimi, & qui ejus Majestati grati essent.*

R. Facti quæstio est. Observationis hujus Historiæ veritatem probat Epistola Alexandri III. ad *Ludovicum VII.* Regem Christianissimum, cujus verba profero.

SCHOLION VI.

In eodem Articulo, pag. 251. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Galliæ Rex non vult quod Legati Papæ intrent in suum Regnum sine suo consensu.*

R. Historiæ res est. *Parum*, inquam, *abfuit quin Rex Christianissimus Regni sui ingressu Legatos Apostolicos prohiberet.* Hujus rei testis est *Lombardus* Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus in Epistola ad *Alexandrum II.* edita a *P. Lupo* cum aliis causam S. Thomæ Cantuariensis spectantibus.

SCHOLION VII.

In eodem Articulo, ad pag. 258. Edit. primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Natalis approbat nonnulla velut animadversione digna in literis Joannis Saresberiensis, quibus Papæ authoritas limitibus perstringitur.*

R. In literis Joannis Saresberiensis ad Alexandrum III. hæc animadversione digna observavi, nec me Observationis hujus pœnitet: *Fateor, & verum est* (inquit eruditus ille Episcopus) *omnia Romano licere Pontifici, sed ea dumtaxat quæ jure divino Ecclesiastica sunt concessa potestati. Liceat ei nova jura condere, vetera abrogare; dum tamen ea quæ a Dei verbo in Evangelio vel Lege perpetuam causam habent, mutare non possit. Ausim dicere, quod nec Petrus quemquam perseverantem in scelere & voluntate peccandi possit absolvere.* Hæc ille. Quæ si Religiosis Censoribus improbanda & damnanda videantur, consequens est ut contradictorias Propositiones veras esse censeant, nempe: *Romano Pontifici licet ea quæ a Dei verbo in Evangelio vel Lege perpetuam causam habent, mutare.... summus Pontifex perseverantem in scelere & voluntate peccandi absolvere potest.* Qui hæc Romano Pontifici licere negat cum Joanne Saresberiensi, aut ejus verba refert, restringit authoritatem Papæ, Religiosorum Censorum judicio. Ita restrinxit *Franciscus Victoria* Dominicanus, in Academia Salmanticensi Professor, cujus libri Romæ non sunt improbati, lib. *De potestate Papæ & Concilii*; Propositione II. *Si Concilium*, inquit, *declaret aliquid de fide aut jure divino, Papa in hoc nihil potest declarare aut immutare, maxime si tale jus spectat ad fidem, vel ad Mores Ecclesiæ universalis.* Et Propositione 23. *Nihil prodesset Congregatio Concilii* (in hypothesi scilicet quam statuit cum Joanne Cardinali a Turrecremata) *nisi sua authoritate posset determinare quibus in rebus Pontifex non debeat nec possit attentare contra Patrum Decreta & Sanctiones.* Quid ergo peccavi referendo verba Joannis Saresberiensis? Pontificiæ Authoritatis plenitudini absit ut aliquid detrahi velim: sed non in eo posita est, ut ea quæ a Dei verbo in Evangelio vel lege perpetuam causam habent, mutare possit.

SCHOLION VIII.

Pag. 262. ejusdem Articuli, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Rex Galliæ in temporalibus nullum præter Deum Dominum agnoscit.*

R. Id vere scripsi post *Innocentium III.* cap. *Per venerabilem*, Ext. *Qui filii sint legitimi.* Hæc Sacræ Facultatis Parisiensis, hæc Ecclesiæ Gallicanæ, hæc Gallorum omnium doctrina.

SCHOLION IX.

Pag. 272. ejusdem Articuli, Religiosi Censores hanc Propositionem notant velut meam: *Displicet Gallis quod Papa mitiori modo procedat cum Regibus Angliæ.*

R. De Regibus Angliæ non est quæstio eo loci, sed de uno Angliæ Rege, S. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum opprimente. Alexandri III. œconomia erga hunc Anglorum Regem in causa S. Thomæ, Regem Christianissimum nonnihil commovit. Rex scilicet, Ecclesiaque Gallicana causam Ecclesiasticæ Libertatis & S. Thomæ Cantuariensis pro viribus tuebantur, ut ibi observavi. Historiæ res est.

SCHOLION X.

Pag. 276. & seq. ejusdem Articuli Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Episcopi Galliæ variis Epistolis urgent pro anathemate in Reges Angliæ inferendo.*

R. Pag.

R. Pag. 276. 277. 278. 279. commemoro varias Episcoporum Galliæ ad Alexandrum III. Pontificem Maximum literas, quibus Sanctitatem ejus urgent, ut S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo, & Ecclesiasticæ Libertati ab Angliæ Rege oppressæ subveniat. Quid hac in re peccavi? Hæc mera sunt Historiæ Ecclesiasticæ capita, quæstionesque facti, nec fidem, nec mores hinc inde meliores spectantes.

Nota.

PRofecto aliquando Pontifices ob ingentia in ecclesiam merita vacantis ecclesiæ fructus Principibus relaxarunt. Hujusmodi privilegio Galliæ reges, remuneratos voluere Innocentius III. Clemens IV. Gregorius X. aliique quos recenset liber gallicus, cui titulus: *Preuves de Libertez de l' eglise Gallicane*. Cum hujusmodi privilegio non gauderet Rex Angliæ, & quod ecclesiarum vacatio protraheretur, & earum redditus Fisco addicerentur, ægerrime ferebat S. Thomas; & pro his duobus ecclesiarum præjudiciis removendis laborabat. Cum proinde sedes episcopales Vigorniensis, & Herefordiensis suo essent viduatæ Pastore, & quia indignum erat ita permanere, & quia ipsarum proventus ad profana distrahebantur, ne diutius vacare permitterentur, instabat: *Mos profanus*, ita habetur in ipsius vita *l. 1. c. 15.* quam edidit Christianus Lupus una cum ejusdem epistolis, *in plurimis jam regnis inolevit, quod Episcopatus vacantes, & Monasteria Reges pro voto per annos tenent, & quasi Christo proscripto applicantur Fisco dos Viduæ, & Crucifixi patrimonia, calamitosorum refrigeria, & egenorum subsidia. Hæc Archipræsul recolens &c.* Hic, absque eo quod exciperentur fructus necessariæ vacationis tempore percepti, indiscriminatim ea criminabatur praxis, qua patrimonia Christi, & pauperum in regis ærarium transferebantur. Si etiam observetur Alexandrum III. condemnasse absque ulla limitatione caput XII. consuetudinum apud Clarendunam promulgatarum, fateri necesse erit indiscriminatim noluisse fructus vacantium ecclesiarum Regem percipere; si etenim eos, qui respondissent tempori necessariæ vacationis, potuisset fisco addicere, non erat sine distinctione damnandus, quia vacantium ecclesiarum fructus perciperet. Præfatum caput XII. exhibet Natalis art. 5. Neque etiam Natali adhæreo dicenti præfatam fructuum perceptionem Alexandrum improbasse, quia in pios usus non erogabantur, puto etenim etiam id reprehendisse, quia juris regii non erat eos sibi vendicare; atque ita rei hujus injustitiam expressit S. Thomas, cujus verba paulo ante dedi, dicendo quod Fisco, quæ Christi erant & pauperum applicabantur. Et quidem cum vacantium ecclesiarum fructuum eædem ecclesiæ habeant dominium, ad Principes pertinere non possunt, nisi Romanus Pontifex ut supremus eorumdem administrator, justa impellente causa eisdem elargiatur; & Natalis nullum exhibet Romani Pontificis privilegium, quo Angliæ Regi in debitam remunerationem hujusmodi fructus destinasset. Quod si S. Thomas, dum Cancellarii munere fungeretur, hos fructus percepit, oportet dicere nondum ecclesiæ mancipatum, sed sæculare officium obeuntem a more, qui jam inoleverat, non recessisse, nec de ipsius justitia examinanda cogitasse. Bene vero potuit factus ecclesiæ Archipræsul ipsius jura, unaque gravamina propius observare.

Quia etiam Natalis non satis ostendit Angliæ Regem ex authoritate ecclesiæ beneficia contulisse, suppotitiam etenim censendam Decretalem *Ex diligenti* in secunda Nota ad præcedentem Dissertationem observavi, ideo non putandum errasse, qui scripserunt etiam ex hoc capite & Pontificem & S. Thomam quæ sibi arrogabat Henricus, improbasse. Nec refert Alexandrum ea in epistola, quam Natalis recenset, solum irritas voluisse collationes beneficiorum a laicis in Anglia factas, nec verbum quidem de persona Regis scribendo. Si igitur consideretur in omnibus iis dissidiis, quæ regem cum S. Thoma commiserunt, ita se gessisse Alexandrum, ut aperte nollet cum eodem Rege dimicare, non mirum erit, si laicos objurgando, qui collationem beneficiorum usurpaverant, Regis personam silentio prætericrit. Interim tamen cum improbasset quidquid circa hoc laici attentaverant, & ipse Rex comprehendebatur, quoties ex authoritate sibi a Pontifice elargita beneficia non dispensasset.

Nota.

SIcut tempus tacendi, & tempus loquendi est, ita quandoque spectat ad Præsules ecclesiæ prudenter dissimulare, & aliquando tamquam murum æneum etiam Regibus pro domo Dei se opponere. Multoties proinde ipsorum reprehenditur silentium, If. 58. & Ezech. 33. Immo nec Reges pertimescendos Deus mandavit, ut dicitur Jer. 1.

Verum antequam Ecclesiæ Præsules adversus Principes, quamvis ecclesiæ jura temerantes, insurgant, ad Patrem luminum debent enixissime confugere, non semper enim ea felix fuit fortitudo, qua Ambrosii, Chrysostomi, Basilii, & in Anglia Anselmus, & Lanfrancus ecclesiastica libertate Regibus obstiterunt. Hinc Alexander Pontifex, noluit Regem Angliæ anathemate ferire, & ab eo abstinendo constantiæ & prudentiæ specimen posteris exhibuit; videbat etenim hac severitate regem ad defectionem sollicitiorem reddendum, nec tamen exinde S. Thomæ opem ferendam.

Nota.

VErum est Principes supremos nullum in temporalibus superiorem præter Deum agnoscere, ut de Francorum Rege adnotavit Innocentius III. *cap. per venerabilem qui filii sint legitimi*. At si ita exposcat necessitas fidem defendendi &c. credidit indirecta in temporalia uti posse potestate *cap. Venerabilem de elect. cap. Licet de Vot. & cap. Novit. de Judic.*

Nota.

OBservat Thomassinus *Vet. & Nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 2. c. 118. n. 6. 8. 9. 16.* usque a Clodovei temporibus mitti consuevisse Legatos vel præviis precibus, vel prævio Principum consenso, atque id Romanos Pontifices observasse; quia Legati vel Principibus invisi, vel quibus sua authoritate non patrocinarentur, inutiliter exequi tentassent, quæ in mandatis habuissent. Capite vero sequenti demonstrat Reges hoc obtinuisse privilegium, quod privilegium primo Anglorum Regi concessum ad alios deinde Reges pertransiit.

PANOPLIA ADVERSUS HÆRESES SÆCULI XI. ET XII.

DISSERTATIO XI.

De Azymorum usu in confectione Eucharistiæ, Adversus Græcos Schismaticos.

MICHAELEM *Cerularium*, *Leonem Acridaanum*, & *Nicetam Pectoratam*, Schismatis Græcorum Authores, Ecclesiæ Latinæ usum Azymorum in Eucharistiæ confectione velut errorem gravissimum improperasse, & statuisse nullum esse in ea Eucharistiæ Sacramentum, quod materia legitima, id est, vero pane ad eum conficiendum non uteretur, in Synopsi observavimus. Nunc eorum error confutandus est, ac evertenda quibus eum fulciunt fundamenta.

ARTICULUS I.

Usus Azymorum exemplo Christi defenditur.

CHristum in Azymo Eucharistiam consecrasse, ex trium Evangelistarum testimonio evidenter colligitur. Prima namque die Azymorum ipsum Sacramentum istud instituisse post Cœnam legalem, in qua agnum cum Apostolis comedit, conceptis verbis asserunt divini Amanuenses. *S. Matthæus* cap. 26. v. 17. *Prima autem die Azymorum*, inquit, *accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum Discipulis meis. Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespero autem facto, discumbebat cum duodecim Discipulis suis ..... Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum.* Sanctus Marcus cap. 14. v. 12. *Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha?* S. Lucas cap. 22. v. 7. *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Joannem dicens: Euntes parate nobis Pascha ut manducemus.* Ex quibus compertum est, Christum Dominum quarta decima die primi mensis ad vesperam Pascha legale comedisse, & novum Pascha comedisse instituendo Corporis & Sanguinis sui Sacramentum. A vespera porro diei decimæ-quartæ primi mensis usque ad diem vigesimam-primam ad vesperam, nullus erat apud Judæos usus fermentati, sed uni panes azymi comedebantur secundum legem Exodi 12. latam: *Septem diebus azyma comedetis: in die prima non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum peribit anima illa de Israel, a primo die, usque ad diem septimum.* Et Levitici 22. *Mense primo, quarta-decima die mensis ad vesperum, Phase Domini est; & quinta-decima die mensis hujus solemnitas Azymorum Domini est. Septem diebus Azyma comedetis.* Christus igitur qui legem accurate observabat, nec vel minimum ejus jota præteribat, fermentatum ad Cœnam mysticam non adhibuit.

Laudata porro Evangelii testimonia, quorumdam Græcorum sententiam erroris convincunt, qui Christum eo quo passus est anno Judaicum Pascha omnino prætermisisse asserunt; & id solum celebrasse quod ipse instituit, novum pro vetere. Quod Fragmentum quoddam *S. Petri* Alexandrini Episcopi & Martyris nomine inscriptum, & a *Casaubono* prolatum Exercitatione 19. ad Annales *Baronii*, & Anonymi duo a *Photio* laudati in Bibliotheca Cod. 115. & 116. & *Cedrenus*, opinati sunt. Hunc etiam errorem profligat authoritas *Origenis* Tractatu 35. in Matthæum; *S. Epiphanii* Hæresi 30. quæ est Ebionitarum: *Sancti Chrysostomi* Homilia 81. in Matthæum, & aliorum Patrum cum Græcorum, tum Latinorum. Unde *Photius* Codice 116. Anonymi *De sacro Paschæ Festo Volumen III.* recensens & expendens, ait: *Refert idem secundum illos alios adventus sui annos, Christum Dominum ac Deum nostrum lege præscriptum Pascha celebrasse, non item eo quo proditus est. Quod consideratione sane dignum, cum Chrysostomus & Ecclesia tunc ipsum doceant legitimum Pascha perfecisse, antequam Mysticam institueret Cœnam.*

Christus legalis Paschatis celebrationem non prætermisit.

Respondent alii, Christum, cum legis esset Dominus, Pascha non celebrasse die a lege præscripta, sed uno die celebrationem legitimam anticipasse: idque *S. Joannis Chrysostomi, Homiliæ 62. in Joannem, Theophylacti, & Euthymii* authoritate confirmant. Unde inferunt, Salvatorem Eucharistiam in fermentato pane, qui tum usualis erat, instituisse.

Christus Paschatis celebrandi legitimam diem non anticipavit.

Verum & hypothesis falsa est, & licet vera esset, conclusio non minus convinceretur falsitatis. Falsam dixi hypothesim. 1. Quia dicunt absque fundamento, Christum qui Legem non venerat solvere, sed adimplere, Pascha non celebrasse die a lege statuta. 2. Quia Christum *prima die Azymorum* Pascha celebrasse Evangelistæ testantur. Prima autem dies Azymorum erat 14. primi mensis ad vesperam. Christus itaque die legitima celebravit. 3. Quia nec pater-familias ille ad quem Christus misit discipulos, ut Pascha apud ipsum pararent, cœnaculum suum ad illud peragendum die non legitima præbuisset: nec Judæorum Sacerdotes, qui causas criminationum undique adversus Christum quærebant, ipsum quasi violatæ hac ipsa die legis reum accusare prætermisissent. 4. Si Christus ante Lunam 14. Pascha comedisset, validum inde & palmare peti potuisset adversus Quartodecimanos argumentum, cujus tamen altissimum apud Veteres silentium est. 5. *Sanctus Chrysostomus* non asserit Christum Pascha die non legitima celebrasse, immo potius contrarium affirmat, quamvis censeat Christum Judæos in celebratione Paschatis una die prævenisse. Illos, scilicet Festum distulisse ait contra præscriptum legis, ut facinus cædis Domini implerent: Christum vero Pascha die sua celebrasse. Ita enim habet Homilia 86. in Matthæum: *Cur Jesum ad Caipham duxerunt, ubi omnes erant congregati? Ut ex Pontificum sententia fierent omnia. Idcirco ad eum omnes convenerunt, qui illo anno Summum Pontificatum obtinebat, ubi pernoctarunt vigilantes, adeo ut Pascha ea nocte comedere neglexerint.* Subdit S. Joannis Evangelistæ verba: *Et ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Et prosequitur: *Unde liquido patet, cupiditate interficiendi Christum prævaricatos fuisse, ac alia die Pascha comedisse. Nam enim Christus tempus Paschæ transgressus est; sed illi audacissimi homines, & mille transgredientes legis præcepta, quoniam ira inflammati erant, & sæpe conati capere ipsum nihil capere potuerant, ex* in-

insperato nacti quod cupiebant, tempus Paschæ transposuerunt, ut ardentes cæde animos suos explerent. Eadem *S. Joannis* verba Homilia 82. in ejus Evangelium expendens, ait: *Sed quid significat, Ut manducarent Pascha? Atqui Jesus jam id fecerat uno die Azymorum. Sive ergo Pascha totam appellat solemnitatem, sive quod tunc faciebant; Christus autem pridie, cædem suam in Parasceve reservans, quando antiquitus celebratum erat.* His pugnantia scripsisse *S. Chrysostomus* videtur Homilia 83. in *Matthæum*, ubi de Judæis Dominum capientibus & vincientibus ait: *Ipsa nocte in qua comederunt Pascha tanta insania & tanto furore agitabantur.* Sed revera non pugnant: significat enim hoc in loco Judæos hoc perpetrasse facinus ipsa nocte, in qua majores eorum Pascha secundum legis præscripta celebrarant olim, & qua ipsi comedere debebant: quod his verbis explicat laudata in *Joannem* Homilia: *Quando antiquitus celebratum erat.* Hoc est, quando ex legis præscripto erat celebrandum.

Theophylactus Commentario in caput *S. Joannis*, S. Chrysostomo suffragatur. *Quod autem est*, inquit, *ut comederet Pascha? Sane Dominus illud fecit primo Azymorum. Vel igitur intelligamus per Pascha, Festum septem dierum: vel quod ipsi quidem manducaturi erant in Parasceve vespere. Ipse autem Dominus uno die prævenit, reservans sui occisionem. Parasceve, quando & olim fuit Pascha.*

Alia fuit in opinione *Euthymius*. Scripsit enim Christum *Paschatis tempus dispensative anticipasse uno die: quia noverat se decima-quarta die moriturum: siquidem æquum erat, ut die qua immolabatur figurativus agnus, & verus quoque Agnus immolaretur ut invicem responderent figura & veritas.* Subdit fermentatum panem appositum fuisse post Legalis Paschatis manducationem in cœna usuali; quia *nondum venerat decimus-quartus dies, quo omne fermentatum abjectum erat.* Mox rationem quærens, cur si Christus ante legitimum tempus Pascha peregerit, Judæi manifesta hac accusatione relicta falsum testimonium quærebant adversus Jesum, Respondet: *Quia sciebant nullam esse legem, quæ condemnaret eum qui Pascha ante tempus celebrasset, prævidente olim Deo quod futurum erat, nihilque de hoc statuente.* Verum assertionem ipse suam destruit *Euthymius*. Si enim Christus die Paschæ mori voluit, ut agni typici figuram verus Agnus impleret, cum certum sit ex Evangelistis vespera præcedente, id est, eodem die naturali secundum Judæos illum Pascha peregisse; sequitur eum non prævenisse tempus, sed die a lege constituta Pascha comedisse. Quo proinde uti fermentato nefas erat. Fictitium etiam est quod ait *Euthymius*, anticipationem diei legitimæ in celebritate Paschatis non fuisse Lege prohibitam. Cum enim dies lege præscripta esset, æque pugnabant contra legem anticipatio ac dilatio. Immo lex differri a nonnullis Paschatis celebrationem jubebat, cum scilicet immundi aut impediti erant; eos enim in sequentis mensis diem decimam-quartam Paschatis celebrationem differre lex præcipiebat, Numerorum cap. 9. *Loquere filiis Israel. Homo qui fuerit immundus super anima sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense secundo, quarta-decima die mensis ad vesperam: cum azymis & lactucis agrestibus comedant illud.* At lege permissam fuisse diei 14. ad vesperam anticipationem nullibi legimus. Nec probabile est Christum qui legem accuratissime semper observavit, eam in supremi Paschatis celebratione fuisse prætergressum. Non diffitemur ipsum prævenire diem legitimam potuisse, nec illegitimam eam futuram fuisse quam selegisset; siquidem legis erat Dominus: sed an id fecerit, quæstio est. Id asserit *Euthymius*, sed non probat: in eaque assertione *S. Chrysostomo* & aliis Patribus, immo Evangelistis adversatur. Quamobrem ab ipso discedimus. Quamquam etsi Christum diem legitimam in celebrando Paschate prævenisse Græci probassent, non ideo evicissent ipsum Eucharistiam in fermentato instituisse; cum longe esset verisimilius ipsum deinceps usum azymo post Cœnam typicam, sicut in ipsa Cœna, ut legem quantum in ipso erat, in omnibus impleret.

Græcorum errorem egregie refellit *Humbertus* Sylvæ-Candidæ Episcopus & S. R. E. Cardinalis in lib. contra Græcorum calumnias. „Administratis, *inquit*, Judæis materiam magnam sibi placendi super interfectione Domini, & permanendi in errore suo & fidem nostram evacuandi, si gloriantes nomine Christiano objecerint Christo quod Judæorum nemo objicere præsumpsit, nec tunc, nec modo, nisi forte vestro edoctus magisterio. Quamvis enim Principes Sacerdotum & omne Concilium quæsissent falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, & nec in verbis ejus invenissent, tamen tale aliquid quale vos objicitis nullus eorum objecit. Quod si fuisset objectum, solum sufficeret ad perdendum illum. Nec jam Pilato dicerent: *Nobis non licet interficere quemquam*; quia ipsi præcepta legis interfecissent fermentati participem...... Non-ne tot testibus iniquis in Dominum insurgentibus, & iniquitate mentiente sibi sufficeisset hoc unum vestrum mendacium, si constaret eis saltem hoc solum? Non-ne instarent Pilato, & dicerent: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia fermentatum in Pascha comedit? Forte dicetis eum clam egisse hoc. Absit. Quia non solum de factis suis, verum & de dictis ait ipsi Pontifici percunctanti; Ego palam locutus sum mundo, &c. Numquid etiam dominum domus in qua Pascha celebrabat, sanctæ Legis prævaricatio posset latere? Quod si forte & hunc latere potuit, aut certe ipse consensit: numquid & Judam complicem malignorum Judæorum latere potuit.

Christus legitima die Pascha celebravit.

Et infra: „Quia consideratis vestro fermentato secundum Legem & Evangelium juste contradici, astruere conamini Dominum non celebrasse Pascha cum Judæis quarta-decima luna primi mensis, sed priusquam fieret legalis abjectio fermentati. Et hoc probare contenditis ex Evangelio Joannis, qui ait: Et ipsi non introivere in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. „Quod quanta absurditate dicatur, saltem ex hoc perpendite quod Christum transgressorem legis non caveris denuo pronuntiare, si Paschæ tempus noluit observare. Præsertim cum Lucas referat, quia *cum facta esset hora, discubuit.* Quamvis enim bis posse celebrari Pascha Lex concedat, tamen quartam-decimam Lunam omnimodis observandam denuntiat. Et mundis quidem quartam decimam Lunam primi mensis, immundis autem quartam-decimam secundi mensis. Et quicumque aliter præsumpsisset, de medio populi sui periret.

Iisdem momentis Græcos urget Sanctissimus Pontifex *Leo IX.* Epistola 6. ad *Michaelem* Archiepiscopum Constantinopolitanum. At summam erga illos moderationem ostendit, permittens ut Eucharistiam ritu suo & consuetudine in fermentato conficerent, modo Romanæ Ecclesiæ Azymum consecranti non insultarent, nec ab ejus communione discederent: *Quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes.*

Latinæ Ecclesiæ in Azymo consecrantis usus vindicatur.

Latinæ porro Ecclesiæ in azymo consecrantis usum, non solum propter Christi exemplum, non tantum propter munditiam, verum etiam propter mysticas significationes, convenientiorem esse ritu Ecclesiæ Græcæ fermentatum ad Eucharistiam conficiendam adhibentis, probat Humbertus Sylvæ-Candidæ Episcopus & Cardinalis. „Romana, *inquit*, & Occidentalis Ecclesia a Ministris sacri Altaris in secretario confectum offert azymum, quod ex grano frumenti & limpida lympha per ignem fuerit præparatum, significans se in una Mediatoris Dei & hominum, hominis Dei Jesu Christi persona, tres perfectas credere & venerari substantias; humanam scilicet carnem, animam rationalem, & Verbum Dei Deum. Et granum quidem assimilari carni, quam de sola Virginis carne, quasi ex grano matris terræ, sola virtute cœlesti, non autem aliqua commixtione virili factam omnipotens Divinitas animavit: Puriorem substantiam, id est, animam, quasi aquam præclaram & nobilem ei infundens. Quas geminas substantias ab ipsius Virginalis Conceptionis exordio Verbum Dei rite suscepit, & me-

„ mediante suæ Divinitatis calore, tamquam igne sibi construxit, & consolidavit. Taliter præparatus azymus, fideli invocatione totius Trinitatis fit verum & singulare Corpus Christi.

S. Anselmus in Epistola ad *Walterannum*, contra Græcos usum azymorum in Sacrificio Missæ damnantes præclare disserit. „ De Sacrificio, *inquit*, in quo Græci nobiscum non sentiunt, multis rationabilibus Catholicis videtur, quia quod agunt, non contra Fidem Christianam. Nam & azymum & fermentatum panem sacrificans, sacrificat. Et cum legitur de Domino, quando corpus suum de pane fecit, quia accepit panem & benedixit, non additur azymum vel fermentatum. Certum tamen est quia azymum benedixit: forsitan non quia res quæ fiebat, hoc exigebat: sed quoniam Cœna, in qua hoc factum est, hoc exigebat. Et enim alibi se & carnem suam panem vocavit; quia sicut isto pane vivit homo temporaliter, ita illo vivit in æternum: Non ait azymum vel fermentatum, quia uterque pariter panis est. Non enim differunt azymus & fermentatus substantialiter, ut quidam putant .... Propter hoc ergo solum videtur se & carnem suam panem vocasse, & de pane corpus suum fecisse, quia sicut iste panis azymus vel fermentatus dat vitam transitoriam, ita corpus ejus æternam; non quia fermentatus est vel azymus: quamvis in Lege, ubi omnia ferme in figura fiebant, præceptum sit azymum in Pascha panem manducare; ut ostenderetur quod Christus quem expectabant, sincerus & mundus futurus esset, & nos qui manducaturi eramus corpus ejus, similiter mundi esse moneremur ab omni fermento nequitiæ & malitiæ. Jam vero postquam de veteri figura ad novam veritatem venimus, & azymum Christi carnem comedimus, non est nobis necessaria vetus illa figura in pane, de quo carnem ipsam conficimus. Apertissimum tamen est; quia melius sacrificatur de azymo, quam de fermentato: tum quia valde aptius & purius & diligentius fit, tum quia Dominus hoc fecit. Unde illud non est tacendum, quia cum Græci anathematizant Azymitas (sic enim nos vocant) anathematizant Christum. Si autem dicunt quia judaizamus, dicant similiter Christum judaizasse. At si audent asserere, Christum propter judaismum, ut præceptum de azymo datum servaret, de azymo corpus suum fecisse, absurdissime errant, cum illum tam sinceram novitatem fecisse in fermento vetustatis existimant. Patet igitur quia cum usus est azymo ad illud opus, non hoc fecit ut præceptum de azymo servaret, sed ut aut fermentarios, quos prævidebat, reprobans, azymitas approbaret: aut certe ut si etiam fermentarii approbarentur, azymitas quoque approbaret.

De eodem argumento legendus *Anselmus* Havelbergensis Episcopus lib. 3. *Dialogorum*.

Barlaamus natione Græcus, Hieracensis Episcopus, in Epistola ad Græcos, Ecclesiæ Latinæ ritum probat in usu azymorum, ejusque sapientiam ac moderationem erga Orientales commendat. „ Quoniam, *inquit*, Apostoli eadem nobis tradentes Mysteria, non distinxerunt sive fermentatum, sive azymum; sed Orientalis Ecclesia continuo incœpit fermentatum: Occidentalis vero azymum, eo quod gerit imaginem puritatis & sinceritatis & veritatis: Utraque ego quidem similiter adoro & colo. Latinos vero in tantum prudentiores æstimo, quod illi quidem minime Hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur; horum autem multi non timent in Sancta blasphemare.

Florentina Synodus æque in azymo vel fermentato Corpus Christi confici pronuntiavit, utriusque Ecclesiæ ritum approbans: & ab illarum Sacerdotibus observandum. Concilii Decretum egregie ac luculenter vindicat *Gennadius* Patriarcha Constantinopolitanus, in Expositione pro Concilio Florentino, cap. 2. censetque Christum die legitima Pascha celebrasse, adeoque Eucharistiam confecisse in azymis; Judæos vero celebrationem Paschatis in diem sequentem transtulisse probat: ac *Nicephorum Xantopholum*, qui Christum una die Pascha antevertisse, & die 13. peregisse effutit, diserte refellit.

Joannes Episcopus Citri scribens *Constantino* Archiepiscopo Dyrrachiensi, lib. 5. *Juris Græco-Romani*, ait Azymorum oblationem tanti momenti non esse, ut divisionem facere debeat inter Græcos & Latinos: quia æque panis est azymus & fermentatus. Idem asserit *Theorianus* Philosophus *Epistola ad Sacerdotes*, apud *Allatium* Exercitatione 24. adversus *Creigtonum*.

ARTICULUS II.

Græcorum Argumenta solvuntur.

I. OBjiciunt Græci, Christum agnum comedisse, & Cœnam Mysticam instituisse, nempe Eucharistiam, ante diem festum Paschæ: adeoque primam Eucharistiam non confecisse in azymis, cum nondum advenisset dies 14. qua ad vesperam azymorum usus incipiebat, ac fermentum ex omnibus Judæorum domibus eliminabatur. Antecedens probant primo ex Evangelio *S. Joannis* cap. 13. *Ante diem Festum Paschæ*, inquit, *sciens quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta*, &c. ubi dubium non est, S. Joannem *Ante diem Festum Paschæ*, non quemlibet Pascha præcedentem diem, sed proximum & pridianum appellare. *Græcorum objectiones.*

Secundo, id probant ex verbis ejusdem Evangelistæ cap. 18. *Erat autem mane, & ipsi non introierunt in Prætorium, ut ipsi non contaminarentur: sed ut manducarent Pascha.*

Tertio ex verbis ejusdem, cap. 19. *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Loquitur S. Joannes de tempore quo Christus damnatus & cruci affixus est, eumque ipsum diem Paschæ Parasceven appellat, id est, pridie ante Pascha.

Quarto ex illis verbis: *Judæi ergo, [quoniam Parasceve erat] ut non remanerent in cruce corpora Sabbato [erat enim magnus dies ille Sabbati] rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura & tollerentur.* Ait Evangelista magnum fuisse diem illum Sabbati, quasi non vulgare, sed sanctius atque celebrius quam cæteris annis; Sanctius autem esse non potuit, nisi si eodem die Paschæ Festum celebratum est; hac enim ratione vere magnum fuit: quia & Sabbatum, & Pascha.

Quinto ex verbis Judæorum de morte Christi in Concilio deliberantium: *Dicebant autem* (ut referunt *S. Matthæus* cap. 26. & *S. Marcus* cap. 14.) *Non in die festo ne forte tumultus fieret in populo.* Si Decretum istud servatum est, dies quo Christus est captus, festus Judæis non fuit: adeoque Christus Paschatis diem legitimum prævenit.

Sexto, Discipuli putarunt, cum Christus dixit Judæ, *quod facis, fac citius*, ipsum significare voluisse, ut *emeret ea quæ opus erant ad diem Festum*, utique Paschatis, quod Judæi erant in crastinum celebraturi.

Septimo, si eo die quo Christus mortuus est & Pascha celebraverat, legitima fuisset Paschæ dies, non licuisset *Joseph* homini justo Christum de cruce deponere ac sepelire, cum sanctæ illæ mulieres ne ad monumentum quidem ire, & Christum ungere voluerint propter diem Sabbati, ut refert *S. Lucas* cap. 23. *Et revertentes paraverunt aromata & unguenta. Et Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.*

Octavo, minus verisimile est Principes Sacerdotum & Seniores populi, qui se Religionis conservatores profitebantur, & Christum violatæ Religionis reum agebant, in ipsa ejus accusatione Religionem violare ausos, eumque die festo capere, in jus rapere, vexare omni contumelia, cædere, crucifigere: nec a populo sibi metuisse, contra quam Evangelista testatur.

Nono, secundum Legem, dies Pentecostes celebrabatur die quinquagesimo a secundo die Azymorum, ut colligitur ex Deuteronomii 16. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris. Et celebrabis diem festum hebdomadarum Do-*

mino

mino Deo tuo. Itaque si Pascha celebratum fuisset feria sexta, & secunda dies azymorum fuisset Sabbatum, eo anno Pentecoste die Sabbati fuisset celebrata.

Responsiones Toleti, Baronii & Bellarmini Cardinalium expenduntur.

II. Doctissimi Cardinales *Toletus*, *Baronius*, & *Bellarminus* ad primam objectionem respondent, *S. Joannem*, cum ait, *Ante diem Festum Paschæ* Christum cœnam mysticam celebrasse, de die artificiali ab ortu ad occasum; non de naturali, quod a vespera diei 14. ex instituto Judæorum incipiebat, esse intelligendum. Sed illa responsio omnibus non placet: absurde namque & improprie locutum S. Evangelistam nemo sibi persuadeat. Videretur autem improprie, immo & absurde locutus, si Paschalem Cœnam a Christo celebratam historice describens, dixisset ante diem Festum Paschatis fuisse factam, quia diei Paschalis pars posterior nondum advenerat, id est, dies artificialis. Nam Solemnitatis Paschalis pars præcipua ad priorem diei partem pertinebat, qua immolabatur & comedebatur agnus, eliminato fermento, protrahebaturque convivium ad primam noctem. Cum itaque peracta jam typica Cœna agni Paschalis, Christus pedes Apostolorum lavarit, & corpus ac sanguinem suum ipsis exhibuerit, ut singularis amoris argomentum ac pignus; idque nonnisi multa jam nocte, id est, die Paschæ aliquantulum provecto fieri potuerit; non potuit vere dici ante diem Festum Paschæ factum. Deinde modus ille loquendi, quo dicitur aliquid factum, ante diem festum, quia ante diem artificialem peractum est, non legitur ab Evangelistis alibi usurpatus. Quod enim ex S. Luca *Baronius* profert dicente: *Dies erat Parasceve, & Sabbatum illucescebat*, ad rem non facit. Nam τὸ *illucescit*, non solum de die artificiali dicitur, quando Sol lucet, sed de naturali die, qui ex Hebræorum consuetudine incipit a vespera cum Luna & alia sydera illucescunt, & apparitione sua diem naturalem inchoant.

Ad secundum respondent Cardinales laudati, Pascha in Scripturis appellari non solum agnum Paschalem, sed etiam quamvis aliam victimam, ex illis quæ per septem Azymorum dies copia ingenti mactabantur, Deuteronomii 16. *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus & bobus, in loco quem elegerit Dominus*. Verum de Agni Paschalis manducatione, & prima solemnitate Azymorum intelligendum Evangelistam, probant illa verba: *Ut non contaminarentur*. Præceptum enim de vitanda immunditia vel proprium ejus diei fuit, quo Paschalis agnus immolabatur & comedebatur: vel commune diei primo & ultimo, quos dies a cæteris Deus separat, & solemnes esse jubet, Numerorum 28. & utrumque cœtum vocat *Congregationem Sanctam*. Alioqui si per continuos dies septem idem præceptum fuisses observandum, Judæis fuisses intolerabile, cum tam multis, tam levibus, tam passim occurrentibus rebus pollutio contraheretur, ut vix se diem unum mundos servare possent, dies autem azymorum septem essent, quo tempore & victimæ immolabantur, & a Sacerdotibus edebantur, & azyma comedebantur a singulis; ita ut qui fermentato uteretur, mortis reus esset. Præterea, verba illa, *ut comederent Pascha*, de solo agno Paschali, non de aliis victimis intelligi debere, ex eo constat, quod nullus proferri possit Scripturæ Sacræ locus, in quo aliæ ab agno Paschali victimæ Pascha nuncupentur, multo minus azyma. Nec *Baronio* & *Bellarmino* favet laudatus Deuteronomii locus: qui quo sensu sit intelligendus, Hebraica Veritas docet, secundum quam vertendum est: *Immolabis Phase Domino Deo tuo pecudes, & boves*. Pro quo Latinus Interpres vertit: *De ovibus & de bobus*. Textus Hebraicus duplex genus sacrificiorum commemorat, Pascha, id est agnum Paschalem; & oves ac boves, hoc est, oblationem pacificam, quæ die 14. ante agni mactationem ex ovibus offerebatur, ut tota docet Rabbinorum natio.

Ad tertium locum respondent iidem Cardinales, Parasceven Paschæ a *S. Joanne* non appellari pervigilium Paschatis, sed per vigilium Sabbati occurrentis in Solemnitate Paschali. Namque Sabbati solius Parasceve erat quia festivis aliis diebus licitum erat ea parare quæ ad victum opus erant, etiam in ipsa Solemnitate Paschali, ut a Deo constitutum est Exodi 12. *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent*. Quod autem esset Parasceve Sabbati, constat ex ipso cap. 19. S. Joannis. *Itaque Judæi [quoniam Parasceve erat] ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati)* &c. *Et Marci* 15. *Erat autem Parasceve quod est ante Sabbatum*. Verum non video quomodo recte dici potuerit Parasceve Paschæ, nisi esset Parasceve Sabbati quo celebrabatur eo anno Festum Paschatis: ac propterea magnus dicebatur Sabbati dies, non propter ipsius Sabbati religionem, nec propter concursum secundæ diei azymorum quæ cum solemnis non esset, Sabbatum non efficiebat solemnius, sed propter concursum primæ diei azymorum, quæ proprie dicebatur Pascha, & *Dies magnus*, sive *Dies bonus* ab Hebræis vocabatur. Quod vero laudati Cardinales asserunt *S. Joannem* Parascevem Paschæ appellasse Parascevem Sabbati quæ dies erat una ex Paschalibus, tam ab humano more loquendi remotum est, quam si, cum Festum Sancti Joannis Baptistæ pridie Festi Corporis Christi celebratur, de eo die aliquis loquens, Vigiliam, S. Joannis appellaret, non quod Festi S. Joannis Vigilia esset, sed Vigilia Corporis Christi, quæ in Festum S. Joannis incidisset.

Ad quartum locum respondent, Non vocasse *S. Joannem* Sabbatum illud magnum, quod eo die Judæi Pascha celebrarent, sed quod una ex diebus azymorum esses. Verum, ut alii Viri Eruditi dudum observarunt, ea responsio cum S. Evangelistæ proposito non convenit. Reddebat enim rationem cur Judæi *Pilatum* rogarint, ut Christo, & latronibus crura frangerentur, quo citius animam efflarent, & ante diem Sabbati de cruce deponerentur, quia die Sabbati deponi non poterant, & manere suspensa minime decebat, multo minus quia magnus erat Sabbati dies. At dies azymorum non prohibebant quin corpora de cruce tollerentur, cum festivi non essent, exceptis primo & septimo: cultum igitur singularem & eximium Sabbato non addebant, ratione cujus solemnius esset, ac *magnus dies* diceretur: sed ita vocabatur, quia dies erat Paschatis, ut *S. Isidorus Pelusiota* observat lib. 3. Epistola 110. ad *Isidorum Diaconum*, dicens: *Sabbatum Festum omne nuncupatur. Ac propterea dictum est, Sabbata Sabbatorum, quoniam interdum Festi Principium aut finis in hebdomade Sabbatum incidebant. Quemadmodum etiam apud nos plerumque contingit. Nam cum Epiphania aut Domini Nativitas Dominico die occurrit duplicem Solemnitatem efficit, & velut festum in festo. Eodem quoque modo apud illos, si Festum in Sabbati diem incidisset, vocabatur Sabbata Sabbatorum*.

Ad quintum locum negat *Baronius* hoc decretum de Christo non capiendo die festo, religionis causa factum fuisse. Negat etiam fuisse servatum, Principibus Sacerdotum occasione utentibus Judæ Proditoris operam suam ultro offerentis. Verum nec decretum illud servatum non fuisse doctissimus Cardinalis probat, cum eadem esset metuendi ratio ne tumultus a populo concitaretur. Et Religionis causa factum fuisse ex eo constat, quod Judicium criminale die sacro administrare, & capitale supplicium exigere non liceret, ut testatur *Moses Ben Maimon* lib. ultimo *Jad*, Sectione prima quæ inscribitur *Sanedrim*, cap. undecimo, tractans de variis differentiis inter Judicia *Mammonoth*, id est, civilia; & *Animarum* sive Capitalia, *Judices*, inquit, *rerum capitalium non judicant in Parasceve Sabbati, aut in Parasceve diei festi: quia non debet id fieri, & reus occidi postridie non potest*.

Ad sextum respondent, Evangelistam Festi nomine Sabbatum intellexisse omnium solemnissimum. Sed nec Sabbatum simpliciter dies Festus vocari solet; nec unum altero solemnius est, nisi propter alterius solemnitatis concursum. Cum itaque ex diebus Azymorum primus tantum & septimus solemnes essent; Sabbatum quod illo dierum intervallo celebrabatur, non erat solemnius, nisi simul prima aut septima esset Azymorum dies,

Ad septimum respondent, in Festo prohibita fuisse opera servilia, sed non opera charitatis & pietatis, quale

le erat mortuos sepelire, ut constat ex *Tobiæ* facto. At multo probabilius est, mortuorum sepulturam diebus Festis fuisse prohibitam. Quid enim magis die festo prohibitum, quam illud opus quo pollutio contrahitur? Quæ porro major ex Lege pollutio, quam contactus mortui? *Tobias* quidem Festo die mortuum sepelivit, sed juris communis id non fuit, verum necessitatis. Si autem die Paschatis fas fuisset Judicia capitis exercere, reos damnare, & morte afficere, juris etiam fuisset ordinarii eodem die mortuos sepelire. Id vero falsum esse probat illud ipsum quod profertur *Tobiæ* exemplum. Nam Festum ipsum abrupisse, & pollutionem ex contactu mortui contraxisse, verba Scripturæ indicant: *Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu & tremore memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam; Dies Festi vestri convertentur in lamentationem & luctum.*

Tob. 2.

Ad Octavum respondent, Principes Sacerdotum & Seniores populi hæc perpetrasse, non quod illa crederent licita; sed quia Legem, & authorem Legis Deum ludibrio habebant, ut homines perditi, & ad omne scelus projecti, satisque se religiosos existimasse, si hæc per sese non exequerentur: Verum longe probabilius est ipsos, ut erant insignes hypocritæ, Legis observatores egregios quantum ad exteriorem corticem videri voluisse, quantumvis medullam divinorum præceptorum flocci facerent; adeoque die Festo ea patrare non ausos, maxime ob metum popularis tumultus.

Ad nonum respondet *Bellarminus* quinquaginta dies enumerari debuisse a die altera Azymorum, si profana esset, non vero si esset Sacra & Sabbatum: quia non licebat metere die Sabbati, sicut nec arare. Unde cum esset metendus manipulus novarum frugum, qui Deo offerretur, oblatio illa differebatur in tertiam diem Azymorum, si secunda esset dies Sabbati. Porro quo anno passus est Christus, secundus dies Azymorum erat Sabbatum. Igitur manipuli oblatio non est facta, nisi die tertia, quæ prima fuit Christianorum Dominica dies. Unde cum a die hujusce oblationis quinquaginta dies, qui in Pentecosten desinebant, numerari deberent, Pentecostes in diem Dominicum eo anno incidit. Verum *Bellarmino* adversatur *Josephus* lib. 3. *Antiquitatum*, cap. 10. *Secunda*, inquit, *Azymorum die, quæ est mensis hujus decimasexta, frugibus demessis, & hactenus intactis incipiant frui: æquumque rati Deum hujus ubertatis authorem per gratitudinem honorari, hordei primitias offerunt*, &c. *Primitiorum tempore agnus in holocaustum Deo mactatur. Post hoc Sacrum elapsis septem septimanis, hoc est, quadraginta-novem diebus, quinquagesima, quam a numero asartha Hebræi vocant, offerunt Deo panem*, &c.

Judæos Pascha celebrasse die Sabbati, & Feria sexta ad vesperam agnum immolasse Viri Eruditi censent.

III. Missis itaque doctissimorum Cardinalium solutionibus, respondent alii his argumentis, dumtaxat confici, Judæos Pascha celebrasse die Sabbati, quo anno passus est Christus. Salvatorem vero die Jovis ad vesperam. Christus, præscriptum Legis secutus est; Judæi Decretum Synedrii Majorumque traditionem; secundum quam si Pascha in Feriam sextam incideret, in sequentem Sabbati diem transferebatur, ne duo continenter dies Festi consequerentur, quod populo grave erat; cum nec sepeliri mortuos, nec alia ejusmodi, etiam pia opera, nec multum laboriosa diebus Festis facere possent. *Paulus* Burgensis Episcopus, genere Judæus ex sanguine Levitico descendens, ut scribit ipse de se, & Hebraicæ literaturæ peritissimus, ex Canone Hebraici Kalendarii, *Adu*, hanc traditionem egregie confirmat. Cujus Sententiæ *Paulus* Forosemproniensis Episcopus, *Joannes Lucidus*, *Onufrius Panvinius*, *Joannes Henteniar*, *Jansenius* Episcopus Gandavensis, *Maldonatus* e S. J. doctissimus Scripturarum interpres, aliique viri eruditi suffragantur. Quæ autem contra Judaicam illam de translatione Feriarum doctrinam ex *Anatolio*, *Philone & Josepho Baronius* objicit, solum probare ajunt, Judæos servasse institutum celebrandi Pascha post Æquinoctium vernum, cum Luna erat plena, die 14. mensis Nisan. Nempe hoc ipsum Authores istos dicere, quod in Lege Dei verbis præcipitur. Loquuntur enim de ordinaria solemnitate & magis frequenti. Nam translatio Canone *Adu* præscripta non fiebat singulis annis, nec posterius illud Synedrii Decretum Legem Dei antiquavit, sed dumtaxat interpretatum est, & commodiorem ejus usum docuit, ut explicat *Paulus Burgensis*. Unum est hac in opinione incommodum, quod ne duæ Festivitates concurrerent, necesse fuerit diem septimam Azymorum absque solemnitate transigi eo anno quo prima Azymorum Sabbato celebrabatur; & solemnitatem diei septimæ quæ in sextam Feriam incidebat, in Sabbatum transferri secundum Canonem Hebraici Kalendarii; adeoque non septimam Azymorum secundum Legem, sed octavam, in qua non comedebantur amplius Azyma, fuisse Sacram Hebræis, quod aperte contra Legem erat. Verum nemini mirum videri debet, quod septimæ diei Azymorum solemnitatem transferrent, qui primam transferebant, in utroque Legem Traditioni Majorum suorum postponentes. Die tamen septima cessabat Azymorum usus, in quamcumque Feriam incideret; sed solemnitas, sacrificia, publici conventus in Templum & Synagogas, cessatio demum ab operis, in Sabbatum remittebantur, si septima dies Azymorum cum Feria sexta concurreret.

Canon Adu.

Unum opponit *Baronius ex S. Joanne*, hæc scilicet *Pilati* verba: *Est autem consuetudo vobis ut unum vobis dimittam in Pascha*. Ex quo loco ita disputat: *Pilatus* ait morem esse, ut in die Paschatis unum captivum in gratiam ipsorum liberet: idemque *Pilatus* vult Christum jam dimittere; ergo is erat dies Paschatis.

Verum quæ in gratiam solemnitatis Paschalis fiebat captivi liberatio, recte dicebatur fieri in Pascha, etiamsi die Parasceves ejusmodi negotium juridicum procuraretur, quando cætera ad Festum pertinentia curare moris erat. Sic apud Christianos multa quæ Sabbato Sancto ex Ecclesiæ ritu peraguntur, dicuntur in Paschate fieri. Cum ergo Festum Paschatis a Judæis eodem die ad vesperam esset inchoandum, quam ob rem non ingrediebantur in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha; potuit dicere Pilatus: *Est autem consuetudo vobis ut unum vobis dimittam in Pascha*.

Ne autem importune quis objiciat, nullum esse fundamentum quo mos ille transferendi Paschatis Judæis solemnis fuisse asseratur. Nullum enim esse hujus opinionis vindices in Lege fatentur, cujus Decretis repugnant; sed in Hebræorum Traditionibus, quarum fidem faciunt & ipsorum Kalendarium, & Rabinorum Scripta, contendunt esse gravissimum. Et aliunde ex Evangelio *S. Joannis* evidenter colligi arbitrantur, Judæos ipso die Passionis Christi ad vesperam Pascha inchoasse, & Salvatorem nostrum Pascha suum celebrasse *ante diem Festum Paschæ* Judæorum. Cum itaque credibile non sit Christum a præscripto Legis deviasse, & tempore non legitimo Pascha celebrasse; maxime cum alii Evangelistæ observent illum Cœnam Mysticam peregisse *die prima Azymorum*, id est, die cui Azymorum solemnitas & Agni Paschalis immolatio secundum Legem affixa erat; perspicuum est Judæos transtulisse Festum Paschæ eo anno, & transgressos fuisse Mandatum Dei propter Traditionem suam. Quod ipsis & in aliis rebus merito Christus exprobraverat. Ita viri eruditi respondent. Alii, Traditionem illam de translatione Paschatis si in Feriam 6. incideret, Christi Passione multo posteriorem esse contendunt, idque testimonio Rabbi *Abenezra* confirmant qui in Misna & in Thalmud longe post Christi Passionem scriptis, Pascha Feria 6. inveniri observat, absque ulla hujusmodi translationis mentione. Quæ probabilior visa fuerit, quisque sequatur sententiam.

Græcorum Schismaticorum argumentis adversus panis azymi usum in consecratione Eucharistiæ respondetur.

IV. Objiciunt Græci Schismatici post *Michaelem Cerularium*, Azymum non esse verum panem. Panis enim Græce ἄρτος dicitur, hoc est, elevatus, a fermento & sale calorem & elevationem habens. Cum itaque Christus acceptum panem benedixerit, fregerit, Discipulisque dederit dicens, *Hoc est Corpus meum*; Eucharistiam in fermentato, non in Azymo consecravit, idemque a nobis præstandum est, si conficere Sacramentum velimus.

Respondet *Humbertus* Sylvæ Candidæ Episcopus, & Gre-

& *Gennadius* Constantinopolitanus Patriarcha, etymologias nominum ex hominum placito, non ex rerum natura sæpe duci; & in Scriptura Sacra æque panem azymum ac fermentatum appellari. Exodi 29. Dominus ait: *Tolle Vitulum panesque azymos, & crustulam absque fermento*. Angelus Judicum. 6. *Gedeoni* ait: *Tolle carnes & azymos panes*. Davidi panes Propositionis, quos azymos fuisse constat, seu veros panes Princeps Sacerdotum comedendos dedit. Et de Discipulis apud Emmauntem manducantibus scribit S. Lucas: *Cognoverunt eum in fractione panis*: utique azymi. Erat enim una ex diebus azymorum. Denique *S. Matthaeus* qui Hebraice scripsit, non usurpavit vocem ἄρτος quæ Græca est, sed Hebraicam *Lechem*, quæ panem absque fermento etiam significat, ut constat ex Deuteronomio, & ex Psalmo 77. Laudat etiam *Gennadius* contra Græcos *Theodoreti* sententiam in Commentario Danielis Prophetæ scribentis: *Panis dicitur fermentatus & azymus. Laudat & S. Gregorium Magnum* dicentem: *Solet multos perturbare quamobrem in Ecclesia quidam panes azymos, quidam offerunt fermentatos. Romana Ecclesia affert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commistione suscepit carnem: sed cæteræ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, & est verus Deus & verus homo. Item & fermentum commiscetur farinæ, & efficitur Corpus Domini nostri Jesu Christi veri; sed sive in azymo, sive in fermentato conficiatur, Domini Corpus & Salvatoris nostri sumimus*. Hoc idem testimonium refert *S. Thomas* 3. Part. Quæst. 74. Art. 4. & in Catena super *Matthaeum*, & ex ejus Regesto depromptum ait; sed nec in Epistolis, nec in Dialogis, nec in aliis *S. Gregorii* Operibus reperitur.

Objiciebat secundo *Michael Cerularius*, Azyma esse malæ passionis & tribulationis symbola; nostrum vero Pascha gaudium & lætitiam totum esse, indeque colligebat azyma non esse aptam Eucharistiæ materiam.

Respondet *Humbertus*, Moysem nusquam azyma vocasse malæ passionis & tribulationis symbola, sed *panem afflictionis*; non quod naturaliter aliquid afflictionis in se haberet, sed quod Hebræis ad memoriam revocaret, qui ab Ægypto exire compulsi, conspersam farinam; antequam fermentaretur, humeris asportarint. Nostrum vero Pascha gaudii & lætitiæ plenum est, in terra scilicet viventium; quia hoc nemini concessum est in terra morientium, ubi & de præteritis scandalis subest gemitus, & de futuris metus.

Objiciebat tertio *Michael*, Symbolicas Novi Testamenti parabolas soli fermento, non azymo convenire, Christum Discipulis dixisse, *Vos estis sal terræ*. Et, *Simile est Regnum Cælorum fermento, quod accipiens, mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*. Mulierem Sanctam Ecclesiam vocat; satis vero tribus, hoc est, tribus modiis repletis, Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum significat, quorum nequaquam azymum est particeps. Unde sequitur, non esse legitimam Sacrosanctæ Eucharistiæ materiam.

Respondet *Humbertus*, ipsum verba, quæ spiritus & vita sunt, ad literam inepte interpretari. Nihil superesse, nisi ut fermento aliquid palmitum & sinapis Græci adjungant, quia Christus Discipulis etiam dixit; *Vos estis palmites*; Et, *Simile est Regnum Cælorum grano sinapis*. Ipsorum de fermento expositionem merito sugillat. *Si enim, inquit, mulier illa Ecclesiam signat, & tria sata Sanctam Trinitatem: ubi, & quando, & ad quid Ecclesia in Sancta Trinitate fermentum abscondit? An forte quisquam summo & incommutabili bono Deo quidquam augmenti aliquando conferre potuit, aut poterit? Quamobrem convenientius Parabolam hanc exposuissetis, si Regnum Cælorum Sanctam Ecclesiam significare dixissetis; fermentum autem, doctrinam Apostolicam; tria sata, tres filios Noe, quibus post diluvium mensuratur farina, id est, totius humani generis massa. In qua utique mulier, id est, coæterna Deo Patri Sapientia facta ex muliere, doctrinam Apostolicam quasi fermentum recondidit, & Regnum Cælorum, id est, præsentem Ecclesiam ex diversis nationibus coadunavit*. Addit, fermentum in divinis & humanis literis in malam partem accipi. Namque Dominus in Evangelio ait: *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, Et S. Paulus: *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum*. Et paulopost: *Epulemur non in fermento malitiæ & nequitiæ*. Et Satyricus Poeta *Persius* pravos & effœminatos Romanorum mores arguens ait:

Matth. 16. 1. Cor. 5.

Quid didicisse nisi hoc fermentum, ex quo semel intus
Innata est rupto jecore, exierit caprificus?

Nusquam in Scripturis fermentum in bonam partem accipi nisi semel *Humbertus* observat; ubi nempe Christus Regnum Cælorum fermento simile pronuntiat. Contra vero azyma faustam semper significationem habere, & sinceritatem ac veritatem designare, sicut Apostolus ait: *Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis*. Cavendum esse Græcis, ne si pertinaciter azymorum usum damnare pergant, & in solo fermentato Eucharistiam legitime confici contendant, Prophetam audiant sibi exprobrantem: *Ite ad Bethel, & impie agite, sacrificate de fermentato laudem*. Legatur & *Anselmus* Havelburgensis Episcopus lib. 3. *Dialogorum*, cap. 17. cujus argumentum est: *Quod fermentum in Divina Scriptura nusquam in bono accipitur; & quod minus est habile ad tractandum caute*.

Objiciebat *Michael Cerularius*, Latinos, qui in azymis Eucharistiam conficiunt, cum Judæis communicare; cum Legalibus cæremoniis usum azymorum fuisse abrogatum & maledictum; adeoque in Sacrificio Dominico perperam adhiberi.

Respondet *Humbertus* Cardinalis, eadem ratione colligi posse Græcos cum Judæis communicare, & fermentum esse maledictum, quia Judæis pariter præscriptum est. *Itaque*, inquit, *si azyma, quemadmodum adstruere conamini, per Christum & ejus Evangelium fuerunt maledicta, reprobata, & derelicta; & ideo deinceps, non debere offerri in Sacrificio Domini, quia per Moysen constituta sunt Judæis: sciatis per Moysen quoque fermentatum constitutum Judæis, sicut in Levitico dicit*: Hæc est Lex hostiæ Pacificorum. Offeret panes fermentatos cum hostia gratiarum, quæ offertur pro pacificis. *Idem Moyses in eodem*. In Pentecoste offeretis panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ, &c. *Quapropter si a nobis non debent offerri azyma, quia Mosaica sunt, nec a vobis debent offerri fermentatum & sal, quia æque Mosaica sunt. Et quia ab Apostolo audientes*: Vetera transierunt, ecce facta sunt nova, *insipienter putatis omnia Veteris Testamenti reprobata & penitus destructa, & ad nihilum redacta sacramenta. Hinc jam perpendatis necesse est ad quantas difficultates properet hæc vestra opinio. Denique si vetera non proficiendo, sed deficiendo transierunt, unde vobis templum, altare, Sacrificium candelabrum, cortina, Sanctum Chrisma, & thymiama, aspersionis aqua, thuribulum, & cætera Sancti Ministerii vasa seu ornamenta aut vestimenta Sacerdotalia? Unde vobis Encænia, Pentecostes, & Pascha? Unde vobis Pontifices, Sacerdotes & Levitæ?* Multa itaque in Nova Lege usurpari, quæ in Veteri erant perspicuum est; sed non eodem fine; quia quidquid ad cultum Dei vetus ille populus cœlitus acceperat, ad novum per Christum translatum est, ab umbra scilicet ad veritatem, a signis ad res, a timore ad amorem, a servitute ad libertatem, a filiis iræ ad filios gratiæ, a carne ad spiritum. Itaque „ Azymum Christianorum longe distat ab Azymo carnalium Judæorum, quos ad umbram veritatis observandam & captandam sola promissio & desiderium terrenæ fœlicitatis invitabat. Nos vero corpus veritatis ex azymo & in azymo rite venerantes atque retinentes, ore & corde prægustamus jam quam suavis est Dominus: unum petentes ab ipso, & hoc requirentes, ut maneamus in eo, & ipse in nobis in æternum.

Levit. 7. 13. Levit. 23. 1. Cor. 5.

Eodem modo ad hanc Græcorum objectionem respondet *S. Anselmus* in Epistola ad *Waleramnum* Naumburgensem Episcopum; „ Quod Græci ajunt nos judaizare, non est verum. Quia non sacrificamus de Azymo ut Legem Veterem servemus, sed ut hoc diligentius fiat, & Dominum qui hoc non judaizando fecit, imitemur. Cum enim facimus a-

„ liquid quod Judæi, ut Judaismum servarent, faciebant, non judaizamus, quia non propter Judaismum, sed propter aliam causam hoc agimus. Si enim in diebus Paschæ azymum panem aliquis comedat, sive quia non habet alium, sive quia illo magis delectatur quam fermentato: aut si quis propter infirmitatem præputium circomcidere cogitur: aut si bovi suo quis trituranti, ne esuriat, os non obturat, nullus nisi insipiens hæc agentem judaizare judicabit. Cum ergo nos panem azymum sacrificamus, ut per azymi figuram talem Dominum Jesum fuisse significemus, vel ut ipsum panem in Corpus ejus, divina operante virtute, sicut ipse fecit, sanctificemus, nequaquam in hoc Legis vetustatem servamus, sed Evangelii veritatem celebramus.

Et infra: *Non judaizamus, si figuram tenemus in azymo: quoniam non significamus Christum sine fermento peccati venturum, tamquam Judæi, sed monstramus eum talem venisse, sicut Christiani; & per hoc monemur tales nosmetipsos exhibere, quale Pascha nostrum est, quod manducamus. Illi autem nec Judæos nec Christianos in hoc se profitentur, quia Deum in fermenti sui figura nec venturum, ut Judæi, nec venisse, ut Christiani, sine peccato significant: sed potius Paganis favere videatur, qui illum, sicut alios homines, peccato fermentatum existimant. Si vero ajunt, Christianos non debere uti figuris, quia vetera transierunt, in quibus erant necessaria, negent baptismum esse figuram cujusdam mortis & sepulturæ, contra Apostolum dicentem:* „ Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. *Aut si concedunt nos uti figuris, sed non iisdem rebus, quibus in figura Lex Vetus utebatur: & ideo non esse panem azymum assumendum ad ullam figuram, quia ad hoc in eadem Lege accipitur: non baptizent in aqua; quoniam Patres nostri omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: quod negari nequit in figura fuisse. Vitent quoque aquam, ne videantur baptizare baptismo Joannis, qui baptizavit aqua. Si ergo irreprehensibiliter figurate baptizamus in aqua, licet illud baptisma vetus, quod fuit hujus novi figura, in aqua fuerit: quænam est ista Græcorum sapientia: qui propter hoc quia vetus Pascha, per quod nostrum figuratum est, celebratum est in Azymis, detestantur nos sacrificare Corpus Christi, qui est Pascha nostrum, de Azymo in figura? sive ad commemorandum quia talis fuit ille, cujus corpus sacrificamus, scilicet sine peccati infectione; sive ad commonendum nos, quia corpus ejus comedimus, tales debere esse, secundum Apostolum dicentem:* „ Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; sed in Azymis sinceritatis & veritatis. *Sive itaque in figura sacrificemus azymum panem, sive sine omni figura, nullatenus nos Græci reprehensibiles valent ostendere. Sed aut soli nos bene agimus, illi non bene: aut nos melius & diligentius, si illi bene.*

Objiciebat *Nechites* Nicomediæ Archiepiscopus, *Melchiadis* & *Siricii* Romanorum Pontificum Decreta de fermento in Missæ Sacrificio adhibendo.

Respondet *Anselmus Havelburgensis* lib. 3. *Dialogorum*, hæc Decreta de Eulogiis, non de Eucharistia accipienda esse. Deinde, dato quod de Eucharistia intelligi debeant, potius observanda aliorum longe plurimorum statuta, & Romanæ Ecclesiæ, & aliarum consuetudinem. *Si authoritatem*, inquit, *Apostolicæ Sedis consideras in duobus, eamdem authoritatem scias prævalere in pluribus. Præterea, sicut tu nosti, Synodus Synodum solvit aliquando considerata meliori ratione, aliquando necessitate, aliquando utilitate, aliquando temporum qualitate; & hoc totum fit juxta discretionem Præsidentium, quos tunc vel nunc Deus suæ Ecclesiæ præesse voluit, quibus & claves discretionis & potestatis in omne opus divinum commisit, salvo semper & immoto Catholicæ Fidei fundamento.*

ARTICULUS III.

An perpetuus fuerit usus Fermentati in Ecclesia Græca, & perpetuus item usus Azymorum in Latina?

I. SAnctus Thomas in 4. Sententiarum Distinct. 11. Quæst. 2. Art. 2. Quæstiune. 3. *Alexander Alensis* Part. 4. de Sacramento Eucharistiæ, Quæst. 10. Membro 4. Art. 1. §. 3. *S. Bonaventura* in 4. Sententiarum Distinct. 11. Art. 2. Quæst. 1. *Scotus*, *Durandus*, aliique veteres Scholastici, quos & recentiores secuti sunt, scriptis prodidere, utramque Ecclesiam, Græcam pariter & Latinam, post Eucharistici Sacrificii institutionem & deinceps Azymis usam fuisse exemplo Christi, qui in Azymis consecravit. Postea vero, cum exorta esset Ebionitarum hæresis, qui Legem simul cum Evangelio observandam esse asserebant, ac propterea pane azymo in Mysteriis utebantur; universam Ecclesiam cum Orientalem, tum Occidentalem, in istius execrationem hæreseos, rejectis azymis, panem fermentatum ad conficiendam Eucharistiam adhibuisse. Tandem illa extincta hæresi, Latinam Ecclesiam ad pristinum Azymorum usum rediisse, Græcos usum fermenti ea receptum occasione retinuisse. Verum hanc historiam summo Veterum silentio falsitatis convictam, & absque ulla probatione ab Authoribus laudatis assertam, Eruditi omnes modo rejiciunt. Inter Ebionitarum quidem errores *S. Epiphanius* hunc recenset, quod Mysteria quotannis celebrabant ad Ecclesiæ & Sanctorum imitationem, in quibus panes azymos, & solam aquam adhibebant: sed hujus erroris occasione introductum fuisse fermentati usum in Sacrificio, ne leviter quidem innuit. Quod autem ait, ipsos ad imitationem Ecclesiæ & Sanctorum, Mysteria in Azymis celebrasse, non probat Ecclesiam in Azymis consecrasse Apostolorum temporibus. Nam imitatio Sanctorum ad ipsa tantum Mysteria, non ad eorum materiam referenda est, secundum *S. Epiphanii* sensum: alioqui & aquam adhibuisse ad imitationem Ecclesiæ & Sanctorum dicendi essent. Accedit, quod si Ecclesia universa tunc Azymis usa esset, vitio datum non esset Ebionitis, quod Mysteria in Azymis conficerent. Unde ex *S. Epiphanio* potius colligitur Ebionitas reprehensos fuisse, quod usu fermenti abdicato, qui tum in Ecclesia Orientali communis erat, Azymum ad Mysteria sua adhibuerint, ut suum necessaria Mosaicæ Legis observantia errorem Azymorum usu confirmarent.

II. Sane perpetuum fuisse apud Græcos fermentati usum, colligitur ex Græcis Patribus, qui panem consecrandum *communem* & usitatum vocant. Ita *S. Justinus Martyr* in Apologia ad Imperatores, *S. Irenæus* lib. 4. cap. 34. *S. Gregorius Nyssenus* Oratione in Baptismum Christi, *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi Mystagogica tertia, *S. Isidorus Pelusiota* Epistola 109. lib. 1. & *Theodorus Abucara* Opusculo 22. ubi Saracenum sic loquentem inducit: *Ex una farina duobus panibus confectis, unum in cibum communem relinquitis, alterum in particulis partitum populis distributis & nominatis Christi Corpus.* Expressius esset Origenis testimonium, si certum esset ipsum de Novi Testamenti Sacrificio locutum, cum ait in cap. 2. *S. Matthæi* de fermento Pharisæorum differens: *An non & aliquando fermentum offertur super Altare?* Joannes Philoponus in Disputatione de Paschate contendit Christum ultimam Cœnam ante dies Azymorum celebrasse, quia si in Azymis Eucharistiam instituisset, *hoc etiam*, inquit, *nunc fieret*. Sexto igitur sæculo cadente, quo tempore scribebat *Philoponus*, Græci Eucharistiam in fermentato conficiebant. Ex veteribus etiam Liturgiis ante Schisma scriptis constat, ipsos ad Sacrificium panem integrum & turgidum justæque magnitudinis attulisse, ex quo particulas consecrandas lanceola incidebant, ut etiamnum faciunt. Armeniis a Græcis vitio datum, quod Azymis uterentur. Quem usum apud eos incœpisse circa tempora 6. Synodi Generalis, postquam ad Eutychianam hæresim defecerant, ex Decreto Conciliabuli

buli in urbe Manafchierti, in confinibus Hircanæ Provinciæ, a *Joanne Ozniensi* Patriarcha coacti, refert *Clemens Galenus* lib. 1. cap. 17. Hinc Formula vetus renuntiationis seu abjurationis Armenorum ad Fidem Catholicam, & ad concordiam cum Ecclesia Græca redeuntium, quam *Joannes Cotelerius* vir doctissimus in Notis ad lib. 5. Constitutionum Apostolicarum descripsit, hoc habet Anathema: *Si quis in panem Oblationis non immittit fermentum & sal, nec aquam cum vino in sanctum Calicem, Anathema sit.* Photius Epistola 64. variam per varias Ecclesias in Mysticis Sacrificiis agnoscit Disciplinam, quod ad panem Eucharisticum referri potest, qui in Ecclesia Græca fermentatus erat, in Latina eo tempore passim azymus. *Humbertus* Cardinalis scribit, Græcos tempore sextæ Synodi usos esse fermentato, & Romanæ Sedis Legatos in azymo secundum Ecclesiæ suæ morem celebrasse, Græcis eorum Sacrificium approbantibus. Cæterum Græcos nondum consummato schismate, interdum usos esse azymis ut suam cum Latinis consensionem testarentur, non absurde colliges ex Epistola *Michaelis Cerularii* ad *Petrum* Antiochenum Patriarcham, in qua ita scribit de Alexandrino & Hierosolymitano Patriarchis; *Ad aures nostras pervenit, quod non solum alios azymis vescentes recipiunt, sed etiam ipsi aliquando in azymis sacrum conficiunt Sacrificium*, Ecclesiam Hierosolymitanam in azymis Sacrificium offerre asserit quoque Cardinalis *Humbertus*.

III. De Ecclesiæ Latinæ more nunc agendum. *Sirmondus* S. J. vir doctissimus, in Disquisitione *De Azymo*, contendit usum fermentati octingentis & amplius annis in Ecclesia Latina solemnem fuisse; recepta autem azyma medio illo intervallo quod a Schismate *Photii* usque ad turbas *Michaelis Cerularii* effluxit. Eamdem propugnat opinionem doctissimus Cardinalis *Bona* lib. 1. Rerum Liturgicarum, cap. 3. cum hoc discrimine, quod azyma non excludat omnino ab illorum sæculorum usu, quæ *Sirmondus* excludit. *P. Joannes Mabillonius* Congregationis *S. Mauri*, O. B. Scriptor eruditissimus cum in Præfatione Sæculi III. Benedictini, tum in Dissertatione singulari *De pane Eucharistico azymo & fermentato*, & P. *Christianus Lupus* O. A. Lovaniensis Theologus Tomo III. Scholiorum in Decreta & Canones Conciliorum, in Dissertatione *De Actis S. Leonis IX.* Cap. VII. & sequentibus, perpetuum ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Latina fuisse Azymorum usum contendunt. Utriusque opinionis argumenta referam, quæ Lector ad invicem conferet, deque ipsorum vi feret judicium.

Argumenta PP. Christiani Lupi & Joannis Mabillonii pro perpetuo apud Latinos Azymorum usu in Consecratione Eucharistiæ.

IV. Qui perpetuum apud Latinos azymorum usum in Sacrificio Eucharistiæ defendunt, his argumentis opinionem suam tuentur. 1. *Alexandrum I.* Papam & Martyrem statuisse ajunt, ut *Hostia Romanæ Ecclesiæ de azymo esset*, ut refert *Barlaamus* Hieracensis Episcopus in Epist. ad Græcos: cui *Radulphus Tungrensis* lib. *De Canonum observantia*, Propositione 23. suffragatur dicens: *Alexander Papa præcipit, ut Oblatio ex azymo fieret in parva quantitate*. His præivit *Martinus Polonus* in Chronico ad annum 132. qui idem de *S. Alexandro I.* commemorat.

Sed respondent contrariæ Sententiæ vindices, in legitimis & antiquis *S. Alexandri* Actis nihil ab eo de azymis statutum legi, nec toto sæculorum undecim intervallo proferri aliquem hujus Decreti testem.

Proferunt secundo testimonium *S. Cypriani*, Epistola 63. ad *Cæcilium* scribentis: *Sic vero Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum*. Panis ex aqua & farina solis confectus, azymus est. Panem Eucharisticum ex aqua & farina solis confici *S. Cyprianus* testatur: itaque tempore *S. Cypriani* panes azymi adhibebantur ad Eucharistiæ Sacrificium.

Sed respondent contrariæ sententiæ assertores, *S. Cyprianum* fermentum non excludere, cujus ut mentionem faceret necesse non erat, cum ad panis substantiam & ad materiam Sacramenti non sit necessarium: & aliunde his vocibus forte significari, *adunatum, copulatum & solidatum*: quod enim copulat, adunat, & solidat, fermentum est.

Proferunt tertio *Dacii* Mediolanensis Episcopi Chronicon, quod MS. extat Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana, in quo leguntur hæc verba: *Sanctus Ambrosius Græcorum Ecclesiam in plurimis Officiis venerabiliter imitatus est, qui & Sacrificium eorum, scilicet fermentatum cum nostro azymo in celeberrimis Festivitatibus, maxime in Resurrectione Domini benedicebat*. Igitur, inquiunt, quarto sæculo vigebat in Ecclesia Occidentali azymorum usus: Addunt, in Missa Ambrosiana, quam ex Codice MS. edidit *Pamelius* in *Liturgicis*, Orationi qua panis offertur, hanc inscriptionem præfixam legi: *Oblatio panis azymi cum patena*.

Verum hoc testimonium rejiciunt, qui contrariam propugnant opinionem: Chronicon illud perperam *Dacio* tribui respondent: & incredibile esse quod in eodem Sacrificio utrumque panem azymum & fermentatum *S. Ambrosius* consecrarit. Incertum esse an qui præfigitur Ambrosianæ Missæ oblationi titulus, sit ab ipso appositus *Ambrosio*, & an Codex *Pamelii* Missam *Sancti Ambrosii* absque ulla mutatione vel additione contineret.

Proferunt quarto *S. Augustini* testimonium Sermone 83. *De Diversis*, in quo Dominici Corporis Sacramentum baptizatis exponens, solius conspersionis aquæ & farinæ meminit, nulla facta fermenti mentione. En ejus verba: *Apostolus dicit, Unus panis, unum Corpus multi sumus. Commendat vobis in isto pane quodammodo unitatem amare. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Non-ne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam conjuncta sunt, & post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos, ante jejunii humiliationem, Exorcismi Sacramenta quasi molebamini. Accessit Baptismus; & aqua quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis nostri Spiritus Sancti est Sacramentum*.

Ad hunc locum respondent contrariæ Sententiæ Authores, *S. Augustinum* fermenti non meminisse, quia nec ad propositam comparationem, nec ad panis compositionem exigitur; cæterum illud non excludere.

Proferunt quinto Concilii Toletani XVI. quod anno 693. celebratum est, Canonem VI. cujus hæc sunt verba: *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provecti, non panes mundos & studio præparatos supra Mensam Domini in Sacrificio offerant; sed passim quomodo unumquemque aut necessitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare, cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ authoritatis Historia uspiam gestum perpenditur*. Et paucis interjectis, quibus Patres ex Evangelio ostendunt, Christum non particulam panis, sed integrum panem accepisse, & consecrasse, atque ex eo particulas confregisse, quas Discipulis distribuit, subdunt: *Unde temeritati ejus atque nescientiæ cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retentat: cujus reliquiæ aut ad conservandum modico loculo absque aliqua injuria conserventur, aut si ad consumendum fuerit necessarium, non ventrem illius qui sumpserit, gravi farciminis onere premat, sed animam alimonia spirituali reficiat*. Panem diversum ab usitato, panem integrum, non crustulam ex pane vulgari decerptam, panem nitidum & studio præparatum, nec grande aliquid, sed modicam oblatam, quæ ventrem non gravet, a Sacerdote consecrari secundum Ecclesiæ morem jubet Synodus. Hæc autem omni azymo conveniunt, fermentum excludunt.

Respondent contrariæ sententiæ defensores, Concilium Toletanum arguere Sacerdotes, non quod panem communem suis usibus præparatum offerrent, sed quod crustulam ab eo abscissam in altari consecrarent. Integritatem vero panis ejusque studiosam præparationem, & munditiem ac nitorem, a Patribus commendata, non magis convenire pani azymo quam fermentato. Immo Cardinalis *Bona* ex laudato Canone usum fermentati vindicat. Si enim, inquit, debuissent illi Sacerdotes azymum panem consecrare, de hoc ante omnia reprehensi fuissent, quod non azymum ut mos ferebat, sed panem usitatum & communem, & consequenter fermentatum consecrarent.

Proferunt sexto testimonium *Egberti* Eboracensis Episcopi, qui suarum *Exceptionum* cap. 98. hunc Canonem laudat & probat: *Sacerdotes Dei diligenter procurent ut panis, & vinum, & aqua, sine quibus nequaquam Missa celebrantur, pura & munda fiant.* Ubi panis puri nomine azymum intelligunt. Florebat autem *Egbertus* VIII. sæculo. Azymum porro panis puri nomine significari confirmant ex Canonibus qui sub *Edgaro* Rege in Anglia collecti sunt, anno noogentesimo sexagesimo-septimo, vigente azymorum usu: quos inter 33. statuit, ne quis Missam celebret, nisi omnia habeat ad conficiendam Eucharistiam necessarie, scilicet *oblationem puram, vinum purum, & aquam puram*.

Respondent Authores contrariæ sententiæ, panis puri nomine siligineum & primarium intelligendum, ex purissima & purgatissima farina compactum, omni prorsus excreto furfure, sine macula, sine sorde. Quo sensu ipsi Græci fermentatum, ex quo Eucharistiam conficiunt, *panem purum*, appellant; ut constat ex *Gregorio* Hieromonacho in *Synopsi Dogmatum Ecclesiasticorum* apud *Leonem Allatium* lib. 3. *De perpetua Consensu Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ* cap. 18. Numero 6.

Proferunt septimo locupletissimum testimonium *Alcuini* Epistola 39. ad Lugdunenses scribentis: *Audivimus aliquos in illis partibus affirmare salem esse in Sacrificium Corporis Christi mittendum. Quam consuetudinem nec universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit authoritas. Tria sunt, quæ in Sacrificio hujus testimonii offerenda sunt: Panis, aqua & vinum .. .. Panis, qui in Christi Corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus; & aqua absque omni sorde mundissima; & vinum absque omni commixtione alterius liquoris, nisi aqua purgatissimum. Igitur aqua utrique convenit. Ex aqua, & farina panis fit qui consecratur in Corpus Christi.*

Proferunt octavo testimonium *Rabani Mauri*, lib. 1. de institutione Clericorum, cap. 21. dicentis: *Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sanctificari oportet.* Cujus causam subdit exemplum Christi primam Eucharistiam conficientis. *Credimus & panem illum, quem primum Dominus in Cœna mystica in Mysterium sui Corporis consecravit, infermentatum esse: maxime cum in tempore Paschæ nullum fermentum ubiquam vesci, sed nec in domo habere alli licebat.* Quibus testimoniis confici videtur, azymorum usum in Ecclesia Latina tunc ubique in usu fuisse. Nam *Alcuinus* de universa Ecclesia, utique Latina testatur; & *Rabanus* cap. 33. libri 1. mox laudati asserit se Ordinem Missæ, quem ab Apostolis & Apostolicis viris traditum Romana tenebat Ecclesia & per totum fere Occidentem omnes Ecclesiæ servabant, describere. Usum igitur azymorum ante Photianum Schisma in Occidente passim receptum, inde colligi non immerito videtur, contra *P. Sirmondum*.

Hanc tamen opinionem, convictam negat doctissimus Cardinalis *Bona*. Dictum enim *Alcuini* ad Angliam restringit, in qua natus est; & ad Galliam in qua diu vixit. Usum vero Romanæ & universalis Ecclesiæ de quo idem Author loquitur, ad salem, non ad fermentum dicit referri. Quod vero ait debere panem consecrandum mundissimum esse *absque fermento ullius alterius infectionis* intelligi debere, non de fermento proprie dicto, quod ex aqua & farina fit, quæ postquam subacta fuerit, conservatur, donec acescat: sed de fermento alterius infectionis, quod non fit ex intrita farinacea, sed ex aliis speciebus, de quibus agit *Plinius* lib. 18. *Historiæ Naturalis* cap. 11. nempe ex milio, sive ex furfuribus tritici musto subactis: ex aqua & hordeo, & ex farina erviliæ aut cicerculæ: ex spuma item siceræ sive cervisiæ, & ex lacte corrupto: quæ omnia panem inficerent, atque ideo indecens esset ut ad sacrificium panis sic fermentatus adhiberetur. Ad *Rabani* vero testimonium, respondet doctissimus Cardinalis, ipsum testem esse potuisse temporis quo vixit, non sæculorum præcedentium; moris item suæ regionis, non aliarum. Nec tamen illum asserere azymorum usum ubique tunc viguisse, sed oportere panem esse infermentatum. Tandem cap. 33. ubi Ordinem Missæ, quem Romana, & cæteræ Occidentis Ecclesiæ fere omnes servabant, se describere asserit, Ordinem Orationum & Lectionum duntaxat exhibere, de azymis penitus silere.

Proferunt nono, quod in libro *De Miraculis S. Wandregisili* Abbatis ab Authore Anonymo refertur, Sanctimonialem quamdam, cum in Vigilia Dominicæ Nativitatis Sorores suas rogasset, ut oblatas formarent, quas Domino in crastinum oblatura erat, & minime impetrasset, accessisse ad ignem, ferrumque arripuisse, quo imprimendæ & decoquendæ erant. Quæ autem intra ferramentum characteratum decoquuntur oblatæ fermenti sunt expertes.

* *Editus est Sæculo II. Benedictino. Id contigit anno 895.*

Id sequi negat Cardinalis Bona: Chaldæos namque & Syros panem Eucharisticum formis characteratis conficere probat, qui tamen ex ritu ipsorum fermentatus est. Addit, ex unius Monasterii consuetudine nihil certo concludi posse pro solo & universali azymorum usu.

Proferunt decimo Revelationem *Eldefonsi* Hispaniensis Episcopi, quæ facta dicitur anno 845. & extat in Vaticana Bibliotheca Codic. MSS. 1341.

Sed hoc scriptum Pseudepigraphum esse docet laudatus Cardinalis; ignotum esse quis fuerit iste *Eldefonsus*, & cujus Sedis Episcopus. Si Hispanus fuisset, in assignando Revelationis anno adhibiturum fuisse Æram Hispanicam, quæ vulgarem superat annis 38. portenta potius & somnia delusæ imaginationis esse credenda, quam doctrinam divinitus revelatam, quæ de pondere & numero Hostiarum diverso pro diversis Festivitatibus ex suo sensu depromi, diebus scilicet Festis quinque, in Paschate quadraginta-quinque, in ascensione & Pentecoste decem & septem, in feriis unicam offerendam. Quasi vero Hostiæ multiplicatæ semper non fuerint pro numero Communicantium. Tandem Vaticani Exemplaris characterem non esse Noni, sed Undecimi, vel Duodecimi Sæculi observat Author Eminentissimus, & styli barbariem scripto hujusmodi authoritatem derogare.

Proferunt undecimo testimonium *Humberti* Cardinalis, qui azymorum usum in Sacrificio ab Apostolica Traditione repetit. *Quia*, inquit, *sufficiente authoritate Novi & veteris Testamenti constat Dominum nostrum Iesum Christum commemorationem suæ Passionis recolendam in azymo Discipulis sub ipsa Cœna commendasse, sicut hodieque sancta Romana & Latina Ecclesia noscitur recolere, dicere debetis cujus institutionem in fermentato tam obstinate defenditis. Nempe quicumque vel qualiscumque ille fuerit, juxta beatum Job compositus Deo qui est ipsa Justitia ac Sapientia, nec justus, nec sapiens erat. Nec potest fieri ut quilibet convenientius aut verius commendare pratulisset Sacrosanctum Mysterium fidei, quam ipse qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Proferunt denique testimonium S. *Leonis Noni* adversus *Michaelem Cerularium, & Leonem Acridanum* Episcopum scribentis: *Dicimini Apostolicam & Latinam Ecclesiam nova præsumptione atque incredibili audacia, nec auditum, nec convictam palam damnasse, pro eo maxime quod de azymis audent commemorationem Dominicæ Passionis celebrare. Ecce incauta reprehensio vestra, quando ponites in cœlum os vestrum, cum lingua vestra transiens in terra humanis argumentationibus & conjecturis antiquam fidem confodere & subvertere molitur. Ecce jam post mille ac ferme viginti a morte Salvatoris nostri annos inci-*

pis

pis per vos doceri Romana Ecclesia, qualiter memoria ejusdem sit recolenda, quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutio, seu more pretiosa illius Venerabilis Senis, cui specialiter Christus Filius Dei vivi dixit: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.

Argumenta P. Sirmondi & Cardinalis Bona pro usu fermentati per aliquot Sæcula, vel promiscuo solum illius & azymorum usu.

V. Qui vero Ecclesiam Latinam solo fermentato communiter usam esse per aliquot sæcula, ut *Sirmondus* asseruit: aut utrumque indifferenter, sive azymum, sive fermentatum, pro variis temporum, locorum, & personarum circumstantiis adhibuisse propugnant, ut Cardinalis, *Bona*, his momentis opinionem illam suam adstruunt.

Primo id colligunt ex antiquo more offerendi. Populus enimvero Christianus panem a Sacerdote consecrandum in Sacrificio offerebat, quem deinde in sacra Communione participaret; ut constat ex *S. Cypriano* lib. *de Opere & Eleemosynis* divitem fœminam ita increpante; *Locuplex & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio quod pauper obtulit, sumis*. Et ex Concilio Matisconensi II. Canone 4. & Nannetensi Canone 9. Item ex Sacramentario *S. Gregorii*, & ex verbis Sacerdotis suum populique Sacrificium in Missæ precibus commemorantis. *Orate, Fratres*, inquit, *ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fit apud Deum*. Et in Orationibus, quæ Secretæ dicuntur. *Suscipe preces populi tui cum oblationibus Hostiarum. Suscipe munera populorum tuorum.*

Et clarius Dominica V. post Pentecosten: *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem*. Et in Canone: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium*. Porro si Sacerdos oblatum a Fidelibus panem pro sua & illorum Communione consecrabat, non alium sane fuisse quam communem & usitatum, qui singulis tam divitibus quam pauperibus in promptu esset, etiam tempore persecutionis.

Potuisse a singulis suam oblatam, sed puram & azymam offerri, contrariæ opinionis Authores respondent: sed de primis Ecclesiæ sæculis haud facile id persuaserint, cum propter metum persecutorum sæpe in cryptis & in carceribus, sæpe occulte & ex occasione Sacrum celebrari oporteret; nec azymum ubique conficere, aut paratum semper habere Fideles possent.

Secundo idem colligunt ex *Tertulliano* lib. 2. *Ad Uxorem* cap. 5. dicente: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes. Et si scierit panem, non illum credit esse qui dicitur*. Scivisset autem, aut saltem aliquid suspicatus esset, si panis ille fuisset a communi secundum externam speciem diversus, eumque mulier fidelis ad Sacrificium oblatura absque fermento confecisset.

Tertio id colligunt ex *S. Ambrosio* lib. 4. *De Sacramentis* cap. 4. dicente: *Tu forte dices, Meus panis est usitatus, sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*. At panis azymus *usitatus* dici non potest.

Quarto id colligunt ex Decretis Romanorum Pontificum, *Melchiadis*, *Siricii*, & *Innocentii I.* De *Melchiade* hæc in ejus Vita leguntur: *Hic fecit ut oblationes consecrata per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*. De *Siricio* pariter in ejus Vita legitur: *Hic constituit ut nullus Presbyter Missae celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum*. Ita vero statuit *Innocentius I.* ad *Decentium* Eugubinum Episcopum scribens: *De fermento, quod die Dominico per Titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesia nostra intra civitatem sint constituta. Quarum Presbyteri, quia de ipsa, propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa*

Fermentum olim per Titulos Romæ missum, erat Eucharistia.

die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere, non puto: Quia non longe portanda sunt Sacramenta. Nec nos per Cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus. Et Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam. Fermentum illud Eucharistiam fuisse, non Eulogias simplices (ut Cardinalis *Baronius* existimat) consecrationis vox demonstrat in Vitis *Melchiadis* & *Siricii* usurpata. Idque confirmat ratio quam affert *Innocentius I.* cur fermentum illud extra urbem non mittebatur: *Quia non longe portanda sunt Sacramenta*. Nihil autem prohibebat Eulogias longe deferri. Hunc morem Eucharistiæ ad absentes mittendæ antiquissimum fuisse probatur ex *S. Justini* Martyris Apologia II. ex Actis *S. Tharsitii* Acolythi & Martyris, & ex Literis *S. Irenæi* ad *Victorem I.* Romanum Pontificem, quas *Eusebius* lib. 5. Historiæ cap. 24. commemorat: in quibus de varia Ecclesiarum consuetudine in celebratione Paschatis, & de Romanis Pontificibus ejus Decessoribus ita scribit: *Licet ipsi hoc Festum eo die quo Asiæ Episcopi non observarint, nihilominus tamen cum istarum Ecclesiarum Episcopis ad se accedentibus pacem & concordiam perpetuo tenuerunt, & illis Eucharistiam miserunt.*

Eucharistia cur fermentum appellata?

At quamvis de Eucharistia intelligenda esse Decreta *Melchiadis*, *Siricii* & *Innocentii*, fateantur eruditi Azymorum Vindices; inde tamen recte colligi negant quod Romana Ecclesia tunc ex fermentato confecerit Eucharistiam. Istud quippe fermentum revera fermentum non fuisse dicunt, sed metaphorice ita appellatum, ac propterea in Vita *Melchiadis* scriptum esse, *Quod declaratur fermentum*: & in Vita *Siricii* legi; *Declaratum quod nominatur fermentum*. Eucharistiam itaque fermentum esse dictam ajunt, non quod ex pane esset fermentato, sed quod ipsa, quocumque ex pane fieret, Ecclesiis ad quas mitteretur, fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset; sicut fermentum massæ cui commiscetur. *Bona* Cardinalis reponit nihil vetare quin utrumque verum sit, & Eucharistiam fermentum dictam, quia revera ex fermento erat: & Symbolice etiam fermentum nuncupatam, quod signum sit unitatis & vinculum charitatis. Attamen *Anselmus Havelburgensis* lib. 3. Dialogorum, *Melchiadis* & *Siricii* Decreta, *non de fermentata Hostia, sed de Eulogiis potius intelligenda* putat, *quæ per singulos Dominicos dies per Ecclesiam distribui jubentur.*

Quinto, usum fermentati confirmant ex *Joanne Diacono* in Vita *S. Gregorii Magni* lib. II. cap. 41. narrante, Sanctissimo Pontifici Sacrum celebranti mulierem quamdam solitum panem obtulisse consecrandum: cui tempore Communionis Mysteria traditurus, cum diceret: *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam*; risit mulier. At ille dexteram ab ejus ore convertens, Eucharistiæ particulam super altare deposuit, finitisque Missarum solemniis, ab ipsa palam sciscitatus est cur ridere in actione tam sancta præsumpsisset. Respondit illa: *Quia panem quem propriis manibus me fecisse cognoveram, Tu Corpus Dominicum perhibebas*. Porro hæc mulier panem usitatum obtulit, qualem ipsa pro domo conficere solebat, adeoque fermentatum.

Sexto Canonem sextum Concilii XVI. Toletani proferunt. Quid autem ex eo Canone colligant, superius dixi. Judicet Lector cui opinioni faveat.

Septimo proferunt Epistolam *Ernulphi* Roffensis * in Anglia Episcopi ad *Lambertum*, in qua variis ab eo propositis quæstionibus respondet, & in Responsione ad primam, ostendens aliquos Ecclesiæ ritus alio modo cœpisse, & alio modo per ejus incrementa cucurrisse, ait: *Patet attestantibus Scripturis, Sacramenta Altaris, quæ jejuni modo accipimus, Discipulos Domini cœnatos accepisse. Patet etiam, quod summimus de mensa lapidea ac sacrata, illos sumpsisse de mensa lignea, non secundum morem Ecclesiæ sacrata, aut fortasse nulla. Ibi panes quotidianos comederunt, de genimine vitis biberunt. Nos in forma nummi panem accipimus, vinum aqua mixtum potamus. Neminem ergo dubitare licet tanti ritum Sacramenti multis ac longe diversis modis in præsentis Ecclesiæ temporis celebrari, quos in primordio non accepit.*

* De Rochester.

Octavo idem colligunt ex silentio *Photii*, qui cum

va-

varios Latinorum ritus ab Orientalis Ecclesiæ ritibus discrepantes acerbissime fuerit insectatus, quod scilicet Sabbatis non jejunarent, quod uxores Presbyteris prohiberent, quod iisdem Presbyteris non permitterent chrismate baptizatos linire, quod octo hebdomadas ante Pascha non jejunarent, quod agnum solemni ritu in altari offerrent & benedicerent, quamquam id falso objiceret; item de azymis ipsis non intendit, silentium circa illud caput dubio procul non servaturus, si tunc azymorum usus in Ecclesia Latina receptus fuisset universim. Cur vero *Michael Cerularius* controversiam de azymis excitavit, & propter eorum usum Latinam Ecclesiam proscidit, quasi verum Sacrificium non habentem ob materiæ defectum legitimæ, nisi quia azymorum usus introductus est illo intervallo temporis, quod *Photium* inter & *Cerularium* intercessit? Hæc fere sententiæ utriusque momenta, de quibus Judicium penes Lectorem esto.

Sane opinionem doctissimi Cardinalis *Bona* invenio a sapientibus Græcis, præsertim a *Nechite* Nicomediæ Archiepiscopo propugnatam in Collatione, quam habuit cum *Anselmo* Havelburgensi Episcopo. Sic enim loquitur lib. 3. Dialogorum ejusdem *Anselmi*, cap. 13. *Præterea* [*ut verius puto*] *& sicut ex quorumdam consuetudine, qui utique eadem consuetudine potere sunt, colligi potest, Romana Ecclesia antiquitus in hoc non a Græcis, nec Græci ab illa discordabant; sed tam isti, quam illi, modo fermento, modo azymo, juxta quod opportunitas offerentium suadebat, indifferenter in Ministerio Altaris utebantur; nec quisquam eorum qui communicare vellent, sive Græcus, sive Latinus, aliquod scandalum in hoc patiebatur. Quod etiam ex hoc verius credi potest, quia cum in Urbe Romana simul habitarent turba Græcorum & Latinorum, non solum Latini, verumetiam quamplurimi Græcorum præfuisse leguntur in Sancta Romana Ecclesia*, &c.

Et cap. 14. ipsos Apostolos azymo & fermentato promiscue usos idem Archipræsul asserit. *Puto*, inquit, *idipsum fecisse Apostolos Christi, quos in consecratione Corporis Domini, juxta ritum, quem tunc nascente Ecclesia observabant, nunc azymo, nunc fermento usos fuisse credendum est. Ipsi namque diversas Provincias evangelizando peragrantes, cum ad aliquam Christianorum Ecclesiam declinassent, & Sacrificium sanctum Domino ad Communionem Fratrum offerre vellent, bene credendum videtur quod nec fermentatum, nec azymum nimis studiose vel etiam, ut ita dicere audeam, nimis curiose quæsierunt; sed quidquid ad manus inveniebatur, sive hoc, sive illud, indifferenter cum devotione offerebant; & hanc formam Oblationis seu Communionis outo antiquitus fuisse, tam in Romana Ecclesia quam in omnibus aliis Ecclesiis, traditam quidem ab Apostolis, licet certa Scriptura hoc nobis non dicat. At vero eadem Romana Ecclesia paulatim alterum deposuit, videlicet fermentatum; alterum tantum assumpsit, scilicet azymum.... Orientalis quoque Ecclesia alterum tantum, scilicet azymum paulatim dimisit; alterum vero tantum, videlicet fermentatum, elegit: & tamen propter hoc nec antiqui Græci sapientes, nec antiqui Latini sapientes, se invicem contemnendos existimabant; sed licet in hoc minus essent uniformes, tamen mutua pace & fraterna caritate se invicem in Christo fideliter diligebant, & confovebant, & sine alterno judicio, si quando opportunum fuit, Concilia celebrabant*.

Doctissimi autem viri *P. Christianus Lupus*, & Domnus *Joannes Mabillonius*, cum *Anselmo Havelburgensi* sentiunt, qui *Nechitis* Archipræsuli respondet cap. 16. *Ego non facile accesserim ad hoc, quod tu tam perfunctorie dictum putas mihi subito esse persuasum, videlicet quod Romana Ecclesia aliquando fermento usa fuerit, quo postea deposito, azymum assumpserit*.

DISSERTATIO XII.

De Præsentia Reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia: Et de Transubstantiatione Panis & Vini in Corpus Christi & Sanguinem: Adversus Errores BERENGARII Sacramentariorum Parentis, a Petrobusianis, Henricianis, Waldensibus, Albigensibus, Wiclefistis, propagatos, & in Calvinistis redivivos. In qua præcipua ALBERTINI Calviniani Ministri Argumenta solvuntur.

NON Dissertationem, sed Librum ingentem scriberem, si omnia quæ a Patribus ad explicandam Ecclesiæ de Eucharistia fidem præclare dicta sunt, colligere; si Objectiones omnes & cavillos Hæreticorum confutare vellem, & singillatim ipsis respondere aggrederer. Magni enim vero molis Opus necessarium esset ad refellendas *Albertini* de Eucharistia lucubrationes, Historiam de Eucharistia *Matthæi La Roque* Ministri pariter Calviniani, &. *Claudii* Ministri, qui *Albertini* argumenta Rhetoricis fucata pigmentis Gallice expressit, Commentarios. Verum cum de Controversiis data opera non scribam, sed quantum necesse est dumtaxat, ut Hæreses iis, quibus notæ sunt, sæculis expugnatas ostendam, utque Panopliam adversus veritatis Catholicæ hostes offeram Ecclesiasticæ militiæ tyronibus, errores præcipuos summatim refellens; nemo, ut opinor, a me expectabit prolixum de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi, & de Transsubstantiatione Commentarium, quo *Albertini*, *Blondelli La Roque*, & *Claudii* Ministrorum Objectiones omnes destruam. Neque sane id necesse est, cum Vir doctissimus *Arnaldus*, qui perpetuam Ecclesiæ Fidem circa Eucharistiam contra *Claudii* insultus tribus Voluminibus Gallico idiomate conscriptis vindicavit, id abunde præstiterit. Quid paulo antiquiores commemorem, qui adversus Calvinistas & Lutheranos Catholica de Eucharistia dogmata egregiis ac luculentis Operibus propugnarunt, Eminentissimos Cardinales *Bellarminum* & *Perronium*; immortale Ordinis Prædicatorum decus *Coeffetellum*, Massiliensem Episcopum, aliosque celebres omnium Ordinum viros? Post celeberrimos illos Authores, qui machinas omnes recentiorum Berengarianorum adversus Mysterium Eucharistiæ disjecerunt & confregerunt, novum Opus moliri si aggrederer, merito mihi diceretur illud Horatii: *In silvam ne ligna feras*. Aut enim eadem diceremus ex superfluo, aut si nova dicere voluerimus, a Clarissimis Ingeniis occupata sunt meliora. Non itaque justum Opus, sed Dissertationem unicam aggredior contra veterum ac novorum Berengarianorum errores, in qua strictim & breviter, quantum patietur argumenti dignitas & amplitudo, Catholicam veritatem probabo, primum ex Scriptura Sacra; tum ex Patribus, & perpetua serie Traditionis ad septimum usque sæculum. Nam quæ fuerit Ecclesiæ doctrina & fides de Eucharistia Sæculo VIII. exposuimus abunde Dissertatione IV. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi VIII. *De fide Iconomachorum circa Eucharistiam*. Quæ fuerit Ecclesiæ fides & doctrina sæculis nono & decimo, ostendimus Dissertationibus X. XI. XII. XIII. XIV. in Historiam Ecclesiasticam illorum sæculorum, ubi *Paschasium Ratbertum* nihil in fide & doctrina de Eucharistia innovasse demonstravimus, & ad objectiones *Albertini* & *Claudii* Ministrorum ex *Rabano*, *Amalario*, *Ratramno*, *Herigero* depromptas respondimus: atque fabulam de mutatione fidei & doctrinæ Ecclesiæ circa Eucharistiam faventibus decimi sæculi tenebris, quam recentiores Calvinianæ Sectæ Ministri commenti sunt, exsufflavimus; Prætermittemus etiam quæ iidem Catholicæ veritatis hostes objiciunt ex *Tertulliano*, quoniam ad ea respondimus Dissertatione IX. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi II. Articulo V. Quæ ex *Origene*, cum ad ea responderimus Dissertat. 16. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi III. Articulo IV. Quæ ex *S. Cyrillo Hierosolymitano*, cum ipsa diluerimus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ sæculi IV. Cap. VI. Articulo 12. N. 9. Quæ ex *Sancti Basilii Magni* Liturgia, siquidem ea exposui in

Indicantur hujus Operis Loci, in quibus de Eucharistia tractatur.

ea-

eadem Synopsi, cap. laudato, Articulo 10. §. 1. Quæ ex *Theodoreto*, illa enim explicui in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ sæculi V. cap. IV. Articulo 28. §. unico. Quæ ex *Gelasio*; hæc enim expendimus in eodem cap. Articulo 33. §. unico. Quæ ex *Facundo Hermianensi*; de quibus egimus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ sæculi 6. cap. 4. Articulo 7. §. 11. Quæ tandem ex *Anastasio Monacho Sinaita*, de quibus in eodem capite Articulo VIII. §. II. Hæc, inquam, in præsenti Dissertatione prætermittemus omnia, ne iisdem rebus repetitis, Operis nostri molem augeamus. Sed de his te commonere, studiose Lector, necesse fuit, ut indicata loca, si lubet, consulas. Præcipua vero Hæreticorum argumenta, quæ nullibi adhuc attigi, in ista Dissertatione diluam, & præcipue *Albertini*.

ARTICULUS I.

Fides Præsentiæ Realis Corporis Christi in Eucharistia probatur ex verbis promissionis.

I. PRimus fons argumentorum, quæ ad probandam præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia Scriptura Sacra subministrat sunt verba Christi, quibus istius Sacramenti promisit institutionem, *Joannis VI.* cap. Cum nempe miraculum multiplicationis quinque panum edidisset, & sequentem se plebem ac Discipulos imprimis docuisset, panem se esse vivum, qui de coelo descendit, ex quo si quis manducaverit, vivet in æternum, subjunxit: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Quorum occasione verborum contentionem inter Judæos ortam Evangelista memorat. *Quomodo*, inquiebant. *potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Jesum vero respondisse: *Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me. Hic est panis qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Subdit Evangelista, multos ex Discipulis ejus, cum id audissent dixisse: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Quorum murmurationem Christus agnoscens dixit: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Ex hoc*, inquit S. Joannes, *multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Respondit Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, & cognovimus quia tu es Christus Filius Dei.*

De Eucharistia agitur Joannis Sexto Capite.

De Eucharistiæ Sacramento agi hoc in capite hæretici temere, Catholici etiam nonnulli Scriptores imprudenter negant; ne Hussitis, necessitatem Communionis sub utraque specie omnibus & singulis Christianis ex eo inferentibus, favere videantur. Sed hujus Capitis accommodationem ad Eucharistiam non esse *coactam*, aut *minus propriam*, ut *Albertinus* ait, multa demonstrant. Primo enim quærere lubet: Si de Sacramento Eucharistiæ agere voluisset Christus, illudque omnino depingere, quibus clarioribus verbis uti potuisset? Cur carnem & sanguinem, cur esum & potum distinxit? Nisi quia de carne & sanguine suis ad modum cibi & potus sub specie panis & vini dandis loquebatur? Si dixisset Christus: Nisi consepulti mecum fueritis, mecum non resurgetis: nemo sanæ mentis id de sola Christi sepultura per fidem apprehensa intellexisset, sed de baptismi Sacramento, quod videret aliquam sepulturæ imaginem præ se ferre, secundum Apostolum dicentem: *Consepultos nos cum illo per baptismum in mortem*: Et tamen baptismus tam expressam non refert imaginem sepulturæ. Eucharistiæ vero Sacramentum non expressa solam imagine, sed re ipsa etiam ac veritate cibus & potus est: Cur ergo quod Christus dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, de Eucharistia non interpretemur?

Respondere scio adversarios, Christum non propterea carnem & sanguinem, cibum & potum distinxisse, quod ageret de Sacramento; sed quod de morte sua, quam nisi omnes apprehenderent, salvi esse non possent: mortem autem separatione carnis & sanguinis significari. Novum porro non esse ut eadem res etiam extra ullum Sacramentum cibus simul & potus per metaphoram appelletur. Christum in eodem capite v. 35. dixisse, ubi de Sacramento non agebatur: *Ego sum panis vitæ; qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet umquam.* Sponsam dicere Canticorum 5. *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici, & bibite, & inebriamini*: & tamen non agi de Sacramento. Sapientiam clamare Proverbiorum 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis*: nec tamen de Sacramento agere. Fateor fieri quidem potuisse, ut Christus, si nullum Corporis & Sanguinis sui Sacramentum instituisset, illa eadem verba, quæ de instituendo postea Sacramento dixit, de morte sua dixisset. Sed cum Sacramentum instituerit, in quo sub vero cibo & potu carnem suam & sanguinem suum nobis dedit; perabsurdum est illa Christi verba: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, &c. de illius morte, ubi nihil proprie ac vere manducatur aut bibitur; sed metaphorice dumtaxat, non de Sacramento, ubi vere manducatur & bibitur, interpretari. Sicut si sponsus ille Canticorum, & illa quæ eadem est Sapientia, convivium aliquod apparassent, ubi homines non solum metaphorice, sed vere etiam ac proprie ederent & biberent, ineptum esset verba illa, *Comedite amici & bibite*: & illa: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis*; de eo ipso convivio non interpretari.

Secundo, totum orationis genus Sacramentale est. Idem scilicet Christus similibus verbis, cum iisdem personis, idest, Judæis loquens, ait hoc loco; *Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: & cap. 3. de Baptismo loquens: *Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. Non minus igitur asserendum est agi hic de Eucharistia, quam illic de Baptismo.

Tertio. non est verisimile Christum de hoc percipiendo Sacramento, re cumprimis necessaria, præceptum nullum tradidisse. At si hic non tradidit, cum dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, nullibi tradidit. Nam quod dicit in ultima Coena, *Accipite. & manducate, accipite & bibite*, illis solis dicit qui tum aderant. Quod vero subdit, *Hoc facite in meam commemorationem*, Præcepti formam non habet, tantum explicat quem ob finem, cum id fecerint, facturi sint.

Quarto, his de quibus agimus verbis aliud præceptum exprimitur a præcepto Baptismi: aliud vero non erit, si quod de manducanda sua carne, & bibendo sanguine suo jubet Christus, de vera manducatione & de vero potu non intelligatur, sed de manducatione metaphorica, quæ posita sit in apprehensione mortis Christi per fidem. Nusquam enim melius Christi mortem apprehendimus, quam cum illius fidem in Baptismo profitemur, & externo etiam ritu illius imaginem exprimimus.

Quinto, solitus erat Christus majora Mysteria antequam reipsa fierent, insinuare, ut ad ea, cum fierent, suscipienda & intelligenda Discipulos præpararet ac erudiret, ejusque rei rationem reddera: *Ut cum factum fuerit, credatis; ut non scandalizemini; ut eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis*. Sic ante Baptismi institutionem dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Antequam moreretur, Discipulis prænuntiavit non semel *se tradendum esse gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & tertia die resurrecturum*. Ad Ascensionem suam illos præ-

præparavit his verbis: *Modicum, & videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me, quia vado ad Patrem.* Spiritum Sanctum illis promisit antequam mitteret: *Ego*, inquit, *rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Cum igitur Eucharistiæ Sacramentum unum sit e majoribus salutis nostræ Mysteriis, verisimile est Christum Apostolos illud docuisse antequam institueret, maxime cum ipsa institutione turbati non sint, non dubitarint, non interrogarint Magistrum ac Dominum: Quod ita futurum fuisse incredibile est, nisi ipsum de ea re ante disserentem audivissent.

Futiles Albertini Responsiones.

Futile porro est quod respondet *Albertinus*, Multa esse magna Mysteria, quæ Dominus non prædixit, antequam illa faceret, mutationem scilicet aquæ in vinum, multiplicationem panum, curationem cæci per sputum, & quod Dominus in terra scribebat. Hic enim de iis dumtaxat Mysteriis loquimur, quæ hominum universorum salutem spectant, & quæ vel ipse in sua persona ad redemptionem nostram operatus est, vel in Ecclesia ad nostram sanctificationem consummavit, vel instituit, non autem de miraculis omnibus a Christo patratis, quæ fidei quidem nostræ testimonia sunt, non vero primaria objecta. Multo minus loquimur de meris signis ad hominum sanctificationem non institutis, nec Ecclesiæ traditis, sed a Christo semel ad aliquid significandum adhibitis, qualis erat scriptio in terra, quam salutis nostræ mysteria nemo sanæ mentis appellavit.

Ad exemplum ductum a Baptismo quem significavit Christus his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, rem non minus ineptam respondet *Albertinus*; Licet communiter ibi aqua de Baptismo exponatur, multo convenientius videri illam mystice sumere de ipsomet Spiritu Sancto, figurate aqua nominato. Quæ responsio & vim Scripturæ manifestam infert, & Patribus universis repugnat, & tautologiam ridiculam Christo affingit, quasi dixerit, *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum cœlorum.*

Sexto SS. Patres a primis nominis Christiani sæculis verba Christi ex capite sexto S. *Joannis* laudata de Eucharistia intellexerunt, eumque sensum ut literalem & proprium spectavere, ac tradidere, *S. Irenæus* lib. 4. cap. 34. *Origenes* Homilia 16. in Numeros, *S. Cyprianus* lib. de Oratione Dominica, *S. Hilarius* lib. 9. de Trinitate, *S. Cyrillus Hierosolymitanus*, Catechesi 4. *S. Ambrosius* lib. de iis qui Mysteriis initiantur, cap. 8. & lib. 6. de Sacramentis, cap. 1. *Sanctus Chrysostomus*, *S. Augustinus*, & *S. Cyrillus Alexandrinus*, in cap. 6. *Sancti Joannis*; Concilium Alexandrinum in Epistola ad Nestorium, *Theodoretus* lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, c. 2. *Sanctus Leo* Homil. 6. de Jejunio septimi mensis, *Cassiodorus* in Psalmum 107. & cæt. Quorum certe authoritatem & Consensionem summam in hoc explicando capite majoris esse ponderis nemo sanæ mentis diffitebitur, & quam *Thomæ Valdensis*, Cajetani, *Jansenii Gandavensis*, & quorumdam aliorum recentiorum authoritatem, pluris faciendam esse.

Jam vero posito quod de Eucharistia *Joannis VI.* Capite agatur, Præsentia realis Corporis & Sanguinis Christi in hoc Sacramento luculenter ex eo loco probatur. Primo Christus panem quem daturum se pro mundi vita tam amanter pollicetur, id est, carnem suam, Mannæ opponit, quo qui cibati sunt in deserto, mortui sunt; qui autem hunc panem, id est, carnem Christi manducaturus est, vivet in æternum. At si Eucharistia mera figura est Corporis & Sanguinis Christi, quamvis paulo expressior ipso manna, frustra ipsi anteponitur quoad vim illam vivificam. Qui enim in fide Christi venturi manna manducabant, Carnem ejus & Sanguinem fide pariter percipiebant; nec ulla major efficacia hoc in Sacramento a Calvinianis agnoscitur, si consequenter ad sua principia loqui velint, nulla major virtus; siquidem illa quantacumque est suspenditur ex fide suscipientis, quæ Carnem & Sanguinem Christi complectitur. Quid igitur Eucharistia habet supra manna vetus? Nihil plane nisi expressiorem & clariorem significationem, secundum Calvinianos. At ea responsio cum Christi verbis manifeste pugnat. Secundum Catholicos vero dat vitam æternam, quia Christum ipsum continet, qui vitam æternam secum affert, atque adeo ipsa vita æterna est. Et Corpus ac Sanguis Christi semina sunt immortalitatis in Christianis qui Eucharistiam digne percipiunt, unde *S. Irenæus* lib. 4. cap. 34. & lib. 5. cap. 2. carnis resurrectionem ad vitam æternam contra veteres Hæreticos probat, ex eo quod absurde negetur carnem *capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ Sanguine & Corpore Christi nutritur.* Et quemadmodum in grano frumenti vis quædam genitalis est, qua jactum in terram atque putrefactum germinat: sic prorsus ex corpore Christi vim quamdam veluti seminalem corporibus nostris accedere docet, qua etiam in pulverem reducta resurgant, & quodammodo renascantur. Quod etiam argumentum *Tertullianus* lib. de Resurrectione carnis, & *S. Gregorius Nyssenus* in Oratione Catechetica cap. 38. & *S. Cyrillus Alexandrinus* lib. 4. in Joannem cap. 14. & 15. & lib. 10. cap. 13. adhibent.

Corpus & Sanguis Christi semina sunt immortalitatis Christianis qui Eucharistiam digne percipiunt.

Secundo, verba illa Christi dubium excitarunt gravissimum in Judæorum animis: *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Dubium certe hujusmodi non excitasset figurata locutio, qua Christus panem se daturum significasset ad repræsentandam carnem suam, & ad sui memoriam dumtaxat excitandam.

Tertio, Judæorum opinionem illam de vera Christi carne ipsis in cibum danda Salvator minime correxit, immo confirmavit, & dubitationem eorum reprehendit, carnem suam daturum se asserens quasi interposito jurejurando. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Homines*, inquit Apostolus ad Hebræos 6. *per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum; ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*: & obstinatiores infidelium animi ad credendum flectantur. *O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O nos miserrimos, si nec juranti Domino credimus!* (inquit *Tertullianus* lib. de Pœnitentia.)

Quarto, responsio Christi in re tanti momenti ubi nimirum Legem condebat ac præceptum dabat, ambagibus, tropis inusitatis, ac omni prorsus æquivocatione carere debuit, ne summæ Veritatis verba ad fallendos potius, quam ad erudiendos homines destinata viderentur. Cum igitur planissime dixerit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; vera & oralis manducatio carnis Christi his imperata verbis intelligenda est. Solemne fuit Christo, etiam cum de rebus minoris momenti ageret, si quid figurate & obscure dixisset aliquando rogatus, interdum sponte explicare. Dixerat Discipulis (*Joannis* 16.) *Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis, quia vado ad Patrem.* Illorum interrogationem prævenit, ac mysticum locutionis genus ultro ipsis exponit. Cum dixisset Nicodemo: Joannis 3.
Amen, amen dico tibi, Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei: Interroganti, quomodo possit homo nasci cum sit senex, Mysterium exposuit his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Proposuerat apud Matthæum parabolam seminantis; non intellexerant Discipuli: interrogantibus copiose & particulatim explicavit. Proposuerat aliam parabolam de zizania: Apostoli rogant ut parabolam illam disserat: eorum votis annuit. Id vero si præstitit in his occasionibus, quis sibi persuadeat id minime facturum optimum Præceptorem ac Redemptorem in re gravissima, dubitantibus Discipulis, si alius fuisset verborum sensus quam præ se ferebant, & de spiritali dumtaxat manducatione fuissent intelligenda.

Matth. 13.

Quinto, carnem suam vere cibum, & sanguinem suum vere potum esse affirmat. *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Scripturam igi-

igitur adulterant Calviniani, & Christi verbis adversantur, cum ejus carnem spiritualiter dumtaxat, improprie & figurate manducari contendunt, quatenus fide apprehenditur. Si Scripturæ verba ita explicare, melius dicam, interpolare liceat, quidni & illa verba Discipulorum Christi ipsum adorantium, & dicentium, *Vere Filius Dei es*, cum super mare ambulasset, ac tempestatem sedasset; ad figuratam & impropriam significationem detorquere licebit Socinianis? Quidni & illa Apostolorum verba, *Surrexit Dominus vere*, in sensu metaphorico explicare licebit? En quo hominum verbum Dei pro libitu interpretantium temeritas præcipiat.

Matth. 14.

Sexto, subdit Christus: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quod non solum de inhabitatione spiritali per fidem & caritatem, sed de mansione naturali, qua carnem suam nobis commiscet, SS. Patres *Hilarius*, *Chrysostomus* & *Cyrillus* intelligendum docent, quorum verba inferius proferamus.

Septimo, cum Discipuli dicerent, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* sciens Jesus quia murmurarent, dixit eis: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Ex futura in cœlum Ascensione sua, carnem suam ad manducandum se dare posse confirmat. An quæso, ad spiritualis manducationis fidem adstruendam mysterium adeo mirabile proferre fuisset opus? Sane qui ex Ascensionis mysterio probat se carnem suam daturum ad manducandum, & qui manducabunt, in ipso mansuros, æternumque victuros, probat se tam vere ac proprie carnem suam daturum manducandam, quam vere ac proprie in cœlum ascensurus est. Quemadmodum igitur Christus in cœlos reipsa ascendit, non figurate, nec spiritaliter dumtaxat, ita carnem suam non figurate & spiritaliter tantum, sed vere, proprie, & reipsa manducandam Fidelibus dedit.

Octavo, *Ex hoc multi Discipulorum ejus abierunt retro*, rei insolentia offensi. Quis credat Pastorem optimum, qui ovem errantem quæsiturus e cœlo descenderat, passurum fuisse ut tam multæ oves ex suo grege discederent, quas unico verbo revocare potuisset, aperiendo illis sermonis sui sensum clavibus figuræ & virtutis?

Nono, Christus Discipulis illis abeuntibus, dixit duodecim Apostolis: *Numquid & vos vultis abire?* Significans se præstitisse jam quidquid præstare poterat, ut eos retineret, & non posse jam hoc Mysterium magis explicare. Proinde illis optionem dari, ut vel credant, vel abeant. Suo & aliorum nomine respondit Simon Petrus: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, & cognovimus, quia Tu es Christus Filius Dei.* Quibus verbis se & Condiscipulos omnia credere quæ Christus proposuerat, & ipsam carnis ejus veram, realem, ac oralem manducationem in Sacramento, cujus institutionem promiserat, profitetur.

Decimo, SS. Patres ita verba institutionis Eucharistiæ, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, cum verbis Capitis sexti *S. Joannis* conjunxere, ut dubium superesse nullum possit quin eamdem carnem, de qua Christus laudato *S. Joannis* loco disseruit, reipsa vere & proprie in Sacramento Eucharistiæ recipi ac manducari intellexerint. Enimvero si sensus figuratus a manducatione & a carne Christi simul excludatur, fracta est Calviniana figuræ clavis. At institutionis verba, *Accipite & manducate*, figuram nullam admittunt, sed de vera ac reali manducatione sunt intelligenda, ut Calviniani fatentur: *Carnis* etiam nomen *Joannis 6.* cap. proprie non figurate accipiendum est, ut iidem agnoscunt. Qui igitur hæc duo loca simul conjunxerit, quemadmodum conjunxera SS. Patres, veram Christi carnem in Eucharistia vera ac proprie, non fide tantum, sed ore manducari fateatur necesse est. Age ipsos Patres audiamus locum *S. Joannis* explicantes.

III. *S. Cyprianus* lib. *De Oratione Dominica*, explicans illam petitionem, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, postquam præmisit hæc verba posse & spiritualiter, & simpliciter intelligi: quia & uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem, subdit: *Nam panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus; Pater noster, quia intelligentium & credentium Pater est; sic & panem nostrum vocamus; quia Christus, noster [qui corpus ejus contingimus] panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi Corpore separemur; ipso prædicante & monente: Ego sum panis vitæ qui de cælo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus pane; ut manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt; ita contra timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso & dicente: Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Et ideo panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, a sanctificatione ejus & corpore non recedamus.* Ille igitur panis, quem Christus carnem esse suam affirmavit, Eucharistia est, secundum *S. Cyprianum*. Hanc a Christo carnem postulare, Euharistiam postulare est: Cum Eucharistiam accipimus, Corpus Christi contingimus: Cum ab Eucharistia prohibemur, a Christi Corpore separamur; ab illo, inquam, corpore quod nobis sanctificationem tribuit & salutem. Hæccine Calviniana doctrina est, secundum quam homo a Communione Eucharistiæ prohibitus, carnem Christi nihilominus manducat, cum buccellam quamcumque panis comedendo cogitat de Passione Christi, & tam eam fide apprehendit, quam si Eucharistiam ipsam sumeret?

Eucharistia cibus salutis, & panis vitæ.

IV. *Sanctus Hilarius*, lib. 8. *de Trinitate*, probat Patrem & Filium, non solum voluntate, sed etiam natura & reipsa unum esse, quia & nos cum Christo per Corporis ejus perceptionem, non solum consensu, caritateque, sed etiam revera unum sumus. Id vero Christi verbis, *Joannis 6.* cap. confirmat: „Eos, *inquit*, qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, Utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit; & naturam carnis sic ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus; quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse; quia in Christo Pater, & Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere homo ille, quia ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis: Quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum sit unitatis? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque impudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: *Caro mea vere est esca, & sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, vere caro est, & vere sanguis est: & hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus

Nostra cum Christo unitas per Sacramentum communicata carnis illius & Sanguinis naturalis est, teste S. Hilario.

Non humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum.

„ ftus in nobis fit. Anne hoc veritas non eft? Contingat plane his verum non effe, qui Chriftum Jefum verum effe Deum denegant. Eft ergo in nobis ipfe per carnem, & fumus in eo: dum fecundum hoc quod nos fumus, in Deo eft. Quam autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis & fanguinis fimus, ipfe teftatur dicens: *Et hic mundus jam me non videt, vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, & vos vivetis, quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*. Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem confummandæ unitatis expofuit; nifi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis effet, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rurfum in nobis per Sacramentorum ineffe Myfterium crederetur? Ac fic perfecta per Mediatorem unitas doceretur, cum nobis in fe manentibus, ipfe maneret in Patre, & in Patre manens, maneret in nobis, & ita ad unitatem Patris proficeremus; cum qui in eo naturaliter fecundum nativitatem ineft, nos quoque in eo naturaliter ineffemus, ipfo in nobis naturaliter permanente. Quam autem in nobis naturalis hæc unitas fit, ipfe ita teftatus eft; *Qui edit carnem meam, & bibit fanguinem meum, in me manet, & ego in eo*. Non enim quis in eo erit, nifi in quo ipfe fuerit; ejus tantum in fe affumptam habens carnem, qui fuam fumpferit. Perfectæ autem hujus unitatis Sacramentum fuperius jam docuerat dicens; *Sicut me mifit vivens Pater, & ego vivo per Patrem: & qui manducaverit meam carnem; & ipfe vivet per me*. Vivit ergo per Patrem; & quomodo vivit per Patrem, eodem modo nos per carnem ejus vivimus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præfumitur, ut id de quo agitur, fecundum propofitum exemplum affequatur. Hæc vero vitæ noftræ caufa eft, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Chriftum habemus: victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem. S. Hilarius probat contra Arianos Filium Dei effe unum cum Patre, non voluntate tantum & concordia, fed natura; quia inter Fideles, quibus fimilem unitatem adprecatus eft his verbis, *Ut fint unum, ficut & nos unum fumus: Ego in his, & tu in me, ut fint confummati in unum*; inter Fideles, inquam, & ipfum Chriftum naturalis unitas coalefcit hoc ipfo quod natura noftra Verbo unita eft, & Verbum caro factum naturam carnis fuæ nobis in Euchariftia communicavit. At fi Chriftus folam figuram ac virtutem carnis fuæ nobis in Euchariftia dediffet, idque crediditffet *S. Hilarius*, non folum elumbe, fed ineptum prorfus effet ejus ratiocinium. In iftum nempe fyllogifmum refolveretur. Talis unitas eft inter Patrem & Filium, qualis inter Chriftum & Fideles intercedit. Atqui inter Chriftum, & Fideles intercedit unitas naturalis, quatenus figuram carnis fuæ ipfis in Euchariftia præbet, & carnem fuam in cœlo tantum exiftentem, & a Sacramento reipfa abfentem eis proponit fpiritaliter manducandam per fidem. Ergo Chriftus eft naturaliter unum cum Patre. Quænam effet ifta confecutio? An fumus naturaliter unum cum amico, quia forte ejus imaginem in aliqua re comeftibili expreffam fumimus, aut cibum aliquem ab eo nobis datum comedentes, de ipfo cogitamus? Præterea, *Chriftus naturaliter in nobis eft, in nobis carnalibus manentem per carnem Chriftum habemus*, Euchariftia *vere caro & fanguis eft*, fecundum S. Hilarium. Non eft ergo caro & fanguis Chrifti figura tantum & virtute; nec fpiritaliter dumtaxat carnem ejus in Sacramento fumimus. Spiritalis enim manducatio folum præftare poteft, ut Chriftus fpiritaliter in nobis fit, non naturaliter. Præterea, illas propofitiones comparat S. Hilarius: *Vere Verbum caro factum eft*: & *Nos vere Verbum carnem cibo Dominico fumimus*. Sicut ergo Verbum non eft incarnatum figurate, ita nec Verbum carnem in Euchariftia figurate fumimus. Ad hæc *De veritate carnis & fanguinis fub Sacramento non relictus eft ambigendi locus*, inquit, *S. Hilarius*. Quid expreffius contra clavem figuræ & virtutis dici poteft? Quarto hanc non fuiffe fingularem *S. Hilarii* perfuafionem, fed totius orbis Chriftiani fidem Chrifti verbis nixam *Joannis 6.* idem confirmat, *Nunc enim & ipfius Domini profeffione, & fide noftra, vere Caro eft, & vere Sanguis eft*. Denique id negare, paris criminis eft ac negare Chriftum effe Deum, inquit S. Hilarius. *Contingat plane his verum non effe, qui Chriftum Jefum verum effe Deum denegant*.

Euchariftia fpiritalis vitæ noftræ caufa.

V. *S. Ambrofius* lib. *De Initiandis*, cap. 8. verba laudata Chrifti *Joannis 6.* ad Euchariftiam accommodans, id quod in ea recipimus, effe verum Corpus Chrifti agnofcit, & manna longe præftantiorem cibum effe, quia vitæ æternæ fubftantiam nobis fubminiftrat. *Revera mirabile eft*, inquit, *quod manna Deus pluerit Patribus, & quotidiano cœli pafcebantur alimento. Unde dictum eft*: Panem Angelorum manducavit homo. *Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deferto mortui funt. Ifta autem efca quam accipites, ifte Panis vivus qui defcendit de cœlo, vitæ æternæ fubftantiam fubminiftrat: & quicumque hunc panem manducavit, non morietur in æternum: Et eft Corpus Chrifti*.

Euchariftia vitæ æternæ fubftantiam nobis fubminiftrat.

VI. *S. Cyrillus Alexandrinus* lib. 4. *in Joannem* verba Chrifti fupra laudata, *Nifi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. cum verbis inftitutionis Euchariftiæ conjungens, ex iis colligit Filium Dei per Myfticam Eulogiam nos fufcipere, & expertes effe vitæ qui illum non fufcipiunt; Vitam nos habere in nobis, cum carnem Chrifti in Euchariftia deguftamus, quia ei fumus uniti quemadmodum ipfa Verbo inhabitanti. Quæ fane & manducationem oralem Corporis & Sanguinis Chrifti præfentiam in Euchariftia diferte fignificant. Si enim moraliter folum carni Chrifti uniti fumus, cum facram Eulogiam recipimus, quia nimirum fide Chrifti carnem apprehendimus; fequitur carnem ipfam Salvatoris moraliter tantum unitam effe Verbo. Siquidem idem unionis genus eft, fecundum *S. Cyrillum* inter percipientes Euchariftiam & carnem Chrifti, ac inter carnem Chrifti & Verbum. *Prætermittens*, inquit Cyrillus, *quonam modo fuam eis carnem daturus effet manducandam, eos ad credendum invitat prius quam inquirant. Credentibus enim jam cum fregiffet panem dedit dicens*: „ Accipite, comedite: Hoc eft corpus meum. Similiter autem & Calicem cum in omnes circumtuliffet, Accipite, bibite, *inquit*, ex eo omnes. Hic enim eft Sanguis meus Teftamenti qui pro multis effundetur in remiffionem peccatorum. *Vides quo pacto infipientibus & citra curiofitatem credere nolentibus, Myfterii modum non explicet, fed jam credentibus clariffime illud exponere comperiatur. Audiant igitur qui fidem in Chriftum præ vecordia nondum fufcepere*: „ Nifi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus fanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Expertes enim & vacui plane vita qua in fanctificatione ac fœlicitate eft, remanent, qui per Myfticam Eulogiam non fufceperunt Filium. Vita enim eft fecundum naturam, in quantum & ex vivente Patre genitus eft; fed nihilominus etiam fanctum ejus corpus Verbo cuncta vivificanti ineffabiliter unitum.... Et quoniam vivifica facta eft caro Salvatoris, utpote vita fecundum naturam, Verbo nimirum Divino unita; cum illam deguftabimus, tunc vitam habebimus in nobis, ei quoque fimul uniti, quemadmodum ipfa Verbo inhabitanti. Hanc enim ob caufam etiam in fufcitandis mortuis, non verbis tantum & nutu Deo convenienti Salvatorem operatum effe comperimus, fed carnem fuam quafi cooperatricem ad hoc potiffimum adhibuiffe, ut oftenderet illam vivificare poffe, ac velut unum quid cum ipfo jam factam effe ..... Quod fi folo tactu Sanctæ carnis id quod corruptum eft vivificatur, quomodo vivificam illam Eulogiam non uberiorem confequemur, cum eam quoque deguftabimus? In fuum enim ipfius bonum, hoc eft immortalitatem, nos qui participes ejus fuerimus, omnino transformabit*. Sane fi Myftica Eulogia id eft Euchariftia, figura tantum effet carnis Chrifti, ridicula effet *Sancti Cyrilli* argumentatio, cujus hic effet fenfus: Si Chriftus contactu carnis fuæ mortuos ad vitam revocavit: quanto magis panis qui eft figura carnis Chrifti, nos immortales efficiet? Addit infra S. Cyrillus: *Quia Chriftus per propriam carnem in nobis eft, omnino refurgemus. Incredibile*

Chrifti Carnem in Euchariftia deguftantes, ei fumus uniti, quemadmodum ipfa Verbo inhabitanti, tefte S. Cyrillo.

Caro Chrifti vivifica.

Sui in Euchariftia participes, immortales facit.

enim

enim est, immo vero impossibils ut vita eos in quibus fuerit non vivificet. Quemadmodum enim scintilla multis paleis inferitur, ut semen ignis servetur, sic etiam Dominus noster Jesus Christus per carnem suam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit, totam quæ in nobis est, abolens corruptionem. Qui per propriam carnem in nobis est, per figuram dumtaxat aut virtutem carnis suæ fide apprehensam non est in nobis. Et sicut scintilla quæ paleis inseritur, non figura tantum aut virtus ignis, sed reipsa ignis est; ita caro per quam Christus nos vivificat, vera est & propria ipsius caro, non figura solum, aut virtus carnis. Docet denique *S. Cyrillus* eos qui Christi carnem suscipiunt, & sanguinem bibunt, cum illo commisceri sicut cera ceræ conjungitur, quod certe realem & physicam participationem ac unionem indicat, non spiritalem dumtaxat, quam spiritalis manducatio, seu apprehensio carnis Christi per fidem efficit. Adhibet etiam exemplum fermenti, quod totam farinæ massam fermentat: sicque minimam Eulogiam totum corpus nostrum in se miscere ait, suaque efficacia replere. *Quemadmodum*, inquit, *si quis ceram ceræ conjunxerit, utique alterum in altera esse videbit: eodem modo, qui Salvatoris nostri carnem suscipit, & bibit ejus pretiosum Sanguinem, unum quiddam cum eo reperitur, commixtus quodammodo & immixtus ei per illam participationem, ita ut in Christo quidem ipse reperiatur, & vicissim Christus in ipso .... Quemadmodum Paulus ait:* „ Modicum fermentum totam „ massam fermentare: *sic minima Eulogia totum nostrum corpus in se miscet, propriaque replet efficacia: atque ita Christus in nobis existit. & nos vicissim in ipso. Etenim vere dici potest fermentum quidem esse in tota massa, & simili ratione massam in toto fermento*.

Qui Eucharistiam suscipit, cum Christo quodammodo commiscetur, & fit bonum cum ipso.

VII. *S. Joannes Chrysostomus* Homilia 45. in *Joannem* verba Christi superius laudata de Eucharistia perinde explicat. *Si quis*, inquit, *percontaretur cur Mysteriorum sermonem adduxerit, respondebimus quod horum nunc maxime tempus erat .... Propterea illud prius fecit miraculum*, (multiplicationis panum) *ut per illud non essent amplius increduli his quæ postmodum diceret .... Quare necessario discendum quam admiranda Mysteria, & cur data sint, & quænam eorum utilitas*. „ Unum corpus sumus & membra „ ex Carne & ossibus ejus. *Ut autem non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite unitetur. Hoc enim amantium maxime est. Hoc Job significabat de servis a quibus maxime amabatur, qui suum amorem præ se ferentes, dicebant*: Quis daret nobis, ut ejus carnibus impleremus? *Quod Christus fecit, ut majori nos caritate adstringeret; & ut suum in nos ostenderet desiderium non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni sua infigi & desiderio sui omnes impleri .... Parentes sæpe numero liberos suos aliis alendos dederunt: Ego autem mea carne alo, me vobis exhibeo, omnibus faveo, omnibus optimam de futuris spem præbeo. Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura: vester ergo frater esse volui, & communicavi carnem propter vos & sanguinem: & per quæ vobis conjunctus sum, ea rursus vobis exhibeo*. Sane & realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & oralis manducatio ejusdem sacratissimi corporis clarius exprimi non possunt ac luculentius. Id sequentia verba amplius confirmant. *Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit; Dæmones enim cum Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur; Angeli autem concurrunt .... Hic sanguis abdita & Sancta Sanctorum purgabat. Quod si ejus figura tantum habuit vim in templo Hebræorum, in media Ægypto liminibus aspersus, longe magis veritas ..... Hic sanguis in figura peccata purgabat: in qua si tantam habuit vim, si umbram ita mors horruit, quantopere quæso, ipsam formidabit veritatem?* Sanguinis Christi non figuram tantum aut efficaciam, sed veritatem in Eucharistia contineri, & Fidelibus propinari *S. Chrysostomus* profitetur ac docet.

Eucharistia summum amoris Christi erga nos argumentum.

Vis & efficacia Sanguinis Christi in Eucharistia.

Dæmones fugat. Purgat peccata.

ARTICULUS II.

Diluuntur Argumenta quibus ALBERTINUS probare nititur JOANNIS CAP. VI. agi de sola manducatione spirituali, etiam ad oralis rejectionem.

A*Lbertinus* lib. 1. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 32. omnes machinas admovet ad diruendam probationem quam ex cap. 6. *Sancti Joannis* Catholici Theologi arcessunt ad præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia comprobandam. Objicit primo Dominum in postrema parte versiculi quinquagesimi-primi, & in sequentibus aliis, agere de eodem pane, & eum eadem sumentibus promissione, de quo tractatum fuerat versiculo quinquagesimo & præcedentibus. Cum ergo in priori parte versiculi illius 51. sicut & in antecedentibus Dominus locutus sit de manducatione spirituali, non de orali & sacramentali; similiter dicendum est in posteriori parte versiculi hujus, atque etiam in sequentibus, tantummodo quoque agi de manducatione spirituali.

Respondeo, de eodem pane agere, & de eadem Manducatione. Quia vero carnem Christi non sacramentaliter tantum, sed etiam spiritualiter manducare debemus, ut nobis ad salutem prosit spiritalem, primo manducationem exprimit clarius, deinde vero corporalem ac sacramentalem expressius significat. Provehebat enim auditores suos Christus paulatim ad hoc Mysterium, docens prius eos quid facere deberent, ut panem verum cœlestemque mererentur. *Operamini*, inquit, *non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis .... Hoc est opus Dei; ut credatis in eum quem misit ille .... Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam*. Quibus verbis spiritalis manducatio potissimum commendatur. Unde & *S. Augustinus* illa exponens Tractatu 25. in *Joannem* ait: *Hoc est ergo manducare cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentes & ventrem; Crede, & manducasti*. Quamquam hæc *Augustini* verba non ad Christianos Eucharistiam sumentes, sed ad Judæos panes iterum a Christo expetentes referantur, quos ad spiritalem potius cibum consectandum, scilicet doctrinam cœlestem, Salvator adhortatus est. Id constat ex his ejusdem S. Doctoris verbis in eodem capite; *Expectabat, credo, iterum panes manducare, iterum discumbere, iterum saginari: sed dixerat cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quomodo dictum fuerat mulieri illi Samaritanæ: Si scires quis est qui petit a te bibere, tu forsitan postulasses ab eo*. Idem confirmatur ex lib. 2. de Sermone Domini in Monte cap. 7. *Panis*, inquit, *quotidianus, aut pro iis omnibus dictus est, quæ hujus vitæ necessitatem sustentant, aut pro Sacramento Corporis Christi, quod quotidie accipimus; aut pro spirituali cibo, de quo idem Dominus dicit: Operamini escam quæ non corrumpitur*.

Et infra: *Restat igitur ut quotidianum panem accipiamus spiritalem, præcepta scilicet divina, quæ quotidie oportet meditari & operari. Num de ipsis Dominus dicit: Operamini escam quæ non corrumpitur*. Postquam vero Christus de manducatione spirituali sermonem fecit, auditores promovet ad alterius manducationis genus, quam obscurius indicaverat; declaratque quomodo panem illum de quo fuerat locutus, id est, seipsum, illis manducandum daturus sit. *Caro mea*, inquit, *vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo*. Et, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*.

II. Objicit secundo *Albertinus*, Hoc in loco nullam fieri de speciebus panis & vini mentionem, adeoque de Eucharistia non agi.

Respondeo Satis esse ut rerum ipsarum in Sacramento contentarum, id est, carnis & sanguinis Christi mentio fiat. In prædictionibus enim sive promissionibus, non est necesse ut modus & species declaretur: satis est ipsam rei substantiam verbis idoneis exprimi. Ita cum Christus promisit adventum Spiritus Sancti, non prædixit excitandum repente de cœlo sonum, aut dispertitas linguas, tamquam ignem conspiciendas. Et enim in hoc eodem capite, non semel resurrectionem promittat manducantibus panem vitæ, modum tamen non exprimit. Quamvis itaque de pane & vino distinctim non loquatur, nihilominus de Eucharistia ejus verba intelligenda sunt, in qua manducatur ejus caro, & bibitur ejus sanguis.

III. Objicit tertio *Albertinus*, Verba Domini, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*, &c. sensum habere generaliorem ac humaniorem, minusque durum; atque etiam intellectu factuque faciliorem, si abstracte a Sacramento de spirituali manducatione intelligantur, quam si vel de spirituali, vel de orali in Sacramento: adeoque de illa, non de ista intelligi debere. Probat Antecedens, quia si de manducatione orali intelligantur, multas necessario patientur restrictiones: Accipienda enim erunt tantummodo de hominibus sub Novo Testamento post Eucharistiæ institutionem viventibus; item de adultis solis, & de sumptione non actu simpliciter, sed interdum in voto, ac etiam de manducatione digna, non autem de indigna: cum ea de spirituali manducatione abstracte a Sacramento intellecta, ab hisce limitationibus absoluta sint. Sensus præterea de spirituali manducatione carnis Domini, multo humanior ac suavior est, quam sensus de manducatione corporali & orali.

Respondeo, Verba quæ preceptum important in Scriptura Sacra, non esse semper intelligenda secundum sensum generaliorem, sed accommodate ad personas quibus dantur, & ad tempora pro quibus dantur. Nam & hæc verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum cœlorum*, sensum generaliorem habent, si de sola fide intelligantur, quam si de Sacramento collato per aquam. An ideo Sacramentum necessarium non est? Præterea restrictiones, quas verba laudata Christi *Joannis 6.* cap. patiuntur, non ab hominibus, sed ab ipso Salvatore sunt adhibitæ. Legem autem extendere nefas est ultra voluntatem Legislatoris. Novæ Legis Sacramentum ad homines antiquæ Legis non pertinet. Christus non dixit, Panis quem ego dedi, caro mea est pro mundi vita; sed, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Verba promissionis Christi ad adultos non restringuntur, quia & infantibus multorum tractu sæculorum Eucharistiam dedit Ecclesia, quæ disciplina ob rationes convenientissimas mutata est. Interdum ad solam perceptionem Eucharistiæ in voto restringuntur, cum vel absolute recipi, vel cum debita reverentia non potest. Sed eadem pene Baptismi ratio est. Qui enim illud recipere non possunt adulti, solo ejus voto salvantur. De manducatione digna dumtaxat intelligitur tota sententia Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Sed quid mirum? Cum & Christi promissiones aliæ certis adstrictæ sint conditionibus, per quas ad certas etiam personas coarctantur, ut in his evidens est: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit .... Omnis qui petit, accipit*. Et tamen qui credit, & baptismum suscipit adultus, non salvatur, nisi de peccatis ex animo doleat, Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, & mandata servet. Nec accipit quicumque petit atque orat, nisi bene petat. Denique suas etiam restrictiones habent verba illa Christi, *Nisi manducaveritis* &c. &, *Qui manducat meam carnem*, &c. si de spiritali manducatione abstracte a Sacramento intelligantur. Infantes enim baptizati carnem Christi spiritaliter non manducant, si manducationem spiritalem ad fidem referamus, quæ carnem Christi pro nobis crucifixam apprehendit. Nulla igitur *Albertini* argumentatio est, colligentis verba Christi esse intelligenda de manducatione spirituali abstracte a Sacramento quia secundum sensum quem habent generaliorem, sunt accipienda. Peccat enim in principio ratiocinium istud. Sed etsi minus dura & difficilis humanæ rationi spiritualis manducatio videatur, non sequitur sensum verborum Christi esse illum de manducatione spirituali per rejectionem oralis. *Non est enim humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum*, inquit S. Hilarius; *neque per violentam atque impudentem prædicationem cælestium dictorum sanitati aliena atque impia intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, & tunc perfecta fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus*. Denique potius colligendum est verba Christi esse intelligenda in sensu manducationis oralis, quia sensus ille difficilior est, & dubia illa potius est excitare, quæ in Judæorum animis concitata sunt. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* & quæ in ipsis Fidelium animis possunt suboriri, quæ SS. Patres de hoc differentes Sacramento, dissipare passim nituntur, ut inferius observabimus.

IV. Objicit quarto *Albertinus*: Quicumque propriam Domini carnem manducat, propriumque sanguinem bibit, habet vitam æternam. At quicumque manducat & bibit Eucharistiam, non habet vitam æternam. Ergo quicumque Eucharistiam manducant & bibunt, non manducant propriam Domini carnem, nec proprium sanguinem bibunt.

Respondeo, habere vitam æternam quicumque propriam Christi carnem digne manducat, secus si manducet indigne. Non nostra, sed Apostoli explicatio est 1. ad Corinthios 11. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis & Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo; & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Corpus quidem & Sanguis Domini suapte natura vivifica sunt, & immortalem vitam procurare valent manducantibus & bibentibus: sed obicem apponentes, & in morte peccati manere volentes, immortali vita non donant. Præterea hoc telum in adversarios facile torquetur. Quicumque carnem Christi manducat, & bibit ejus sanguinem, habet vitam æternam: sed quicumque manducat per fidem, non habet vitam æternam; cum multi a fide & charitate excidant. Vitam igitur æternam non habent, quicumque per fidem Corpus Domini manducant, & Sanguinem ejus bibunt.

V. Objicit quinto *Albertinus*: Si *Joannis 6.* ageretur de Eucharistia, sequeretur necessitas utramque speciem participandi. Nam Dominus expresse ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. At falsum consequens est, secundum nos: igitur & antecedens.

Respondeo, Varias ejus loci interpretationes a Catholicis Theologis afferri, de quibus alias opportunior erit dicendi locus: sed quamcumque sequamur, ex hac Domini sententia colligi non potest Communionis sub utraque specie necessitas, ut Concilium Tridentinum probat ac declarat Sessione 21. cap. 1. *Sed neque ex sermone illo apud Joannem 6.* inquit, *recte colligitur utriusque speciei Communionem a Domino præceptam esse, utcumque juxta varias SS Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur. Nam qui dixit*: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis „ & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam „ in vobis; *dixit quoque*: Si quis manducaverit ex „ hoc pane, vivet in æternum. *Et qui dixit*, Qui „ manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; *dixit etiam*: Panis „ quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *Et* „ *denique qui dixit*: Qui manducat meam carnem, „ & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo; *dixit nihilominus*; Qui manducat hunc „ panem, vivet in æternum. Retorqueri etiam in „ Calvinistas istud argumentum facile potest. Si hæc „ verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem. &c.* de manducatione per fidem essent intelligenda, manducatio per fidem omni-

omnibus necessaria esset. Porro non est omnibus necessaria; non enim infantibus. Igitur de manducatione per fidem intelligi non debent. Si respondeant, accommodate ad personas intelligendum esse praeceptum, ut per fidem teneantur manducare, qui fidei actualis sunt capaces; non absimiliter & nos respondebimus, debere utramque speciem Sacramenti sumere Sacerdotes, qui instituti a Christo Sacrificii peragendi causa illud sumunt, cum utraque parte Sacrificium constet necessario: Non esse vero necessarium ut Fideles cæteri, qui non alia de causa Eucharistiam sumunt, quam ut ejus fructum percipiant, utramque sumant speciem; cum non minor ex una, quam ex utraque simul fructus percipiatur.

VI. Objicit sexto *Albertinus*, Dominum loqui de ejusmodi manducatione, quæ fieri poterat, tum cum loqueretur, ab iis ad quos sermonem suum dirigebat. Ait enim in præsenti; *Qui manducat:* At manducatio oralis tum fieri non poterat, cum Sacramentum non instituerat, sed sola spiritalis. Deinde alloquebatur Judæos, quibus immediate ante dixerat, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. Præceptum autem hoc comminatorium, illusorium prorsus fuisset, nisi tum illi potuissent carnem ejus manducare, & sanguinem bibere. Fieri enim poterat ut illorum quamplurimi, antequam Eucharistiam instituisset, obirent; immo etiam ex vi communicationis hujus vita privarentur, ob manducationis illius defectum, quod iniquum prorsus foret.

Respondeo Christum & de ea manducatione quæ tum fieri poterat, suis fidem adhibendo promissis, & de ea quæ postmodum erat consummanda instituto Sacramento; ac proinde tum de spirituali, cum de orali fuisse locutum. Unde non solum ait pro tempore præsenti, *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo. Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Sed ad futuram manducationem illam refert his verbis: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Sicut ergo cum Christus dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum cælorum*, non significabat eos qui ante plene promulgatam Evangelii Legem baptismum non susciperent, a Regno cælorum excludendos; sed eos solum, qui promulgata baptismi Lege, absque ejus susceptione in re vel in voto decederent: ita cum dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, id non referebat nisi ad eos qui post hujus institutionem Mysterii carnem suam & sanguinem in Sacramento recipere, omnino renuerent. Nec obstat, quod ad Judæos loqueretur, tum in Synagoga præsentes, quorum plurimi ante Eucharistiæ institutionem erant morituri: Discipulos namque & auditores cæteros alloquebatur ceu typos Ecclesiæ. Unde verba illa toti Ecclesiæ dicta sunt, illique promissio facta est Mysterii in ultima Cœna instituendi ac exhibendi. Denique temporis præsentia verbis res proxime futuras in Scriptura interdum significari, sacrarum Literarum peritus nemo nescit.

VII. Objicit septimo *Albertinus*: Qualis est mansio illa, per quam in Christo manemus, & Christus in nobis, talis est manducatio carnis, & potatio sanguinis ejus. Mansio enim illa ad manducationem & potationem sequitur, ut effectus immediatus ad causam proximam suam. Atqui mansio illa non est corporalis, sed spiritualis: Ergo manducatio carnis, & potatio sanguinis non est corporalis & oralis, sed spiritualis. Probatur minor, Dominus enim mansionem hanc reciprocam facit, & ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Atqui non manemus in eo corporaliter: nec igitur ipse in nobis.

Respondeo primo, negari posse majorem. Quamvis enim mansio Christi in nobis sit effectus manducationis, non tamen ejusdem ordinis est ac manducatio. Id scilicet proprium Sacramentorum est, ut res actionesque sensibiles spiritalem effectum producant in anima. Sic ablutio exterior ac sensibilis in Baptismo remissionem peccati, & gratiam atque virtutes operatur. Unde sicut ineptum esset illud ratiocinium: qualis est salus quæ nobis per baptismum procuratur, talis est ablutio quæ baptismi nomine significatur, cum dixerit Christus: *Qui baptizatus fuerit, salvus erit.* Atqui salus illa non est corporis, sed animæ: igitur baptismus non constat ablutione exteriori corporis, sed sola interiori animæ: ita ineptum est argumentum illud *Albertini* Ministri.

Christus per Eucharistiam in nobis corporaliter habitat, & per participationem naturalem.

Respondeo secundo, falsam esse minorem. Qui enim per corpus suum se nobis commiscet, instar ceræ liquefactæ quæ alteri ceræ conjungitur; aut fermenti, quod totam massam fermentat; qui nos concorporales suos per Eucharistiam efficit, qui naturaliter in nobis manet, is certe spiritalem duntaxat mansionem his verbis non significavit, *in me manet & ego in eo.* Atqui Christus per corpus suum se nobis commiscet, cum Eucharistiam sumimus, & concorporales suos nos efficit, ut SS. Patres loquuntur, quorum insignia loca supra retulimus, aliaque inferius adducemus. Igitur de sola mansione spiritali hæc verba non sunt intelligenda, sed de corporali. An de mansione spiritali S. Cyrillus Alexandrinus intelligebat, qui lib. 10. in *Joannem*, pag. 862. & 873. refellit Hæreticos, qui dicere ausi sunt nullam esse nobis cum Christo carnalis conjunctionis rationem, argumento ducto ab Eucharistia? *Dicat*, inquit, *nobis aliquis causam, & vim Eulogiæ mysticæ obiter doceat. Nam cur in nobis inseritur? Non-ne ut Christum inhabitare faciat in nobis etiam corporaliter, participatione & communione sancta suæ carnis? Præclare quidem: Scribit enim Paulus Gentes factas esse concorporales, & comparticipes, & cohæredes Christi. Concorporales enim quonam modo facta sunt? Nempe Eulogiæ mysticæ participatione honoratæ, unum cum eo facta sunt corpus, sicut & unusquisque Sanctorum Apostolorum. Alioqui, quam ob causam, sua, immo omnium membra sicuti sua, membra Christi nuncupavit? Sic enim scribit:* Nescitis quoniam membra vestra „ membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi „ faciam membra meretricis? Absit. *Sed Servator ipse:* Qui manducat meam carnem, *inquit*, & „ bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. *Hic enim animadvertere est operæ pretium, Christum non dicere, se duntaxat in nobis futurum secundum relationem quamdam affectualem, sed & per participationem naturalem. Ut enim si quis ceram ceræ commixtam igne simul liquaverit, unum quid ex ambabus efficit: ita per Corporis Christi, & pretiosi Sanguinis participationem, ipse quidem in nobis, nos autem rursus in eo simul unimur. Nec enim aliter vivificari potest quod natura sua est corruptibile, quam si corporaliter unitum sit corpori ejus, qui secundum naturam suam est vita, hoc est, Unigeniti. Quod si meis verbis persuaderi te non sinis, ipsi Christo clamanti fidem adhibe:* „ Amen, amen dico vobis: Nisi mandu„ caveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus „ sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui „ enim manducat meam carnem, & bibit meum „ sanguinem, habet vitam æternam: Et ego re„ suscitabo eum in novissimo die. *Audis cum aperte prædicantem, quod nisi carnem ejus manducaverimus, & biberimus ejus sanguinem, non habituri simus in nobis, hoc est in propria carne vitam æternam? Æterna autem vita jure censebitur caro vitæ, hoc est, Unigeniti.*

Verbum autem *manendi*, aliquando quidem moram & quasi habitum significat, ut transeundi verbo opponi videatur, ut quando dicitur cap. 1. S. Joannis, *Spiritum Sanctum mansisse super Jesum*; & cap. 3. *Iram Dei manere super eum, qui non credit*, & cap. 5. de Judæis persecutoribus, eos *verbum Dei non habere in ipsis manens*: aliquando vero intimam conjunctionem, ut hic & Epistola 1. ejusdem S. Joannis cap. 3. ubi dicitur: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet*, & cap. 4. ubi dicitur: *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ex qua observatione aliud *Albertini* argumentum solvitur; quod sic procedit: Dici non potest, illum, qui per tres aut quatuor horas alicubi est, ibi manere. Hæc enim loquendi forma constantem ac diuturnam inhabitationem

nem designat. Atqui hoc beneficium non obtinetur per manducationem oralem, sed per spiritualem: loquitur ergo Dominus de manducatione spirituali, non de orali.

VIII. Objicit octavo *Albertinus* illa Christi verba versu 63. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Quo ex loco illud conficit argumentum. Quæ manducatio carnis Christi per se non prodest, nec vivificat, ea tamquam inutilis & superflua censenda est. At manducatio oralis carnis Christi per se non prodest, nec vivificat. Ergo. Minor probatur, tum ex eo quod canes & mures, & multi homines impii, carnem Christi ore comedant, nec tamen iis ullo modo ad vitam æternam prosit; tum quia nullæ possint assignari utilitates manducationis oralis per se spectatæ ad salutis adeptionem.

Respondeo, nego minorem: Caro enim Christi, seu species Sacramentales eam obvelantes, si a brutis animalibus, permittente Deo, devorentur, iis non prosunt, quia spiritalis & æternæ vitæ incapacia sunt; nec pro illis Eucharistiæ Sacramentum institutum est, aut Christus dixit: *Panis quem ego dabo, caro mea est*, pro brutorum animantium, sed pro *mundi*, id est, *hominum vita*, qui ad vitam æternam conditi sunt, & Christi sanguine redempti, ut jus ad ipsam consequantur; & Sacramentorum divinis subsidiis ad eam promoveantur. Non prodest etiam impiis, quia indigne accipiunt; licet vivificandi vim habeat. Unde S. Augustinus Tractatum 27. in Joannem ita concludit: *Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi & sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus & bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur, & non scandalizemur, etiamsi multi modo nobiscum manducant & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.* Et Sermone 11. de verbis Domini secundum Matthæum cap. 11. hanc propositionem Christi: *Quicumque dixerit blasphemiam in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, probat exceptionem pati in multis infidelibus, qui in Spiritum Sanctum blasphemias evomunt, & tamen postea ad Ecclesiam Catholicam venientes remissionem obtinent; sicut hæc propositio: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*, exceptionem patitur in impiis, qui carnem Christi & sanguinem ejus indigne manducant, & bibunt. *Illud utique quod ait*: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo; *Quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quod judicium sibi manducent & bibant, cum ipsam carnem manducent? Numquid & Judas Magistri venditor & traditor impius, quamvis primum ipsum manibus ejus confectum Sacramentum carnis & sanguinis ejus cum ceteris Discipulis, sicut apertius Lucas Evangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi denique qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, vel cum manducaverint & biberint, apostatæ fiunt, numquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profecto est quidam modus manducandi carnem illam, & bibendi illum sanguinem; quomodo qui manducaverit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocumque modo quispiam manducaverit carnem & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus; sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat. Sic igitur & in eo quod ait: Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum: Non quocumque modo blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet, reus est hujus irremissibilis delicti: sed modo quodam, quem nos quærere atque intelligere voluit, qui hanc sententiam veram terribilemque deprompsit.* Negamus etiam quod oralis manducationis nullæ assignari possint utilitates: infinitæ enim numerantur a Patribus, qui hujus mysterii vim exposuere. Potissima est augmentum gratiæ, conjunctio cum Christo, & vita immortalis, quam Christus Eucharistiæ sumptioni alligavit, ut ex ejus promissione constat: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Non in Sacramento tantum, sed usque ad Spiritus participationem Caro Christi comedenda.

Quod vero illa Christi verba spectat: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, &c. eorum sensus est, quod caro non prosit per sese absque spiritu, adeoque quod nec ipsa Christi caro vivificandi vim habeat absque verbo: Quod tandem verba Christi non sint intelligenda carnali sensu, prout intelligebant Capharnaitæ & Discipulorum aliqui, carnem suam particulatim frustatimque conscindendam ipsum daturum. Ita hunc locum explicant *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 16. *S. Chrysostomus S. Augustinus*, & *S. Cyrillus Alexandrinus* in hunc locum. *O Domine*, inquit Sanctus Augustinus, *quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris: Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quidquam? Et propter quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid est ergo, Non prodest quidquam caro? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est*: Caro non prodest quidquam, *quomodo dictum est*; Scientia inflat. *Jam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est*, Scientia inflat? *Sola, sine caritate. Ideo adjunxit*, Caritas vero ædificat. *Adde ergo scientiæ caritatem & utilis erit Scientia: non per se, sed per caritatem. Sic etiam nunc*, Caro non prodest quidquam: *Sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit: quod habebat, attende, non quod erat. Apostoli missi sunt: Numquid caro ipsorum nihil nobis profuit? Si caro Apostolorum nobis profuit, caro Domini poterat nihil prodesse? Unde enim ad nos sonus verbi, nisi per vocem carnis? Unde stylus? Unde conscriptio? Ista omnia opera carnis sunt, sed agitante spiritu tamquam organum suum. Spiritus ergo est, qui vivificat. Caro autem non prodest quidquam. Sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam.* Sic etiam explicat Enarratione in Psalmum 98. *Durum, inquit, illis visum est quod ait*: Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam: *Acceperunt istud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo & daturus illis, & dixerunt*: Durus est hic sermo..... *Ille autem instruxit eos, & ait illis*: „ Spiritus est qui vivificat; „ caro autem nihil prodest. Verba quæ locutus sum „ vobis, spiritus est & vita. *Spiritaliter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis; & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritaliter intellectum vivificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Spiritaliter intelligi jubet quod locutus est, id est, quod supernaturali modo, & invisibili carnem suam daturus esset, non quidem passibilem, & sub visibili specie, sed gloriosam. Unde corpus idem secundum substantiam erant manducaturi, quod videbant, & sanguinem eumdem secundum substantiam bibituri, quem fusuri erant carnifices: sed non eumdem secundum qualitatem. Hinc Sanctus Augustinus Epistola 146. ad *Consentium*, Christi corpus *spiritale resurrexisse* ait; & Apostolus de corporibus nostris ait, *Seminatur corpus animale, resurget spiritale*. Hoc sensu idem *S. Augustinus* lib. contra *Adimantum* cap. 12. ait: *Cum induerit incorruptionem & immortalitatem, jam non caro & sanguis erit, sed in corpus cœleste mutabitur.* Quæ verba recensens libro 1. Retractationum, cap. 22. hæc habet: *Quod autem dixi* „ Cum induerit in„ corruptionem & immortalitatem, jam non caro & „ sanguis erit, *secundum corruptionem carnalem dictum*

Caro Christi plurimum prodest, quatenus spiritu vegetatur, & vivificandi vim habet a Verbo, cui personaliter unita est.

est

est, carnem non futuram non secundum substantiam, secundum quam Domini corpus, etiam post resurrectionem, caro appellata est. Eodem sensu *S. Hieronymus* in cap. 1. Epistolæ ad Ephesios, explicans illa verba; *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius* ait : *Dupliciter vero Sanguis Christi & Caro intelligitur, spiritualis illa atque divina, de qua ipse dixit :* „ Caro mea vere est cibus, & sanguis „ meus vere est potus. *Et,* Nisi manducaveritis „ carnem meam, & sanguinem meum biberitis, non „ habebitis vitam æternam. *Vel caro & sanguis, quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea ... Juxta hanc divisionem, & in Sanctis ejus diversitas sanguinis & carnis accipitur, ut alia sit caro quæ visura est Salutare Dei; alia caro & sanguis quæ Regnum Dei non queant possidere.*

Eodem sensu *S. Leo* Sermone 1. de Resurrectione Domini, explicans illa verba Apostoli, *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, jam nunc non novimus;* ait : *Merito dicitur caro Christi in eo statu, quo fuerit nota, nesciri : quia nihil in ea passibile, nihil remansit in ea infirmum, ut & ipsa sit per essentiam, & non ipsa per gloriam.*

Denique *Sanctus Augustinus* eodem modo carnem Christi vivificare asserit, quomodo ipsam adorari agnoscit. Atqui ipsam adorari agnoscit propter spiritum, seu propter Verbum, cui unita est : igitur & ipsam vivificare asserit quatenus vim accipit vivificam a Verbo, cui unita est, & per quod subsistit, ut propria ejus caro. Major & minor evidentes sunt ex laudato *Sancti Augustini* loco in Psalmum scilicet 98. ubi explicans illa verba, *Adorate scabellum pedum ejus,* ait : *Quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte Scriptura,* Dominum Deum tuum adorabis ? *Et hic dicit,* Adorate scabellum pedum ejus ? *Exponens autem mihi quod sit scabellum pedum ejus, dicit :* Terra autem scabellum pedum meorum. *Anceps factus sum : timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit :* Adorate scabellum pedum ejus.... *Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit : nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit : Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Numquid autem caro vivificat ? Ipse Dominus dixit, cum de ipsa commendatione ejusdem terræ loqueretur :* Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest. *Ideo & terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum Sanctum cujus pedum scabellum est quod adoras : propter ipsum enim adoras : ideo & hic subjecit :* Adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est : *Quis Sanctus est ? In cujus honore adoras scabellum pedum ejus. Et cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, & a spiritu non vivificeris. Spiritus enim, inquit, vivificat, caro autem nihil prodest.*

Eucharistia adoratio.

Denique quod ait Christus, *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt,* non significat Corpus Christi & Sanguinem eo sensu cibum & potum spiritalem esse, quod sola fidei apprehensione manducetur; sed quod a vulgari & naturali cibo longe differat, quo corpora nostra aluntur ad hanc vitam sustentandam. Quod ψυχικὸν non sit, sed πνευματικὸν & gloriosum; quod ad vitam spiritalem & immortalem alat : quod denique non terreno, & naturali, vulgarique modo percipiatur, & vulgarium instar ciborum dentibus prematur, dividatur, digeratur : sed modo spiritali & miraculoso manducetur.

Quamvis ore manducetur Christi Corpus, modo tamen spirituali manducatur.

IX. Instat *Albertinus :* Si quid spiritualiter manducari censetur, quia non masticatur nec dividitur, dicendum pariter erit piscem illum magnum qui *Jonam* vivum absorpsit, illum spiritualiter manducasse; & cassiæ bolos ac alias ejusmodi medicinalis pilulas, quæ sub auri foliolis vel tenuissimo panis crustulo degluttiuntur, spiritualiter manducari; denique serpentes illos prodigiosæ magnitudinis, qui cervos ac tauros solidos hauriunt, ut *Aristoteles* lib. 8. *Historiæ Animalium* cap. 28. & *Plinius* lib. 8. cap. 14. referunt, spiritualiter illos edere : quod ineptissimum esse nemo non videt.

Respondeo, Modum illum spiritalem oralis manducationis corporis Christi non esse dumtaxat in eo positum quod non dividatur, sed quod modo ineffabili & miraculoso comedatur, quamvis dividi non possit ac digeri, utpote impassibile atque gloriosum. Unde inepta sunt, nec ullatenus ad rem exempla ab *Albertino* prolata.

Instat rursus *Albertinus :* Non magis convenit animæ cibo ad ejus nutritionem per os corporis manducari & bibi, quam cibo corporis ad ipsius nutritionem per os animæ, videlicet fidem, sumi. At absurdum est dicere cibum corporis ad ipsius nutritionem per os animæ, videlicet fidem, sumi debere : Ergo pariter absurdum est dicere, cibum animæ ad ipsius nutritionem edi & bibi debere per os corporis. Atqui Christi Corpus & Sanguinem cibum esse non ad corporis, sed ad animæ vitam ordinatum fatentur omnes. Ergo &c.

Respondeo, Quod etsi animæ cibo id per se non conveniat, ex institutione tamen Christi convenit. Neque id cum ratione pugnat, quamvis rationem superet, utpote fidei mysterium. Si enim Spiritus Sanctus in corporibus nostris quodammodo habitat, cum membra nostra illius templa sint, ut Apostolus asserit : Si Verbum Dei quod res est spiritalis aure corporis percipitur : si caro in Baptismo *abluitur, ut anima emundetur :* Si *caro ungitur* in confirmatione, *ut anima consecretur :* cur eadem caro sumendo Eucharistiam *corpore & sanguine Christi non pascatur, ut anima de Deo saginetur,* ut cum *Tertulliano* loquar ? Præterea si res corporeæ, scilicet caro & sanguis ore spirituali percipi possunt, secundum Calvinianos; cur cibus spiritualis ore corporis sumi non posset ? Neque enim major in uno quam in altero est repugnantia ?

X. Objicit *Albertinus :* Si Corpus Domini per os recipitur, & in ventriculum descendit, fieri poterit ut gloriosum Domini corpus in uno eodemque subjecto cum diabolo resideat : in impium enim potest dæmon introire per propriam substantiam, & in illo prævalere, non obstante corpore Christi, quod pariter in eo erit. At consequens absurdum est; nam si Dagon non potuit subsistere coram Arca, quanto minus dæmon cum corpore Christi ?

Respondeo, Id si Deus permittat, fieri posse, sicut fieri potuit non solum ut Dagon coram Arca subsisteret, sed ut Arca ipsa everteretur, ita permittente Deo. Et vero si Diabolus Christum tentare potuit, eo permittente, & in sanctam civitatem assumere, & supra pinnaculum Templi statuere, & in montem excelsum tollere; quidni poterit in corpus hominis intrare, qui Christi corpus manducavit ? Deus per essentiam, præsentiam, & potentiam, non solum in corporibus energumenorum, sed etiam in ipsis dæmonibus est, nec propterea majestas ejus violatur : nec igitur violari censendum est corpus Christi, quamvis in stomachum energumeni traducatur. Leviores alias *Albertini* rationes prætermitto, quas Catholicorum nemo haud plane rusticus, nedum Theologus facile non solvet.

XI. Objicit decimo *Albertinus* contra manducationem oralem corporis Christi locum illum Sancti Augustini ex Tractatu 20. in Joannem, ubi exponens hæc Domini verba, *His est panis qui de cœlo descendit, ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur;* ait : *Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus, non qui manducat foris; qui manducat in corde, non qui premit dente.*

Respondeo primo, *S. Augustinum* non asserere quod manducatio Corporis Christi corde tantum fiat, non ore : sed quod æternæ vitæ promissio iis tantum facta sit, qui manducant intus, non foris; qui manducant corde, non qui premunt dente. Hac autem exceptione excludere nolle *S. Augustinum* obligationem manducationis oralis & Sacramentalis, sed ei addere velle necessitatem intellectualis & mentalis.

Manducatio spiritalis.

Corpori Christi spiritualis manducatio necessario jungenda.

lis. Ut quando ait Tractatu 80. in Joannem, *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Externam verbi prolationem ad producendum effectum baptismi necessariam non negat, cum ibidem dicat: *Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua?* Sed solam verborum prolationem satis esse negat, ut adulti remissionem peccatorum per Baptismum obtineant, & spiritualiter renascantur nisi necessariam dispositionem adhibeant, scilicet fidem. Sic cum S. Augustinus ait, lib. de Sancta Virginitate, cap. 3. de Virgine Maria. *Fœlicius Christum corde quam carne gestavit*, non negat fœlicem esse Deiparam Virginem quod Christum corporaliter conceperit, cum ipsa exclamet: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes;* sed beatam fore negat, nisi corde etiam Christum concepisset. Et cum *sanctus Cyprianus* lib. de Oratione Dominica ait, *Deus non vocis, sed cordis auditor*, non negat Deum vocales orationes audire, siquidem Propheta dixit: *Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me:* sed vocales orationes sufficere negat, nisi & corde oremus. Et cum *Osea 6.* Dominus ait: *Misericordiam volui, & non Sacrificium*, Sacrificia esse sibi offerenda non negat, sed absque misericordia sibi non esse grata. Eodem modo *sanctus Augustinus* hæc verba Christi, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, de iis intelligi asserit *qui manducant intus, non foris; qui manducant corde, non qui premunt dente;* Quia visibilis Sacramenti perceptio, & oralis manducatio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus contentorum, non sufficit ad virtutem Sacramenti consequendam, nisi in corde manducentur, id est, cum fide & caritate sumantur. Idem est sensus alterius loci ex eodem Tractatu 26. in Joannem: *Credere in eum*, inquit, *hoc est manducare panem vivum. Qui credit in eum, manducat, invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur.* Sed enim definitionem logicam manducationis carnis Christi non tradit ibi *Sanctus Augustinus*, sed moralem: nec ex eo quod dicat, *Credere in eum, hoc est, manducare panem vivum*, magis sequitur eum ore non manducari, quam ex eo quod paulo post de muliere fluxum sanguinis patiente ait, *Quid est tetigit, nisi credidit?* legitime concluderetur mulierem illam Dominum corporaliter non tetigisse: aut Christum corporaliter non esurivisse aut sitivisse, quia sitim ipsius *Sanctus Augustinus* moraliter explicat Concione 2. in Psalmum 78. ubi ait: *Jejunium*, inquit, *ipsius erat, quando defecerunt omnes qui in eum crediderant, quia & esuries ipsius erat ut in eum crederetur: quia & sitis ipsius erat, quando dixit mulieri*, Sitio, da mihi bibere: *Fidem quippe ipsius sitiebat: Et de Cruce cum diceret*, Sitio, *fidem illorum quærebat.*

XII. Reponit *Albertinus*, Hæc esse valde dissimilia: *Augustinus* enim cum Evangelica Historia diserte testatur, mulierem illam, tum corporaliter, tum spiritualiter Dominum tetigisse; atque ipsum tum proprie tum mystice esurivisse ac sitivisse: Non vero pariter ait, Panem qui de cœlo descendit, hoc est, Deum Incarnatum, corporaliter ac spiritualiter edi a dente, & a mente, ab ore, & a fide. At oppido fallitur *Albertinus*; manducationem enim utramque *S. Augustinus* diserte adstruit pluribus in locis. Unicum impræsentiarum profero ex lib. 2. Contra adversarium Legis & Prophetarum, cap. 9. *Mediatorem*, inquit, *Dei & hominum, hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere.*

Respondeo secundo, *S. Augustinum*, loco unde objectio decerpta est, nullo modo loqui de manducatione Corporis Christi, seu orali, seu mentali, sed de sola manducatione intellectuali Spiritus & Divinitatis Christi, hoc est de fide & contemplatione deitatis ipsius & æqualitatis cum Patre, quam ibi per metaphoram appellat manducationem panis vivi, quoniam meditatio deitatis supremum est animæ pabulum, ac intellectuale objectum. Id patet ex ipsius verbis: *Daturus ergo Dominus Spiritum Sanctum, dixit, se panem qui de cœlo descendit, hortans ut credamus in eum. Credere enim in eum hoc est manducare panem vivum* &c..... Ibidem: *Sed tangitur ab eis a quibus bene tangitur: ascendens ad Patrem, manens cum Patre, æqualis Patri.... Deus enim Pater æqualem sibi genuit Filium: & qui cogitat, atque in fide sua sentit & ruminat æqualem esse Patri, eum in quem credidit, ipsum trahit Pater ad Filium.... Quo avidas fauces habere debet, unde optare ut sanum sit intus palatum, vera judicandi, nisi ut manducet & bibat sapientiam, justitiam, veritatem, æternitatem?* Vides *S. Augustinum* in hac Tractatus parte ne verbum quidem habere de manducatione Corporis Christi sive in Sacramento, sive extra Sacramentum: quamvis in posteriori parte Tractatus de utraque loquatur, cum ait: *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit.*

XIII. Objicit *Albertinus* locum alterum ex Tractatu 27. *S. Augustini* in *Joannem*, ubi exponens hæc verba: *Si videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius*, hæc habet: *Quid est hoc? Hinc solvit quod illos moverat. Hinc aperuit unde fuerant scandalizati? Hinc plane si intelligerent: Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum. Ille autem dixit se ascensurum in cælum, utique integrum. Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia, non eo modo quo putatis, erogat corpus suum: certe vel tunc intelligetis quia gratia ejus non consumitur morsibus.* Augustinus ait Dominum ascensus sui mentione plane solvisse Discipulis id unde fuerant scandalizati ac aperuisse quomodo caro illis foret manducanda, si intelligentiæ tantillum habuissent. At vero ascensus mentio ne tenuissime quidem innuebat carnem oraliter ab eis fore manducandam: nec id Discipuli, vel si acutissimi fuissent, inde potuissent colligere. Immo is contra difficultatem adaugebat. Non ascensio carnis Christi e terra in cœlum, ipsius e terra absentiam designabat. An qui potuissent intelligere carnem a terra absentem illis oraliter fore manducandam, cum objectum absens oraliter manducare prorsus impossibile sit? Non intelligit ergo *Augustinus* carnem Dominicam oraliter edendam esse, sed mens tantum illius est, fide ac spiritu eam esse manducandam.

Respondeo, *S. Augustinum* eo loci solum sensum Capharnaitarum & Discipulorum carnalium exclusisse, qui ipsum corpus suum in partes divisurum, & ipsis erogaturum existimabant. Ascensus autem in cœlum redivivo, integro, & glorioso corpore probat ejus corpus non ita dividendum, & cæterorum instar ciborum, consumptum iri morsibus. At *S. Augustinus* confirmat veram Corporis sui manducationem Christum significasse, quam Discipuli intelligebant, licet non eo modo quo intelligebant. *Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum: certe vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non consumitur morsibus.* Licet autem ascensio Christi in cœlum absentiam ejus ab hominum oculis, convictu & conversatione, sive subtractionem præsentiæ sensibilis designarat, non tamen absentiam a Sacramento; immo potius carnis suæ in Sacramento præsentiam, quam Discipuli carnales non intelligebant, confirmabat. Id autem etsi non potuissent intelligere, debuissent credere, ut Christi verba probant, & *S. Augustinus* ibidem docet. *Carnem suam*, inquit, *dat nobis Dominus manducare, & sapere secundum carnem mors est. Cum de carne sua dicat, quia ibi est vita æterna: ergo nec carnem debemus sapere secundum carnem, sicut in his verbis*, Multi itaque audientes, *non ex inimicis: sed ex* Discipulis ejus dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? *Si Discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Et tamen sic oportebat ut diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non adversos. Isti autem cito defecerunt talia loquente Domino Jesu. Non crediderunt aliquid magnum, dicentem, & verbis illis* al-

aliquam gratiam cooperientem: sed prout voluerunt, ita intellexerunt, & more hominum, quia poterat Jesus, aut hoc disponebat Jesus, carnem qua indutum erat Verbum, veluti concisam distribuere credentibus in se.

XIII. Objiciunt Calviniani Scriptores pene omnes hunc locum ax Tractatu 26. *S. Augustini* in *Joannem*, quo solam Corporis Christi spiritalem manducationem ab ipso agnosci evincere se putant. *Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum: quod est Sancta Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & justificatis, & glorificatis, Sanctis & fidelibus ejus... Hujus rei Sacramentum, id est, unitatis Corporis & Sanguinis Christi, alicubi certis intervallis dierum in Dominica Mensa præparatur, & de Mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa cujus Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.*

Respondeo, *S. Augustinum* eo loci manducationem Corporis & Sanguinis Christi moraliter explicare, non de manducatione illius spirituali per fidem, sed de incorporatione in societatem Sanctorum, quæ Christi corpus mysticum est; ac docere Fideles, hunc esse finem Eucharistiæ, ut conjunctionem intimam cum Christi Corpore mystico designet atque operetur. At Calvinistarum sensui non patrocinatur hæc explicatio, siquidem manducatio spiritualis ad Corpus Christi naturale, non ad corpus mysticum referenda est, ut ipsimet fatentur. Ideo autem *S. Augustinus* in his Tractatibus sive Sermonibus in *Joannem*, quos e suggestu coram frequenti populo pronuntiabat, morali sensui potissimum insistit, quia coram Catechumenis loquebatur, quibus occultare mysteria & præcipue Eucharistiæ Sacramentum solemne erat. Qua de re *S. Augustinum* ipsum audire juvat Tractatu 11. in Joannem, ubi exponens hæc Evangelii verba, *Jesus non se credebat eis* ait: *Tales sunt omnes Catechumeni? ipsi jam credunt in nomine Christi, sed Jesus non se credit eis. Intendat & intelligat caritas vestra:*

Catechumenis occultare Mysteria, ac præsertim Eucharistiæ Sacramentum, solemne erat.

si dixerimus Catechumeno, credis in Christo? Respondet, Credo & signat se cruce Christi, portat in fronte & non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum, manducat carnem Filii hominis, & bibit ejus sanguinem? Nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei ... Quo ergo perducit credentes & baptizatos? Ad manna. Ecce dico manna. Notum est quid acceperint Judæi, notum est quod illis pluisset Deus de cœlo: & nesciunt Catechumeni quid accipiant Christiani. Erubescant ergo, quia nesciunt: transeant per Mare Rubrum, manducent manna, ut quomodo crediderunt in nomine Jesu, sic se ipsis credat Jesus. Et Tractatu 26. in Joannem: *Norunt Fideles Corpus Christi, si Corpus Christi non negligant esse.* Et Sermone 46. de Verbis Domini, ubi hanc Christi sententiam explicat, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c.* ait: *Qui audistis hæc, nondum omnes intellexistis. Qui enim baptizati & Fideles estis, quid dixerit, nostis. Qui autem inter vos adhuc Catechumeni, vel Audientes vocantur, potuerunt esse, cum legeretur, audientes numquid & intelligentes?* Et Sermone 2. de Verbis Apostoli: *Locutus est enim nobis de Corpore & Sanguine suo: Corpus dixit escam, sanguinem potum. Sacramentum Fidelium agnoscunt Fideles: Audientes autem, quid aliud quam audiunt?* Et Sermone in Psalmum 109. *Fidelibus loquor. Si quid non intelligunt Catechumeni, auferant pigritiam, festinent ad notitiam. Non ergo opus est mysteria promere: Scriptura vobis intimet quid est Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech.*

Explicatur quo sensu S. Augustinus figuratam locutionem esse scripserit, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, *&c.*

XIV. Objicit *Albertinus* locum celebrem *S. Augustini* e libris *De Doctrina Christiana*, in quibus modum Scripturas optime interpretandi docere volens, postquam lib. 1. de rebus tractasset, secundo de signis, demum in tertio agit de actionibus & locutionibus figuratis, quæ cum sæpe occurrant, studiose sunt distinguendæ. Hanc autem regulam assignat lib. 3. cap. 10. *Quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas.* Verum quia vox, *figuratum*, per se sumpta ambigua est, complectique potest tum locutiones quarum præcipui termini figurati sunt, & metaphorici, tum eas quarum termini quamvis proprii sint, alterius cujusdam rei figurativi & significativi sunt; regula illa sua quæ priores proprie spectat tantisper seposita, de posterioribus, hoc est, de dictis figurativis, quemadmodum & de factis occasione inde accepta, multa habet cap. 12. 13. 14. & 15. Deinde regulam suam cap. decimo-sexto denovo & explicatius referens, & prioribus illam, ut par est, accommodans: *Si præceptiva est locutio*, inquit *aut flagitium aut facinus vetans, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est.* Nisi manducaveritis, *inquit* carnem Filii hominis & sanguinem biberitis, vitam in vobis non habebitis; *facinus vel flagitium videtur jubere. Figura ergo est, præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod caro ejus pro nobis crucifixa & vulnerata sit.* Palmarium istud testimonium *Albertinus* vocat. *Augustinus* enim vult ea verba Domini, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & sanguinem biberitis*, figuratam locutionem esse. Figura autem illi non est in vocabulis carnis & sanguinis; neque enim negat veritatem carnis & sanguinis, aut carnem esse manducandam, sanguinemque bibendum, cum id ad vitam necessarium esse Dominus ipse asserat. Est igitur in vocabulis manducandi & bibendi, quæ metaphorice figurateque adhibentur, ac proinde manducationem & potationem non proprie sic appellatam, sed figurate sic dictam, hoc est spiritualem, designant.

Respondeo, Hanc Regulam a *S. Augustino* traditam, *Præceptiva locutio, si facinus aut flagitium videtur jubere, figurata est*; si generatim & absque restrictione sumatur, falsam esse, quod quinque exemplis mandatorum, quæ facinus videntur imperare, & nihilominus secundum proprietatem literæ mandanda erant executioni, probat doctissimus Cardinalis *Perronius*. Primum est immolationis Isaaci, *Genes.* 12. Secundum, spoliationis Ægyptiorum *Exod.* 12. Tertium destructionis Amalecitarum universæ, 1. *Regum* 15. Quartum mandati a Michæa de se vulnerando dati, 3. *Regum* 20. Quintum jussionis Oseæ factæ de meretrice in conjugem assumenda. Nun-ne & hoc principio *Socinus* probaret in sensu metaphorico intelligendas locutiones omnes Scripturæ, quibus Christus mortem suam obtulisse Patri dicitur, ut nos a peccatis redimeret? Facinus scilicet, vel flagitium *Socino* videbitur insontem morti tradere ad liberandos peccatores. Non illubenter concedit *Albertinus* hanc regulam non esse extendendam ad omnia in universum Scripturarum loca, in quibus flagitium aliquod, aut mandari, aut consuli, aut approbari videtur: quia nonnulla sunt adeo manifeste ex vi circumstantiarum juxta literæ proprietatem sumenda, ut de iis dubitatio nulla esse debeat, quemadmodum ipsemet observat *Augustinus*, cap. 11. *Si perspicue sonat*, inquit, *non est ad aliud referendum, quasi figurate dictum sit*; Satisque in illis sit ad mandantis authoritatem & justitiam recurrere. Verum his cum restrictionibus accepta regula perperam applicatur his Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* &c. secundum Catholicorum sensum explicatis, cum ex vi circumstantiarum juxta literæ proprietatem de manducatione reali intelligenda sint: & in jubentis authoritate sit acquiescendum, ut agnoscunt SS. Patres, Hilarius lib. 8. de Trinitate, dicens: *De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab ipso discimus, stulte & impie dicimus. Ipse enim ait:* Caro *mea vere est esca; & sanguis meus vere est potus.* Chrysostomus Homilia 46. in Joannem, asserens Christum dixisse, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; ut Apostolos in prædictis confirmaret, *Ne abscure loquutum in parabolis arbitrarentur, sed scirent omnino necessarium esse ut corpus comederent.* Basilius in Moralibus Regula 8. Cap. 1. ubi hæc verba Christi; *Amen, Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, in exemplum adducit, ut probet, *Quod ab iis quæ dicuntur a Domino dubitatio omnis, atque hæsitatio repelli debet, & quidquid a Deo dictum sit, id verissimum & pos-*

& possibile tenere oportet, licet natura ipsa repugnet: In hoc enim fidei certamen est. Sane hoc præceptum in sensu Catholicorum intellectum etsi rationi repugnare videatur, non tamen honestati, aut caritati proximi, adeoque nec flagitium jubet, nec facinus. *Quod* enim *agit indomita cupiditas ad corrumpendam animum & corpus suum, flagitium vocatur; quod autem agit ut alteri noceat, facinus;* inquit, *S. Augustinus* lib. 3. de Doctrina Christiana, c. 10. Facinus autem vel flagitium videtur jubere, si secundum sensum Capharnitarum intelligatur, & vulgaris spectetur manducationis modus, quo caro non manducatur nisi mortua, cocta & particulatim divisa, atque dentibus comminuitur, gustatur, in stomachum trajicitur, digeritur, & in substantiam corporis nostri convertitur. Hunc sensum dumtaxat ibi spectavit *S. Augustinus*, cum hæc verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem*, in exemplum adduxit præceptivarum locutionum, quæ facinus vel flagitium videntur jubere. Figuram vero in illis verbis agnoscit spiritalis manducationis, qua in plures partes dividitur objectum, quod spiritaliter manducatur, gustatur cum singulari voluptate, in memoria reconditur, ejusque meditatione alitur animus. *Figura est ergo*, inquit, *præcipiens, Passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod caro ejus pro nobis crucifixa & vulnerata sit.* Sacramentalem itaque & oralem Corporis Christi manducationem *S. Augustinus* non rejicit, de qua hæc verba aliis in locis constanter explicat, scilicet *lib. contra Adversarium Legis, & Prophetarum*, cap. 10. *Quæstione 57. in Leviticum* lib. 1. *De peccatorum meritis & remissione*, cap. 20. Tractatibus 15. & 26. in *Joannem*, Sermonibus 11. & 49. *De verbis Domini*, lib. 1. contra *Cresconium*, cap. 25. & in Enarrationibus in Psalmos 33. & 98. Sed de ea silet hoc in loco, quia nihil ad ejus institutum conducebant laudata Christi verba; *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. secundum sensum Sacramentalis manducationis intellecta.

Quod autem figura, quam in his verbis ad mentem Capharnaitarum intellectis observat *S. Augustinus*, sensum oralis manducationis, & realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi non excludat, ex *S. Bernardo* colligitur, qui cum realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam propugnaverit, ac miraculis etiam confirmarit, nihilominus de spirituali manducatione exposuit hæc verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. Sermone 3. in Psalmum, *Qui habitat*, ubi hæc habet, *Quid autem est manducare ejus carnem, & bibere ejus sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, & eam conversationem imitari, quam gessit in carne? Unde & hoc designat illibatum illud Altaris Sacramentum, ubi Dominicum Corpus accipimus, ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus nostris.*

Locutiones itaque figuratæ duplicis sunt generis in Scriptura Sacra: quædam in quibus verba non significant id, ad quod exprimendum sunt primitus instituta, sed ad aliud significandum transferuntur, quo modo Christus dicitur *Lapis angularis, Leo de tribu Juda, vitis, ostium, ovis*, &c. Aliæ in quibus verba significant quidem id ad quod significandum sunt instituta, sed tamen id quod exprimunt alterius rei figura est, quam non exhibet eorum significatio. Prioris generis figuratæ locutiones literalem sensum excludunt, non posterioris. Sic in Epistola ad Galatas cap. 4. dicitur: *Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta, Hæc enim sunt duo testamenta.* Hæc licet per allegoriam, id est, per figuram dicta interpretetur Apostolus, non vult tamen sensum literalem & historicum excludi. Sic ad Hebræos II. cap. dicitur *Abraham* filium *Isaac*, postquam ad ejus immolationem se accinxit, & ab Angelo prohibitus est, *accepisse in parabolam*, id est, in figuram, Christi scilicet, quem Pater Æternus morti pro nobis omnibus traditurus erat, & ab ea liberaturus. At figura illa sensum literalem non excludit, nec prohibet quin Patriarcha filium vere receperit incolumem. Sic 1. ad Corinthios 10. dicitur: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Non quod reipsa non contigerint, sicut in Scriptura Sacra referuntur, sed quod figuræ essent rerum in Lege Evangelica gerendarum. Sic *S. Augustinus* mortem corporalem Moysi figuratam dubitationis ipsius mortem fuisse ait *Homilia* 2. *inter quinquaginta*, c. 1. Sic aquam corporalem Samaritanæ figuram fuisse aquæ intellectualis voluptatis sæcularis asserit *Tractatu* 15. *in Joannem*. Sic aquæ in vinum substantialem conversionem figuram vocat spiritualis conversionis Legis in Evangelium, *Tractatu* 9. in *Joannem*. Sic reverentiam corporalem quam exhibemus Corpori Christi Verbi consubstantialis Patris, profert ut exemplum & figuram reverentiæ spiritualis, quam verbo Dei, quod nobis erogatur, id est, prædicationi exhibere debemus, *Homilia* 26. *inter quinquaginta*. Hæc verba Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*, figuratam secundo sensu locutionem continent. Significant namque veram carnis Christi manducationem, & veram sanguinis ejus sumptionem, incruento, invisibili, & impassibili modo, non cruento illo & barbaro, quem Capharnaitæ intelligebant. Sed rei insuper alterius figura est illa manducatio, scilicet Passionis Christi, cui manducando communicamus, & mortis ejus quam recolimus. Id unum *S. Augustinus* voluit, dicens: *Figura est ergo præcipiens Passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendam in memoria, quod caro ejus pro nobis crucifixa & vulnerata sit.*

Hæc responsio ex antecedentibus Augustinianæ sententiæ confirmatur. Dixerat *S. Augustinus* cap. 10. *Quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse.* Addiderat, *Morum honestatem ad diligendum Deum & proximum; fidei veritatem ad cognoscendum Deum & proximum pertinere.* Cap. 12. explicat quænam figurate sint accipienda. *Quæ autem*, inquit, *quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta, sive etiam facta sint, vel ex Dei persona, vel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt.* In exemplum affert unctionem pedum Christi a muliere factam, docetque illam fuisse figuram, quia hujusmodi unctio vulgo luxui deputatur. *Neque ullo modo quisquam sobrius crediderit Domini pedes ita unguento pretioso a muliere perfusos, ut luxuriosorum, & nequam hominum solent, quorum talia convivia detestamur. Odor enim bonus, bona fama est, quam quisquis bonæ vitæ operibus abundaverit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit. Ita quod in aliis personis plerumque flagitium est, in Divina vel Prophetica persona magnæ cujusdam rei signum est.* Subjungit exemplum *Oseæ*, cui uxorem fornicationum accipere jussum a Deo est. *Alia quippe est in perditis moribus, alia in Osea Propheta vaticinatione conjunctio meretricis.* Certum vero est hoc utrumque ita figuratum fuisse, ut neque veritas unctionis, neque veritas conjunctionis cum meretrice revocari posset in dubium. Itaque quando verba aliquid proprie exprimunt, quod alterius tamen rei figura est, locutio figurata potest censeri: quo modo præceptum de manducanda carne Christi figuratam quoque locutionem involvit cum literali & propria: quia manducatio Sacramentalis Carnis Christi, figura est spiritalis manducationis qua ipsius Passioni communicamus; & in memoria recondimus, quod caro ejus pro nobis crucifixa & vulnerata sit. Addit in eodem capite *S. Augustinus*, generatim loquens de Patribus Veteris Testamenti, ut suam hanc Regulam probet: *Et quidquid ibi tale narratur, non solum historice ac proprie, sed etiam figurate ac prophetice acceptum, interpretandum est usque in finem illum caritatis, sive Dei, sive proximi, sive utriusque.* Ex quibus patet, secundum *S. Augustinum*, quædam habere rationem figuræ, quæ tamen rei veritatem non excludat ab ipsis gestis, aut sensus literalis proprietatem a verbis. Sic mandatum Christi his verbis expressum: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, figuratam locutionem involvit, præcipitque, ut

ut Passioni Domini communicemus: nec tamen hæc figura manducationis Sacramentalis & oralis Corporis Christi veritatem excludit.

Denique ex locutionibus quæ flagitium vel facinus jubere videntur, quædam tales dumtaxat videntur *imperitis*, inquit, *S. Augustinus* cap. 12. ex quarum numero est illa: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Unde figurata tantum locutio est ea spectata sensu, secundum quem flagitium aut facinus videtur imperare, scilicet manducationem Carnis Christi eo vulgari modo, quo caro manducatur occisi prius animalis, in partes divisa, & cocta, dentibusque atteritur, & naturalis vi caloris in stomacho digeritur.

Objicit *Albertinus*, cum *S. Augustinus* agat tum de locutionibus quæ beneficentiam vetare, tum de locutionibus quæ flagitium jubere videantur, ac utriusque generis exempla duo proferat: & prioris quidem quod habetur in Ecclesiastico cap. 12. *Ne suscipias peccatorem*; & in Joannis Evangelio cap. 12. *Qui amat animam suam perdet eam*. Posterioris vero quod habetur Proverbiorum 25. *Hoc faciens* (videlicet inimicum cibans) *carbones ignis congeres super caput ejus*; & verba illa Domini: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, &c.* Triaque illa exempla figuram involvant sensus literalis & proprii exclusivam, quis non videt quartum de manducanda carne Filii hominis, & bibendo ejus sanguine, aut esse plane incongruum, aut pariter figuram involvere sensus literalis, nempe manducationis oralis exclusivam?

Respondeo, illud quoque exemplum de manducanda Carne Christi, & bibendo ejus sanguine figuram involvere sensus literalis Caphernaitarum exclusivam, non vero sensus literalis quem Christus intendebat, & quem adstruunt Catholici. Etenim illum dumtaxat sensum excludit figura, quæ in hoc præcepto Domini est, secundum quem flagitium aut facinus jubere videtur secundum sensum Sacramentalis manducationis, sive manducationis carnis Christi sub Sacramento, sed secundum sensum anthropophagiæ dumtaxat, quem unum carnales Capharnaitæ apprehendebant. Igitur figura quæ est in isto præcepto Domini, sensum Catholicorum de orali Carnis Christi sub Sacramento manducatione non excludit. Hunc jam olim a *Berengario* objectum Catholicis *S. Augustini* locum ita explicat *Guitmundus* Aversanus Episcopus lib. 11. *De Veritate Eucharistiæ*. Prolatis enim *S. Augustini* testimoniis duobus, uno ex Psalmo 98. altero ex Tractatu 27. in Joannem, quæ solum Capharnaitarum sensum excludunt, subdit: *Hoc est ergo facinus vel flagitium, quod, ut ait B. Augustinus, videbatur Dominus jubere, non quia facinus aut flagitium juberet, jubendo manducari carnem suam, sed videtur, inquit, jubere, illis videlicet qui putaverunt, quod hoc jubendo, necessario etiam se juberet occidi, & membratim conscindi, atque ita demum carnem ejus crudam vel coctam manducari. Proinde ergo figura est*, inquit, *in hac locutione. Hic jam obstrepit, hic jam adgaudet fortassis Umbraticus. Noli præpostere, Umbratice, noli præcipitanter gloriari; cujus rei figura dicatur hic esse patienter & diligenter adverte. Figura ergo est, ait Augustinus, præcipiens. Quid præcipiens, quid figurans? Hoc eum figurat quod præcipit: Passioni Domini*, inquit, *communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit. Quidquid igitur illud est quod Augustinus hic figuram appellat* [*nam quid figuram dicat, in hic ejus verbis cognosci non tam facile potest*] *non utique Corporis Domini, sed crucifixionis ejus: & vulnerationis, hoc est, occisionis nostræque communicationis, cum ea, id est, ut imitemur Christum, & communicemus passioni ejus compatiendo, manifestissime figuram esse demonstrat: Paulo quoque Apostolo concordante, qui ait*: „Quotiescumque panem hunc „ manducabitis, & calicem Domini bibetis, mor„ tem Domini annuntiabitis donec veniat. *Quod si quæramus, quid hic figuram Augustinus dixerit? Nihil utique tam congrue videtur occurrere, quam id quod paulo superius Doctor idem jam dixerat, id est, celebratio ipsa Corporis & Sanguinis Domini*. Spectat Guitmundus verba *S. Augustini* cap. 8. ejusdem libri 3. *de Doctrina Christiana* dicentis: *Hoc vero tempore postea quam per Resurrectionem Domini nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus; sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina. Sicuti est baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini, quæ unusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit: ut ea non carnali servitute, sed spirituali potius libertate veneretur*. Ex quibus colligit *Guitmundus* Berengarianos librum de Doctrina Christiana Catholicis insipientissime objicere, *Cum ubi de altari Domini nusquam ibi figura, nusquam ibi signum dicatur, & quidquid illud sit quod signum ibi & figura dicitur, non utique signum & figura Corporis & Sanguinis Domini, sed Passionis Domini & nostræ communicationis cum ea certissime demonstratur*. Lege & *Rupertum* lib. 6. Commentariorum in *Joannem* & *Algerum* lib. 1. cap. 11. in eadem responsione consentientes.

Carentoniei Ministri recentioris objectio ex Anastasio Sinaita *petita diluitur.*

XV. Objicit recentior quidam Calvinista in Expostulatione ad *Hamdemum*, locum *Anastasii Sinaitæ*, ex lib. 12. *Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron*, quem Catholicorum fraude suppressum calumniatur: Quo in loco verba Christi *Joannis* 6. de spirituali manducatione sic exponit: *Ego sum panis vitæ*, &c. *Dicens*, Panis descendens, *Ostendit panem illum ex cælo continuo descendentem, ne forte putes eum de corpore suo dixisse, & apud te censeas omnem manducantem ex illo vel etiam improbum, per eam manducationem habere vitam æternam, ab ea cogitatione te dimovet, ostendens tibi nos fieri participes Mysteriorum duobus modis. Digni scilicet ex pane illo manducant qui de cælo descendit. Is est, inhabitatio & fulgor Sanctissimi Patris, Divinitatis Christi; quippe divina & cælestia cogitant. Terreni vero terrenaque sapientes, terrena meraque carne Christi participant audacter & indigne: quæ manducatio a superiori prorsus aliena. Quare ut utramque nos doceat, postquam dixit*: Ego sum panis vitæ e cœlo descendens, *id est, Deus Verbum; Et*, Si quis manducet ex illo, vivet in æternum, *subjungit idem*. Et panis quem ego dabo illi, caro mea est, quam ego dabo pro vita mundi. *Videt quid intersit, si quis manducet de pane illo, qui de cælo descendit, eum dixit habere vitam æternam. De carne vero minime illud adjecit. Unde cum de horrendis & ineffabilibus Mysteriis loquatur, vide ut supra & infra idem sæpius resumat & revocet... Pergit idem Verbum Deus*; Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, manet in me, & ego in illo. *Non de præsente carne & sanguine, quippe participes fuerunt Judas & Simon Magus Corporis & Sanguinis Eucharistiæ, nempe panis & calicis: neque tamen Christus mansit in eis, neque ipsi in Christo. Quæ autem vera sit manducatio mystica carnis Christi, quisve ineffabilis sanguis ejus in ea reconditus illud omnino doctioribus & peritioribus relinquam, illud quibus par est omnino tradentibus.*

Respondeo, etsi hæc verba Christi Domini, *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi, qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum* de Christi carne non esse intelligenda dixerit *Anastasius Sinaita*, sed de Verbo Deo, quod spiritaliter manducari debet, ut vitam immortalem consequamur: nihilominus verba sequentia; *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; de vera Christi carne intellexit ac exposuit, deque orali manducatione; cujus ipsi *Judas & Simon Magus* participes fuere in Eucharistia. Unde *Albertini*, Ministrorumque cæterorum conatus inanes esse probat hic *Anastasii Sinaitæ* locus, qui Christum *Joannis VI.* de sola manducatione spirituali, etiam ad oralis rejectionem, locutum esse contendunt. Id unum ergo vult *Anastasius*, non sufficere manducationem carnis Christi ore tenus ad vitam æternam consequendam, utque Christus per gratiam suam maneat in nobis, & nos in eo; sed esse cum ea conjunctam spiritalem manducationem oportere, qua divina & cœlestia cogitemus, Oralis per se ac seorsum sumpta, dignis & indignis convenit: spiritalis oralisque

lisque simul, aut etiam spiritalis absque orali, eorum qui digni sunt, propria est. Id cum palam Ecclesia Catholica profiteatur ac doceat, illi non incommodat *Anastasii Sinaitæ* locus, quem Catholicorum Theologorum fraude suppressum Neotericus ille Calvinianæ Sectæ Minister mentitur. Addiderim, mirum non esse quod *Anastasius* in libris *Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron*, verba Christi cap. 6. S. Joannis obiter dumtaxat edisserens, nec sensui insistens literali, manducationem oralem adeo expresse, adeo luculenter non explicet, ac Patres reliqui quos supra laudavimus, numero plures, authoritate præstantiores, doctiores, antiquiores; Cyrillus Alexandrinus, Ambrosius, Hilarius, Cyprianus, &c. Nec ullius momenti est pro Calviniana causa, quod *Mysticam corporis Christi manducationem* in Eucharistia fieri *Anastasius* significet. Mystica enim dicitur, quia sub alienis speciebus latet; Mystica, ratione Sacramenti, non ratione objecti: Mystica, quia pro hoc statu invisibilis est, non quod reipsa secundum substantiam in Eucharistia præsens non sit: Nam verba Græca *Anastasii Sinaitæ*; ὂν περὶ τῆς ὁμωμένης αὐτῷ σαρκὸς καὶ αἵματος, perperam ac fraudulenter vertit Calvinianus Minister; *Non de præsenti carne & sanguine*: quæ ita reddi debent: *Non de visibili carne & sanguine*. Quamobrem *horrenda & ineffabilia Mysteria* vocat: quia revera stupendum est, hominum captum ac sermonem superat, una fide teneri potest, quod Christi Caro & Sanguis, anima, divinitas, uno verbo, Christus totus, sub panis & vini speciebus in Eucharistia contineatur. Non autem ineffabilia & horrenda mysteria recte dici possent, si merus panis & vinum, seu figura dumtaxat Corporis & Sanguinis Christi essent. Quis enim Patrum manna, vel panes propositionis, tremendorum, horrendorum, ineffabilium mysteriorum nomine insignivit?

ARTICULUS III.

Realis Præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transubstantiationis fides, verbis Domini Sacramentum Instituentis probatur.

EUcharistiæ Institutionem tres Evangelistæ literis consignarunt. *S. Matthæus* cap. 26. *Cœnantibus autem eis*, inquit, *accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit; & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. S. Marcus cap. 14. *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur*. S. Lucas cap. 22. *Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*.

S. Paulus 1. ad Corinthios cap. 11. eadem institutionis Eucharistiæ verba refert. *Ego enim*, inquit, *accepi a Domino, quod tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem*. Christi Sacramentum instituentis, dogma fidei tradentis, legem Ecclesiæ suæ in perpetuum tempus dantis, testamentum condentis, fœdus sancientis, verba proprio sensu, non metaphorico; perspicuo, non obscuro; naturali & cuique obvio, non contorto, & qui nonnisi post diuturnam meditationem detegatur, accipi debent & explicari. Si enim umquam homines proprie & clare loquuntur, maxime cum fœdus ineunt, cum leges ferunt, cum testamentum condunt, cum non exteros, sed amicos, sed filios alloquuntur, eis animi sui sensa aperiunt, & voluntatem significant suam; cum denique ipsis tradunt amicitiæ perenne pignus. Leges omnes & mandata a Christo tradita, verbis concepta sunt simplicissimis & clarissimis. Baptismi institutio planis ac perspicuis verbis facta est, nec dixit Christus: *Aqua est Spiritus Sanctus*, aut quid simile, sed: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum*; Nullum est fidei dogma in Scriptura Sacra explicite contentum, (nullum autem aliud agnoscunt Calviniani) quod verbis figuratis & metaphorico sensu acceptis a Christo & Apostolis tradatur: Aut si Metaphoris aliquibus utuntur in tradendis fidei dogmatibus, claræ sunt hujusmodi metaphoræ, & earum sensus cuique obvius est, ut cum dicitur Christus *sedere a dextris Dei*; vel cum Ecclesia *fundata dicitur & ædificata super petram*. Sane si metaphoras in Sententiis Scripturæ Sacræ comminisci licet, ubi fidei nostræ dogmata præcipua traduntur, Sociniani triumphabunt, qui testimonia de Filii divinitate, & de generis humani redemptione a Christo facta, metaphorico sensu explicanda esse non minori jure contendent, quam Calvinistæ hæc verba Christi: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, de figura Corporis & Sanguinis Christi, seu efficaci, seu inefficaci, interpretentur. Testamenta etiam verbis propriis & perspicuis conduntur: nec ullus Calvinista est, cui si pater, avus, patruus, aliusve ex cognatis aut amicis, domum vel agrum reliquerit, adiisse se putet hæreditatem, & erga se impleram testatoris voluntatem arbitretur, cum tabella domum vel agrum repræsentans ab executoribus testamenti data fuerit. Esto in Prophetis *Jacob* morientis multa sint figurate enuntiata, ut cum ait Genes. 49. *Simeon & Levi vasa iniquitatis bellantia, Catulus Leonis Juda, Lavabit in vino stolam suam, &c.* Tamen Testamentum ejus verbis clarissimis conceptum est, cum ait: *Ecce congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis. Si hominis testamentum confirmatum nemo spernit aut superordinat*, ut ait Apostolus ad Galatas 3. quanto minus testamento Christi derogandum est? At Christus dicens Apostolis, *Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum; Bibite ex hoc omnes, Hic est enim Sanguis meus*, Sacramentum instituit, dogma fidei tradidit, legem Ecclesiæ suæ dedit in perpetuum tempus duraturam, fœdus sanxit, testamentum condidit; non exteros, sed amicos, sed Discipulos, sed filios his verbis compellavit, æternum amoris pignus ipsis daturus, pridie quam pateretur, illos de quibus *S. Joannes* cap. 13. ait: *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*. Illos alloquebatur quibus tum dixit: *Vos amici mei estis: Jam non dicam vos servos: Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis .... In proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis*. Quod & ipsi agnovere: *Ecce nunc palam loqueris*, inquiunt, *& proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi*. Hæc itaque verba: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, in sensu proprio, non figurato & metaphorico intelligenda sunt; adeoque non figuram tantum Corporis & Sanguinis Christi, sive efficacem, sive inefficacem in Eucharistia nobis traditam credere debemus, sed verum Christi Corpus & Sanguinem. Calviniani *litigant cum Scripturis, non nobiscum*, ut *S. Augustini* verbis utar. *Quare litigas*, Calviniane? *Fratres sumus, quare litigamus? Non intestatus mortuus est Pater. Fecit testamentum, & sic mortuus est. Et mortuus est & resurrexit. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu testamentum profertur in publicum; & cum testamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes ut tabulæ aperiantur & recitentur. Judex intentus audit, Advocati silent, Præcones silentium faciunt, universus populus suspensus est,* ut

Christi testamentum verbis simplicibus & apertis institutum.

ut leguntur verba mortui non sentientis in monumento. Ille sine sensu jacet in monumento, & valent verba ipsius: Sedet Christus in Cælo, & contradicitur Testamento ejus? Aperi, legamus. Fratres sumus, quare contendimus? Placetur animus noster, non sine testamento nos dimisit Pater. Qui fecit testamentum, vivit in æternum: audit voces nostras, agnoscit suam. Legamus, quid litigamus? Ubi inventa fuerit hæreditas, ipsam teneamus. Aperi testamentum. Ait Christus Eucharistiam instituens, quam *S. Gaudentius* Tractatu 2. in Exodum *Hæreditarium munus Novi Testamenti* appellat, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Et figuram dumtaxat Corporis & Sanguinis Christi Eucharistiam esse Sacramentarii impie contendunt. Nonne hoc est Salvatoris testamentum violare? Nonne hoc est umbraticum testamentum pro vero ac reali supponere? Nonne hoc est Scripturæ Sacræ verba corrumpere? Christus dixit, id quod nobis in Eucharistia dedit, esse Corpus suum: Calviniani vero volunt nos obligari ad credendum Christi Corpus in Eucharistia non esse, sed tantum figuram corporis. Nonne istud est verbo Dei illudere? Si figuram dumtaxat corporis sui dare voluisset, cur æquivocatione quæ hominum partem maximam conjicere poterat in errorem, usus fuisset? Cur mentem suam non expressisset simplicibus apertisque verbis? *Forte qui Verbum est, & qui Veritas est, loqui vera nescivit? & qui Sapientia est, in stultiloquio erravit? Et qui Virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui qui vellet intelligi,* inquit, *S. Hilarius* lib. 8. de Trinitate. *Nam mentis & linguæ artifex diserte loqui non posset? Immo vero summæ providentiæ fuit cavere voluit, quæ divina sunt. ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.* Quibus verbis, amabo, Christus usus esset magis aptis magisque perspicuis ad significandum se veri propriique corporis sui substantiam tradere? An opus erat ut diceret. Hoc est vere & proprie Corpus meum? Nequaquam; sicut enim cum æternus Pater Christum designando, dixit; *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*; non dixit, Hic est vere & proprie Filius meus: & cum Evangelista Verbi Æterni Incarnationem explicuit, non dixit, Verbum vere & proprie caro factum est carne in unitatem personæ assumpta, sed simpliciter dixit: *Verbum caro factum est*; Et cum Angelus Deiparæ Virgini admirabile illud Mysterium annunciavit, non dixit, Vere in utero concipies proprium Filium Dei, sed simpliciter; *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et nihilominus credere tenemur Christum esse vere & proprie Dei Filium, & Verbum vere & proprie incarnatum fuisse, & omnia quæ Incarnatio involvit, aut quæ ex ea consequuntur: Ita quamvis Christus non dixerit accepto pane & benedicto, Hoc est vera & propria substantia Corporis mei; sive, Hic panis in substantiam Corporis proprie convertitur, sed simpliciter, *Hoc est Corpus meum*, nihilominus credere tenemur Christi Corpus vere, proprie, ac substantialiter in Eucharistia nobis dari: Maxime cum addiderit Christus, *Quod pro vobis datur*, sive, *Quod pro vobis tradetur*; & de sanguine suo, *Qui pro multis effundetur.* Quibus verbis idem Corpus eumdemque Sanguinem in Eucharistia comedendum ac bibendum se dare significavit, quod pro nobis morti tradendum, & qui pro multis effundendus erat. Verum autem ac proprium Corpus pro nobis ad mortem obtulit, non figuram corporis; verum propriumque sanguinem pro nobis fudit, non figuram sanguinis. Verum igitur ac proprium Corpus suum: verum ac proprium Sanguinem secundum substantiam, comedendum ac bibendum in Eucharistia nobis dedit, non figuram Corporis & Sanguinis.

II. Accedit trium Evangelistarum in iisdem Christi Eucharistiam instituentis verbis referendis summus consensus, ac *S. Pauli* cum iisdem concordia. Nullus ex ipsis testatur dixisse Christum, *Hæc est figura corporis mei. Hæc est figura Sanguinis mei*, sed, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* At incredibile est, neminem Evangelistarum, nec Apostolum *Paulum* hunc sensum expressurum fuisse, si Christus solam Corporis & Sanguinis sui figuram dare, idque unum a nobis credi voluisset. Siquidem noverat tantas de hac doctrinæ cœlestis parte controversias excitatum iri; quas insolenti metaphora & sensu obscuris verborum involucris implicito sciebat fovendas augendasque, non sedandas. Solent Evangelistæ in minoribus caussis ita sibi vicissim opitulari, ut vix quidquam ab uno eorum obscure dictum esse legamus, quod non fuerit ab alio explicatum. Scripserat unus Evangelista Christum dixisse: *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia*: explicat alius: *Si ego in spiritu ejicio dæmonia.* Vocaverant alii; *Joseph* Patrem Christi; ne falleremur, explicavit Lucas dicens: *Ut putabatur filius Joseph.* Solebat Christus invitare sitientes, & promittere illis aquam vivam, exposuit S. *Joannes*: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Hic autem cum quatuor Authores institutionem hujus Sacramenti narraverint, diversis temporibus scripserint, alii audiverint ab ipso Christo, ut *S. Matthæus*; alii a Domino postea acceperint, ut *S. Paulus*; alii didicerint ab iis, qui Christum Sacramentum instituentem viderant ac audiverant, ut *S. Marcus*, & *S. Lucas*; omnes tamen iisdem verbis Christum dixisse commemorant, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est Sanguis meus*, aut *Calix Sanguinis mei*, quod idem est; nemo explicavit dictum esse per figuram, nemo addidit ullum verbum ex quo id intelligere possemus; immo *S. Paulus* qui omnium postremus scripsit, de usu & fructu hujus Sacramenti ita locutus est, ut non symbolum duntaxat & figuram, sed verum Christi Corpus & Sanguinem, reipsa & secundum substantiam in Eucharistia præsentia, ipsum agnovisse & credidisse, ac Fideles hac doctrina, quam a Domino acceperat, instituere voluisse, facile intelligatur. *Calix*, inquit, *benedictionis, quem benedicimus, non-ne communicatio Sanguinis Domini est? Et panis quem frangimus, non-ne participatio Corporis Domini est?* Non figuræ, non virtutis & efficaciæ Corporis & Sanguinis Domini, sed Corporis ipsius & Sanguinis communicationem & participationem Eucharistiam appellat *Sanctus Paulus*. Subdit illius communicationis admirabilem affectum: *Quoniam*, inquit, *unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Itaque Corporis Christi participationem unitas illa Fidelium, seu effectus consequitur, & per Corpus & Sanguinem Christi cum ipsis in Sacramento communicatum etiam designatur. Et c. undecimo, de præparatione ad sumptionem Eucharistiæ adhibenda sic loquitur; *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Eos qui indigne Eucharistiam sumpserint, reos esse, non figuræ Corporis Domini, sed ipsius Corporis Domini. Apostolus pronuntiat, & judicium sibi manducare & bibere, quia Corpus Domini non dijudicant. Quorsum vero hæc sententia, si Eucharistia mera Corporis Christi figura est? Forsan quod injuria quæ fit imagini, ipsi Christo fieri censeatur? At istud argumenti genus Calvinistæ sugillant in controversia de Imaginibus Christi & Sanctorum. Forsan quod qui sumit figuram Corporis Christi, eo ritu externo & participatione Sacramenti profiteatur se esse membrum Christi, cum a Christi Corpore animo sit avulsus. At si ita est, potius dicere debuit Apostolus Reus erit simulationis & fictionis quam, *Reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Siquidem in Baptismo profitetur se esse membrum Christi, etsi animo ab ejus corpore sit avulsus, quicumque ad illud Sacramentum fictus accedit, nec tamen reus usquam dicitur Corporis & Sanguinis Domini. Sane nullius momenti non erat ad ædificationem Ecclesiæ & Fidelium salutem, exponere diserte an Eucharistia Corporis & Sanguinis Christi figura esset, an Corpus ipsum & Sanguis; si enim figura sit dumtaxat, absque idololatria non potest adorari: Si Christi verum & proprium Corpus & Sanguis est, absque impietate non potest non adorari. Non videtur itaque *S. Paulus* Christianorum Doctor vocaturus fuisse Corpus & Sanguinem Domini, quod meram ejus figuram ac virtutem esse intellexisset.

Ita

Ita Apostoli verba intellexerunt antiqui Patres, qui hunc locum sunt interpretati: S. Joannes Chrysostomus Homilia 27. in 1. ad Corinthios: *Christus*, inquit, *omnibus ex æquo dedit, dicens, Accipite, manducate. Ille corpus ex æquo dedit: tu autem ne panem quidem communem das ex æquo. Etenim pro omnibus similiter est fractus, & ex æquo factus est corpus pro omnibus*. Et infra: *Gustavisti Sanguinem Dominicum, & ne sic quidem fratrem agnoscis? Et quamnam mereberis veniam?* Et Homilia 28. *Cur autem judicium sibi comedit & bibit?* Non dijudicans Corpus Domini. *Hoc est, non examinans, non cogitans, ut oportet, magnitudinem eorum quæ sunt proposita, non reputans quanti momenti & ponderis sit donum. Nam si exacte didiceris quisnam sit qui sit propositus, & quisnam sit qui dat se ipsum, & cui det, nulla alia egebis oratione*. Rursus Homilia 27. *Tu autem pane vitæ accepto, facis rem mortis, & non exhorrescis? .... Et hæc facis Christi mensa exceptus, illo die quo dignus es habitus qui ejus carnes lingua tangeres. Quicumque sis ergo, ne hæc fiant, manum tuam expurga, & castiga linguam, & labra quæ ingressui Christi fuere vestibula*.

Theodoretus in cap. 11. Epistolæ ad Corinthios: *Illud autem inquit*, Reus erit Corporis & Sanguinis, *hoc significat, quod quemadmodum tradidit quidem illum Judas, ipsi autem insultarant Judæi: ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus Corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum os immittunt*. Œcumenius in Commentario ejusdem loci. *Si ille gratias agit, qui proprium dividit tradit que corpus, ἑαυτὸν σῶμα: tu non multo magis gratias agendo in his quæ tibi donata sunt socios & convivas accipies pauperes?* Ibidem: *Per hoc autem quod frequenter ait: Corporis & Sanguinis Domini; manifestat quod non sit nudus homo, qui immolatur, sed ipse Dominus & Factor omnium, ut qui videlicet per hæc ipsos exterreat*.

Ecclesiæ Græcæ de Eucharistia fides, & cum Latina consensus in dogmate de Reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi & transubstantiationis.

III. Nec leve est rationum pondus, quæ ex impressione a Christi verbis in omnium Christianarum societatum mentibus facta arcessuntur. Sensus enim horum Domini verborum, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, adeo evidenter præsentiæ realis corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transubstantiationis proprius atque literalis sensus est: ut nulla sit Christianorum societas quæ Domini verba hoc sensu non intellexerit. Ita intellexisse Græcos probat primo Historia dissidii *Michaelis Cerularii* Patriarchæ Constantinopolitani, & *Leonis* Acridani Episcopi cum *Leone IX.* Romano Pontifice & Ecclesia Latina. Cum enim consecrationem Eucharistiæ, in azymis, aliosque ritus Latinis objecerint, fidem præsentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transubstantiationis non objecerunt, objecturi utique nisi communis ea Ecclesiæ utriusque fides fuisset. Quæ enim esset Latinorum fides & doctrina circa Eucharistiam, ignorare Græci non poterant, cum adeo publica fuisset *Berengarii* damnatio: & licet daremus ignotam ipsis fuisse controversiam a *Berengario* excitatam, ejusque damnationem; nescire non poterant Latinos realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in Eucharistia credere, cum *Humbertus* Cardinalis, *Leonis* IX. Constantinopoli Legatus, in Disputatione *De Azymo & Fermentato* adversus Græcos quam Græcorum Imperator tunc Græce reddi jussit, eam fidem diserte profitetur. *Taliter*, inquit, *præparatus azymus, fideli invocatione totius Trinitatis fit verum & singulare Corpus Christi. .. Nos vero corpus Veritatis ex azymo & in azymo rite venerantes atque retinentes, ore & corde prægustamus jam quam suavis est Dominus*.

Secundo, eamdem Ecclesiæ Græcæ ac Latinæ de Eucharistia fidem probat *Humberti* Responsio ad Libellum *Nicetæ Pectorati* contra Latinos editum. Extat in Appendice Tomi XI. Annalium *Baronii* Cardinalis. *Qui ergo*, inquit, *panem Dei manducat, carnem Dei Christi manducat: Qui autem carnem ejus manducat, Christum manducat. Qui Christum manducat, proculdubio vitam æternam manducat. Quod ne vilescat carnalibus, & in percipiendo escam spiritus submurmuret aliquis carnis appetitum, cum summa parcitate prægustamus, videre tantummodo cupientes quam suavis est Dominus, cujus panis non det sicut manna fastidium. Nec dubitandum, in quantulacumque portione ejus Fideles manducare sibi totam vitam, id est Christum*. Idem probat *Nicetæ Pectorati* Libellus: sic enim de Christo loquitur: *Sanctus autem Spiritus vivificusque in vivificata ejus carne permansit, quam comedentes in pane, qui immutatus est per Spiritum, & effectus Corpus Christi, vivimus in ipso, tamquam vivam & deificatam ejus carnem edentes*.

Tertio eumdem Ecclesiæ utriusque consensum probant *Theophylacti* Bulgariæ Archiepiscopi luculentissima & clarissima testimonia in Commentariis Capitis 26. *S. Matthæi*, 14. *S. Marci*, & 6. *S. Joannis*.

Quarto idipsum demonstratur ex Authorum Græcorum silentio, qui adversus Ecclesiam Latinam XI. & XII. Sæculo scripserunt: *Euthymii* Monachi Zigabeni, *Nicolai Methonensis*, qui adversus *Chryselanum* Archiepiscopum Mediolanensem scripsit, *Joannis Phurni* Montis Gani Prioris, & aliorum: item ex Tractatibus Latinorum adversus Græcorum errores, præsertim *Hugonis Ætheriani*, qui nullum circa Eucharistiam errorem Græcis objicit. Item ex Epistola *Basilii* Thessalonicensis Archiepiscopi ad *Adrianum IV.* de unione Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali, quam refert *Allatius* lib. *De Perpetuo utriusque Ecclesiæ Consensu*, pag. 658. Item ex *Simeone Juniori* Oratione V.

Quinto idem probatur ex *Euthymio* Monacho Zigabeno, in *Matthæum*, dicente: *Aptissime nominavit* Christus *Testamentum propter appropinquantem mortem: testantur enim qui moriuntur. Itaque sicut Vetus Testamentum hostias & sanguinem habebat: ita sane & Novum, Corpus videlicet & Sanguinem Domini. Non dixit autem, Hæc sunt signa corporis mei & sanguinis mei: sed, Hæc sunt corpus meum, & sanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eorum quæ proponuntur aspicere, sed ad virtutem eorum. Quemadmodum enim supernaturaliter assumptam carnem deificavit [si ita loqui liceat] ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum vivificum corpus suum, & in ipsum pretiosum Sanguinem suum, & in gratiam ipsorum*.

Et in Panoplia pag. 2. Titulo 20. loca duo refert insignia, unum *S. Gregorii Nysseni* asserentis, *Unum* Christi *corpus assidue per totum orbem terrarum Fidelium millibus impertiri, totum cujusque evadere, & in seipso totum permanere. Panem statim in corpus mutari, a verbo, Quoniam hoc est corpus meum. Christum ideo cunctis credentibus gratiæ dispensatione seipsum impartiri per carnem, quæ ex vino & pane constituitur, Fideliumque corporibus conjungitur, ut ea conjunctione cum immortali, homo etiam immortalitatis particeps fiat*. Alter locus est *S. Joannis Damasceni*, dicentis: *Corpus est vere conjunctum divinitati, ut corpus ex Sancta Virgine; non quod corpus illud assumptum e cælo descendat, sed quia panis & vinum in Christi Corpus & Sanguinem transmutatur. Sin quæris quomodo fiat, satis est tibi ut audias per Spiritum Sanctum, quemadmodum & ex Virgine Dei Genitrice sibi ipsi & in seipso Dominus Corpus substituit. Et nihil amplius novimus, nisi quod Dei Verbum est verum & omnipotens. Modus autem intelligi non potest. Illud tamen dicere non est alienum, quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum, & aqua per potum, in corpus & sanguinem comedentis bibentisque mutantur, nec fiunt aliud corpus præter quod erat prius; sic propositionis panem & vinum & aquam per invocationem & adventum Spiritus Sancti, rationem naturæ superante, in Corpus & Sanguinem Christi transmutari, nec esse duo, sed unum, atque idem fieri nunc iis qui fide digneque illud suscipiunt*.

Sexto, Ecclesiæ Græcæ de Eucharistia fidem exprimit *Nicolaus* Episcopus Methonensis in Libello *Ad eos qui hæsitant, ajuntque consecratum panem non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi*; in quo hæc habet. *Quis ille qui conculcat Filium Dei? Nonne qui sanguinem ejus ingratus abrogat, nec admittit, & veracis ab omnique mendacio alieni oris traditionem & mandatum nihili facit, Hoc est Corpus meum dicentis: &, Hic est Sanguis meus? Quid*

ha-

-bestias ? Quid Omnipotenti impotentiam attribuis ? Nonne ipse est, qui ex nihilo omnia ut essent fecit ? Unus trium personarum divinitatis, qui postremis temporibus incarnatus est, & panem in suum corpus transmutari jussit. Quid requiris causam & ordinem naturæ panis transmutationis in Christi Corpus, & aqua vinique in Sanguinem, cum supra naturam, rationem, mentem & cogitationem ex Virgine sit natus ? Non credis itaque nec mortuorum Resurrectionem, nec in cælos ejus Assumptionem, & alia Christi miracula supra naturam, mentem, & cogitationem eminentia ? . . . . At fortassis dubitas minimeque credis, quod non videas carnem & sanguinem, sed panem & vinum. Quia de re scias oportet Deum provide hoc fecisse, ne aversarentur multi arrhabonem æternæ vitæ, & ægre ferrent carnem & sanguinem intuentes. Itaque rebus naturæ consuetis hoc fieri voluit, iis suam divinitatem conjungens, cum dixit, Hoc est Corpus meum, &, Hic est sanguis meus.

Septimo eadem Ecclesiæ Græcæ de Eucharistia fides probatur ex *Zonara*, in Epistola quam refert *Allatius*, Exercitatione adversus *Creigtonum*, pag. 544. & perperam *Glycæ* tribuit. Et ex *Niceta Choniate* in *Alexio*, lib. 3. ubi quæstionem commemorat Constantinopoli excitatam *Georgio Xiphilino* & *Joanne Camatero* Patriarchis. *Cum*, inquit, *in quæstione esset utrum Christi corpus post perceptionem incorruptibile sit, quale post Passionem & Resurrectionem fuit, an corruptibile ut ante Passionem : alii dicebant incorruptibile esse, quod Divinorum Mysteriorum perceptio confessio sit & recordatio quædam Domini propter nos mortui & redivivi, ut magnus in Theologia Cyrillus tradit : & quam partem quisque acceperit, ab eo Christum integrum percipi, quem Thomas palpavit, cumque comedi post Resurrectionem, ut Joannes Chrysostomus affirmat his verbis :* „ O rem miram ! qui ad dexteram Patris sedet, in nostrum peccatorum manibus invenitur ? *Item :* Quamcumque partem accepisti, eum totum accipis, qui a Thoma palpatus est. *Et alio loco ;* Floruit in Lege, adolevit in Prophetis, maturuit in cruce, comeditur post Resurrectionem. Neque enim aliud id est quod percipitur, quam illud corpus quod morte superata, vitam nostram auspicatum est. Ut enim parum fermenti totam massam fermentat, & sibi similem & parem reddit : sic immortale factum Dei corpus, cum in nostro corpore fuerit, totum id in se commutat & transfert. *Ait & magnus Eutychius :* Totum igitur Sacrosanctum Corpus & Pretiosum Sanguinem Domini accipit homo, etsi horum partem aliquam acceperit. Distribuitur enim impartibiliter inter omnes propter immixtionem, ut omnium sigillum omnes imagines suas omni materiæ imprimit, & unum manet etiam post communicationem, non imminutum, non mutatum in ea, in quibus expressum est, etsi numero plura fuerint. Eodemque modo una vox ab aliquo prolata & in aere diffusa, in eo qui eam protulit, tota manet, & per aerem tota ad aures perfertur. *His ergo hæc proferentibus ; alios id Mysterium non confessionem Resurrectionis, sed Sacrificium dumtaxat esse, & proinde corruptibile & inanime : ad quod qui accedat, non totum Christum percipiat, sed partem*, &c. Cujus ex controversiæ statu perspicuum est, Græcos omnes XII. Sæculo credidisse Corpus Christi vere & secundum substantiam in Eucharistia præsens esse.

Octavo, Ecclesiæ Græcæ cum Latina consensio in fide præsentiæ realis & transubstantiationis, probatur ex unione utriusque Ecclesiæ in Concilio Lugdunensi sub *Gregorio X.* facta, in quo Professionem Fidei receperunt, quam ad illos *Clemens IV.* & idem Gregorius X. miserant, in qua doctrina Transubstantiationis expressis verbis continetur : *Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit Romana Ecclesia, tenens & docens quod in ipso Sacramento panis vere transubstantiatur in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini nostri Jesu Christi.* Idem constat ex Professione Fidei, quam *Joannes Veccus* Constantinopolitanus Patriarcha suis ad *Joannem XXI.* Romanum Pontificem literis inseruit, in qua hæc leguntur : *Credentes & nos ipsum azymum panem in ipso Sacro Officio Eucharistiæ vere transubstantiari in Corpus Domini nostri Jesu Christi, & vinum in Sanguinem ejus, per Sanctissimi Spiritus virtutem & operationem.* Eadem consensio probatur ex Opusculo *S. Thomæ* contra Græcorum errores, in quo nullum ipsis ab Ecclesia Latina dissensum circa fidem præsentiæ realis Corporis Christi in Eucharistia, & transubstantiationis objicit. Et in Declaratione quorumdam dubiorum contra Græcos, Armenos, & Saracenos, de quibus ipsum consuluerat Antiochenæ Ecclesiæ Cantor, istud legitur : *Improperant etiam Christiani, quod in altari comedunt Deum suum, & quod Corpus Christi, si esset ita magnum sicut mons, jam deberet esse consumptum.* Idem probatur ex *Nicolao Cabasila* Thessalonicensi Episcopo in Expositione Liturgiæ, capp. 24. 27. 29. 30. 32. 47. 49. & in Opere *De Vita in Christo Jesu*, lib. 4.

Nono eadem consensio probatur ex *Simeone Thessalonicensi* in Tractatu adversus Hæreses, apud *Allatium*, Exercitationum contra *Creigtonum* pag. 420. in Responsione ad *Gabrielem* Pentapolitanum Metropolitam, in lib. *De Sacramentis*, & in lib. *De Templo & Missa*, in Euchologio Editionis *P. Goar*, pag. 212. 213. 221.

Decimo idem probatur ex unione utriusque Ecclesiæ in Concilio Florentino, in quo cum a Græcis quæsitum esset, cur post verba consecrationis has preces adderent : *Fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui, & quod in Calice est, pretiosum sanguinem, immutans ea Spiritu Sancto tuo :* Græci responderunt : *Fateri nos diximus, per hæc verba transubstantiari sacrum panem, & fieri Corpus Christi.* Et in Definitione Fidei, Græci pariter & Latini professi sunt, *in azymo, sive fermentato, Corpus Christi veraciter confici.* Idipsum ex *Marco Ephesio* Græco Schismatico, in Tractatu quo preces Sacerdotis verbis Domini necessario addendas ad Eucharistiæ consecrationem probare voluit, & ex *Bessarione* Cardinali, in Tractatu *De Eucharistiæ Sacramento*, nec non ex *Joanne Plusiadeno* in Dialogo de Synodo Florentina * & ex *Gennadio Scholario*, in Defensione ejusdem Synodi, Cap. 2. Sectione 1. perspicuum est.

Græciæ orthodoxæ Allatii, Tomo 1.

Undecimo idem constat ex *Jeremia* Patriarcha Constantinopolitano in Censura Confessionis Augustanæ. *Statuit Ecclesia Catholica*, inquit, *quod consecratione facta panis mutatur in ipsum Corpus Christi, & vinum in ipsum Sanguinem, panis videlicet fermentatus, non infermentatus. Dominus enim non dixit : Hoc est azymum, aut typus corporis, sed ; Hoc est Corpus meum, & Sanguis meus. Nec equidem data est tunc caro Domini quam gestabat ad edendum Discipulis, nec sanguis bibendus * aut etiam nunc in sacro hoc Ritu descendit Dominicum corpus e cælo, * [blasphemium id esset] sed & tunc & nunc invocatione & gratia omnipotentis, & mysteriorum operatoris Spiritus per sacras preces & orationes panis in ipsum Domini corpus, & vino in ipsius sanguinem converso & mutato.* Et paulo post : *Non igitur typus est, aut azymum quoddam Dominici Corporis panis, qui a Sacerdote perficitur : sed fermentatum, & ipsum Domini Corpus.*

* *Ita ut nimirum carnem exacris, aut in frusta divisam daret.*

* *Ita ut in cælo esse desinat.*

Duodecimo idem constat ex damnatione *Cyrilli Lucaris* Patriarchæ Constantinopolitani, qui ad Calvinistarum sectam defecerat, in Synodis duabus Ecclesiæ Græcæ, una sub *Cyrillo Berœa* ejus successore, altera sub *Parthenio*.

Moscovitarum cum Ecclesia Græca Latina & consensus in fide Eucharistiæ.

IV. Moscovitas eamdem quam nos fidem habuisse, & modo habere de Eucharistiæ Sacramento, constat ex Authoribus, qui de Rebus Moscovitarum scripsere, præsertim vero ex Relatione Legationis a Magno Duce *Basilio* ad *Clementem VII.* Romanum Pontificem directæ, quam scripsit *Paulus Jovius* ex *Possevino* S. J. illustri Professore qui varias Legationes *Gregorii XIII.* Pontificis Maximi, & Stephani Regis Polonorum nomine, ad *Basilium* Moscoviæ Ducem obiit, in lib. *De Rebus Moscoviticis* ; ex *Sacrano* Canonico Cracoviensi, in errorum Moscoviticorum Indice, qui in Libro cui titulus est, *De Religione Russorum*, legitur ; Ex indice altero errorum quibus Moscovitæ & Russi detinentur, quem *Joannes Laschi* Gnesnensis Archiepiscopus Concilio Lateranensi, sub *Leone X.* obtulit anno 1514. quem ad eum annum refert *Odericus Rainaldus* : Ex Relatione *Joannis Fabri*, Archiducis *Ferdinandi* Confessarii, postea Episcopi Viennensis, de Moscovitarum Religione,

ne, prout acceperat a Legatis *Joannis Basilii* Magni Moscovitarum Ducis ad *Carolum V.* Imperatorem: Quæ Relatio inter Rerum Moscoviticarum Authores legitur: ex *Laxicio* Polono, Religione Bohemo, in libro cui titulum fecit: *Theologia Moscovitica*: & ex *Dannauvero* Lutherano, qui varios de Religione populorum Tractatus scripsit.

Armenorum cum Ecclesia Græca & Latina consensus in fide Eucharistiæ.

V. Armenos cum Græcis & Latinis in fide præsentiæ realis Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, & transsubstantiationis concordes fuisse, probatur ex *S. Nicone* in Tractatu *De pessima Armenorum Religione*, quem in Bibliothecis Patrum legere est: in quo nihil aliud ipsis objicit, nisi quod *in pane mystica azymis utuntur, & in sanctum calicem aquam non immittunt*: ex *Lanfranco* Armenorum fidem contra *Berengarium* laudante, cap. 22. ex *Theoriano* in *Legatione ad Armenos*. (Missus autem est in Armeniam *Theorianus* ab Imperatore Græcorum *Manuele Comneno*, anno 1170.) *Ex Jacobo de Vitriaco*, qui cum in Historia sua Armenorum errores accurate recenseat, nullum alium circa Eucharistiam ipsis tribuit, nisi quod *Aquam cum vino in Sacramento Sanguinis Christi non ponunt*. Ex Decreto Unionis Armenorum cum Ecclesia Latina in Concilio Florentino. Et ex Fragmento Liturgiæ Armenorum, quod *Cassander* exhibet, ex quo discimus, Sacerdotem vocare panem a se consecratum, *Verum Corpus Salvatoris Domini nostri*: & ter dicere super calicem; *Sanguis verus est Domini nostri Jesu Christi*.

Christianorum Indiæ, Cophtorum & Æthiopum concors de Eucharistia Fides.

VI. Christianorum Indiæ, qui *Sancti Thomæ* vocantur, in eodem dogmate consensionem probat ipsorum Liturgia, in qua Sacerdos Hostiam dividens, ait: *Accedimus, Domine, in fide veritatis nominis tui ad hæc Sancta Mysteria; ac pietate tua frangimus, & misericordia tua signamus Corpus & Sanguinem Salvatoris nostri Jesu Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et ad populum conversus, ait: *Fratres mei, suscipite Corpus ipsius Filii Dei, dicit Ecclesia*.

Cophtos quoque & Æthiopes idem nobiscum & tradidisse, credidisse, & credere de Eucharistia, constat ex *Damiano Goez*: & ex de Professione Fidei, quam *Zagazabo* Episcopus Æthiops eo rogante scripsit; ex Fragmentis Liturgiæ Copticæ ab *Athanasio Kirkero* in *Prodromo Coptico* laudatis; ex Liturgia *Severi* Patriarchæ quondam Alexandrini, Eutychiani, in qua post Hostiæ consecrationem Sacerdos ait; *Ita credimus, & ita affirmamus, hoc esse corpus hujus sanguinis, & hunc esse sanguinem hujus corporis*. Ex Canone generali Æthiopum, in quo verbis consecrationis a Sacerdote prolatis, populus ait; *Amen, amen, amen: Credimus, & confidimus, & laudamus te, Deus noster? Hoc vero corpus tuum est*: Et post consecrationem Calicis; *Hic vere sanguis tuus est*. Et postea Sacerdos dicit; *Hoc est corpus sanctum, honoratum, & vitale Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, quod datum est in remissionem peccatorum, & ad vitam æternam consequendam vere sumentibus ipsum, Amen*. Eadem dicit de sanguine. Tum subdit de utroque simul; *Hoc est Corpus, & hic est Sanguis Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, quod & quem assumpsit ex Domina nostra Sancta & immaculata Virgine Maria, & univit cum divinitate*. Tandem Orientalium omnium Ecclesiarum etiamnum summa consensio cum Latina in fide præsentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transsubstantiationis, probatur Instrumentis & testimoniis authenticis Patriarcharum, Antistitum, Legatorum, quæ Tomo 1. & 3. eruditi Operis *De perpetua Fide Ecclesiæ Catholicæ circa Eucharistiam*, Gallico idiomate conscripti, legere est. Lege & eruditum Tractatum *P. Parisii* Canonici Regularis Congregationis *S. Genovefæ*: *De Fide Orientalis Ecclesiæ circa Eucharistiam*. Ex quibus omnibus colligitur, sensum horum Domini verborum: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, adeo evidenter præsentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & transsubstantiationis proprium & literalem sensum esse, ut nulla sit Christianorum societas, quæ Domini verba hoc sensu non intellexerit.

Sacramentariorum sensus parum obvius.

VII. Quam parum vero sit obvius, & quam difficulter in hominum animos incurrat Sacramentariorum sensus, ex eo præterea probatur, quod *Lutherus* numquam sibi persuadere potuit sensum absentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi ab Eucharistia esse proprium & nativum verborum Christi, quamvis id maxime optaret, ac etiam conaretur, *sciens*, ut ipse testatur, *hoc maxime modo se posse incommodare Papatui*. Difficulter hoc erroris monstrum concepit *Zuinglius*, modum explicandi hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, per ista, *Hoc est signum Corporis mei*, diuturna meditatione assequi non potuit. Figuræ clavim, illam (ut vocat) *felicem margeritam*, didicit ex *Hunnii* Batavi Epistola, ut ipse refert in Epistola *Ad Pomeranos*. Commentum istud impietatis muntre celebri illo Scripturæ loco. *Est enim Phase Domini*, edoctus est in somniis ab aliquo monitore, qui *an ater fuisset, an albus, nihil meminerat*, ut ipse testatur in *Subsidio Eucharistiæ*. Albertinus in Doctissimum *P. Gretserum S. J.* qui *De Somnio Zuinglii Disceptationem scripsit*, impotenter debacchatur, quod ea verba sic acceperit, quasi dubitasset *Zuinglius*, utrum monitor hic Dæmon foret an bonus Angelus; & contendit hanc loquendi formulam, *Ater an albus sit nescio*, Sententiam Proverbialem esse apud Scriptores Latinos elegantissimam, qua significant, vel hominem quem contemnant, vel hominem prorsus ignotum. Et similiter *Zuinglium*, ut eleganter exprimeret monitorem illum qui in somnis apparuerat, non fuisse quemdam sibi notum & familiarem, dixisse, nescire se albus an ater fueris. An de Spiritu in somnis monente elegantissime dici possit, *Ater an albus sit nescio*, periti judicent. De hominibus qui atri aut albi sunt, a Scriptoribus Latinis id dici, non mirum. At Proverbialis illa Sententia nonnisi per metaphoram de Spiritu in somnis viso dici potest, ad significandum nesciri an sit Angelus tenebrarum, an lucis. Sed in hoc non immoror. Satis est, quod hinc evidenter colligitur, sensum quem verbis Christi, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, affingit, adeo esse alienum, ut homo vigilans non videat, qui propugnari possit; & ad locum aliquem Scripturæ huc flectendum extraordinario monitore in somnis apparente, sit opus.

Inanis Calvinistarum responsio.

VIII. Respondent Calvinistæ, Eucharistiam non continere mera signa, nudasque & simplices figuras Corporis & Sanguinis Christi; sed signa efficacia, ut patet ex Confessione Gallica Art. 33. ex Anglicana Art. 25. ex Scotica Art. 21. ex Synodo Dordrectana Art. 33. & 35. & ex Synodo Nationali Carentonica anni 1631. in qua Augustanam Confessionem approbarunt.

Contra; Si verba Christi, *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus*, in sensu proprio & literali non sunt accipienda, sed in sensu metaphorico, & istis æquivalent; *Hoc est figura Corporis & sanguinis mei*; Eucharistia nudum signum est, omni prorsus efficacia interna seu vi producendi gratiam, destitutum. Gratiam enimvero producere nequaquam potest, nisi promissio gratiæ ipsi annexa comprobetur: cum non ea sit natura signi qua signum est, ut gratiam operari valeat. Nullam vero gratiæ promissionem Eucharistiæ adjunctam Calviniani probare possunt. Ut enim omittam quod recentiorum Sacramentariorum Princeps *Zuinglius* nullam prorsus agnovit, ubinam, quæso, in Scripturis Sacris illam promissionem legunt? An *Joannis* 6. capite? at de Eucharistia hic agi summo consensu pernegant. An ex istis verbis, *Accipite & manducate, Hoc est Corpus meum?* At verba ista in sensu Calviniano accepta promissionem gratiæ continent nullam. Dicere enim, *Accipite & comedite, Hoc est figura Corporis mei*, non idem est ac dicere, Promitto vobis gratiam, quoties panem comedetis, qui est figura corporis mei. Cum enim de ratione figuræ non sit, ut virtutem ac efficaciam, si quæ sit, ejus rei contineat, cujus figura est; colligi non potest signum aliquod vel figuram continere virtutem ac efficaciam rei quam significat vel repræsentat, quia signum & figura est, nisi id aliis argumentis demonstretur. Nullum autem ex Verbo Dei scripto, quod solum pro Fidei Regula agnoscunt, proferre valent locum quo id evincant. Forsan his sancti Pauli verbis: *Unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*; vel

istis

istis, *Panis quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* gratiæ promissionem contineri Calvinianus quispiam respondebit. Verum neque hæc verba in sensu Calviniano accepta, id est, de figura Corporis Christi ullam efficaciam significant; sed primus quidem locus Panem Eucharistiam signum esse conjunctionis Christianorum inter se per caritatem, eosque excitare ut quemadmodum panis ex multis granis coalescit, ita ipsi unum Christi Corpus per caritatem fiant. Alter vero locus significat solummodo panem esse signum participationis Corporis Christi, ut explicat *Albertinus*. Quin etiam impie contendit hic Minister, participationem Panis Eucharistici non magis nobis esse communicationem Corporis & Sanguinis Christi, quam esus idolothytorum quibusdam Corinthiis esset dæmonum communio, quod ex illis Apostoli verbis ibidem sibi colligere videtur: *Quæ gentes immolant, dæmoniis immolant: Nolo vos participes dæmoniorum fieri*. Ex quibus infert, participationem panis & calicis non esse corporalem & oralem Communionem Corporis & Sanguinis Christi, sed spiritualem: sicut nec esus idolothytorum est corporalis & oralis dæmoniorum manducatio. At *Albertino* & Calvinistis cæteris reponitur, secundum ipsorum dogma concludi non posse, Apostolum de communicatione virtutis & efficaciæ Corporis & Sanguinis Christi esse eo loci intelligendum. Siquidem qui vescuntur idolothytis, dæmoniorum virtutem & efficaciam interius non suscipiunt, sed eorum cultui, & societati eorum qui ipsis devinciuntur, exterius dumtaxat communicant. Adde quod spiritalis participatio Corporis & Sanguinis Christi, non solum fit per Eucharistiam, sed toties quoties, per fidem in Christum, ut docet Confessio Helvetica, & fatetur *Triglandius* in examine Apologiæ Remonstrantium, cap. 47. Quid igitur præstat Eucharistia? Augmentum fidei, respondebunt. Qua vero id probabunt ratione? An quia fidem amplius excitat quatenus spiritalis communionis cum Christo signum est? At si ita se res habet, cur alia quævis signa arbitraria, quibus ad renovandam nobis Christi memoriam & ad fidem nostram excitandam utemur, signa pariter efficacia vocare non licebit? Si promissionem Christi allegent, eam Promissionem in Scriptura Sacra disertis ac perspicuis verbis expressam ostendant, & Socinianos atque Anabaptistas, qui commentitiam illam cum figura Corporis Christi conjunctam efficaciam sugillant, Eucharistiam Sacramentum esse negantes, videant quomodo possint erroris convincere.

Transsubstantiatio demonstratur ex Christi verbis.

IX. Jam vero quod Christi verba, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, Transsubstantiationem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi demonstrent, probare haud operosum est. Vel enim hæc verba significant mutationem realem, vel metaphoricam dumtaxat, vel nullam. Si realem & propriam panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi mutationem significant, probata manet transsubstantiatio. Quod mutatio dumtaxat metaphorica his verbis significetur, error est Scripturæ Sacræ manifeste contrarius, secundum Lutheranos: & hunc profligavimus superioribus argumentis ex Scriptura Sacra depromptis. Quod nulla significetur mutatio, dicere quis ausit, cum verba Christi operatoria sint, nec substantialis prædicati, quale corpus est, de subjecto affirmatio fieri possit, nisi prædicatum sit idem subjecto, vel ipsi personaliter unitum? Quod unionis genus cum inter panem & Corpus Christi non intercedat, siquidem panis pro nobis crucifixus non est, nec Verbum factum panem Scriptura docet vel Traditio: Consequens est panis & vini substantiam in Corporis & Sanguinis Christi substantiam transmutari, ac eam transmutationem verbis Domini significari. Præterea, cum non dicat Christus: *Hic est Corpus meum*, sed, *Hoc est Corpus meum*: necesse est aut panem non remanere, si Corpus Christi est, sed in illud transmutari; aut Corpus Christi in Sacramento non esse, si panis manet. Hanc esse vim horum verborum, si proprie & excluso sensu figuræ accipiantur, & verbum *est* non sumatur pro, *significat*, adeoque dogmata de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & de Transsubstantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi esse cohærentia; & qui primum admittunt, alterum etiam propugnare debere, si consequenter loqui velint, agnoscit *Zuinglius* in Tractatu *De Cœna*, & in *Exegesibus contra Lutherum*. Quod & *Calvinus* in Defensione II. Piæ & Orthodoxæ de Sacramentis Fidei, & *Beza* contra *Westphalum* scribens, agnoverunt, ac professi sunt.

ARTICULUS IV.

Respondetur Argumentis Sacramentariorum contra verba Institutionis Eucharistiæ.

I. OBjiciunt Sacramentarii, signis plerumque tribui rerum significatarum nomina, ut *Sanctus Augustinus* ait in Epistola ad *Evodium*, & Quæstione 57. in Leviticum. *Solet*, inquit, *res quæ significat, ejus rei nomine, quam significat, nuncupari*. Idque probant ex variis Scripturæ locis. Exempli gratia, quando dicitur Genesis 41. *Septem boves sunt septem anni*. Et in ipsa Sacramentorum materia, quando Circumcisio dicitur *fœdus* Genesis 17. Agnus *Pascha* Exodi 12. Petra *Christus* 1. ad Corinthios 10. Calix *Novum Testamentum* Lucæ 22. Christus *vitis vera, ostium*, &c. Joannis 10. & 15. Ex quibus colligunt, verbum copulativum, *est*, eodem modo accipi in verbis *Hoc est Corpus meum*, ac in supra enumeratis propositionibus, quia signatum utrobique de suo signo prædicatur, hoc est, disparatum de disparato, quæ de se invicem essentialiter dici nequeunt.

Duplex signorum genus.

Respondent Orthodoxi Theologi, Signis quidem interdum tribui rerum significatarum nomina; sed quibusdam tribui, quod illas significent dumtaxat, aliis quod eas etiam contineant, aut exhibeant. Duplex illud signorum genus distinguit *Sanctus Augustinus* lib. III. Quæstionum super *Leviticum*, Quæstione laudata. De signis primi generis ait: *Solet autem res quæ significat, ejus rei nomine, quam significat, nuncupari, sicut scriptum est, Septem spicæ, septem anni sunt; & multa hujusmodi. Hinc est quod dictum est: Petra erat Christus. Non enim dixit, petra significat Christum, sed tamquam hoc esset, quod utique per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Sic & sanguis quoniam propter vitalem quamdam corpulentiam animam significat, in Sacramentis anima dictus est.* De signis secundi generis ibidem ait: *Quærende etiam locutiones per id quod continet id quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore, nam si fuerit effusus, abscedit, per ipsum aptius significata sit anima, & ejus nomen sanguis acceperit. Sicut Ecclesia dicitur locus quo Ecclesia congregatur.* Ad secundum illud signorum genus Eucharistia pertinet, quæ Corpus Domini appellatur, quia vere continet substantiam Corporis Christi, cujus signum est reipsa præsentis, non absentis. Id sequentia Sancti Augustini verba probant: *Sed cum Dominus dicat, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quid sibi vult quod a sanguine sacrificiorum quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: a cujus tamen Sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* In alimentum sumitur sanguis Christi in Eucharistia alio modo quam in Testamento Veteri: Atqui in Testamento veteri sumebatur in alimentum per fidem; sanguis enim victimarum significabat sanguinem Christi, & ad eum per fidem apprehendendum excitabat; reipsa igitur in alimentum sumitur Sanguis Christi.

In verbis institutionis Eucharistiæ, verbum, est, non sumitur pro verbo significandi.

Licet porro meris interdum signis rerum significatarum nomina tribuantur, & in propositionibus nonnullis verbum *est*, sumatur pro verbo significandi, non sequitur ita sumi debere in verbis Christi Sacramentum instituentis: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*. Nec Sacramentarios allata exempla quidquam juvant. Quod enim *Joseph* dixit *Pharaoni*

raoni Genesis 41. *Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt*, rationalis & prudens fuit loqendi modus. Tunc enim recte prudenterque res significatæ de signis affirmantur, cum ab iis quibuscum loquimur, accipiuntur ut signa, non ut res; ut si de imagine Herculis dixerim, Hic est Hercules; vel de tabella Geographica Europam repræsentante, Hæc est Europa. Nam si ut res accipiantur ab iis quibuscum loquimur, non ut signa, ut si alicui dixerim de quercu, quam nescit ille me adhibere ad refricandam Regis Persarum memoriam; Hic est Rex Persarum, insipienter sane loquar. Porro *Joseph Pharaoni* respondens loco supra laudato, somnium ab ipso propositum explicabat, habebatque perspectum, *Pharaonem* septem boves pulchras & septem spicas plenas; & septem boves macilentas, ac septem spicas tenues, ut signa quædam spectare, nec ipsum quærere de phantasmatum illorum natura; quæ illius inter dormiendum phantasiam moverant, sed de illorum significatione. Quamobrem prudenter respondit: *Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt; eamdemque vim somnii comprehendunt. Septem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, septem anni venturæ sunt famis*; Id est, septem annos ubertatis & famis significant. At si cuipiam alteri qui de *Pharaonis* somnio nihil audivisset ostendendo septem boves dixisset: Hæc animantia septem ubertatis anni sunt, idque sine explicatione prorsus ulla, vel jocari fuisset existimatus, vel insipienter locutus. Cum itaque Apostoli panem, quem Christus in manus acceperat, ut rem quamdam, quo modo spectari solet panis, non ut signum spectarent Christus qui summa sapientia est, nomen corporis sui pani non dedit ut signum esse Corporis sui significaret, dicendo, *Hoc est Corpus meum*; quia etsi signis rerum significatarum nomina tribuantur, id tamen in prima institutione non fieri, sed solum cum eorum institutio nota est iis quibuscum loquimur, ipsæ humani sermonis leges ostendunt. Id ergo dixit Christus, ut significaret id quod Apostolis dabat, esse reipsa & secundum substantiam Corpus suum. Hæ itaque propositiones, *Septem boves septem anni sunt*, & *Hoc est Corpus meum*, nullam omnino convenientiam habent.

Nec magis Sacramentariis favet locus alter, quo Circumcisionem *fœdus* appellatam adeo confidenter asserunt, id est, signum fœderis. Non enim versu decimo Capitis 17. Genesis quem proferunt, imperatur Circumcisio ut signum, sed ut conditio fœderis Deum inter & *Abrahamum* sanciti, ut verba ipsa evidenter ostendunt: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum*. Et quia conditio perpetua fœderis signum ejus evadit, Circumcisio signum fœderis versu sequenti appellatur: *Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos*. Non *fœdus*, sed *signum fœderis* in prima ipsius institutione Deus appellat: sicut cum fœdus cum hominibus, de non inducendis amplius aquis diluvii, inde firmavit, ipsam *Signum fœderis*, non fœdus appellavit, Genesis 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram*. Ex quibus colligitur, Christum plane dicturum: *Iste panis est signum corporis mei; Hoc vinum*, vel, *Hic calix est signum sanguinis mei*; si Apostolis significare id unum voluisset, se panem & vinum ut Corporis Sanguinisque sui signa instituere. Nec enim verisimile est Dominum verbis minus apertis & perspicuis loqui voluisse, cum instituit Sacramentum Novæ Legis, quæ lucis & claritatis Lex est, quam locutus sit instituendo Veteris Legis Sacramentum, quæ umbrarum Lex erat & figurarum. Denique si *S. Paulus* Circumcisionem non vocavit fidem & justitiam, etsi fidei & justitiæ signum esset ac Sacramentum, sed plane & lucide *Signaculum justæ fidei* appellavit, cur fingunt Sacramentarii Christum vocasse panem corpus suum, quia in signum corporis sui illum adoptabat, illudque figmentum ut verbum Dei obtrudunt; cum verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, hoc sensu ab Apostolis intelligi non potuerint, de illius institutione signi non præmonitis? Siquidem humani sermonis leges postulant, ut signis, cum primum instituuntur, rerum significatarum nomina non tribuantur. Christus autem humano modo loquebatur, id est, rationali & prudenti, atque inter homines usitato, ut a Discipulis intelligi posset.

Nec etiam Sacramentariorum causam juvat, quod *Exodi* 12. de agno dicitur: *Est enim Phase* [*id est transitus*] *Domini*. Cur enim his verbis significari comminiscuntur, Est signum transitus Domini? Siquidem illa Deus ipse ore *Moysis* explicat v. 26. & 27. *Et cum dixerint vobis filii vestri; Quæ est ista religio? Dicetis eis: Victima transitus Domini est*. Huic sensui præterea conciliat authoritatem & Victimæ relatio ad finem Sacrificii, & usus linguæ sacræ notissimus, secundum quem, victimæ finis ob quem immolabantur, nomine, quodam sermonis compendio vocabantur *pacifica*, si pro pace aut in gratiarum actionem offerrentur; *peccatum*, si ad expiationem peccati. Quid mirum ergo si Deus, qui Agnum Paschalem jam ut victimam proposuerat his verbis, v. 6. *Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel*, hunc loquendi modum usurpet ab iis facile intelligendum, qui victimam finis propter quem offerebatur, & ad quem relationem habebat, nomine frequenter appellari noverant, iisque compendio dixerit, *Est enim phase* [*id est transitus*] *Domini*? Nulla ergo illius propositionis convenientia est cum verbis Domini: *Hoc est Corpus meum*. Siquidem Apostoli, nec panem ut victimam, neque Christi Corpus ut hujus finem victimæ spectabant. Sed etsi Calvinianis daremus, hanc propositionem, *Est enim phase* [*id est transitus*] *Domini*; æquivalere illi, *Est signum transitus Domini*: Nihil adversus nos eo exemplo promoverent, nec ideo probarent illam cum verbis Dominicis, *Hoc est Corpus meum*, convenire. Insolitus namque multiplicium cæremoniarum apparatus, quæ in immolatione & esu agni a Deo præscribuntur, mentes Israelitarum excitabat ut de Mysterio cogitarent, & hoc ritu aliquid significari persuasum haberent: quod & hæc verba demonstrant; *Et cum dixerint vobis filii vestri; Quæ est religio? Dicetis eis: Victima transitus Domini est*. At Apostoli panem ut signum non spectabant, nec ad quærendum quid panis significaret, aliquo ritu insolito fuerant a Christi excitati: Panem enim benedicere ac frangere solebat. Alienum igitur a ratione fuisset, si Apostolis imparatis, & de mysterio nihil cogitantibus dixisset: *Hoc est corpus meum*, ut panem signum esse corporis sui illos edoceret.

Nec etiam suffragatur Sacramentariis locus ille celebris Apostoli, *Petra autem erat Christus*: Ut enim omittam plures Patres Christum petram, non petram Christum ab Apostolo nuncupatam interpretari: quo sensu vulgaris esset ac perspicua satis metaphora; *Sanctus Paulus* lectorum animos tota sermonis serie disposuerat ut petram ceu signum aliquod spectarent. Jam Christianorum Baptisma figuris maris ac nubis in veteri Testamento adumbratum dixerat; *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari*: Manna & aquam ex petra in deserto scaturientem exhibuerat ut cibum ac potum spiritalem, significatione utique, non re ipsa; *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt*. Petram ipsam, ex qua profluebant aquæ, spiritalem appellaverat, ne secundum materiam dumtaxat spectaretur: *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra*. Non erat igitur opus ut petram signum esse diceret, quod facile erant intellecturi lectores vel auditores, sed ut indicaret cujus rei signum esset ac figura, scilicet Christi; dicendo: *Petra autem erat Christus*. Tandem se figurate locutum significat Apostolus, cum paulo post subdit: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*. Cum itaque probare Sacramentarii non possint, Apostolos panem, quem Christus manibus, tenebat, ut signum spectasse, inepte fingunt Christum his usum verbis, *Hoc est corpus meum*, ut panem sui corporis signum esse ac figuram innueret.

Nec fœlicius colligunt Christi verba, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, in sensu metapho-

phorice esse accipienda, quia *S. Lucas* metaphora usus est, cum verba Christi calicem Apostolis porrigentis expressit: *Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Nam & quæ in his verbis figura est, plana est, & operta, cum fœderis symbolum vulgari loquendi modo fœdus etiam appelletur. Et alii duo Evangelistæ *Matthæus* & *Marcus* figuram illam explicant, cum testantur Christum in his verbis sanguinem suum tradidisse, *Hic est Sanguis meus novi Testamenti*. At Evangelistarum nemo testatur dixisse Christum, *Hoc est figura Corporis, & Sanguinis mei*. Tertio imperite concludunt Calviniani Ministri, verba Christi, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, esse figurate accipienda, quia in toto Christi sermone aliqua verba sunt, quorum sensus metaphoricus est. Licet enim res aliqua verbis propriis simpliciter & absque figura significetur; ejus tamen circumstantiæ & adjuncta metaphorice exprimi possunt. Ita cum Christus ait *Marci 9.* de damnatis, ipsos *Mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*: Ignis verus significatur, etsi vermis in sensu metaphorico usurpetur. Cum dicitur Marci 16. *Dominus Jesus assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei*: Etsi sessio ad dexteram metaphorice accipiatur, assumptio in cœlos vera & corporea, non metaphorica dumtaxat credenda est. Cum de Christo dicitur Lucæ 3. *Descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba super ipsum*: Non sequitur Spiritus Sancti nomen in sensu proprio ac literali sumendum non esse, quia vox descensus metaphorice usurpatur. Ita quamvis Calix pro re in calice contenta, & Novum Testamentum sive fœdus, pro externo symbolo fœderis, apud *S. Lucam* & *S. Paulum* metaphorice dicantur, ubi Eucharistiæ institutionem commemorant, non sequitur illa Christi verba, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, esse figurate intelligenda.

Denique illæ Christi propositiones, *Ego sum vitis vera, Ego sum ostium, Ego sum panis vivus*, nequaquam similes sunt illis, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*; quia priores illæ proprietatem & virtutem Christi exprimunt aliquam verbis *vitis, ostii & panis*; scilicet quod vitam nobis tribuat, sicut vitis palmitibus; quod per ipsum dumtaxat ad vitam æternam pateat aditus, quod animas nostras doctrina sua pascat & sustentet, quam proprietatem sequentibus verbis magis explicat dicens: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis* .... *Per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & pascua inveniet* ...... *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet unquam*. Unde in memoratis Propositionibus aperta est metaphora; non ea tamen qua rerum significatarum nomina solent interdum signis attribui. Unde hæc exempla Calvinistis inutilia sunt. Sed ut ad ipsorum propositum accommodata essent, illas invertere opus esset Propositiones, & dicere, vitem, ostium, aut panem demonstrando, *Hoc est Christus*: qui sane loquendi modus perabsurdus & falsus esset; quia hominibus non venit in mentem quod vitis ista, hoc ostium, iste panis, ad aliquam proprietatem Christi significandam adhibeantur. Et sicut istam propositionem, *Hic agricola est Deus Pater*, nemo veram existimarit, sed insulsam & falsam, quamvis illa Christi propositio vera sit, & prudenter prolata, *Pater meus agricola est*; quia hoc nomen agricola proprietatem aliquam æterni Patris exprimit: Patris autem æterni nomen ad aliquam agricolæ hominis proprietatem significandam non assumitur; ita si de pane dixisset Christus, *Hoc est Corpus meum*, ad significandum illum esse figuram corporis sui, falsa propositio & perabsurda visa esset Apostolis, qui relationem panis ad Corpus Christi, tamquam signi ad rem significatam, aut Corporis Christi ad panem, nullam intelligebant. Cum itaque propositio illa Christi absurda esse non possit, nec talis censeri absque Salvatoris injuria, consequens est ut in sensu proprio & literali hæc verba accipiantur.

Albertini Sophisma.

II. Objicit *Albertinus*. Si Dominus secundum humanitatem suam realiter esset in Eucharistia præsens, necessario oporteret Corpus ejus qua mortuum, & sanguinem ejus qua effusum extra venas ibidem esse. Dominus enim non simpliciter dicit, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*; sed *Hoc est Corpus meum pro vobis datum*, aut *fractum*, juxta Apostolum: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti pro multis effusus*: Expresse declarans se loqui de corpore suo qua pro nobis ad mortem tradito, & de Sanguine qua extra venas per vim posito, & in peccatorum nostrorum remissionem in cruce effuso. At Corpus & Sanguis Christi ut sic non sunt realiter præsentia in Eucharistia, sed tantum significantur. Ergo falsum est ea in Eucharistia esse.

Respondeo, Hoc argumentum esse merum sophisma, quo ex una metaphora perabsurde colligit alteram *Albertinus*; & simile esse huic ratiocinio: Homo iratus est leo: atqui non est leo nisi metaphorice; ergo non est homo nisi metaphorice. Sic ratiocinantur Ministri impræsentiarum: Eucharistia est Christi corpus quod pro nobis datur, vel frangitur, est Christi Sanguis qui pro nobis effunditur: atqui in Eucharistia non frangitur Christi Corpus, nec funditur ejus Sanguis nisi Metaphorice: Eucharistia igitur non est Christi Corpus & Sanguis, nisi metaphorice. Nec animadvertunt imprudentes, id consequi ex præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi sub Sacramento, ut quod exteriori parti Sacramenti convenit; id est, symbolis quibus obvelatur, de ipso quoque corpore & sanguine ipsius per metaphoram affirmetur. Sicut de homine vestito per metaphoram asseruntur, quæ de ejus vestibus dicuntur. Unde Christus dixit, *Quis me tetigit?* Licet mulier hemorrhoissa vestimentum ejus dumtaxat tetigisset. Ita quia Christi Corpus in Eucharistia est sub specie panis qui frangitur, & sanguis sub specie vini quod funditur: & fractio illa exterior atque effusio Christi immolationem cruentam semel in cruce pro nobis factam repræsentant: recte fractio & effusio de Christi Corpore & Sanguine sub hoc statu asseruntur. Immo convenienter Corpus Christi sub Sacramento frangi, & fundi Sanguis non diceretur, nisi sub eodem vere & reipsa continerentur: sicut si hemorrhoissa mulier vestem tetigisset qua Christus tunc reipsa non fuisset indutus, non dixisset Salvator, *Quis me tetigit?* Adde illa verba, *Qui pro vobis datur, qui pro vobis frangitur, qui pro vobis & pro multis funditur*, si præsentis vim temporis habeant, incruentum Christi Sacrificium in Eucharistia proprie significare, ut Sacrificii crucis commemorativum. Cum enim seorsim Corpus & sanguis vi verborum sub symbolis sistantur, etsi propter viventis gloriosique corporis statum, neque corpus absque sanguine, nec fusus extra venas sanguis præsens fiat: ideo corpus & sanguinem suum, quæ pro nobis in Altari offeruntur, pro nobis dari, frangi, fundique Christus dixit, quatenus sub specie panis & vini Deo pro nobis & pro multis in remissionem peccatorum offeruntur. Et hæ quidem responsiones valent, si hæc verba præsentis vim temporis habeant. Nam si ad tempus proxime futurum referantur, prout Latinus Interpres, multique Veterum retulerunt: *Hic est Sanguis meus qui pro multis effundetur*: & prout de corpore *Sanctus Paulus* exposuit, *Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur*: tota Albertiniani argumenti difficultas evanescit. Immo hoc telum in ipsum retorquere Authorem facile est hoc modo: Idem Corpus in Eucharistia Christus nobis dedit, quod pro nobis traditurus erat & immolaturus in cruce, eumdem sanguinem quem pro nobis erat fusurus: atqui non corpus & sanguinem symbolicum, sed verum pro nobis tradidit & fudit in cruce; Verum itaque, non symbolicum corpus & sanguinem in Eucharistia nobis dedit.

III. Objicit *Albertinus*, Dominum ipsum *Lucæ 21.* dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem*. Atqui memoria est tantum rerum absentium, ac præteritarum; non præsentium. Ergo si Eucharistia est commemoratio Christi, sequitur Christum non esse in illa realiter. Probatur Minor. Sic enim Aristoteles De Memoria & reminiscentia cap. 1. *Præsentium memoria non est*. Cicero, De Inventione lib. 1. *Memoria est per quam animus repetit illa quæ fuerunt*.

Sanctus Augustinus in Psalmum 37. *Nemo recordatur nisi quod in præsentia non est positum.*

Non rerum tantum absentium memoria est, sed & præsentium.

Respondeo, Falsum esse quod memoria sit tantum rerum absentium: Eorum enim omnium est, quorum possumus oblivisci. Porro non rerum dumtaxat absentium, sed præsentium etiam possumus oblivisci, cum sensus nostros non afficiunt. Dei enim obliviscimur, in quo vivimus, movemur & sumus: Animæ nostræ obliviscimur, cujus non miseremur: Angelorum obliviscimur, qui nobis adsunt ut custodiant nos in omnibus viis nostris: Dæmonum obliviscimur, qui nos circumdant ac saluti nostræ continuo insidiantur: bonorum ac malorum nostrorum, ac eorum quibuscum vivimus, interdum obliviscimur, licet nobis sint præsentia: rerum itaque præsentium possumus recordari. Quoties populus Israeliticus jubetur recordari Dei sui, & reprehenditur hoc nomine quod Dei oblitus fuerit? (Deuteron. 8. & Judic. 8.) Nonne Deus Exodi 20. ait: *In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi?* Nonne Arca fœderis in Veteri Testamento, columna nubis & ignis in deserto, erant memoriale Dei, non absentis, sed vere præsentis? Nonne Apostoli ipsi in prima Cœna impleverunt, aut certe implere potuerunt, quod Christianis omnibus Apostolus præcipit? *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis?* Qua in recordatione mortis Christi posita est illa commemoratio quam præscripsit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Christi igitur absentiam ab Eucharistia hæc verba non probant, alioqui & ejus in prima cœna absentiam probarent. Denique *Oecolampadius* memoriam sæpe ipse rerum præsentium agnoscit: in quam sententiam adducit versum Poetæ: *Oblitus sui est Ithacus discrimine tanto.* Nec abnuit omnino *Calvinus* in 1. ad Corinthios, *Qualem*, inquit, *sui memoriam voluerit Christus in Cœna recoli, mox audiemus. Quod autem hinc nonnulli colligunt, abesse igitur a Cœna Christum, quoniam memoria nonnisi rei absentis sit, prompta est responsio, secundum hanc rationem qua Cœna est recordatio, Christum ab illa abesse: neque enim adest Christus visibiliter, neque oculis cernitur, sicuti symbola quæ ipsum figurando, memoriam nostram excitant* &c. Cum itaque Eucharistia secundum externam speciem quæ oculis obversatur, non sit Corpus & Sanguis Christi, sed secundum partem internam; quia Corpus & Sanguis Domini speciebus panis & vini obvelata sunt, eorum memoriam etsi reipsa præsentium, latentium tamen & a sensibus remotorum solique fidei perspectorum, sacra illa symbola possunt in nobis excitare: & multo magis Passionis & mortis Christi memoriam, prout explicat Apostolus.

De his Algerus ita scribit lib. 1. *Non enim frustra dixit Dominus,* Hoc facite in meam commemorationem, *Sacramentum exhibens sicut verum fidei, sic vere visibile excitandæ commemorationi: ut quod fidei certum est, mentem pascat; quod visui certum est, devotionem accendat. Quia enim illum secundum carnem cælos oportuit penetrare; ut illuc confidentius tenderemus, reliquit nobis carnalibus hujus Sacramenti visibilem figuram & characterem Carnis & Sanguinis sui, ut sua Passionis memoria incitati, constantius hoc faceremus.*

IV. Objicit *Albertinus*, Dominum post distributionem calicis dixisse: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum novum in Regno Patris mei.* Quibus verbis indicat se Eucharistiam participasse. Inde autem sic disputat Calvinianus Minister: Si Corpus & Sanguis realiter & substantialiter erant in Eucharistia sub accidentibus panis & vini, quando Dominus illam celebravit, sequitur illum corpus suum accepisse & edidisse, sanguinemque bibisse; at consequens falsum & absurdum est, ergo & antecedens. Probat absurditatem consequentis. Quia nihil sui ipsius est particeps, ut ait *S. Cyrillus*: Quia cibus & cibo utens semper distinguuntur realiter: quia idem respectu ejusdem simul fuisset agens & patiens, quia ventriculus ipsius major fuisset toto corpore in illo contento: quia intra se & extra se simul fuisset: quia corpus ipsius visibile simul & invisibile fuisset.

Respondeo, Etsi Christus ipse corpus suum sumpserit, quod Theologi vulgo opinantur, id tamen ad summam fidei non pertinere, sumpserit ne etiam ipse, vel non sumpserit. Neque si sumpsit, absurda consequuntur ulla, cum secundum diversum existendi modum corpus suum manducaverit, sanguinemque biberit ab illo quo in se existebat. Mirabile quidem est, nec ratio capit, quomodo idem sui ipsius particeps, suique ipsius cibus esse valeat, & intra se simul ac extra se totus esse possit; sed non ideo incredibile est: Certum enim est Deum multa posse, quæ nos fateamur intelligere non posse, necesse est. Deum qui immensus est circumscribi; qui omnipotens est, infirmum fieri; qui æternus, nasci; qui immortalis, morti obnoxium evadere; sibi ipsi subjici, sibi ipsi Sacrificium offerre, in quo & victima est & Sacerdos; seipsum adorare & orare; sibi ipsi satisfacere & similia Incarnationis consectaria, absorda videntur ethnico Philosopho, aut Sociniano: sed incredibilia non sunt Christiano qui circa fidei mysteria non esse auscultandam rationem humanam persuasum habet; & cum Propheta exclamat: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Ita si Christus corpus suum sanguinemque sumpsit (ut Theologi opinantur) nullum inde sequitur absurdum, quia in Dei operibus ac miraculis nihil absurdum est; sed sequitur Dominum id fecisse, quod capere non possumus. Nec mirum: qui enim plurima in hoc universo, & in nobis ipsis explicare & comprehendere non possumus; qua ratione mysteria & eorum consectaria capere & explicare possemus? *Demonstra mihi, atque explica parva ista inferiora,* inquit S. Augustinus, *& tunc tibi credam posse te investigare superiora.* Ridicula ergo Sacramentariorum argumenta sunt, quibus realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in Eucharistia, & Transsubstantiationem impugnant, quia secundum principia Philosophiæ, multa inde consequi videntur absurda: nam si hoc argumenti genus locum haberet, nullum erit Mysterium, cujus veritatem pariter non liceat impugnare. Quot enim in speciem absurda ex Trinitatis & Incarnationis Mysteriis sequi objicient Sociniani? Non igitur Philosophia consulenda est, sed fides, ac verbum Dei, ubi de mysteriis agitur. Alioquin de Religione & de Scripturæ Sacræ veritate actum erit, cum ab hac multa credenda proponantur, in ea multa narrentur, quæ rationis humanæ captum non solum superant, sed humano ingenio fidei lumine destituto perabsurda videntur. Scripturæ itaque Sacræ & Traditioni, quæ fidei nostræ duplex Regula est, ac Ecclesiæ, utriusque Interpretis Judicio est adhærendum. Et Dei verbo insonante, rationi ac Philosophiæ imponendum silentium, credendaque omnia realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi sub Sacramento consectaria, quantumvis ratio repugnet. *Non capis videndo, intellige credendo,* [inquit *sanctus Augustinus.*] Ad omnia igitur argumenta Philosophica, quæ Sacramentarii contra veritatem realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transsubstantiationis objiciunt, sive ex impossibilitate existentiæ unius corporis in pluribus locis, sive subsistentiæ accidentium extra subjectum, sive ex aliis capitibus petita, unum illud respondere satis sit, quod *Lanfrancus* Berengarianis respondebat libro *De Corpore & Sanguine Domini,* cap. 21. *Hoc vos colligitis secundum humanam sapientiam, non secundum divinam. Humana autem sapientia perquiri divina opera prohibet Apostolus ad Romanos dicens:* Non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. *Et ad Corinthios:* „Sermo meus, „& prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ „sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & vir„tutis: ut fides vestra non sit in sapientia homi„num, sed in virtute Dei. *Et ad Colossenses,* Vi„dete ne quis vos decipiat per Philosophiam & i„nanem fallaciam secundum traditionem hominum, „secundum elementa mundi. *Et B. Gregorius in Ho„milia Paschali:* Sciendum, *inquit*, nobis est, quod „divina operatio, si ratione comprehenditur, non „est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui hu„mana ratio præbet experimentum. *Propterea in tanta rerum profunditate magis oportuit te orare Deum,*

Ubi de Mysteriis agitur, non Philosophia consulenda est, sed fides.

Rom. 12.

1. Cor. 2.

Coloss. 2.

Homil. 26. in Evang.

ut

ut intelligeres quæ pro humana capacitate intelligi possunt aut patienter & humiliter ferres, & tamen crederes, quæ in tanta arcano humani ingenii vires excedunt, & in hoc vitæ intelligi minime possunt, quam litem movere, ab universali Ecclesia dissentire, novum schisma verbis & scriptis contra SS. Patrum præcepta inferro. Profecto hoc modo ageres, quod agi oportere præcipit Legislator, dicens : Ne transgrediaris terminos Patrum. *Et B. Augustinus in primo libro de Sermone Domini in Monte* : Quod vero, *inquit*, aut
„ obscurum, aut absurdum illi sonat ; non inde con-
„ citet contradictionum certamina, sed oret ut intel-
„ ligat. *Et in lib. contra Felicianum hæreticum* ; Quam
„ rationem afferre potes, si partum prædicas Virgi-
„ nis ; si reddidos oculos non negas cæcis ; si sepultos
„ ostendas rediisse a mortuis ? Si ergo horum & in-
„ comprehensibilis est ratio, & veritas prompta est,
„ facilius in negotiis fidei testimoniis creditur, quam
„ ratio vestigatur. Hæc *Lanfrancus*.

Proverb. 21.

Addere potuisset præclarum *S. Hilarii* locum lib. 3. de Trinitate, dicentis. *Nihil in divinis effectibus humanæ mentis opinione tractandum est, neque de Creatore suo opificii ipsius materia decertant. Cum enim recognita stultitia nostra intelligentia, imperitiam naturalis in nobis imprudentiæ senserimus, tum per divinæ sapientiæ prudentiam ad Dei sapientiam imbuimur ; cum sine modo virtutes Dei ac potestatem metiamur, cum naturæ Dominum non intra naturales leges cohibeamus, cum hoc solum de Deo bene credi intelligamus, ad quod de se credendum ipse sibi nobiscum & testis & author existit.*

Respondeo secundo, Hæc verba Christi : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, &c. ad Sanguinem Christi non esse referenda. Primo, quia quod *SS. Matthæus*, & *Marcus* de Calice Christum dixisse scribunt, *S. Lucas* scribit etiam de Pascha, id est, de agno dixisse : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei*. Igitur hæc verba quæ *SS. Matthæus* & *Marcus* referunt Christum de Calice dixisse, non de eo calice dixit, quo sanguinem suum dedit, sed de eo qui in cœna Agni Paschalis a patre familias inter accumbentes distribui solebat. Præterea quod sequitur, *Donec bibam illud novum in Regno Patris mei*, non potest intelligi nisi de cœlo : in cœlo autem non erat bibiturus sanguinem suum, non vere, non metaphorice ; vinum autem metaphorice bibiturus erat, *Ego*, inquit, *dispono vobis sicut disposuit mihi Pater Regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo*. Non ergo de sanguine suo, sed de vino dixit Christus : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*.

Sed quamvis ad Cœnam Mysticam & ad Sacramentum hæc verba referrentur, ut *Origenes* Tractatu 30. in Matthæum, *SS. Cyprianus* in Epistola ad *Cæcilium*, *Chrysostomus* Homilia 83. in Matthæum, *Epiphanius* Hæresi 47. *Augustinus* lib. 1. Quæstionum Evangelicarum, *Beda*, *Euthymius*, & *Theophylactus*, in Commentariis, retulerunt ; perperam ex hoc inferrent Calvinistæ, Christum non dedisse Apostolis sanguinem suum, sed vinum quod signum erat sanguinis sui : prompta enim esset responsio, Christum sanguinem suum vinum appellasse, vel quia ex vino erat consecratus, & sub vini specie Apostolis ipsum distribuebat, vel per analogiam ad vini proprietates, sicut carnem suam apud *Joannem* panem appellaverat.

V. Objiciunt Calviniani Ministri : Ista locutio, *Hoc est Corpus meum*, Sacramentalis est : ergo sacramentaliter intelligenda : ut sit sensus, Hoc est Sacramentum, id est, signum sacrum corporis mei.

Respondeo primo, Falso principio niti Calvinistas, existimantes quidquid de Sacramento dicitur, ad locutionem Sacramentalem pertinere : Quod aperte falsum est : nam cum de aqua baptismi dico ; Hæc est aqua, non sacramentaliter, sed vere proprieque loquor : eodemque modo cum Christus dicit, *Hoc est Corpus meum*, proprie non sacramentaliter loquitur, quo illi intelligunt modo locutionem Sacramentalem, qua signum externum asseritur, res significata excluditur. Locutio autem Sacramentalis esset, si aqua regeneratio diceretur, si Corpus Christi frangi & dentibus teri : Hæc enim nisi Sacramento tenus intelligi non possunt. Quia non Corpus Christi proprie frangitur, sed Sacramentum.

VI. Objicit *Albertinus* plura Scripturæ loca, quæ Christum e mundo discessisse, & in cœlis usque ad tempus restitutionis omnium permanere testantur.

Respondeo, Hæc omnia loca nihil aliud probare, nisi quod Christus locali præsentia, & modo visibili atque sensibili in cœlo est, quod non impedit quin realiter in Eucharistia sit præsens præsentia Sacramentali, non locali atque sensibili. Quod autem satis sit ut Christus non sit in terris humano more, ut omnium oculis aspectabilis, & cum hominibus familiariter degens, ad hoc ut simpliciter dicatur amplius in terris non esse, ipsius Christi verba ostendunt post Resurrectionem Discipulis dicentis : *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum* : Quasi vero tunc non esset cum illis quibuscum loquebatur ante suam in cœlum Ascensionem : sed intelligit, *Cum adhuc essem vobiscum*, humano more. Nunc enim etiamsi sum, aliter sum. Idem colligitur ex aliis locis quibus Calvinistæ utuntur. *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*. De effusione unguenti agebatur. Piæ mulieris officium *Judas* indigne ferebat, dicens : *Ut quid perditio hæc ? Potuit enim unguentum istud venundari multo, & dari pauperibus*. Dominus autem mulieris sanctæ apologiam suscipiens, respondet : *Quid molesti estis huic mulieri ? Opus enim bonum operata est in me : Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*. Accommodata responsio est. Semper poteritis erga pauperes caritatis officia exercere ; at pedes meos non semper ungere poteritis, quia semper vobiscum familiariter non versabor, sicut nunc. Hinc *Sanctus Paulus* Christi præsentiam, quam expectamus, *revelationem* vocat 1. ad Corinthios 1. *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi*, & II. ad Thessalonicenses 1. *In revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus*.

VII. Objiciunt Calviniani Ministri : In ista Christi propositione, *Hoc est Corpus meum*, pronomen *hoc* significat ac demonstrat panem : Sed hæc propositio, *Panis est Corpus Christi*, in sensu metaphorico accipienda & intelligenda est : ergo Eucharistia non est Corpus Christi nisi metaphorice. Antecedens probat *Albertinus* ex verbis institutionis. Dominus enim *Accepit panem, & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait : Accipite, & comedite : Hoc est corpus meum* : ubi series verborum Christi plane indicat demonstravisse ipsum id quod acceperat, & gratiis actis, fregerat, & fractum visibiliter porrigebat Discipulis ut ederent : At panis erat id quod acceperat, & gratiis actis fregerat, & fractum visibiliter porrigebat Discipulis ut ederent : Panis ergo id est quod demonstrabat. Addunt Adversarii, prædicationem identicam fore & ineptam, si pronomen *hoc*, significet Corpus Christi, quia hunc reddet sensum : *Corpus Christi est Corpus Christi*.

Quid significet pronomen, Hoc, in verbis institutionis Eucharistiæ?

Respondeo, Inter Catholicos Theologos non convenire quid significet ac demonstret pronomen, *HOC*. *Innocentius III.* Archidiaconus ad cap. *Timorem*, Durandus lib. 4. Divinorum Officiorum C. 41. *Erasmus* in Annotationibus in cap. 14. Marci, & *Catharinus* in Tractatu de verbis consecrationis, Romæ edito, dum Concilium Tridentinum celebrabatur, censent Christum panem consecrasse arcana benedictione, & illud in corpus suum transmutasse, sicque transmutatum distribuisse Apostolis, dicendo : *Hoc est Corpus meum*. Sicque pronomen, *Hoc*, in Christi propositione significasse ejus corpus. Eamdem vero vim esse propositionis ut a Sacerdotibus prolatæ, quos Christus verbis illis, *Hoc est Corpus meum*, Eucharistiam conficere voluit, & qui proinde aliter conficere non possunt, cum solam ministerii, non excellentiæ potestatem habeant : sicque pronomen, *hoc*, in ea propositione nihil demonstrare, quia Sacerdos his verbis non utitur *demonstrative*, sed *recitative*, ut loquitur

Inno-

Innocentius. Alii asserunt hoc pronomen demonstrare panem ut *S. Bonaventura*, *Widefordus*, & *Bessario* Cardinalis. Alii singularem substantiam, seu rem sub speciebus Eucharisticis præsentem, confuse hoc pronomine significari asserunt, ut *S. Thomas*, *Durandus*, & alii. Plerique corpus ipsum Christi demonstrari censent, ut *Richardus*, *Alensis*, *Maldonatus*, *Sanctesius*, *Vasquez*, &c. Sed omnes illæ sententiæ Calvinistarum & Lutheranorum errorem confodiunt. Eorum enim argumenta pene omnia inutilia ipsis manent, si *Innocentii III.* & *Catharini* opinionem sequamur, quam Tridentina Synodos non improbavit: uti nec alias Catholicorum expositiones Theologorum. Qui vero asserunt pronomen, *hoc*, demonstrare panem, merito negant propositionem propterea in sensu figurato esse accipiendam; Spectant enim transitoriam dumtaxat significationem. Quippe cum profertur hoc pronomen, nondum completa propositione, adhuc est panis qui absoluta propositione, jam non erit, adeoque tunc pronomen, *hoc*, panem in Christi Corpus proxime transmutandum significat. Qui pronomine, *hoc*, demonstrari contendunt Corpus Christi, spectant significationem illius permanentem, quæ finita propositione, & prolatis omnibus Christi verbis, ipsi convenit. Tunc enim prædicatum conjungitur subjecto; Corpus autem Christi alia de re quam de se ipso prædicari non potest. Sed pronomen, *hoc*, illud significat sub confusa quadam & generali notione rei præsentis: hæc autem verba, *Corpus meum*, illud distincte significant. Unde non est identica prædicatio. Pronomina enim per se & ex institutione sua nihil determinate significant (quod nominum proprium est) sed prout ad hanc rem vel alteram demonstrandam aut referendam adhibentur. Sicut ergo nemo dixerit has propositiones, ex Scripturis Sacris depromptas, identicas esse, *Hic est Filius meus dilectus*, *Hic est Jesus Propheta a Nazareth*, *Hic est Agnus Dei*, *Hic non-ne est Jesus Filius Joseph?* *Hic est Christus*, *Hæc est terra de qua juravi Abraham, & Isaac, & Jacob*: ita neque ista propositio, *Hoc est Corpus meum*, est identica; quia pronomen, *hoc*, Corpus Christi confuse significat, quod attributum significat determinate. Diversus autem significandi modus ad tollendam prædicationis identitatem sufficit, ut Dialectici norunt. Sed hujus artis veras regulas ignorant aut negligunt Calvinistæ Ministri, qui unius Sophistices peritissimi sunt, eaque plurimum utuntur ad obnubilandam veritatem. Tandem qui pronomen, *hoc*, demonstrare dicunt singularem substantiam, seu rem sub speciebus Eucharisticis præsentem, non dubitant quin significet vel panem in priori instanti quo inchoatur propositio, vel Christi Corpus in posteriori quo absolvitur; sed ideam confusam utriusque isto pronomine ingenerari volunt. Hujus porro significationis diversa ratio in propositionibus quibusvis practicis, id est, rei quam significant operatoriis, demonstrativo pronomini conveniret, secundum diversum rei statum. Ita si *Moyses* aquas fluviorum in sanguinem, & virgam in serpentem convertens, dixisset: *Hic est Sanguis*, *Hic est serpens*: Et si Deus uxorem *Loth* in statuam salis; Christus aquam in vinum mutans, dixissent, *Hoc est sal*, *Hoc est vinum*: Pronomen, *hoc*, secundum significationem transitoriam, id est, spectando miraculum ut nondum factum, sed mox faciendum, aquam, virgam, mulierem demonstrasset: secundum significationem permanentem, & spectando miraculum ut jam perfectum, demonstrasset sanguinem, serpentem, statuam salis, vinum. Ita in Christi propositione, *Hoc est Corpus meum*, pronomen, *hoc*, designat panem secundum significationem transitoriam, quando profertur ipsa propositio; sed significat Corpus Christi secundum significationem permanentem, absoluta scilicet prolatione verborum.

Calvinianorum Ministrorum sophisma.

Respondeo secundo, Argumentum Calvinianorum Ministrorum merum esse sophisma, simile isti: In hac propositione, *Leo de tribu Juda vicit*, vox Leo significat Christum: sed hæc propositio, *Christus vicit*, est propria & non metaphorica: ergo hæc propositio; *Leo de tribu Juda vicit*, est propria & non metaphorica. In hoc autem sophisma positum est, quod licet idem significet utriusque propositionis subjectum, scilicet Christum; non tamen eodem modo: vox enim ista, *Leo de tribu Juda*, ipsum non significat proprie, sed metaphorice. Ita licet in hac propositione *Hoc est Corpus meum*, pronomen, *hoc*, significet panem, non sequitur illam in sensu metaphorico esse accipiendam; quemadmodum ista, *Panis est Corpus Christi*, metaphorice accipienda est: quia in priori pronomen, *hoc*, significat panem confuse, in posteriori nomen panis eumdem significat distincte.

Ad probationem *Albertini*, Respondeo, id quod Christus acceperat, fuisse panem; sed quod gratiis actis & benedictione data distribuit Discipulis dicens, *Hoc est Corpus meum*, non fuisse panem; nisi externa specie. Sicut quod Ministri in Cana Galilææ in hydrias infuderunt, aqua erat, sed quod ex iisdem hydriis in calices fudere, vinum erat. Et cum *Moyses* virgam projecit, & in serpentem mutatam recepit; quod projecerat lignum erat, quod apprehendit serpens erat. Et de eodem homine dicitur, ipsum percussum esse, occisum, ac sepultum, licet sepultus non sit vivus, quemadmodum vivens percussus ac occisus est. Ita panis erat quem Christus accepit, & panis vocatur quod discipulis, secundum gratias actas Patri, fregit ac distribuit, non tamen idem panis externa specie: *Panis quippe, non effigie, sed natura mutatur, omnipotentia Verbi factus est caro*, ut ait *Arnoldus* Bonævallensis Abbas, lib. *De Cœna Domini*. Denique id accepit Christus *quod natura formaverat*; id vero Apostolis distribuit *quod Benedictio consecraverat*, ut loquitur S. Ambrosius. *Major, autem est benedictionis vis quam natura, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur*. Scilicet Benedictione sua Christus aliquid admirabile circa panem operatus est. Sicut enimvero aliud est dicere Dei, aliud hominis: ita aliud est benedicere Dei, aliud benedicere hominis. Homo non benedicit nisi precando; Deus benedicit semper efficiendo. Nec reperitur umquam in Sacris Literis benedictio Dei accepta pro sermone tantum, sed præcipue pro effectu aliquo. Hoc sensu legimus Deum benedixisse humano generi, imprimendo illi sese propagandi facultatem. Hoc sensu benedixit *Jacob*, aliisque veteris Testamenti Patribus. Hoc sensu Angelus missus a Deo *B. Mariam* Virginem vocavit *Benedictam*, id est, fœcundatam; Hoc sensu cum Christus septem panibus magnam illam multitudinem, & iterum quinque panibus turbas saturavit, benedixisse dicitur. Quod itaque Christus acceperat, benedictione sua, verbisque mutatum Apostolis dedit. Sane si vim haberet aliquam *Albertini* argomentum, non minus adversus ipsum quam adversum nos pugnaret. Sic enim illud retorquere in ipsum Authorem facile est: Demonstravit Christus idipsum quod acceperat, illudque discipulis dedit; Sed acceperat merum panem, non Sacramentum virtute & efficacia Corporis sui adauctum; ergo merum panem, non Sacramentum virtute & efficacia corporis sui adauctum Apostolis dedit.

Instant Calviniani ministri. Ista propositio, *Hoc est Corpus meum*, fuit vera ante sui prolationem. Prius enim formata erat in Christi mente, quam illam per voces efferret, ut in animos illam transferret Apostolorum. Et in Christi mente jam vera erat. Igitur istius propositionis veritas non pendebat ex ultimæ syllabæ prolatione; adeoque si pronomen, *hoc*, designat panem initio prolationis verborum, panem quoque designavit in mente Christi; & mentalis istius propositionis a Christo conceptæ sensus erat: *Hic panis est Corpus meum*.

Respondeo, illam propositionem fuisse veram ante sui prolationem, in mente Christi, quatenus prædicatum connexum erat subjecto per verbum substantivum, *est*, non quatenus subjectum aut attributum per sese apprehendebatur. Hac autem cognita & interius asserta connexione, pronomen, *hoc*, in propositione mentali subjecti vices gerens Corpus Christi designabat. Unde quia connexio illa non significatur in propositione vocali, nisi absoluta propositionis totius prolatione pronomen, *hoc*, non designat Corpus Christi, nisi in ultimo instanti prolationis verborum. Cum vero profertur propositio, panem designat, sed transitoria (ut diximus) non permanenti designatione; quia operatoria propositio est. Sicut

si quis

si quis admovendo ignem pulveri tormentario dicat; *Hic est ignis*, & ita se gerat ut ignis non conjungatur pulveri, nisi cum absolvit propositionem, quam lente profert, pronomen, *hic*, pulverem demonstrat, cum profertur propositio, ignem vero cum prolata est. Præterea, prioritas & posterioritas quæ inter mentales ac vocales propositiones intercedit, ordinis est, non temporis, semper & necessario. Sicut ergo cum Christus Leproso dixit, *Volo, mundare*; & Principi Synagogæ, *Filius tuus vivit*; & Paralytico, *Surge & ambula* sanitatem cognoscebat, quam ipsis restituere decreverat, eamdemque producebat, ac exprimebat: ita cum dixit, *Hoc est Corpus meum*, potuit corpus suum ex pane faciendum cognoscere, producere, & exprimere.

VIII. Objicit *Albertinus* multa Patrum testimonia qui Christum de pane dixisse testantur, *Hoc est Corpus meum*, & de Calice, *Hic est Sanguis meus*; scilicet Irenæi, lib. 5. *Dominus eum panem qui est a creatura, corpus suum confirmavit*. Tertulliani, lib. adversus Judæos cap. 11. *Panem*, inquit, *corpus suum appellans*. Origenis, Homilia 35. in Matthæum dicentis; *Panis iste quem Deus corpus suum esse fatetur*. Cypriani, Epistola 56. scribentis: *Domine corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum*. Cyrilli Hierosolymitani, Catechesi 4. Mystagogica dicentis: *Dominus pronuntiat & dicit de pane: Hoc est Corpus meum*. Chrysostomi homilia 24. in 1. ad Corinthios dicentis; *Quid est panis? Corpus Christi*. Hieronymi, in Epistola ad Hedibiam scribentis: *Nos audiamus panem quem fregit Dominus, deditque Discipulis, esse Corpus Salvatoris*. Augustini in Sermone ad Infantes dicentis: *Panis est Corpus, Calix Sanguis Christi*. Theodoreti, Dialogo I. dicentis; *In Mysteriorum traditione Dominus panem corpus suum appellavit, & vinum sanguinem*. Facundi Hermianensis lib. 9. cap. ultimo dicentis; *Ipse Dominus benedictam panem, & calicem quem Discipulis tradit, corpus & sanguinem suum vocavit*. Ex quibus colligit *Albertinus*, Patres unanimiter testari, hunc esse verborum Sacramentalium sensum: *Hic panis est Corpus meum*.

Respondeo, nihil aliud designare hæc verba Patrum, quam materiam a Christo assumptam ad conficiendum corpus & sanguinem suum. Unde panem Corpus Christi vocant, vel a Christo vocatum docent, quia ex pane confectum est, & sub panis speciebus datur. Cum enim duæ res in eodem loco sibi succedunt, nulla exterius mutatione sensibus percepta, de iis quasi de una eademque re loqui homines solent. Sic de aqua fluminis velut de eadem aqua loquimur, eam nunc limpidam, heri turbidam fuisse dicimus, etsi aqua, non sit numero eadem. *In idem flumen bis non descendimus*, inquit Seneca, *manet idem fluminis nomen, aqua transmissa est*. Ita cum Christi Corpus & Sanguis substantiæ panis & vini sub iisdem accidentibus succedant, non mirum quod Patres de pane & Corpore Christi eo modo locuti sint, ac si idem subjectum esset, quod panis sit, & Christi Corpus simul appelletur. Ita locuti sunt Authores ipsi, quos de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, ac de transsubstantiatione maxime fuisse persuasos negare non possunt Calvinistæ: ut hunc esse humanum loquendi morem sit evidentissimum. Ita *Goffridus Vindocinensis*, Tractatu de Corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi ait: *Prius quidem panis & vinum super altare ponuntur; sed sicut ante consecrationem nihil aliud præter proprium panis & vini naturam habent; ita post consecrationem nullam naturam, nullam materiam panis & vini retineat, nisi quantum ad saporem, speciem, odorem*. Loquitur hic Author de eo quod panis & vini naturam habet ante consecrationem, & post consecrationem non habet, quasi de eodem subjecto, quamvis idem non sit, quod enim habet panis & vini naturam, panis est & vinum; quod non habet post consecrationem, est Corpus Christi. Similiter loquitur *Hildebertus* Archiepiscopus Turonensis in his carminibus.

Utraque sub typico ritu formaque futuri,
Melchisedech Domino sacrificasse ferunt,
Utraque Discipulis cœnantibus ipse Redemptor
Tradidit, in Corpus utraque versa suum.

Quomodo res easdem, quas obtulit Melchisedech, Apostolis in Corpus & Sanguinem suum versas Christum Apostolis tradidisse ais *Hildebertus*? num quia panem & vinum, & Corpus ac Sanguinem Christi, sub ratione unius objecti confuse spectat, cui esse panem & vinum, & esse Christi Corpus ac Sanguinem, diversis temporibus conveniat? Ita locutus est *Odo* Cameracensis Episcopus, in Tractatu de expositione Missæ, *Qui prius erat panis*, inquit, *benedictione factus est caro*. Sic Innocentius III. *Id quod fuit panis*, inquit, *est Corpus Christi*.

Præterea is etiam hominibus familiaris mos loquendi est, ut cum mutationem, etiam substantialem, unius rei in aliam exprimunt, eamdem quasi rem ante & post mutationem significent, ac terminos reipsa incompossibiles eidem rei quasi in diverso statu spectatæ tribuant; quia substantiales illas mutationes ad modum accidentalium concipiunt, in quibus idem subjectum ab una qualitate ad aliam transit. Sic *Ovidius* in Metamorphosibus, *Cadmum* filium *Agenoris*, qui serpentem a se occisum spectabat, serpentem mox spectandum ait, id est, in serpentem mutandum. *Quid Agenore nate, Serpentem spectas? Et tu vocabere serpens*. Sic X. Æneidos *Virgilius* narrat Nymphas in quas *Æneæ* naves versæ erant, ipsi obviam procedentes, dixisse:

Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus,
Nunc Pelagi Nymphæ, Classis tua.

Nymphæ pinus appellantur, quia ex istis arboribus compactæ naves in Nymphas Pelagi versæ sunt. Sic apud eumdem Poetam, *Diomedes* de sociis suis in aves conversis ait;

Amissi socii petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aves.

Et ne hunc loquendi morem ex profanis dumtaxat Authoribus videamus, Scripturæ Sacræ exempla nonnulla proferenda sunt. 1. ex cap. 19. Genesis v. 26. ubi de uxore Loth, secundum Vulgatam nostram legimus: *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis*. Secundum Textum Hebræum, ad literam vertendum est: *Et fuit statua salis*: Mulierem statuam salis fuisse *Moyses* ait, quasi subjectum idem prius mulier, deinde statua salis extitisset, cum tamen id sit impossibile: sed vulgarem loquendi morem Propheta secutus est. Cum enim mulier in statuam salis fuerit transmutata, humana mens idem subjectum confuse spectatum, nunc sub forma mulieris, nunc sub forma salis apprehendit ac designat. Hunc loquendi morem *S. Joannes* secutus est, cum scripsit *Architriclinum gustasse aquam vinum factam*. Cur aquæ nomen liquori dedit; qui jam vinum erat, & ut vinum gustabatur, nisi quia aquam & vinum, in quod fuerat conversa, ad modum unius subjecti, sub diverso statu existentis, ab hominibus confuse concipi, & utroque nomine significari noverat; ac modo vinum, quod jam erat, modo aquam, quod paulo ante fuerat, appellari? Ad eumdem loquendi modum revocari possunt ista Christi verba: *Lazare veni foras*. Lazarum enim mortuum & Lazarum viventem, velut unum eumdemque hominem, qui a morte ad vitam se jubente rediret, Christus compellavit. Non mirum itaque quod Christus designarit panem pronomine, *Hoc*, & de eo dixerit, *Hoc est Corpus meum*, cum illud in corpus suum his verbis transmutabat: siquidem humano loquendi more panem & Corpus suum velut rem unam sub diverso statu significabat, quæ scilicet panis esset cum proferre cœpit propositionem; corpus vero Christi cum absolvit. Multo minus mirum, quod SS. Patres de Eucharistia loquentes dixerint, Christum panem corpus suum appellasse; vel Eucharistiæ modo panis, modo Corporis Christi nomen ipsosmet tribuisse.

IX. Objicit *Albertinus*, *Ermengaudum* contra Waldenses scribentem, illis pro hæresi imputasse, quod negarent pronomine, *Hoc*, panem demonstrari. *Sed*, inquit, cap. 11. *Heretici dicunt, quod illud, hoc, demonstrativum pronomen non refertur ad panem quem in manibus tenebat, & tunc benedicebat, & quem frangebat, & suis Discipulis distribuebat, sed refertur ad*

cor-

corpus suum, quod hæc omnia perficiebat. Unde eorum error tam nequissimus originem habuit ignorantes vim pronominis, Hoc, *nec potest relative referri nisi his de quibus facta mentio. Sed in traditione hujus Sacramenti de Corpore suo mentio nulla tunc facta fuerat. Ergo falsissimum est quod autumant.*

Respondeo, Hunc *Ermengaudi* locum *Albertino* cæterisque Sacramentariis nequaquam favere: cum Waldensibus pro hæresi non imputet, quod pronomen, *Hoc*, ad panem non referri dicerent tamquam ad figuram efficacem Corporis Christi, in sua natura, tam ante, quam post consecrationem, manentem: sed quod negarent pronomen illud demonstrare panem in substantiam Corporis Christi mutandum, & consecrationis verba Corpus Domini sub speciebus panis sistere; & quod Salvator, non panem ostendens, sed manum pectori apponens, & seipsum demonstrans, dixisset: *Hoc est Corpus meum*, proindeque hæc verba nullam circa panem operata mutationem fuissent: Denique quod manducare carnem & sanguinem Christi non esset Eucharistiam sumere, sed verba ejus audire. Hic Waldensium error, qui ab *Ermengaudo*, & ab *Ebrardo*, quem fere eadem notare ait *Albertinus*, Hæresis jure nuncupatur. Hunc refellens errorem *Ermengaudus*, post verba in objectione laudata, continenter subdit: *Sed sicut farina, & aqua, & sal, cum hæc tria commista fuerint & decocta, amplius non sunt farina, neque aqua, neque sal, quæ ante fuerant, sed vere panis purus est & dicitur: ita panis quem post Cœnam manibus suis Jesus Christus accepit, postquam hunc benedixit & fregit, Corpus Christi, non panis, intelligitur esse & creditur, quem Christus Salvator noster & Redemptor in Cœna suis Discipulis dedit, dicens: Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum.* Ebrardus vero cap. 8. ita contra eosdem Hæreticos scribit: *Sacræ quidem Cœnæ mysteria nescientes, panis benedictionem a Deo nobis collatam floccipendunt. Dixit enim*: Hoc facite in meam commemorationem. *Et quod Christus Corpus suum esse dixit, tamquam Judæ successores Corpus Christi non affirmant, immo negant*, Tum prolatis Evangelistarum & S. Pauli verbis, subdit; *Panem hunc dixit, ostendens panem, non manum pectori apponens, sicut vos mentimini. Et subdit*: „ Qui enim manducat & bibit indigne, ju„ dicium, sibi manducat & bibit, non dijudicans „ Corpus Domini. *Ecce quod panem Corpus Domini appellavit. Adhuc hæsitatis, filii alieni?* Et infra. *Non enim joculator est Dominus, ut panem teneat, & aliud panem demonstret, dicens, Hoc est Corpus meum. Si quis autem de communi pane comedat, non oportet hominem seipsum probare, neque judicium sibi manducat. Sed objiciunt increduli dicentes, Verba Sancta esse panem: quia cibus animæ sunt verba Evangelica, juxta illud*, Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt. *Et qui hujusmodi verba audit, aut docet indigne, judicium sibi manducat & bibit ..... Nesciunt quid balbutiunt. De pane enim dixit*, accepit, benedixit, ac fregit: *Verba autem non franguntur, aut benedicuntur, aut in manibus accipiuntur. De pane, autem quem tenebat & benedicebat, dixit*: Hoc est Corpus meum. *Verba autem Evangelica quæ scribuntur aut leguntur, Corpus Christi non sunt.* Et infra: *Vos dicitis, Panem illum & Sanguinem esse verba, quibus obviat Dominus per Joannem dicens*; Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, &c. *Ecce dicit quod panis caro sua, & vinum sanguis suus sit. Panis tamen non est sanguis, neque sanguis est panis. Si autem panis & sanguis verba essent, quis distingueret inter panem & sanguinem? Panis autem solummodo cibus est, sanguis vero solum potus. Non igitur de verbis intelligendum est. Si quis enim Scripturas revolvat, non inveniet quod verba scripta aut ab ore prolata sint caro & sanguis. Dominus tamen ait*: Caro mea vere est cibus, &c. *Verba enim sancta spiritus sunt & vita; cibus & potus: non tamen caro aut corpus Christi.*

ARTICULUS V.

Realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transsubstantiationis Fides ex Patribus sex priorum Sæculorum confirmatur: ac primum ex S. IGNATIO MARTYRE.

PRimus in medium prodeat *S. Ignatius* Martyr in genuina ad Smyrnæos Epistola, ubi contra sui temporis Hæreticos scribens, ait: *Eucharistias & oblationes non admittunt, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua excitavit.* Quem locum adversus Eutychianos protulit olim *Theodoretus* Dialogo III. Hæretici illi de quibus loquitur *S. Ignatius*, veram carnem Filium Dei assumpsisse inficiabantur, ex quo consequens erat ut negarent Eucharistiam esse carnem Salvatoris, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater suscitavit. Id vero profitebatur Ecclesia. Igitur Ecclesiæ fides primo nominis Christiani sæculo prædicabat Eucharistiam esse carnem Salvatoris pro peccatis nostris passam, adeoque non esse dumtaxat figuram carnis; siquidem caro quæ pro nobis passa est, non est caro dumtaxat figurata.

Respondet *Albertinus*, Hæreticos illos veteres, contra quos *Ignatius* agit, negasse Eucharistiam esse Christi carnem figurate, ne admissa figura carnis, ad veræ carnis in Christo confessionem adigerentur, quia probe noverant, figuram veritatis esse figuram, & in eo principio cum Catholicis conveniebant. Verum nec id *S. Ignatii* verba innuunt, neque consequens erat ut carnem veram a Christo assumptam faterentur, si Eucharistiam figuram esse carnis ipsius admitterent; cum figuræ etiam imago exprimi posset, & Angeli in humana effigie delineentur, quia ut homines apparuerunt, quamvis revera humanum corpus non assumpserint: & ipsi Calvinistæ negare non possint manna, panem a Melchisedecho oblatum, panes propositionis Eucharistiæ figuram fuisse, quod Veteres passim affirmant, & res ipsa loquitur: & tamen Eucharistiam figuram dumtaxat esse volunt. Denique si *Eranista* apud *Theodoretum* in Dialogis fatebatur symbola mystica figuram esse Corporis & Sanguinis Christi, quamvis duas in Christo naturas non agnosceret, sed carnem a Divinitate absorptam pertinaciter contenderet; quidni & Hæretici illi veteres fateri potuere Eucharistiam esse figuram carnis Christi, & tamen Christum in vera carne pro nobis passum non fuisse?

Eucharistia pharmacum immortalitatis.

Favet quoque sensui realis præsentiæ corporis Christi in Eucharistia idem S. Martyr in Epistola ad Ephesios, ubi ipsos laudat quod Episcopo & Presbytero indivulse adhæreant. *Unum panem frangentes, quod est pharmacum immortalitatis, antidotum ad non moriendum, sed vivendum in Jesu Christo semper.* Si enim Eucharistiam esse dumtaxat figuram, quæ ad cogitationem nostram in Christo figendam, & ad ipsum per fidem spiritaliter manducandum nos excitet, Sanctus existimasset *Ignatius*, non magis Eucharistiam *Pharmacum immortalitatis* vocasset, quam vulgarem panem, qui eosdem motus in Ephesiorum animis excitare poterat. Pharmacum ergo immortalitatis illam appellavit, quia Christum vitam nostram continet, de quo in Epistola ad Romanos ait: *Panem Dei volo, quod est caro Jesu Christi, & potum volo sanguinem ipsius.* Mitto quod *unum panem* Eucharistiam vocat. Cur enim Eucharistici panes, qui numero plures sunt, unus panis a *S. Ignatio* vocarentur, nisi quia Christi corpus indivisum continent? non enim una dicitur aqua Baptismatis, aut unum Confirmationis oleum? nec Judæi dicuntur unum agnum Paschalem comedisse, quamvis una sit Baptismi & Confirmationis efficacia, & agni Paschalis una significatio esset. Non igitur propter unitatem dumtaxat significationis aut efficaciæ Eucharistiam *unum panem* appellavit *S. Ignatius*.

ARTICULUS VI.

Dogma Catholicum de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia probatur ex S. JUSTINO MARTYRE.

I. S*Anctus Justinus* Philosophus & Martyr, in Apologia *Antonino Pio* Imperatori pro Christianis oblata, Christianorum Synaxes describens, Catholico de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia dogmati suffragatur, cum illius Sacramenti conficiendi ritum exponit his verbis: *Ei qui Fratribus præest, affertur panis & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exsequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actionem absolvit, populus qui adest omnis fausta approbatione acclamat dicens:* Amen. *Amen autem voce Hebræa,* Fiat, *significat. Præsidens vero postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet, eum in quo gratiæ actæ sunt panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut Christus tradidit viventi. Non enim ut communem panem, neque communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit; ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam unde sanguis & caro nostra permutationem aluntur, Incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in Commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse:* Hoc facite in mei recordationem: Hoc est corpus meum. *Et poculo similiter accepto, & gratiis actis dixisse:* Hic est Sanguis meus: *ac solis ipsis ea tradidisse.* S. Justinus fidei nostræ dogma ac ritum Imperatoribus simpliciter exponens, Eucharistiam *Incarnati Jesu carnem & sanguinem esse* tradit, sicque intelligenda Christi verba: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Addit, esse *carnem & sanguinem Jesu, ad eumdem modum quo Verbum Dei caro factum est, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit.* Credebat igitur cum tota sui sæculi Ecclesia *S. Justinus*, Eucharistiam esse vere & realiter carnem Christi, quemadmodum Verbum Dei vere & realiter carnem & sanguinem suscepit. Si enim illam carnis & sanguinis Domini figuram dumtaxat, seu efficacem, seu inefficacem credidisset, inepta fuisset illa comparatio. Et cur *S. Justinus* plane & aperte non scripsisset, Eucharistiam esse figuram carnis Christi? An sensus Sacramentalis, Ethnicis Imperatoribus ignotus, ipsis occurrere poterat hæc *Justini* verba legentibus? An Eucharistiam esse carnem Christi significative & repræsentative dumtaxat divinare potuerant, nisi ipsos doceret illam institutam fuisse ut signum ac figuram?

Eucharistia non communis panis & potus, sed incarnati Jesu caro & sanguis.

II. At, inquit *Albertinus*, nihil erat apud Gentiles usitatius, quam statuas Deorum suorum ipsorum Deorum nominibus appellare. Cur ergo concipere non potuissent, Christianos panem ac vinum, corpus & sanguinem Christi sui appellantes, eamdem communissimam locutionem usurpasse? Verum præter omnem veri speciem est quod Ethnici eodem sensu Eucharistiam a Christianis carnem & sanguinem Christi appellari intellexerint, quo statuas Deos suos ipsi appellabant: nemo enim ipsos docuerat Eucharistiam esse institutam ad significandam carnem & sanguinem Christi: neque panem & vinum ut signa & imagines spectare poterant nisi præmoniti. Præterea communis illa de Numinum statuis locutio significabat aut supponebat apud Ethnicos, ipsa Numina realiter in hujusmodi statuis esse præsentia, quando publice ac solemniter consecratæ erant: Itaque si juxta communissimam illam locutionem *S. Justini* verba intellexissent, facile sibi persuasissent, Christianos credere Christum suum in Eucharistia realiter præsentem esse, ac ejus carnem & sanguinem in ipsa secundum substantiam contineri. Non potuisset ergo *S. Justinus* minus aptum seligere loquendi modum, si Eucharistiam figuram esse Corporis & Sanguinis Christi, eorum præsentiam realem excludentem credidisset, hancque fidem suam Imperatoribus voluisset exponere.

Inanis Albertini Responsio.

III. Objicit Albertinus, *Justinum* descripta consecratione, dicere, *Diaconos præsenti populo distribuere panem, & vinum, & aquam*, quod manifesto indicio est, illum censere panem, & vinum, & aquam licet consecrata in priori substantia nihilominus permanere. Quod & amplius confirmat quando addit, *Non ut communem panem aut communem potum hæc sumimus*. Nam sicuti quando *Nyssenus* ait de aqua Baptismatis, *Ne contemnas divinum lavacrum, neque ut commune ipsum parvifacias*. Et Cyrillus Hierosolym. * *Ne accedas ad lavacrum tamquam ad simplicem aquam*. Atque idem de oleo: *Non est amplius unguentum commune post invocationem:* Non negant aquam & oleum quoad substantiam manere, immo id supponunt tantummodo negantes in aquæ & olei vulgaris simplicitate perseverare. Ita & *Justinus* de pane, vino & aqua inquiens, *Non ut communem panem aut communem potum hæc sumimus*, nullo modo negat illa panem, vinum & aquam substantialiter esse: E contra ita rem se habere præsupponit, sed tantum negat illa amplius esse communia, utpote per gratiarum actionem consecrata, & ad usum sacrum relata.

Albertini Objectionibus ex S. Justino sumptis respondetur.

* Gregor. Nyss. de Christi Baptism. Cyrill. Catech. 3. Illumin. & Catech. 3. Mystag.

Respondeo, *S. Justinum* panem & vinum appellare quod externa specie panis & vinum est, quamvis interius sit ipsum Corpus & Sanguis Christi. Modo enim loquendi utitur hominibus solemni, qui populares locutiones usurpant, cum sermonem habent de rebus sensui subjectis, licet de illis longe aliter sentiant quam vulgus, ut in Thomistis, Copernicæis, Carthesianis videre est, qui cum aliter sentiant & in Scholis suis loquantur quam cæteri Philosophi, in communi tamen convictu & societate modum loquendi cum cæteris hominibus communem habent. Idipsum & in sanctis hominibus videre est, qui cum juxta Evangelium persuasum habeant perituras divitias mala potius esse quam bona, paupertatem vero bonum, & pauperes beatos; nihilominus loquuntur ut cæteri, & opes bona appellant, paupertatem malum, quia hic loquendi modus quem invexit cupiditas, communis est. Cui mori loquendi sese accommodare non est dedignatus Spiritus Sanctus, cum *Abraham* diviti illi epuloni ita loquentem inducit: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala*. Cum igitur quidam sit loquendi modus judicio sensuum, quidam judicio fidei accommodatus, non mirum quod *S. Justinus* & alii Patres, Eucharistiam panem & vinum appellarint, cum ejus designare materiam voluerunt, & externam, quæ sensibus percipitur, hujus Sacramenti partem exprimere; & eamdem nihilominus Corpus Christi vocarint, cum de Fide Eucharistiæ eos edocere volebant, quibuscum loquebantur, & quorum gratia scribebant. Ac sæpe utrumque illum loquendi modum adhibuere. Sicut igitur nemo dixerit *Paschasium* credidisse quod panis & vinum post consecrationem in priori substantia permaneant, quamvis de Eucharistia scripserit, *Mysterium hoc in pane celebratur ... In eadem substantia jure celebratur ... Caro vel corpus in pane:* Ita perperam colligit Albertinus, *S. Justinum* censuisse panem consecratum in priori substantia manere, quia post consecrationem Eucharistiam adhuc panem & vinum appellavit. Et quis nescit, quod scite observat *Lanfrancus* lib. *De Corpore & Sanguine Domini* cap. 6. solere homines, aliquas res illarum rerum, ex quibus efficiuntur, nominibus appellare, quamvis in aliam naturam translatæ, jam non possint esse illud, quod sunt res illæ, ex quibus probantur effectæ? Ita *S. Augustinus* crystallum vocat nivem multorum annorum duratam tempore; & Deus pri-

mo homini ait, *Terra es*. Sic *S. Augustinus* & alii Patres Eucharistiam interdum panem vocant, quia ex pane confecta est, ejusque nonnullas retinet qualitates, seu quia animam incomprehensibiliter pascendo satiat, eique æternæ vitæ substantiam subministrat. Licet autem hæc verba Sancti Justini, *Non ut communem panem, aut communem potum hæc sumimus*; non probent panis & vini substantiam non manere, si per se & seorsim spectentur; cum de aqua Baptismatis, & de oleo Confirmationis simile quid a Patribus dictum legatur; id tamen probant hæc verba prout ab adjunctis determinata, Quis enim Patrum umquam dixit aquam Baptismi, aut oleum Confirmationis *esse carnem & sanguinem incarnati Jesu, quemadmodum Verbum caro factum est, & carnem ac sanguinem pro salute nostra habuit?*

IV, Objicit Albertinus: *Justinus* affirmat hanc alimoniam, quam non tamquam panem aut potum communem post consecrationem sumimus, talem nihilominus esse, *ex qua per immutationem sanguis & carnes nostræ aluntur*; Atqui de corpore & sanguine Christi proprie sic appellatis, dici nullo modo potest, quod ex iis sanguis noster, carnesque nostræ alantur per immutationem, cum in substantiam carnis nostræ non convertantur. Panis ergo ille & potus post consecrationem, licet non amplius communes, non sunt proprie corpus & sanguis Domini, sed verus panis vinumque proprie sic dictum, appellatione corporis & sanguinis ratione similitudinis honorata,

Respondeo, hæc verba, *ex qua per immutationem sanguis & carnes nostræ aluntur*, referri ad speciem communem alimenti præcedentis, ex quo Eucharistia confecta est, quæ species cum maneat, & nutriendi vim servet, conversa licet panis substantia in corpus Christi, recte dicitur carnem nostram alere. Possunt & ad Eucharistiam, non ratione specierum, sed ratione Corporis & Sanguinis Christi sub illis contentorum referri, ut sanguinem & carnes nostras alere intelligantur, non per immutationem sui in substantiam sanguinis & carnium nostrarum, sed per corporum nostrorum immutationem ad gloriam & immortalitatem, cujus semen Eucharistia est. Adde, textum ipsum Græcum, sacræ illius escæ mutationem in carnem & sanguinem nostrum non innuere, sed nostri mutationem illius beneficio in homines alteros, quia præstat, ut interior homo Spiritu Christi vivat ac renovetur, exterior vero ille qui corrumpitur de die in diem, beatæ resurrectionis pignus habeat in carne & sanguine Domini, quæ sub panis & vini speciebus comedit & bibit, Quod divini illius cibi a communibus escis discrimen est, quæ in substantiam sanguinis & carnis nostræ mutentur, Christi vero Corpus & Sanguis nos immutent ad vitæ cœlestis novitatem ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν. Quæ sic ad verbum reddi possunt: *Ex quibus sanguis & carnes secundum mutationem aluntur nostri*,

---

ARTICULUS VII,

Dogma Catholicum ex S. IRENÆO probatur,

Eucharistia ex duabus rebus constat, terrena & cœlesti,

§. I*Renæus* lib. 4. adversus hæreses, cap, 34. ubi Valentinianorum errorem exposuit, qui Christum Creatoris mundi Filium esse negabant, sic eos refellit: „ Quomodo autem constabit eis eum panem „ in quo gratiæ actæ sint, Corpus esse Domini, & „ calicem Sanguinis ejus, si non ipsum Fabricatoris „ mundi Filium dicant, id est, Verbum ejus, per „ quod lignum fructificat, & defluunt fontes, & terra „ dat primum quidem fœnum, post deinde spicam, „ deinde plenum triticum in spica? Quomodo „ autem rursus dicunt carnem in corruptionem „ devenire, & non percipere vitam, quæ a corpore „ Domini & sanguine alitur? Ergo aut sententiam „ mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta „ sunt, Nostra autem consonans est sententia „ Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat „ sententiam nostram. Offerimus enim ei quæ sunt „ ejus congruenter communicationem & unitatem „ prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodum „ enim qui est a terra panis percipiens invocationem „ Dei, jam non communis panis est, sed „ Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, & „ cœlesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam „ jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis „ habentia. Et lib. 5. cap. 11. eodem argumento ab Eucharistiæ participatione petito resurrectionem corporum contra Hæreticos probat. „ Vani „ autem omni modo, *ait*, qui universam Dei dispositionem „ contemnunt, & carnis salutem negant, „ & regenerationem ejus spernunt, dicentes non eam „ capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem secundum „ hæc, nec Dominus suo sanguine redemit nos, „ neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis „ ejus est, neque panis quem frangimus, communicatio „ corporis ejus est. Sanguis enim non est nisi a „ venis & carnibus, & a reliqua quæ est secundum „ hominem substantia, qua vere factum Verbum „ Dei, sanguine suo redemit nos ... Et quoniam „ membra ejus sumus, & per creaturam nutrimur, „ eum calicem qui est creatura, suum sanguinem „ qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem; „ & eum panem qui est a creatura, suum corpus „ confirmavit, ex quo nostra auget corpora. Quando „ ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum „ Dei, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis „ Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ „ substantia; quomodo carnem negant capacem „ esse donationis Dei quæ est vita æterna, quæ Sanguine „ & Corpore Christi nutritur, & membrum „ est ejus? Quemadmodum & B. Apostolus ait: *Quoniam „ membra sumus corporis ejus, de carne ejus, „ & de ossibus ejus*: Non de spirituali aliquo & invisibili „ homine dicens hæc, sed de ea dispositione „ quæ est secundum verum hominem, quæ ex carnibus, „ & nervis, & ossibus consistit, quæ de calice „ qui est sanguis ejus, nutritur; & de pane qui est „ corpus ejus, augetur. Et quemadmodum lignum „ vitis depositum in terra suo fructificat tempore, & „ granum tritici decidens in terram & dissolutum, „ multiplex surgit per Spiritum Dei qui continet omnia „ quæ deinde per sapientiam in usum hominibus „ veniunt, & percipientia verbum Dei, Eucharistia „ fiunt, quod est Corpus & Sanguis Christi: „ sic & nostra corpora ex ea nutrita & reposita in „ terram, & resoluta in ea, resurgent in suo tempore, „ Verbo Dei resurrectionem eis donante, in „ gloriam Dei Patris. Panem consecratum esse *Christi Corpus* S. Irenæus docet, eamque propositionem: Panis in quo gratiæ actæ sunt, Corpus est Domini, æque veram esse ac proprie intelligendam innuit, ac illam, Christus est Creatoris Filius. Cum igitur vere & proprie sit Filius Creatoris, non figurate; panis in quo gratiæ actæ sunt, vere & proprie, non typice corpus ejus est. Præterea, Christum Creatoris Filium esse probat ex eo quod panis per consecrationem Christi corpus fiat; quod omnipotentiæ divinæ admirabilius opus est quam lignorum fructificatio, & scaturigo fontium, & tritici productio ac multiplicatio: realem itaque panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi mutationem, non solam novæ significationis impositionem, aut adjectionem virtutis *S. Irenæus* in Eucharistia confessus est. Nam propter novæ virtutis adjectionem Eucharistia Corpus Domini non diceretur; sicut nec aqua Baptismatis, nec oleum Confirmationis, propter adjectionem virtutis dicuntur Spiritus Sanctus, aut Christi Corpus. Tertio, *Eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena & cœlesti* docet *S. Irenæus*, id est, ex symbolis, & Christi corpore, ac sanguine, veris, non typicis. Voces enim illas, *Res terrena & cœlestis*, quarum generalis & indeterminata significatio est, ad ea referri planum est, de quibus paulo ante locutus est, scilicet ad panem & ad Corpus Domini, ut ille quidem nomine *rei terrenæ*, illud vero nomine *rei cœlestis* designetur. Absurda enim est *Petri Martyris* responsio; per rem cœlestem intelligi Corpus Christi tamquam rem significatam, licet absens sit, Ut enim optime reponit *Bellarminus*, nihil dicitur constare ex eo quod in ipso non est. Absurde itaque diceret *Irenæus*, Eucharistiam constare pane & corpore Christi absente.

Resurrectionem corporum ex Eucharistia participatione probat S. Irenæus.

Albertini Responsio refellitur.

Reponit *Albertinus*, Cardinalem audacius suppone-

re

re quam verius, nihil posse dici constare ex iis rebus quæ non simul præsentes sint. Nonne enim *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Pædagogi c. 6. ait: *Ecclesia, sicut & homo, est ex multis membris constans:* Et *Chrysostomus* Homilia 32. in 1. ad Corinthios: *Ecclesia quæ apud vos est, pars est Ecclesiæ quæ abique est, & corporis quod consistit per omnes Ecclesias?* Quis tamen dixerit omnia hæc membra debere simul esse ad constitutionem Ecclesiæ realem efficiendam?

At infœliciter in ipsis Dialecticæ elementis arravit *Albertinus*, totum collectivum, quale est exercitus, populus, Ecclesia, a toto connotativo, quale est signum, Sacramentum, imago, non distinguens. Totum quidem collectivum ex iis rebus constare potest, quæ non simul præsentes sint, quia nullam realem unitatem habet; sed plurium collectio rerum est eodem nomine directe significatarum. Totum vero secundi generis, cum res una sit ad aliud relata, ex duabus rebus constare nusquam dici potest, quarum una sit præsens, absens altera, ad quam scilicet refertur. Quis exempli gratia dixerit, imaginem *Alexandri* ex duabus rebus constare, scilicet ex tela & coloribus, & ex *Alexandro* absente? Olivam constare ex arbore & pace? Patrem ex seipso & Filio? Ne Ministri quidem ipsi Eucharistiam ex pane & populo constare asserent, licet panis figura sit populi, secundum SS. Patres. Cum itaque Eucharistia non sit totum collectivum, sed Connotativum, siquidem Sacramentum est, nullis aliis constare partibus dici potest, quam iis quas actu includit. Asserere itaque *S. Irenæum*, cum dicit, Eucharistiam ex duabus rebus constare, terrena & cœlesti, significare voluisse ipsam ex pane & corpore Christi absente esse compositam, est absurdum æque sensum illi affingere, ac loquendi modum æque ineptum, ac ejus esset sensus & locutio, qui marmoream *Herculis* statuam ex marmore & *Hercule* compositam, vel agnum Paschalem ex victima & transitu constare diceret.

Nec fœlicior est *Albertini* Responsio altera dicentis, *S. Irenæum* Eucharistiam stricte sumere pro symbolo Sacramentali, ac per rem terrenam & cælestem, ex quibus illam constare asserit, intelligere substantiam panis, & virtutem spiritalem quam per consecrationem accipit. Illa namque virtus a Christi Corpore separata, quæ Eucharistiæ conveniat, merum figmentum est. Efficaciam siquidem illius omnem Patres in præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi refundunt, & ipse imprimis *S. Irenæus*. Nec vero virtus illa separata sufficeret, ut Eucharistia ex ea terrena & cœlesti constare diceretur: cum aqua Baptismi & Chrisma quæ per consecrationem virtutem spiritualem ad sanctificationem accipiunt, non propterea dicantur a Patribus ex aqua vel oleo & virtute spirituali, multo minus ex re terrena & cælesti constare.

III. Quarto *S. Irenæus* Christum confessum esse & confirmasse ait, id est, omni asseveratione affirmasse, qua dubitationem omnem excluderet, panem esse *proprium suum Corpus*, & calicem *proprium suum sanguinem qui effusus est*. Ita Græcus S. Irenæi textus habet, *τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον αἷμα ἴδιον ὡμολόγησε, καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο.* At proprium Christi Corpus, & proprius Sanguis qui effusus est, non est Corpus Christi typicum, nec sanguis typicus: Nemo enim sanæ mentis dixerit, imaginem Regis esse proprium Regis corpus. Præterea, hæc verba, *Eum panem qui est a creatura, proprium suum corpus esse confirmavit*, rem creditu difficilem exprimunt, cui ut fides concilietur, opus est Christi Domini authoritas. At non est creditu difficile panem esse typum Corporis Christi. Nec vero id semel ait *S. Irenæus*, sed frequenter inculcat: Scribit enim lib. 4. cap. 32. *Sed & suis Discipulis dans consilium Christus primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit dicens:* Hoc est Corpus meum. *Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, & qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum*

Eucharistia Nova oblatio Novi Testamenti.

in Novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit: Sacrificium non accipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo & sacrificium purum. Eucharistia Corpus & Sanguis Christi est, ac propterea oblatio nova Testamenti Novi: at si esset dumtaxat Corpus Christi typicum, & sanguis typicus, non esset oblatio nova: siquidem multæ panis oblationes erant in Veteri Testamento, Corpus Christi præfigurantes.

IV. Respondet *Albertinus*, sæpe vocem Græcam *ἴδιος proprius*, terminis metaphoricis apud Patres adjunctam legi. Sic Clementem Alexandrinum Ecclesiam appellare *Propriam Christi sponsam* (lib. 3. Stromatum); Gregorium Nyssenum eamdem vocare *Proprium Christi corpus* (Oratione in illud, *Tunc ipse Filius subjicietur*); Eumdem asserere, Deum *corpus nostrum formasse propria manu* (Oratione 2. in verba, *Faciamus hominem*.) Nec tamen inde recte colligi Ecclesiam esse realiter Christi Corpus, aut Dei manus non esse metaphorice intelligendas: ideoque haud meliori jure colligi, *Irenæum* sensisse panem & vinum consecratum esse vere & realiter Christi Corpus & sanguinem, quod ipsa, *αἷμα ἴδιον, σῶμα ἴδιον* proprium Corpus & Sanguinem Christi appellarit.

Albertini Responsio sophistica.

Addit alibi *Albertinus* * alia exempla quibus probet adverbium illud, *proprie*, interdum etiam usurpari de iis quæ figurate tantum & per convenientiam quamdam illud sunt quod esse dicuntur. Sic Origenes ait: *Fons vitæ proprie dicitur Deus Pater*. Sic Gregorius Nyssenus: *Qui in Ecclesia corpore Prophetarum locum tenent, oculi proprie cognominantur*. Sic Augustinus: *Boni sunt proprie Corpus Christi*. Et Cyrillus Alexandrinus de Christo: *Lux proprie est*. Et Hesychius: *Sanguis Pœnitentiæ proprie Baptismus est*. Et rursum: *Agrum Scripturam esse nemo dubitavit, cujus vitis proprie Christus* Et Gregorius Nyssenus de pauperibus loquens, ait: *Propriam eis personam misericors Dominus largitus est*. Sic & Origenes * sermonem Dei vocat *proprium Domini corpus*. Ex quibus omnibus, *Albertinus* colligit voces illas, *proprium Christi Corpus, proprius Christi sanguis*, quibus Patres interdum utuntur cum de Eucharistia disserunt, non designare præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi naturalis, sed corporis tantum typici, nimirum panis & vini.

Pag. 743.

Homil. 35 in Matth.

V. Verum hæc *Albertini* responsio merum sophisma est. Propositiones quippe figurativas, in quibus attributum pro aliqua rei figuratæ qualitate seu dote usurpatur, cum propositionibus metaphoricis, in quibus verbum, *est*, accipitur pro, *significat*, imperite confundit. In propositionibus quidem primi generis, adjectivum, *Proprius*, terminis metaphoricis jungi potest, ut qualitatem seu dotem quæ attributo exprimitur, subjecto propria convenire significemus. Sic Ecclesia propria Christi sponsa vocatur, quia conjunctio & amor qui hoc nomine significatur proprie convenit Christo respectu Ecclesiæ. Sic Deus corpora nostra propria manu formasse dicitur, quia omnipotentia sua ipsa propria formavit. Sic Christus dicitur lux proprie, quia illuminatio animarum quæ hoc significatur vocabulo; cum de Christo dicitur, dos ipsius propria est. Ad istud quidem propositionum genus non revocatur illa *Gregorii Nysseni* Propositio de pauperibus, *Propriam eis personam misericorditer Dominus largitus est*: Sed significat Christum pauperes loco sui substituisse, ut eis misericordiæ opera impendamus, quæ ipsimet impenderemus, & fundamentum habet in Christi verbis: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit*. Unde nemini non est perspecta vis propositionis istius, quam aliunde & *Nyssenus* ipse, *Gregorius*, & alii Patres satis explicant. Propositio *Origenis*, qua sermonem Dei vocat *Proprium Domini Corpus*, extraordinaria est, & ab ipso forte uno usurpata: nec mirum quod ita locutus sit vir allegoriarum studiosissimus, ut innueret verbum divinum ut ab hominibus exterius audiri posset, Scripturarum vocibus usum esse, per quas Dei Verbum, ut anima

Responsionis Albertini vanitas ostenditur.

per corpus innotescit. At in propositionibus metaphoricis, in quibus verbum, *est*, pro *significat* usurpatur, qualem esse volunt Calviniani, propositionem illam Christi, *Hoc est Corpus meum; Hic est sanguis meus;* nusquam ostendent Ministri, adjectivum nomen, *proprius*, aut pronomen, *ipse*, terminis metaphoricis adjuncta fuisse a Patribus. Quis enim umquam dixit Petram deserti, Sacrificium Melchisedech, Agnum Paschalem, esse proprium Christi Corpus, aut ipsum Christi Corpus? Quis Christi aut Sanctorum imagines Christum aut Sanctos ipsos esse dixit? Quis baptismum, etsi virtutem Sanguinis Christi contineat, dixit esse proprium Christi Sanguinem qui pro nobis effusus est, quemadmodum de Eucharistia id asseruit *S. Irenæus*?

VI. Quinto *S. Irenæus* lib. 4. cap. 57. Christum confirmasse ait, panem esse suum corpus, sicut se hominem esse confirmavit? unde illas æque a Christo propositas significat ut fidei dogmata. An vero Christus figurate dumtaxat homo est? Sane si *S. Irenæus* existimasset panem Eucharisticum esse dumtaxat Corpus Christi typice, Marcionitis, contra quos agebat, occasionem dedisset respondendi, Christum se hominem esse confessum in figura, quomodo panem confessus erat corpus suum esse. *Quomodo*, inquit Irenæus, *juste Dominus, si alterius Patris existit, hujus conditionis quæ est secundum nos accipiens panem, corpus suum confitebatur, & temperamentum calicis sui sanguinem confirmavit? Et quare se filium hominis confitebatur, si non eam quæ ex homine est, generationem sustinuisset?*

VII. Sexto *S. Irenæus* resurrectionem corporum probat contra Valentinianos, & carnem nostram participem futuram æternæ vitæ, quia Corpore & Sanguine Christi alitur. Inepta vero esset hujusmodi ratio, si figuram dumtaxat Corporis Christi in Eucharistia reciperemus? Qualis enim, amabo, figuræ hujusmodi cum resurrectione connexio est? Cur pariter Judæos resurrecturos non probasset, ex eo quod manna comederint? Cur corpora nostra resurrectura non collegisset, ex eo quod liniantur Chrismate, quod est figura Spiritus Sancti? Denique ait corpora nostra Corpore & Sanguine Christi nutrita, et post mortem sepulturæ mandata; resurrectura suo tempore, quo modo panis & vinum fiunt Corpus & Sanguis Christi. Sicut ergo in figura corpora nostra non resurgent, sed vere, realiter, & in propria substantia, ita panis & vinum Corpus & Sanguis Christi in figura non fiunt, sed vere, realiter, & substantialiter.

Albertini Objectioni ex S. Irenæo petitæ respondetur.

VIII. Objicit *Albertinus* Irenæum asserere, *Carnem nostram Corpore & Sanguine Christi nutriri, ex iis augeri & consistere carnis nostræ substantiam, ex Sanguine Christi nostrum augeri sanguinem*, &c. Ex quibus ita colligit: Nutritio carnis nostræ non fit nisi per cibi in illam conversionem. At proprium Domini Corpus, propriusque Sanguis in carnem non convertantur; corruptibilia enim forent. De proprio igitur Domini Corpore & Sanguine non loquitur *Irenæus*, sed de typico & Sacramentali, ac proinde corpus typicum & Sacramentale non est proprium corpus. Secundo, loquitur de ejusmodi corpore & sanguine, ex quibus acceptis consistit & augetur carnis nostræ substantia. Non autem ex proprio Corpore & Sanguine Domini consistit & augetur carnis nostræ substantia, sed ex rebus quæ per conversionem suam, ejus consistentiam stabiliunt, sustentant, & adaugent. Non ergo loquitur de proprio Corpore & Sanguine Domini, sed de signis Corporis & Sanguinis ejus, hoc est de vero pane & vero vino, figurate corpus sanguisque illius appellatis.

Respondeo 1. *S. Irenæum*, aliosque Ecclesiasticos Tractatores, Corpori & Sanguini Christi tribuere, quod corpus nostrum augeant ac nutriant, non ratione sui, sed ratione specierum: quia enim in locum substantiæ panis & vini succedunt, iisdem accidentibus obvelata, nullaque sensibili facta mutatione, homines de pane & vino ac de Corpore & Sanguine Christi, quasi de uno subjecto confuse intellecto loquuntur, & sacro Corpori ac Sanguini ea interdum tribuunt, quæ pani & vino conveniebant: unde Corpus & Sanguinem Domini corpora nostra nutrire & augere ajunt, quia panis & vinum, ex quibus sunt confecta, illa nutriunt & augent: & intima conjunctio Corporis & Sanguinis Domini cum qualitatibus panis & vini vim nutriendi habentibus, huic loquendi modo occasionem dedit, non scholastico quidem, sed populari. Sic locuti sunt Authores ipsi, quos realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, & transsubstantiationem credidisse ac propugnasse, Calviniani non diffitentur. Ita *Honorius Augustodunensis* in Tractatu qui inscribitur, *Gemma animæ*, ait: *Sacramentum quod ore percipitur, in alimentum corporis redigitur.* Sic *Joannes Rusbrochius*, in libro quem inscripsit, *Speculum salutis æternæ*, scribit: *Apostoli in Cœna cum Christo omnes venerabile hoc perceperunt Sacramentum, tamquam esuum corpus nutricantem; & in ipso Sacramento singuli Corpus Dominicum ut æternum cibum suum per fidem, amorem, & desiderium acceperunt.*

Respondeo secundo, *S. Irenæum*, cum asserit corpora nostra Corpore & Sanguine Christi nutriri & augeri, non de nutritione & augmento transitoriis, quæ ex vulgaribus cibis fiunt, sed de nutritione & augmento permanente esse intelligendum: quibus scilicet Justorum corpora ex conjunctione reali cum Christi Corpore in Eucharistia manducato, incorruptionis & gloriosæ immortalitatis semina recipiant. Id illustrat doctissimus Cardinalis *Perronius* exemplo auri, quod licet inconsumptibilis materia sit, ægrorum tamen infusum jusculis nutrire dicitur, non quod in eorum substantiam converti existimetur; sed in illorum corporibus qualitatem quamdam imprimere idoneam ad reparandam ac roborandam virtutem vitalem, corruptionique resistendam: Ita caro Christi corpora nostra nutrire dicitur, non quod in eorum convertatur substantiam ut cibi communes, sed quod contactu suo occultam vitæ impressionem in nobis efficiat, cujus ratione nos vivificare, & ad vitam æternam nutrire dicitur. Loquitur etiam *S. Irenæus* de augmento quod corpora nostra post dissolutionem e terra resurgentia percipient. Illud enim opponit augmento & multiplicationi, quæ grano tritici & ligno vitis, postquam in terra deposita fuerunt, tandem contingit, quando scilicet germinant, & fructificant. Ideoque hujus augmenti tempus ad sæculum resurrectionis & incorruptionis refert. De quo augmento lib. 4. cap. 24. ait; *Deus apto tempore incorruptibilitatem præstat ad perfectionem hominis*, Et cap. 75. *Non expectans tempus augmenti & suæ naturæ infirmitatem adscribunt Deo.* Et *Tertullianus* in lib. de Resurrectione Carnis: *Additum erit quod corpori superstruitur, nec exterminatur illud cui superstruitur, sed augetur. Salvum autem est quod augetur.* Et rursum: *Hoc sunt ei corpus a Deo aliud, in quod non abolitione, sed ampliatione mutatur*, &c.

ARTICULUS VIII.

Dogma Catholicum ex S. CYPRIANO probatur.

I. Martyr Sanctissimus *Cyprianus* Eucharistiam non semel Corpus & Sanguinem Domini appellat, eosque ipsi tribuit effectus, qui propter ipsos non essent, si figura tantum esset ad Christi memoriam, & ad nostram in eum fidem augendam nos excitans: Siquidem a rebus aliis bene multis idem in animis nostris effici posset, quæ Christi figuræ sunt & imagines. *S. Cyprianum* audiamus Epistola 54. suo & Synodi Africanæ nomine ad *Cornelium* scribentem de pace Lapsis danda. *Merito*, inquit, *trahebatur pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lachrymas, & subvenire sero morientibus in infirmitate patiebatur. At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus; sed protectione Corporis, & Sanguinis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento*

Christiani Athletæ protectione Corporis & Sanguinis Christi contra adversarium muniuntur.

mento

mento Dominica saturitatis armemus. Nam quo modo docemus, aut provocamus eos in Confessione nominis Sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? Aut quo modo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini Jure communicationis admittimus? Certe Sanguis Domini in Martyrio ipsa fide bibebatur; quid igitur protectione Sanguinis & Corporis Christi muniri Christianos Athletas, ut ad prælium pro fide sustinendum excitentur, *S. Cyprianus* ait? Quas figura Sanguinis & Corporis Christi ipsis vires conferret ad Sanguinem pro Christo fundendum? Et Epistula 62. ad *Cæcilium*, de Sacramento Dominici Calicis. „ Sic, *inquit*, Calix Domini inebriat, ut Noe in Genesi vinum bibens inebriatus est. Sed quia ebrietas Dominici Calicis & Sanguinis non est talis, qualis ebrietas vini sæcularis, cum diceret Spiritus Sanctus in Psalmo, *Calix tuus inebrians:* addidit, *quam peroptimus!* quod scilicet Calix Dominicus sic bibentes inebriet, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem sapientiam redigat, ut a sapore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat, & quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur: ita epoto Sanguine Domini & poculo salutari exponatur memoria veteris hominis, & fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, & moestum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur, quod tunc demum potest lætificare in Ecclesiæ Domini bibentem, si quod bibitur, Dominicam teneat veritatem.

Dominici Calsois & Sanguinis effectus in iis qui digne Eucharistiam sumunt.

Respondetur Objectionibus Albertini ex S. Cypriano depromptis.

II. Objicit *Albertinus S. Cyprianum* in sua illa ad *Cæcilium* Epistola scribere: *Cum dicat Christus; Ego sum vitis vera, Sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum;* ex quo infert Calvinista, Calicem illum qui in commemorationem Christi offertur, & Sanguis ejus appellatur, vinum esse.

Respondeo, Sensum *Sancti Cyriani*, ex se facilem & clarum, Ministrum assecutum non fuisse: sensus enim est: Christus non de aqua, sed de vino dixit Sanguinem suum esse: vinum itaque in calice offerendum & consecrandum est, non aqua sola.

Instat *Albertinnne Cyprianum* dicere quod *Vino Christi Sanguis ostenditur.* Ex quo infert, non esse ipsummet Domini Sanguinem.

Respondeo, Nihil aliud velle *S. Cyprianum*, nisi relationem quæ inter materiam Eucharistiæ & veritatem Sacramento significatam esse debet, non esse inter aquam & Sanguinem Christi, sed vinum inter & Sanguinem. Et vino, id est, speciebus, quæ nomen illud retinent, ut & qualitates omnes, ostendi Sanguinem Christi, non absentem, sed præsentem.

Instat rursum Albertinus, *S. Cyprianum* docere quod *Christus obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Quomodo autem vere diceret Dominum obtulisse hoc idem quod *Melchisedech*, si non verum panem, verumque vinum obtulit, quale fuerunt quæ *Melchisedech*, olim obtulit; Identitas enim specifica oblationum ad rerum oblatarum substantiam evidentissime refertur.

Respondeo, Christum idem obtulisse quod *Melchisedech*, si materia Sacrificii, scilicet panis & vinum & species utriusque etiam post consecrationem manentes spectentur; sed panem & vinum ad alium usum adhibuisse, quia illa Corpus & Sanguinem suum fecit, quorum Sacrificium ab oblatione *Melchisedechi* differt, ceu veritas a figura; ut ait *S. Hieronymus*, in cap. 26. Matthæi: *Ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech Summi Dei Sacerdos, panem & vinum offerens fecerat ipse quoque veritatem sui Corporis & Sanguinis repræsentaret*, id est, præsentem exhiberet.

Instat iterum Albertinus, *S. Cyprianum* in eadem Epistola scribere. *In aqua populum intelligi, in vino ostendi Sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Sic autem in sanctificando Calice Domini offerri sola aqua non potest. quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spiritale & cæleste efficitur.* Ubi cum de populo & de Christo pariter loquatur, ac dicat in aqua Dominici Calicis populum intelligi, in vino autem Sanguinem Christi ostendi, evidentissime innuit se non magis intelligere Sanguinem proprium Christi esse in Calice Eucharistico, quam populus in eodem sit, sed utrumque ibi tantum repræsentative contineri.

Respondeo *S. Cyprianum* pariter loqui de populo, & de Sanguine Christi quantum ad esse significatum per aquam & vinum Dominici calicis; sed non quantum ad esse contentum in Calice Dominico; ait enim bibi Sanguinem Domini, non ait bibi populum, ait Sanguine Domini epoto animam relaxari, & pectus quod peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvi, de populo id non dicit. Quod igitur Corpori & Sanguini Christi cum populo commune est, ut per Eucharistiæ materiam significentur, explicat *S. Cyprianus* verbis in objectione prolatis: quod autem ipsis peculiare est, nec populo convenit, ut in Eucharistia realiter & secundum substantiam contineantur, ibi non exponit; sed discrimen istud superiora verba satis significant, illudque luculentius exprimunt, quæ in Tractatu *De Lapsis*, habet. *A diabolі aris revertentes*, inquit, *ad Sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos Idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini Corpus invadunt. Apostolus testatur & dicit:* Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum... Quicumque ederit panem, aut biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. *Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur Corpori ejus & Sanguini: & plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.* Non ait *S. Cyprianus*, lapsos exhalantibus adhuc scelus suum faucibus populum invadere, aut vim inferre populo, aut in populum manibus & ore delinquere, cum ad Eucharistiam ante exomologesim factam criminis accedunt, sicut ait ipsos Domini Corpus invadere, vim inferre Corpori ejus & Sanguini, plus in Dominum manibus atque ore delinquere, quam cum Dominum negaverunt: Censet igitur Corpus & Sanguinem Domini realiter in Eucharistia contineri, non repræsentative tantum, sicut populum. Et infra: *Jacens*, inquit, *stantibus, & integris vulneratus minatur: & quod non statim Domini Corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Sanguinem Domini bibat, Sacerdotibus sacrilegis irascitur.* An populum inquinatis manibus accipi, & ore polluto bibi, conqueritur pariter *Sanctus Cyprianus*.

Indigne communicantes vim inferunt Corpori & sanguini Domini.

III. Catholicam de reali Corporie & Sanguinit Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ doctrinam egregie confirmant miracula, quæ ibidem narrat Martyr Sanctissimus his verbis: „ Præsente ac teste me ipso, accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes, dum trepidi minus sibi consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad Magistratus. Illi ei apud Idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum Sanctis, precis nostræ & orationis impatiens nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, & velut tortore cogente quibus poterat indiciis conscientiam facti, in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solemnibus adimpletis, Calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cœteris, locus ejus advenit; faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, ca-

Deum sentiant ultorem, qui Eucharistiam indigne sumunt.

licem

„ licem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus; In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus erupit: tanta est potestas Domini, tanta Majestas. Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt. Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. At vero ea quæ ætate provecta, & in annis adultioribus constituta, sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia in fauces & pectus Sanguinem admittens, angi & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens, concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen; Quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. Et cum quædam arcam suam, in qua Sanctum Domini fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius quia ipse maculatus, Sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit: cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, Dominum recedere cum negatur; nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando Gratia Salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutetur. An alia signa sacra Sanguinem Domini, Sanctum Domini, Gratiam salutarem, Dominum ipsum *S. Cyprianus* appellat? An præsentem in iis Domini Majestatem indicat? Censet igitur Eucharistiam ab aliis signis sacris differre, quod Christum ipsum contineat, de quo Angelus ad B. Virginem ait: *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*; & de quo scribit Apostolus: *Ut Gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*.

Albertini objectioni ex S. Cypriano petitæ respondetur.

IV. Objicit *Albertinus* hæc *S. Cypriani* verba ex „ laudata Epistola ad Cæcilium. Sic vero Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum. Quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus ut quemadmodum grana multa in unum collecta, & commolita, & commixta, panem unum faciunt, sic & in Christo qui est panis cœlestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus, & adunatus. Ubi) inquit Minister) cum de pane Sacramentum & Corpus Christi facto loquatur, tamquam de re quæ constet farina & aqua adunatis & copulatis quæque consistentia sua ex multis granis in unum collectis, commolitis, & commixtis constituta, & unum quid effecta, significet mysticum Christi Corpus ex pluribus Fidelibus compositum & adunatum; luce clarius ostendit se intelligere illum esse verum ac substantialem panem, calicem pariter vinum esse proprie dictum de botris atque acinis plurimis expressum, ac proinde Corpus & Sanguinem Christi dici, non quod illa proprie sint, sed quia mysterium corporis sanguinisque ejus contineant.

Respondeo, *S. Cyprianum* his verbis Eucharistiæ materiam designare, scilicet panem & vinum, & relationem quæ inter ipsa & Corpus ac Sanguinem Domini, nec non populum Christianum intercedit, velut inter signa & res significatas. Sed non sequitur manere in Eucharistia substantiam panis & vini post consecrationem: Satis enim est ut maneant species panis & vini sensusque afficiant, ut mens analogiam utriusque ad Corpus & Sanguinem Christi cum naturale, tum mysticum cognoscat. Signum enim est quod per speciem quam ingerit sensibus rerum significatarum notitiam excitat. Unde sicut columba, cujus in specie super Christum descendit Spiritus Sanctus, recte ejusdem Spiritus proprietates exprimebat, etsi vera columba non esset, sed mera columbæ species; ut Patres docent: ita panem & vinum Corpus & Sanguinem Christi populique Christiani unitatem significant, etsi eorum substantia in Corpus & Sanguinem Christi conversa sit per verba consecrationis, quia eorum speciebus post consecrationem manentibus & sensus nostros moventibus, mens ad Corporis & Sanguinis Christi sub eis latentium virtutem & effectum, populique Christiani unitatem, quam operantur, intelligendam excitatur.

V. Quod autem Eucharistia non solum sit Mysterium Corporis & Sanguinis Christi, sed ejus Corpus & Sanguinem contineat, diserte docet *S. Cyprianus* lib. *De oratione Dominica*, ubi petitionem illam, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, sic explicat: *Panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est; sed noster est: Et quomodo dicimus*, Pater noster, *quia intelligentium & credentium Pater est: sic & Panem nostrum vocamus; quia Christus, noster, (qui Corpus ejus contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi Corpore separemur: ipso prædicante & monente:* „ Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. *Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus pane; ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt: ita contra timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi Corpore, procul remaneat a salute; comminante ipso & dicente:* „ Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis Sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. *Et ideo panem nostrum, id est, Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, a sanctificatione ejus & corpore non recedamus.* Corpus Christi contingit cibum salutis, & panem vitæ, qui Christus est, accipit, qui Eucharistiam accipit; a Corpore Christi separatur, qui ab Eucharistia separatur. Itaque Eucharistia vere & realiter Corpus Christi continet. Si enim figurate dumtaxat contineret Christi Corpus, non ideo separarentur, a Christi Corpore, qui ab Eucharistia removentur, quia aliis figuris Christi fides ac memoria in ipsis excitari posset, ac abunde resarciri, quod in Eucharistia amisissent.

Qui ab Eucharistia prohibetur, separatur a Christi Corpore, & procul remanet a salute.

ARTICULUS IX.

Dogma Catholicorum ex CONCILIO NICÆNO, & S. ATHANASIO probatur.

I. Nicæna Synodus Canone 18. Eucharistiam *corpus Christi* appellat, *Gelasius Cyzicenus*, in lib. de Actis Concilii Nicæni, cujus *Photius* in Bibliotheca, Cod. 88. meminit, Diatyposim de Eucharistia ex eodem Concilio refert, quæ Ecclesiæ doctrinam de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia mirum in modum confirmat. Sic autem habet illa Diatyposis, Lib. II. cap. 30. *In divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attollentes mentem fide, intelligamus situm in sacra illa Mensa, Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum: & pretiosum ipsius corpus & sanguinem vere sumentes, credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, ut sciamus quod non ad satietatem, sed ad sanctimoniam sumimus.* Agnus Dei qui tollit peccata mundi, est ipse Christus: hic autem situs est in sacra Mensa ut incruente a Sacerdotibus immolatus: Christus itaque realiter in Eucharistia præsens est. Ad sacrificium namque necessaria est præsentia realis victimæ. Præterea si Agnum Dei esse dumtaxat in Sacra Mensa repræsentative & in imagine, seu Niceni Patres, seu *Gelasius Cyzicenus* intellexissent, non ad Agnum situm in divina Mensa, sed in cœlo sedentem nos intendere jussissent. Tertio Agnum Dei situm in sacra Mensa, distinguit *Gelasius* a pane & poculo: sed panis & poculum sunt Corpus Christi ty-

Christus in sacra mensa incruente immolatus, fide intelligitur.

typicum ? igitur Agnus ille Dei in sacra Mensa existens non est Corpus Christi typicum, & sanguis typicus, sed Christus ipse vere & realiter præsens. Quarto, fide intelligimus Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, esse in sacra Mensa incruente a Sacerdotibus immolatum. Quæ verba præsentiam realem illius Agni, quem *S. Joannes* demonstravit, dicens; *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi*, dogma esse fidei significant: sicut illa *S. Pauli*, quibus simillima sunt, *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, Deum non metaphorice, sed vere mundi Creatorem esse docent, idque ut dogma fidei proponi. Quinto, pretiosum Corpus & Sanguinem Christi nos *vere sumere* Gelasius ex Nicænis Patribus docet. Vox autem illa, *vere*, sensum figuratum aperte excludit. Adhibetur siquidem ad præveniendum removendumque dubium, quod circa hocce mysterium excitari potest. Quis vero dubitavit uspiam quin panis & vinum corporis & sanguinis Christi figuræ esse possint? Denique credendum esse docet *Gelasius*, pretiosum Corpus & sanguinem Christi, quæ in divina mensa sumimus, esse *nostræ Resurrectionis symbola*. At Corpus Christi non est symbolum Resurrectionis nostræ ut in cœlo existens; ergo ut existens in Eucharistia. Nec etiam sumitur ore corporis, prout in cœlo est; nec Græca vox λαμβάνειν quam ad eam sumptionem significandam *Gelasius* adhibet, objectis mentis accommodatur.

II. Catholico dogmati de præsentia reali corporis & sanguinis Christi in Eucharistia suffragatur etiam *S. Athanasius*, Alexandri unius e Nicænis Patribus in Sede Alexandrina Successor, in majori Oratione *De fide* cujus hæc verba profert *Theodoretus* in Dialogo II. *Corpus est cui dicit: Sede a dextris meis. Per quod corpus Pontifex & Apostolus fuit & dictus est, dicens per illud, quod nobis tradidit mysterium, Hoc est corpus meum, quod pro vobis, & sanguis Novi Testamenti, non Veteris, pro vobis effusus. Divinitas autem neque corpus, neque sanguinem habet, sed ille quem ex Maria gestabat homo*. S. Athanasius Christum verum corpus nostris in natura simile habuisse probat contra Apollinaristas, qui Christi corpus divinitati consubstantiale effutiebant. Id autem duobus mediis exequitur: Primum est, quod ipsi dictum sit a Patre; *Sede a dextris meis*: Sedere autem a dextris, non divinitati convenit, sed corpori. Secundum est, quod Christus Pontifex factus & dictus est per illud mysterium quod tradidit nobis, in quo ait, *Hoc est Corpus meum*, &c. At nisi verum Christi Corpus in eo Mysterio, id est, in Eucharistia contineri credidisset *S. Athanasius*, nihil contra Apollinaristas confecisset, qui Salvatorem nostrum figuram externam & speciem humani corporis habuisse non negabant, sed substantiam dumtaxat. Præterea *S. Athanasius* docet, idem corpus nobis a Christo traditum in Eucharistia, quod ex *Maria* gestabat, & per quod Pontifex & Apostolus factus & dictus est. Illud porro non est corpus typicum, sed verum, reale, naturale: non itaque corpus typicum nobis in Eucharistia Dominus tradidit, secundum *S. Athanasii* doctrinam, sed verum, reale, & naturale corpus suum.

ARTICULUS X.

Catholicæ Veritati de Præsentia Reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia favet EUSEBIUS CÆSARIENSIS.

I. EUsebius *Cæsariensis* etsi in controversia de consubstantialitate Patris & Filii a *S. Athanasio* dissideret, in fide tamen Eucharistiæ cum eo plane convenit, ut ex nonnullis ejus testimoniis perspicuum est. Primum legitur lib. 1. *Demonstrationis Evangelicæ*, cap. 10. *Quando igitur*, inquit, *secundum testimonia Prophetarum, inventum est magnum, magnique æstimandum pro redimendis & Judæis pariter, & Græcis pretium, illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro anima cunctorum hominum Sacrificium, illa pro omni macula & peccato purissima hostia, ille utique Agnus Dei, illa Deo accepta & mundissima ovis*, &c. *Merito sane, illius memoriam, corporisque ejusdem & sanguinis recordationem quotidie celebrantes, & ad longe præstantius Sacrificium, & munus assumpti quam illud antiquius fuerit, non amplius fas esse putamus in prima illa & infirma elementa recidere, signa quædam & imagines, non ipsam veritatem continentia*. Eucharistiam Sacrificium esse docet *Eusebius*, veteris legis Sacrificiis præstantius, quia illa mera symbola erant & imagines Christi, veritatem ipsam, id est Christum, quem significabant, non continentia; *σύμβολα καὶ εἰκόνας οὐκ αὐτὴν ἀλήθειαν περιέχοντα*. Censet igitur *Eusebius*, Eucharistiam non solum Christum & Corpus ejus ac Sanguinem significare, sed realiter continere.

Eucharistia Sacrificium veteris Legis Sacrificiis longe præstantius.

II. Respondet *Albertinus*, continere non semper physice sumi pro continere includendo ad modum vasorum, arcarum, pixidum, & aliorum hujusmodi; sed plerumque civiliter, pro continere declarando, & significando, prout scripta, contractus, signa & Sacramenta continere dici solent. Sic enim Origenes ait; * *Signa & prodigia dici quæ utrumque contineant, scilicet aliquid mirabile & simul aliquid futurum*. Et Cyprianus, de nostra cum Christo unione per mixtionem vini & aquæ in Eucharistico poculo significata, * *Quod scilicet*, inquit, *perspicimus in Sacramento Dominici calicis contineri*. Et Gaudentius Tractatu 2. in Exodum: *Omne corpus divinæ Scripturæ, tam Veteris, quam Novi Testamenti, Filium Dei continet*. Hoc autem sensu *continere* ab *Eusebio* usurpari, ait *Albertinus*, videlicet pro designare ac testificari.

Albertini Responsio exploditur.

In Epist. ad Rom. lib. 10.

Epist. ad Concilium.

Verum licet aliquando *continere* pro *designare* usurpetur; non tamen in hoc *Eusebii* loco. Verbum enim illud περιέχειν *continere*, æque refertur ad *signa & imagines*, & ad *ipsam veritatem*. Sicut ergo cum *Eusebius* ait Veteris Legis sacrificia continuisse signa & imagines, non vult quod signa & imagines significarint, sed actu incluserint: ita cum ait Eucharistiæ sacrificium ipsam veritatem continere, non vult quod veritatem significet dumtaxat, sed reipsa includat & exhibeat. Si contendant Ministri, verbum *continere* ut ad *signa* & *imagines* refertur, eamdem vim habere, ac realiter complecti & includere: ut autem refertur ad *veritatem*, usurpari pro *significare* ac *designare*, Eusebium in eadem periodo manifeste pugnantia locutum necesse est, dicendo, vetera Sacramenta symbola & imagines inclusisse, quod idem est ac adumbrasse veritatem: & tamen ipsam veritatem non significasse, *Non ipsam veritatem continentia*, id est, *significantia*, si *Albertinum* interpretem audiamus.

III. Objicit *Albertinus*, *Eusebium* loqui de sacrificio crucis, tamquam de unico redemptionis & propitiationis sacrificio.

Objectiones Albertini ex Eusebio petita solvuntur.

Respondeo, Et nos ita loqui. Sed non sequitur aliud sacrificium non esse, quo sacrificium crucis, quod solum per se propitiatorium est, applicetur. Illud autem ratione illius applicationis propitiatorium etiam est. Notum est causas principes, subalternas & instrumentarias non excludere. Licet unicum per se sit salutis lavacrum, scilicet Sanguis Christi in cruce effusus, Baptismus tamen salutis lavacrum est per applicationem meriti Sanguinis Christi in cruce effusi. Ita licet sacrificium crucis unicum sit per se redemptionis & propitiationis sacrificium; tamen Eucharistia, in qua idem ille Christus continetur & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, sacrificium propitiationis est idem quidem, quantum ad hostiam, diversum quantum ad rationem offerendi; propitiatorium, inquam, per applicationem sacrificii crucis. Idque agnovit *Eusebius*, siquidem lib. 4. *De Vita Constantini*, cap. 45. de Templi Hierosolymitani Dedicatione loquens, hæc habet: *At Sacerdotes Dei partim precationibus, partim sermonibus festivitatem ornabant .... Quidam sacrorum Voluminum lectiones interpretabantur, arcanos & mysticos sensus in lucem proferentes. Qui vero ad hæc aspirare non poterant, incruentis Sacrificiis, & mysticis immolationibus Deum placabant; pro pace communi: pro Ecclesia Dei; pro Imperatore tot bonorum authore, ejusque piissimis liberis, preces Deo suppliciter offerentes.*

IV.

IV. Objicit *Albertinus*, Eucharistiam memoriale sacrificii Corporis & Sanguinis Domini ab *Eusebio* appellari, adeoque non esse sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, sicut memoria Passionis non est ipsamet Passio. Verba *Eusebii* loco supra laudato hæc sunt: *Itaque post omnia, quasi mirabilem quamdam victimam, sacrificiumque eximium Patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit, ejusque rei memoriam, ut nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit.... Cum ergo hujus Sacrificii memoriam signis quibusdam in Mensa celebrandam, corporisque item illius salutarisque Sanguinis, ut novi Testamenti institutum habet, acceperimus; rursus a Propheta David instruimur ad dicendum: Parasti in conspectu meo mensam*, &c. Et paulo infra, postquam adduxisset hæc Isaiæ verba. * *Bibent lætitiam, bibent vinum*, ait: *Vini quoque lætitiam gentibus vaticinatur, obscure designans Novi Testamenti Christi Mysterium, quod in præsenti tempore ab omnibus gentibus perspicue celebratur*.

Isaiæ 25.

Respondeo, Eucharistiam memoriale quidem ab *Eusebio* appellari, sed ipsam continens veritatem: memoriam sacrificii crucis signis quibusdam celebrandam, si spectetur oblationis modus, quia realiter non occiditur Christus in Altari, sicut in cruce occisus est, sed repræsentative solum idem sacrificium crucis si res oblata spectetur: quia una eademque est Hostia, idem offerens in Altari Sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obtulit. Memoriam quoque Corporis & Sanguinis Domini prout in cruce oblati, sive passionis ipsius, Eucharistiam *Eusebius* appellat, & Novi Testamenti mysterium; sed nihil id officit fidei realis præsentiæ; siquidem & nos qui realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia credimus, cum Ecclesia canimus in Officio Corporis Christi; *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti*: & Eucharistiæ verba illa Prophetæ accommodamus: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*. Et *Lantfrancus*, Berengarii acerrimus Impugnator, Eucharistiam Sacramentum esse, Mysterium, commemorationem Corporis & Sanguinis Christi, & nihilominus Corpus ejus & Sanguinem profitetur lib. de Corpore & Sanguine Domini, cap. 14. *Sacramentum*, inquit, *Corporis Christi, quantum ad id spectat quod in cruce immolatus est ipse Dominus Christus, caro ejus est, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, & sanguis ejus, quem sub vini specie ac sapore potamus. Caro videlicet carnis, & sanguis Sacramentum est Sanguinis. Carne & sanguine utroque invisibili, intelligibili, spirituali, significatur Redemptoris corpus visibile, palpabile, manifeste plenum gratia omnium virtutum, & divina Majestate. Quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi salutem dividitur; alterum vero effusum de calice ab ore Fidelium sumitur: mors ejus in cruce, & sanguinis ejus de latere emanatio figuratur. Utrumque B. Gregorius & solerter attendit, & enucleate in quarto Dialogi libro exponit dicens*: „ Ejus quippe caro ibi sumitur, ejus sanguis non jam in manus Infidelium, sed in ore Fidelium funditur. Pensandum ergo est quale sit hoc Sacrificium, quod pro absolutione nostra mortem unigeniti Filii semper imitatur. *Imitatur dixit, non agatur*: Quia resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. *Caro ergo & sanguis quibus ad impetrandam pro peccatis nostris Dei misericordiam quotidie alimur, Christi Corpus ac Sanguis vocantur, non solum quia essentialiter idem sunt, qualitatibus plurimum discrepantes; verum etiam eo locutionis modo, quo res significans significatæ rei solet vocabulo nuncupari. Nec juste quisquam movebitur, si eadem caro, idemque sanguis sui ipsorum Sacramenta existant secundum aliud atque aliud accepta: cum ipse Dominus Jesus post Resurrectionem suam sui ipsius, diversa temporum ratione, typum gesserit & figuram. Apparens enim duobus Discipulis, locutusque eis quantum satis esse judicavit, dum finxit se longius ire, sicut B. Augustinus dicit, significavit se post paucos dies in cælum ascensurum esse. Quod iter longe remotum est a communi hominum visu, quæ ipsis est duobus Discipulis evidentissime figurata. Christus ergo Christi est Sacramentum: longius videlicet ire se fingens, longius suo tempore ascensuris in cælum. Idem ejusdem, nec tamen æqueque ejusdem. Verus namque Deus, & verus homo, & fingens & ascendens. Verumtamen aliud est figmentum terreni itineris, aliud in cælum veritas ascendentis. Nec aliquis ita desipuerit, ut propterea abnegare præsumat fingentem se longius ire, esse Christum verum, quia ipso figmento longioris itineris significavit, verum Christum ascensurum in cælum*. Eucharistia itaque vocatur signum, mysterium, memoriale Corporis Christi, quod visibile, palpabile, mortale, in cruce est suspensum, quamvis verum sit Christi corpus. Ita ante *Lantfrancum* locutus est *S. Fulbertus* Carnotensis Episcopus. *Defectum*, inquit, *nostræ fragilitatis miseratus, adversus quotidianas nostræ prolapsionis offensas Sacrificii placabilis nobis providit expiamentum, at quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat pretium, paulo post a nostris visibus sublaturus fuerat in cælum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine; Corporis nihilominus & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterii symbolum, sed compaginante Spiritu Sancta Corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione sub visibili creaturæ forma invisibiliter virtus secreta in Sacris solemnibus operatur*. Perperam itaque colligit Albertinus, *Eusebium* non sensisse Eucharistiam esse substantiale Christi Corpus, propriumque Sanguinem, quia ipsam memoriale Sacrificii Corporis & Sanguinis Domini, & symbola atque Mysteria ejusdem pretiosi Corporis & Sanguinis appellavit. Eodem sensu Eucharistiam Corporis & Sanguinis Christi imaginem appellavit lib. 8. pag. 380. *Rursus enim*, inquit, *ipse dispensationis divinæ notas suis Discipulis tradidit, dum hortatur ut sui ipsius corporis imaginem repræsentent. Cum enim non amplius cruenta sacrificia, neque ea quæ apud Moysen in Lege, diversorum animalium mactationibus sancita erant, grata esset habiturus, sed ut pane sui corporis nota uterentur instituerat: merito Propheta splendorem ac puritatem illius alimenti significavit, cum dixit: Et albi dentes ejus ut lac*. Eusebius Eucharistiam appellat imaginem proprii Corporis Christi, non nudam, sed cum archetypo conjunctam. Unde ibidem asserit in Eucharistia celebrem illam Davidis Prophetiam adimpleri: *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi*: id est proprium Christi corpus in Eucharistia offerri loco omnium Legis antiquæ victimarum.

V. Objicit *Albertinus* alium locum *Eusebii* lib. 3. *De Ecclesiastica Theologia* adversus *Marcellum Ancyranum*, cap. 12. ubi explicans verba Christi Joannis 6. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ locutus sum vobis sunt spiritus & vita*: ait Christum docuisse illos spiritaliter intelligere quæ de carne & sanguine suo dixerat. *Nolite putare carnem me dicere quam circumfero, quasi illam edere oporteat: Nec existimate me præcipere sensibilem & corporalem sanguinem bibere*.

Respondeo, *Eusebium* manducationem carnis Christi, secundum vulgarem verbi hujus, *manducare*, acceptionem, dumtaxat negare, quatenus scilicet manducare dicitur, quod teritur ac dividitur dentibus, palato gustatur, faucibus trajicitur in stomachum atque digeritur: quo sensu Capharnaitæ manducationem carnis Christi ab ipso præceptam intellexere. Sed non negat *Eusebius* manducationem Sacramentalem, quo modo singulari & admirabili Christi corpus integrum & indivisum ore sumitur & in stomachum trajicitur, nec tamen digeritur, aut mutationem ullam patitur; & sanguis pretiosus bibitur quamvis a corpore non separetur. Hanc porro manducationem Corporis Christi *Eusebium* cum tota sui temporis Ecclesia agnovisse, duo ejus loca demonstrant. Primum ex lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 43. Valesianæ Versionis, ubi Novatiani facinora ex *S. Cornelii* Epistola ad *Fabium* recensens, hæc habet: *Etenim oblatione facta, portionem singulis dividens; dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec prius dimittens, quam jurati ista dixerint; Jura mihi per*

Cor-

Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, ac numquam meas partes desertarum, nec ad Cornelium esse rediturum. Ita miser ille non prius gustare finitur, quam ipse malum imprecatus fit. Et cum panem illum acciperet, dicere debuisset. Amen, ejus loco dixit: Non revertar deinceps ad Cornelium. Cum Fideles Eucharistiam de manu Sacerdotis acciperent, postquam Presbyter inter tradendum dixerat, *Corpus Christi*, ad eorum fidem ac devotionem excitandam; respondebant illi: *Amen*, id est, *Verum est*: ut id se credere profiterentur. Cujus ritus ac moris præter S. *Cornelium & Eusebium* ejus verba referentem, testes sunt *S. Cyrillus Hierosolymitanus*, Catechesi ultima: *S. Ambrosius* lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. dicens: *Ergo non otiose, cum accipis, tu dicis Amen, jam in spiritu confitens quod accipias Corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos, Corpus Christi. Et tu dicis, Amen, id est, Verum.* Et *S. Augustinus* lib. 12. contra *Faustum*, cap. 10. *Habet enim*, inquit, *magnam vocem Christi Sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus respondeatur, Amen.*

Alter locus *Eusebii* refertur a *S. Joanne Damasceno* lib. 3. *Parallelorum*, cap. 45. *Multi peccatores*, inquit, *cum Presbyteri sint, Sacris operantur, nec Deus eos aversatur: verum per Spiritum Sanctum proposita dona consecrat. Ac panis quidem pretiosum Domini Corpus efficitur, poculum autem pretiosus Domini sanguis.*

ARTICULUS XI.

S. HILARIUS præsentiæ realis Corporis Christi in Eucharistia locupletissimus testis.

S. Hilarius Christum esse unum cum Patre, ex Eucharistia probat.

ITerum expendendum est, quod supra protulimus *S. Hilarii* testimonium, ut a strophis *Albertini* vindicetur. Probat S. Antistes lib. 8. *De Trinitate*, Christum esse unum cum Patre, non sola concordiæ unitate, sed naturæ, ex Eucharistia, per quam naturaliter in nobis est, secundum carnem corporis sui in Sacramento a nobis receptam. *Si*, inquit, *vere Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus; quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est.... Si vere igitur Carnem Corporis nostri Christus assumpsit, & vere homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub Mysterio Carnem Corporis sui sumimus, & per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis; quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas, perfectæ Sacramentum sit unitatis? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legerimus, intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait:* Caro mea vere est esca, & sanguis meus vere est potus. *De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, vere caro est, & vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hæc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant.* De manducatione spirituali carnis Christi *S. Hilarium* perperam explicat *Albertinus*. Nam verbum illud, *sumere*, de actu animæ, & spiritali adhæsione per contemplationem ac meditationem usquiam a bonis Authoribus usurpatum non invenies. An *sumere Philosophiam* dicitur, qui Philosophiam meditatur? An *sumere mortem*, qui de morte cogitat? An *vitam Christi vel passionem sumere*, qui illas animo revolvit? Cum itaque S. Hilarius dicat, *Nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus*, de spirituali dumtaxat manducatione intelligi non potest. Præterea *S. Hilarius* totis viribus dubium expugnat, quod circa illud fidei dogma oriri potest, & quod sola Dei Authoritate dissipari possit. Porro dubium illud non est de spiritali manducatione, quam intelligere facillimum est. Neque illud *S. Hilarius* diluit, explicando in quo spiritalis illa manducatio posita sit, quod operosum non esset; sed simpliciter asserendo; Esse vere carnem & sanguinem Christi, quæ in Eucharistia accipiuntur & hauriuntur, & efficiunt ut nos in Christo, & Christus in nobis sit; idque & ipsius Domini professione, & fide nostra constare; deque veritate carnis & sanguinis, ore corporis a nobis in Sacramento sumpta, non esse relictum ambigendi locum. Tertio *S. Hilarius* Christum in nobis esse per carnem suam colligit, sicut natura humana per Incarnationem in ipso est. *Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum hoc quod nos sumus in Deo est.... Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, ejus tantum assumptam habens carnem, qui suam sumpserit.* Id est, illi soli naturam a Filio Dei assumptam suam esse gloriari possunt, qui carnem ejus in Eucharistia sumpserunt. Sicut ergo natura nostra Christo realiter unita est, non figurata, non metaphorice; ita Christus per carnem suam & sanguinem sub Sacramento nobis communicata, vere & realiter in nobis est. Quarto *S. Hilarius* unionem carnis Christi nobiscum per Eucharistiam, comparat cum unione Christi cum Patre, & cum unione naturæ humanæ cum Verbo: triplicem illum unitatis gradum naturalem vocat. Unitatem realem Christi cum Patre ex unione carnis Christi nobiscum in Eucharistia probat: *Cur*, inquit, *gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit, nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rursus in nobis per Sacramentorum inesse Mysterium crederetur? Ac sic perfecta per Mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus, ipse maneret in Patre, & in Patre manens, maneret in nobis, & ita ad unitatem Patris proficeremus. Cum qui in eo naturaliter secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quam autem in nobis naturalis hæc unitas sit, ipse testatus est: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Christus realiter est in Patre per unitatem naturæ: Realiter in Christo sumus per unionem hypostaticam. Caro Christi realiter in nobis est per Eucharistiam, ex *S. Hilario*. Perperam itaque ejus testimonium detorquet *Albertinus* ad unionem spiritualem.

Vere Verbum Carnem cibo Dominico sumimus.

De veritate carnis & sanguinis Christi in Eucharistia, nullus est ambigendi locus.

Christus per Eucharistiam naturaliter in nobis permanet.

At, inquit Albertinus, Hilarius ibidem ait: *Nos uno Christo per naturam unius Baptismi indui.* Quod & *Chrysostomus*, seu aliquis alius, Sermone de Pentecoste, & Author Homiliæ in venerabilem & vivificam Crucem, inter ejus Opera; & *Athanasius*, seu potius Author Homiliæ in Sanctum Pascha, pariter affirmant. Et *Cyrillus Alexandrinus*, Glaphyrorum in Exodum lib. 2. de Eunucho *Philippum* interrogante ait: *Per hanc interrogationem intelligibilis ovis factus est particeps: subito enim dignus factus est baptizari.* Et multo expressius *Fulgentius* lib. de Baptismo Æthiopis, cap. ultimo: *Nec cuiquam aliquatenus est ambigendum, tunc unumquemque Fidelium Corporis Sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum Christi efficitur.* Nemo tamen propterea dixerit, Verbum carnem factum in aqua Baptismatis esse realiter inclusum. Quamvis ergo *Hilarius* dixerit, *Nos Verbum carnem cibo Dominico sumere*, non est colligendum Verbum carnem factum, secundum ejus sententiam, substantialiter cibo Dominico esse contentum.

Vim argumenti ex S. Hilario sumpti elevare frustra conatur Albertinus.

Respondeo, Verum quidem esse quod Christo per Baptismum induamur, quod illum in nobis suscipiamus, quod intelligibilis ovis participes evadamus, nec locutiones illas metaphoricas esse, sed proprias, quia Christus in nobis per fidem & baptismum velut in templo suo habitat: non tamen inde colligi potest carnem Christi in aqua Baptismatis realiter contineri, aut id sensisse Patres, qui sic locuti sunt: quia nemo ad aquam Baptismatis illa Christi verba referenda esse dixit: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Nemo dixit per Baptisma Christum in nobis esse, *per naturæ veritatem*, quod *S. Hilarius*

de Eucharistia docuit, *de naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait; Caro mea vere est esca.* Nemo Patrum de Baptismo dixit, quod idem Sanctus Antistes de Eucharistia asseruit: *Quomodo Christus per Patrem vivit; eodem modo nos per carnem ejus vivimus. Hæc vero vita nostra causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus: victuris nobis per eum ea conditione qua vivit ille per Patrem.* Nemo de Baptismo dixit, *per manentem in nobis carnaliter Filium, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter unitis, mysterium veræ ac naturalis unitatis* divinarum personarum *esse prædicandum*. Quod de Eucharistia scripsit *S. Hilarius*. Non sunt itaque comparandæ sententiæ illæ cum aliorum Patrum, tum ipsius *S. Hilarii* de Baptismo, quas *Albertinus* profert, cum iis, quæ apud ipsum de Eucharistia leguntur: siquidem sunt prorsus dissimiles. Sanctus vero *Fulgentius* unumquemque Fidelium Corporis Sanguinisque Dominici participem fieri dicit in Baptismo non recipiendo in se carnis Christi veritatem, sicut de iis qui Eucharistiam sumunt, *S. Hilarius* docet: non manducando spiritualiter carnem Christi per actum fidei, ut contendunt Calvinistæ: siquidem participationem illam ad omnes baptizatos, adeoque ad infantes, actualis fidei illa in ætate incapaces extendit: & de Baptismo Æthiopis agit, qui inscius baptizatus fuerat in periculo mortis: sed censet *S. Fulgentius*, Christianum quemque Corporis & Sanguinis Dominici participem fieri in Baptismo, quia effectum & finem Eucharistiæ, scilicet conjunctionem cum Christo, & societatem corporis ejus mystici consequitur, *Quando in baptismate membrum Christi efficitur*. Quod clarius adhuc exprimit, cum ait: hæc verba Christi, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. *in lavacro sanctæ regenerationis* impleri, *secundum Mysterii veritatem*, id est, quoad finem & effectum Eucharistiæ; *non secundum veritatis Mysteria*; quia non eo modo caro Christi manducatur, & sanguis ejus bibitur in Baptismo, quo in Eucharistia, de qua secundum sensum litteralem illa Christi Domini promissio intelligenda est,

ARTICULUS XII.

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS Dogma Catholicum de Reali Præsentia Corporis Christi in Eucharistia, & Transubstantiatione confirmat.

SAnctus *Cyrillus Hierosolymitanus* recens baptizatos docens quid de Eucharistia credere debeant, Sacramentales, quibus non erant assueti, locutiones usurpare non debuit; sed aperte ac dilucide ipsis explicare Ecclesiæ Catholicæ hoc de Mysterio doctrinam. Age, ipsum audiamus: *Cum igitur*, inquit, *Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane*. Hoc est Corpus meum; *quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente*, Hic est Sanguis meus; *quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est Sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate; & non erit dignus cui credamus quod vinum in Sanguinem suum transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas invitatus, stupendum miraculum operatus est, an non multo magis Corpus & Sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus. Nam sub typo panis datur tibi Corpus, & sub typo vini datur Sanguis, ut sumpto Corpore & Sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps Corporis & Sanguinis. Sic christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cum ejus Corpus & Sanguinem in membra nostra receperimus; atque ita, ut B. Petrus dicit, Divinæ naturæ consortes efficiemur... Ne ergo consideres tamquam panem nudum, & vinum nudum; Corpus enim est & Sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem judices; quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata, Corpus & Sanguinem.* Dubium impugnat *Cyrillus Hierosolymitanus*. An figuræ vel efficaciæ, an realis præsentiæ? Primum dici non potest, cum nullam difficultatem habeat hic sensus, apud eos præsertim qui baptizati, adeoque de virtute Sacramentorum edocti essent. Dubium itaque impugnat quod de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi potest oriri; ac proinde Christi testimonio certum esse docet, ac omni certitudine tenendum, Corpus & Sanguinem Christi realiter in Eucharistia contineri. Alioqui absurde locutus esset. Hunc enim sensum verba ejus præseferrent: Cum Christus affirmet de pane: *Hoc est Corpus meum*; quis dicere audeat non esse figuram Dominici Corporis? Æque absurda erit probatio a miraculo conversionis aquæ in vinum petita, ad transmutationem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi comprobandam, si de sola mutatione figuræ aut virtutis intelligatur *S. Cyrillus*. Sensus enim ejus erit: Christus aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, sola voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in Sanguinis sui figuram aut efficaciam mutaverit? Sensus erit Christum, siquidem in nuptiis terrenis aquam in vinum convertit, potuisse vinum mutare in figuram, aut virtutem Sanguinis sui. O præclarum, quod *Cyrillo* affingunt Calviniani Ministri, ratiocinium! Præterea mutatio virtutis non efficit ut ea res mutari dicatur in alteram, quæ virtute ejus augetur. Ita quamvis aqua Baptismatis virtutem Sanguinis Christi, & Chrisma Confirmationis virtutem Spiritus Sancti recipiant: nullus tamen Patrum dixit aquam Baptismatis in Sanguinem Christi, & Chrisma Confirmationis in Spiritum Sanctum transmutari. Vestis Christi cujus contactu sanata Hemorrhoissa est, virtutem ejus continebat: Sudaria & semicinctia *S. Pauli*, quæ infirmos curabant, virtutem ab ejus corpore traxerant: nemo tamen dixit, aut sapienter dicere potuit vestem Christi in ejus carnem fuisse conversam, aut sudaria & semicinctia *S. Pauli* in ipsum Paulum fuisse transmutata. Cum itaque dixit *Cyrillus Hierosolymitanus*, Salvatorem vinum in Sanguinem suum transmutasse, aliquid significavit amplius quam mutationem in signum & efficaciam pretiosi Sanguinis. Addiderim, *Bezam** ipsum absurditatem ejus locutionis sugillare, qua efficacia mortis Christi Corporis & Sanguinis nomine insigniretur. *Corporis & Sanguinis nomen*, inquit, *nimis absurdum est de fructu & efficacia mortis Domini interpretari*. Tertio de Corpore typico perperam & absurde explicantur *Cyrilli* verba dicentis: *Quare omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus*. Siquidem addit: *Sub typo panis datur tibi Corpus, & sub typo vini datur tibi Sanguis*. Sensus enim *Cyrilli* esset, si de Corpore & Sanguine mystico & symbolico, hoc est, de typis Corporis & Sanguinis proprii esset intelligendus: Figura Corporis & Sanguinis Christi datur tibi in figura Corporis & Sanguinis ipsius. Et non puduit *Albertinum* dum *Cyrilli* verba in sensum adeo præposterum & ineptum detorsit, doctissimum Cardinalem Bellarminum *Bardum* appellare, qui facilem adeo solutionem deprehendere non potuerit. Næ virum insolentem, etiam cum ea scripturis in quibus nec scintilla radiat boni sensus! Quarto, de manducatione spirituali *Cyrillus Hierosolymitanus* explicari non potest, cum Corpus & Sanguinem Christi, quæ nobis dantur sub typis panis & vini, in membris nostris recipi asserat. Quinto, non sensuum, sed fidei judicio credendum esse docet. Qua una propositione refellitur totum caput 18. primi libri *Albertini* quo probare nititur panem & vinum in Eucharistia manere, ex testimonio sensuum.

Transmutatio panis in Corpus & vini in Sanguinem Christi, similis mutationi aquæ in vinum ab Eo in Nuptiis factæ.

* Epist. ad Aleman.

Nec obstat quod Catechesi sequenti Eucharistiam vocet ἀντίτυπον σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Nam appellatio illa realem præsentiam non excludit. Eucharistia siquidem secundum externam partem, id est, ratione specierum quibus Corpus & Sanguis Christi obvelantur, figura est & Sacramentum ejusdem Sacri Corporis & Pretiosi Sanguinis non absentium, sed præsentium; latentium tamen. Quod absque dubitatione credendum esse docet *Cyrillus Hierosolymitanus* continenter post verba laudata. *Accedens autem ad communionem*, inquit, *non expansis manuum*

tolis

velis accede, neque disjunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dextra, quæ tantum Regem susceptura est: & concava manu suscipe Corpus Christi, dicens, Amen. Quæ ex *Cyrillo* objiciunt Ministri, soluta sunt a nobis in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ 4. Sæculi, Cap. 6. Art. 12. Num. 9.

ARTICULUS XIII.

SS. BASILIUS & GREGORIUS NYSSENUS Catholici Dogmatis de Reali Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia Assertores.

I. SAnctus *Basilius* lib. *de Baptismo* Quæstione II. eorum crimen exponens, qui polluta conscientia Sacrificium Novæ Legis offerunt, & Corpus Domini comedunt, Sanguinemque ejus bibunt, hæc habet: *Dominus vero dicens*, Templo majus est hic, *instruit nos tanto scelestiorem & impium magis esse eum qui cum impurus sit, Corpus Domini audet in Sacrificium offerre, qui seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem bonæ fragrantiæ dedit; quanto Corpus Unigeniti Filii Dei excellentius est arietibus ac tauris. Excellentius dico non collationis ratione; Est enim excellentia incomparabilis.* Et Quæstione 3. *Quanto majus aliquid hic est templo, secundum Domini vocem, tanto gravius & terribilius est in anima impuritate constitutum Corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes vel tauros, dicente Apostolo:* „ Itaque qui edit panem aut bibit poculum „ Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis „ Domini. *Quod si in immunditia tantum constitutus, tam terribile judicium habet, quanto magis qui cum in peccato sit, Corpus Domini contingere audet, gravius sibi accersit judicium? Mundemus itaque nos ab omni inquinamento, atque ita ad Sancta accedamus, ut judicium eorum qui Dominum occiderunt, effugiamus.* Corpus Domini in Sacrificium offerri *Basilius* docet quod de Corpore typico, pane scilicet appellatione Corporis insignito, perperam explicant Ministri Calviniani. Corpus enim illud offertur, quod templo majus est, & quod veterum Sacrificiorum victimas excellentia sua ita superat, ut eum iis comparari non possit. Illud autem est verum proprium & naturale Christi Corpus. Hoc impii etiam contingunt & recipiunt, & indigne manducando, judicium eorum qui Dominum occidere, incurrunt. Ore itaque corporis impii Corpus Christi verum & naturale, quod solum majus est templo, & veteribus victimis incomparabiliter excellentius, manducant, secundum *S. Basilium*: Nam spiritualis manducatio ad impios non pertinet. Quæ ex Liturgia *S. Basilii* a Ministris objiciuntur, soluta lege in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi 4. cap. 6. Art. 19. §. 1.

Corpus Christi in Sacrificium offertur.

Indigna Communio.

II. Succedat *S. Basilio S. Gregorius Nyssenus* ejus frater, qui duplex caput doctrinæ Catholicæ, præsentiæ scilicet realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & transsubstantiationis luculenter ac diserte adstruit in Oratione Catechetica cap. 37. *Sed quoniam*, inquit, *homo est duplex, ut qui sit compositus ac contemperatus ex anima & corpore, necesse est ut qui servantur, per utrumque attingant eum qui ducit ad vitam. Ergo anima quidem cum ipso contemperata per fidem hinc salutis habet occasionem. Nam unio cum vita vita habet societatem: Corpus autem alio modo venit ad participationem & contemperationem ejus quod dat salutem: Quomodo enim qui venenum sumpserunt, alio medicamento extinguunt vim, quæ affert interitum. Oportet autem sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera hominis, ut per illa distribuatur in universum corpus virtus ejus quod fert opem. Ita cum id gustaverimus quod nostram dissolvit naturam, rursus necesse est, ut opus habeamus eo quod cogit ac conciliat id quod erat dissolutum: ut cum intra nos fuerit hoc salutare medicamentum, veneni damnum quod corpori fuerat inditum, per contrariam repellat affectionem. Quid hoc ergo est? Nihil aliud quam illud corpus, quod & morte ostensum fuit esse potentius, & nostræ vitæ fuit initium. Quomodo enim parum fermenti, ut dicit Apostolus, sibi assimilat totam aspersionem, ita corpus morte a Deo affectum, cum fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat & transfert. Quomodo enim cum quod est exitiale, mistum fuerit cum sano, quidquid est contemperatum, simul redditur inutile: ita etiam corpus immortale cum fuerit intra eum qui sumpsit, universum quoque transmutat in suam naturam. Sed fieri non potest ut sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum & potionem misceatur visceribus. Necesse est ergo eo modo quo natura potest, Spiritus vivificam suscipere virtutem. Cum autem solum illud corpus quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit, ostensum sit autem aliter fieri non posse ut nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis: oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus quod tam multis Fidelium millibus in universo terrarum orbe semper distribuitur, totum per partem fit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat.* Corpus Christi morte affectum, sed morte potentius, corpus immortale a nobis sumitur, nostris visceribus commiscetur ut medicamentum salutare, ut per illa virtus ejus distribuatur in universum corpus. Figura Corporis Christi non est, nec appellatur corpus morte pro nobis affectum, morte potentius, immortale, nostræ vitæ initium: Itaque *S. Gregorius Nyssenus* non loquitur de figura Corporis Christi; sed de vero, proprie dicto & naturali corpore, cum docet illud a nobis sumi, manducari, intra nos suscipi, nostris visceribus commisceri: quæ verba realem & corporalem manducationem aperte significant. Verum igitur Christi Corpus realiter in Eucharistia præsens est secundum *S. Gregorium Nyssenum*. De solius namque virtutis & efficaciæ præsentia intelligi non potest. Alioqui cum ait, *Salutare medicamentum admitti intra viscera hominis, ut per illa distribuatur in universum corpus virtus ejus quod fert opem*, sensus esset virtutem Corporis Christi in visceribus nostris recipi debere, ut virtus ejus diffundatur in nobis, qui loquendi modus absurdus esset. Corpus ergo Christi intra nos debere suscipi secundum substantiam suam docet *Sanctus Gregorius Nyssenus*, ut virtutem suam in nobis diffundat: & substantialem illius intra nos præsentiam velut necessariam conditionem statuit, ut in nobis operetur ad modum medicamenti, quod hausti veneni vim extinguit. Dogma etiam realis præsentiæ veri Corporis Christi in Eucharistia, secundum substantiam, non secundum virtutem dumtaxat, sequitur dubium illud quod proponit ac profligat S. Gregorius Nyssenus: *Quomodo fieri potuerit ut unum illud corpus, quod tam multis Fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat?* Nemo autem ita stipes est, ut dubitet num Corpus Christi integrum in se maneat, quia meritorum ejus plenitudinem recipimus. Nec sane mirabile esset integrum in se manere corpus, quod in cœlo tantum esset realiter & secundum substantiam, in universo vero terrarum orbe multis Fidelium millibus in figura tantum & virtute daretur.

Corpus Christi nostris visceribus commiscetur ut medicamentum salutare.

Corpus Christi totum suscipitur in unoquoque, & totum in se manet.

Transsubstantiationem in eadem Oratione non minus aperte docet S. Gregorius Nyssenus. *Quomodo*, inquit, *in nobis, qui panem videt, humanum corpus videt, quodammodo, quod cum ille in eo fuerit, hoc fit; ita illic quoque quod Deum suscepit corpus, cum panis alimentum accepisset, quadam ratione idem erat quod ille alimento transeunte in naturam corporis. Nam quod est omnium proprium, id quoque pro certo & constanti est in illa carne, nempe quod illud quoque corpus pane contiurbatur. Corpus autem Dei Verbi inhabitatione ad divinam transmutatum est dignitatem. Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari. Etenim panis erat potestate illud corpus ...... Nam & illic Verbi gratia sanctum fecit corpus cui ex pane erat substantia, & quodammodo ipsum quoque erat panis: & hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei & orationem, non eo quidem quod cibo mediante in Verbi corpus evadat; sed quod statim a Verbo in corpus transmutetur per verbum*, Hoc est corpus meum: *Cum autem omnis caro alatur etiam per humorem... Qui-*

Transelementatio panis in Corpus Christi per verbum Dei.

quidem cum fuerit in nobis, per alterandi facultatem fit sanguis, & maxime si per vinum acceperit virtutem transmutandi in calidum. Quoniam ergo hanc quoque partem accepit caro illa Dei susceptrix ad sui constitutionem: Manifestatum autem verbum propterea se admiscuit interitui obnoxiae hominum naturae, ut communionem divinitatis simul etiam deificetur humanitas: ea de causa per suae gratiae dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus, commistus & contemperatus corporibus credentium, quibus substantia est ex pane & vino, ut unione cum eo quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. Haec autem dat, virtute benedictionis in illud transelementata eorum quae apparent natura. Transelementatio naturae eorum quae apparent, id est, panis & vini, in Corpus Christi, virtute benedictionis facta, quid aliud est quam transubstantiatio; Licet enim naturae nomen aliquando pro qualitate & conditione usurpetur, sicut & virtutis nomen pro natura: Licet voces *transmutatio & transelementatio* mutationem substantialem non semper significent, cum per attributa accidentaria, aut metaphorica, quibus junguntur interdum, ad solam qualitatum mutationem significandam determinentur, ut multis exemplis ex Patribus corrasis inutiliter probare satagit *Albertinus*: tamen his verbis *S. Gregorium Nyssenum* mutationem substantialem designare, evidens est ex adjunctis. Primo quia panem in corpus Christi transelementari asserit per Verbum Dei, sicut panis quo Christus in terris degens alebatur, transibat in naturam ipsius corporis. At mutatio panis quo Christus alebatur, non erat tantum mutatio conditionis panis in virtutem corporis ipsius, sed mutatio substantiae panis in ejus substantiam; Igitur & mutatio panis qui Eucharistiae materia est, in Christi corpus, quam velut objectum fidei proponit *S. Gregorius Nyssenus* his verbis: *Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari*; est mutatio substantialis. Secundo, transmutatio panis in Christi corpus ea est quam significant & operantur haec verba Domini: *Hoc est corpus meum*: Docet namque S. Gregorius, *Panem statim a Verbo in corpus transmutari per verbum: Hoc est corpus meum.* At haec verba nec solam significationis & figurae, vel efficaciae & virtutis mutationem significant. Eam quippe significant & operantur mutationem, ex qua consequens est ut Christus *se per carnem inserat omnibus Credentibus, commistus & contemperatus corporibus Credentium, ut unione cum eo quod est immortale, fit etiam homo particeps incorruptionis*: Ad mutationem porro panis, in figuram corporis Christi id minime sequitur. Sola vero nomine virtutis & efficaciae in panem effusio, non sufficeret ad veritatem istius propositionis, *Hoc est corpus meum*: siquidem nulla res dicitur esse altera, vel in illam converti quod instrumentum sit ejus agens virtute: nec aqua baptismatis dicitur Sanguis Christi, aut in Sanguinem Christi converti, quamvis ejus virtute peccatorum sordes extergat & animas sanctificet; neque Chrisma dicitur Spiritus Sanctus, aut in Spiritum Sanctum converti, quamvis ejus virtute spirituale robur in Confirmatione producat. Nec Veteris Legis Sacramenta, licet carnis Christi virtutem continerent, secundum Calvinistarum doctrinam, dicta sunt unquam in Corpus Christi fuisse transmutata. Quis enim agnum, manna, panes propositionis, victimas, petram deserti, in Christum transelementata dixit unquam, vel scripsit? Cum itaque natura panis virtute benedictionis in corpus Christi transelementari dicatur a *S. Gregorio Nysseno*, solam novae virtutis cum pane communicationem non significat. Addiderim *S. Gregorium Nyssenum* hac ipsa in Oratione alias mutationes quae non sunt substantiae in substantiam aut similibus verbis non significare, aut haec verba ita exponere, ut solam status vel qualitatum mutationes ipsum intellexisse compertum sit. Sic *Corpus Dei Verbi inhabitatione ad divinam transmutatum asserit dignitatem*: Unio scilicet personalis cum Verbo divina dignitas est. At ipsam dignitatis nomen ostendit corpus in substantiam naturae divinae transmutatum non esse. Ait ibidem Gregorius: *Corpus immortale, cum fuerit intra eum qui sumpsit, universum quoque transmutat in suam naturam*: Sed mutationem corporum nostrorum in substantiam Corporis Christi his verbis a *S. Gregorio* non significari, solamque designari caelestium qualitatum impressionem corporibus nostris factam a corpore Domini, quod intra nos sumimus, adjuncta demonstrant: *Necesse est ergo, eo modo quo natura potest, Spiritus vivificum suscipere virtutem. Cum autem solum illud corpus quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit; assensum fit autem aliter fieri non posse ut nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis &c.* At in tota illa *S. Gregorii* Oratione nihil est quo ista verba: *Haec autem dat, virtute benedictionis, in illud* (scilicet corpus Christi) *transelementata eorum quae apparent natura*, ad solam virtutis & efficaciae mutationem significandam determinentur. Quia potius evidenter probatur ex antecedentibus, mutationem substantialem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi his verbis significari.

Confirmatur insigni altero *S. Gregorii Nysseni* testimonio, *Oratione in diem luminum*, sive in Baptismum Christi, ubi ostendere volens baptisma non esse parvifaciendum, seu aliquid commune, propter usum aquae; siquidem mirabiles habet effectus; verum praestantiam non esse dijudicandam docet ex conditionis earum naturalis vilitate, cum Deus eas interdum evehat supra materiae dignitatem, quasdam per mutationem qualitatis, quasdam per mutationem substantiae, nonnullas sola mutatione usus. Et primum varia adducit exempla rerum quae per consecrationem in alium statum mutantur, quamvis non eodem modo, quia consecrationis varii sunt effectus, quorum rationem assignare non licet alteram a voluntate Dei; quamobrem ex eo quod aqua Baptismatis, oleum Confirmationis, Altare, Sacerdos, quoad substantiam non mutentur consecratione, sed novam duntaxat dignitatem, vim & efficaciam consequantur; perperam colligit *Albertinus* panem Eucharisticum per consecrationem substantialiter non mutari, eamque esse *S. Gregorii Nysseni* mentem. Longe enim aliter loquitur de mutatione quam in aliis rebus efficit consecratio, & de ea quam in pane operatur. De Altari ait: *Nam Altare hoc Sanctum cui adsistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur; sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a solis Sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur.* Quae verba solam Altaris ad sacros usus destinationem significant. De oleo & vino ait: *Sic mysticum oleum, sic vinum, cum sint res exigui pretii ante benedictionem, post sanctificationem, quae a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur.* Quae verba novae quidem virtutis & efficaciae accessionem oleo & vino factam significant, quod utrique commune est; mutationem vero substantialem vini quae consecrationis illius proprius effectus est, & excellentis illius operationis ratio, ut non exprimunt, ita etiam non negant. De Sacerdotis consecratione sic loquitur: *Eadem verbi vis etiam Sacerdotem augustum & honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim unus e plebe esset, repente redditur praeceptor, Praeses, Doctor pietatis, mysteriorum latentium Praesul, nihil vel corpore vel forma mutatus, sed invisibili quadam vi ac gratia animam in melius transformatam gerens.* Quae verba solam mutationem status, novae dignitatis gratiae ac potestatis adeptionem significant. De pane vero Eucharistico sic loquitur: *Panis item, panis est initio communis: sed ubi eum Mysterium sacrificaverit, Corpus Christi fit & dicitur*, σῶμα Χριϛοῦ λέγεται καὶ γίνεται. Quae verba substantialem mutationem significant, nec unquam in figurativis propositionibus, in quibus verbum, *est*, usurpatur pro, *significat* locum habent. Nemo enim de statua *Alexandri* dixerit: *Alexander* appellatur & est. Nemo de Charta Geographica Italiae dixerit: Italia appellatur & est. Nemo de agno Paschali dixit: Transitus appellatur & est: Nemo de Circumcisione dixit, Foedus appellatur & est: Nemo de petra deserti, Christus appellatur & est. Hic enim loquendi modus sensum figurae a verbo, *est*, prorsus excludit,

Panis Eucharisticus Consecratione Corpus Christi fit & dicitur.

& at-

& attributum realiter convenire subjecto significat.

Satisfit objectioni Albertini, petita ex hac loquendi formula Dicitur & est.

III. Objicit *Albertinus* communissimam esse apud Veteres hanc loquendi formam, *dicitur & est*, & adhiberi etiam quando agunt de iis quæ non proprie & substantialiter, sed figurate tantum, seu per quamdam similitudinem, illa sunt, quæ dicuntur esse. Sic enim *Irenæus* lib. 5. c. 10. *Homo per fidem insertus, & assumens Spiritum Dei... aliud accipit vocabulum, significans illam quæ in melius est transmutationem, jam non caro & sanguis, sed homo spiritalis existens & dicitur*. Sic *Gregorius Nazianzenus* Oratione 1. agens de nominibus fundamenti, petræ, agni, & aliis Domino tributis; *Unumquodque eorum*, inquit, *est & appellatur*. Et Oratione 38. ait de Diabolo: *Propter superbiam caligo est & dicitur*. Et Oratione 42. de Christo vero Agno Dei ait: *Incorruptionis indumentum est & appellatur*. Sic *Augustinus* Sermone 121. *De Diversis*, de eodem Christo ait: *Fundamentum dicitur & caput, & revera est*. Sic *Chromatius Aquilejensis* Fragmento in Matthæum 3. *Multi Sanctorum filii Dei dicuntur & sunt*. Sic *Cyrillus Alexandrinus* Glaphyrorum in Genesim lib. 6. de Synagoga Judaica ait: *Velut vidua quadam appellata, est, & vere fuit*. Et libro 8. contra Julianum: *Indubitatum est nos esse vere Israelitas, ac dici*. Et in Joannis cap. 1. de Christo: *Lux dicitur & est*. Sic *Theodoretus* in 1. ad Corinthios c. 12. de Ecclesia ait: *Unum corpus est & dicitur*. Sic *Isidorus Pelusiota* lib. 1. Epistola 319. de Sacerdote scribit: *Ecclesiæ lumen appellatur & est*. Sic *Germanus Constantinopolitanus* in *Theoria Rerum Ecclesiasticarum*, de altari, seu Mensa Eucharistica: *Altare est & dicitur præsepe & sepulchrum Domini*. Et ipse *Gregorius Nyssenus* Homilia 6. in *Cantica*, de iis qui corde mundi sunt loquens: *Israel*, inquit, *proprie sunt & dicuntur*. Et Homilia 14. *De Veritate*, ait: *Secundum Pauli vocem, divini ædificii fundamentum est & dicitur*. Et Homilia 15. de S. Petro ait: *Loco Simonis Petrus appellatur & factus*. Denique lib. 6. contra *Eunomium*, de Christo ait: *Dextra Dei est & intelligitur*. Quidni ergo & diceret, *Panis, postquam eum Mysterium sanctificaverit, Corpus Christi dicitur & est*; similiter intelligendo illum Corpus Christi esse, non proprie, sed figurate, & virtualiter?

Respondeo, hanc loquendi formulam, *dicitur & est*, in Propositionibus quidem metaphoricis recte usurpari, in quibus attributum pro qualitate eminenti, dote, aut virtute rei alterius accipitur: quia in iis verbum, *est*, convenientiam realem illius qualitatis aut virtutis, quæ nomine metaphorico exprimitur, subjecto importat, non simplicis significationis attributionem, quam exprimit istud verbum *dicitur*. Perspicuum enim est, rem de qua usurpatur iste loquendi modus, *dicitur & est*, distingui ab illis quibus solum nomen, non item natura vel qualitas rei alterius convenit. Quænam porro sunt res illæ, quæ dicuntur, & non sunt illa quorum nominibus appellantur? Eæ sane quæ sola significatione & repræsentatione tales sunt. Hæc ergo loquendi formula, *dicitur & est*, figuram excludit, non ab attributo quidem; Metaphoricum enim quandoque est, sed a verbo *est*, quod solam nominis convenientiam non significat, sed convenientiam realem. At in propositionibus figurativis verbum *est*, nativam significationem suam non servat. Propositiones autem omnes quarum Indicem tanta cum ostentatione profert *Albertinus*, metaphoricæ sunt, & in iis hæc verba, *dicitur & est*, attributis metaphoricis applicantur: quæ cum secundum nomen, & rem metaphorice significatam, subjecto tribuantur, vera est propositio in qua adhibetur hæc loquendi forma, *dicitur & est*; unde τὸ *est*, realem convenientiam veramque fidelitatem significat. Ita in hac propositione; *Assumens Spiritum Dei, homo spiritalis existit & dicitur*, res hoc vocabulo, *spiritalis* significata subjecto vere convenit, non secundum sensum literalem hujus vocis, quo naturam immaterialem designaret, sed secundum sensum metaphoricum, quo significat hominem a carnalibus cupiditatibus liberum, qui sola bona spiritalia & æterna concupiscat. *Christus petra dicitur & est*, si spectetur significatio hujus vocis, non literalis quidem, sed metaphorica, secundum quam designat immobilem firmitatem, quæ Christo reipsa & proprie convenit. *Christus Lux dicitur & est*, quia res lucis nomine metaphorice significata, scilicet veritas & doctrina, vere Christo convenit, propterque hominum mentes illuminat. Idem de cæteris propositionibus ab *Albertino* prolatis esto judicium. At in propositionibus figurativis, usurpari non potest hæc loquendi forma, *dicitur & est*; quia in iis attributum duplicem sensum non patitur, & in simplici ac propria significatione accipiendum est, ac figura in verbo, *est*, versatur tota, quod pro eodem accipitur ac *significat*. Cum igitur istam Christi propositionem: *Hoc est Corpus meum*, Calviniani Ministri hujus generis esse velint, non potuisset vere dicere S. Gregorius Nyssenus; *Panis postquam eum Mysterium sacrificaverit, corpus Christi dicitur & est*; si intellexisset illum Christi corpus esse, non proprie, sed figurate & virtualiter. Hanc responsionem debemus doctissimo Defensori *Perpetuæ Fidei Ecclesiæ* contra *Claudium* Calvinianum Ministrum, Tom. 2. lib. 4. cap. 14.

ARTICULUS XIV.

SS. EPHREM SYRUS, & EPIPHANIUS Præsentiam Realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia agnovere.

I. SAnctus *Ephrem Syrus* in libro *De Natura Dei curiose non scrutanda*, ubi Fideles ad participationem Eucharistiæ adhortatus est, & ad meditandum Passionem & Resurrectionem Christi, qua digne ejus Sacramenta percipiant, subdit: *Fidei oculus cum in corde cujuspiam clare ac liquide lucis instar effulserit, pure quoque ac sincere Agnum Dei contemplatur, qui pro nobis occisus ac immolatus est, donavitque nobis Corpus suum sanctum & immaculatum, ut jugiter eo vescamur, sitque ipsius nobis participatio in remissionem peccatorum. Hunc fidei oculum qui possidet, manifeste ac lucide intuetur Dominum; & certa plenissimaque fide sanctissimum Agni immaculati, unigeniti Filii cælestis Patris Corpus manducat ac sanguinem bibit, haudquaquam curiose divinam sanctamque fidem perscrutans.... Esto itaque fidelis atque innocens. Participa immaculatum Corpus & Sanguinem Domini tui fide plenissima, certus quod agnum ipsum integre comedas. Ignis immortalis sunt mysteria Christi: Cave ea temere scruteris; ne in ipsorum participatione comburaris. Abraham Patriarcha cælestibus Angelis terrenos cibos apposuit, illique eos comederunt. Ingens sane miraculum est cernere Spiritus incorporeos in terra carnium cibos manducantes. Sed hoc profecto omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem quod nobis fecit unigenitus Filius Christus Salvator noster. Ignem quippe ac spiritum manducandum præstitit nobis carne vestitis, Corpus videlicet suum ac Sanguinem.*

Eucharistiam percipientes, Agnum ipsum integre comedimus.

Corpus Christi quod plenissima fide manducamus, & Sanguis quem bibimus, non sunt Corpus & Sanguis Domini typice & symbolice dumtaxat, id est, Sacramentaria signa, ut respondet *Albertinus*; siquidem fides in Sacramentalibus signis non sistit. Præterea, Sacramentalia signa integre non comeduntur: Agnus igitur quem integre comedi *S. Ephrem* docet, non sunt signa Sacramentalia, sed verum Christi Corpus & verus Sanguis. Nec etiam *S. Ephrem* sensus est, nos in Eucharistiæ communione per fidem & spiritualiter Corpus & Sanguinem Domini manducare & bibere: quemadmodum ore corpus & sanguinem typicum, hoc est, figuras corporis & sanguinis ejus manducamus & bibimus. Hæc enim verba: *Certus quod Agnum ipsum integre comedas*, evidenter probant de spirituali dumtaxat manducatione *S. Ephrem* non agere. Quis enim verbi gratia dixit umquam certos nos esse debere, quod Sanguinem Christi integrum in baptismo recipiamus? Deinde quid est illa Agni immaculati integritas, in opinione Calvinistarum, cujus fidem adeo *S. Ephrem* commendat? An credendum nos totam Corporis & Sanguinis Christi virtutem in communione Eucharistiæ recipere? Si ita est, falsum quid credere debemus; siquidem totam Sanguinis Christi virtutem non exhau-

Adversus Albertini cavillationes propugnatur Catholicus S. Ephrem sensus.

hauriunt quicumque spiritaliter corpus ejus manducant & sanguinem bibunt. An credendum virtutem pani impressam ex toto Christo, non ex aliqua ejus parte dumtaxat derivari? Nemo umquam fuit, opinor, cujus mentem adeo stulta subierit dubitatio, & ineptum est fingere quod eam S. *Ephrem* prævenire voluerit. An ita locutus est, quod fides Christum integrum semper complectatur? At id falsissimum est, cum fides operationes suas eliciat secundum modum nostrum intelligendi: mens vero humana objecta quævis composita dividere possit, & unam absque altera partem contemplari, immo ipsam id præstare sæpe necesse est. Illa igitur Agni integri manducatio, quam certissima fide credendam admonet S. *Ephrem*, oralis manducatio est: qua quis existimare posset se partem dumtaxat Christi comedere, quia partem tantum signorum Sacramentalium recipit. Tertio quid sibi volunt hæc verba, in sententia Calvinistarum: *Ignis immortalis sunt mysteria Christi, cave ea temere scruteris, ne in ipsorum participatione comburaris?* Immo vero curiose scrutanda viderentur, si Calvinistarum sensus verus esset; siquidem nihil esset in iis quod movere posset offensionem, nihil omnino quod facillime credi non posset. Numquid enim captum superat humanæ mentis, quod Christus Corporis Sanguinisque sui figuram instituerit, cujus nos voluerit esse participes: meditando mortem ipsius, ut hac meditatione mortis ejusdem fructum, ac pretiosi Sanguinis virtutem percipiamus? Quarto quisnam erit sensus illius comparationis, quam S. *Ephrem* instituit inter *Angelos terrenos cibos manducantes & homines ignem ac Spiritum comedentes*, nimirum *Christi Corpus ac Sanguinem?* Si enim de sola Sacramenti & Corporis typici manducatione hæc verba intelligantur, ubinam illud *Miraculum quod omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem*, ut S. *Ephrem* loquitur? Si vero de manducatione spirituali Corporis Christi exponantur, quænam erit ratio componendi corpoream & realem Angelorum manducationem, cum spiritali Corporis Christi manducatione, quæ metaphorica tantum esset? Quomodo ista dici posset admirabilior?

Nec fœlicius respondet secundo *Albertinus*, probabilius videri *Ephrem* hic agere de proprio Corpore & Sanguine Domini, atque de eorum participatione, non in Eucharistiæ usu, sed in ipso Passionis actu per fidem spectatorum. Eo autem sensu rectissime dicere, eum qui Corpus & Sanguinem Christi pro nobis in cruce immolati fide plena participat, certum esse debere se Agnum integrum, id est, non solum Christum hominem, sed & eumdem Christum Deum comedere. Miraculum autem illud est quod *Ephrem* tantopere effert, quodque præcellere dicit miraculo Angelorum ab *Abraham* cibatorum. Hæc, inquam, *Albertini* responsio inanis est; ibi enim de participatione Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia S. *Ephrem* agere, evidenter ostendunt quæ præmittit de Eucharistiæ institutione, & adhortatione ad Sacramentorum participationem. Deinde nusquam de alia manducatione, præterquam de Sacramentali dictum est: *Christus donavit nobis Corpus suum sanctum & immaculatum, ut jugiter eo vescamur*. Hæc enim verba ex Liturgia accepta, sacramentalis communionis ideam animo ingerunt. Præterea ineptus est sensus, quem his *Ephrem* verbis, *Certus quod Agnum ipsum integre comedas*, Albertinus affingit. Enimvero si manducare spiritaliter Christum Deum & hominem nihil aliud est, quam ipsum ut Deum & hominem fide complecti, impossibile est, ut quis ita manducet Agnum integrum, nisi certus sit se manducare, cum certi simus nos cogitare & meditari, hoc ipso quod cogitamus atque meditamur. Sicut ergo inepte loqueretur, qui homini de Deo cogitanti diceret; Certus sis quod de Deo cogites: ita inepte S. *Ephrem* dixisset illi qui Christum ut Deum & hominem fide perciperet, *Certus quod Agnum ipsum integre comedas*.

Objicit *Albertinus*, Ephrem appellare Eucharistiam figuram Corporis & Sanguinis Christi. *Diligenter intuere*, inquit, *quomodo in manibus panem accipiens, benedixit ac fregit in figuram immaculati corporis sui, calicemque in figuram pretiosi sanguinis sui benedixit, deditque Discipulis suis: & esto tu quoque Sacramentorum ejus particeps*. Verum de figura quæ Christi corpus & sanguinem realiter includat, intelligendum esse S. *Ephrem*, verba illa evidenter ostendunt: *Participa immaculatum corpus & sanguinem Domini tui fide plenissima, certus quod Agnum ipsum integre comedas*, &c. Fides enim illa plenissima, quam postulat, ad dubium, quod circa Mysterium illud oriri posset, dispellendum, sensum figuræ ac virtutis, qui dubitationem hujusmodi non parit, manifeste excludit.

S. Epiphanius Dogma Catholicum de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia confirmat.

II. *Ephrem* Edessenæ Ecclesiæ Diacono S. *Epiphanium* Constantiæ in Cypro Episcopum subjungimus, qui in *Ancorato* allegorias *Origenis* circa Paradisi creationem, ejusque de imagine Dei in homine fanaticam (ut vocat) opinionem explodens, ait: *Fidelium porro est Scripturarum veritatem non inficiari, sed ingenue profiteri, quemadmodum infidelium est repudiare gratiam. Quapropter inest quidem in homine illud ipsum quod ad imaginem expressum dicitur: cujusmodi vero sit illud, soli Deo cognitum est. . . . Cæterum quæ ab illo constituta sunt, subtrahere nolumus. Verus enim est ille, qui ad imaginem ut esset, homini sua gratia largitus est*. Tum inter exempla quæ afferre se posse asserit, rerum quæ credi debent, quamvis non appareant, Eucharistiam specialiter adducit, in qua creditu difficile est esse corpus Christi, cum non appareat, sed solum videatur aliquid rotundum & sensus expers; & nihilominus Christianorum nemo est qui Eucharistiam Christi corpus esse non credat propter authoritatem Christi dicentis: *Hoc est Corpus meum*. S. Epiphanium loquentem audiamus: *Et nonnulla*, inquit, *his similia proponi possunt. Videmus enim Salvatorem ipsum panem in manus accepisse, ut in Evangelio legitur: Quod a cœna surgens hæc acceperit, & gratias agens dixerit*, Hoc meum est hoc. *Atqui videmus æquale illud non esse, nec simile; non susceptæ carnis imagini, non divinitati ipsi quæ videri non potest; non membrorum lineamentis ac notis. Illud enim rotundum est, & quod ad vim attinet, sensus expers: & nihilominus ex gratia* (id est per authoritatem & potestatem natura superiorem) *pronuntiare voluit*: Hoc meum est hoc. *Neque quisquam est qui ei sermoni fidem non adhibeat. Nam qui verum illum esse non credit, a gratia & salute prorsus excidit. Verum quæcumque tandem audierimus, ac crediderimus, ipsius esse credimus: Dominum vero nostrum totum esse sensum, ac totum sensu præditum novimus, totum Deum, totum moventem, totum efficientem, totum lumen, totum incomprehensum, qui hoc nobis pro sua gratia largitus est*. Quis sibi persuadeat S. *Epiphanium* eo in loco, in quo sibi probandum sumpserat, veritatem verborum Dei per allegorias non esse dissolvendam, adduxisse hanc propositionem *Hoc est Corpus meum*, tamquam locutionem figuratam & allegoricam, & hoc sensu accipiendam: *Hoc est figura Corporis mei?* Sane licet *infirmus ut plurimum in disputationibus adversus hæreses susceptis* a Photio S. Epiphanius appelletur; non ita tamen fuit mentis inops, ut causam suam proderet, ut adversariis arma subministraret, ubi ipsos impugnabat, ut pugnantia in eadem pagina loqueretur: cavisset autem *Origeni*, quem fanaticum propter Scripturas in allegoricum sensum ubique detortas, & sensum literalem eversum, ibidem appellat, si propositionem figuratam, adversus ipsum disputando, in exemplum adduxisset; Origenistis arma subministrasset adversus seipsum; secum ipse pugnasset, probans Scripturæ verba simpliciter non figurate accipienda, & Dei verbis fidem adhibendam; quantumvis non appareat eorum effectus, ex eo quod nemo sit qui fidem non adhibeat figuratæ locutioni Christi dicentis, *Hoc est Corpus meum*, id est: Hic panis est figura Corporis mei, ejus virtute inundata. Præterea, speciei externæ repugnantiam in Eucharistia cum sensu horum verborum, *Hoc est Corpus meum*, S. Epiphanius indigitat, quæ tamen fide vincatur quam Domini sermoni, adhibemus. At species externa repugnantiam nullam præseferret cum sensu horum verborum, si figurate accipienda essent; nec difficile creditu esset, Christum instituisse ut panis esset corporis

sui

sui figura, Non existimavit igitur *S. Epiphanius* hæc Domini verba figurate esse accipienda, sed proprie.

Eamdem veritatem confirmat *S. Epiphanius*, cum in *Expositione fidei*, tum in *Anacephalæosi*, his verbis: *Ecclesia tranquillus pacis portus est, & suavitas quædam vitis cyprum redolens, & botrum nobis benedictionis proferens; nec-non & præsentissimum illud abstergendo mœrori, potum, merum scilicet ac verum Christi sanguinem quotidie largiens.*

Absurda Albertini responsio.

Respondet *Albertinus*, Epiphanium hic agere de Christo vero benedictionis botro, deque ipsius sanguine, quatenus eum quotidie Ecclesia nobis largitur, non per viam Eucharistiæ, sed per viam prædicationis. Quo sensu ajebat Hieronymus: * *Consuetudo apud nos istiusmodi est, ut his qui baptizandi sunt, per quadraginta dies tradamus sanctam, & adorandam Trinitatem.* Verum ineptam esse hanc responsionem duo demonstrant: 1. Quod licet hoc verbum, *tradere*, quandoque usurpent Authores, cum de doctrina sermo est, nusquam tamen hoc verbum, *largiri*, adhibent, cum de institutione, disciplina, vel prædicatione agitur? Nemo enim umquam dixit, Sacerdotes largiri baptizandis Sanctam Trinitatem, ut significaret illos hoc Mysterium edoceri. Cum itaque *S. Epiphanius* dicat, *Ecclesiam largiri nobis quotidie verum Christi Sanguinem*, *αἷμα Χριστοῦ χαριζομένη*, id ad prædicationem referre absurdum est. 2. Hujus responsionis absurditas ex eo patet, quod in eo *S. Epiphanii* loco ne verbum quidem sit minimum, quo ad prædicationem ac doctrinam referenda esse appareat, quæ de Corpore & Sanguine Christi habet.

Advers. errores Joannis Hierosolymit.

Altera Albertini evasio.

Respondet secundo *Albertinus*, recte accipi posse *Epiphanii* verba de sanguine Domini typico, hoc est, de vino Sacramentali, quod purum & verum vocat, ad differentiam falsorum & impurorum sanguinis symbolorum ab Hæreticis administratorum. Sed hæc mera evasio est. Si enim hoc sensu Eucharistiam esse merum ac verum Christi sanguinem *S. Epiphanius* significare voluisset, id verbis aliquibus innuisset, cum sensus ille adeo remotus sit, ut nisi exprimatur, nullus illud divinare possit Oedipus. *Verum* itaque *Christi Sanguinem* appellavit, ut proprium ejus sanguinem in Eucharistia nobis dari indigitaret, atque hac veri sanguinis appellatione dubium destrueret, quod circa hoc Mysterium suboriri potest. Dubium autem illud non est de figura aut virtute, sed de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi. Voces igitur illæ, *Merum ac verum Christi Sanguinem*, sunt realis præsentiæ proprii Sanguinis Christi in Eucharistia confirmatrices.

Objicit *Albertinus* hæc *S. Epiphanii* verba ibidem, *Cibus quidem panis est, sed virtus in eo est ad vivificationem.* Ex quibus colligit, panem non fieri corpus Christi per substantialem sui mutationem, sed per adeptionem virtutis; & Eucharistiam corpus illius esse virtute, non substantia.

Respondeo, *S. Epiphanium* nomine virtutis, quæ Eucharistiæ inest, (quam panis nomine designat, habita ratione materiæ ex qua conficitur, specierumque superstitum) non intelligere virtutem separatam, sed virtutem cum Christi corpore conjunctam, & quæ ad substantialem panis mutationem in corpus Christi plenum virtutis & efficaciæ consequitur. Quamobrem falso colligit *Albertinus*, Eucharistiam non esse Corpus Christi substantia, sed sola virtute.

ARTICULUS XV.

SS. OPTATUS MILEVITANUS, & GAUDENTIUS BRIXIENSIS, stant pro Reali Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia.

Eucharistia pignus salutis æternæ, tutela fidei, spes Resurrectionis.

I. **O**Ptatus *Milevitanus* lib. 4. *contra Parmenianum*, Donatistarum furores & impietates commemorans hæc habet: *Quid tam sacrilegum quam altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis, frangere, radere, removere, in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt, quo Deus omnipotens invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus Sanctus, unde a multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est?* Et infra: *Quid est altare, nisi sedes Corporis & Sanguinis Christi?* Et rursum: *Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta Corpus & Sanguis habitabat?* Et infra: *Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices Christi Sanguinis portitores.* Eucharistiam Corpus & Sanguinem Christi simpliciter vocat *Optatus*, non typum aut figuram. Quod vero metaphoricam locutionem semper usurpaverit, ne semel quidem propriam, verisimile non est; cum metaphoricæ locutionis continuatio sit contra morem hominum, quos natura ad conceptus suos simpliciter exprimendos impellit. Præterea, si Eucharistiam corpus & sanguinem Christi typicum dumtaxat non proprium censuisset *Optatus*, Corpus & Sanguinem Christi in Altari per certa momenta habitare non dixisset, sed semper; cum Altaria ipsa & lapides, crux, &c. Christi signa sint. Tertio cum ait, *quo postulatus descendit Spiritus S.*, alludit ad invocationem Spiritus Sancti, in Liturgia contentam, qua postulatur ut descendat super dona in altari proposita, & panem faciat corpus, vinum vero sanguinem Christi. Porro non postulatur Spiritus Sanctus ut panem & vinum faciat figuras corporis & sanguinis Domini. Rogatur namque ut descendat super dona proposita ad mirabile aliquid operandum, & quod naturæ vires superat. Non est autem miraculum ut panis significet corpus Christi, & vinum ejus sanguinem supposita generali Christi institutione. Et licet super aquas Baptismatis & super Chrisma Spiritus Sanctus invocetur, non tamen, ut simpliciter signa sint, sed instrumenta & organa Dei ad gratiam producendam. Nec propterea invocatur Spiritus Sanctus, ut aquam Baptismatis faciat sanguinem Christi, & ut Chrisma faciat Spiritum Sanctum; sicut invocatur ut panem faciat corpus, & vinum sanguinem Christi, ea immutans.

Altare sedes Corporis & Sanguinis Christi.

S. Gaudentius.

II. *Gaudentius Brixiensis* Episcopus Tractatu II. in Exodum, etsi Eucharistiam *figuram Passionis hæreditarium munus Novi Testamenti*, *pignus præsentiæ Christi* appellet; licet rationes exponens cur panis & vinum assumpta sint ut materia sacrificii Novæ Legis id factum esse doceat, quia corporis & sanguinis Christi figuræ sunt: tantum abest ut realem ejusdem sacri corporis & pretiosi sanguinis præsentiam ab hac Passionis imagine, ab hoc Novi Testamenti munere, ab hoc præsentiæ Christi pignore, ab hoc *panis & vini Mysterio*, ab hoc *Sacramento* excludat, ut eam potius includat, approbet, & confirmet. Gratiæ namque statum, ut qui veritatem contineat, statui Legis opponens, quæ umbras dumtaxat & figuras continebat, ita loquitur: *In umbra illius legalis Pascha non unus agnus occidebatur; sed plures. Singuli enim occidebantur per domos; nam sufficere unus non poterat universis, quoniam figura erat, non proprietas Dominicæ Passionis. Ergo in hac veritate qua sumus, unus pro omnibus mortuus est; & idem per singulas Ecclesiarum domos in Mysterio panis ac vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Hæc Agni caro, hic sanguis est. Panis enim qui de cœlo descendit, ait:* Panis quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita. *Recte etiam vini specie, sanguis ejus exprimitur, quia cum ipse in Evangelio dicit;* Ego sum vitis vera: *Satis declarat Sanguinem suum esse omne vinum quod in figura Passionis ejus offertur. . . . Ipse igitur naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia potest & promisit, efficit proprium corpus, & qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum.*

Idem Agnus per singulas Ecclesias in Mysterio panis & vini reficit immolatus.

Christus, quia potest & promisit, de pane efficit proprium Corpus.

Et infra: *Quod generaliter exposuimus de edenda carne Agni, specialiter in degustandis servandum est iisdem Mysteriis Dominicæ Passionis, ut neque crudam carnem, crudumque sanguinem, sicut Judæus esse putes & conspuas, dicens:* Quomodo potest iste dare carnem suam ad manducandum? *Neque in olla cordis carnei ipsum decoquas Sacramentum, commune illud ac terrenum esse existimans, sed ut per ignem divini Spiritus id effectum, quod annuntiatum est, credas: quia quod accipis, Corpus est illius panis cœlestis, & Sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum & vinum Discipulis suis porrigeret, sic ait:*

Hoc

Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus. *Credamus, quæso, cui credidimus. Nescit mendacium veritas... Pariter universa quemadmodum tradita sunt credamus, non confringentes os ipsius illud solidissimum,* Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus. *Si quid autem superfuerit etiam nunc in uniuscujusque sensu, quod expositione ista non reperit, ardore fidei concremetur: Quoniam Deus noster ignis consumens est.* S. Gaudentius discrimen statuit inter statum Veteris Legis, & Novæ, quod in Veteri Lege non unus Agnus occidebatur, sed plures; At in ea veritate in qua sumus, unus per singulas Ecclesiarum domos in Mysterio panis & vini reficiat immolatus, nullum porro discrimen esset, si Christus in Eucharistia typice duntaxat immolaretur, solumque corpus ejus typicum realiter manducaretur ore corporis, proprium vero spiritaliter tantum per fidem. Sic enim & in Veteri Lege unus & idem agnus sacrificabatur & comedebatur, quia agni per singulas domos immolati unum eumdemque Christum verum Agnum præfigurabant. Secundo, *S. Gaudentius* argumentum ducit ab omnipotentia divina, & a divinorum veracitate promissorum, ut probet panem fieri Christi Corpus, & omnipotentiæ ejusdem opus esse demonstrat, ut fiat de pane Corpus Christi, cujus est ut fiat de terra panis; majusque miraculum ut fiat de vino Sanguis Christi, quam cum ex aqua factum est vinum. Quod ratiocinium ineptum esset, absurdusque loquendi modus, si panis Eucharisticus fieret solum figura Corporis Christi, & vinum figura pretiosi Sanguinis. Tertio hæc verba *Proprium Corpus*, aperte ostendunt *Gaudentium* de Corpore typico & Sacramentali duntaxat non loqui. Quarto dubium contra quod munit Fideles, nec circa rationem figuræ, nec circa virtutem & efficaciam versatur, cum neutrum sit creditu difficile: versatur itaque circa realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, in cujus fide ipsos confirmat.

ARTICULUS XVI.

S. CHRYSOSTOMUS BERENGARIO, cæterisque Sacramentariis contrarius.

I. INnumera sunt *Joannis Chrysostomi* loca, in quibus dogma Catholicum de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia confirmat. Pauca ex multis proferam. Primum, lego *Homilia* 51. *in Matthæum*, ubi prædicans Christianorum omnium fœlicitatem præ eorum sorte qui vestimentum Christi contingentes sanitatem recipiebant, sic loquitur: „ Non tantum ejus vestimentum, sed & corpus „ ipsius nunc nobis propositum est, nec ut tangamus modo, verum quoque ut edamus & repleamur. Accedamus igitur cum fide unusquisque infirmitate affectus. Nam si qui fimbriam vestimenti ejus tetigerunt, tantam traxerunt virtutem, quanto magis totum illum possidentes? Cum fide autem accedere, non solum est id quod propositum est accipere, sed & mundo corde tangere, & sic affici ut ad Christum ipsum accedentes. Quid enim si vocem ipsius non audis? Sed ipsum vides jacentem: immo vocem ejus audis per Evangelistas loquentis. Credite igitur quia nunc & cœna illa est, in qua Christus recumbebat. Nihil quippe interest inter hanc & illam. Neque enim hanc operatur homo, illam vero ipse: siquidem hanc & ipse efficit. Quando igitur Sacerdotem tibi dantem videris, noli arbitrari Sacerdotem id facere, sed esse ipsius Christi manum extensam „. Eucharistiam vestimento Christi opponit *S. Chrysostomus* non quasi signum sacratius & efficacius, sed ut totum Christum, quem jacentem in altari videmus, & tangimus. At si Eucharistia figura tantum esset corporis & sanguinis Christi, quamvis efficax, non magis vocari posset totus Christus quam ejus vestimentum, quod etiam corporis ejus sacratissimi signum erat, ab illoque virtutem trahebat. Præterea si nihil interest inter Eucharistiam, & cœnam illam, in qua Christus recumbebat, realiter præsens est in Eucharistia, sicut realiter præsens erat in ultima cœna.

Nihil interest inter Eucharistiam & Cœnam in qua Christus recumbebat.

Secundum testimonium legitur Homilia 83. in eumdem Evangelistam. *Credamus ubique Deo*, inquit, *nec contradicamus ei, etiamsi quod dicit, contrarium videatur cogitationi & oculis nostris; sed ipsius sermo superet & cogitationem nostram & oculos. Sic & in Mysteriis faciamus, non ad proposita solum aspicientes, sed verba ejus teneamus. Sermo quippe ejus decipere nequit, sensus autem noster deceptu facilis est: ille nunquam aberrat; hic vero sæpius fallitur. Quandoquidem igitur sermo ait*: Hoc est Corpus meum, *persuasi simus, & credamus, & oculis intellectualibus id aspiciamus. Nihil enim sensibile dedit nobis Christus, sed rebus quidem sensibilibus intelligibilia omnia.* Ad credendum aliquid difficile de Eucharistia *S. Chrysostomus* Fideles adhortatur, & quod sensuum nostrorum ac rationis judicio repugnet; cui tandem ut adhibeatur fides, opus est Christi authoritate dicentis, *Hoc est Corpus meum*. Porro nec sensuum, nec rationis judicio repugnat quod Eucharistia sit panis & vinum, quibus ratio figuræ, & spiritalis quædam efficacia accesserit. Deinde si Eucharistiam esse duntaxat corpus Christi typicum *S. Chrysostomus* intellexisset, hic ejus sensus esset plane absurdus: Quandoquidem Christus ait, *Hoc est Corpus meum*, persuasi simus, & credamus esse figuram corporis ipsius.

Pergit S. Chrysostomus: *Quot modo dicunt, Vellem ejus videre formam, & speciem, & vestimenta, & calceamenta! Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Et tu quidem vestimenta videre cupis; ipse autem tibi dat non tantum videre, sed & tangere, & edere & intus sumere.* Ridicula erit illa *S. Chrysostomi* oratio, si Calvinianus illi sensus affingatur. Sensus enim erit: Tu vestimenta videre cupis, ipse autem tibi dat non tantum videre, sed tangere, & edere, & intra te sumere figuram corporis sui. Hæccine major fœlicitas quam illorum qui formam ejus & speciem videbant? *Non exiguum supplicium*, inquit S. Chrysostomus, *indigne participantes incurrunt. Cogita quanta indignatione adversus Proditorem & crucifigentes percitus sis. Vide ergo ne & tu quoque corporis & sanguinis Christi reus efficiaris. Illi Sacrosanctum corpus trucidarunt, tu post tanta beneficia sordida suscipit anima.* Idem corpus impii polluta suscipiunt anima in Eucharistia, quod crucifigentes trucidarunt. Cum ergo non trucidarint Corpus Christi typicum, sed verum & proprium, impii polluta anima suscipiunt non corpus typicum dumtaxat Domini, sed verum & proprium corpus. Nec spiritaliter tantum manducatur, siquidem illud manducant & impii. *Non sufficit ipsi*, inquit, *hominem fieri, nec flagellis cædi & jugulari; sed & seipsum nobis permiscet, & non fide solum, sed reipsa corpus suum nos efficit. Qua igitur re mundiorem non oportet esse eum qui hujus Sacrificio participaturus est? Quales radios solares non deberet puritate excedere manus illa quæ discindit hanc carnem, os quod impletur igne spiritali, lingua purpurata tremendo hoc sanguine?... Ea re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pavore propter emicantem inde fulgorem aspicere possunt; & nos in unam cum illo massam reducimur; facti sumus unum Christi corpus & una caro.* Gradationem quamdam ad Christi in nos amorem commendandum *S. Chrysostomus* instituit, cujus robur omne & venustas concideret, si typicum dumtaxat corpus & sanguinem Christum nobis dedisse intelligeret. Sensus enim esset: Non sufficit ipsi hominem fieri, nec flagellis cædi & jugulari, sed & panem ac vinum in figuram corporis & sanguinis sui nobis dedit. Quo loquendi modo quid absurdius? Præterea, hæc verba, *Seipsum nobis permiscet, & non fide solum; sed reipsa suum nos efficit corpus*, non solum inepta essent, sed & falsa, si solam corporis sui figuram nobis in Eucharistia Christus traderet, aut ejus proprium corpus sola fide manducaremus. Tertio, licet figuratæ sint hæ S. Chrysostomi locutiones, *Manus quæ discindit hanc carnem, os quod impletur igne spiritali, lingua purpurata tremendo sanguine*, figura tamen non est in vocibus *carnis & sanguinis*, sed in vocibus dissectionis & purpuræ; quæ tribuuntur carni & sanguini, cum speciebus Sacramentalibus ipsam carnem, ipsumque

san-

Non minoris sceleris rei sunt, qui Eucharistiam indigne sumunt, quam qui Christum trucidarunt.

Christus re ipsa nos suum corpus efficit.

Ea re alimur, quam Angeli videntes tremunt.

sanguinem obvelantibus conveniat. Immo hæ metaphoræ ineptæ essent, nisi caro & sanguis Christi realiter in Eucharistia præsentes essent, & ore corporis reciperentur. Sicut apta & conveniens est metaphora, qua quis hominem tangere dicitur, licet vestem dumtaxat, qua indutus est, tetigerit: unde cum Mulier Hemorrhoissa fimbriam vestimenti Christi tetigit, dixit Christus. *Quis me tetigit?* Si vero tangatur vestimentum quo indutus quis non est, nulla ratione tangi homo ipse dicitur. Quarto, ea re nos alimur in Eucharistia, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pavore, propter emicantem inde splendorem, aspicere possunt. Idne vero de corpore symbolico dici potest, id est, de pane dato in figuram corporis Christi? Nec solum nos ali ea re quam Angeli trementes vident, *S. Chrysostomus* asserit, id est, Christi corpore, sed nos in unam cum illo massam reduci; & fieri unum Christi corpus, & unam carnem; quod sane majorem unionem, quam spiritalem & mysticam significat.

Christus sanguine proprio nos nutrit.

Addit S. Chrysostomus: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis Pastor unquam propriis membris oves nutrivit? Et quid dico, Pastores? Multæ matres sæpe aliis nutricibus infantes dederunt: ipse vero non ita, sed ipse nos sanguine proprio nutrit, & per omnia se nobis conglutinat.* Quæ certe comparationes insulsæ erunt, si *S. Chrysostomi* verba in sensum Calvinianum detorqueantur. Sensus enim erit: Quis Pastor oves propriis membris nutrivit, sicut vos pasco figura corporis mei? Multæ matres aliis nutricibus infantes dederunt: sed Christus nos figura sui sanguinis nutrit, & per omnia se nobis conglutinat. In quo loquendi modo ne umbra quidem esset boni sensus. Denique subdit S. Chrysostomus: *Non sunt humanæ virtutis opera proposita. Qui tunc illa fecit in illa cœna ipse & nunc hæcce operatur. Ministrorum vice fumus: Qui vero hæc sanctificat & transmutat, ipse est.* Transmutationis quidem nomen secundum se indifferens est ad mutationem seu substantialem, seu accidentalem designandam, ac ex materia subjecta ad hanc aut illam significandam determinatur. Qua in re probanda inutilem collocavit operam *Albertinus*, cum id Catholici Doctores non inficientur. Sed si umquam transmutationem substantialem designat, maxime in hoc *S. Chrysostomi* loco, ut ex antecedentibus patet. Christum enim panem & vinum transmutare docet, non ut sint figuræ dumtaxat corporis & sanguinis sui, aut eorum virtute repleantur, sed ut sint proprium ejus corpus & sanguis, quibus nos alit, quibus se nobis commiscet, quæ tangimus, comedimus, & intra nos sumimus.

Quod est in Calice, est id quod fluxit ex latere. Vel hic unus S. Joannis Chrysostomi lo*cus invicte probat ipsum non sensisse Christi corpus post Resurrectionem esse exangue, ut ipsi affinxit* Petrus Alix *Carentonicus Minister, in Dissertatione De* Sanguine Christi.

Non minus egregius est ac luculentus locus alter *S. Joannis Chrysostomi* ex Homilia 24. in Epistolam 1. ad Corinthios, ubi explicans hæc verba: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* ait: *Valde fideliter dixit & terribiliter. Hoc est autem quod dicit: Id quod est in Calice est id quod fluxit e latere, & illius sumus participes.* Fluxit autem ex Christi latere verus & proprius sanguis. Igitur verus & proprius sanguis est in calice: *Eum ipsum effudit, ne maneremus in errore, & non solum effudit, sed etiam eum ipsum nobis impertiit. Quamobrem, si sanguinem, inquit, cupit, non aram idolorum brutorum cæde, sed meum altare meo cruenta sanguine. Quid est hoc horribilius? Quid autem amabilius? Hoc faciunt etiam qui amant. Cum viderint eos quos amant, aliena concupiscere, & propria despicere, sua dantes, persuadent ut abstineant ab iis, quæ sunt illorum. Sed qui amant quidem in possessionibus, & pecuniis & vestibus suam ostendunt liberalitatem & magnificentiam: in sanguine autem nullus unquam. Christus autem etiam in eo suam nostri ostendit curam, & ardentem in nos caritatem. Et in veteri quidem Lege quoniam affecti erant imperfectius, quem idolis offerebant sanguinem eum ipse sustinuit suscipere, ut ab illis abduceret. Hic autem in eo quod est longe horribilius & magnificentius, sacram constituit operationem, ut qui & ipsum mutavit sacrificium & pro cæde brutorum seipsum jussit offerri.* Christus seipsum in Altari jussit offerri & sacrificium illud longe horribilius est & magnificentius, quam veterum sacrificia victimarum. At si typicum dumtaxat Sacrificium esset & in signo tantum se jussisset offerri, inepte opponeretur hac in re Sacrificium Altaris Legis Veteris sacrificiis: siquidem in singulis illis sacrificiis Christus etiam offerebatur in figura, nec terribilius quid ac magnificentius esset oblatio panis & vini in commemorationem Passionis Christi, quam oblationes Legis Mosaicæ, quæ eamdem oblationem præsignabant. Liberalitatem etiam & magnificentiam amoris Christi erga nos insulsa & sensus experte oratione *Sanctus Chrysostomus* commendaret, si typicum sanguinem dumtaxat ab eo in Eucharistia nobis datum intelligeret. Sensus enim ejus esset: Qui amant, liberalitatem suam ostendunt in distributione pecuniarum, vestium, similiumque munerum: nullus vero Sanguinem suum pro munere dedit. At Christus ardentem in nos caritatem ostendit, dando nobis figuram Sanguinis sui. Quo sermone quid absurdius esset?

Per Eucharistiam unimur Christo, quemadmodum Corpus ejus ipsi unitum est,

Ibidem exponens hæc Apostoli verba: *Panis quem frangimus, non-ne communicatio Corporis Christi?* ait: *Cur non dixit participatio? Quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare conjunctionem. Non solum enim communicamus, eo quod sumus participes & sumimus, sed etiam eo quod uniamur. Quemadmodum enim corpus illud unitur Christo, sic & nos ei per panem hunc unimur.* Si moraliter dumtaxat & mystice Corpori Christi per Eucharistiam uniremus, non posset nisi inepte nostra illa conjunctio comparari unioni Corporis Christi cum ipsomet, quæ realis est ac secundum substantiam. *Neque solummodo corpus suum dedit*, inquit Sanctus Chrysostomus, *sed quoniam prior carnis natura e terra ficta, a peccato prius morte erat affecta, & vita privata; aliam, ut ita dicam, massam & fermentum induxit, suam carnem, qua natura quidem erat eadem, a peccato autem libera & vita plena: & dedit eam omnibus participandam, ut ea nutriti, priori, quæ erat mortua, deposita, per hanc Mensam in vitam immortalem contemperaremur.* Carnem suam vita plenam Christus nobis participandam dedit, eamque in nos velut massam & fermentum quoddam inducit, ut ea nutriamur. At hæc verba realem omnino, non mentalem receptionem, aut spiritualem manducationem significant.

Christi carne, velut vivifico fermento in vitam immortalem contemperamur.

Qua animi munditia ad Eucharistiam accedere debeamus.

Addit S. Chrysostomus: *Si quis Regem non temere, nec inconsiderate exceperit: quid dico Regem? Ne vestem quidem certe Regiam temere & inconsiderate immundis manibus contrectaverit quisquam, etiamsi sit in solitudine, etiamsi sit solus, etiamsi nemo adsit: atqui nihil est aliud vestis quam stamen vermium. Sin autem tincturam admiraris, ipsa quoque est sanguis piscis morte affecti; sed tamen nemo eam voluerit aususve fuerit immundis contrectare manibus. Si autem vestem hominis ne ausus quidem fueris quisquam solum tangere, quomodo Dei Corpus qui est super omnia, quod est mundum, & nulli affine reprehensioni, quod cum illa divina natura est conversatum, propter quod sumus & vivimus, propter quod fractæ sunt portæ inferorum, & aperti fornices cæli, hoc accipiemus cum tanto probro & contumelia: Ne rogo, ne nos ipsos occidamus per imprudentiam, sed cum timore & summa puritate ad ipsum accedamus; & quando ipsum videris propositum, dic: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra & cinis; non sum amplius captivus, sed liber; propter hoc spero me accepturum cælos & omnia bona quæ in eis sunt, vitam immortalem, Angelorum conditionem, cum Christo consuetudinem. Hoc corpus clavis confixum, &c. Hoc corpus nobis dedit & tenendum, & comedendum.* Si ad Sacramentariorum sensum *S. Chrysostomi* trahatur oratio, elumbis erit, jacens, & pene inepta; non enim amplius præclara illa gradatio promicabit a persona aut veste Regis ad Corpus Christi, in qua tota vis ac venustas orationis hujus posita est; sed inter Regem & figuram Christi comparatio tota versabitur: sensusque tanto Oratore plane indignus hic erit: Si corpus Regis, aut Regiam vestem sordidis contrectare manibus nemo audeat, quomodo Corporis Christi figuram cum tanta contumelia recipiris?

Idem Christi Corpus videmus in Altari, quod in præsepi adoraverunt Magi.

Præterea, Corpus illud suum Christus dat nobis & tenendum, & comedendum, quod clavis confixum est,

est, quod divinæ naturæ conjunctum, propter quod cœli nobis aperti sunt, propter quod vitam spetamus immortalem. Hoccine corpus typicum est? Sequentia audiamus. *Hoc corpus etiam jacens in præsepi reveriti sunt Magi: & viri barbari, patria & domo relicta longam viam confecerunt, & cum venissent, cum multo metu & tremore adorarunt. Imitemur ergo vel barbaros nos cœlorum cives. Nam illi quidem cum & in præsepi vidissent, & in tugurio, neque tale quidpiam vidissent quale tu nunc, cum magna accesserunt reverentia. Tu autem non in præsepi vides, sed in altari; non fœminam eum tenentem, sed Sacerdotem adstantem, & Spiritum cum magna copia ea quæ sunt proposita supervolantem. Non solummodo hoc ipsum corpus vides, sicut illi; sed nosti ejus & virtutem & dispensationem, & nihil ignoras ex iis quæ per ipsum effecta sunt ..... Hæc Mensa est nervi nostræ salutis, mentis vinculum, fiducia fundamentum, spes, salus, lux, vita.* Inepte & falso dixisset *S. Chrysostomus* nos hoc ipsum corpus in altari videre, quod Magi in præsepi viderunt & adorarunt, si sola ejus figura in Eucharistia esset. Nec Magis superiores ac fœliciores dici jure possemus; cum fœlicior non sit qui Christi videt imaginem, iis qui Christum ipsum conspexerunt & adorarunt.

Eucharistia spes, salus, lux, vita.

Futilis Albertini Responsio.

II. Respondet *Albertinus*, prærogativam quam nobis supra Magos *Chrysostomus* tribuit, non in eo consistere, quod Christum potius quam illi videamus; sed in eo quod licet Christum viderint, & tamquam Regem venerati sint; virtutem tamen ejus & admirandæ Passionis ac mortis ejus effectus non cognoverint, ea autem nos videamus, & spectemus in altari, in pane scilicet & poculo Eucharistico.

Verum ex *S. Chrysostomi* verbis perspicuum est, ipsum Christianorum conditionem fœlicitati Magorum anteponere propter objectum ipsum quod vident, quia Christus nunc in statu nobiliori conspicitur & adoratur a nobis, quam sit visus & adoratus a Magis; & altare convenientior ejus Majestati locus est, quam stabulum & præsepe. *Nam illi quidem cum & in præsepi vidissent, & in tugurio, neque tale quidpiam vidissent, quale tu nunc, cum magna accesserunt reverentia. Tu autem non in præsepi vides, sed in altari.* Hic *S. Chrysostomi* sensus ex Homilia de Sancto *Philogonio* confirmatur. *Hæc Mensa*, inquit *explet vicem præsepis. Nam & hic jacet corpus Dominicum, non fasciis involutum, sicut tunc, sed Spiritu undique Sancto involutum. Qui Mysteriis initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur. Magi quidem nihil aliud quam adorarunt, tibi vero si cum pura conscientia accesseris, nos concedemus ipsum sumere, & domum abire.*

Respondet *Albertinus*, Chrysostomum hic non intelligere visionem corporalem Christi tamquam in mensa Eucharistica per corporis sui substantiam reipsa præsentis, sed mentis intuitu per signa Eucharistica excitatam. Sic enim *Hieronymus* ad Marcellam: *Sepulchrum Domini quotiescumque ingredimur, toties jacere in sindone cernimus Salvatorem involutum.* Et de *Paula* loquens: *Me audiente, jurabat cernere se oculis fidei Infantem pannis involutum, vagientem in præsepi, Magos Dominum adorantes.*

Verum magnum discrimen est inter ea quæ de Eucharistia *S. Chrysostomus* edisserit, & quæ de se ipso & de S. Paula *S. Hieronymus* commemorat. Summam Christi bonitatem non admiratus *S. Hieronymus*, quod corpus suum *S. Paulæ* videndum & tangendum dederit in præsepi Bethleemetico; admiratur & prædicat *S. Chrysostomus* quod videndum ipsum corpus suum nobis dederit & tangendum sub Sacramento; τῦτο τὸ σῶμα ἔδωκεν ἡμῖν καὶ κατέχειν καὶ ἐσθίειν. Non asserit *S. Hieronymus*, *S. Paulam* vidisse idem corpus quod Magi viderunt; idem in Eucharistia videri asserit *S. Chrysostomus*. αὐτὸ τῦτο τὸ σῶμα. Corpus Christi ut jacens in præsepi sub oculis Paulæ *S. Hieronymus* non describit, illud, ut jacens in altari describit *S. Chrysostomus*; προκείμενον. Tandem oculis fidei dumtaxat cernere se infantem pannis involutum asserebat *S. Paula*; nec alio modo quam Magos adorantes, quos præsentes non fuisse in præsepi cum *Paula* manifestum est. At *S. Chrysostomus* corpus ipsum Christi, quod in cœlis est, videri, & tangi in Eucharistia affirmat, ratione scilicet specierum sub quibus latet, sicut Angeli ab iis quibus apparebant, videbantur. Unde subdit ibidem; *Hic terram tibi cœlum facit hoc Mysterium .... Nam quod illic est omnium pretiosissimum & maxime honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in Regia id quod est omnium magnificentissimum non sunt parietes, non tectum aureum, sed corpus Regis sedens in solio, sic in cœlis Regis corpus. Sed hoc tibi nunc licet videre in terra. Non enim Angelos, nec Archangelos, neque cœlos, nec cœlos cœlorum, sed ipsum eorum ostenda Dominum. Vidisti, quemadmodum quod est omnium præstantissimum & maxime honorandum vides in terra; neque solum vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis, & eo accepto, domum reverteris. Absterge & munda animam, & præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Nam si Regis filius cum mundo & purpura & diademate tibi traditus esset ferendus, quæcumque sunt in terra, abjecisses. Nunc autem non hominis Regis filium accipiens, sed ipsum Unigenitum Dei Filium, dic roga, non extimescis, & eorum quæ ad hanc vitam pertineat, non omnem expellis amorem?* Quod in cœlis pretiosius est, scilicet *Regis corpus* & *ipsum cœlorum & Angelorum* Dominum a nobis videri, tangi & comedi *S. Chrysostomus* absurde dixisset, si Eucharistia figura tantum esset seu inefficax, seu efficax corporis Domini. Sicut absurde diceremus, eum qui Regis imaginem possideret, id habere quod in Regia pretiosissimum est, scilicet corpus Regis in solio sedentis. Denique si de figura corporis Christi, non de ipso Christi corpore *S. Chrysostomus* loqueretur, ipsam cum imagine Regii pueri, non cum ipso Regio puero conferret.

Ipsum Angelorum & cœlorum Dominum in Eucharistia videmus, tangimus, comedimus.

III. Innumera alia S. *Joannis Chrysostomi* testimonia ad confirmationem Catholici dogmatis proferuntur, quæ indicare satis erit impræsentiarum, scilicet Homilia in Psalmum 133. Homilia 41. in eamdem ad Corinthios Epistolam, Homilia 3. in Epistolam ad Ephesios, Homilia 17. in Epistolam ad Hebræos, Homilia 21. in Acta Apostolorum, Homilia 2. & 21. ad Populum Antiochenum, Homilia 3. & 4. de incomprehensibili Dei natura, Homilia de Proditione Judæ, Oratio in Nativitatem Christi, Homilia de Eucharistia, Homilia in Cœmeterii appellationem & in Crucem Christi, & lib. 3. ac 6. de Sacerdotio. Posteriora ista loca temperare mihi non possum quin proferam. Homilia in Crucem Christi sic loquitur: *an nescitis quomodo Angeli adstiterint sepulchro corpus non habenti, sepulchro vacuo? Attamen cum omnino corpus Domini recepisset, multum honoris & ipsi loco exhibent. Angeli, inquam, naturam nostram excedentes cum tanta reverentia & observantia sepulchro adsistunt; Nos autem non ad sepulchrum inane adstituri; sed ad ipsam Mensam Agnum habentem accessuri, cum tumultu & turbatione venimus. Itaque quæ nobis venia speranda est.* Si in Eucharistia solam esse Corporis Christi figuram *S. Chrysostomus* existimasset, inepte eam opposuisset sepulchro vacuo, cum & ipsum Christi figura esset, Passionis ejus ac mortis memoriam efficacissime renovans.

Et lib. 3. de Sacerdotio: *O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur ac se tradit volentibus ipsum excipere & complecti.* Et infra: *An ignoras futurum numquam fuisse ut anima humana ignem illum sacrificii sustineret, sed penitus omnes fuisse interituros, nisi multum divinæ gratiæ auxilium adesset? Nam si quis consideraverit quantum sit eum qui homo est, & adhuc carne & sanguine involutus, ad hanc beatam & incorruptam naturam appropinquare posse, tum probe videbit quanto Sacerdotes honore, Spiritus gratia dignata sit. Per illos enim hæc efficiuntur, & alia his nihilo inferiora ad dignitatis & salutis nostræ rationem pertinentia.* Nihil luculentius dici potest ad ipsam Christi Majestatem præsentem in Eucharistia significandam. Figuris namque Corporis & Sanguinis Christi incorruptæ naturæ nomen convenire non potest, nec magnum miraculum est, si panem & vinum, appellatione Corporis & Sanguinis Christi honorata, & idem Corpus ac Sanguinem pretiosum repræsentantia, manibus contrectemus.

De-

Sacerdos tremendum Sacrificium perficit.

Denique lib. 6. hæc habet: *Quando Sacerdos Spiritum Sanctum invocaverit, & tremendum Sacrificium perfecerit, & communem omnium Dominum comminus pertractarit, quonam in ordine eum collocabimus? Quantam ab eo puritatem requiremus?.... Tunc & Angeli adstant Sacerdoti, & omnis ordo Virtutum cœlestium clamat.... Locus circa altare impletur in honorem ejus qui jacet.... Ego vero quemdam audivi commemorantem, quod ipse senex quis vir admirandus & visiones videre solitus dixerit, se ejusmodi visione quandoque dignum factum fuisse, ac per illud tempus derepente Angelorum multitudinem vidisse, ut ei possibile erat, stolis fulgentibus indutorum, & altare circumdantium, & deorsum se inclinantium, ut si quis milites, Rege præsente stantes videret. Et ego credo.*

Angeli Altare circumdant, & Christum in eo adorant ut Milites Regem præsentem.

Non minus Corpus Christi in Eucharistia præsens credebat *S. Chrysostomus*, quam Angelos altare circumdantes ut illud venerarentur, quasi milites Rege præsente stantes. Atqui Angelos reipsa adesse, altare circumdare, ibique Christum venerari, ut milites Regem præsentem credebat: Christum itaque credebat esse revera præsentem.

Expenditur Epistola ad Cæsarium S. Joanni Chrysostomo tributa.

IV. Objicit *Albertinus* testimonium *S. Joannis Chrysostomi* ex Epistola ad *Cæsarium* Monachum contra *Apollinarem*, a *Petro Martyre* e Bibliotheca Florentina in Angliam allata, quod testimonium ipse *Martyr* primo produxit in Tractatu *De Eucharistia*. Sic autem habet: *Et Deus & homo est Christus, Deus propter impassibilitatem, homo propter Passionem, unus Filius, unus Dominus, idem ipse procul dubio, unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantialiter existant: & unaquaque incommixta proprietatis conservat agnitionem propter hoc quod inconfusa sint duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione; etsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum Filii corpus prædicatur: Sic & hic divina insidente corpori natura, unum Filium, unam personam utraque hæc fecerunt.* Mirum quanta exultatione hunc locum proferat *Albertinus*. Egregium profecto locum, inquit. Ait enim *Chrysostomus* panem per sanctificationem Corporis Christi nomenclaturam accipere, naturam panis nihilominus, hoc ait panis substantiam in illo remanere. Quid clarius?

Respondeo, Si hæc Epistola sit *S. Joannis Chrysostomi*, quod valde dubium est, ipsum quando ait *Natura panis in ipsa permansit*, per naturam non intelligere substantiam, sed proprietates, naturæ nomine sæpissime designatas. Agit nempe contra Apollinaristas, qui naturam humanam Christi suas omnes proprietates amisisse, nec amplius esse visibilem, palpabilem ac circumscriptam, delirabant, nec speciem suam conservare, sed in divinam naturam fuisse transmutatam. Christum itaque adhuc esse visibilem, palpabilem & circumscriptum, & cæteras humani corporis proprietates servare contendebat. Quod ut probaret, exemplum adhibuit Eucharistiæ, in qua symbola post consecrationem videri & palpari possunt, sicut prius, aliasque panis & vini proprietates servant quæ proprietatum collectio, naturæ nomine a Veteribus significatur.

Dici etiam potest, hujus Epistolæ Authorem, cum ait: *Natura panis in ipsa permansit*, naturæ nomine non intelligere substantiam individuam panis; sed speciem & naturam communem, quo sensu naturæ nomen passim Veteres usurparunt, & inter alios *Ephrem Antiochenus* apud *Photium*, *Rusticus* Diaconus contra Acephalos disputans, & *Joannes Maxentius* in Dialogo. Enimvero natura communis nihil aliud esse videtur, quam idea communis ab humana mente concepta, ejus quod in omnibus naturis singularibus est; quæ idea ex omnium attributorum collectione, quæ in qualibet specie eadem observamus, effingitur. Porro statim atque Corpus & Sanguis Christi substantiis panis & vini successere, iisdem accidentibus obvelata, eadem circa ipsa spectamus, quæ in pane & vino sentiebamus. Eadem igitur idea nobis ipsa repræsentat: unde fit ut eamdem ipsis naturam genericam tribuamus. Quod autem eamdem naturam individuam panis post consecrationem superesse *Sanctus Chrysostomus*, vel quisquis est laudatæ Epistolæ Author, non senserit, constat ex eo quod ait: *Et non duo corpora, sed unum Filii corpus prædicatur*; id est, panis consecratus & naturale Corpus Christi, unum & idem Corpus est. Quod alia ratione verum esse non potest, nisi quia panis transmutatus est in Corpus Christi, ut multis in locis docet S. Joannes Chrysostomus. *Quemadmodum autem calumniantium Hæreticorum est ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt male interpretari; ita solitum prudentiæ ac veritatis Catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus ambigua & latentia declarare*, inquit Facundus lib. 9.

Refellitur Anonymus Author Calvinista Expostulationis ad Hampdenium.

V. Dubium esse dixi, sit ne *Sancti Joannis Chrysostomi* hæc ad *Cæsarium* Epistola. Quamvis enim vetus Author qui contra Severianos & Acephalos scripsit, a *Turiano* in lucem editus *Sanctus Joannes Damascenus* in Tractatu contra Acephalos ab eodem vulgato, & *Nicephorus* Patriarcha Constantinopolitanus in Disputatione adversus imaginum impugnatores, quæ MS. extat in Bibliotheca Colbertina, ipsam laudent; dubium faciunt conjecturæ non leves an revera sit *Sancti Chrysostomi*. Primo quod exorta Eutychetis hæresi, quam diserte refellit, scripta videatur. Secundo, quod Veteres qui adversus Eutychianos scripsere, & Patrum testimonia luculenta contra ipsorum errorem congessere, hanc Epistolam non laudaverint: quod sane minime prætermisissent, si a *S. Chrysostomo* scripta fuisset. Tertio, quod *Theodoretus* in Dialogis, ubi eodem argumenti genere contra Eutychianos utitur, quo Epistolæ istius Author, ejus non meminerit, cum tamen alia *Sancti Joannis Chrysostomi* loca minus expressa proferat. Unde verisimilius est vel *Joannis Jejunatoris* Constantinopolitani Patriarchæ, vel Alexandrini alterius, qui *Eleemosynarius* cognominatus est, quam *Sancti Joannis Chrysostomi* fœtum esse. Inique igitur ac falso Neotericus Calvinianæ Sectæ Minister in Expostulatione ad *Hampdenum*, Epistolam *sancti Joannis Chrysostomi* ad *Cæsarium* Monachum, a Clarissimo & Doctissimo *Bigotio* suppressam scripsit, & Parisienses quosdam Theologos ceu parum æqui consilii fraudisque totius artifices traduxit.

Cl. Bigotius a calumnia vindicatur.

Palladii Dialogum de Vita *Sancti Joannis Chrysostomi* ex Codice MS. Bibliothecæ Magni Etruriæ Ducis descriptum, & a se Latine redditum publici juris facere decreverat Clarissimus *Bigotius*: Descripserat ex eadem Bibliotheca *Epistolam ad Cæsarium Monachum* nomine *Sancti Joannis Chrysostomi* inscriptam. Hæsitavit illamne simul cum Dialogo *Palladii* emitteret in lucem; consilium virorum eruditorum rogavit, suas illis rationes exposuit. Ipsis una & illi visum est, non esse *Palladii* Dialogo de Vita *Sancti Chrysostomi* adjungendam, ad quem relationem nullam habet, neque cum ipso in lucem edendam; maxime cum graves sint dubitandi rationes, num sit genuinus *Sancti Joannis Chrysostomi* fœtus. Calumniatur itaque Anonymus in Expostulatione illa ad *Hampdenium* sua, cum Virum Clarissimum, & probos eruditosque Theologos fraudis accusat, quasi Epistolam illam suppresserint. Scilicet Epistolam ad *Cæsarium* supprimunt, & malæ fidei insignisque fraudis rei sunt, qui cum *Palladii* Dialogo, cum quo nullam connexionem, & ad quem relationem omnino nullam habet, & quæ Criticæ nationi dubius videtur *S. Chrysostomi* fœtus, una edendam non existimant. Quid vero Catholicæ causæ intererat, ut hæc Epistola supprimeretur, cum & totum, quod Calvinistæ favere dogmati suo putant, fragmentum ab *Albertino* editum sit, & in Codice Florentino integram Epistolam haberi non diffiteamur: Nec Ecclesiæ Romanæ, quæ una vera est, fidei de reali & substantiali Corporis & Sanguinis Christi præsentia, & de panis ac vini in idem adorandum Corpus & Pretiosum Sanguinem Transsubstantiatione adversetur, ut ostendimus? Injuria ergo Catholicis affingit Calvinianus Expostulator, quod sedulo caveant, ne ex eorum Bibliothecis ea prodeant in lucem, quæ suis rebus parum sint opportuna. Attendere debuerat qua fide, qua sinceritate *Theodoreti* Dialogi, libri *Facundi Hermianensis*, aliaque id genus Veterum Opera, ex quibus præcipuas objectiones suas contra realem Cor-

poris Christi in Eucharistia præsentiam, & Transubstantiationem depromunt, a nostræ communionis hominibus edita sint. Nobis nempe persuasum est, Catholicæ Fidei veritatem per sese subsistere inconcussam, nec ullis humanarum objectionum machinis convelli posse: & veteres omnes Patres consensione summa eamdem fidem, quam de Eucharistia profitemur, fuisse professos, quamvis nondum nata *Berengarii* hæresi, nondum litigantibus Sacramentariis, securius loquuti sint, & aliquas loquendi formulas usurparint, quibus Calvinistæ, & quos illi Patriarchas ac Magistros agnoscunt, priores Haretici, Witclefistæ scilicet, Albigenses, Waldenses, Henriciani, Petrobusiani, Berengariani, in alienum sensum detortis, ad hæresim suam propugnandam sunt abusi. Sicut veteres Patres antequam *Arii* hæresis orta esset, dicta sua de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis ac de Filio Dei non ita limarunt ac posteriores, quibus fuit cum Arianis congrediendum; & multa scripsere quibus Sociniani etiamnum abutuntur, & ad quæ respondent nobiscum Authores Calvinistæ; sicut ad ipsorum argumenta e Patribus petita respondemus, loca obscura & ambigua, si quæ sint, ex indubitatis atque evidentibus explicantes. Sed quid in Expostulationis volaticæ, & imprudentissimi authoris calumniis ac næniis confutandis diutius immoror, quæ instar fumi ipsa inanitate sua evanescunt? Tam verax est ille cum suppressam effutire non veretur a Catholicis Theologis Epistolam *Sancti Chrysostomi ad Cæsarium* Monachum, quam cum indices Expurgatorios accusat de Scriptis Veterum adulteratis & truncatis, quæ cavenda dumtaxat monent loca, si quæ in errorem inducere possunt; juxta Regulas ad calcem Tridentini Concilii editas de librorum correctione, §. 4. *In libris Catholicorum veterum nihil mutare fas sit, nisi ubi aut fraude Hæreticorum, aut Typographi incuria manifestus error irrepserit*. Tantam denique fidem meretur cum hæc scribit, quantam cum *Andream Saussaium*, a paucis annis defunctum, Catalaunensem Episcopum vocat, qui unam Ecclesiam Tullensem in Lotharingia rexit, nec usquam ad Catalaunensem Episcopatum nominatus est.

* Petrum Alix.

VI. Objicit Expostulator, Authorem * Dissertationis *De Sanguine Jesu Christi*, probasse *Chrysostomum*, Origenis de corporum post resurrectionem, immo de ipsius Corporis Christi statu fovisse sententiam. Jam autem notum est, inquit, Origenem prorsus negasse, quod adhuc Corpori Christi post Resurrectionem Sanguis inesse possit. Id autem cum fide Sanguinis Christi in Eucharistia convenire non potest.

Qualiscumque fuerit Origenis sententia de natura & qualitate Corporis Christi post ejus Resurrectionem Catholica Fidei de præsentia reali ejus in Eucharistia non præjudicat.

Respondeo, Non unam esse virorum eruditorum opinionem de mente Origenis circa corporum post resurrectionem statum. Quidam ipsum ab errore vindicant, asseruntque ipsum docuisse eadem quoad substantiam corpora esse resurrectura, adeoque carne, ossibus, nervis, venis, sanguine constantia, incorruptione tamen & immortalitate donatis: idque unum voluisse lib. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 10. ubi ait. *Si credant Apostolo, quia Corpus in gloria & in incorruptibilitate resurgens, spiritale est effectum, absurdum videtur, & contra sensum Apostoli, dicere id rursum carnis & sanguinis passionibus implicari; cum manifeste dicat Apostolus, Quoniam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam possidebit*. Hanc fuisse mentem Origenis ex cap. ultimo libri 3. περὶ ἀρχῶν, et lib. 2. *contra Celsum*, & ex Apologia *Eusebii Cæsariensis* pro *Origene* confirmat doctissimus Ecclesiæ Metropolitanæ Senonensis Decanus *Jacobus Boileau*, in Disquisitione Theologica *De Sanguine Corporis Christi post Resurrectionem*, cap. 4. Alii censent, *Origenem* corporis quidem ejusdem futuram resurrectionem docuisse, at non ejusdem carnis, idque colligunt ex ipsius verbis lib. 2. περὶ ἀρχῶν c. 3. Mira ergo *ratione*, inquit, *Sanctus Apostolus ad generalem primam causam respiciens materiæ corporalis, cujus materiæ animæ usum semper habeant in qualibet qualitate posita; nunc quidem carnali, postmodum vero subtiliori & puriori, quæ spiritalis appellatur; Necesse est ait, corruptibile hoc induere incorruptionem*, &c. Eamque fuisse *Origenis* mentem confirmant ex aliis ejus locis a *S. Hieronymo* in Epistola ad *Avitum*, in Apologia adversus *Ruffinum*, & in Epistola ad *Pammachium* adversus errores *Joannis Hierosolymitani*, & a *sancto Epiphanio* Hæresi 64. immo a *sancto Methodio* apud *sanctum Epiphanium* ibidem relatis. Utut est, non sequitur *Origenem* realem & substantialem Corporis & Sanguinis Christi qualiscumque naturæ ipsa esse censeret, præsentiam in Eucharistia non admisisse. Legatur Dissertatio nostra 16. in Historiam Ecclesiasticam Sæculi 3. Præterea, etsi ex *Origenis* sententia vel errore sequeretur aliquid contra fidem Realis Præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, colligi inde non posset eam fuisse Catholicæ Ecclesiæ fidem; sicut absurdum illum errorem de corpore Christi aereo & exangui Catholicum dogma fuisse, aut alia *Origenis* deliria & hæreses fuisse veritates orthodoxas, nemo sanæ mentis affirmaverit; quas Patres fortiter impugnarunt, Ecclesia damnavit & execrata est.

VII. Sanctum vero *Chrysostomum* sententiam illam seu errorem *Origenis* de Christi & Sanctorum corporibus post resurrectionem aereis & sanguine vacuis fovisse, scripsit quidem Calvinianus Minister; sed non probavit. Quæ enim verba profert ex Homilia 26. in Evangelium *Sancti Joannis*, solum probant Corpus Christi gloriosum *omni crassitudine carere, & incorruptibile* esse. Ejus vero mens perspicua omnino est ex Sermone 33. *De Resurrectione*, ubi futuræ miraculum resurrectionis eo confirmat argumento, quod Deus corpora nostra carne, ossibus, nervis, arteriis, cæterisque partibus, organis, & instrumentis compacta creaverit: *Tametsi operosius videatur, formavis terra carnem & venas, & cutem & ossa, & nervos & arterias, & instrumentalia & simplicia corpora, oculos, aures, nares, pedes, manus & ubique horum tam propriam quam communem inde operationem, quam corruptibilia facta, efficere incorruptibilia*. Ibidem inter mortalitatis & corruptionis appendices quas a corporibus gloriosis removet, phlegma, choleram, sudores, & sordes, recenset. *Neque enim*, inquit, *ex natura corporis hæc fuerunt, sed a posteriore corruptione invecta sunt*. Inter illas porro corruptionis appendices carnem & sanguinem non collocat: Illa igitur ad naturam corporis pertinere sensit, & cum eo resurgere. Legatur caput 8 Disquisitionis eruditæ De *Sanguine Corporis Christi post Resurrectionem* a Clarissimo viro *Jacobo Boileau* Theologo Parisiensi editæ. Denique ex Homilia 24. in Epistolam 1. ad Corinthios aliisque locis superius laudatis, & descriptis perspicuum est, *S. Joannem Chrysostomum* in corpore Christi glorioso verum sanguinem agnovisse. Quod rursus confirmatur ex Homilia 46. in Evangelium S. Joannis, *Ut*, inquit, *non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maxime est. Hoc Job significabat de servis, a quibus maxime amabatur, qui suum amorem præ se ferentes, dicebant*: Quis daret nobis, ut ejus carnibus impleremur? *Quod Christus fecit, ut majori nos caritate adstringeret, & ut suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus; sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri. Ab illa igitur Mensa tamquam leones ignem spirantes surgamus, diabolo formidolosi, & Caput nostrum intelligamus, & quam in nos præ se tulit caritatem. Parentes sæpe numero liberos suos aliis alendos dederunt, ego autem mea carne alo, me vobis exhibeo.... Qui in hac vita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. Vester ergo frater esse volui, & communicavi propter vos carnem & Sanguinem: & per quæ vobis conjunctus sum, ea rursus vobis exhibeo*. Eamdem carnem & sanguinem Christus in Eucharistia nobis exhibet, quæ propter nos assumpsit, per quæ frater noster esse voluit, per quæ nobis conjunctus est, inquit S. *Chrysostomus*: non ergo corpus aereum & exangue nobis exhibet. *Hic sanguis facit ut imago in nobis Regia floreat: Hic Sanguis pulchritudinem atque nobilitatem animæ, quam semper irrigat & nutrit, languescere non sinit. Sanguis enim*

S. Joannes Chrysostomus in Corpore Christi glorioso verum sanguinem agnovit.

Qui digne communicant, diabolo terribiles fiunt.

Sanguinis Christi in Eucharistia epoti admirabiles effectus.

nium a cibo non fit repente; sed prius aliud quiddam: Hic quamprimum irrigat animam, eamque vi quadam magna imbuit: Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit; Angelos & Angelorum Dominum ad nos allicit. Dæmones enim cum Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur. Angeli autem concurrunt. Hic sanguis effusus universum abluit orbem terrarum, de quo multa Paulus ad Hebræos prosecutus est. Hic sanguis abdita & Sancta Sanctorum purgabat. Quod si ejus figura tantam habuit vim in templo Hebræorum, in media Ægypto liminibus aspersus, longe magis veritas. Eumdem sanguinem in Eucharistia nos recipere *Sanctus Chrysostomus* docet, qui effusus universum orbem terrarum abluit, sanguinis Christi veritatem, cujus figura erat sanguis in templo Hebræorum, & in media Ægypto liminibus aspersus. Non ergo typicum dumtaxat sanguinem in Eucharistia recipere nos arbitratus est, & Christi corpus post resurrectionem aereum esse & sanguine vacuum. *Hic sanguis præfiguratus est semper in altaribus; in Justorum cædibus: hic orbis terrarum decus est: hic est quo Christus emit, quo universam ornavit Ecclesiam: Ut enim homo servos auro emit & ornat: ita eos sanguine suo Christus. Qui hujus sanguinis sunt participes, cum Angelis & supernis Virtutibus commorantur, ipsam Regiam Christi stolam induti, spiritualibus armis muniti. Sed nihil dixi, immo ipsum induti sunt Regem. Sed sicut magnum est & admirabile, ita si pure accesseris, ad salutem accepisti: sin prava conscientia, ad pœnam & supplicium:* Qui enim manducat & bibit indigne sanguinem Domini, judicium sibi manducat & bibit: *Nam si qui regiam purpuram coinquinant, haud secus quam qui scindunt, puniuntur; quid mirum si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeunt, quod qui eum clavis cruci affixerunt?* Hunc *S. Joannis Chrysostomi* locum, & alia superius descripta vel laudata testimonia, si veritatis studio, & animo a præjudiciis libero Calvinianæ Superstitionis Ministri ac Sectatores expendant, ipsa cogente veritate fatebuntur nihil esse insulsius, nihil ab omni rationis specie remotius, nihil somnio similius, quam eorum delirium, qui tanto Doctori errorem de Corpore Christi post Resurrectionem aereo & sanguine vacuo, affinxerunt; vel qui Eucharistiam corpus & sanguinem Christi typicum dumtaxat, non verum & proprium, ipsum credidisse propugnarunt, vel etiamnum pertinaciter propugnant.

ARTICULUS XVII.

SANCTUS AMBROSIUS Realis Præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia, & Transubstantiationis propugnator.

Eucharistia manna præstantior, non figura sed veritas: Corpus Authoris, corpus vitæ.

I. UNus *S. Ambrosii* locus hac in controversia sufficit, ex cap. 9. libri *De his qui Mysteriis initiantur*, ubi sic loquitur: *Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud e cælo, hoc supra cælum: Illud cœli, hoc Domini cælorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alteram servaretur, hoc alienum ab omni corruptione: quod quicumque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum .... Hæc autem in figura facta sunt nostri. Cognovisti præstantiora. Potior est enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus Authoris, quam manna de cælo.* Eucharistiam carnem Christi & sanguinem *S. Ambrosius* appellat, eique manna postponit ut umbram luci, ut figuram veritati, ut panem Angelorum corpori Authoris, corpori Vitæ. At si figura esset dumtaxat corporis Christi, quamvis expressior quam Manna, nec lux, nec veritas, nec Authoris corpus cum illo comparata dici posset. Eucharistiam itaque figuram esse dumtaxat corporis Christi *S. Ambrosius* non sensit. Id sequentia verba luculentius probant. *Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus.* Dubium oppugnat *S. Ambrosius*, quod ex repugnantia speciei externæ, quæ oculis obversatur, cum fide receptionis corporis Christi oriri potest. Dubium autem hujusmodi nec rationem figuræ spectat, nec virtutem aut efficaciam. Quis enim umquam tam insulsam objectionem proposuerit: aliud video, quomodo tu mihi asseris quod figuram aut virtutem corporis Christi accipiam? Nonne evidens est rebus quæ instituuntur ut sint aliarum signa, nihil accrescere præter significationem, quæ oculis non videtur, adeoque speciem ipsarum externam non mutari? Non-ne pariter evidens est, res quæ virtutem continent aliarum, illam non exhibere oculis; sed intus abscondere? Dubium igitur quod *S. Ambrosius* oppugnat, spectat realem corporis Christi præsentiam, & Transubstantiationis veritatem.

Id confirmant exempla quibus probat Eucharistiam esse corpus Christi, quia panis in illud transmutatus est, & hanc mutationem incredibilem non esse persuadet. *Quantis igitur utimur exemplis*, inquit, *ut probemus non hoc esse quod natura formavit; sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur? Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertit. Vides igitur Prophetica gratia bis mutatam esse naturam, & serpentis, & virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis: rursus ad Prophetæ preces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumclusus undique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clausus: virgam levavit Moyses, separavit se aqua, & in murorum speciem congelavit, atque inter undas via pedestris apparuit. Jordanis retrorsum conversus, contra naturam in sui fontis revertitur exordium. Non-ne claret naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluvialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus Patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Numquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fons amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moyses lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit. Sub Elisæo Propheta uni ex filiis Prophetarum excussum est ferrum de securi, & statim mersum est. Rogavit Elisæum qui amiserat ferrum, misit etiam Elisæus lignum in aquam, & ferrum natavit. Utique & hoc præter naturam factum esse cognovimus. Gravior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam quam naturam, & adhuc tamen Propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipitis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ ut ignem de cælo deponeret: Non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, Incarnationisque exemplo adstruamus Mysterii veritatem? Numquid naturæ usus præcessit, cum Jesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: Vere ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus:* Hoc est Corpus meum: *Ante consecrationem verborum cælestium species nominatur: Post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit Sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur: Post consecrationem Sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen: Hoc est, Verum est.*

Transubstantiationis fides exemplis miraculorum confirmatur.

Eucharistia non est id quod natura formavit.

Benedictione natura mutatur.

Quod consecratione conficitur Corpus ex Virgine est.

Quod

Quod oe loquitur, mens interna fateatur : Quod sermo sonat, affectus sentiat. Delirum fuisse Authorem oporteret, qui tam luculenta argumenta ab exemplis rerum admirabilium seu miraculorum omnes naturæ vires superantium, a maximis divinæ omnipotentiæ effectis petita, scilicet creationis cœli & terræ, conversionis virgæ in serpentem, mutationis aquarum in sanguinem, & Incarnationis Verbi ac Nativitatis ex Virgine, adhibuisset ad probandum panem fieri signum & figuram corporis Christi. Scilicet hæc verba, *Non valebit sermo Christi ut species mutet elementorum? Non est minus novas dare rebus, quam mutare naturas. Si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?* Eo tantum collineabunt, ut probetur panem consecratione fieri signum corporis Christi : aut certe virtutem & efficaciam corporis Christi adispici? Sed cur opus fuisset tot argumenta, tot admirabilium Dei supra naturam agentis operum exempla congerere, ad doctrinam confirmandam, quam verisimile erat incredibilem non fore recens baptizatis, postquam ipsis simpliciter proposita fuisset? cum difficilius non sit credere panem esse figuram corporis Christi, & esse ejus corpus virtute, quam baptismum esse figuram mortis & sepulturæ Christi, & sanguinis ejus virtutem continere. Cur nec *Sanctus Ambrosius*, nec alii Patres exempla similia adhibuerunt? cur similia non congesserunt argumenta, ad probandum aquam baptismi ex communi sacram reddi, ad ablutionem animæ, & ad sepulturam Christi significandam ordinari, virtutem denique & efficaciam sanguinis Christi in nobis sanctificandis participare? Sacramentarios tandem confodiunt illa verba : *Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est*. Corpus enim Christi natum ex Virgine, non est corpus typicum.

II. Respondet *Albertinus*, figuratam esse *Ambrosii* locutionem, sensumque ejus esse, corpus illud quod conficimus in Eucharistia, esse mystice scilicet & Sacramentaliter, corpus illud quod de Virgine est, quemadmodum *Sanctus Leo* Sermone 14. de Passione Domini ait : *Corpus regenerati fit caro crucifixi* : Mystice nimirum, non substantialiter ; & Sermone 10. de Nativitate Domini : *Christi caro de utero Virginis sumpta nos sumus*.

Albertini responsio confutatur.

Sed magnum inter istas loquendi formulas discrimen est : Nam *Sanctus Leo* satis se explicat, ut similitudine quadam corpus regenerati fieri caro crucifixi intelligatur, quatenus in baptismo Christo commorimur, & ad Passionis ejus imaginem in nobis per membrorum nostrorum mortificationem exprimendam nos adstringimus. *Ipse est enim*, inquit, *cui non solum gloriosa Martyrum fortitudo ; sed etiam omnium renascentium fides in ipsa regeneratione compatitur. Dum enim renuntiatur diabolo, & creditur Deo, dum in novitatem a vetustate transitur, dum terreni hominis imago deponitur, & cœlestis forma suscipitur, quædam species mortis & quædam similitudo resurrectionis intervenit, ut susceptus a Christo, Christumque suscipiens, non idem sit post lavacrum, qui ante baptismum fuit : sed corpus regenerati, fiat caro crucifixi.* Cum etiam ait : *Caro de Virgine sumpta nos sumus*, satis significat nihil aliud se pertendere, quam quod carnis nostræ naturam Christus assumpserit : *Constanter*, inquit, *intelligenterque credamus, quia, sicut ait B. Joannes* : Verbum caro factum est & habitavit in nobis. *In nobis utique quos sibi Verbi divinitas coaptavit, cujus caro de utero Virginis sumpta nos sumus. Quæ si de nostra, id est, vere humana non esset, Verbum caro factum non habitasset in nobis.* Sed propositio ista Sancti Ambrosii : Et *hoc quod conficimus corpus ex Virgine est*, per antecedentia & consequentia determinatur ad verum Christi corpus natum de Virgine significandum. Determinatur per hæc verba, quæ in fine capitis præcedentis leguntur : *Revera mirabile est quod manna Deus pluerit Patribus, & quotidiano cœli pascebantur alimento. Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt. Ista autem esca quam accipitis, iste panis vivus qui descendit de cœlo, vitæ æternæ substantiam subministrat . . . . Et est corpus Christi.* Determinantur per hæc verba : *Potior est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus Authoris quam manna de cœlo?* Determinantur per hæc verba : *Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam?* Determinantur per hæc verba : *Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit?* Determinantur per hæc verba : *Si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur?* Determinantur per hæc verba ; *Si tantum valuit sermo Eliæ ut ignem de cœlo deponeret ; non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum? Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare quam mutare naturas.* Determinantur per hæc verba : *Incarnationis exemplo adstruamus Mysterii veritatem. Quid quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine?* Determinantur denique per hæc verba : *Ante consecrationem aliud dicitur : post consecrationem sanguis nuncupatur ; & tu dicis, Amen : hoc est, Verum est.* Ostendant Ministri Calvinistæ SS. Patres tot argumenta ab omnipotentiæ divinæ miraculis petita & tam studiose conquisita congessisse, arsisse, dilatasse, ut probarent *Magnum esse baptismi virtutem, qui non sinit homines esse homines* : Quæ propositio est *S. Chrysostomi* Homilia 25. in Acta : vel, *Corpus regenerati fieri carnem crucifixi* ; Quæ propositio est *Sancti Leonis* : vel *carnem amplius non esse carnem, quando homo temperantiam possidet* : Quæ propositio est *Sancti Epiphanii* Hæresi 66. vel, *Naturam carnis, postquam incorruptibile & vivificum Dei Verbum suscepit, non amplius esse in iis in quibus erat* : Quæ est propositio *Sancti Cyrilli* Homilia Paschali 17. Quod si non possint, ut certe non potuit *Albertinus*, fateantur necesse est, Propositiones illas ab ipso prolatas isti *S. Ambrosii* similes non esse : *Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est*.

III. At inquit Albertinus, *conficere corpus Christi* Ambrosio non est *facere proprium Christi corpus*, siquidem Christi corpus ante Eucharistiæ consecrationem actu est, constansque est & uniformis Veterum sententia, quod, *quidquid fit, antequam fieret, non erat* ; sed tantummodo, *facere Sacramentum corporis Christi*, quemadmodum ipse *Ambrosius* ibidem exponit, inquiens : *Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur* : Et rursum, *Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, vere ergo carnis illius Sacramentum est.*

Respondeo, nec Corpus Christi absolute & in se ipso fieri per verba consecrationis, nec solum fieri Sacramentum, sed Christi corpus sub Sacramento. Et ex toto Sermonis Ambrosiani contextu evidens est *Sacramentum Carnis Christi* ab Ambrosio non appellari Eucharistiam, sumpto Sacramenti vocabulo prout signum sacrum simpliciter significat, sed prout id importat omne quod Sacramentum istud includit secundum Ecclesiæ doctrinam, adeoque ipsam Christi carnem, *quæ crucifixa est*, ut ait ipse Ambrosius. *Sacramentum sane in Divinis Codicibus non una tantum significatione positum reperitur. Denique Sanctus Ambrosius in lib. ad Gratianum, apparuisse dicit hominibus Unigenitum Patris per Sacramentum assumpti hominis. Quod tantumdem significat, quantum si diceret, Apparuisse eum per hominem quem assumpsit* ; ut observat *Lanfrancus* lib. *De Corpore & Sanguine Domini*, cap. 20. Similiter *Sacramentum carnis Christi* Ambrosio idem est, ac ipsa Christi caro sub Sacramento, lege & lib. quartum *De Sacramentis* cap. 4. & lib. 6. cap. 1.

Albertini objectionibus ex S. Ambrosio petitis respondetur.

IV. Objicit Albertinus hæc verba ex cap. 4. lib. 4. de Sacramentis. *Si tanta vis in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est ut sint quæ erant, & in aliud commutentur?* Non autem intelligit panem remanere quod erat juxta qualitatem, videlicet panem simplicem & communem. Intelligit ergo remanere juxta substantiam.

Respondet ad hoc argumentum jam olim a *Berengario* propositum *Lanfrancus* lib. *De Corpore & Sanguine Domini*, cap. 9. testari S. Ambrosium,

Esse

Esse quidem secundum visibilem speciem quæ erant, commutari vero secundum interiorem essentiam in naturam rerum quæ antea non erant. Hoc modo ante & post ipsemet exponis, diversis quidem verbis, sed non diversis sententiis. Ante cum ait: *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Post ubi ait: *Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem:* Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. *Ergo tibi ut respondeam: Non erat Corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem, dico tibi quod jam est Corpus Christi. Ipse dixit, & factum est; ipse mandavit, & creatum est.* Monet præterea, *Lanfrancus*, in quibusdam Codicibus laudatam *Sancti Ambrosii* sententiam aliis verbis legi, hoc modo: *Si igitur tanta vis est in sermone Domini Jesu ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est ut quæ erant, in aliud commutentur?* Quæ sententia hoc lecta modo gemina est ei quæ legitur cap. 9. lib. *De his qui Mysteriis initiantur* cap. 9. his expressa verbis: *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant?*

Instat *Albertinus*: Authorem illustraturum quod dixerat; *Ut sint quæ erant, & in aliud commutentur* subjungere: *Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: Postea quam consecratus es, nova creatura esse cœpisti. Vis scire quæ nova creatura? Omnis, inquit, in Christo nova creatura. Accipe ergo quemadmodum sermo Christi omnem creaturam mutare consueverit, & mutat quando vult instituta naturæ.* Cui autem verisimile sit illum mutationis accidentalis exemplum ad theseos suæ confirmationem ex industria elegisse, si in ea de mutatione substantiali ageretur?

Respondeo, Sanctum Ambrosium hoc exemplum non adducere, ut mutationem substantialem panis & vini verbis consecrationis fieri probet, sed ut demonstret mutationem illam esse credendam, quamvis sit contra ordinem & instituta naturæ. Id autem egregie probat exemplum Baptismi, quo regeneratus homo, & peccati sordibus ablutus, Filius Dei per adoptionem, & Christi membrum evadit, divinæque fit consors naturæ, mutatione reali, quamvis accidentaria tantum, in illam dignitatem translatus. At in eo non sistit exemplo: Alia subinde profert luculentiora; & primo quidem Incarnationis Filii Dei & Nativitatis ex Virgine, contra instituta & ordinem naturæ: secundo, divisionis Maris rubri per virgam Moysi: tertio, conversionis aquæ amaræ in dulcem per lignum injectum: quarto, enatationis ferri super aquas: quæ omnia sunt contra naturæ leges & consuetudinem: ut incredibile esse non debeat, panem in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem verbis Domini mutari. *Ex his igitur omnibus*, inquit, *non intelligis quantum operetur sermo cælestis? Si operatus est in fonte terreno; si operatus est in aliis rebus, non operatur cælestibus Sacramentis? Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.* Et cap. sequenti: *Antequam ergo consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint Corpus est Christi .... Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus. Ubi verba Christi operata fuerint; ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Numquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare?*

V. Urget *Albertinus* illa ejusdem Authoris verba: *Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis.* Quibus verbis innuit, quemadmodum in Baptismo, ubi Christum induere, ipsius sanguine tingi, eumque bibere dicimur; sanguinem tamen ejus effusum juxta substantiam non sumimus, sed similitudinem illius, aquam videlicet, virtute ejus repletam; sic & in Eucharistia nos Christi Sanguinem juxta materiam suam non sumere, (id enim horrendum foret) sed ejus similitudinem, videlicet, vinum ejus efficacia repletum, eaque ratione vere dici Sanguinem Domini a nobis accipi.

Ad hoc argumentum, quod paulo aliter proponebat olim Berengarius, *Lanfrancus* lib. *De Corpore & Sanguine Domini*, cap. 10. ita respondet: *Pace tua dictum sit, multum falleris in hac verborum intelligentia: neque enim similitudinis adverbia identitatem seu æqualitatem ubique posita significant. In Evangelio namque Salvator dicit:* Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. *Non tamen eadem, seu æqualis misericordia potest inesse Deo & hominibus. Et in Evangelio secundum Joannem:* „Et „ego, *inquit*, claritatem quam dedisti mihi, dedi „ eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. *Et alibi:* Dilexisti eos, sicut & me dilexisti. *Unde & B. Augustinus in Expositione ejusdem Evangelii ait: Neque enim semper æqualitatem significat, qui dicit, sicut illud, ita & illud: sed aliquando tantum, quia est illud, est & illud; aut quia est illud, ut sit & illud.* Cum itaque *Sanctus Ambrosius*, ait: *Sicut mortis similitudinem sumpsisti*, videlicet in Baptismo, *ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis*, in Eucharistia nimirum; non significat quod eodem modo Christi Sanguis in Eucharistia bibatur ac in Baptismo, & inter utrumque Sacramentum similitudo, ut ajunt, formalis intercedat: sed analogiam utriusque ostendit, in eo positam, quod sicut in Baptismo, quod Sacramentum virtutis est, effectum virtutis mortis Christi sub propria forma & visibili mortis effigie non sumimus; sed sub forma & imagine actionis quæ similitudinem habet cum Salvatoris morte; sic & in Eucharistia, quod Sacramentum substantiæ est, nos Christi Sanguinis substantiam sub propria forma, & visibili sanguinis effigie non sumimus, ne nobis horrorem incutiat, sed sub specie externa, cui similitudo aliqua cum sanguine intercedit. Quod post *S. Ambrosium*, *S. Cyrillus* a *S. Thoma* in *Catena Aurea* * laudatus clarissime explicat. *Ne*, inquit, *horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ; convertens ea in veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ [quasi quoddam semen vivificativum] inveniatur in nobis.*

Tract. 10. in Joan.

In cap. 22. S. Lucæ.

S. Thomas a calumnia Albertini vindicatur.

VI. Nec refert quod in Græco MS. *Victoris Antiocheni* Codice legatur, πρὸς ἐνέργειαν τῦ ἑαυτῦ σαρκὸς id est, *in efficaciam carnis suæ*. Nec propterea *Sanctus Thomas* accusari jure potest quod hunc locum *S. Cyrilli* corruperit, ut eum insolenter accusat *Albertinus*. Versionem enim utramque Græca vox ἐνέργεια hoc loco patitur, & nomine efficaciæ non intellexere *Cyrillus* & *Victor* virtutem a carne Christi separatam, sed cum ea conjunctam, seu carnem ipsam efficacem, aut veritatem carnis. Id autem ex integro loco *S. Cyrilli*, prout a *Victore Antiocheno* refertur, perspicuum est. *Docet Dominus non respicere ad naturam eorum quæ proposita sunt, sed per gratiarum actionem super illis factam ea ipsa esse credere. Vivificum enim Dei Verbum carni suæ se uniens, juxta quem novit modum, vivificam eam reddidit. Ipse siquidem ait. Amen dico vobis, qui credit, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Amen dico vobis, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam. Hoc igitur facientes vitam in nobis ipsis habemus, tanquam unum cum ipso effecti, & in ipso manentes, habentes eum quoque in nobis. Oportebat enim ipsum per Spiritum Sanctum Deo convenienter in nobis esse, quasi vero commisceri corporibus nostris per Sanctam ejus carnem & pretiosum sanguinem, quæ habuimus in benedictione vivificativa, in pane & vino. Nam ne horreremus carnem & sanguinem proposita videntes in sanctis Ecclesiarum mensis, condescendens ut Deus infirmitatibus nostris; influit oblatis vim vitæ, & illa mutat in efficaciam carnis suæ, ut ea in communionem vivificam habeamus, & corpus Vitæ instar seminis cujusdam vivifici in nobis inveniatur. Nec dubites id verum esse ipso dicente: Suscipe potius cum fide sermonem Servatoris. Veritas enim cum sit, non mentitur.* Refertur idem locus in Catena Græcorum Patrum Tolosæ edita ex MS. Codice Bibliothecæ Bavaricæ a *P. Possino* S. J. Sed ante hæc verba: *Oportebat enim ipsum*, &c. hæc leguntur sub *Cyrilli* quoque

que

nue nomine : *Demonstrative autem dixit : Hoc est Corpus meum*, &c, *Hoc est Sanguis meus*; *ne putes typum esse quæ videntur*, *sed per quamdam ineffabilem Dei omnipotentis virtutem oblata in Corpus & Sanguinem Christi vere mutari*, *quorum participes facti vivificam & sanctificantem Christi virtutem suscipimus*.

Et *Ælias Cretensis* Commentariis Orationis 1. *S. Gregorii Nazianzeni*, pag. 202. hunc eumdem locum *S. Cyrilli*, tacito nomine interserens, præmittit, Panem & vinum in Sacra Mensa proposita, *per ineffabilem quamdam omnipotentis Dei vim & facultatem*, *in Christi Corpus & Sanguinem vere commutari*. Ex quibus omnibus patet veterem Interpretem (cujus versionem secutus est *S. Thomas*) recte vertisse hæc *S. Cyrilli* verba πρὸς ἐνέργειαν τῆς ἑαυτοῦ σαρκὸς *in veritatem Carnis suæ*, siquidem is est *S. Cyrilli* sensus. Hæc obiter de *Sancti Cyrilli* testimonio, quod tamen in ejus, quæ nunc extant, Operibus non invenitur.

SS. Ambrosii & *Cyrilli* sensum exprimit etiam *Theophylactus* in cap. 14. *S. Marci*. Quo tamen in loco præsentiæ reali, & transubstantiationi aperte suffragatur : *Hoc est Corpus meum*, *hoc inquam*, *quod sumitis*. *Non enim figura & exemplar quoddam Dominici corporis panis est*, *sed in illud ipsum convertitur Corpus Christi*; *Dominus enim dicit*. *Panis quem ego dabo*, *caro mea est*. *Non dixit : Figura est carnis meæ*; *sed caro mea est*. *Et iterum : Nisi ederitis carnem Filii hominis*. *Et quomodo*, *inquit*, *caro non videtur ? o homo*, *propter nostram infirmitatem istud fit*. *Quia enim panis & vinum ex his sunt quibus assuevimus*, *ea non abhorremus*; *sanguinem vero propositum & carnem videntes*, *non ferremus*, *sed abhorreremus*, *idcirco misericors Deus nostræ infirmitati condescendens*, *speciem quidem panis & vini servat*; *in virtutem autem carnis & sanguinis transelementat*.

VII. Objicit *Albertinus* hæc verba lib. 6. de Sacramentis, cap. 1. *In similitudinem quidem accipis Sacramentum*, *sed vere naturæ gratiam virtutemque consequeris*. Ibi enim declarat nos veram carnem dici in Eucharistici panis communione accipere, non quod eam materialiter & substantialiter sumamus; sed quia in pane, qui ejus similitudo est, illius gratiam virtutemque adipiscamur.

Respondeo *S. Ambrosii* verba alienum in sensum ab *Albertino* detorqueri : Cum enim gratiam virtutemque Corporis & Sanguinis Christi Eucharisticæ communione consequi nos docet, loquitur de gratia & virtute quam præsentia ejusdem Corporis ac Sanguinis pretiosi secum affert. Id ex integri loci inspectione evidens est, qui sic habet : *Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus*, *non quemadmodum homines per gratiam*, *sed quasi Filius ex substantia Patris*, *ita vera caro*, *sicut dicit*, *quam accipimus*, *& verus est potus*. Sicut ergo Christus non est typice, aut sola gratia & virtute Filius Patris : Eucharistia non est typice dumtaxat aut sola virtute Corpus Christi.

Addit S. Ambrosius : *Sed forte dicat quod dixerunt tunc temporis etiam Discipuli Christi*, *audientes dicentem*, *Nisi quis manducaverit carnem meam*, *& biberit sanguinem meum*, *non manebit in me*, *nec habebit vitam æternam*. *Forte dicas*, *Quomodo vera ? Qui similitudinem video*, *non video sanguinis veritatem*. Dubitatio illa quæ ex Mysterio nasci potest, *Quomodo vera ?* non est de veritate virtutis carnis & sanguinis Christi, sed de veritate substantiæ. Nemo enim de virtute Sanguinis Christi in Baptismum derivata dubitaverit, quia sanguinis veritatem non videt; cum certissimum sit ibi non esse veritatem Sanguinis Christi, ubi sola virtus ipsius est, adeoque videri non posse; sic a pari nemo dubium de virtute Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiam diffusa in mente sua subortum exprimeret his verbis : *Quomodo vera ? Qui similitudinem video*, *non video sanguinis veritatem*. Siquidem Sanguinis Christi veritas in Eucharistia non esset, si virtutem solam ejusdem pretiosi sanguinis contineret. Pergit *S. Ambrosius* hoc dubium expugnans : *Primo omnium dixi tibi de sermone Christi*, *qui operatur ut possit mutare & convertere genera & instituta naturæ*. *Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi Discipuli ejus*, *sed audientes quod carnem suam daret manducandam*, *& sanguinem suum daret bibendum*, *recedebant*, *solus tamen Petrus dixit : Verba vitæ æternæ habes*, *& ego a te quo recedam ? Ne igitur plures hoc dicerent*, *veluti quidam esset horror cruoris*, *sed maneret gratia redemptionis*, *ideo in similitudinem quidem accipis Sacramentum*, *sed vera naturæ gratiam*, *virtutemque consequeris*. Nisi sensisset *S. Ambrosius* sanguinem Christi in Eucharistia, non solum secundum suam virtutem, sed etiam secundum substantiam ac materiam suam reipsa contineri ac a nobis sumi, non dixisset, nobis sub Sacramento datum, *Ne esset horror cruoris*: Sicut nemo dixit usquam Deum providisse ne videamus Sanguinem Christi, quo in Baptismo abluimur, ne sanguinis lavacrum horreremus. Hujusmodi enim loquendi formula plane absurda esset, ubi agitur de Sacramento quod solam Sanguinis Christi virtutem continet. Recte itaque *Lanfrancus* hunc *S. Ambrosii locum a Berengario* objectum expendens lib. *De Corpore & Sanguine Domini*, cap. 20. ait : *Similitudinem hoc in loco*, *nullo dubitante panis vinique speciem intelligit*, *sub qua Corporis Christi natura contegitur*; *& sine cruoris horrore a digne sumentibus in salutem accipitur*.

VIII. Objicit *Albertinus* testimonium *S. Ambrosii* lib. 1. *De Officiis*, cap. 48. ubi sic loquitur : *Hic umbra*, *hic imago*, *illic* (scilicet in cœlis) *veritas*. *Umbra in Lege*, *imago in Evangelio*, *veritas in cœlestibus*. *Ante Agnus offerebatur*, *offerebatur vitulus*; *tunc Christus offertur*, *sed offertur quasi homo*, *quasi recipiens passionem*, *& offert seipse quasi Sacerdos*, *ut peccata nostra dimittat*. *Hic in imagine*, *ibi in veritate*, *ubi apud Patrem pro nobis quasi Advocatus intervenit*. Et super Psalmum 38. sic loquitur : *Etsi nunc Christus non videtur offerre*, *tamen ipse offertur in terris*, *quando Christi corpus offertur*, *immo ipse offerre manifestatur in nobis*, *cujus sermo sanctificat Sacrificium quod offertur*. *Et ipse quidem nobis apud Patrem Advocatus adsistit*, *sed nunc eum non videmus*. *Tunc videbimus*, *cum imago transierit*, *veritas venerit*. *Tunc jam non per speculum*, *sed facie ad faciem ea quæ sunt perfecta videbuntur*. *Ascende ergo homo in cœlum*; *& videbis illa quorum umbra hic erat vel imago*. Distingnit *S. Ambrosius* inter oblationes quæ fiebant olim sub Lege, quas *umbram* appellat, & eas quæ jam fiunt sub Evangelio, quas *imaginem* nuncupat, hoc est, figuram clariorem quam umbra sit, & eam denique quæ jam fit in cœlis, quam veritatem indigitat. Quid autem est oblatio in imagine, cum opponitur oblationi in veritate, nisi oblatio quæ fit in solo signo & repræsentatione ? Intelligit ergo Christum sese jam in cœlis vere, realiter ac substantialiter Patri præsentem sistere, Patrique offerre; hic vero, id est, in terra, non itidem realiter & substantialiter offerri, sed tantum in imagine, signo, & repræsentatione, per oblationem videlicet panis & vini.

Respondeo, *S. Ambrosium* his in locis nomen veritatis pro ipsa rei substantia non usurpare, sed pro stato perfectionis & claritatis, nec imaginis nomen statui Legis Evangelicæ ob aliam rationem tribuere; nisi ob perfectionis & claritatis defectum. Cum itaque ait, Christum hic offerri in imagine, in cœlo vero in veritate, non excludit realem Corporis Christi præsentiam & oblationem a Sacrificio Novæ Legis; sed negat solum præsentiam visibilem, qualis in cælo est, & imaginem adstruit Passionis ac Mortis Christi in Sacrificio nostro, quam a statu gloriæ excludit. Sicut ergo ex *S. Ambrosii* verbis colligi non potest sanctificationem & remissionem peccatorum re ipsa per Baptismum non conferri, quamvis Baptismum quoque ad statum imaginis pertinere doceat; ita nec inferri potest Corpus Christi seipsa & secundum substantiam suam non offerri, quia in statu imaginis offertur. Unde ait S. Ambrosius : *Videmus nunc per imaginem bona*, *& tenemus imaginis bona*. *Vidimus Principem Sacerdotum ad nos venientem*, *vidimus & audivimus offerentem pro nobis Sanguinem suum : sequamur*, *ut possumus*, *Sacerdotes*, *ut offeramus pro populo Sacrificium : etsi infirmi merito tamen honorabiles Sacrificio : quia etsi nunc Christus non videtur*

detur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur. Veritas ergo pro manifestatione sumitur a *S. Ambrosio* locis laudatis. Quo sensu & ab Ecclesia sumi in Oratione post Communionem in quadam Missa *Lanfrancus* observat, ubi dicitur: *Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua Sacramenta quod continent; ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.* Postulat quippe Sacerdos, *Ut Corpus Christi quod sub specie panis vinique geritur; manifesta visione, sicuti revera est, quandoque capiatur.* Cæterum Christum non in signo tantum & repræsentatione hic offerri, sed vere & realiter, *S. Ambrosius* expresse docuit, ut constat ex illius exhortatione ad Virginitatem, seu ex sermone habito ad Virgines, in Dedicatione Ecclesiæ, quam *Juliana* Vidua religiosissima ædificarat: Ubi ad Deum orationem convertens, ait: *Fiat tibi in odorem suavitatis omne Sacrificium, quod in hoc templo fide integra, pia sedulitate defertur. Et cum ad illam respicis Hostiam salutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur, respicias etiam ad has pias hostias castitatis, & diuturno eas tuearis auxilio.* Et in Epistola ad *Marcellinam* Sororem, de corporum SS. Martyrum Gervasii & Protasii Inventione; *Succedant*, inquit, *victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est; sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub Altari, qui illius redempti sunt passione.*

Cap. 20.

ARTICULUS XVIII.

S. HIERONYMUS Realis Præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia testis.

I. Catholicam de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia veritatem S. *Hieronymus* confirmat, Eucharistiam Corpus & Sanguinem Christi multis in locis appellans, eamque oblationi Melchisedech, & panibus propositionis interdum opponens, ut veritatem figuræ. In Epistola ad *Marcellam* sub nomine *Paulæ & Eustochii* scripta: *Melchisedech & jam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & Mysterium Christianum in Salvatoris Corpore, & Sanguine dedicavit.* In cap. 1. Epistolæ ad Titum: *Tantum*, inquit, *interest inter panes propositionis & Corpus Christi, quantum inter umbram & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea quæ per ipsa exemplaria præfigurabantur.* In Epistola ad Heliodorum: *Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt.* In Epistola *ad Rusticum* de *S. Exuperio* Tolosano Episcopo sic loquitur: *Nihil illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro*, in Epistola ad Evagrium: *Quis patiatur mensarum & viduarum Minister, ut supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces Christi Corpus Sanguisque conficitur?* In Epistola ad *Eustochium* de Custodia Virginitatis: *Si quæ ancillulæ sunt comites propositi tui, ne erigaris adversus eas, ne infleris ut Domina. Unum Sponsum habere cœpistis, simul psallitis, Christi simul Corpus accipitis, cur mensa diversa sit?* In Apologia ad *Pammachium* pro libris adversus *Jovinianum*, de usu matrimonii loquens: *Quid est majus*, inquit, *orare, an Corpus Christi accipere? Utique accipere Corpus Christi. Si per coitum quod minus est impeditur, multo magis quod majus est... Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles semper Christi Corpus accipiant: quod nec reprehendo, nec probo; unusquisque enim in suo sensu abundet.... Probet se unusquisque, & sic ad Corpus Christi accedat: Non quod dilata communionis unus dies, aut biduum, sanctiorem efficiat Christianum, ut quod hodie non merui, cras vel perendie merear: sed quod dum doleo me non communicasse Corpori Christi, abstineam me paulisper ab uxoris amplexu; ut amori conjugis amorem Christi præferam.* Et Epistola 62. ad Theophilum; *Si munera nostra absque pace offerre non possumus, quanto magis & Christi Corpus accipere? Qua conscientia ad Eucharistiam Christi accedam, & respondebo, Amen, cum de caritate dubitem porrigentis?*

II. Objicit *Albertinus* testimonium *S. Hieronymi* in Epistola ad *Hedibiam*, in qua respondens ad quæstionem ab ea propositam, quid sibi vellent hæc Domini verba: *Dico vobis, Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum quo bibam illud novum vobiscum in Regno Patris mei*, ait: *Ex hoc loco quidam mille annorum fabulam struunt, in quibus Christum regnaturum corporaliter esse contendunt, & bibiturum vinum, quod ex illo tempore usque ad consummationem mundi non biberit*, &c. Quinam autem erant illi? Viri sane non parvi nominis; Papias, Irenæus, Tertullianus, Victorinus, Apollinarius, Lactantius, Severus Nepos, Justinus Martyr. Hi omnes existimabant Dominum per mille annos in terra regnantem de novo ibi bibiturum de eodem vitis genimine, de quo in Eucharistiæ communione biberat, atque in hunc sensum supra citata ipsius verba apud *Matthæum* de calice Evangelico dicto transferebant. Minime autem credebant Dominum per mille annos in terra regnantem proprium sanguinem suum esse potaturum. Id de vero vino proprieque dicto intelligebant, quemadmodum *Irenæus* prolixe interpretatur. Pariter ergo censebant Dominum in Eucharistia verum ac proprie dictum genimen vitis bibisse, hoc est, verum substantia vinum. Nec *Hieronymus* ab iis dissentiebat. Consensus inter illos erat de substantia liquoris a Domino in Eucharistiæ communione bibiti: tantum autem dissentiebant in eo quod illi Dominum existimarent de novo ac per seipsum de eodem substantialiter liquore esse bibiturum; *Hieronymus* vero id eum non per se ipsum, & in terra consistentem, sed repræsentative per Fideles suos in continuata Sacramenti communione præstiturum esse censeret. Cum illis igitur similiter intelligit, id vitis genimen quod Salvator apud *Matthæum* in Calice Eucharistico se bibisse testabatur, quamvis Sanguinis ipsius vocabulo nuncupatum, juxta substantiam verum vitis genimen esse; Sanguinemque non proprie, sed metaphorice tantum, figurateque appellatum. Nodus hic Gordio strictior, inquit, *Albertinus*.

Albertini objectiones ex S. Hieronymo petitæ diluuntur.

Respondeo, Nodum hunc *Gordium*, ut thrasonice vocat *Albertinus*, putidum esse sophisma, simile illi quo quis audiens hominem Romam pergentem, & demonstrata Summi Pontificis *Innocentii IX.* imagine dicentem: Sanctissimi hujus Pontificis pedes intra aliquot menses osculabor, ita ratiocinaretur: Hic asserit fore ut intra breve tempus pedes hujus Pontificis osculo veneretur, cujus effigiem amicis ostendit: atqui non salutabit Pontificem pictum, sed vivum; igitur non demonstravit amicis Pontificem pictum, sed vivum. Hujus argumenti fallacia ex æquivocatione hujus nominis: *Pontifex*, oritur, quod in prima propositione supponit pro imagine Pontificis, in altera pro persona. Simile est *Albertini* argumentum: Patres Chiliastæ existimabant Dominum per mille annos in terra regnantem bibiturum de eodem vitis genimine, de quo in Eucharistica Communione biberat: atqui credebant ipsum per mille annos in terra regnantem bibiturum esse vinum proprie dictum: ergo censebant ipsum in Communione Eucharistica bibiturum vinum proprie dictum. Fallacia in æquivocatione hujus nominis, *genimen vitis*, seu *vinum* pariter posita est. Cum enim de Eucharistia loquebantur Patres memorati genimen *vitis* pro vino apparenti usurpabant, siquidem erant de transmutatione vini in Christi Sanguinem plane persuasi, cum vero de vino loquebantur, quod in regno millenario Christus bibiturus erat, *genimen vitis* sumebant pro vino proprie dicto. Nec magis repugnat ut in eadem sententia Domini *genimen vitis* pro vino apparenti in priori parte sit acceptum a Patribus nominatis, in altera pro vino proprie dicto; quam ut a Christo ipso sit acceptum in priori parte pro vino reali, in posteriori pro metaphorico, id est, pro torrente voluptatis quo beati inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Quam interpretationem, quæ *Maldonati & Jansenii Yprensis* est, probat *Albertinus*. Quod vero senserit *S. Hieronymus* vinum Eucharisticum esse ipsum sanguinem Christi, probant sequentia ipsius verba in Epistola ad *Hedibiam*, Quæstione 2. ex qua desumpta objectio est. *Nos autem*, inquit, *audiamus*

mus panem, quem fregit Dominus, deditque Discipulis suis esse Corpus Domini Salvatoris, ipso dicente ad eos; Accipite & comedite, Hoc est corpus meum: *& calicem illum esse: de quo iterum locutus est:* Bibite ex hoc omnes; Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur. *Iste est Calix de quo in Propheta legimus:* Calicem salutaris accipiam. *Et alibi:* Calix tuus inebrians quam præclarus est! *Sic ergo panis qui de cœlo descendit, Corpus est Domini, & vinum quod Discipulis dedit, Sanguis illius est Novi Testamenti, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum; Judaicas fabulas repellamus, & ascendamus cum Domino cœnaculum magnum stratum, atque mundatum; & accipiamus ab eo sursum calicem Novi Testamenti; ibique cum eo Pascha celebrantes inebriemur ab eo vino sobrietatis:* Non enim est regnum Dei cibus & potus, sed justitia & gaudium; & pax in Spiritu Sancto. *Nec Moyses dedit nobis, panem verum, sed Dominus Jesus, ipse conviva & convivium ipse comedens, & qui comeditur; illius bibimus Sanguinem: & sine ipso potare non possumus: & quotidie in Sacrificiis ejus de genimine vitis veræ, & vineæ Sorec, quæ interpretatur, electa, rubentia musta calcamus; & novum ex his vinum bibimus in Regno Patris, nequaquam in vetustate literæ, sed in novitate spiritus.* Panem Eucharisticum esse Corpus Domini, & vinum ejus Sanguinem docet *S. Hieronymus*. Hunc panem de cœlo descendisse asserit, quod Christi proprium est, non panis in sua substantia manentis: Hoc vinum esse fructum vineæ *Sorec*, nimirum Ipsius Christi, testatur; Christum denique ipsum esse convivam & convivium, ipsum comedentem & qui comeditur; id est, Corpus suum nobis manducandum apponere, & per nos comedere, quia *Caput & membra unus est Christus.*

Qua sensu S. Hieron. Eucharistiam typum & Mysterium Corporis & Sanguinis Christi vocet.

III. Ex his evidens est quo sensu *Sanctus Hieronymus* Eucharistiam *Typum Sanguinis Domini* appellet lib. 2. adversus *Jovinianum*, & in cap. 31. *Jeremiæ*, & *Mysterium Corporis & Sanguinis Christi*, in cap. 41. *Ezechielis*. Typum scilicet ac Mysterium vocat, secundum externam speciem, Corpus vero & Sanguinem Christi secundum internam veritatem quæ sub typo & mysterio continetur. Sub hoc duplici respectu semper Eucharistiam spectarunt Orthodoxi, adeoque & typum, & Corpus Christi recte appellarunt; sicut & modo Sacramentum ac Mysterium appellamus, licet Christi Corpus vere ac realiter esse credamus. Unde *Paschasius* ait: *Est autem figura vel character hoc quod exterius sentitur, sed totum veritas & nulla adumbratio, quod intrinsecus percipitur. Veritas est dum Corpus Christi & Sanguis, virtute Spiritus, in verbo ipsius, ex panis vinique substantia efficitur: figura vero dum Sacerdos quasi aliud exterius gerens, ob recordationem sacræ Passionis ad aram venit, & quod semel gestum est, quotidie immolatur Agnus.* Hoc item sensu *Guitmundus* docet Eucharistiam & *Mysterium esse, quia aliquid mysticum portat; & Sacramentum, quia sacrum aliquid intelligendum intra se occultat; & figuram, quia excepto hoc quod corporaliter agitur, spirituale aliud valde necessarium figurat.* Hoc pariter sensu *Lanfrancus*, cap. 16. *Sacramentum Corporis Christi, quantum ad id spectat quod in cruce immolatus est ipse Dominus Christus, caro ejus est quam forma panis opertam in Sacramento accipimus: & sanguis ejus, quem sub vini specie ac sapore potamus. Caro videlicet carnis, & sanguis Sacramentum est sanguinis, Carne & sanguine utroque invisibili, intelligibili, spirituali, significatur Redemptoris corpus visibile, palpabile, manifeste plenum gratia omnium virtutum, & divina Majestate. Quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi salutem dividitur; alterum vero effusum de calice ab ore Fidelium sumitur, mors ejus de cruce, & sanguinis ejus de latere emanatio figuratur. Caro ergo & sanguis quibus ad impetrandam pro peccatis nostris Dei misericordiam quotidie alimur, Christi corpus ac sanguis vocantur, non solum quia essentialiter idem sunt, qualitatibus plurimum discrepantes; verum etiam eo locutionis modo quo res significans significatæ rei solet vocabulo nuncupari. Nec juste quisquam movebitur, si eadem caro, idemque sanguis sui ipsorum Sacramenta existant, secundum aliud atque aliud accepta; cum ipse Dominus Jesus post Resurrectionem suam, sui ipsius diversa temporum ratione typum gesserit:* Hoc denique sensu *Algerus* lib. 1. cap. 8. explicans quomodo Sacramentum Corporis Christi ab aliis differat Sacramentis, vel quomodo conveniat, ait: *Cætera Sacramenta Novi Testamenti & Veteris figuræ tantum fuerunt; nec aliqua species eorum, ut id fierent quod significabant, ab hoc quod fuerant, ut manna, petra, aliquatenus mutata sunt. Aqua vero Baptismatis, & oleum Chrismatis in Sacramenta ab hoc quod est, non mutatur; nec Spiritum Sanctum quem significat aqua abluentem, emundantem, oleum vero roborantem, illuminantem, quamvis credentibus suo mysterio exhibeat, non tamen continere essentialiter, sed figurative tantum creditur. Solum Sacramentum panis & vini ita mutatur; ut substantialiter non sit quod ante fuerat, sed substantia ejus Corpus Christi fiat, forma vero remanens ipsum significet & contineat.* Et infra observat quod, *In Veteri Testamento dedit Deus tantum figuram umbram, in Novo veritatem cum figura, in futuro dabit veritatem non cum figura, sed manifestam: ut tali profectu temporum nos perfectæ veritati viciniores ascenderet, quibus post umbratam veritatem, nihil nisi eamdem manifestam dari restaret. Vetus enim Testamentum veritatem promisit, non dedit: Novum dedit, sed non ostendit. Quid restat nisi ut eadem veritas in alia vita manifestetur?*

Ex his omnibus evidens est, Eucharistiam ab iis etiam qui *Berengarium* impugnarunt, & qui realem Christi præsentiam in hoc Sacramento & panis ac vini in Corpus & Sanguinem ipsius Transsubstantiationem ut fidei dogma defenderunt, figuram, Mysterium, Sacramentum, fuisse appellatam, huncque Ecclesiasticum esse loquendi modum, cum fide præsentiæ realis apprime convenientem. Quæ observatio sufficit ad omnium futilitatem argumentorum demonstrandam, quæ *Albertinus* passim, & *Matthæus La Roque* * Calviniani Ministri objectant, ex eo petita, quod Patres Eucharistiam appellarint, *Sacramentum* Corporis & Sanguinis Christi, *Signum, figuram, typum, antitypa, symbola, imaginem, similitudinem, mysterium*; & dixerint Corpus & Sanguinem Christi per panem & vinum Eucharisticum, aut per Sacramentum *significari, ostendi, repræsentari*.

* Euchar. Histor. II. P. C. 3.

IV. Objicit *Albertinus* aliud *S. Hieronymi* testimonium ex Commentario in cap. 26. *S. Matthæi*, in quo de Domino loquens, ait: *Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei Sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui Corporis & Sanguinis repræsentaret.* At vero, si per panem & vinum Dominus in Eucharistia Corporis & Sanguinis sui veritatem repræsentavit; panis igitur & vinum repræsentatio seu figura sunt veri Corporis & Sanguinis Christi, non autem ipsamet veritas Corporis & Sanguinis ejus.

Respondeo cum doctissimo Cardinali *Perronio* in hoc *S. Hieronymi* loco verbum *repræsentare* non sumi pro *figurare & significare*; sed pro, *præsens reddere ac exhibere*; quo sensu Jurisconsulti præsentem pecuniæ solutionem *repræsentationem* appellant: in quem similiter sensum *Cicero* * illud usurpat, cum ait; *Neque expectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possumus.* Et *Tertullianus* lib. 4. contra *Marcionem*, cum ait, Deum *Filium suum in Monte Thabor repræsentasse*: & in Apologetico: *Corpora in Resurrectione repræsentabuntur*; Et lib. de Oratione: *Si ad Dei voluntatem & ad nostram suspensionem pertinet Regni Dominici repræsentatio, quomodo quidam protractum quemdam in sæculo postulant?* Eodem sensu illud usurpat *S. Cyprianus* Epistola ad plebem Carthaginensem scribens: *Ut repræsentet vobis*, inquit, *per Paschæ diem.* Et Epistola 74. *Ut ad potum Civitatis aqua collecta eadem ubertate atque integritate repræsentetur, qua de fonte proficiscitur.* Sic illud usurpat *S. Ambrosius* in Psalmum 118. *Multi*, inquit, *ingrediuntur Palatia & non statim Regem istum terræ vident; sed frequenter observant ut aliquando videre mereantur, nec præsumunt videndi copiam, sed jussi* re-

* Epist. famil. lib. 5. Epist. 16.

repræsentantur. Ita *Sanctus Augustinus* Tractatu 99. in Joannem : *Dominus*, inquit, *post Resurrectionem se repræsentans Discipulis* : id est, præsentem se exhibens. Quod vero *S. Hieronymus* eo sensu asserat Christum *veritatem sui Corporis & Sanguinis* in Eucharistia *repræsentare*, ex eo perspicuum est, quod sicut in priori membro illius sententiæ, quam objicit *Albertinus*, Eucharistiam vocat *Paschatis verum Sacramentum*, per oppositionem ad *Pascha typicum* ; ita in posteriori membro ait, Christum *veritatem sui corporis & sanguinis repræsentasse*, per oppositionem ad id quod mox dixerat, *Melchisedech in præfigurationem Christi panem & vinum obtulisse*. At verbum *repræsentare*, ut oppositum verbo, *præfigurare*, significat *præsens exhibere* : itaque *S. Hieronymus* hoc sensu verbum illud usurpavit, cum ait, *Ut ipse quoque veritatem corporis & sanguinis sui repræsentaret*, id est præsentem exhiberet.

V. Instat *Albertinus* : Quotiescumque vel de verbis, vel etiam de rebus ad significationem ordinatis agitur, repræsentatio quæ illis tribuitur, non designat exhibitionem ; sed tantum significationem ; seu in signo repræsentationem : Nam essentia signorum qua talium, in significatione consistit. Repræsentare igitur *Hieronymo*, aperte figurare est, non vero præsens exhibere.

Respondeo, antecedens verum esse, si agatur de meris signis, & rei significatæ exclusivis ; falsum vero si de signis rem significatam includentibus ac præsentem demonstrantibus. Ita quamvis linguæ igneæ figuræ fuerint Spiritus Sancti, si quis tamen diceret : *Christum promissum Apostolis Spiritum Sanctum linguis igneis repræsentavit*, sensus horum verborum non esset, Christum dumtaxat, in signo repræsentasse Spiritum Sanctum, sed reipsa dedisse Apostolis. Et quamvis Baptismus & ablutio exterior signum sint remissionis peccatorum, tamen si quis diceret : *Tot legalibus olim baptismatis præfigurata peccatorum remissio in baptismo repræsentatur* : Sensus non esset Baptismum significare dumtaxat remissionem peccatorum ; sed revera exhibere. Ita cum ait *Sanctus Hieronymus*, Christum in Eucharistia *veritatem corporis & sanguinis sui repræsentare*, sensus horum verborum non est, Christum solum repræsentare corpus & sanguinem suum in signo, sed revera præsentia exhibere.

VI. Urget *Albertinus* ; Verba illa, *Ipse quoque*, redditionem similitudinis inter *Melchisedech* Christum pane & vino præfigurantem, & Christum pariter per panem & vinum veritatem corporis ac sanguinis sui repræsentantem complectentia, necessario requirere, ut *repræsentare* pro *figurare* sumatur. Alioqui falso & inepte diceret, *Ipse quoque fecit quod ante Melchisedech fecerat* : Melchisedech enim non Christum exhibuerat ac præsentem reddiderat, sed figuraverat. Aut igitur ipsum veritatem corporis sui sanguinisque repræsentasse, id est, figurasse intelligit *Hieronymus*, aut male & incongrua oppositaque comparatione ipsum quoque fecisse ait, quomodo olim *Melchisedech*.

Respondeo, Oblationem Christi a *S. Hieronymo* cum oblatione *Melchisedech* hoc in loco non simpliciter comparari ut similem ; sed ut veritatem hac oblatione præfiguratam, utque illius figuræ complementum. Inter figuram porro & veritatem etsi aliquam similitudinem intercedere necesse sit, maximum tamen discrimen est. Utriusque ergo illius oblationis in eo posita est similitudo, quod Christus panem & vinum ut sacrificii materiam sui assumpserit, *sicut Melchisedech* ; quod spectavit *Sanctus Hieronymus* in comparatione illa sua, cum ait : *Quomodo ut ipse quoque*, &c. Discrimen in eo versatur, quod *Melchisedech* figuram dumtaxat Corporis & Sanguinis Christi obtulerit, quod hoc verbo, *in præfiguratione*, Sanctus Hieronymus expressit : Christus vero Corporis & Sanguinis sui veritatem præsentem exhibuerit, quod idem S. Doctor his verbis significaverit : *Ut veritatem corporis & sanguinis sui repræsentaret*.

Quo sensu S. Hieronymus dicat, Impios non manducare carnem, nec bibere Sanguinem Salvatoris.

VII. Objicit *Albertinus* nonnulla *S. Hieronymi* loca, in quibus docet, impios, infideles & hæreticos non manducare Corpus Christi, nec ejus Sanguinem bibere. Sic enim Commentario in cap. 66. Isaiæ : *Secundum tropologiam possimus dicere, omnes voluptatis amatores magis quam Dei sanctificari in hortis & liminibus, quia Mysteria veritatis non valent introire, & comedere cibos impietatis, dum non sunt sancti corpore & spiritu, nec comedunt carnem Jesu, neque bibunt sanguinem ejus, de quo ipse loquitur ; Qui comedunt carnem meam & bibunt sanguinem meum, habent vitam æternam*. Et in Jeremiæ cap. 22. *Non comedent & non bibent, subauditur, Corpus & Sanguinem Salvatoris*. Et in Oseæ cap. 8. *Nec comedentes ejus carnem, cujus caro cibus credentium est*. Unde evidenter sequitur, eum nullo modo censuisse Corpus & Sanguinem Domini sub accidentibus panis & vini in Eucharistia latere : Nam si ita foret, impii & infideles Eucharistiam percipientes illa comederent, & biberent.

Duplex modus manducandi carnem Christi, unus justis impiisque communis, alter justorum proprius.

Respondeo, *S. Hieronymum* non negare quod impii & infideles Corpus & Sanguinem Christi sacramentaliter & corporaliter manducent & bibant, sed solum quod manducent spiritualiter, quod manducent utiliter, scilicet ad vitam æternam, quia indigne manducant & bibunt. Negat eos ita manducare Corpus Christi, ut fiunt ipsi Corpus Christi, id est, ut Societati Sanctorum incorporentur, ut ipsi Christo per caritatem uniantur, ut Christus in iis maneat & ipsi in Christo ; ut ab eo spiritualiter reficiantur, id est, gratiam & robur spirituale recipiant. Aliquo igitur modo Justi Corpus Christi manducant & bibunt, quo non manducant nec bibunt impii. Unde si ad illum modum restringatur manducatio Corporis Christi, negari potest quod impii & infideles illud manducent. Hoc sensu *S. Hieronymus*, negat voluptatis amatores comedere Carnem Jesu, qui tamen alibi disertis verbis asserit illos comedere, Sacramentaliter nimirum. Sic enim in cap. 1. Malachiæ. *Polluimus panem, id est, Corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus : Mensa Domini despecta est*. Eodem modo solvuntur testimonia *Origenis* in cap. 15. S. Matthæi *Zenonis Veronensis* apud *Ratherium* Tomo II. *Spicilegii Dacheriani* pag. 181. *S. Augustini* lib. 21. *de Civitate Dei*, cap. 25. Tractatu 26. *in Joannem*, & Sermone 2. *de Verbis Apostoli* cap. I. quæ *Albertinus* passim ; sed maxime lib. 2. in Examine testimoniorum *S. Augustini*, cap. 8. & *Matthæus La Roque*, Historiæ Eucharisticæ P. 2. cap. 4. objiciunt. Modum illum duplicem manducandi carnem Christi, unum Justis impiisque communem, alterum Justorum proprium *S. Augustinus* diserte distinguit Sermone 11. *De Verbis Domini* cap. 11. his verbis ; *Illud etiam quod ait* ; Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum in me manet, & ego in illo, *quomodo intellecturi sumus ? Numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus quod judicium sibi manducent & bibant, cum ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant ? Numquid & Judas Magistri venditor & traditor impius, quamvis primum ipsum manibus ejus confectum Sacramentum Carnis & Sanguinis ejus cum cæteris Discipulis, sicut apertius Lucas Evangelista declarat, manducaret, & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo ? Multi denique qui vel corde ficto carnem illam manducant & sanguinem bibunt ; vel cum manducaverint & biberint, apostatæ fiunt, numquid manent in Christo, aut Christus in eis ? Sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducaverit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocumque modo quispiam manducaverit Carnem Christi, & biberit Sanguinem Christi manet in Christo & in illo Christus ; sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat*. Multi Carnem Christi edunt *tantum in Sacramento, boni usque ad Spiritus participationem, ut in Domini Corpore tamquam membra maneant : ut ejus Spiritu vegetentur* (inquit idem Pater Tractatu 28. in *Joannem*) Non minus dilucide manducationem duplicem distinguit Sermone 2. *De Verbis Apostoli*. Ubi enim præmisit Salvatorem *Commendasse nobis pretium nostrum, Sanguinem suum : corpus dixisse escam, Sanguinem potum : Sacramentum Fidelium agnoscere Fi-*

deles. Illi homini mortem fore, non vitam, qui mendacem putaverit vitam; Subdit: *Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt.* Id est manducent etiam spiritualiter, qui manducant sacramentaliter & corporaliter: *Illud manducare*, spiritualiter nimirum *refici* est, quo modo soli Justi Corpus Christi manducant. *Illud bibere, quid est nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est, vita unicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur*: Id est in ipsa veritate anima ex corpore & Sanguine Christi nutriatur. Hæc enim spiritualis refectio veritas est, cujus figura est manducatio sacramentalis & corporalis. Vel, *in ipsa veritate spiritaliter manducetur*, id est, non in Sacramento tantum, in quo sistit manducatio exterior, qua Christi quidem corpus & sanguinem etiam impii recipiunt, sed sacris symbolis obvelata. Sed in ipsa veritate Corporis & Sanguinis Christi nullis figuris velata, quæ est objectum manducationis spiritualis: quo modo soli Fideles & Justi manducant, qui fide & caritate ad interiora velaminis, sive Sacramenti penetrantes, Christo adhærent ut ejus Spiritum percipiant, eique incorporentur ut vivificentur. Cujus incorporationis Sacramentum dumtaxat mali recipiunt, quamvis Corpus Christi corporaliter manducent; soli autem Justi incorporationis ipsius dignitatem, beneficium, fœlicitatem.

VIII. Instat *Albertinus*: Si diceremus impios non participare Spiritum Sanctum, sensus non foret eos non eum utiliter participare: sed simpliciter illos eum non participare; cum igitur *Hieronymus* dicit, eos non comedere Corpus Christi, nec bibere ejus Sanguinem, mens tantum ipsius non est illos non utiliter ea comedere & bibere; sed simpliciter illos ea non comedere & bibere. Secundo, *Hieronymus* antithesim instituit inter comedere cibos impietatis, & comedere carnem Christi; & quo sensu affirmat voluptatis amatores cibos impietatis comedere eodem, & negat eos carnem Christi comedere. Sensus autem ejus simpliciter est, voluptatis amatores cibos impietatis edere; intelligit ergo vicissim eos simpliciter carnem Christi non comedere.

Respondeo ad primum, nego paritatem & consequentiam. Cum enim unus sit modus accipiendi Spiritum Sanctum per inhabitationem ipsius in cordibus nostris, nec sub aliquo Sacramento secundum substantiam suam ac personam realiter contineatur, neque corporaliter accipi possit, ut qui totus spiritus est; non potest participari, nisi utiliter, quia, non participatur nisi gratiam & caritatem diffundendo vel augendo in cordibus nostris. At Christi caro dupliciter manducari potest, corporaliter, & spiritualiter, digne & indigne, ad vitam, vel ad judicium, ut ex Scriptura Sacra & Patribus jam probavimus: Dici itaque potest impios non manducare carnem Christi, restricto manducationis verbo ad spiritualem manducationem: nec tamen inde colligere est, illos nullo modo ipsam manducare; cum præter hunc manducandi modum qui Justorum proprius est, sit alter bonis malisque communis.

Respondeo ad secundum, *S. Hieronymum* comparationem instituere inter comedere cibos impietatis & comedere spiritualiter carnem Christi, qui manducandi modi ambo metaphorici sunt, quo fit ut accuratior sit comparatio & elegantior. Sicut ergo simpliciter asserit voluptatis amatores cibos impietatis non comedere; ita simpliciter negat eos spiritualiter carnem Christi comedere. In hoc tota vis comparationis est posita.

ARTICULUS XIX.

Sacramentarii a S. AUGUSTINO profligantur.

I. NUllus est Patrum cujus authoritate magis abusi sint Sacramentarii; nullus est cujus authoritate validius conterantur. Palmaris est adversus ipsos locus lib. 9. *Confessionum*, cap. 13. ubi loquens de *Monica* matre sua sanctissima, ait: *Memoriam sui ad Altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari Victimam Sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra.* Victima Sancta, qua deletum est chirographum contrarium nobis, est ipsum Corpus Christi pro nobis immolatum, & Sanguis pro nobis effusus, non mera Corporis & Sanguinis ipsius figura.

Non minus luculentus est locus alter, quem lib. 17. *De Civitate Dei*, cap. 20. legimus, ubi hæc verba Ecclesiastis 5. *Non est bonum homini nisi quod manducabit & bibet*, ad participationem mensæ hujus pertinere docet, *quam Sacerdos ipse Mediator Testamenti Novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore & sanguine suo. Id enim Sacrificium*, inquit, *successit omnibus illis sacrificiis Veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri; propter quod etiam vocem illam in Psalmo trigesimo-nono ejusdem Mediatoris per Prophetiam loquentis agnoscimus:* Sacrificium „ & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti „ mihi: *Quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus Corpus ejus offertur & participantibus ministratur.* Corpus Christi quod pro omnibus sacrificiis & oblationibus Testamenti Veteris offertur, non est corpus typicum, sed verum; illud enim est de quo per Prophetam ait: *Corpus autem perfecisti mihi*: illud est quod antiquis figuris succedit ut veritas per illas significata: illud est quod in antiqua Lege non offerebatur in Sacrificium. Porro nemo negaverit Corpus Christi in Veteris Legis Sacrificiis oblatum etiam fuisse in figura: Eucharistia ergo Sacrificium est in quo Christi corpus non in figura tantum offertur, & participantibus ministratur, sed in veritate, & reipsa.

Eucharistiæ Sacrificium successit omnibus Sacrificiis Veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri.

Huic loco alter congener est ex enarratione in Psalmum 39. petitus, ubi de veteribus Sacrificiis loquens ait: *Cum datum est quod promissum est, ablata sunt verba promissiva, data sunt completiva. Sacrificia ergo illa tamquam verba promissiva, ablata sunt. Quid est quod datum est completivum? Corpus quod nostis, quod non omnes nostis: quod utinam qui nostis omnes non ad judicium noveritis. Videte quando dictum est. [Christus enim ille est Dominus noster, modo loquens ex membris suis, modo ex persona sua]* Sacrificium, *inquit*, & oblationes noluisti. *Quid ergo? nos jam hoc tempore sine Sacrificio dimissi sumus? Absit.* Corpus autem perfecisti mihi. *Ideo illa noluisti, ut hoc perficeres: illa voluisti, antequam hoc perficeres. Perfectio promissorum abstulit verba promittentia. Nam si adhuc promittentia, nondum impletum est quod promissum est. Hoc promittebatur quibusdam signis: ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa. In hoc corpore sumus, hujus corporis participes sumus, quod accipimus, novimus & qui non nostis, noveritis; & cum didiceritis, utinam non ad judicium accipiatis.* Corpus typicum non est *veritas promissa*, quæ *exhibita est*: corpus typicum non est illud quod Filio suo Deus perfecit, de quo Christus ait per Prophetam: *Corpus autem perfecisti mihi*: Corpus typicum non est veterum Sacrificiorum *Completivum*. Corpus ergo Christi, quod in Eucharistia accipimus, non est Corpus Christi typicum, sed verum, & proprium.

Eucharistia Christi corpus est Veterum Sacrificiorum completivum.

II. Respondet *Albertinus*, duos esse completivos modos; unum realem & proprium, alterum declarativum & testificativum. Priori sensu, proprium tantummodo ac naturale Domini Corpus esse veterum Sacrificiorum completivum, idque non qua in Eucharistia, offertur & editur, sed qua in cruce mactatum & immolatum. Posteriori autem sensu panem Sacramentalem veterum Sacrificiorum completivum dici posse, quia illa completa esse Christi Passione testatur.

Futilis Albertini Responsio.

III. Verum quam futilis sit ista responsio, & *S. Augustini* sensum misere detorquens, patet ex ipso loci contextu. Tres enim gradus *Albertinus* distinguit scilicet vetera Sacrificia Corpus Christi naturale promittentia: verum Christi Corpus ex Spiritu Sancto conceptum, quod hujusmodi promissionum objectum est: & hujus corporis signum, scilicet Eucha-

ristiam, quæ promissiones illas Christi Passione completas esse refertur. Contra vero *S. Augustinus* duos tantum gradus agnoscit, signa promittentia, & complementum promissorum; idque Eucharistiam esse docet. Inter verba promittentia & Eucharistiam quæ illorum completiva est, medium nullum assignat; illam esse ait corpus quod Deus perfecit, ut promissa impleret. Censet igitur Eucharistiam continere ipsum Christi corpus naturale, quod Deus in locum veterum victimarum substituit, semel in cruce, quotidie in Ecclesia immolandum. *Perfectio promissionis abstulit verba promittentis; Sacrificia illa tamquam verba promissiva ablata sunt, data sunt completiva. Quid est quod datum est completivum? Corpus quod nostis.*

Nemo carnem Christi manducat, nisi prius adoraverit.

IV. Realis Præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia fidem egregie etiam confirmat *S. Augustinus* enarration. in Psalmum 98. ubi illa verba explicans: *Adorate scabellum pedum ejus*, ait: *Quæro quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura*: Terra scabellum pedum meorum. *Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Numquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit, cum de ipsa commendatione ejusdem terræ loqueretur*: Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest. *Ideo & ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum Sanctum, cujus pedum scabellum est quod adoras: propter ipsum enim adoras: ideo & hic subjecit*: Adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est. *Quis Sanctus est? In cujus honore adoras scabellum pedum ejus.* Ipsam carnem quam de carne *Mariæ* Christus traxit, in qua hic ambulavit, & quæ adorationis nostræ objectum est nobis dedit in Eucharistia manducandam: hæc autem vera est & naturalis Christi caro; non enim figuram carnis ex Virginis utero traxit, nec in figura carnis ambulavit, nec figuram carnis ejus adoratione suprema colimus. Igitur Christus propriam ac naturalem carnem suam in Eucharistia nobis dedit manducandam.

Sancti Augustini sensum non attigit Albertinus.

V. Respondet *Albertinus*, de manducatione spirituali *S. Augustinum* loqui, & de adoratione quæ ad carnem Christi terminatur, non in Eucharistia, ubi reipsa non est, sed in cœlo. Quid enim prohibet unumquemque Fidelium seorsom in cubiculo carnis illius passiones religiose meditantem, humiliter se inclinare, & oculis ad cœlum erectis carnem illam adorare? Ad hanc autem adorationem signa Sacramentalia nos movent.

VI. Contra. *S. Augustinus* de manducatione loquitur cujus objectum est Christi caro in Eucharistia existens. At manducationis spiritualis objectum etiam extra Eucharistiam est; spiritualiter siquidem illam manducat, quisquis passiones illius religiose meditatur: Loquitur itaque *S. Augustinus* de corporali manducatione, non de spirituali dumtaxat. Præterea, loquitur de manducatione inter quam & adorationem talis ordo intercedat necesse est, ut prius adorari debeat Christi caro, quam manducari: Id enim significant hæc verba: *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* At inter solam manducationem corporalem, adorationemque hunc ordinem observari necesse est, ut adoretur prius Christi caro quam manducetur, non vero inter manducationem spiritualem & adorationem seu internam seu externam. Manducatio enim spiritualis carnis Christi, ut *Albertinus* ait, nihil aliud est quam apprehensio carnis illius quam pro nobis ad mortem traditæ, tamquam causæ salutis nostræ materialis meritoriæ. Sed ineptum est asserere, quod nemo carnem Christi qua pro nobis ad mortem traditam, tamquam causam salutis nostræ materialem meritoriam apprehendat, nisi prius illam adoraverit: quin etiam id omnino falsum est, cum verisimilius longe sit meditationem mortis Christi esse carnis illius adoratione priorem, cum adorationis & amoris Christi nobis incentiva subministret. De manducatione igitur spirituali non loquitur *S. Augustinus*, sed de corporali, cum ait: *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* Denique *S. Augustinum* de Christi carne, qua in cœlo existente, non loqui, sed qua in Eucharistia, demonstrant hæc verba. *Ideo ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis*, quæ significant terram illam de qua loquitur, id est, carnem Christi, quamvis in se unam, multiplicem tamen variis in locis existentiam habere posse, variis in locis ut præsentem adorari. Id autem non convenit carni Christi qua in cœlo existenti, sed qua in Eucharistia sub singulis Hostiis consecratis sacramentalem præsentiam adeptæ.

VII. Catholicum dogma pariter confirmat idem S. Doctor Sermone 11. *De verbis Domini*, ubi explicans illa Christi verba: *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum*, & ostendere volens illa non de omni, sed de certa quadam in Spiritum Sanctum blasphemia esse intelligenda, varia similium Scripturæ sacræ locutionum profert exempla, quæ licet generales videantur, non sunt tamen generaliter intelligendæ, unumque petit ex verbis Christi, *Joannis 6.* de suæ carnis manducatione loquentis. *Illud etiam*, inquit, *quod ait*: „ Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem „ meum, in me manet, & ego in illo; *quomodo intellecturi sumus? Numquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quod judicium sibi manducent & bibant, cum ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant?* &c. Huic loco subjungo congenerem alterum ex lib. 2. contra *Cresconium* cap. 25. ubi Exemplo Eucharistiæ probat Sacramenta non prodesse semper habentibus. *Quid de ipso Corpore & Sanguine Domini unico Sacrificio pro salute nostra? Quamvis ipse Dominus dicat* Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam; *Non-ne idem Apostolus docet etiam hoc perniciosum male utentibus fieri? Ait enim*: Quicumque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. *Ecce quemadmodum obsunt divina & sancta male utentibus, cur non hoc modo & baptismus?* Infideles & hypocritæ *ipsam carnem* Christi *manducant, & ipsum sanguinem bibunt*, Eucharistiam cum recipiunt; non spiritaliter utique, ergo corporaliter. Igitur *ipsa caro* & *ipse sanguis* Christi realiter in Eucharistia continentur. Mera enim carnis & Sanguinis Christi figura, etsi eorum virtute repleta, nec est, nec dici potest ipsa ejus caro, ipse ejus sanguis. Quis enim dixit umquam: Petra deserti erat ipse Christus, manna erat ipsa caro Christi, Baptismus est ipse Christi sanguis, Chrisma est ipse Spiritus Sanctus? Præterea ipsum Corpus & Sanguis Domini, quod unicum est pro salute nostra Sacrificium non est figura tantum corporis & sanguinis Domini eorum virtute adaucta: sed Eucharistia, secundum *S. Augustinum*, est *ipsum Corpus & Sanguis Domini, unicum Sacrificium pro salute nostra*: Non ergo figura tantum est Corporis & Sanguinis Domini, eorum virtute adaucta.

Eucharistia est ipsa caro, ipse Sanguis Domini, unicum pro salute nostra sacrificium.

Inanis Albertini responsio & objectio.

VIII. Respondet *Albertinus*, S. Augustinum ipsius carnis ac sanguinis nomine, carnis & sanguinis intellexisse Sacramentum, atque ita se exposuisse in Sermone laudato de Verbis Domini, cum ait; *Numquid & Judas, quamvis primum ipsum manibus ejus confectum Sacramentum carnis & sanguinis ejus cum cæteris Discipulis manducaret & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo?*

IX. Sed hæc responsio vim argumenti nostri non elevat: Sacramentum enim Carnis & Sanguinis Christi, quod est *ipsa caro & ipse sanguis, unicum pro salute nostra Sacrificium*, non est mera figura virtute carnis & Sanguinis Christi adaucta, sed Sacramentum ipsam Christi carnem & sanguinem continens: atqui Eucharistia, ex *S. Augustino*, est *ipsa caro & ipse sanguis Christi, unicum Sacrificium pro salute nostra*; Sacramentum igitur est ipsam Christi carnem, ipsum sanguinem revera continens.

X. Instat *Albertinus*: Eucharistia, secundum S. Augu-

gu-

gustinum, *Sacramentum est manibus Christi confectum*. Absurdissimum autem esset dicere, Dominum proprium corpus suum manibus suis confecisse: nihil enim seipsum effective producere potest.

Respondeo, Nihil quidem seipsum absolute producere posse, sed tamen producere seipsum posse sub certo quodam statu, seu ad eum statum sese redigere. Unde licet Christus proprium corpus suum manibus suis absolute non conficiat, illud tamen collocat sub Sacramento; unde Sacramentum quod est ipsum Christi corpus, manibus ejus confectum dici potest. Sic *Sanctus Paulus* ad Hebræos 9. de Christo ait; *Per hostiam suam apparuit*; & cap. 10. *Hic autem pro peccatis offerens hostiam*; Quæ tamen hostia nihil aliud erat quam ipse Christus Patri in Sacrificium oblatus. Cur igitur pari quodam modo non diceretur conficere Sacramentum corporis & sanguinis sui, immo Corpus & Sanguinem suum sub Sacramento, quia ipsa sub speciebus Sacramentalibus constituit, ac seipsum Sacrificium offert unicum pro salute nostra, ipse Sacerdos & victima. Eodem sensu exponenda sunt verba *S. Cyrilli Alexandrini*, in Joannis 6. dicentis: *In cibo manna, videbatur Eulogia illa quæ est per Christum*; ex quibus idem sophisma struit *Albertinus*.

XI. Confirmatur iterum Catholica sententia ex eodem *S. Augustino*, lib. 12. contra *Faustum*, cap. 10. dicente; *Habet enim magnam vocem Christi Sanguis in terra; cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, Amen. Hæc est clara vox sanguinis quam sanguis ipse exprimit ex ore Fidelium eodem sanguine redemptorum*. Et cap. 20. Eucharistiam vocat *Sacramentum spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quamdiu bibitur quod de Christi latere manavit*. Sanguis qui de Christi latere manavit, & quo redempti sumus, est verus Christi Sanguis, non typicus; sed hic sanguis est in terra, & bibitur a Fidelibus, cum Eucharistiam recipiunt, secundum *S. Augustinum*: ergo Eucharistia verum Christi sanguinem realiter continet, isque revera bibitur a Fidelibus; atque id profitentur, cum respondent *Amen*, quam vocem sanguis ipse sacratissimus ex eorum ore exprimit.

Sanguinem qui de Christi latere manavit, in Eucharistia bibimus.

Christi Corpus post Resurrectionem exsangue non est.

Petrus Alix *Calvinianus Minister refellitur.*

Vel ex his duobus locis, etsi alia non suppeterent quamplurima, refellitur *Petri Alix* Carentonici Ministri Dissertatio *De Sanguine Christi Domini*, in qua ex *S. Augustino* maxime probare nititur Christi corpus post Resurrectionem exsangue esse, indeque colligit, illum non agnovisse substantialem sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam. Nititur autem *S. Augustini* verbis in Epistola ad *Consentium* qui ab illo quæsierat, *Utrum nunc corpus Domini ossa & sanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta?* Respondet autem S. Doctor: *Ego Domini corpus ita in cælo esse credo, ut erat quando ascendit in cælum. Dixerat autem discipulis, ut in Evangelio legimus, de sua resurrectione dubitantibus: & illud quod videbant, non corpus, sed spiritum esse putantibus*: Videte manus meas & pedes, palpate & videte quia Spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere. *Sic eorum, cum esset in terra, contrectatus est manibus; sic eorum est, cum iret in cælum deductus aspectibus. Ibi vox Angelica sonuit*, Sic veniet quemadmodum eum videtis euntem in cœlum: *Fides adsit, & nulla quæstio remanebit. Nisi forte de sanguine requirendum est, quia cum dixisset*, Palpare & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, *non addidit sanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere: & de compendio, si placet, finita sit quæstio. Fortassis enim accepta occasione sanguinis, urgebit nos molestior perscrutator, & dicet; si sanguis, cur non & pituita? Cur non & fel flavum, & fel nigrum quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam Medicina disciplina testatur? Sed quodlibet quisque addat; corruptionem addere caveat, ne suæ fidei sanitatem, castitatemque corrumpat.*

Respondeo, neque *Consentium* absolute dubitasse, utrum Corpus Domini ossa & sanguinem habeat, neque id in incerto reliquisse *S. Augustinum*; sed utrum ossa & sanguinem habeat alicui adhuc transmutationi obnoxia, quo modo habuit dum vitam mortalem ageret quærebat *Consentius*; & quo modo intelligenda essent Apostoli verba dicentis, *Caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt*. Noverat sic istam quæstionem solvi posse, ut carnis & sanguinis nomine opera carnis & sanguinis intelligantur, idque in sua ad *S. Augustinum* Epistola scripserat. Hanc autem responsionem approbat *S. Augustinus* ut veram, sed negat esse Apostoli scopo omnino convenientem, meliusque explicari ait hunc locum de corruptione carnis & sanguinis: *Quia non de operibus, sed de modo resurrectionis loquebatur Apostolus, & eam quæstionem disputando versabat*: huncque esse sensum Apostoli fuse probat Doctor sanctissimus, & post multa observat, ne quisquam putaret Apostolum, cum dixit, *Caro & Sanguis regnum Dei non possidebunt*, hoc definivisse *secundum substantiam carnis*, aperuisse quid diceret, subjungendo: *Neque corruptio incorruptionem possidebit*. Tamquam diceret; *Quod dixi, Caro & Sanguis regnum Dei non possidebunt*, ideo dixi quia *corruptio incorruptionem non possidebit*. Hoc ergo loco, inquit S. Augustinus, *nomine carnis & sanguinis corruptionem mortalitatis intelligi voluit*. Credebat itaque *S. Augustinus* & credendum omnino censebat, Sanguinem in Corpore Christi glorioso existere secundum substantiam, non secundum corruptionem mortalitatis & argutulos disputatores cohiberi volebat, objectantes: *Si caro est & sanguis est: si sanguis, & cæteri humores: si cæteri humores, ergo & corruptio*. Quia Deus qui corporibus trium puerorum in fornace addidit contra ignem incorruptionem, vel ipsi igni detraxit corrumpendi facultatem, carni & sanguini potest auferre quasdam qualitates status corruptibilis proprias, & tamen ipsam carnis & sanguinis substantiam servare. *Valet igitur divina potentia de ista visibili atque tractabili natura corporum quibusdam manentibus auferre quas voluerit qualitates: ac per hoc etiam valet membra mortalia formæ lineamentis manentibus, corruptione vero mortalitatis emortua, stabili vigore firmare: ut absit labes, adsit effigies: adsit motio, absit fatigatio; adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas.*

Et lib. 1. *Retractationum* c. 17. *Unde constat Apostolum non carnis substantiam negasse in Regno Dei futuram, sed aut homines qui secundum carnem vivunt, carnis & sanguinis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc utique nulla erit*. Et libri 11. cap. 3. *Non sic accipiendum est, quasi carnis non sit futura substantia; sed carnis & sanguinis nomine ipsam corruptionem carnis & sanguinis intelligendus est Apostolus nuncupasse*. Idem confirmat c. 91. *Enchiridii*, & cap. 24. lib. 22. *De Civitate Dei*.

Responderi etiam potest, duplicem esse sanguinem; unum vitalem & præcipuum, qui venæ sectione non effluit, alterum superfluum & degenerem, ex humoribus efformatum. De primo genere sanguinis *Consentium* non dubitasse, nec ab eo interrogatum fuisse *S. Augustinum*, sed de secundo, & quæstionem adeo inutilem excutere noluisse; tum ut aliam quæstionem declinaret, utrum scilicet corpus gloriosum aliis humoribus, pituita, vel felle flavo & nigro careat, ex quibus humanæ naturæ temperamentum efformatur: *Fortassis enim*, inquit, *arrepta occasione sanguinis urgebit nos molestior perscrutator, & dicet; Si sanguis, cur non & pituita? Cur non & fel flavum vel nigrum?* &c. Tum quia ad hujus enucleationem quæstionis tempus tunc *S. Augustino* non suppetebat. Unde illam prætermisit, cum quibusdam aliis quæ fidei propinquiores erant, quas inter ista recensetur: *Utrum baptizati omnes, si absque pœnitentia diversis criminibus irretiti de corpore exierint, veniam quolibet tempore consecuti sint?* Circa quam ad Opus eo de argumento a se conscriptum remittit, subditque de temporis defectu ad prolixiorem scribendam Epistolam, qua quæstiones omnes ab ipso propositas enuclearet; *Cum ista dictarem, perlator jam ventum expectans, me vehementer, ut navigaret, urgebat. Itaque si quid hic incaute atque inculte dictum legeris, vel si totum ita esse perspexeris, doctrinæ da operam, linguæ veniam.*

Sed palmarius est contra Calvinistam Dissertatorem *S. Augustini* locus in Epist. ad *Casulanum*, ubi contra *Urbicum* quemdam Scriptorem hæc habet: *Dicit*

ces-

cessisse pani pecus, tamquam nesciens & tunc in Domini mensa panes propositionis poni solere, & nunc se de Agni Immaculati corpore partem sumere: dicit cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem. Fideles Christi Sanguinem in poculo Eucharistico accipere *S. Augustinus* testatur; censet igitur & Christum verum sanguinem in corpore glorioso habere, & ejusdem sanguinis substantiam in Eucharistia nobis dare. Enimvero si Eucharistia sanguinis Christi nudum signum *S. Augustino* visa esset, injuria reprehendisset *Urbicum*; siquidem vere ille dixisset cessisse pecus pani, & poculo sanguinem. Quod enim ad signum attinet; in pecore illo non minus fuisset Christus, quam in nostro pane, & Sanguis Domini non minus fuisset in sanguine veterum victimarum, quam in nostro vino. Quamobrem Veteris Legis homines Christum habuissent in pecore, quem nos in pane, & sanguinem Christi habuissent in victimarum sanguine, quem nos in vino haberemus. Vult igitur *S. Augustinus* vetera transisse, & nova in Christo facta esse, ut succederet panis pani; panis scilicet qui de cœlo descendit, panibus propositionis; pecus pecori, id est, Agnus Dei, victimis irrationalibus; sanguis sanguini, Christi nimirum sanguis brutorum animantium sanguini, ut veritates figuris. Sanguine igitur Christi corpus gloriosum præditum est, & hunc pretiosum sanguinem in Eucharistia bibimus.

Non minus insignis est locus Quæstione 57. in *Leviticum*, ubi ait: *Cum Dominus dicat:* „ Nisi „ manducaveritis carnem meam, & biberitis san„ guinem meum, non habebitis vitam in vobis: *Quid sibi vult quod a Sanguine Sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: a cujus tamen Sacrificii sanguine non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur qui volunt habere vitam?* Antithesis illa inter legalem sanguinis bibendi prohibitionem, & Evangelicum de illo bibendo mandatum nulla esset, si præceptum de bibendo sanguine typico, aut spiritualiter tantum intelligeretur. Denique, ut alia loca prætereram, insignis ille est in rem nostram ex Sermone 112. *De diversis* qui primus est in Festo *S. Cypriani* Martyris. *In eo loco*, inquit, *ubi posuit carnis exuvias, sæva tunc multitudo convenerat quæ propter odium Christi sanguinem funderet Cypriani: ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter Natalem Cypriani bibit Sanguinem Christi. Et tanto dulcius in illo loco propter Natalem Cypriani sanguis bibitur Christi, quanto devotius ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani. Denique sicut nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem loco Mensa Deo constructa est, tamen Mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est umquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, & quia ipsa immolatione sua paravit hanc Mensam, non in qua pascat, sive pascatur; sed in qua Sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur.* Legatur erudita Disquisitio, *De Sanguine Corporis Christi post Resurrectionem*, a clarissimo viro *Jacobo Boileau*, Doctore Sorbonico, & Metropolitanæ Senonensis Ecclesiæ Decano edita.

XII. Dogma Catholicum de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia confirmatur iterum ex *S. Augustino* lib. 2. *Contra Adversarium Legis & Prophetarum*, cap. 9. *Nos autem*, inquit, *audiamus & intelligamus duo Testamenta in duobus filiis Abrahæ, duabusque mulieribus ejus commixtione fusatis: sicut duos in carne una Christum & Ecclesiam, istis nolentibus sine ulla obscœnitate, cognoscimus, sicut Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere; & humanum sanguinem potare, quam fundere.* Christi carnem manducamus, & sanguinem bibimus, secundum S. Augustinum; *fideli corde atque ore*. Non igitur spiritaliter dumtaxat, sed corporaliter. Nec de figura dumtaxat Corporis & Sanguinis Christi virtute adaucta locus ille intelligi potest. Loquitur enim *S. Augustinus* de manducatione carnis & potione sanguinis, quæ horrorem incutere possent, atqui typi carnis & sanguinis, eorumque virtus horrorem incutere nullum possunt. Non loquitur ergo *S. Augustinus* de typis dumtaxat carnis & sanguinis Christi, eorumque virtute. Præterea antithesis a S. Doctore instituta inter manducationem & occisionem humanæ carnis, & inter effusionem & potationem humani sanguinis, probat ipsum loqui de ea carne quæ occidi, & de sanguine qui effundi potuit; at figura carnis non occiditur, nec sanguis effusio figurata horrorem incutit. Non potest igitur explicari locus ille *S. Augustini* de corpore & sanguine typicis.

Christum carnem suam nobis manducandam dantem fideli corde & ore suscipimus.

XIII. Respondet *Albertinus*, probabiliter dici posse, hoc loco legi debere, non *fideli corde atque ore suscitimus*; sed *fideli corde atque aure suscipimus Mediatorem carnem suam manducandam dantem*. Hoc est, mandantem. Sed qua authoritate ita esse legendum tam audacter asserit? An alicujus MS. Codicis probatæ fidei. Id quidem, optabat vehementer ut ab importuna objectione se liberaret. *Utinam*, inquit, *liceret videre plures ac vetustos codices manuscriptos?* Facillimum enim *ore* in *aure* mutare. At tot videre potuit quot Parisiis extant, ubi certe extant quamplurimi, nec dubium quin viderit homo in iis quæ causæ suæ commoda esse possent conquirendis, non incuriosus: nullum tamen protulit; nullum, igitur invenire potuit.

Improbabilis Albertini Responsio.

Secundo, ut quoquo modo ab hujus loci difficultate se expediat, respondet, in his verbis, *fideli corde atque ore*, cor & os non necessario pro disparatis & distinctis esse sumenda, sed pro uno & eodem accipi posse, ut quando Joannes Baptista de Domino Pharisæis ac Saducæis dicebat: *Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igne.*

Verum hæc responsio inepta est. Hic enim loquendi modus a nullo umquam Authore usurpatus probabitur, *fideli corde & ore*, ad significandum, *fideli ore cordis*. Nec favet *Albertino* locus ab ipso prolatus: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*. Tum quia longe probabilior est istius loci sensus, his verbis, *Spiritu Sancto & igne*, unum & idem non significari, sed hoc verbo, *Spiritu Sancto*, receptionem interiorem Spiritus Sancti ab Apostolis die Pentecostes significari, illud vero *igne*, signum exterius designare, sub quo in eos visibiliter effundendus erat: tum quia hoc verbum *Spiritu Sancto*, omnia Spiritus Sancti distincte non significat attributa; unde vox illa, *& igne*, novum quid dat intelligendum, scilicet Spiritum Sanctum habere purificandi vim & fidelium corda divino amore incendendi. At cum dicitur, *fideli corde atque ore suscipimus*, si eo intelligantur sensu hæc verba, quem ipsis affingit *Albertinus*, his verbis *& ore*, nihil novi significatur: hoc ipso enim quo concipimus Corpus Christi corde suscipi, concipimus, ore cordis suscipi; adeoque inutilis esset hujus vocis additio, & nugatorius plane sensus: tantumdem enim valeret ac si dicerem; fideli corde & ore cordis suscipimus.

Respondet tandem *Albertinus* his solutionibus diffidens, *S. Augustinum* non loqui de Mediatore tamquam per Eucharistiam Corpus suum manducandum, Sanguinemque bibendum porrigente, sed de eo tamquam Carnem suam manducandam, Sanguinemque bibendum docente, tradente, commendante & jubente: nec rursum de illo fideli corde atque ore velut approbationis & confessionis instrumentis, audiendo, amplectendo, & excipiendo. Nam verbum, *suscipere*, inquit, adeo communiter in hac significatione ponitur, ut supervacaneum foret probationes congerere.

Sed hæc etiam responsio futilis est. Quamvis enim ubi de doctrina agitur, *suscipere*, idem sit ac *approbare*: Quo sensu in Proverbiis dicitur, *Ad suscipiendam eruditionem doctrinæ: Si susceperis sermones meos. Suscipiat verba mea cor tuum:* aliud tamen significat cum agitur de persona, nec usquam viris cordatis probabitur, *Ore suscipere Mediatorem*, tantumdem valere ac *Ore approbare Mediatorem*. Quamquam nec figmentum istud *Albertino* satis sit ad eludendum argumentum quod ex illo *S. Augustini* loco eruitur. Dixerit enim *S. Augustinus* ut Minister somniavit, nos corde & ore approbare Mediatorem docentem, Car-

nem

nem suam manducandam, Sanguinemque bibendum: inde semper colligere est, nos carnem ejus manducare & sanguinem bibere, siquidem id docet ac jubet Mediator: & quidem eo modo manducare & bibere, qui horrorem incutere possit aliquem, ut *S. Augustinus* asserit: quod certe de manducatione & potatione spiritali dici non potest.

XIV. Probatur iterum dogma Catholicum ex eodem *S. Augustino* lib. 1. *De peccatorum meritis & remissione*, cap. 20. *Dominum audiamus*, inquit, *non quidem hoc de Sacramento sancti Lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ Mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit*: „ Nisi manducaveritis Carnem „ meam, & biberitis Sanguinem meum, non habe„ bitis vitam in vobis. *Quid ultra quærimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam perspicuæ veritatis intendat? An vero quisquam etiam dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus & sanguinis in se habere vitam: quia non ait*, Qui non manducaverit, *sicut de Baptismo*, Qui non renatus fuerit, *sed ait*, Si non manducaveritis, *velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine Corpore & Sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur; quia non ait*; Qui non manducaverit; *sed*, Si non manducaveritis. *Et ubi est quod eodem loco de hac ipsa re ait*, Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita? *Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat; quia non possumus dicere, ad sæculum nos non pertinere; pro cujus vita Christus suam carnem dedit .... Ac per hoc etiam pro parvulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita, & si non manducaverint carnem Filii hominis, nec ipsi habebunt vitam.* Hic de spiritali manducatione *S. Augustinus* non loquitur, cujus incapaces parvuli sunt, & carnis nomine veram carnem intelligit, quæ sola data est pro sæculi vita. Igitur veram Christi carnem ore corporis a Fidelibus manducari credebat *S. Augustinus*, credebat & Ecclesia universa, cujus doctrinam propugnabat, & cujus in Communione vivebat.

Pro parvulorum vita caro Christi data est, quæ data est pro Sæculi vita.

Fatetur *Albertinus* in hisce Domini secundum Joannem verbis, de vero ac proprio Domini corpore & sanguine agi. Concedit etiam S. Augustinum de proprio corpore & sanguine frequenter illa esse interpretatum. Contendit, hoc in loco, aliisque nonnullis ipsum intelligere ac explicare hunc locum de corpore & sanguine typicis, id est, de figura corporis & sanguinis Domini. Verum hæc responsio ineptam prorsus verborum Christi interpretationem *S. Augustino* affingit. Supponeret enim *S. Augustinus* Christum Judæos ac Discipulos suos alloquentem, illis nominibus Carnis & Sanguinis designare voluisse mera signa, de quibus nec tunc, nec antea cum ipsis fuerat locutus, ipsisque ita imparatis, & institutionis futuræ panis & vini in signa corporis & sanguinis sui penitus ignaris, dixisse: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ut significaret neminem vitam habiturum, qui panem non comederet, vinumque biberet aliquando in signa sui corporis & sanguinis instituenda. Quo quid absurdius cogitari potest? Præterea, quænam ratio est, ut illa Christi verba de vero ac proprio Domini corpore intelligenda, *Sanctus Augustinus* aliquando exposuerit ad mentem Christi Domini de proprio corpore ac sanguine, aliquando alieno sensu; scilicet de typis corporis & sanguinis? At, inquit *Albertinus*, expresse *Augustinus* ait, Dominum hic loqui *de Sacramento Mensæ suæ*: ergo de sacro signo loquitur. Totum concedimus, sed negamus de signo exclusivo loqui: Nam illud ipsum mensæ suæ Sacramentum vocat carnem & sanguinem Domini: Quod argumento est signum merum corporis & sanguinis Christi non esse, aut eorum virtute dumtaxat repletum. Licet enim aqua Baptismi, sanguinis Christi signum sit, ejusdemque virtutem

Albertini responsio & objectiuncula dissflantur.

contineat, ipsam tamen sanguinem Domini *Sanctus Augustinus* non vocat, neque in *Sacramento Lavacri*, sed *in Sacramento sanctæ Mensæ suæ*, manducari asserit ejus carnem, & sanguinem bibi. Alio igitur sensu Eucharistiam, alio Baptismum Sacramentum vocat: illud quia sanguinem Christi, quo a peccatis nostris abluimur, significat, ejusque virtutem continet; istud quia Christi corpus & sanguinem secundum substantiam in se contenta significat. Significatio itaque communis est utriusque Sacramenti ratio; Communis etiam est ambobus virtus Sanguinis Christi; sed inclusio Corporis & Sanguinis Christi secundum substantiam, Eucharistiæ propria est.

Hinc facile solvitur ista *Albertini* objectiuncula: Ait Augustinus: *Dominum audiamus non hoc de Sacramento Lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ Mensæ suæ*. Quo igitur sensu vocem, *Sacramentum* de Baptismo loquens usurpat, eodem & cum loquitur de Mensæ Sacramento. At per Sacramentum in Baptismo signum sacrum intelligit, aquam videlicet quæ Sanguinis Christi signum est; ergo & pariter per Mensæ Sacramentum, & panem & vinum quæ carnis & sanguinis Christi sacramenta, id est, sacra signa sunt.

XV. His omnibus *Sancti Augustini* pro Catholico dogmate testimoniis coronidem imponet locus celeberrimus ex Commentario in Psalmum trigesimumtertium, ubi de Christo sic loquitur: *Et ferebatur in manibus suis. Hoc vero, fratres, quomodo posse fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum, ait*: Hoc est corpus meum: *Ferebat enim illud Corpus in manibus suis. Ipsa est humanitas Domini Jesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus.* Christum propriis manibus corpus suum portasse asserit, cum dixit Apostolis *Hoc est Corpus meum*, & fecisse quod nullus hominum facere potest. At quilibet sui ipsius signum & figuram portare potest: docet ergo *Sanctus Augustinus*, Christum proprium Corpus suum portasse, non figuram dumtaxat corporis sui.

Christus Corpus suum in manibus suis ferebat, cum Eucharistiam Apostolis dedit.

Respondet *Albertinus*, Sanctum Augustinum Concione 2. in eumdem Psalmum se amplius explicantem dicere; *Ipse se portabat quodammodo cum diceret, Hoc est Corpus meum.* Quo adverbio innuit, Dominum proprie loquendo se non portasse. Illud enim, *quodammodo*, temperamentum est Oratorum, quo paulo licentius dicta corrigunt ac minuunt. Verum fallitur *Albertinus*; nam adverbium illud, *quodammodo*, non semper est terminus diminuens, sed fungitur quandoque vice termini dumtaxat specificantis; id est, non negat sensum literalem propositionis assertæ, sed sensum illum ad certum quemdam & singularem modum determinat. Sic Sanctus Augustinus in Epistola ad *Volusianum* ait, Verbum unitum fuisse homini *quodammodo*, & Epistola 28. ad *Sanctum Hieronymum*, ait, Animam humanam esse immortalem *secundum quemdam modum*; & *Theophilus Antiochenus*, ait *Materiam a Deo esse quodammodo factam*: nec tamen negant Verbum esse reipsa & personaliter unitum naturæ humanæ, Animam reipsa & secundum substantiam esse immortalem, & materiam esse a Deo revera productam; sed sensum literalem harum propositionum ad certum quemdam modum unionis, immortalitatis, & productionis, per adverbium *quodammodo*, determinant. Ita cum *Sanctus Augustinus* ait Christum seipsum portasse quodammodo, non negat quin vere & reipsa Corpus suum proprium manibus suis portaverit, quod in præcedenti Concione tam diserte asseruerat; sed literalem illius Propositionis sensum ad quemdam portandi seipsum modum singularem restringit per adverbium *quodammodo*, ut nimirum significet ipsum Corpus suum non portasse modo illo sensibili quo portantur corpora, sed modo singulari & admirabili, qui sacri ipsius corporis sub Sacramento proprius est.

Albertini Responsio vim Augustiniani testimonii non frangit.

AR-

ARTICULUS XX.

Solvuntur quædam Sacramentariorum Objectiones ex SANCTO AUGUSTINO petitæ.

I. OBjieit *Albertinus* Sermonem *Sancti Augustini* ad recens baptizatos, quem integrum refert *Sanctus Fulgentius* lib. *De Baptismo Æthiopis* cap. ultimo. Ac primum urget ea verba: *Quod videtis, panis est, & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant.* Quibus verbis, inquit, non modo *Augustinus* docet in altari panem esse & calicem, sed & addit, oculos quoque id renuntiare, sensuum testimonium in eorum dignotione apertissime commendans.

Objectioni primæ Albertini ex S. Augustino petitæ respondetur.

Respondeo, Eucharistiam a *Sancto Augustino* panem vocari secundum speciem externam, secundum quam oculi panem esse judicant, quod panis figuram & qualitates habet, non secundum interiorem substantiam. Unde subdit: *Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est Corpus Christi, calix Sanguinis Christi:* id est, objectum illud exterius, quod panis appellationem retinet, sicut & speciem, signum factum est Corporis Christi substantiam revera continens; & calix, seu objectum illud exterius quod videtur in calice, vinumque vocatur, Sanguinis Christi realiter etiam sibi conjuncti signum est. Addiderim *Lanfranci* ad similia loca responsionem, dicentis, Eucharistiam panem & vinum figurato locutionis modo vocari: *Solemus enim aliquas res illarum rerum ex quibus efficiuntur nominibus appellare, quamvis in alteram naturam translata, jam non possint esse illud quod sunt res illæ, ex quibus probantur effecta. Sicut Beatus Augustinus* * crystallum vocat nivem multorum annorum duratam tempore & serie sæculorum, *cum nix sit liquida & humida, crystallis vero natura dura & sicca. Ac per hoc cum tam diversa natura sint in utrisque, non recte quis crystallum nivem vocaverit, nisi eo locutionis modo, quo res effecta materiali solet nomine appellari. Et Creator ex terra creato primo homini in Genesi dicit:* Terra es, & in terram ibis. *Quasi diceret, Quia factus es ex terra, quandoque fies terra, & reverteris in terram.* Scriptura itaque Sacra & SS. Patres interdum *Corpus Domini panem vocant mystica locutione, seu quoniam ex pane conficitur, ejusque nonnullas retinet qualitates, seu quia animam incomprehensibiliter pascendo satiat, eique æternæ vitæ substantiam subministrat; vel quod Corpus est Filii Dei, qui est Panis Angelorum.*

* In Ps. 147.

II. Objicit *Albertinus* Sanctum Augustinum postquam dixisset, *Panis est Corpus Christi, & calix Sanguis Christi*, addere: *Potest in animo cujuspiam talis cogitatio oboriri: Dominus noster Jesus Christus novimus unde acceperit carnem de Virgine Maria, infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad juvenilem ætatem perductus est, a Judæis persecutionem passus est, ligno suspensus est, in ligno interfectus est, de ligno depositus est, suspectus est, tertia die resurrexit, quo die voluit, in cælum ascendit. Illuc levavit corpus suum, unde est venturus ut judicet vivos & mortuos. Ibi est modo sedens ad dexteram Patris. Quomodo est panis corpus ejus, & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus?* Et respondet: *Ista, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Si credidisset *Augustinus* panem & vinum per consecrationem fieri & esse proprie & substantialiter Corpus & Sanguinem Christi, ad propositam quæstionem clare & distincte proculdubio respondisset, maximo ac ineffabili miraculo panis ac vini substantias, remanentibus accidentibus, in corpus ac sanguinem ejus transsubstantiari; sicque corpus & sanguinem non modo esse in cælo; sed simul etiam in terra, in locis innumeris, sub accidentibus prædictis, & indivisibiliter existere. Horum autem nihil respondet, quamvis quæstio proposita, & auditorum instructio necessario id exigerent; sed eo tantum recurrit ut dicat hic de Sacramentis agi quæ (ut alibi notat) earum rerum, quarum Sacramenta sunt nomina accipiunt.

Objectioni secundæ Albertini respondetur.

Respondeo. *Albertinum* statum quæstionis, quam in eo Sermone proponit ac solvit *Sanctus Augustinus*, non fuisse assecutum, neque ejusdem responsionem comprehendisse. Scopus quippe S. Doctoris non erat exponere recens baptizatis quid sit Eucharistia, cum ea de re paulo ante baptismum fuissent edocti; siquidem Eucharistiam statim post baptismum suscipiebant, & ad susceptionem Baptismi præmittebantur Catecheses, cum de ipsomet, tum de Confirmatione, & Eucharistia, simul administrari solitis, secundum Ecclesiæ Disciplinam, ut ex Catechesibus *S. Cyrilli Hierosolymitani* discimus: Sed explicandum sibi proposuerat *Sanctus Augustinus*, quid objectum illud exterius, quod sensibus obversatur, & panis vocatur in Eucharistia, significet; quod nondum recens baptizati noverant. *Hoc quod videtis*, inquit, *in Altari Dei etiam transacta nocte vidistis: Sed quid esset, quam magnæ rei Sacramentum contineret, nondum audistis.* Quæstioni respondet, Panem esse corpus Christi, Calicem esse Sanguinem Christi, id est, objecta illa exteriora, quæ ut speciem, ita & appellationem panis & vini retinent, Sacramentum esse, sive sacrum signum Corporis & Sanguinis Christi, quæ sub illis realiter contineri jam didicerant, & credebant. Et id quidem fidei sufficiebat, sed ampliori instructione erat opus ad istius Sacramenti significationem, de qua quæstio erat, intelligendam. *Quod*, inquit, *fides vestra postulat instruenda, panis est Corpus Christi, calix Sanguis Christi. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei forte sufficiat; sed fides instructionem desiderat.* Dubium porro mentes recens baptizatorum pulsabat, quomodo panis, seu species externa Sacramenti panis nomen retinens, Corporis Christi Sacramentum sit. Quod dubium his verbis exprimitur a Sancto Augustino; *Quomodo est panis corpus ejus, & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus?* Dubitatio illa inde oriebatur, quod Sacramenta similitudinem aliquam habere debeant earum rerum quarum sunt Sacramenta. Ut enim ait *Augustinus* ipse Epistola 23. ad Bonifacium: *Si sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.* At facile capi non poterat quænam esset specierum panis & vini, sive panis ipsius & vini, quorum ideas menti ingenerabant species illæ, cum Corpore & Sanguine Christi similitudo, quænam cum actionibus & passionibus Corporis Christi convenientia. Dubitationis istius ratio exprimitur verbis in objectione laudatis: *Potest enim in animo cujuspiam talis cogitatio oboriri: Dominus noster Jesus Christus novimus unde acceperit carnem de Virgine Maria.* Dubitatio ergo recens baptizatorum nomine hic a *S. Augustino* proposita non versatur circa præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia, ut fingit *Albertinus*; sed circa rationem Sacramenti. Quamobrem necesse non erat ut *Sanctus Augustinus* responderet, panem & vinum per consecrationem fieri, & esse proprie & substantialiter Corpus & Sanguinem Christi, cum id recens baptizati nossent, nec ea de re quæstio impræsentiarum esset, aut ad istius Concionis argumentum pertineret: Sed solum ut id ipsis explicaret, quod capere non poterant, quomodo Sacramentum esset Corporis & Sanguinis Christi objectum exterius panis & vini nomine nuncupatum, seu quænam esset symbolorum cum sacro Domini Corpore, & pretioso Sanguine similitudo. Id autem præclare exsequitur S. Augustinus, respondendo, ista esse Sacramenta, *Quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: Quod videtur, speciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Ut vero facilius intelligant quomodo sint Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi, & quænam sit eorum cum rebus significatis similitudo, ait non esse spectandum Corpus Christi naturale dumtaxat, cujus tantum Sacramentum Eucharistia non est, sed Christi Corpus integrum, scilicet caput & membra, quod Corpus Mysticum appellamus: Illud enim esse rem Sacramento significatam. Id omnino demonstrat *S. Augustini* expositio. *Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem Fidelibus.* Vos estis Corpus Christi & membra. *Si ergo vos estis Corpus Christi & membra, Mysterium vestrum in*

Eucharistia Mysterium unitatis.

mensa Domini positum est, Mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, Amea, respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo, Corpus Christi, & respondes, Amen. Esto membrum Corporis Christi, ut verum sit, Amen. Quare ergo in pane nihil hic de nostro afferamus: ipsum Apostolum item audiamus. Cum ergo de isto Sacramento loqueretur, ait: Unus panis, unum corpus multi sumus. *Intelligite, & gaudete. Unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi sumus. Recolite enim quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini: Quando baptizati estis, quasi conspersi estis: Quando Spiritus Sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit: Jam de calice quid intelligeremus, etiam hoc dictum satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis, multa grana in unum conspergumtur, tanquam illud fiat quod de Fidelibus ait Sancta Scriptura:* Erat illis anima una & cor unum in Deum: *Sic & de vino, fratres, recolite unde fit unum. Grana multa pendent ad botrum; sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita Dominus Jesus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & unitatis nostræ in Mensa sua consecravit. Qui accipit Mysterium unitatis, & non servat vinculum pacis, non Mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.*

Ex hac responsione alia S. *Augustini* loca facile intelliguntur & explicantur, in quibus Eucharistiam tantum spectans secundum relationem ad Corpus Christi mysticum, cujus etiam Sacramentum est, nihil habet de reali præsentia corporis & sanguinis Christi. Sic Tractatu 26. in Joannem: *Norunt*, inquit, *Fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse.... Exponens nobis Apostolus hunc panem,* Unus panis, *inquit*, multi sumus. *O Sacramentum pietatis! o Signum unitatis! o vinculum caritatis!.... Hunc itaque cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum: quod est Sancta Ecclesia in prædestinatis & vocatis, & justificatis, & glorificatis Sanctis, & fidelibus ejus.... Hujus rei Sacramentum, id est, unitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in Dominica Mensa præparatur, & de Mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium.... Cum enim cibo & potu id appetant homines ut neque esuriant, neque sitiant: Hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos a quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit, id est, societas ipsa Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit.* Lege & Sermonem 83. *De Diversis*.

Arcani religio Patres impellebat ut de Eucharistia coram Catechumenis obscurius loquerentur.

Ideo autem in Sermonibus ad populum *Sanctus Augustinus* Eucharistiam secundum relationem ad Corpus Christi mysticum potius spectabat, ac de illa secundum istum respectum disserebat, interdum etiam de hoc Sacramento subobscure loquebatur, ne Catechumenis, qui aderant panderetur mysterium, quod solis initiatis aut proxime initiandis credebat Ecclesiæ Disciplina. Cujus reticentiæ necessitatem & alibi significavit. In Psalmum 33. *Erat ut nostis, Sacrificium Judæorum antea secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, & hoc in Mysterio. Nondum erat Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, quod Fideles norunt, & qui Evangelium legerunt quod Sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum.* Epistola 57. ad Dardanum. *Hujus corporis caput est Christus, hujus corporis unitas nostro Sacrificio commendatur, quod breviter significavit Apostolus, dicens:* Unus panis, unum corpus multi sumus... *Hoc Sacramentum longe est a cordibus sapientum superborum.... Nosti autem in quo Sacrificio dicatur: Gratias agamus Domino Deo nostro.* Et Epistola 162. ad *Gloriam Eleusium, &c.* contra Donatistarum pertinaciam: *Tolerat ipse Dominus Judam, diabolum, furem, & venditorem suum: sinit accipere inter innocentes Discipulos, quod Fideles noverant, pretium nostrum.* De eadem cautione & affectata sermonis obscuritate, cum de Mysteriis coram Catechumenis sermo habebatur, audiamus & alios Patres. Ita *Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 6. Illuminatorum: *De Mysteriis apud Catechumenos aperte non loquimur, sed multa sæpe loquimur obtecte, ut Fideles qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, haud lædantur.* Ita *Sanctus Chrysostomus* Homilia 40. in I. ad Corinthios: *Volo quidem aperte dicere, non audeo vero propter eos qui non sunt initiati. Ii enim difficiliorem nobis faciunt expositionem, cogentes aut non perspicue loqui, aut eis arcana enuntiare.* Ita *Sanctus Cyrillus Alexandrinus*, lib. 7. contra Julianum: *Plurima de his alia & vera dicerem, nisi non initiatorum aures metuerem.* Apud *Theodoretum*, Dialogo II. Orthodoxus: *Aperte dicendum non est: verisimiles est enim adesse aliquos Mysteriis non initiatos.* Eranistes: *Respondeatur ænigmatice.*

III. Objicit *Albertinus* locum alterum *Sancti Augustini* ex Epistola 23. ad *Bonifacium* incertæ urbis Episcopum, ubi ait: *Si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum Sacramentum Corporis Christi Corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est. Nihil autem est aliud credere, quam fidem habere. Ac per hoc cum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, & convertere se ad Deum propter conversionis Sacramentum.* S. Augustinus de Sacramento Eucharistiæ loquens illud indicat ita appellari, non quod simpliciter & omni modo corpus Christi sit & Sanguis, sed quod ea sit secundum quemdam modum: ergo proprie & substantialiter Corpus Christi & Sanguis non est. Secundo, explicans quis sit ille modus, secundum quem Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi Corpus ejus ac Sanguis est ac dicitur, non aliunde eum arcessit, quam a generica signorum & Sacramentorum natura, quæ vulgo dicuntur esse res illæ, quas significant, non quod illæ sint; sed quod earum signa sint & similitudinem quamdam cum iis habeant. Pessime utique, si Eucharistiam Corpus & Sanguinem Christi proprie ac substantialiter esse censuisset.

Objectio tertia Albertini solvitur.

Respondeo, Sacramentum quidem Corporis & Sanguinis Christi, secundum speciem externam quam ingerit sensibus, non esse proprie ac substantialiter Corpus Christi, sed *secundum quemdam modum*, quia illud significat: Id tamen non prohibet quin secundum internam veritatem, & rem Sacramenti, Corpus Christi sit & Sanguis. Ita hunc locum explicat *Algerus* lib. 1. cap. 6. *Sacramentum*, inquit, *Corporis Christi, secundum quemdam modum, id est, similitudinarie & nuncupative, non proprie Corpus Christi vocatur, quantum ad elementorum speciem & formam; quod tamen vere & proprie Corpus Christi vocatur & creditur, quantum ad substantiam quam continet, & in quam panis & vini substantia conversa est.* Non mirum autem quod *S. Augustinus* hoc in loco ita de Eucharistia loquatur, cum de ipsa expresse & data opera non agat, nec docere velit quid de illa sit credendum; sed solam signi & Sacramenti spectet in ea rationem, ex qua exemplum arcessit, ut ostendat signa sæpe rerum significatarum appellari nominibus: adeoque dici posse infantes habere fidem, etsi actu non credant, quia fidei Sacramentum habent. Fidei namque Sacramentum, secundum hunc loquendi modum fides est; sicut Eucharistia secundum externam speciem Sacramenti quodammodo Corpus Christi est. Unde corpus Christi frangi dicitur, cum species Sacramentales franguntur, & lingua Christi Sanguine dicitur purpurata, cum specie vini tincta est, sub qua continetur Pretiosus Sanguis. *Sancto Augustino* concinit *Sanctus Anselmus* Tractatu *De Corpore & Sanguine Domini*; in quo tamen errorem *Berengarii* profligat, & realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia diserte asserit, fatentibus adversariis. *Illa species visibilis panis*, inquit, *non est caro, vel Corpus Christi per se considerata; nisi quod hoc nuncupatur ea consuetudine Scripturarum, qua plerumque Sacramenta sortiuntur nomina earum rerum quarum simi-*

similitudinem aliquam gerunt. Ideo & earum rerum Sacramenta sunt. Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.

Instabit quispiam hæreticus: Ita se habet Sacramentum corporis Christi ad ipsum Christi corpus; sicut se habet Sacramentum fidei ad fidem: sicut enim fidei Sacramentum fides est; ita corporis & sanguinis Christi Sacramentum, Christi Corpus & Sanguis est, secundum *Augustinum*. Sicut ergo Sacramentum fidei non est signum fidei actualis præsentis, & cum ipso Sacramento conjonctæ; ita Eucharistia non est Sacramentum corporis & Sanguinis Christi revera præsentium.

Respondeo, Comparationem inter Sacramentum corporis & sanguinis Christi, & Sacramentum fidei, a *Sancto Augustino* non esse institutam quoad omnia, sed quoad hoc dumtaxat quod utrumque ejus rei nomine appelletur, cujus Sacramentum est. Et certe ea est comparationum vis, ille usus, ut quæ inter se comparantur, in aliquo dumtaxat, non in omnibus similia demonstrentur. Alioqui nulla esset hæresis quæ Patribus affingi non posset, atque ex comparationibus quibus usi sunt, colligi. Sic ex comparatione transfusionis peccati originalis cum transfusione fidei in parvulos, quam adhibet *S. Augustinus* lib. 3. *De Peccatorum Meritis*, cap. 2. colligi posset peccatum originale meram esse peccati Primi Parentis imputationem, sicut fides actualis de qua ibi loquitur, imputativa quodammodo est, non realis in parvulis. Verba *Sancti Augustini* hæc sunt: *Sicut ergo eorum per quos renascuntur, Justitia Spiritus, responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt, sic eorum per quos nascuntur caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt.* Sicut ergo ex hac *Sancti Augustini* comparatione illa consequentia perperam & insipienter infertur quia comparatio illa ab eo non adhibetur, ut similitudinem omnimodam ostendat, inter fidem actualem & peccatum originale, sed solum in eo quod sicut aliena fides prodest parvulis, ut in Christo per baptismum renascantur, qui voluntate propria fidem habere non possunt: ita alienum peccatum nocet parvulis ut peccatores nascantur, quamvis propria voluntate peccare non possint: illegitima pariter est consequentia quam inferunt Hæretici ex comparatione altera, quam *Sanctus Augustinus* loco in objectione laudato adhibet, inter Sacramentum fidei, & Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Siquidem, ut dixi, illa non comparat quoad omnia, sed tantum quoad aliquid: in eo nimirum quod Sacramentum corporis Christi appelletur Christi corpus, sicut Sacramentum fidei, scilicet baptismus, appellatur fides.

Ad discrimen inter utrumque est, quod baptismus sit Sacramentum fidei actualis absentis; Eucharistia vero sit Sacramentum corporis & sanguinis Christi reipsa & secundum substantiam præsentium. Quod discrimen *Sanctus Augustinus* ibi non exponit, quia hæc explicatio nihil ad ejus institutum conferebat; & satis a *Bonifacio*, & aliis, quibuscum Epistola sua communicaretur, intellectum iri comparationem illam suam certus erat; nec prævidebat aliquando fore Hæreticos, qui ipsum adeo repugnantem, in sui erroris, contra veritatem corporis Christi in Eucharistia, patrocinium traherent.

Respondeo secundo Eucharistiam appellari corpus Christi *secundum quemdam modum*, quamvis sit verum Christi corpus, quia corpus Christi specie panis in Sacramento velatum, sui ipsius Sacramentum sive sacrum signum est, secundum alium statum, ut visibilis, palpabilis, quondam mortalis, & in cruce suspensi. Ita *Sanctum Augustinum* exponit Lanfrancus *Lib. De corpore & Sanguine Domini*, cap. 14. *Vocatur*, inquit, *baptismus fides, secundum eam locutionis formam, qua Mysterium ejus rei, cujus Mysterium est, censeri nomine consuevit. Hujus rei causa similitudo est, quam in Sacramento, & in re Sacramenti, reperiri semper necesse est: sicut in baptismo & fide. Utrumque enim lavat, purgat, purificat: Illud carnem, hoc mentem. Sicut ergo cœlestis panis, quæ vera Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, illius videlicet quod visibile, palpabile, mortale, in cruce est suspensum; vocaturque ipsa carnis ipsius immolatio, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante Mysterio: Sic Sacramentum fidei, quod baptisma intelligit, fides est.* Eamdem doctrinam tradit illustrior Magistro *Lanfranci* discipulus *Sanctus Anselmus* lib. *De Sacramento Altaris*, cap. 15.

IV. Objicit *Albertinus* alterum *S. Augustini* locum ex Commentario in Psalmum 3. ubi Christi Domini patientiam commendat, qui *Judam adhibuit ad convivium, in quo Corporis & Sanguinis sui figuram Discipulis commendavit & tradidit*. Ex quo sic argumentatur Minister: *Figura non est veritas; sed imitatio veritatis*. Verba sunt *Gaudentii Tractatu II. in Exodum*. At quod Dominus in Eucharistiæ suæ convivio Discipulis suis dabat, erat juxta *Augustinum*, figura corporis & sanguinis ipsius: Non igitur erat veritas corporis & sanguinis.

Respondeo ad majorem, Figuram qua figura est, non esse veritatem, sed veritati conjunctam esse posse, eamque includere. Sic Arca Ecclesiæ figura, conjuncta erat Noe & ejus filiis, qui temporis illius Ecclesia erant. Figura ergo erat Ecclesiæ, & eam continebat: sic etiam templa nostra materialia continent Ecclesiam cujus figuræ sunt, & cujus appellantur nomine, societatem scilicet Fidelium. Columba & linguæ igneæ, quæ figuræ erant Spiritus Sancti, eidem realiter conjunctæ erant. Ablutio exterior quæ fit in baptismo, interiori, quam significat, ablutioni conjuncta est. Manducatio corporea panis Eucharistici, secundum Calvinistas, conjuncta est manducationi spirituali, quam repræsentat: Sunt itaque duo signorum genera, ut optime notat doctissimus Cardinalis *Perronius*. Alia sunt instituta ad defectum præsentiæ supplendum; qualia fuere Agnus Paschalis, manna, petra deserti, panes propositionis, serpens æneus: alia ad supplendum defectum apparentiæ, & ut sint tamquam vestimenta visibilia rebus, quæ per propriam essentiam apparere, & visibiles esse non possent; qualia fuere species flammæ in rubo, & columbæ in baptismo Domini; serpens qui tentavit Evam in Paradiso terrestri, formæ humanæ ab Angelis indutæ, & alia hujusmodi. Signa instituta ad defectum præsentiæ supplendum res significatas excludunt. Signa vero ad supplendum apparentiæ defectum, res significatas non excludunt, immo potius illas includunt & connotant. Ex postremo autem signorum ordine sunt symbola Eucharistica. Non sequitur ergo quod Eucharistia Corporis & Sanguinis Christi realem præsentiam excludat, quia eorum figura est, secundum speciem externam. Ad quem sensum explicanda est minor propositio. *Est enim figura quod exterius sentitur, sed totum veritas & nulla adumbratio, quod intrinsecus percipitur*, ut ait *Paschasius*. Denique ipse *Albertinus*, lib. 2. p. 794. fatetur. *Signum ac symbolum ex se vi significationis non excludere præsentiam rei, cujus est signum.*

Objectio quarta Albertini diluitur.

At, inquit *Albertinus*, inter figuram & rem cujus figura est, relativa oppositio intercedit, adeo ut impossibile sit unam esse alteram, sufficiatque dicere aliquid esse figuram Corporis & Sanguinis Christi, ut eo ipso intelligatur non esse corpus & sanguinem. *Imago veritatis non usquequaque adæquabitur: aliud enim est secundum veritatem esse, aliud ipsam veritatem esse*, inquit Tertullianus lib. 1. contra Marcionem, cap. 9. *Nulla res alicujus, ipsa est, cujus est*; inquit idem Author lib. contra Praxeam cap. 26. *Quod simile alicui est, non est illud ipsum cui simile est*: inquit *Athanasius* lib. contra hypocrisim Meletii. *Imago non amplius foret imago, si esset omnino idem cum eo cujus imago est*; inquit *Gregorius Nyssenus*, lib. de Anima & Resurrectione. *Figura non est veritas*, inquit, *Gaudentius* supra laudatus. *Si imago corporis est, non potest esse ipsum divinum corpus*, inquit *Epiphanius* Diaconus in refutatione Synodi Iconomachorum. Cum ergo *S. Augustinus* asserat Eucharistiam esse figuram Corporis Christi, eo ipso negat esse verum Christi corpus.

Respondeo, Figuram sub ea ratione qua figura est non esse veritatem: imaginem sub ratione imaginis, non esse omnino idem cum re cujus imago est; quod

est simile alicui, non esse illud ipsum, quatenus ei simile est, nec aliud probant loca Patrum passim ab *Albertino & Matthæo La Roque* magna obstentatione prolata: sed non negant quin res per imaginem significata, cum ipsa imagine vel signo, quo repræsentatur, conjuncta esse possit. Distinctionem imaginis a prototypo adstruunt verba *Tertulliani*: non negant, quod significare videntur, imaginem rei cujus imago est, æqualem esse posse: siquidem Verbum imaginem Patris, eidem æqualem agnoscit. Hominem quatenus Dei imago est, secundum animam scilicet ac intelligendi vim, Deum non esse, recte colligit *Athanasius*, seu alius Author libri contra hypocrisim Meletii, quia quod simile est alicui, non est illud ipsum. Sed non negat quin homo Deo realiter & personaliter uniri possit, ac Deus esse; cum Christus sit homo Deus. Imago non potest esse res ipsa cujus est imago, si nullam aliam rationem habeat nisi imaginis: sicque Græci Orthodoxi recte colligebant contra Iconomachos, *Si est imago corporis, non potest esse ipsum divinum corpus*: Quia in suspicionem veniebant illi hæretici quod Eucharistiam in sensu populari & exclusivo veritatis imaginem appellassent, quamvis revera esse Christi proprium Corpus cum Catholicis crederent. Itaque quod precise imaginis rationem habet in Eucharistia, nimirum externa forma & species panis & vini, non adæquatue Christo, non est ipse Christus, non est veritas Corporis Christi, non est ipsum divinum Corpus; sed Corpus Christi his symbolis, huic imagini conjunctum est: sicut Angelus humanam formam indutus a corpore assumpto distinctus, & eidem nihilominus conjunctus erat. Eucharistia itaque Corpus Christi simul est, & ejusdem divini corporis imago. Corpus Christi, secundum id quod interius creditur; imago, secundum id quod exterius sensu percipitur.

Respondeo secundo, Eucharistiam a *S. Augustino* figuram appellari Corporis & Sanguinis Christi, in cruce immolati cruento Sacrificio, non figuram meram excludentem præsentiam ejusdem corporis, invisibiliter contenti sub speciebus. Christi, inquam, corpus sub Sacramento, sui ipsius quatenus in cruce suspensi figura est: Christi sanguis in calice, sui ipsius ut in passione effusi imago est.

Falsam & absurdam responsionem inclamat *Albertinus*, quia nihil sui ipsius figura, imago, & symbolum esse potest. *Nemo potest ipsi sibi imago fuisse*, inquit, *Ambrosius* lib. 1. de Fide cap. 4. *Quid absurdius quam imaginem ad se dici?* inquit *Augustinus* lib. 7. de Trinitate cap. 1. *Ipse sui ipsius character esse non censeatur* inquit, *Cyrillus Alexandrinus* lib. 3. in *Joannem* cap. 5. Ergo Corpus Christi in Eucharistia, sui ipsius prout in cruce suspensi, imago & figura esse non potest.

Respondeo, Nihil quidem sui ipsius figuram & imaginem esse posse, si absolute & absque ulla relatione ad diversos status spectetur: sed sui ipsius, prout in altero statu spectati, figura & imago aliquis esse potest. Ita Christus in cruce, unum Latronum justificans, eique paradisum promittens, alterum reprobans, sui ipsius in supremo Judicio imago erat, cum electos a reprobis secerneret. *Jam significabat quod facturus est de vivis & mortuis; alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram*: inquit *Sanctus Augustinus* Tractatu 32. in *Joannem*. Et Angeli Apostolos Christum in cœlum ascendentem oculis prosequentes docuere, ipsum ut ascendentem, sui ipsius, ut e cælis ad judicandos homines in nube cum majestate descensuri, esse imaginem. *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*.

Instat *Albertinus*: Imago debet sub aspectum ducere id cujus imago est. *Eam cujus imago est, necesse est ut imago demonstret*, inquit *Hilarius* lib. *De Synodis*. At quomodo corpus sub accidentibus panis latitans & invisibile, demonstrabit illud ipsum corpus visibile in cruce expansum? Quis unquam audivit rei visibilis imaginem invisibilem? *Quomodo*, inquit *Gregorius Nyssenus* lib. 1. contra Eunomium, *ex invisibili cognitionem visibilis quis formabit?*

Respondeo, Rem invisibilem, cum per formam exteriorem, cui juncta est, fit visibilis, alterius rei seu visibilis, seu invisibilis, signum esse posse, quamvis ex invisibili, manente invisibili, cognitio visibilis formari non possit. Conceptus mentis, natura sua sunt invisibiles: cum vocibus induuntur, ingenii nostri ac morum qualitatem repræsentant, & oculis veluti objiciunt. Angeli quorum Deus utebatur ministerio tempore Veteris Testamenti, ut sua hominibus consilia aperirent, aut mandata perferrent, natura invisibiles erant: sed in assumptis corporibus aspectabiles facti, Deum Patrem & Christum, ut Imagines, hominibus repræsentabant. Cur ergo Corpus Christi in Eucharistia invisibile quidem, sed symbolis sensibilibus velatum, sui ipsius, in altero statu spectati, figura esse non posset?

Objicit Albertinus, nonnisi ludicre affirmari posse species illas quæ Christum occultant, ab eo assumi ut se ostendat: *Tenebras videlicet accepit, ut lucere posset*, sicut olim de simili hæreticorum figmento jocabatur Tertullianus; *Nemo autem*, inquit lib. de carne Christi, *ostendere volens hominem, cassidem aut personam inducet*.

Respondeo, *Sicut Deus manifestatus est in carne*, quamvis sub ipsa absconditus; sicut Angeli sub forma humana latentes, Deum hominibus repræsentarunt; sicut casside qua facies hominis absconditur, & quibus tegitur vestibus, ipse tamquam signis sæpe demonstratur; ita vere possa affirmari, symbola quibus Corpus Christi velatur, illud ostendere ac significare: Id autem Christi Eucharistiam instituentis consilio convenientissimum est. Cum enim hoc Sacramentum sit *Mysterium fidei*, sensibus occultari Christi Corpus in eo decebat, ad fidei meritum, & menti per symbola ostendi, ad fidem excitandam.

Respondeo tertio, *S. Augustinum* loco laudato, scilicet in Psalmum 3. cum ait, Christum patientiam suam erga *Judam* proditorem demonstrasse, cum eum adhibuit ad convivium, in quo figuram sui Corporis Discipulis commendavit, Eucharistiam spectare per respectum ad Corpus Christi mysticum, scilicet societatem Fidelium, non secundum habitudinem ad Corpus Christi verum & naturale: Confert enim ibi Christum cum Davide, Judam cum Absalone Davidis filio, cujus nomen idem est ac *Pax Patris*. Quemadmodum vero David, etiam in bello, numquam infensus, sed semper pacatus filio fuit, quem etiam extinctum magno dolore flevit: sic Christus cum Juda pacem servavit, quamvis illi insidiaretur Judas. Id probat *Sanctus Augustinus*, tum quia Christus e mundo discessurus dedit Judæ Eucharistiam, quæ erat figura pacis, unitatis, & concordiæ omnium membrorum corporis sui mystici; tum etiam quia illi osculum dedit, quod concordiæ pacisque signum est. Ubi vero *Sanctus Augustinus* Eucharistiam spectat juxta relationem quam habet ad Corpus Christi naturale, non ait Dominum dedisse Judæ figuram Corporis ac Sanguinis sui, sed Corpus ac Sanguinem ipsi tradidisse, sive permisisse *Ut inter innocentes Discipulos acciperet, quod noverunt Fideles, pretium nostrum*. Sic loquitur *Epistola* 162.

V. Objicit *Albertinus* testimonium *Sancti Augustini* ex libro contra *Adimantum* Manichæum cap. 12. ubi ait: *Non dubitavit Dominus dicere: Hoc est Corpus meum, cum signum daret Corporis sui*. Ex quibus ita colligit Calvinianus Minister: *Nulla res alicujus, ipsa est cujus est*, ut observant Tertullianus & Athanasius. At id quod Dominus dabat, cum diceret, *Accipite, edite, Hoc est Corpus meum*, erat, juxta *Augustinum*, res alicujus, videlicet signum corporis ipsius; ergo non erat ipsummet corpus.

Objectio quinta Albertini solvitur.

Respondeo, distinguo minorem: Erat signum corporis ipsius inclusivum, concedo; exclusivum, nego. Distinguo etiam consequens: Ergo non erat ipsummet corpus. secundum formam externam qua signum erat, concedo; secundum veritatem internam, nego. Signum enim erat Corporis Christi præsentis, non absentis: & Corporis Christi substantia signo sacro conjuncta erat. Hanc esse *Sancti Augustini* mentem, constat ex comparatione istius loci cum aliis ejusdem Sancti Doctoris quæ §. præcedenti protulimus. Quod autem id hoc in loco non expresserit, mirum esse non debet, cum scopus ejus non esset docere quid de Eucha-

charistia sit credendum, sed exempla proferre quibus probaret, signum exterius sæpe rei significatæ nomine appellari: quod postulabat argumentum quo de agebat; *Adimantum* enim Manichæum impugnabat, qui cum rejiceret Vetus Testamentum, probandumque suscepisset, Authorem Veteris Testamenti alium omnino esse ab Authore Novi, eique contrarium, inter cætera opposuerat, in illo dici, *Non esse manducandum sanguinem quod anima sit carnis sanguis*; unde inferebat, juxta Authorem Veteris Testamenti, *homines posse nocere animæ*, quandoquidem statuit sanguinem esse animam, *cum homines de sanguine multa faciant, sive excipientes, & canibus volucribusque in escam proponentes, sive effundentes, aut cœno lutoque miscentes*: Contra autem, Dominum in Evangelio dicere, *Non esse timendos eos qui occidunt corpus, animam autem nocere non possunt*. Hanc vero objectionem *Sanctus Augustinus* duplici modo solvit. Primo enim excipit, Dominum in Evangelio de hominis anima loqui, in loco autem Veteris Testamenti sermonem esse, non de anima hominis, sed de anima pecoris: *Quod si de anima humana*, inquit, *nihil tale ibi dictum est, quid ad nos pertinet si anima pecoris lædi ab interfectore potest?* Secundo respondet, præceptum illud esse in signo positum, hoc est, sanguinem appellari animam, non quod sit anima proprie, sed quia animæ signum est, *Possum*, inquit, *etiam interpretari præceptum illud in signo esse positum*. Ut autem probet sanguinem appellari animam in signo, quia signum est animæ, duo profert, primum quod *Dominus non dubitavit dicere, Hoc est Corpus meum, cum signum daret corporis sui*. Secundum, quod sanguis dicitur esse anima in Veteri Testamento, juxta modum loquendi hujusce Testamenti, in quo omnia sunt plena figuris & signis. *Quia sanguis est anima, positum esse dicimus, sicut alia multa, & pene omnia Scripturarum illarum Sacramenta signis & figuris plena sunt futuræ prædicationis, quæ jam per Dominum nostrum Jesum Christum declarata est. Sic est enim sanguis anima, quomodo petra erat Christus*: Id est, sicut petra signum erat Christi, & ideo dictum est ab Apostolo; Petra erat Christus: ita sanguis est signum animæ, & ideo a Moyse vocatus est anima; juxta solemnem loquendi morem, quo rerum significatarum nomina signis tribuuntur. Quod cum signis conjunctis rei significatæ, aut separatis æque conveniat, signis rerum præsentium usi, & absentium, ex utroque signorum genere exempla profert. Primi namque generis est sanguis respectu animæ: secundi generis erat Petra respectu Christi. Cum itaque *Sanctus Augustinus* Eucharistiam qua signum est (quod ipsi secundum externam speciem convenit) comparet cum sanguine qua signum est animæ, Eucharistia signum est Corporis Christi præsentis, & secundum substantiam sibi conjuncti, sicut sanguis signum est animæ præsentis, & ipsi secundum substantiam conjunctæ. Frustra igitur clamat *Albertinus* Augustinum in eo, quem expendimus, loco clarissime innuere, hujusce propositionis *Hoc est Corpus meum*, sensum ejusmodi esse, *Hoc est signum Corporis mei*. Nam Christi verba hic non exposuit *Sanctus Augustinus*, nec circumstantias expendit quæ illorum significationem ad sensum literalem & ad veritatem Dominici Corporis & Sanguinis revera in Eucharistia præsentium coercent; sed obiter duntaxat exemplum ab Eucharistia petiit, quo probaret, signa rerum significatarum nominibus interdum appellari. Ad illius autem exempli veritatem & convenientiam satis est, quod res e Christo data Apostolis, cum dixit, *Hoc est Corpus meum*, figura esset Dominici Corporis secundum externam speciem, quamvis adæquate (ut ita loquar) spectata, non tantum figura esset, sed ipsum Christi Corpus.

Opponit *Albertinus*, Augustinum hac loquendi forma, *Non dubitavit Dominus dicere: Hoc est Corpus meum*, &c. indicare Dominum, sensu, licet vero, non tamen proprio, sed figurato, Corpus suum id quod dabat appellasse: Nam ea observatio locum numquam habet in propriis locutionibus. Nemo est qui dixerit: Non dubitavit Dominus dicere, hoc est aurum si vere aurum daret, hoc est aqua si vere aqua foret, &c. Ea tantum adhibetur quando quis aliquid, licet non proprie sit id quod ipsum dicit esse, sic nihilominus appellare non refugit.

Respondeo, Hanc loquendi formam recte usurpari non solum in locutionibus figuratis, sed etiam in propriis, si objectum de quo loquimur, non sit id quod de ipso affirmamus, secundum externam speciem. Sic recte dici posset, Vir qui *Tobiam* comitatus est, non dubitavit dicere, *Ego sum Raphael Angelus*: quia licet vere esset *Raphael*, tamen secundum speciem externam vir sanctus videbatur. Recte dici posset, Christus non dubitavit, se Deo æqualem dicere: Petrus non dubitavit dicere Christo, *Tu es Filius Dei vivi*, quia divinitatem ejus forma hominis abscondebat. Recte dici posset, Non dubitavit *S. Joannes* dicere Spiritum Sanctum in Christum descendisse, cum descendit super ipsum columba; quia species illa externa columbæ non erat Spiritus Sanctus: & tamen propria locutio est qua Spiritus Sanctus Christo inhabitasse significatur, & hoc nomine intelligenda datur tertia Trinitatis adorandæ persona, non merum illius signum, quamvis in descensus nomine ut Spiritui Sancto accommodatur, figura sit. Cur ergo *Albertinus* hanc loquendi formam, *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est Corpus meum*, &c. indicare contendit Dominum sensu figurato id quod dabat appellasse? cum enim Corpus ipsius secundum externam speciem non esset, ac nihilominus Corpus suum esse affirmarit, hic loquendi modus adhiberi potest: *Non dubitavit Dominus dicere: Hoc est Corpus meum, cum daret figuram corporis sui*, id est, rem quæ specie tenus erat figura corporis sui, sed eidem corpori sacro conjuncta, & figura corporis mystici, id est, societatis Sanctorum.

Respondeo secundo cum doctissimo Cardinali *Perronio*, dici posse, *Sanctum Augustinum*, ubi ait, *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est Corpus meum, cum signum daret corporis sui*, locutum non fuisse ex mente propria, sed ex hypothesi Manichæorum; sensumque horum verborum esse: Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est Corpus meum, cum secundum vos, o Manichæi, daret signum corporis sui. Explico solutionem. Certum est primo juxta Manichæorum dogmata, Christum compositum non fuisse ex vera carne, sed simulatam illius speciem ludificandis hominum sensibus idoneam exhibuisse in qua non solum mortem, sed & resurrectionem mentiretur, ut *Sanctus Augustinus* lib. de Hæresibus cap. 46. commemorat. Certum est secundo ex eodem sancto Doctore lib. 20. contra *Faustum*, cap. 11. Manichæos præter Christum illum quem sub Pontio Pilato in phantasmate crucifixum asserebant, duplicem adhuc Christum distinxisse, alium quem de Spiritu Sancto concipiens terra patibilem gignit, & qui omni ex ligno suspensus est; alium per Solem & Lunam distentum. De illo Sanctus Augustinus: *Concipientem*, inquit, *de Spiritu Sancto dicitis terram gignere patibilem Jesum, quem tamen ita contaminatum omni ex ligno pendere perhibetis in frugibus & pomis, at innumerabilibus animalium vescentium carnibus amplius contaminetur, ex ea sola parte purgandus, cui fames vestra subvenerit*. De tribus simul idem Pater ibidem ait: *Dicite nobis quot Christos esse dicatis. Alius ne est quem de Spiritu Sancto concipiens terra patibilem gignit, omni non solum suspensus in ligno, sed etiam jacens in herba; & alius ille quem Judæi crucifixerunt sub Pontio Pilato, & tertius ille per Solem Lunamque distentus? An unus atque idem ex quadam sui parte ligatus in arboribus, ex quadam vero liber?* Tertio corpus patibilis Christi, quod erat quilibet terræ fructus; ac proinde etiam panis, secundum Manichæorum fabulas signum erat corporis apparentis sub Pontio Pilato crucifixi; ejusque in cruce suspensionem repræsentabat, pendendo ex omnibus arboribus, velut ex crucibus. Unde Sanctus Augustinus ait ibidem: *Cur ille Salvator pendenti pendendo congruit, & nascenti nascendo non congruit?* Quarto certum est, Manichæos objecisse Catholicis, ipsos idem sentire de Christo suo in pane & calice Eucharistiæ, quod ipsi Manichæi de Jesu suo passibili in terræ fructibus. *Quapropter*, inquiebat Faustus *& nobis circa universa, & vobis similiter erga panem & calicem par religio est, quamvis eorum acerrime oderitis Authores*; Id

est

est, sicut nos Manichæi credimus patibilem Jesum esse realiter in omni ligno, eumque ibi adoramus; ita & vos Christi Apostolici Corpus & Sanguinem in pane & calice Eucharistiæ revera contineri creditis, ibique adoratis. *Sanctus Augustinus* vero minime excipit id Catholicis ipsos affingere, sed duplex tantum discrimen observat. Unum est, Manichæos abhorrere a Communione sub specie vini, quod fel esse Principis tenebrarum dicebant. Secundum est, quia nascebatur apud illos, non consecrabatur Corpus Christi, ut apud Catholicos. Id constat ex *Sancto Augustino* cap. 13. ejusdem libri. *Cur autem*, inquit, *arbitretur Faustus parem nobis esse religionem circa panem & calicem, nescio, cum Manichæis vinum gustare non religio, sed sacrilegium sit. In uva enim agnoscunt Deum suum, in cupa nolunt, quasi aliquid eos calcatus & inclusus offenderit. Noster autem panis & calix non quilibet* [*quasi propter Christum in spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt*] *sed certa consecratione mysticus fit nobis Corpus Christi, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis & calix alimentum est refectionis, non Sacramentum religionis ..... Vobis autem per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur, adhuc ligandus vestris visceribus, solvendusque ructatibus ..... Quomodo ergo comparas panem & calicem nostrum & parem religionem dicis errorem longe a veritate, discretum?* His observationibus præmissis, dico *Sanctum Augustinum* contra Manichæos ex eorum principiis arguisse, eisque ostendere voluisse, sanguinem dictum esse animam in Scriptura Sacra, licet signum sit duntaxat animæ: neque absurdam esse hujusmodi locutionem; siquidem Christus *Non dubitavit dicere, Hoc est Corpus meum, cum signum tantum daret corporis sui*, secundum Manichæos, id est, cum daret panem, quem natura sua, non consecratione, signum esse apparentis Corporis Christi, sub Pontio Pilato umbratice passi, effutiebant. Sane si mens *Sancti Augustini* fuisset Christum dedisse nudum signum Corporis sui, facile satisfecisset Fausto objicienti, parem nobis esse cum Manichæos religionem circa panem & calicem, dicendo, non in duobus tantum discrepare Catholicos a Manichæis; in usu scilicet vini, & consecratione, sed in eo etiam maxime, quod Manichæi censerent verum Christi sui patibilis corpus ore comedi, quando panis comedebatur: contra vero Catholicos nonnisi figuram & signum Corporis Christi ore comedere. Quare cum hanc discriminis rationem non attulerit, dicendum est ipsum in hypothesi potius Manichæorum, quam ex propria mente locutum fuisse cum ait: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est Corpus meum, cum signum daret corporis sui*.

Instat *Albertinus*. Si Catholicorum fides fuisset in Eucharistia, non veram vini substantiam, quam Manichæi malam esse existimabant, sed verum sanguinem bibi, an non illos jussisset charitas Manichæos admonere ne Eucharistiæ Communionem integram accipere detrectarent quippe cum in ea nullo modo vinum *fel principis tenebrarum* bibendum propinaretur, sed *sanguis Principis lucis* quem non refugerent?

Respondeo ex falsa hypothesi argumentari *Albertinum*: Supponit enim Catholicos in id incubuisse, aut incumbere debuisse ut Manichæis persuaderent, utramque speciem in Eucharistiæ Communione ipsos accipere debere, quasi in hoc eorum error versaretur quod unam tantum percipere vellent. Ita ne stipes erat ut non animadverteret, Manichæos ad Eucharistiæ admissos participationem non fuisse, sed *Sancti Leonis* temporibus obrepsisse, ut Catholicæ religionis professionem simulantes, pœnas Edictis Principum in ipsos decretas evaderent? Et tunc Sanguinis Communionem declinasse, qui sub vini specie Fidelibus propinabatur: eamque fuisse appendicem erroris, quo vinum & cætera corpora, mali principii genimina, non Dei creaturas esse propugnabant? Nonne ergo prius omnes eorum errores convincere, ipsisque Dei & Christi unitatem, Incarnationis, Nativitatis, Passionis ac Resurrectionis veritatem, Veteris sanctitatem Testamenti, & summam cum Novo concordiam; Animæ unitatem ac libertatem, omnium creaturarum, quas in cibum ac potum hominibus Deus præbet, bonitatem Fidei, ac Baptismi necessitatem persuadere opus erat, quam ipsos monere ne Eucharistiæ communionem integram accipere detrectarent: quam non declinassent, si ejuratis erroribus, Christianis Sacramentis fuissent initiati? Præterea inutile fuisset dicere Manichæis, qui sensibus & rationi totum, fidei nihil tribuebant, calicem Eucharisticum non continere fel Principis tenebrarum, sed Sanguinem Christi: siquidem a specie ipsa vini semper abhorruissent, nec aliud credidissent esse quam vinum, quod oculis tale videbatur. Tertio non minori cautione cum Manichæis, quam cum Paganis Catholici Doctores de Mysteriis loquebantur, siquidem ipsis Paganis deteriores erant, & nihil commune cum Ecclesia habebant. Unde mirum non est quod obscure de Eucharistia locutus sit *S. Augustinus* contra *Adimantum* scribens.

VI. Objicis *Albertinus* testimonium *S. Augustini* lib. 20. contra *Faustum* cap. 21. dicentis: *Hujus Sacrificii Caro & Sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in Passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post Ascensum Christi per sacramentum memoria celebratur*. Unde manifeste patet, eum non modo a veteribus victimis, sed & ab Eucharistiæ Sacramento realem Corporis & Sanguinis Dominici præsentiam excludere, & ad crucem restringere: Eucharistiam enim non minus quam veteres victimas cruci opponit. Quomodo autem opponit? Quemadmodum Sacramentum, in quo eorum memoria est, cum in cruce in ipsa veritate essent.

Objectioni septimæ Albertini satisfit.

Respondeo, in Sacramento Eucharistiæ carnem & sanguinem Christi, secundum statum cruentæ oblationis spectata, *Per sacramentum memoria celebrari*, id est Eucharistiæ Sacrificium offerri in memoriam Passionis Christi. At inde inferri non potest, Corpus & Sanguinem Christi non esse realiter sub Sacramento præsentia: neque id magis significat *S. Augustinus* verbis laudatis, quam Ecclesia solemni Oratione, *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra Mysteria venerari*, &c. Et licet non Passionis solum, sed carnis & sanguinis Dominici memoriam Eucharistiam dicat *S. Augustinus*, non sequitur illa esse absentia. Nam & rerum præsentium meminisse dicimur, cum sensibus nostris non sunt obviæ, nec intra eorum objecta continentur. Sic Dei memores sumus, licet nobis intime sit præsens. *Memor fui Dei, & delectatus sum*: inquit Propheta. Cum igitur Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia sensus afficere non possint, pro statu illo Sacramentali, memoriæ objectum esse possunt, præcipue cum in alterum eorumdem statum, oblationis scilicet in cruce factæ, & in Eucharistiæ Sacrificio repræsentatæ fidei fertur intuitus. Hunc *S. Augustini* locum illustrat alter quem in eodem libro cap. 17. legimus. *Hebræi*, inquit, *in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Unde jam Christiani, peracti ejusdem Sacrificii memoriam celebrant Sacrosancta oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Christi*.

VII. Objicit *Albertinus* plura *S. Augustini* loca, in quibus asserit, Christum corporaliter a nobis absentem esse, scilicet Sermone 60. de Verbis Domini: *Semper*, inquit, *divinitate nobiscum est, sed nisi corporaliter abiret a nobis, semper ejus corpus carnaliter videremus, & numquam spiritaliter crederemus*. Et Tractatu 50. in Joannem: *Secundum præsentiam Majestatis semper habemus Christum: secundum præsentiam carnis recte dictum est Discipulis: Me autem non semper habebitis: habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non videt*. Denique variis in locis testatur de more fuisse ut Fideles ad Eucharistiam accessuri præmonerentur, habere *Sursum corda*, & responderent, *Habemus ad Dominum*. Qua enim de causa jussi essent mentes suas ad Dominum in cœlis existentem elevare, si fides Ecclesiæ fuisset, Dominum per proprii corporis sui veritatem & substantiam sub panis accidentibus in Eucharistia esse? Dicendum illis potius

tius fuisset : Ne corda sursum elevate, deorsum potius habete, ubi & Christus est. Frustra enim illum tam longe a vobis dissitum in cœlo quæratis, cum præsto sit, & penes vos sit eum manu prehendere, immo & ore deglutire.

Satisfit septimæ Albertini Objectioni.

Respondeo *S. Augustinum*, & alios Patres, cum Christum a nobis juxta corpus absentem dicunt, de præsentia sensibili esse intelligendos, secundum quam in terris ante Ascensionem præsens fuit; præsentiam vero Sacramentalem non negant, quæ ex aliis ipsorum testimoniis luculenter probatur. Certe si hic loquendi modus significaret Christum secundum humanitatem, nullo præsentiæ realis genere in terris existere, dicendum esset S. Bernardum, Yvonem Carnotensem, & Hugonem a Sancto Victore non credidisse realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam : quod tamen Adversarii non diffitentur. Eodem enim locuti sunt modo quo *S. Augustinus*. Sanctus quidem *Bernardus* Sermone 2. de Ascensione : *Expediebat*, inquit, *ut eis in præsentiam subtraheret corporalem*. Et Sermone 3. *Quid est quod Christo commorante in terris Spiritus Sanctus ad eos venire non potuit?* Et Sermone 1. de Adventu : *Venit a summo cœlo in inferiores partes terræ. Quid ergo? Nonne & nobis in terra est conversandum? Est, si tamen in ea perstitit ille. Ubi enim bene erit sine illo, aut ubi male esse poterit cum illo? ... Verumtamen sicut ad operandam salutem in medio terræ venit semel in carne visibilis : ita quotidie ad salvandas animas singularum in Spiritu venit & invisibilis.* Sic *Yvo Carnotensis* Sermone de Ascensione : *Quia temporali ejus præsentia viduati sumus, ad æternam ejus visionem tota intentione festinemus.* Sic *Hugo Victorinus* in speculo de Mysteriis : *Secundum præsentiam corporalem recessit, sed secundum spiritualem remansit.* Nec minus propterea cor sursum habere debemus ad Dominum, etsi Christus revera in Eucharistia secundum humanitatem præsens est ut eum non solum sub Sacramento existentem, sed & in cœlis ad dexteram Patris sedentem adoremus, ut spem nostram excitemus, ut affectum nostrum a terrenis rebus abstrahamus. Sane cum Propheta Deo canebat, *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis*, Deum in cœlis tantum præsentem esse non credebat. Et cum Christus jussit ut Deum orantes diceremus, *Pater noster qui es in cœlis*, intimam Dei præsentiam in unoquoque nostrum ne crederemus non dissuasit. Cur ergo *Albertinus* velit Ecclesiæ veteris fidem non fuisse quod Dominus secundum corporis sui veritatem & substantiam in Eucharistia sit, quia Christianos ad Eucharistiam accessuros adhortabatur ut sursum cor haberent? Nonne & modo in Præfatione Missæ eumdem affectum in nobis excitat Ecclesia, cum ait Sacerdos, *Sursum corda*, & respondemus, *Habemus ad Dominum*? Et tamen realem Christi præsentiam in Eucharistia profitemur; & cum *S. Ambrosio* lib. 5. in evangelium *S. Lucæ* cap. 5. dicimus : *Nobis non Caiphas, non Pilatus Christum abstulit, nec possumus jejunare quia Christum habemus, & Christi carnem epulamur & sanguinem.* Ex his facile solvuntur aliorum Patrum authoritates, asserentium, Christum, secundum carnem a nobis absentem esse, quas Albertinus passim & *Matthæus La Roque* 11. part. *Historiæ Eucharisticæ*, cap. 4. proferunt.

Objectioni Claudii Ministri respondetur.

Objicit *Claudius* Minister locum *S. Augustini* ex Tractatu 59. in Joannem, ubi cæteros Apostolos cum Juda comparans, ait : *Illi manducabant panem Dominum, ille panem Domini contra Dominum; illi vitam, ille pœnam; Qui enim manducat indigne, ait Apostolus, judicium sibi manducat & bibit.* Ergo inquit *Claudius*, Eucharistia quam boni & mali recipiunt, non est panis Dominus, sed panis tantum Domini.

Respondeo, *S. Augustinum* hoc loco de Eucharistia non loqui, cum ait Judam panem Domini manducasse; sed de pane intincto in paropside, quem ipsi Dominus dedit. Id enim ait *S. Augustinus* explicans versum illum cap. 13. S. Joannis : *Ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.* At istam Prophetiam impletam fuisse, cum buccellam intinctam Judas comedit, idem *S. Augustinus* affirmat, in illum versum Psalmi 40. *Qui edebat panes meos*. Ait enim : *Per buccellam illum designavit, ut appareret de illo dictum, Qui edebat panes meos.* Tractatu vero 62. in *Joannem* diserte docet, jam Apostolos, & Judam ipsum cum illis, Eucharistiam accepisse, antequam panem intinctum ipsi Christus porrigeret, cujus post comestionem introivit in eum satanas. *Nunc autem*, inquit, *post panem intravit in eum, non ad hoc ut alienum tentaret : sed ut proprium possideret. Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit : Intelligendum est enim, quod jam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis sui, ubi & ipse Judas erat, sicut S. Lucas evidentissime narrat. Ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissime Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit Proditorem.*

Octava Albertini objectionis ex Philosophicis S. Augustini principiis petita, respondetur.

Objicit *Albertinus* plura *S. Augustini* loca in quibus asserit, impossibile esse ut idem corpus in pluribus locis simul sit, corpus necessario locum occupare, accidentia sine subjecto subsistere non posse. Ex quibus locis lib. 2. in Examine testimoniorum *Sancti Augustini*, capp. 10. 11. & 12. colligit S. Doctorem præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia non credidisse, nec illa agnovisse miracula, quæ in illo Sacramento agnoscimus & prædicamus.

Respondeo, *S. Augustinum* locis ab *Albertino* laudatis loqui secundum consuetas naturæ leges & secundum Philosophorum placita : in quibus exceptionem ipsum admisisse per ordinem ad omnipotentiam Dei, quæ naturæ legibus subdita non est, manifeste patet ex pluribus locis, in quibus credendum esse docet Christum *per integra virginalia matris enixum, & ad Discipulos suos januis clausis ingressum*. Nec mirum quod *S. Augustinus* Philosophica illa dogmata sit amplexus, quæ cum realis præsentiæ fide conciliari vix posse videantur humanæ rationi, cum *S. Joannes Damascenus*, qui panem & vinum *per invocationem & adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutari in Corpus & Sanguinem Christi asserit, & non esse duo, sed unum & idem : & panem & vinum non esse figuram Corporis & Sanguinis Christi, sed ipsum Corpus Domini deificatum, ipsomet Domino dicente : Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus* : Nihilominus asserat solam Divinitatem esse incircumscriptam, Angelos ipsos tempore & loco circumscribi, corpus non esse quod est impalpabile & invisibile; accidens non posse in se ipso esse, sed in altero habere existentiam. Sed facillimum est istas opiniones cum fide realis præsentiæ conciliare, distinguendo quod naturæ creatæ, quod corporibus & accidentibus secundum se convenit, & quod iisdem per omnipotentiam divinam convenire potest, cui Patres aut alii Authores Catholici limites non ponunt cum philosophantur, etsi generalibus quibusdam propositionibus dogmata sua enuntient. Exemplo sit *Guitmundus* Episcopus Aversanus, Sacramentariorum acerrimus impugnator, qui impossibilem asse corporum penetrationem affirmat. *Quomodo enim*, inquit, *in solido corpore panis alterum corpus latere possit, videri non potuit.* Dubium tamen non est, quin penetrationem divina virtute possibilem censuerit *Guitmundus*, cum omnes illas propositiones quibus aliquid asseritur impossibile, intelligendas esse cum hac exceptione doceat, nisi Deus velit. *Cum dicunt*, inquit, *non potest hanc mutationem natura pati : aut absolute & absque ulla exceptione dicere hoc habent, ut nullatenus scilicet nec volente Deo hoc possit, aut cum aliqua exceptione. At si absolute, & absque ulla exceptione dicunt, primum quidem voluntatis Dei manifestos adversarios se esse declarant, dum ei aliquid impossibile esse confirmant. Ipsi denique se ipsos destruunt, quoties illum Psalmi versiculum canunt : Omnia quæcumque Dominus voluit, fecit.* Ita de *S. Augustino* sentire par est, ipsum sic asseruisse; impossibile esse ut idem corpus sit in pluribus locis, corpora necessario locum occupare, accidentia non posse sine subjecto existere, ut omnipotentiæ divinæ hæc esse possibilia crederet. Non enim minus Deo tribuebat quam *Plato*, qui rerum naturam esse dixit id quod vult Deus. Et multis in locis, Deum non ob aliud omnipotentem esse docet, nisi

nisi quia quidquid vult, potest. Licet autem exceptionem illam non expresserit quoties Philosophica illa dogmata protulit in medium ac scriptis mandavit, ratio & æquitas postulant, ut illam subintellexisse existimetur, nec alia de causa ipsam omisisse, nisi quia non attendit ad objectiones, quæ ea hujusmodi theorematibus Philosophicis contra Mysterium Eucharistiæ formari possent. Non enim prævidebat fore Sacramentarios, qui principiis illis ad impugnandam realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam abuterentur. Sicut ergo *S. Augustinus*, cum peccatum definiebat, malum ita voluntarium, ut non esset peccatum, nisi esset voluntarium, exceptionem originalis peccati subintelligebat, nec tamen tunc exprimebat, abusuros hac propositione sua Pelagianos minime prævidens: hanc autem exceptionem adhibuit cum *Juliano* responderet lib. 4. c. 3. *Hoc recte dicitur*, inquit, *propter proprium cujusque peccatum, non propter peccati originalis contagium*: Ita cum asseruit impossibile esse ut corpus idem sit in pluribus locis, ut locum non occupet, ut accidentia sine subjecto existant, exceptionem non adhibuit, sed subintellexit; adhibuisset vero ac expressisset, si res illi fuisset cum Hæreticis argumenta contra Mysteria fidei ea principiis illis Philosophiæ petentibus. Quidni enim dixisset quod *Paschasius* lib. *De Corpore & Sanguine Domini* cap. 1. postea dixit? *Rerum & naturarum causa sola voluntas Dei jure creditur. Ideoque quotiescumque videtur quasi contra naturam aliquid evenire, quodammodo non contra naturam est; quia potissimum rerum natura creatarum hoc habet eximium, ut a quo est, semper ejus obtemperet jussis: ut sicut velle Dei ejus profecto est esse, ita quoque quidquid eam cursus Dei virtus esse decreverit, jure aut crescendo augeatur, aut nascendo.... Neque enim sic condidit omnium artifex Deus rerum naturas, ut suum velle ab eis auferret: quia omnium creaturarum substantia in eadem Dei voluntate subsistit, & virtute, a qua causam habet, non solum ut subsistat quidquid est, sed etiam ut sic sit, sicut ipsa Dei voluntas decreverit: qua causa est omnium creaturarum. Alioquin nec subsisteret ulla creaturarum existentia, nisi in ejus voluntate, a quo totius ejus esse manat. Et ideo natura creatura, quoties mutatur, aut augetur, vel subtrahitur, non ab illo esse divertitur in quo est.* Quidni dixisset, quod postea *Guitmundus* lib. 1. Ita in singulis Hostiis consecratis totum esse Christum, *Ut nec plures Christos, nec divisum Christum faciat aut Sacerdotum diversitas, aut locorum. Nec cuiquam incredibile id debere videri. Quotidiano enim experimento cognoscimus, quia intellectus noster, id est, verbum cordis nostri, cum illum quodammodo voce vestimus, ut qui in corde nostro latens, nobis solis cognitus erat, per vocem etiam aliis manifestari possit; eodem tempore & totus in corde nostro remanet, & totus æque mille hominibus cum assumpta voce sua, quantum in se est, ita apparere potest, ut non solum ipse simul omnium corda collustret; sed aures etiam cunctorum ipsa qua vestitus est voce eodem tempore tota & indivisa perstringat. Si igitur humano verbo Deus tantum præstitit, ut non solum ipsum, sed etiam vox qua quodammodo vestitur, ad mille homines eadem simul totaque pertingere valeat: Nemo hoc ipsum de omnipotentis Dei unico & omnipotente & coæterno Verbo, & de carne ejus, quam similiter ut nobis ipsum Verbum appareret, vestivit, & si capere non possit, habere incredibile debet, quod de fragilissimo & transitorio verbo hominis, & momentaneis vocibus, vixque existentibus, & numquam prævalet capere, & tamen pene semper experimento habet. Ipsam certe animam nostram, corpore quo corrumpitur aggravatam, non particulatim per singula corporis membra dividi, sed in singulis portiunculis contineri, validissime probatur. Qui ergo hanc nostræ animæ potentiam præbuit ut una eademque & indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis eodem tempore tota consistat: Quare sua propria carni id dignitatis, si vult, dare non valeat, ut ipsam in diversis sui cujusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus tota simul & indivisa possit habere? Cum sicut anima nostra vita est corporis, ita sit Ecclesiæ,* [*immo multo melius per Dei gratiam*] *vita caro Salvatoris. Per animam quippe fit ut corpus utcumque temporaliter vivat: per carnem vero Salvatoris agitur ut Ecclesia, non quomodo, sed beate in æternum vivat.* Quidni *S. Augustinus* humanam rationem & inanem Philosophiam adversus fidei Mysteria obstrepentem silere jussisset, ac dixisset cum *S. Hilario* lib. 1. de Trinitate: *Respuit captiosas & inutiles Philosophiæ quæstiones fides constans, neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens, spolium se præbet veritas falsitati: non secundum sensum communis intelligentiæ Deum retinens, neque de Christo secundum mundi elementa decernens?* Quidni cum *S. Chrysostomo* dixisset Homil. 6. in Joannem: *De Deo loquimur, &, quonam pacto, interrogas? Non-ne times, non-ne exhorrescis? Quod si abs te quispiam quæret quomodo immortalem vitam & corpora & nostra habituræ sint animæ, non-ne ridicula esset quæstio? Quia non humani est ingenii ejusmodi inquirere; sed credere tantum oportet: Neque curiosius est investigandum quod sufficientem habet sui demonstrationem, immensam promittentis potestatem.... Audisti:* Erat lux vera: *Quid stulte & temere æternam hanc vitam humana ratione conjectari atque invenire contendis? Haud fieri potest. Quid scrutaris imperscrutabilia? Quid circa incomprehensibilia inanem subis laborem? Quid investigas, quæ nulla ratione possunt deprehendi? Inquiras quanta potes diligentia solarium radiorum originem: non sane poteris, neque indignaris, neque tuam iniquo fers animo imbecillitatem. Quid igitur in majoribus tam audax es & temerarius? Tonitrui filius Joannes tuba personans spirituali, nihil aliud quam quod audierat a Spiritu, investigavit: Tu autem illius gratia expers & penitus vacuus, manifestis humanæ naturæ rationibus illius cognitionis terminum superare contendis.* Quidni cum *S. Ambrosio* dixisset: *Bonum est ut rationem præveniat fides, ne tamquam ab homine, ita a Domino Deo rationem videamur exigere. Etenim quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus?* Quidni dixisset quod *S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joannem*, ubi de Judæis sic loquitur: *Illud*, Quomodo, *stulte de Deo proferunt, quasi nescirent hoc loquendi genus omni scatere blasphemia. Cuncta enim citra laborem perficiendi potestas in Deo est. Sed cum animales essent, non percipiebant ea quæ sunt Spiritus Dei, sed stultitiam esse putabant sapientissimum illud Mysterium. Hinc igitur utilitatem capientes, in susceptione divinorum mysteriorum fidem habere quidem nos oportet curiositatis expertem, neque cum aliquid dicitur, subjicere illud,* Quomodo! *Judaicum enim est illud vocabulum, & extremi proinde causa supplicii. Nam & Princeps ille Synagogæ Judæorum Nicodemus, cum auditis sermonibus divinis diceret;* Quomodo possunt hæc fieri? *jure derisus est his verbis:* Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras? *Aliorum igitur stultitia sapientiores facti, de iis quæ Deus operatur illud,* Quomodo, *usurpare caveamus; sed ei potius operum suorum viam perspectam esse fateri studeamus. Quemadmodum enim nemo novit quid sit natura Deus, sed justificatur credens eum esse, & quærentes eum mercedem accipere: Ita rursus modum quo ab ipso quæque fiunt, ignorabit quidem, sed utcumque res cadat, fidei permittendo, & supremum Deum cuncta posse fatendo, tam recti judicii non leve præmium reportabit.... Qui inter nos machinalem scientiam exercent, magnum quidam sæpe se facturos profitentur, & cujus faciendi ratio mentes nostras fugit, priusquam illam spectaverimus: sed autem ipsam considerantes, etiam ante experimentum ipsum fidem adhibemus, pudetque iis obluctari. Quomodo igitur non gravissimorum criminum rei jure tenebuntur, qui præstantissimum rerum omnium artificem Deum incredulitate sua elevare audeant, qui de iis quæ operatur,* Quomodo? *quærere non vereatur, quamvis universæ sapientiæ largitorem eum esse noverint, & ex omni divina Scriptura cunctipotentem esse didicerint? Quod si perstas, o Judæe, usurpare illud,* Quomodo, *ego vicissim tuam imperitiam imitans, tibi reponam: Quomodo egressus es ex Ægypto? Quomodo in serpentem versa est virga Mosaica? Quomodo in sanguinis naturam versa est aqua? Quomodo per medium mare, sicco pede transisti? Quomodo amara il-*

lo

la aqua de Merra per lignum versa est in dulcem? Quomodo tibi aqua e petrarum uberibus effluxit? Quomodo propter te manna decidit? Quomodo Jordanis immetus stetit? Quomodo solo clamore Hierichuntis inexpugnabiles muri corruerunt? Nec te loquentem deficiat illud, Quomodo? *Multis enim deprehenderis jam antea attonitus esse miraculis, de quibus si tuum illud* Quomodo? *subinde inferas, omni plane Scripturæ Divinæ fidem derogabis, & omnia Sanctorum Prophetarum Scripta, adeoque ipsius Mosis ante omnia, sacros libros everteres. Decebat itaque Christo credentes, ejusque dictis incunctanter assentientes, ad discendum potius Eulogiæ modum emti, quam temere & inconsiderate temulentorum more, dicere: Quomodo potest? &c.*

Ex his facile solvuntur omnes objectiunculæ quas *Albertinus*, *Claudius & Matthæus La Roque* Calviniani Ministri contra realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, & Transsubstantiationem opponunt, ex propositionibus quibusdam Philosophicis a *S. Augustino*, aut aliis Patribus, universim & absque expressa exceptione assertis.

ARTICULUS XXI.

SS. ISIDORUS PELUSIOTA, & CYRILLUS ALEXANDRINUS Fidem Realis Præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia confirmant.

Spiritus Sanctus panem in Sacra Mensa efficit proprium incarnati Verbi corpus.

I. DOgma Catholicum quod propugnamus, *Sanctus Isidorus Pelusiota* Epistola 109. libri 1. egregie confirmat, contra Macedonianos ad *Marathonium* Monachum scribens: *Cum*, inquit, *Deus & Salvator noster homo factus Spiritum Sanctum divinam Trinitatem complere tradiderit, atque in Sancti Baptismi invocatione una cum Patre ac Filio, tamquam a peccatis liberans, numeretur, & in Mystica Mensa communem panem proprium Incarnationis ipsius corpus reddat, quid tu, o vesane, quiddam factitium aut creatum, & servilis naturæ, & non dominantis & creatricis essentiæ, & consubstantialem Spiritum Sanctum esse doces?* An figuram Corporis Christi virtute repletam, *Proprium Incarnationis ejus Corpus* vocasset? Quidni ergo & baptismum proprium Incarnationis Christi Sanguinem per Spiritum Sanctum reddi ibidem asseruit? Frustra vero *Albertinus* regerit, Gregorium Nyssenum Orat. 1. *De pauperibus amandis*, Ecclesiam appellare *Proprium Domini Corpus*: S. Augustinum lib. 13. Contra *Faustum* cap. 13. bonos appellare *Proprie Corpus Christi*: His antiquiorem *Origenem* Homilia 35. in *Matthæum*, Sermonem Dei vocare *Proprium Domini Corpus*. Similes enim non sunt hujusmodi locutiones Isidorianæ, cum Ecclesiam, aut sermonem Dei *Proprium Incarnationis Domini Corpus* non appellaverint, quæ vox, Incarnationis, voces illas, *Proprium Corpus*, ad sensum literalem coercent, metaphoramque excludunt omnem. Sed *Isidori* mentem aperit magis Epistola 123. in qua sic loquitur: *Pura illa sindon, quæ sub divinorum donorum ministerio expansa est, Josephi Arimatensis est Ministerium. Ut enim ille Domini Corpus sindone involutam sepulturæ mandavit, per quod universum mortalium genus resurrectionem percepit: eodem modo nos propositionis panem in sindone sanctificantes, Christi Corpus sine dubitatione reperimus, illam nobis immortalitatem fontis in modum proferens quam Salvator Jesus, a Josepho funere elatus, posteaquam a morte ad vitam rediit, largitus est.* Christi Corpus in Altari idem esse docet *S. Isidorus*, quod a *Josepho* sepulturæ mandatum est, & per quod universum hominum genus resurrectionem percepit: Atqui istud non est corpus typicum, sed verum & naturale: Sensit igitur *S. Isidorus* Christi Corpus verum & naturale post consecrationem panis reperiri in altari: idque *sine dubitatione* credi docuit: quæ verba non ad sensum figuræ, cujus fidem gravissimis dubiis pulsari nemo dixerit, sed ad sensum realis præsentiæ referri evidens est.

S. Cyrilli & Synodi Alexandrinæ testimonium.

II. Præter testimonia *S. Cyrilli Alexandrini* pro Catholico dogmate jam laudata, hic alia nonnulla proferimus, imprimis celebrem illum ex illius & Synodi Alexandrinæ, cujus caput erat, Epistola ad Nestorium, *De excommunicatione*, in qua ita scribit; *Quin illud quoque non possum hoc loco non adjicere: nempe, dum unigeniti Filii Dei, hoc est, Jesu Christi mortem, & ex mortuis resurrectionem annuntiamus, ejusdemque in cælum assumptionem confitemur; incruentum in Ecclesia Sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificati: utpote Sacræ Carnis & Pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris participes facti. Neque enim illam ut carnem communem sumimus: absit hoc; neque rursum tamquam viri cujuspiam sanctificati, aut dignitatis tantum qualitate Verbo consociati, aut divinam inhabitationem sortiti: Sed tamquam vere vivificam, ipsiusque Verbi propriam. Nam cum vita sit ut Deus secundum naturam, simul atque unum quiddam cum ipsa sua carne effectum est, mox vivificandi virtutem illi contulit. Quamvis ergo ad nos dicat:* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, *&c. Neutiquam tamen illam communem, hoc est, hominis cujuspiam nostræ conditionis carnem esse existimare debemus [quomodo enim hominis caro secundum suam ipsius naturam vivifica esse queat?] Sed vere illius propriam, qui nostri causa filius hominis & factus, & appellatus est:* Eucharistia, secundum Sanctum Cyrillum, *Incruentum Sacrificium est.*

Eucharistia incruentum Sacrificium.

Cum Eucharistiam sumimus, carnem Christi propriam, & vere vivificam sumimus.

Cum eam sumimus, non carnis typicæ, sed *vere vivificæ*, adeoque *ipsius Verbi propriæ participes sumus*, ipsamque *sumimus*; quod verbum nusquam adhibetur ad actum spiritalem significandum. Non enim dicitur sumere Philosophiam, qui Philosophiæ animum adjungit: Non dicitur sumere passionem & mortem Christi, qui illam meditatur. Hoc itaque verbo significat *Sanctus Cyrillus* corpoream manducationem.

Eadem doctrina de carne Domini vivifica ipsiusque Verbi propria traditur a *S. Cyrillo*, & a Synodo laudata, Anathematismo 11. contra *Nestorium*, in cujus Declaratione Sanctus Patriarcha hæc habet: *Sanctum ac vivificum incruentumque in Ecclesiis Sacrificium peragimus: Corpus quod proponitur, similiter & pretiosum Sanguinem, non communis, nobisque similis hominis cujuspiam esse credentes, sed potius tamquam proprium corpus effectum, & sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes. Siquidem communis caro vivificare non potest. Et hoc Salvator ipse testatum facit:* „Caro, *inquiens*, non prodest „ quidquam; Spiritus est qui vivificat. *Quia enim caro Verbi facta est propria, ob id intelligitur & est vivifica; quemadmodum ipse Salvator ait:* „ Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: „ & qui manducat me, & ipse vivet propter me. *Cum igitur Nestorius & juxta illum sentientes, Mysterii hujus virtutem temere dissolvant; propterea, & id quidem admodum convenienter, editus est hic Anathematismus.* Sanctum ac vivificum, incruentumque in Ecclesia Sacrificium peragi *S. Cyrillus* agnoscit, illudque Eucharistiam esse docet quod Calvinistæ negant. Secundo, affirmat corpus propositum atque jacens in altari σῶμα τὸ προκείμενον nobis credi & accipi *tamquam proprium Corpus effectum & Sanguinem Verbi omnia vivificantis.* Non ait Corpus Christi e summo cœlo virtutem suam in panem diffundere. Tertio Eucharistiam vivificare docet, quia caro Christi est vivifica, ipsiusque Verbi propria. Quæ consecutio in sententia Calvinistarum nullatenus necessaria est; siquidem supposita virtute illa carnis Christi vivifica, ipsis adhuc probandum superest Christum vim illam pani communicare voluisse. Quarto hic anathematismus contra *Nestorium* editus est, qui Eucharistiæ virtutem destruebat, carnem Christi Verbo hypostatice unitam esse negans. Sic autem illum urgebat *Sanctus Cyrillus*: Si natura humana Christi non est personaliter unita Verbo, Corpus & Sanguis quæ in Sacrificio Eucharistiæ nobis proponuntur, non sunt proprium Corpus & Sanguis Verbi, quod omnia vivificat; sed hominis communis, ac proinde humanitatem nudam & simplicem in Eucharistia sumimus, non divinitatem Christi, quæ per se manducari non potest. *Nestorius* ergo duas naturas Christi separans, Eucharistiæ adimit vivificandi vim, ac propterea anathemate dignus est. Hæc vis ratiocinii *S. Cyrilli*, aliorumque Patrum Alexandrinæ Synodi, quam approbavit Ephesina Œcumenica. Porro si de manducatione spirituali dumtaxat verba Salvatoris, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, &c.* S. Cy-

rillus & Alexandrini atque Ephesini Patres intellexissent, elumbe fuisset ipsorum argumentum contra *Nestorium* qui facile respondisset, & recte quidem, Eucharistiam nihilominus habere vivificandi vim, quia fides simul in Christi Corpus, & in Verbum inhabitans ferri poterat: siquidem intellectus relativa simul apprehendit: at inter hominem Christum & Verbum relationem admittebat *Nestorius*: tamquam inter Templum, & inhabitantem in eo: Quidni igitur dicere potuisset, in Eucharistia non solam communis hominis carnem; sed ipsam divinitatem *κατὰ Σχέσιν* conjunctam ore fidei manducari, & Eucharistiam spiritalis hujus manducationis ratione vivificare? Quinto *S. Cyrillus* in Apologetico pro 12. Capitulis adversus Orientales in defensione undecimi, hoc *Nestorii* argumentum affert. Christianos in Eucharistia carnem Christi manducare, non vero ipsius divinitatem, quoniam divinitas edi non potest. *Quid edamus* (inquiebat) *Divinitatem ne an carnem? Nam dixit* Christus: *Qui manducat meam divinitatem, & bibit meam divinitatem? Qui manducat meam Carnem, inquit, & bibit meam Sanguinem, in me manet & ego in eo*. Et inde colligebat, duas naturas Christi esse personaliter separatas. Respondet autem S. Cyrillus: *An vero qui visibilem illum, tamquam alium quemdam esse Filium & Christum præter illud ex Deo Verbum asserit, cui etiam soli missionis & Apostolatus munus tribuerit, non is nostrum mysterium anthropophagiam efficit, eam ad exoletas cogitationes mentem Fidelium nefarie perducat, eaque humanis subjicere rationibus conetur quæ sola & indubia fide capiantur? Neque enim quia minime editur divinitatis natura, propterea commune dixerit quispiam Sanctum Christi Corpus. Scire autem operæ pretium est, quod, sicut supra diximus, proprium est Corpus ejus Verbi, quod omnia vivificat. Quoniam autem est corpus vitæ, vivificum est: Propterea namque mortalibus nostris corporibus largitur vitam, & mortis imperium evacuat*. Tum objectio *Nestorii*, cum responsio *S. Cyrilli*, realem propri Corporis Christi in Eucharistia præsentiam ab utroque creditam fuisse supponunt, & pro principio ac fundamento indubitato positam. *Nestorius* argumentabatur, quandoquidem humanitas absque divinitate sumi poterat, eas personaliter esse separatas. De sumptione & manducatione orali & corporea ipsum loquutum fuisse certum est. Non enim tam obtusi erat ingenii, & in disciplinis tam infœliciter versatus, ut nesciret intellectum separare posse res conjunctim subsistentes: Nec *S. Cyrillus* id regerere omisisset. Ajebat *Nestorius*, Divinitatem non manducari; sed carnem tantum: *S. Cyrillus* annuebat. De qua manducatione loquebantur? Fidei, an oris? Primum præter omnem veri speciem est. Numquid enim negabant in Deum credi, & divinitatem esse verum contemplationis, & manducationis intellectualis objectum? Præterea S. Cyrillus Nestorium arguebat, quod humanam Christi naturam Verbo personaliter unitam esse negans, *Mysterium nostrum*, id est, Eucharistiam, *anthropophagiam efficeret*. Manducationem itaque oralem Carnis Christi uterque admittebat: Siquidem hæc sola manducationis species anthropophagiam constituit. Nestorium insectatur *Sanctus Cyrillus* quod *ea humanis subjicere rationibus conetur, quæ sola & indubia fide capiuntur*: Quomodo scilicet non edatur divinitatis natura, edatur vero Christi Corpus, & tamen non sit commune, sed Verbi omnia vivificantis proprium. At istud non fugisset humanam rationem, si de spirituali dumtaxat manducatione sermo fuisset; cum palam sit, mentis fideique oculos in Christi humanitatem & divinitatem, vel simul, vel conjunctim intendi posse. Denique docet *S. Cyrillus*, Corpus Christi vivificum esse, quia est *Corpus Vitæ Verbique quod omnia vivificat proprium & propterea mortalibus nostris corporibus largiri vitam*. (Sane si per vim & efficaciam quamdam separatam a Christi corpore, & derivatam in panem, nos vivificari *S. Cyrillus* existimasset, hujus virtutis & efficaciæ hic meminisse debuerat.

Albertini Objectioni ex S. Cyrillo sumpta respondetur.

III. Objicit *Albertinus*, Cyrillum post verba laudata continenter subdere. *Vivificat autem nos æquali modo & Sanctus Spiritus Christi: Spiritus enim est qui vivificat, secundum ejusdem Salvatoris vocem*: Docet enim his verbis nos secundum eumdem modum vivificari per Corpus Christi, & per Spiritum, seu divinitatem Christi. Minime autem intelligit nos vivificari per substantiæ Spiritus in corporibus nostris habitationem; sed tantummodo vult nos vivificari per virtutis ipsius participationem: similiter ergo non intelligit, Corpus Christi per substantiæ suæ, sed per virtutis contactum corporibus nostris vitam tribuere.

Respondeo, hæc verba, *æquali modo*, aut *secundum eumdem modum*, non significare paritatem omnimodam, sed aliquam dumtaxat. Æqualitas in eo posita est, quod ut Spiritus Sanctus nos vivificat per realem in animabus nostris præsentiam & personalem inhabitationem, non per solam sui Numinis virtutem & efficaciam (ut *Albertinus* falso supponit) siquidem *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*; & in Justorum corporibus etiam singulari quadam ratione realiter præsens est; siquidem *Membra nostra templa sunt Spiritus Sancti*: Pariter Corpus Christi *mortalibus corporibus nostris largitur vitam*, quia realiter & secundum substantiam in nobis præsens est & corporibus nostris, *quodammodo commiscetur*, ut cera ceræ conjuncta, & fermentum toti massæ; ut ait idem Pater lib. 4. in *Joannem*: quem locum §. I. adduximus. At discrimen in eo est, quod Spiritus Sanctus a nobis non manducetur, nec ipsum organo corporeo recipiamus, quia edi non potest divinitas: Corpus vero Christi a nobis ore suscipiatur, & manducetur, & in nobis maneat Christus, non solum divino modo, verum etiam humano, ut ipse *Cyrillus* docet lib. 4. contra Nestorium, cap. 5. his verbis: *Quemadmodum vero vivificum est illud ipsius Verbi Corpus, quod sibi proprium fecit per veram unionem, quæ & intelligentiam, & sermonem superat; sic nos quoque qui illius Sancta Carnis & Sanguinis ejus participatione fruimur, omnino vivificamur, cum in nobis maneat Verbum, non solum divino modo, per Sanctum Spiritum, verum etiam humano, per sanctam illam Carnem, pretiosumque ejus Sanguinem*. Quod ubi Apostoli testimonio 1. *ad Corinthios* 10. confirmavit, statim subdit: *Participes namque Sancti Spiritus effecti, & ipsi omnium Salvatori Christo, & inter nos unimur: corporales etiam hoc modo sumus, quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus; omnes enim de uno pane participamus. Colligat namque nos ad unitatem Corpus Christi quod est in nobis, neque est ullo modo divisum*. Et infra: *Ac divinum quidem hoc esse Mysterium, participationemque ejus vivificam, & incruentæ hujus Hostiæ vim longe illo legali cultu præstantiorem, perfacile est videre, vel ab eo ipso, quod illa priscis hominibus sancita per Mosen, umbra dicantur, Christus vero, ejusque omnia, veritas appellantur ..... Edebant illi Veteres agnum immolatum; sed illa vis ejus esca non ad satietatem ventris tantummodo cedebat, neque ea de causa sacrificandi ritus secundum Legem servabatur; sed ut mortem in alios invadentem ipsi superarent, & Exterminatorem effugerent. Itaque nocte una interfecta sunt Ægyptiorum primogenita: illi vero nuda figura muniti, soli ab ea servabantur, & umbram auxilio habentes, etiam ipsa morte superiores evaserunt; Ergo conservabam ipsa figura eos qui ante nos fuerunt. Quanto igitur res nostræ sunt excellentiores, quibus ipsa Veritas, id est, Christus illuxit, sanctumque suum carnem ad participandam apposuit?* Mox prolatis ad hujus doctrinæ confirmationem Christi verbis *Joannis* 6. subdit: *Nam quia ex genere Israel nati de manna suppeditatione Mosis admirabantur, quod cum per desertum ejus temporis hominibus dimissum fuisset, typum gessit mysticæ benedictionis; umbra namque erat Lex; ideo prudenter admodum Dominus noster Jesus Christus typum extenuat, ut ad veritatem transferat. Neque enim, inquit, ille fuit panis vitæ, sed ego potius qui de cœlo sum, & omnia vivifico, & me in manducantes etiam per unitam mihi carnem insero. .... Vide igitur quemadmodum in nobis manet, & corruptionis victores efficit, dum se in nostra demittit corpora, ut dixi, etiam per suam carnem, quæ verus est cibus, cum illa Legalis umbra & cultus per ipsam institutus non habeat veritatem. Et Mysterii quidem ratio simplex est ac vera .... Credimus namque illud ex Deo Patre Verbum, cum se corpori per*

In nobis manet Christus non solum divino modo, sed etiam humano, per sanctam carnem & sanguinem suum.

Christus Eucharistiam sumentibus per carnem suam se inserit, & corruptionis victores efficit.

sanctum

sanctam Virginem edito, habentique rationalem animam, univit, quæ unio ineffabilis prorsus ac mystica fuit ipsum corpus reddidisse vivificum, quippe cum Verbum, utpote Deus, vita sit secundum naturam, ut nos non spirituali tantum, verumetiam corporali modo, sui participes effectos, corruptione præstantiores redderet, & evacuata per seipsum peccati lege in membris carnis posita, damnaret peccatum in carne. Huic loco nullus *Albertinus*, nullus *Blondellus*, nullus *Claudius* responderet. Carnem Christi in Eucharistia nobis *ad participandum opponi* S. Cyrillus docet; *Verbumque in nobis manere, non solum divino modo per Sanctum Spiritum, verum etiam humano, per sanctum illam carnem, pretiosumque ejus sanguinem.* Corpus, inquam, illud *ex Virgine editum Verbo unitum unione ineffabili*, ac *vivificum redditum*, Christus *in nostra corpora demittit*, ut *non spirituali tantum, verumetiam corporali modo, sui participes efficiat*. Ista ne de manducatione dumtaxat spiritali dici possunt? Num Christus se demittit in eorum corpora, qui carnis ejus mysteria meditantur? Num contemplatio carnis Christi facit ut in nobis maneat humano modo, & ut non spiritali tantum, verumetiam corporali modo, simus ipsius partici es? Inepte ergo *Albertinus* respondet, *S. Cyrillum*, cum *Nestorio* objicit quod personalem carnis Christi unionem cum Verbo negans, anthropophagiam in Mysterium nostrum induxerit, per anthropophagiam non designasse modum manducationis, id est, manducationem oralem substantiæ Corporis Christi; sed designare naturam & conditionem objecti quod manducatur, nimirum simplicis hominis. Quibus enim vocabulis rogo te, quisquis Calvinianam causam agis manducationis modus expressius, luculentius & clarius designari potest, quam, istis? *Ut nos non spiritali tantum, verumetiam corporali modo sui participes effectos, corruptione præstantiores redderet . . . Sanctam suam carnem nobis ad participandum apposuit . . . Cum in nobis maneat Verbum, non solum divino modo, per Sanctum Spiritum, verumetiam humano per sanctam carnem, pretiosumque sanguinem.* Quod autem non solum figuram & virtutem carnis & Sanguinis Christi in Eucharistia contineri & a nobis recipi & manducari *S. Cyrillus* senserit, sed veram ejus carnem & sanguinem, non minus luculenter ac diserte probat iste locus. *Vivificum enim ipsius Verbi corpus, quod sibi quasi proprium fecit per veram unionem*, non est corpus typicum dumtaxat, seu figura Corporis Christi virtute repleta. Præterea Eucharistiam cum manna & cum Agno Paschali comparat *S. Cyrillus*, ut veritatem cum figuris: Cum igitur & figuræ essent, & quamdam haberent efficaciam, ut *S. Cyrillus* agnoscit, siquidem a morte servabantur Israelitæ qui Agnum Paschalem immolarant: Eucharistiam aliquid amplius ac præstantius continere *S. Cyrillus* & sensit & docuit, scilicet propriam Christi carnem. Adde, quod virtutis separatæ communicatio non esset fundamentum asserendi *Christum in manducantes per unitam sibi carnem se inserere*.

Realis Christi manducatio ex S. Cyrillo confirmatur.

IV. Aliud rursus invictissimum ad realem Carnis Christi manducationem comprobandam argumentum ex eodem *S. Cyrilli* libro desumitur. Sic enim urget Nestorium: *Exigua est igitur incruenta Hostiæ utilitas, quia nimirum fas non est ut simul cum carne etiam divinitatis natura consumatur; neque eo obtinemus quæ sunt impossibilia, ut ipsa incorporea natura nuda vescamur. Sed oblitus mihi videris haud naturam divinitatis, id esse quod in sanctis Ecclesiarum Mensis proponitur, sed proprium corpus Verbi ex Patre geniti, quod Verbum ex natura & vere Deus est.* Quod in sanctis Ecclesiarum Mensis proponitur, manducamus eo manducationis genere cujus res incorporeæ, & ipsa maxime divinitas, objecta esse non possunt, sed proprium corpus Verbi ex Patre geniti in sacris Mensis proponitur; ergo proprium Corpus Verbi ex Patre geniti manducamus eo genere manducationis, cujus res incorporeæ, & ipsa maxime divinitas, objecta esse non possunt. Major & Minor sunt Sancti *Cyrilli*. Atqui manducatio cujus res incorporeæ, & maxime divinitas objecta esse non possunt, illa tantum est quæ fit organis corporis: Res enim incorporeæ, & ipsa quæ omnium arcem tenet divinitas, mente possunt concipi, & fide apprehendi, animaque nostra divinitate pascitur. Igitur proprium Corpus Verbi ex Patre geniti, ore corporis a nobis manducatur in Eucharistia, ideoque in ea realiter præsens est.

V. Respondet *Albertinus*, nihil prohibere quominus dici possit, utrumque illorum Cyrillum scilicet ac Nestorium, loqui de manducatione spirituali. Dicunt enim, inquit, divinitatem non posse a nobis edi, nec actu edi, tum quia per se sumpta, cum sanctissima sit, non possit esse cibus hominum in statu peccati adhuc constitutorum, immo illis adversa sit, tum quia non est objectum proprie a signis Sacramentalibus designatum; sed caro Christi pro nobis ad mortem data, sanguisque effusus.

Inanis Albertini responsio.

Verum hujus responsionis inanitas ex eo demonstratur, quod *S. Cyrillus* nullibi rationes illas proferat, quas ipsi *Albertinus* affingit, nec divinitatem propterea neget a nobis edi posse, quia sanctissima est, sed quia res incorporeæ manducari non possunt. *Nimirum fas non est ut simul cum carne etiam divinitatis natura consumatur. Neque ea obtinemus quæ sunt impossibilia, ut ipsa incorporea natura nuda vescamur.* Et cap. 5. *Se missum dicens ipsum Dei Verbum*, Et qui manducat me, *inquit*, & ipse vivet. *Manducamus autem nos, non quod ipsam divinitatem consumamus [avage ab ista impietate] sed illam propriam Verbi carnem jam vivificam effectam, quia ejus facta est qui propter Patrem vivit.* Ex quibus colligitur 1. Carnem Christi in Eucharistia non manducari tantum in signo; siquidem non minus signum divinitatis Christi, quam signum corporis ipsius comedi potest. Quamvis enim divinitas incorporea sit, ejus tamen signa corporea sunt & sensibilia. Colligitur 2. Carnem Christi per solam virtutis ipsius in animabus nostris receptionem non manducari: quia divinitas pariter manducari per virtutis illius in nobis susceptionem potest. Et cum Spiritus Sancti virtutem nos recipere Scriptura Sacra & Patres testentur, dici posset nos manducare Spiritum Sanctum; quæ locutio insolens & absurda est. Colligitur 3. Carnem Christi in Eucharistia nobis manducandam non apponi sola manducatione spirituali, quæ per fidem est: cum divinitas Patris, Filii & Spiritus Sancti æque hujus manducationis objectum esse possit, ac Christi Corpus. De manducatione itaque reali proprii Corporis Christi, vere uniti Verbo, & per ipsum vivifici effecti, loquitur S. Cyrillus. Sane divinitatem Christi spiritualiter manducari, non minus quam ejus carnem, quamvis ipsa ut carne vestita cibus sit nobis magis proportionatus; per se autem & absque carne cibus sit Angelorum, S. Augustinus diserte etiam docet in Psalmum 34. his verbis: *Christus in corpore & sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius.* In principio erat Verbum. *Ecce cibus sempiternus; sed manducant Angeli, manducant cælestes Spiritus, & manducant, & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut Mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans; sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ & lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos Sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Nisi Christus esset humilis, non manducaretur, nec biberetur.

VI. Sed ut ad *S. Cyrillum* redeamus, Catholicam de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia doctrinam rursus ille confirmat lib. 10. in Joannem, pag. 862. ubi non solum recta fide & sincero charitatis affectu nos Christo spiritaliter conjunctos esse ostendit, sed corporaliter, idque negantes hæreticos a Sacris Literis dissentire. *Dicat enim nobis aliquis* (inquit) *causam, & vim Eulogiæ Mysticæ obiter doceat: Nam cur in nobis inferitur? Nonne ut Christum inhabitare faciat in nobis etiam corporaliter*

Novo Catholici dogmatis ex S. Cyrillo confirmatio.

Christus per Eucharistiam in nobis habitat, non solum secundum relationem affectus, sed secundum participationem naturalem.

raliter, participatione & communione sancta sua carnis? Praeclare quidem: scribit enim Paulus, Gentes factas esse concorporales, & comparticipes, & coheredes Christi. *Concorporales autem quonam modo facti sunt? Nempe Eulogia mystica participatione honorata, unum cum eo facta sunt corpus, sicut & unusquisque Sanctorum Apostolorum. Alioqui quam ob causam sua, immo omnium membra sicuti sua, membra Christi nuncupavit? ... Sed Servator ipse:* „Qui manducat meam carnem, *inquit*, & bibit meum sanguinem, „in me manet & ego in illo. *Hic enim animadvertere est operae pretium, Christum non dicere se duntaxat in nobis futurum secundum relationem quamdam affectualem, sed & per participationem naturalem. Ut enim si quis ceram cera implicitam igne simul liquefecerit, unum quid ex ambobus efficit; ita per corporis Christi, & pretiosi sanguinis participationem ipse quidem in nobis, nos autem rursus in eo simul unimur. Nec enim aliter vivificari potest quod natura sua est corruptibile, quam si corporaliter unitum sit corpori ejus, qui secundum naturam suam est Vita, hoc est, Unigeniti.* Christum per Eucharistiam in nobis esse docet, non solum per rectam fidem & sinceram caritatem, sed *corporaliter, non solum secundum relationem quamdam affectus, sed & per participationem naturalem.* At si spiritaliter duntaxat verum Christi Corpus in Eucharistia manducamus, & sanguinem bibimus, non est in nobis corporaliter & per participationem naturalem, sed solum spiritaliter. Itaque *S. Cyrillus* credidit & docuit, Corpus & Sanguinem Christi non spiritaliter duntaxat & ore fidei, sed ore corporis in Eucharistia manducari & bibi.

Inanes Albertini evasiones.

Respondet *Albertinus*, intelligere quidem *Cyrillum* corpus Dominicum per Eucharistiam corporibus nostris realiter inhabitare; sed realitatem illam, seu inhabitationis modum nolle esse substantialem, verum tantum virtualem: quia videlicet panem benedictione consecratum & sanctificatum, & in Dominicae carnis efficaciam mutatum corporaliter sumentes, eo pacto quoque carnem ipsam Dominicam, secundum virtutem ejus realiter accipimus & corporaliter.

Contra *S. Cyrillus* Christum in nobis per Eucharistiam habitare docet *corporaliter, & per participationem naturalem*; sed virtus separato, & pani per consecrationem indita, non efficere ut Christus in nobis esset *corporaliter & per participationem naturalem*; quia virtus illa & efficacia spiritalis esset, ut Sacramentorum virtus caeterorum; non enim esset virtus e carne Christi physice derivata, & a summo coelo in panem emissa: quomodo igitur Christum in nobis *corporaliter & per participationem naturalem*, praesentem exhiberet? Praeterea, comparatio *S. Cyrilli* virtualem duntaxat inhabitationis modum non designat. Nam cera cerae implicita, & simul liquefacta cum ipsa non fit una sola unione virtutis, sed substantiae. Et quamvis postulandum non sit ut comparationes in omnibus sint accuratae, esse tamen absurdae non debent, nec tales a viris ingenio, eruditione, & judicio praestantibus adhibentur. Non-ne vero absurda foret comparatio illa, cujus hic esset sensus; Quemadmodum si quis ceram cerae implicuerit, & simul liquefecerit, unum quid ex ambabus efficit, ita per participationem figurae Corporis & Sanguinis Christi, fit ut secundum virtutem sit in nobis. Tertio *S. Cyrillus* aliter nos vivificari posse negat, qui natura corruptibiles sumus, quam si *corporaliter uniti simus corpori Unigeniti, qui secundum naturam suam vita est*. Non ait, Unionem illam fieri per corpus interjacens scilicet per panem, in quem virtus Corporis Christi ex summo Coelo illabatur. Quod tamen dicere necesse fuisset, cum id facile non veniat in mentem, nec facile intelligi queat.

Frustra vero profert *Albertinus* loca quaedam SS. *Chrysostomi*, *Isidori Pelusiotae*, & *Leonis*, qui post Apostolum docent, nos *concorporales* Christo, ac unum cum illo corpus fieri per Baptismum; & ipsius *S. Cyrilli* qui nos per fidem in Christo *concorporales* fieri asserit: cum tamen non aliter in baptismo quam in signo & efficacia Christo conjungamur, nec per fidem Corpus Dominicum quoad substantiam & proprie contingamus. Frustra, inquam, *Albertinus* haec loca profert, cum hujusmodi locutiones nequaquam Cyrillianis similes sint: non enim affirmant illi Patres, Christum per Baptismum in nobis esse *per participationem naturalem*, Christum per Baptismum *Corpus suum ex Virgine editum in nostra corpora demittere, sanctam suam carnem in Baptismo, participandam nobis apponere, non solum divino modo per Spiritum Sanctum, verumetiam humano per sanctam carnem, pretiosumque sanguinem*, in baptizatis manere, etsi ad sacram Mensam non accedant: Christum in baptismo per carnem suam nobis *commisceri*, &c. Unde satis perspicuum est, ipsos virtutem duntaxat inserendi nos corpori Christi mystico, baptismo tribuere; in Eucharistia vero praesentiam realem & substantialem Corporis & Sanguinis Christi, eorumque oralem manducationem, & potationem *S. Cyrillum* agnovisse ac docuisse.

Objectiones Albertini ex S. Cyrillo petitae solvuntur.

Objicit *Albertinus* verba *S. Cyrilli* lib. 12. in Joannem dicentis: *Quod Mystica Eulogia communio, confessio quaedam sit Resurrectionis Christi, manifestum facile fiet ex iis quae ipse dixit, cum Mysterii typum per se perfecisset. Nam panem cum fregisset, ut scriptum est, distribuit dicens: Hoc est Corpus meum.* Si quod Dominus perfecerat, cum diceret, *Hoc est Corpus meum*, erat *typus Mysterii*, hoc est, *typus corporis*, non erat igitur proprie ipsum corpus.

Respondeo primo, quaerendo qua jure Albertinus *typum mysterii* idem esse interpretetur ac *typum corporis*? Non-ne potius typum mortis & resurrectionis suae perfecisse Christum *Cyrillus* intellexit, cum primum confecit Sacramentum; *illius*, inquam Mysterii, sive Mysteriorum, quorum ipsamet Eucharistia confessio est, ut ipse ait: Quod enim Corporis Christi in coelis ad dexteram Patris sedentis figura *typus Mysterii* congrue vocetur, Albertinus non ostendet. Sed etsi typum Corporis Christi Eucharistiam a *Sancto Cyrillo* appellatam concesserim, non sequitur quod non sit proprie Christi corpus. Typi namque nomen pro nuda figura ab ipso usurpatum non esse, sed pro Sacramento realiter ipsam Christi carnem continente, tum alia ejus testimonia, cum hic ipse locus demonstrant. Explicans apparitionem Christi discipulis congregatis octava post Resurrectionem die, ait: *Justissimis itaque de causis sanctos Conventus in Ecclesiis agimus octava die: & cum arcanius quiddam effari oportet quod omnem intelligendi modum superat, fores quidem claudimus, sed supervenit & apparet Christus nobis omnibus, invisibiliter simul ac visibiliter: invisibiliter quidem ut Deus, visibiliter vero in Corpore. Permittit vero & dat sanctam Carnem suam tangendam. Accedimus enim secundum Dei gratiam ad participationem Eulogiae Mysticae, Christum in manus suscipientes, ut & nos firmiter credamus eum templum suum vere excitasse. Quod enim communio mystica Eulogia confessio quaedam sit Resurrectionis Christi, facile patebit, &c.*

Christus Fidelibus in Ecclesiis octava die congregatis permittit, & dat sanctam carnem suam tangendam.

Objicit *Albertinus* verba *S. Cyrilli* lib. 4. in *Joannem*, pag. 365. dicentis: *Quemadmodum ergo Paulus ait:* Modicum fermentum totam massam fermentare: *Sic minima Eulogia totum nostrum corpus in se miscet, propriaque replet efficacia: atque ita Christus in nobis existit, & nos vicissim in ipso.* Annon manifestissime modum illum inexistendi proprii Corporis Christi, determinat & restringit ad efficaciam minimae Eulogiae inditam?

Respondeo, *S. Cyrillum* de efficacia & virtute separata a corpore Christi, & pani indita, non esse intelligendum, sed de virtute Corporis Christi in Eucharistia praesentis quam Eulogiae nomine indigitat, & minimam vocat ratione specierum, quibus Christi corpus velatum est: sicut homo indutus dicitur, non per se & secundum substantiam suam, sed ratione vestium corpori suo adjacentium & circumpositarum. Sane Eulogiam esse carnem ipsam Christi, non panem cui sola insit ejus efficacia, *S. Cyrillus* diserte asserit lib. 4. in *Joannem*, cum ait: *Per Eulogiam ipsum in nobis suscipimus Filium.... Eulogiae particeps fiant, credent eam non mortis solum, verumetiam morborum nostrorum depellendorum vi pollere. Christus enim existens in nobis, sopit saevientem in membris nostris carnis legem..... Quod si solo tactu sanctae carnis id quod corruptum est, vivificatur, quomodo*

Christus per Eucharistiam existens in nobis, sopit saevientem in membris nostris carnis legem.

modo

modo vivificam illam Eulogiam non uberiorem consequemur, cum eam quoque degustabimus? Ia suum enim ipsius bonum, hoc est, immortalitatem, nos qui participes ejus fuerimus, omnino transformabit. Illud cujus immortalitas proprium bonum est, nemo panem esse dixerit, sed verum & proprium Christi Corpus.

Et lib. 11. *Est enim in nobis Filius, corporaliter quidem ut homo, nobiscum commixtus & unitus per Eulogiam Mysticam: spiritaliter autem ut Deus, sui Spiritus virtute & gratia, Spiritum, qui in nobis est, instaurans ad novitatem vitæ*, &c. *Consummati ergo sumus in unitatem cum Deo ac Patre Christo mediante. Suscipiendo quippe in nobis, & corporaliter & spiritualiter, eum qui natura & vere Filius est, qui substantialem cum eo habet unionem, supremæ naturæ participes & consortes facti glorificati sumus.*

Dei Filius in nobis est spiritualiter & corporaliter per Eucharistiam. Seipsum nobis Viaticum præbet.

Et lib. 7. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, pag. 231. *Salvator*, inquit, *cum nos liberos dimisisset, id est a peccatis liberasset, & adoptionis gratia decorasset, præclarum nobis viaticum seipsum adjecit ut immaculata Hostia, largitusque ut vivifica Eulogia, id est, sanctæ suæ carnis ac sanguinis participes essemus.*

Denique Homilia *De Cœna Mystica*, hanc veritatem luculenter confirmat his verbis: *Dei ac Patris illa subsistens Sapientia corpus suum ut panem distribuit, & vivificum suum sanguinem tamquam vinum propinat.* Si significare voluisset *S. Cyrillus* Christum panem Apostolis dedisse in Eucharistia, secundum naturam nequaquam mutatum; sed sola corporis sui efficacia repletum, non dixisset ipsum corpus suum ut panem distribuisse, & vivificum suum sanguinem tamquam vinum propinasse, sed potius dedisse panem tamquam suum corpus, & vinum tamquam vivificum sanguinem. *O tremendum Mysterium! o bonitatem non vestigabilem! Opifex operi se se fruendum proponit, ipsamet vita mortalibus se edendam bibendamque largitur: Venite comedite corpus meum, hortatur, & bibite vinum quod miscui vobis. Ego me ipsum in cibum praparavi, ego me ipsum cupientibus miscui....... Is qui typice manducatus est in Ægypto, hic ultro seipsum immolat, comestaque figura, seu typicorum consummator veritatem ostendit, ipse seipsum cibum vitæ statim proponens.* Hæc *S. Cyrillus*. Ex quibus omnibus perspicuum est, ipsum Eulogiam mysticam a Corpore & Sanguine Christi vero & proprio non distinxisse.

Opifex operi se fruendum proponit.

Qui typice manducatus est in Ægypto, Eucharistia se ipsum dat cibum vitæ.

ARTICULUS XXII.

THEODOTUS ANCYRANUS, & PROCLUS CONSTANTINOPOLITANUS, Realis Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia testes.

I. THeodotus Episcopus Ancyranus, unus ex Ephesinæ Synodi Patribus, dogma Catholicum de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia non obscure confirmat, in Oratione quam habuit *De nativitate Christi*, in ipsa Synodo Ephesina: *Iste*, inquit de Christo Salvatore, *qui tunc ineffabili virtute Magos ad pietatem traxit, & tunc splendidam hanc Festivitatem hodie convocavit, non adhuc in præsepi positus, sed in hac salutari Mensa est propositus. Illud namque præsepe mater factum est hujus Mensæ. Propterea in illo est positus, ut in ista edatur, & Fidelibus fiat salutaris cibus. Et præsepe quidem hanc claram Mensam designavit.* Antithesis illa inter præsepe in quo Christus positus est, & altare in quo propositus ut edatur, manifeste indicat, Christi Corpus quod in altari proponitur, illud ipsum esse secundum substantiam, quod olim in præsepi jacuit, idque credidisse *Theodotum* Ancyranum, totamque Ecclesiam, quam Synodus Ephesina repræsentabat.

Christi præsepe mater factum est Eucharistica Mensa.

II. Idem probat *S. Procli* Patriarchæ Constantinopolitani authoritas in Traditione divinæ Liturgiæ, dicentis: *Per has preces expectabant adventum Spiritus Sancti ut sacra sua præsentia panem ad liturgiam propositum, & vinum aqua mixtum, efficeret ac redderet ipsum illud Corpus & Sanguinem Salvatoris nostri Jesu Christi.* Sane statuam Regis nemo dixerit esse corpus ipsum Regis: nemo dixerit corpus ipsum Solis esse in visceribus terræ, ut ibi aurum procreet, quia eousque virtus ejus penetrat. Circumcisionem esse ipsum fœdus, ipsam fidem, ipsam justitiam, Patres nusquam dixere, ut signum esse fœderis, fidei, & justitiæ significarent. Nemo petram deserti esse ipsum Christum, Agnum Paschalem fuisse carnem ipsam Christi, Baptisma esse ipsum Christi Sanguinem, Chrisma esse ipsum Spiritum Sanctum, scripsit ac docuit: neque id nisi absurde dici posset, cum pronomen, *ipsum*, identitatem affirmet, quæ de signo & re significata asseri non potest.

Panis fit ipsum corpus Salvatoris.

ARTICULUS XXIII.

S. LEO MAGNUS Causæ Catholicæ aperte patrocinatur.

PErspicuus in rem nostram locus legitur in Epistola quam ad Clerum & Plebem Constantinopolitanam scripsit, quæ in editione *Quenellii* 46. in aliis 23. numeratur; in qua contra Eutychianos sic disputat: *In quo hactenus desidiæ torpore jacuere, ut nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas Corporis & Sanguinis Christi inter communionis Sacramenta taceatur? Quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumitur: ut accipientes virtutem cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.* Eutychiani veritatem carnis in Christo post Resurrectionem negabant, eam a divinitate absorptam asserentes. *Sanctus Leo* ipsos refellit argumento ducto ab Eucharistia, in qua veritatem corporis & sanguinis Christi recipere Fideles omnes profitentur, ad verba Sacerdotis dicentis, *Corpus Christi, & Sanguis Christi*, respondentes, *Amen*, hoc est, *Verum est*. Quod enim vel ipsi infantes tunc profitebantur, non erat solum Filium Dei veram carnem assumpsisse, & eam in cœlum intulisse, quod in Symbolo Apostolico ante Baptismum sibi tradito jam professi erant; sed fidem profitebantur hujus quod percipiebant Sacramenti, in quo *Veritatem Corporis & Sanguinis Christi* contineri credebant, & in mystica illa distributione spiritalis alimoniæ contestabantur. Si de carne typica & symbolica *S. Leo* intellexisset, nihil conclusisset contra Eutychianos, qui respondissent, in Christo post Resurrectionem & in ipsa Ascensione, solam fuisse speciem ac figuram carnis, non veram ac propriam carnem, sicut in Eucharistia non esse veram Christi carnem, sed ejus signum dumtaxat, *Leo* cum tota Ecclesia tunc temporis professus fuisset. Inane enim est quod reponit *Albertinus*, Catholicos recte argumentatos a carne typica & symbolica ad veram & propriam carnem, quia oportet imaginis esse archetypum. Satis enim esse ut archetypum aliquando fuerit Eutychiani respondissent: porro Christum veram carnem habuisse ante resurrectionem, aut certe ex vera carne compositum in ipsa naturarum unitione, quamvis post unitionem in unam naturam coaluerint, & humana a divina absorpta sit. Dixissent, figuras carnis Christi exhibitas fuisse in Veteri Testamento, antequam Verbum carnem assumpsisset; adeoque non repugnare, ut detur figura carnis Christi, licet amplius nulla sit, sed in Deitatis naturam transierit. Clarius adhuc mentem suam explicat Sanctissimus Pontifex Sermone 6. de Jejunio septimi Mensis. *Tunc*, inquit, *& Sacrificii munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando ii qui ista dependunt, quod operantur intelligunt. Nam dicente Domino*: „ Nisi „ manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis „ ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: *Sic sacræ Mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate Corporis & Sanguinis Christi ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis, Amen, respondetur, a quibus contra id quod accipitur, disputatur.* Ref-

Christiani respondentes, AMEN, *veritatem Corporis & Sanguinis se recipere profitebantur in sacra Mensa.*

Respondet *Albertinus*, mentem *Leonis* haud esse, dubitandum non esse de veritate præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in sacra Mensa, sed dubitandum non esse de veritate essentiæ corporis & sanguinis Christi in se; ac illum id tantum velle, eos qui veritatem corporis & sanguinis Christi in dubium revocant, Eucharistiæ Sacramento injuria communicare. Nam cum Eucharistia instituta sit in signum ac imaginem corporis & sanguinis Christi, imagoque necessario archetypum præsupponat, stultum ac ineptum est Eucharistiam recipere, & tamen negare Christum veram carnem, verumque sanguinem habere.

Contra. Non est dubitandum hoc ore sumi secundum *S. Leonem*, quod fide creditur: atqui fide creditur veritas corporis & sanguinis Christi, contra quam Eutychiani disputabant: ergo veritas corporis & sanguinis Christi in Eucharistia ore sumitur.

Sanguis redemptionis nostræ in Eucharistia hauritur.

Denique *S. Leo* sanguinem redemptionis nostræ in Eucharistia hauriri docet etiam ab iniquis & infidelibus. At sanguis redemptionis nostræ non est typicus, sed verus & proprius sanguis Christi, quem infideles spiritualiter & ore fidei non hauriunt: igitur *Sanctus Leo* docet verum & proprium Christi sanguinem hauriri in Eucharistia ore corporis. Sic loquitur Sermone 4. de Quadragesima, perstringens Manichæos: *Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse Mysteriis: ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum ne penitus latere non possint, ore indigno Christi corpus accipiant, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinent.*

ARTICULUS XXIV.

HESYCHII testimonio Dogma Catholicum confirmatur.

DUO proferuntur a Catholicis Tractatoribus hujus Authoris insignia testimonia; primum ex lib. 2. in *Leviticum*, ubi ait: *Est locus sanctus Altare, ibi enim Sanctus Sanctorum requiescit*. Sanctus Sanctorum Christus est, secundum Scripturam Sacram & Patres: ridiculum est enim quod *Albertinus* ait, illud, *Sanctus Sanctorum*, perinde esse ac si dixisset, *Sanctus panis Sanctorum*, id est, a Sanctis edendus. Addit paulo post Hesychius: *Quomodo in his non admiranda sit sapientia Spiritus? Nullam quippe dubietatem hujusmodi intellectui dereliquit, propterea carnes cum panibus comedi præcipiens, ut nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est, sicut Corpus Christi panis vivi qui de cœlo descendit. Propter quod Heliæ secundum Septuaginta editionem, carnes mane, panes autem vespere deferebant corvi superne, præfigurare hoc mysterium Domino volente, quod intus oportet in Ecclesia in loco sancto, id est, ad altare coqui & comedi, alibi vero nequaquam. Nisi enim Christus rogatus ore Sacerdotum ipse venerit, & cœnam sanctificaverit, & intinxerit ea quæ aguntur, nullatenus Sacrificium Dominicum fiunt*. Eucharistia, ex *Hesychio* simul panis & caro est, scilicet Corpus Christi, & panis vivus qui de cœlo descendit: ergo non est caro typica, sed vera Christi caro secundum substantiam. Præterea, Dona proposita Sacrificium Dominicum non fiunt, nisi Christus ipse venerit: ergo Christus in Sacrificio Altaris reipsa præsens est. Subdit Hesychius; *Sed hoc quod reliquum est de carnibus & panibus in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcumque remanere contigerit inconsumpta ...... Ergo ex hoc quod agitur sensibiliter, significatio cujusdam intelligibilis rei, eis qui intendunt, provenit: ut quando ad comestionem Sacrificii deficimus, & comedere illud integre non possumus, mente forsan lassescente, seu deficiente, utrum ea quæ videntur corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec Angeli possunt prospicere, non relinqui, sed etiam tradi ea oportet igni Spiritus, ut ea comedas, quæ nobis sunt ex infirmi-*

Eucharistiæ Corpus Domini, in quod nec Angeli possunt prospicere.

tate insibilia. Quomodo autem comedet? Cum cogitaverimus virtuti Spiritus esse possibilia, ea quæ nobis impossibilia videntur. Dubitationem gravissimam circa Eucharistiæ Mysterium naturaliter oriri docet Hesychius, *Utrum ea quæ videmus, Corpus Domini sint, in quod nec Angeli oculis possunt prospicere*. Corpus autem Domini in quod Angeli desiderant prospicere, non est figura aut efficacia dumtaxat divini corporis, sed ipsum corpus, ipsis secundum substantiam præsens: ergo dubitatio quæ oriri potest circa Eucharistiæ mysterium, non est utrum sit typus Dominici corporis, ejus efficacia repletus; sed utrum sit ipsum Domini corpus secundum substantiam. Hoc porro dubium igne Spiritus Sancti consumendum docet Hesychius, & *cogitandum, virtuti Spiritus esse possibilia ea, quæ nobis impossibilia videntur*. Hoc vero quid est, nisi credendum esse, quantumvis sensus & ratio repugnent, Eucharistiam esse corpus Domini quod Angeli vident, & simul esse carnem & panem, id est, Corpus Christi, & panem vivum qui de cœlo descendit.

Alius *Hesychii* locus legitur lib. 6. ubi exponens hæc Levitici verba: *Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem, & dabit sacerdoti*. Hæc Eucharistiæ accommodat, & docet his prohiberi, ne Eucharistia per ignorantiam edatur; ignorantiam vero illam esse, quod Eucharistia Corpus & Sanguis Christi vere sit; & quintam partem ei addendam ab illis qui per ignorantiam comedunt, esse considerationem verborum, *Hoc est Corpus meum*. Quæ efficit ut res mysticas & divinas intelligamus intelligibiliter, hoc est, non prout sensus illas vident: sed prout intellectus fide illustratus eas dignoscit. nosque liberat ab ignorantia, qua putemus ipsas esse id, quod sensibus nostris terrenis & carnalibus apparent, videlicet panem & vinum cum Corpus & Sanguis Christi sint. *Sancta Sanctorum*, inquit, *sunt proprie Christi Mysteria, quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad Virginem dicebat*:
„ Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Ideo quod nascetur ex te, Sanctum vocabitur Filius Dei. *Per ignorantiam autem percipit, qui virtutem ejus & dignitatem ignorat, qui nescit quia Corpus & Sanguis est secundum veritatem; sed Mysteria quidem percipit, nescit autem Mysteriorum virtutem. Ad quem Salomon dicit, vel magis Spiritus qui in eo est*: „ Quando sederis ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ posita sunt ante te: *Aperte & ipse compellens, & cogens eum qui ignorat, addere quintam partem. Hæc enim quinta intelligere nos intelligibiliter divina & mystica facit ..... Quinta super ipsum, sermo est qui prolatus est ab ipso Christo super Dominicum Mysterium. Ipse enim liberat nos ab ignorantia, removetque nos addiscere carnale quippiam & terrenum de Sanctis arbitrari ..... Quicumque erga sanctificata per ignorantiam comederit, ignorans eorum virtutem*, addet quintam super eo; & dabit Sacerdoti in Sanctuarium. *Sanctificationem enim Mystici Sacrificii, & a sensibilibus ad intelligibilia translationem, sive commutationem, ei qui verus est Sacerdos videlicet Christo oportet dari, id est, de eis miraculum credere & imputare, quia per ejus virtutem & prolatum ab eo verbum, quæ videntur tam sanctificata sunt, quam cunctum carnis excedunt sensum*. Corpus secundum quod Christum nasciturum de Virgine Gabriel nuntiavit, non est corpus typicum & virtute seu efficacia dumtaxat, sed verum, proprium, & substantiale corpus: sed Eucharistia est Christi corpus, secundum quod ipsum nasciturum de Virgine Gabriel nuntiavit, ut docet *Hesychius*: est itaque verum, proprium & substantiale Christi corpus, non figura sola Corporis Dominici virtute repleta. Secundo, quicumque *nescit* Eucharistiam esse *Corpus & Sanguinem* Christi *secundum veritatem*, illam per *ignorantiam percipit*, ex *Hesychio*: Sed qui censet Eucharistiam esse signum dumtaxat Corporis & Sanguinis Christi eorum virtute repletum, nescit esse Corpus & Sanguinem Christi secundum veritatem: igitur per ignorantiam percipit. Tertio, sermo qui ab ipso Christo prolatus est super Dominicum Mysterium, scilicet hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, liberat nos ab ignorantia,

quam

quam circa hoc Sacramentum incurrere possemus, & nos vetat aliquid terrenum de illo cogitare, ut docet *Hesychius*; Atqui verba ista Domini, *Hoc est Corpus meum* non vetant nos credere Eucharistiam esse Christi Corpus, cum hanc præ se ferant significationem: igitur fides realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia, non est ignorantia hujus Mysterii, neque terrena cogitatio, immo potius terrena cogitatio est, & ignorantia, a qua sermo ab ipso Christo super Dominicum Mysterium prolatus nos liberat, censere Eucharistiam esse terrenas panis & vini substantias. Quarto, Miraculum commutationis quæ fit in Eucharistia rerum sensibilium in intelligibiles; id est, quæ solo intellectu percipi possunt, Christo vero Sacerdoti imputandum est, secundum *Hesychium*. Quid autem est, amabo, mutatio illa rerum sensibilium in eas, quas sensus non attingunt, nisi conversio panis in substantiam Corporis & Sanguinis Christi?

Albertini objectionibus ex Hesychio petitis respondetur.

Objicit *Albertinus* verba *Hesychii* lib. 2. dicentis: *Ipse Dominus primus in cœna Mystica intelligibilem accepit Sanguinem, atque deinde Calicem Apostolis dedit*. Et paulo post: *Bibens ipse, & Apostolis bibere dans intelligibilem Sanguinem super altare videlicet Corpus suum effudit*. Per Sanguinem autem intelligibilem, eum non intelligere proprium Domini Sanguinem; sed Sanguinem mystico ac figurato sensu intellectum probat *Albertinus* ea voce, *intelligibilis*, qua non modo Veteres generatim, sed & ipsemet *Hesychius* numquam utuntur nisi aut ad designandum res pure immateriales, aut ad designandum res quæ proprie non sunt, sed figuratæ tantum; quod cum hujus epitheti adjectione esse dicuntur. Sic enim *Eusebius* sermones Dei, *panem intelligibilem*; Basilius fidem *os intelligibile*; Epiphanius *carnes intelligibiles & ossa intelligibilia* carnes & ossa allegorice sic nominata; Procopius *cibos intelligibiles*, spiritualem alimoniam; Diabolum *intelligibilem Pharaonem*; Ecclesiam *intelligibilem Sionem*; Chrysostomus *Christum lapidem intelligibilem*; Cyrillus *Ecclesiam intelligibilem sponsam*; Sic & ipse *Hesychius* Dominum appellat *Melchisedech intelligibilem*, *Mosen intelligibilem*, *Aaronem intelligibilem*, *Salomonem intelligibilem*, *agnum intelligibilem*, *propitiatorium intelligibile*; & Spiritum Sanctum *ignem intelligibilem*, & Apostolos *Levitas intelligibiles*, & hominem Christianum *Israelem intelligibilem*, &c. ac proinde cum *Hesychius* similiter dicat, Dominum primum in Cœna mystica *intelligibilem* accepisse *sanguinem*, sequitur invicte eum sanguinem figurate tantum sic indigitatum intelligere, hoc est vinum, Sanguinis Sacramentum.

Respondeo, Nomen istud, *intelligibile*, non modo res immateriales significare; sed quidquid solo intellectui percipi potest, non sensuum cognitione attingi. Unde si res materialis & corporea in eo ponatur statu, ut sola mente, sensibus nequaquam percipi queat, intelligibilis recte vocatur. Ita quamvis Christus vere sit Sacerdos quatenus homo, & ejus humanitas vero constet corpore, quia tamen a sensibus nostris omnino remotus est, vocatur ab Hesychio *intelligibilis Sacerdos*. Ad id vero quod objicit *Albertinus*, hanc vocem, *intelligibilis*, nisi rem immaterialem significet, semper adhiberi ad designandum rem quæ proprie non est; sed figurate tantum quod cum hujus Epitheti adjectione esse dicitur: Respondeo, id quidem verum esse, cum vox *intelligibilis*, applicatur signo & figuræ; tunc enim substantivi nominis significationem mutat, ipsumque trahit ad rem significatam designandam, ut in exemplis ab *Albertino* prolatis videre est. Sic vox, *Intelligibilis*, adjuncta pani, ipsum coercet ad significandum verbum Dei: ceu rem pane materiali designatam. Ita, quia Pharao diaboli figura est, Pharao intelligibilis est ipse diabolus per Pharaonem figuratus: Quia Melchisedech figura Christi est, Melchisedech intelligibilis est Christus ipse per Melchisedechum figuratus: & sic de cæteris. Sed si vox, *intelligibilis*, rei figuratæ adjungatur, ipsam non trahit ad figuram designandam, aut efficit ut metaphorice intelligatur, & pro signo ipso usurpetur. Sic Christus vocatur Moses intelligibilis, Aaron intelligibilis, Melchisedech intelligibilis, Salomon intelligibilis, propitiatorium intelligibile. Sed Moses, Aaron, Melchisedech, Salomon, propitiatorium, Christus intelligibilis non appellantur: Ecclesia est Sion intelligibilis, sed Ecclesia intelligibilis non est Sion terrena; Christianus est Israel intelligibilis, sed Christianus non est Israelita carnalis. Et ut uno verbo complectar omnia, vox *intelligibilis*, semper signis, numquam rebus figuratis adjungitur, quoties designat res quæ proprie non sunt: sed figurate tantum, ut docent exempla singula ab *Albertino*, magna, sed inutili diligentia conquisita. Itaque si *Hesychius* dixisset, Christum bibisse vinum intelligibile, vox, *intelligibilis*, adjuncta vino istud nomen metaphoricum faceret, vinumque pro re figurata, idest, pro Sanguine Christi, cujus figura est, ab *Hesychio* usurpatam nemo non fateretur. Verum cum vocem, *intelligibilis*, Sanguini junxerit, qui res figurata per vinum est, non figura vini, dicens, *Dominus intelligibilem accepit sanguinem*; vocem *Sanguis*, in propria significatione usurpavit, nihilque aliud voluit hoc loquendi modo, quam, Christum verum proprieque dictum sanguinem bibisse, qui tamen, prout in Sacramento contentus, intellectu tantum, non sensibus percipi posset. Ita respondet Vir Doctissimus Tomo 2. *De perpetua Ecclesiæ Fide circa Eucharistiam*, lib. 4. cap. 7.

Mos in aliquibus Ecclesiis olim usurpatus comburendi reliquias Eucharistiæ, cum species horrorem sumendi incutiebant, non officit fidei præsentiæ realis Corporis Christi.

Objicit *Albertinus*, Hesychium testari reliquias Eucharistiæ comburi consuevisse, idque manifeste innuere, illam non creditam fuisse proprie ac substantialiter Christi corpus esse. Quis enim credat, inquit, Veteres ipsissimum Domini corpus animatum & gloriosum vivicomburio quasi plectere voluisse.

Respondeo, Hoc argumentum nullius esse momenti, neque ex eo more in aliquibus Ecclesiis usurpato, comburendi quod reliquum erat ex Sacramento, colligi posse realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam creditam tunc non fuisse; cum post *Berengarii* damnationem eadem consuetudo adhuc aliquibus in locis servaretur, ut *Guitmundus & Algerus* testantur: nec tamen ipsissimum Domini corpus vivicomburio plectere se putabant, ut ridicule & impie loquitur Albertinus. *Sacramenti substantia*, (inquit *Guitmundus* lib. 2.) *nullatenus crematur, qualitates vero sensuales, quas ibidem post immutationem substantiæ Deus remanere altissimo consilio voluit, ostendunt quod suum est*. Et *Algerus* lib. item secundo, cap. 1. *Quod autem*, inquit, *etiam a religiosis incendio tradi, & ibi disparere dicuntur ipsæ Sacramentales species, non ad indignitatem Christi fit, quasi ignibus exurendus tradatur, quod impossibile est, cum sit omnium elementorum Deus: sed quoties aliqua talis indignitas ipsi Sacramento negligenter acciderit, ut horrorem sumendi incutiant ipsæ sensuales species, quas ibidem Deus altissimo suo consilio post mutationem suæ substantiæ remanere voluit, ignibus traduntur, ut ostendant quod suum est, deficiendo & disparendo sine omni fœditate in illo purissimo igne elemento.*

ARTICULUS XXV.

Author Homiliæ 5. de Paschate, Quæ EUSEBII EMISSENI nomine inscribitur, Præsentiam Realem Corporis Christi in Eucharistia, & Transsubstantiationem asserit.

VErba hujus Homiliæ adscribere satis erit: facile judicabit Lector quivis cordatus an sic loqui possit Author, qui Eucharistiam panem & vinum esse Corporis & Sanguinis Christi signa, eorumque virtute dumtaxat repleta senserit. *Qui corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris & sideribus illaturus, nobis Sacramentum Corporis sui consecravit, ut coleretur jugiter per Mysterium, quod semel offerebatur in pretium; ut quia quotidiana & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio, & perennis illa victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Vere unica & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu; sed interiori affectu. Unde merito cœlestis confirmat authoritas*, Quia

Caro

„ Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est „ potus. *Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum. Quandoquidem qui Author est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam Corporis & Sanguinis sui secreta potestate convertit, ita dicens :* „ Accipite & edite, „ Hoc est Corpus meum : *Et sanctificatione repetita,* „ Accipite & bibite, Hic est Sanguis meus. *Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum : pari potentia in spiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, & rei servit effectus....... Ad cognoscendum & percipiendum Sacrificium veri Corporis ipse te roboret, & potentia consecrantis invitet. Qui tunc latuit præfiguratus in Manna, fit tibi nunc manifestatus in gratia...... Corpus Sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto : Quod cum Ecclesia Fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis ...... Nec dubitet quisquam primarias creaturas, nutu potentia, præsentia Majestatis in Dominici Corporis transire posse naturam, cum ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordia Christi corpus effectum. Sicut autem quicumque ad fidem veniens ante verba Baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, his vero commemoratis, mox exuitur omni fæce peccati : ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, substantia illis est panis & vini ; post verba autem Christi, Corpus & Sanguis est Christi. Quid mirum autem est, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata convertere? Imma jam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo legitur condidisse, jam conditum in melius mutare valeat.*

Idem Author, Homilia in Ramis Palmarum, de eodem argumento sic loquitur. *Ecce Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, panem & vinum virtute ineffabili in sui Corporis & Sanguinis substantiam convertit. Sicut enim tunc & vivebat, & loquebatur, & tamen a Discipulis comedebatur, & bibebatur : ita & modo integer & incorruptus manet, & a Fidelibus suis in panis & vini Sacramento quotidie bibitur & manducatur. Nisi enim panis & vinum in ejus Carnem & Sanguinem verterentur, nunquam ipse corporaliter manducaretur & biberetur : Mutantur enim ista in illa ; comeduntur & bibuntur illa in istis : quod qualiter fiat, ipse solus novit, qui omnia potest, & omnia novit. Dixit enim tunc per se, dicit & modo per suos Ministros,* Hoc est Corpus meum : *Et tanta est ejus verbi virtus & efficacia, ut statim fiat quod dicitur. Similiter autem dum dicit,* Hic est Sanguis meus, *mox in ejus Sanguinem vinum convertitur ..... Hic, inquit, est Sanguis meus qui fundendus est, non alius iste, & alius ille ; sed unus idemque & iste & ille. Cens igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modo bibitis & videtis in Calice.*

ARTICULUS XXVI.

SS. GREGORIUS MAGNUS, & ISIDORUS HISPALENSIS, Catholico Dogmati de Reali Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia suffragantur.

I. S*Anctus Gregorius*, cui sanctitas & doctrina eximia, summæque dignitatis apex Magni cognomen dedit, libro quartu Dialogorum cap. 58. de Sacrificio Eucharistiæ sic loquitur : *Quis enim dubium habere possit, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi Mysterio, Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri.* Rerum invisibilium nomine Corpus & Sanguinem Christi ; visibilium Sacramentum intelligit, & ex utroque unum fieri substantia significat. Non enim de unione hominum & Angelorum, ut *Albertinus* ait, sed de unione Corporis & Sanguinis Christi cum speciebus, intelligendum esse hunc Gregorii locum, verba paulu ante præcedentia ostendunt. *Ejus quippe,* inquit, *ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus Sanguis non jam in manus infidelium ; sed in ora Fidelium funditur.*

Christi Sanguis in ora fidelium funditur.

Eamdem doctrinam tradit Humilia 14. in Evangelia, ubi de Christo bono Pastore sic loquitur. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit quod monuit, ostendit quod jussit. Bonus Pastor pro ovibus suis animam suam posuit, ut in Sacramento nostro Corpus suum & Sanguinem verteret, & oves quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret.* In Sacramento Corpus suum & Sanguinem vertit, id est, sub peregrina specie exhibet. Non posset autem dici vertere Corpus suum & Sanguinem in Sacramento, nisi revera sub illo existeret.

Christus oves quas redemit, carnis suæ alimento satiat.

Et Humilia 22. *Quid sit Sanguis Agni*, inquit, *non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui Sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque etenim poste Sanguis Agni est positus, quando Sacramentum Passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui Sanguinem accepit : ut imitari passionem illius necdum velit in uno poste sanguinem posuit ...... In nocte Agnum comedimus, quia in Sacramento modo Dominicum Corpus accipimus, quando adhuc invicem nostras conscientias non videmus. ..... Quid prodest Corpus & Sanguinem illius ore percipere, & ei perversis moribus contraire?* Idem Corpus & Sanguis ore & corde sumitur, ex *Sancto Gregorio* : Porro qui corde sumitur, non est Corpus typicum & Sanguis typicus ; sed verum propriumque Corpus, verus propriusque Sanguis Christi : igitur verum & proprium Corpus, verus & proprius Sanguis Christi non tantum corde, sed etiam ore sumuntur.

Digna Corporis & Sanguinis Domini perceptio.

II. S. *Isidorus Hispalensis* adeo luculenter & perspicue Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ fidem de Eucharistia asserit, ut stupendam fuisse *Albertini* cæcitatem & vertiginem oporteat, qui illum Calviniani dogmatis testem appellavit. Lib. 1. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 15. de Missa agens ait : *Ordo Missæ vel Orationum, quibus oblata Deo Sacrificia consecrantur, primum a Sancto Petro est institutus : cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis.* Missam verum esse Sacrificium non solum asserit *S. Isidorus*; sed ejus celebrationem uno modo in universo orbe Christiano peragi. Et sibi favere *Isidorum* gloriabuntur, qui Missam abrogarunt? Secundam Orationem *fundi ait pro offerentibus, sive pro Defunctis Fidelibus, ut per idem Sacrificium veniam consequantur.* Missa ergo, secundum *S. Isidorum* Sacrificium Propitiatorium est pro vivis & defunctis. Tum ubi meminit Præfationis, in qua ad Dei laudem terrestrium creatura, Virtutum cœlestium universitas provocatur, & OSANNA IN EXCELSIS cantatur, succedere docet *Confirmationem Sacramenti, ut Oblatio quæ Domino offertur, sanctificata per Spiritum Sanctum, Corporis Christi & Sanguinis confirmetur.* Sanctificatio Oblationis per Spiritum Sanctum ut Corpori & Sanguini Christi confirmetur, est consecratio qua dona oblata in Corporis & Sanguinis Christi substantiam convertuntur. Et cap. 18. *Sacrificium*, inquit, *quod a Christianis Deo offertur, primum Christus Dominus noster & Magister instituit, quando commendavit Apostolis Corpus & Sanguinem suum... Quod quidem Sacramentum Melchisedech Rex Salem figuraliter in typum Corporis & Sanguinis Christi primus obtulit, primusque Mysterium tanti Sacrificii imaginarie idem expressit præferens similitudinem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi Sacerdotis æterni, ad quem dicitur :* „ Tu es Sacerdos in æternum „ secundum ordinem Melchisedech. *Hoc ergo Sacrificium Christianis celebrare præceptum est.... Proinde autem non communicaverunt jejuni Apostoli, quia necesse erat ut Pascha illud typicum antea impleretur, & sic denuo adversum Pascha Sacramentum transirent. Hoc enim Mysterium tunc factum est, quod primum Discipuli Corpus & Sanguinem Domini nostri non acceperunt jejuni. Ab universa autem Ecclesia nunc a jejunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui Sancto per Apostolos, ut in honore tanti Sacramenti jejunum in os Christiani prius Dominicum Corpus intra-*

Sanctum Isidorum Hispalensem Calviniani testem dogmatis, perperam Albertinus appellat.

Missa verum Sacrificium.

Eucharistia a jejunis sumenda.

ret

ret quam cæteri cibi, & ideo per universum orbem mos iste servatur. Panis enim quem frangimus, Corpus Christi est, qui dicit, Ego sum panis vivus. *Vinum autem Sanguis ejus est*. Et infra: *Tantum interest inter Propositionis Panes & Corpus Christi, quantum differt inter corpus & umbram, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur. Quapropter eligendi sunt aliqui dies, quibus prius homo continentius vivat, quo ad tantum Sacramentum dignus accedere possit*. Frustra vero triumphum sibi canit *Albertinus*, quia Eucharistia Sacramentum a *Sancto Isidoro* appellatur, cum manifeste asserat illud Sacramentum esse Christi Corpus & Sanguinem. Nec etiam ipsius causam juvant hæc verba: *Sed panis quia confirmat Corpus, ideo Christi Corpus nuncupatur, vinum autem, quia Sanguinem operatur in carne, ideo ad Sanguinem Christi refertur*. Hæc enim solum innuunt cur Christus panem & vinum in materiam Eucharistiæ elegerit potius quam alia elementa sensibilia, propter convenientiam illam nimirum, & relationem; sed illa in propria substantia manere non significant. Immo subdit Isidorus: *Hæc autem duo sunt visibilia: sanctificata tamen per Spiritum Sanctum, in Sacramentum divini Corporis transeunt*: Id est, fiunt divinum Corpus sub Sacramento. Sicut enim cum *Sanctus Ambrosius* ait lib. 2. de Fide cap. 4. *Filius patitur per Corporis Sacramentum*, non significat Christum passum esse in corpore typico; sed in vero proprioque corpore, quod divinitatis, ipsi personaliter conjunctæ aspectabilis quædam imago erat; ita cum *S. Isidorus* ait, panem & vinum, sanctificata per Spiritum Sanctum, in Sacramentum divini Corporis transire, non significat eo solum terminari consecrationem ut signum Corporis & Sanguinis Christi evadant; sed ut fiant ipsum Corpus & Sanguis Salvatoris secundum substantiam: alioqui tantum non interesset inter Propositionis Panes & Eucharistiam, quantum inter corpus & umbram, inter imaginem & veritatem. Denique Eucharistiam panem & vinum a *S. Isidoro* appellari, quia fit ex pane & vino, atque panis & vini speciem externam & qualitates servat; quamvis revera secundum substantiam sit Christi Corpus & Sanguis, constat ex eodem Patre lib. 6. *Originum* cap. 19. *Sacrificium dictum*, inquit, *quasi sacrum factum: quia prece Mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicæ Passionis. Unde hoc, eo jubente, Corpus Christi & Sanguinem dicimus, quod dum fit ex fructibus terræ, sanctificatur, & fit Sacramentum, operante invisibiliter Spiritu Dei, cujus panis & calicis Sacramentum Græci Eucharistiam dicunt, quod Latine bona gratia interpretatur. Et quid melius Corpore & Sanguine Christi?* Quæ postrema verba fraudulenter suppressit *Albertinus* locum illum proferens, quia causæ suæ prorsus incommoda animadvertit. Iis enim significat *S. Isidorus*, hoc Sacramentum Eucharistiam appellatum fuisse, quasi bonam gratiam, quia est Corpus & Sanguis Christi, quo nihil melius est. Corpus autem & Sanguis Christi, quo nihil melius est non est corpus typicum & sanguis typicus, sed verum Corpus & verus Sanguis, personæ Verbi reipsa unita quæ ex unione infinitam consecuta sunt dignitatem. Eucharistia igitur, secundum *S. Isidorum*, est verum & proprium Christi Corpus, verus & proprius Christi Sanguis.

Panes Propositionis Eucharistiæ figura.

Continentia disposítio est ad Eucharistiæ Communionem.

Hoc Sacramentum Eucharistia vocatur, quia Corpus & Sanguinem Christi continet quibus nihil melius est.

ARTICULUS XXVII.

Argumentum Calvinianorum Ministrorum, ductum ex Paganorum silentio, diluitur.

Calviniani Ministri, & inter eos *Claudius* Carentonicus, ex Paganorum silentio contra fidem realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transsubstantiationis, argumentum ducunt: Quoniam, (inquiunt) Ethnici, qui alia longe minoris momenti Christianis objecere, ipsis præsentiæ realis & transsubstantiationis dogmata velut absurda objecissent, si ea tunc fuisset Ecclesiæ fides. Id enim non ignorassent Viri inter eos Eruditi qui Christianam Religionem impugnarunt, & ejus dogmata perscrutati sunt, ut Celsus, & Julianus Apostata, maxime cum iste fidei Christianæ, quam olim professus, & cujus Mysteriis initiatus fuerat, caput nosset universo. Cum itaque ex Operibus veterum Authorum Ecclesiasticorum, qui Apologias pro nostra Religione scripserunt, aut libros Ethnicorum contra ipsam confutarunt, scilicet Tertulliani, Minutii Felicis, Origenis in libris contra Celsum, Arnobii, Lactantii, & Cyrilli Alexandrini in Libris contra Julianum Imperatorem, constet ipsos Ethnicos nihil objecisse Christianis contra præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & Transsubstantiationem; siquidem nulla ipsorum argumenta contra hæc dogmata referunt antiqui illi Scriptores, nec illa vindicare & confirmare satagunt; colligere est priorum sæculorum Ecclesiam eam non habuisse de Eucharistia fidem, quam modo habet Ecclesia Romana.

Respondeo, Non esse mirum quod Ethnici contra realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, & transsubstantiationem Christianis nihil objecerint, cum hoc Mysterium ignorarent, & Christiani curam adhiberent diligentissimam, ne Sacramentorum nostrorum notitia, sive quantum ad essentiam, sive quantum ad ritus, ad illos perveniret: adeo ut uno excepto *S.* Justino, qui Imperatori sapienti hæc dissimulanda non esse arbitratus est, Scriptorum Ecclesiasticorum inveniatur nemo quinque primis Ecclesiæ sæculis, qui obscure loquendum non existimaverit de Eucharistiæ Sacramento, ubi Pagani, Judæi, vel Catechumeni aderant, aut periculum erat ne in eorum manus sua Scripta inciderent. Id ex Alexandrina Synodo apud *S. Athanasium* Apologia 11. ex *S. Cyrillo Hierosolymitano* Catechesi 6. Illuminatorum, ex *S. Epiphanio* Hæresi 42. ex *S. Basilio* in lib. de Spiritu Sancto, ex *S. Joanne Chrysostomo* passim, ex *S. Ambrosio* lib. de iis qui Mysteriis initiantur, cap. 1. ex *S. Augustino* pluribus in locis, & ex *Theodoreto* in Dialogis, religiose observatum fuisse quarto & quinto sæculo, compertum est. Cujus disciplinæ, quam universalem fuisse constat, cum originem non videamus quarto sæculo, nec ab ullo Concilio institutam animadvertamus, certum est ipsam ab Apostolis traditam fuisse, & ipsarum temporibus jam solemnem, juxta *S. Augustini* regulam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Authoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Hinc etiam morem illum arcessit *S. Basilius Magnus* lib. *De Spiritu Sancto*, cap. 27. *Qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto, silentioque Mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino Mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio, propter assuetudinem, vulgo veniret in contemptum*. Sane hanc disciplinam quarto sæculo non incepisse, ex Authoribus, qui tribus primis sæculis scripsere, compertum habemus. Ea enim consuetudo reticendi Mysteria Ethnicis, fundamentum dedit huic *Cæcilii* exprobrationi apud Minutium Felicem: *Cur occultare & abscondere quidquid illud colunt magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint?* Ex eodem more *Tertullianus* Apologetici cap. 7. Christianos insontes esse probat facinorum, quæ ipsis Ethnici per calumniam affingebant. *Si semper latemus*, inquit, *quando proditum est quod admittimus? Immo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis? Non utique; cum vel ex forma omnibus Mysteriis silentii fides debeatur..... Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia? Cum semper etiam piæ initiationes arceant profanos, & arbitris caveant*. Hanc ob rationem Christianas mulieres Ethnicis nubere *Tertullianus* nolebat, ne ipsis Christiana Mysteria contra fas proderentur. *Hoc est igitur delictum* (inquit lib. 2. ad Uxorem, cap. 5.) *quod Gentiles nostra noverunt, quod sub conscientia injustorum sumus... Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si scierit panem, non illum credit esse qui dicitur?* Idem ex *Origene* lib. 1. Contra Cel-

Consuetudo reticendi Mysteria Ethnicis, Judæis, vel Catechumenis universalis fuit in Ecclesia, & ab Apostolis derivata.

Celsum ostenditur. *Deinde*, inquit, *quoniam sæpius nominat doctrinam clancularium : coarguendum est hoc quoque, quando per totum orbem notior est Christianorum prædicatio, quam Philosophorum placita. Quis enim Jesum e Virgine natum & crucifixum ignorat? Quis resurrectionem ejus multis creditam, & denunciationem Judicii, reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus & Justis præmia? Quin & resurrectionis futuræ Mysterium vulgatum est, tametsi rideatur ab infidelibus. Quæ cum ita se habeant, perabsurdum est doctrinam hanc vocare clanculariam. Quod vero quædam insint quæ non communicamus quibusvis : Id non solius doctrinæ Christianæ proprium est, verumetiam Philosophicæ. Nam & illi exteriorem, & penitiorem doctrinam habebant : & alii Pythagoram audiebant, contenti ipsius authoritate : alii secrete discebant rationes non evulgandas in profanos, nondumque purgatos. Cætera quoque Mysteria quæ ubivis fiunt per Græciam atque Barbariam, nemo calumniatur eo nomine quod occulte fiant. Igitur & inconsiderate calumniatur Christianorum Sacra clancularia.*

Quod *Julianum* spectat *Apostatam*, qui cum Christianorum Sacramentorum particeps, & Lector olim in Ecclesia fuisset, noverat quid Christiani de Eucharistia crederent, nec tamen fidem præsentiæ realis & transubstantiationis ipsis objecisse invenitur : respondeo, incertissimum esse an nihil contra hoc Mysterium objecerit, cum ex tribus libris *Juliani* contra Christianam Religionem scriptis, unum duntaxat, nec illum quidem integrum, habeamus apud *S. Cyrillum Alexandrinum*, qui illum confutavit. In illo certe primo libro doctrinam Eucharistiæ *Julianus* impugnandam sibi non sumpserat ; sed in secundo potius, in quo falsa (ut impius loquitur) Evangeliorum prodigia & præstigias erat impugnaturus. Præterea, etiamsi *Julianus* aliquid contra Eucharistiam objecisset, verisimile est *S. Cyrillum Alexandrinum*, qui ex ipso primo libro *Juliani* multa se resecuisse testatur, illud silentio præteriturum fuisse, ne Ethnicis tantum Mysterium prodere cogeretur. Sic enim cum *Julianus* Baptismum Christianorum sugillasset, quod ineptum videretur purgandarum a vitiis animarum virtutem lavacro illi tribuere, quod ne corpora quidem a lepra purgare, aut ab aliis morbis sanare posset ; *S. Cyrillus* non explicat quidquid Ecclesia de baptismo credit ac docet, idque silere se ait, quia Mysteria profanis aperiri nefas est. *Respondeo*, inquit, *nobis salutare baptisma omnino non accepi ad curandos corporis morbos, neque ad ea quæ sensu, aut visu percipiuntur, ut censes, pertinet Christi Mysterium : subtilis & alta est ejus intelligentia, nec eorum, qui in errore versantur, mentibus comprehendi potest. Unde Isaias Propheta : Nisi credideritis, neque intelligetis. Fides enim intelligendi præit viam. Atque hunc aditum habet divinum hoc nostrum sanctumque Mysterium. Ne ergo ad profanorum aures arcana deferens, offendam Christum dicentem :* „ Ne detis sanctum canibus, neque projiciatis „ margaritas vestras ante porcos : *Relictis iis quæ sunt altioris intelligentiæ, ad illa nunc potius me convertam, per quæ temere fertur adversarius cavillandi potius studiosus, quam veri intelligens.* Et cum pauca de baptismo dixisset, subdit : *Plurima de hic alia verbaque dicerem ..... nisi profanorum aures metuerem. Fere enim videri solent, quæ vulgo percipi nequeunt, quoniam suæ mentis imbecillitatem non vident ; & quæ omni admiratione prosequi par esset, ea nihili faciant.* Denique quod ex Ethnicorum silentio contra Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ fidem ducunt argumentum Calviniani Ministri, æque contra ipsos torqueri potest, & eodem modo ad illud respondere tenentur. Dicam enim : Si Ecclesia primis sæculis credidisset Eucharistiam esse figuram Corporis & Sanguinis Christi, eorum virtute repletam, & Christi Carnem manducari ac Sanguinem bibi, cum panis & vinum Domini verbis aut precibus sanctificata sumebantur, nonne Pagani, quos id latere non poterat, Christianis non objecissent, quod & ipsi Dei sui imaginem suis manibus formatam, suo ore consecratam, ejus virtute & efficacia impleri, crederent, eam adorarent, eamque *Antidotum mortis*, *Pharmacum immortalitatis*, *Vitam*, *Bonum*, Dei sui *ipsum Corpus & Sanguinem* appellarent & crederent ? At nihil hujusmodi objectum a Paganis fuisse, probat silentium Tertulliani, Minutii Felicis, Origenis, Arnobii, Lactantii, Cyrilli Alexandrini. Igitur Ecclesia primitiva non credebat Eucharistiam esse figuram Corporis & Sanguinis Christi, eorum virtute repletam. Harum Observationum maximam partem debemus Authori doctissimi Operis : *De Perpetua Ecclesiæ Fide circa Eucharistiam*.

ARTICULUS XXVIII.

Argumentum Sacramentariorum ex testimonio Sensuum petitum diluitur.

A*Lbertinus* lib. 1. cap. 18. panem & vinum, post consecrationem, quoad substantiam manere, ex testimonio sensuum probat in hunc modum : Quod plures sensus in se bene dispositi, ac aliis omnibus ad agendum requisitis instructi uniformiter & in omnibus, & perpetuo testantur, id verum esse necesse est. Atqui plures sensus, visus, tactus, gustus, odoratus, in se bene dispositi, ac aliis omnibus ad agendum requisitis instructi, uniformiter, & in omnibus, & perpetuo testantur, Eucharistiam, post consecrationem, esse vere ac proprie panem & vinum : Ergo id verum esse necesse est. Majorem confirmat ex Aristotele lib. 8. Physicorum cap. 3. dicente : *Rationem quærere explosis sensibus esse infirmitatem seu morbum mentis*. Secundo eam probat ratione : Nam absurdissimum est dicere, sensus omnes omnium hominum bene dispositos, ac medio similiter recte ordinato, falli in re familiarissima qualis est dignotio panis & vini : alioqui de nulla re umquam certi esse poterimus, & damnanda erit cum Academicis, atque Heraclito, Diocle, & Empedocle, sensuum fides. At hoc delirium & ex ratione, & ex Scripturis potenter adeo refutat *Tertullianus* (allato etiam exemplo unguenti quod mulier effudit in caput Domini, & vini Eucharistici ; ex quorum odore ac sapore præjudicari vult de substantia) ut nihil elegantius & solidius proferri queat. Sic enim loquitur lib. *De anima* cap. 17. „ Quid agis, procacissime Academice ? Totum vitæ statum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excæcas, qui cunctis suis operibus intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque, fallaces & mendaces dominos præfecerit sensus .... Non licet nobis in dubium sensus istos revocare, ne & in Christo de fide eorum deliberetur ; ne forte dicatur quod falso Satanam prospectarit de cœlo præcipitatum, aut falso vocem Patris audierit de ipso testificatam, aut deceptus sit cum Petri socrum tetigit, aut alium postea senserit unguenti spiritum quod in sepulturam suam acceptavit, alium postea vini saporem quod in sanguinis sui memoriam consecravit. Sic enim & Marcion phantasma eum maluit credere, totius corporis in illo dedignatus veritatem. Atqui ne in Apostolis quidem ejus ludificata est natura : fidelis fuit & visus & auditus in monte : fidelis & gustus vini illius, licet aquæ ante, in nuptiis Galilææ : fidelis & tactus exinde creduli Thomæ. Recita Joannis testationem : Quod vidimus, inquit, quod audivimus, oculis nostris vidimus, & manus nostræ contrectaverunt de Sermone vitæ : Falsa utique testatio, si oculorum, & aurium, & manuum sensus natura mentitur.

Respondeo, distinguo majorem : Quod plures sensus in se bene dispositi, & cæteris ad agendum requisitis instructi, uniformiter in omnibus & perpetuo testantur, id verum esse necesse est, nisi ratio vel fides moneant non esse ferendum de objecti natura judicium secondum perceptionem sensuum, concedo : si moneant ac vetent ne de objecti natura secundum sensuum perceptionem & qualitatum sensibilium impressionem judicetur, nego. Perceptio namque objecti sensibilis ad sensus pertinet : sed judicium de objecti natura, mentis proprium est. Unde sensus non falluntur, cum objectum sensibile perci-

cipiunt juxta impressionem ab illo in eis factam; sed fallitur intellectus si repugnante ratione, vel prohibente divina authoritate, juxta relationem sensuum de objectis judicium ferat. Hæc responsio S. *Augustini* authoritate nititur, cui, Aristotele valere jusso, adhæremus. *Has omnia corporalia* (inquit lib. 11. de Civitate Dei, cap. 27.) *latentes in natura causas habent, sed formas suas, quibus mundi hujus visibilis structura formosa est, sentiendas sensibus præbent, ut pro eo quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. Sed nos ea sensu corporis ita capimus, ut de his non sensu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longe præstantiorem.* Et lib. *De vera Religione*, cap. 33. *Sed ne ipsi quidem oculi fallunt; non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solum ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renuntiant ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro... Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cum inde aufertur, integrari, non malum habet internuntium, sed malus est judex. Nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit: si enim aliud est aer, aliud aqua, justum est ut aliter in aere, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus recte videt: ad hoc enim factus est ut tantum videat: sed animus perverse judicat.* Quamvis igitur sensus in objectorum suorum perceptione non fallantur, cum sunt recte dispositi, & instructi omnibus conditionibus ad agendum necessariis, tamen falli potest intellectus secundum eorum perceptionem de objectis judicans, si Deus aliquid circa objectum supernaturaliter operetur, quod non tantum sensum, sed rationis captum excedat: Sic eorum, quibus Angeli humanam induti formam aspectabiles se præbuere, sensus non fallebantur, cum homines percipiebant, sed falsum fuisset mentis judicium, si homines esse affirmassent, divino lumine repugnante. Sic *S. Joannis* oculi non fallebantur, columbam super Christum descendentem ceu veram avem percipientes, sed falsum fuisset mentis ejus judicium, si veram columbam esse judicasset, non Spiritum Sanctum sub specie columbæ apparentem. Sic eorum sensus qui Deiparam Virginem prægnantem videbant, & nuptam noverant, non fallebantur percipientes eam factam esse matrem ut mulieres cæteras, sed eorum intellectus errabat, qui ita judicabant, quia præter naturæ leges, absque viri consortio, Spiritu Sancto operante, Virgo concepit & peperit. Sic eorum sensus qui Christum videbant, non fallebantur, cum ipsum percipiebant ut hominem: sed falsum erat eorum judicium, qui purum hominem esse asserebant, & Deum esse negabant. Ita sensus a deceptione sunt immunes, cum in Eucharistia speciem panis ac vini, figuram ac cæteras qualitates sensibiles percipiunt; nec etiam fallitur intellectus secundum sensuum relationem judicans, modo hujusmodi relationi nihil addat, sed si ex perceptione qualitatum panis & vini a sensibus facta & ad se relata, judicet ibi esse panis ac vini substantiam, errat quia judicium hujusmodi fides prohibet, Christo dicente, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Hoc de argumento præclare disserit *Guitmundus* lib. 2. de Corporis & Sanguinis Christi veritate in Eucharistia. *Numquid*, inquit, *si hoc capere non potest oculus carnis, extinguendus ideo est oculus mentis? Cum enim Maria Magdalene ad monumentum Domini plorans, ipsum Dominum cerneret; numquid non ipse revera Jesus erat, quia illa secundum oculos decepta, hortulanum se videre putabat? Aut cum ipse die Resurrectionis suæ duobus discipulis ambulantibus in via Scripturas tamquam peregrinus exponeret, numquid aliud quam ipse erat, quia scriptum est;* Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent? *Aut cum Discipuli in mari laborantes eum super undas cernerent ambulantem; quis audeat dicere non ipsum vere fuisse, quia ipsi decepti oculis phantasma esse putaverunt? Sed & secum in navi jam positum videntes, & miraculum ejus in sedato mari admirantes, sicut ex Evangelio potest conjici, non cognoverunt eum donec ad terram venirent... Quid igitur? Numquid putandus est eos joculariter delusisse? Absit. Ipse enim ubique idem erat: Ipse ubique veritas erat: Ipse ubique Sapientia erat. Sed nobis per hæc oportebat ostendi quoniam quamdiu cum Maria flente, velut ad monumentum Domini stamus, nosmetipsos mortificando, & mortem Domini, donec veniat, annuntiando, quamdiu in via positi peregrinamur a Domino, quamdiu in mari hujus sæculi laboramus, & ventus nobis tentationum contrarius est, quamdiu ambulamus per fidem & non per speciem: quamvis plorantes ad monumentum suum semper Dominus consoletur; quamvis in via positis semper Scripturas exponat; quamvis turbatos in mari tranquillet, quamvis præsens nobiscum sit semper in navi sancta Ecclesia usque ad consummationem sæculi, non tamen habemus eum cernere nisi in peregrina specie, maxime oculis carnis; licet non aliud quam ipsum habeamus in his Sacramentis. Et merito: Nam quia fructus mortifera arboris antiquis hominibus spirituales veracesque oculos clauserat, carnales fallacesque aperuerat; justum est ut fructus vivifica crucis novis hominibus ipsos carnis oculos claudat, & veraces mentis oculos, quibus veritas videtur, aperiat. Quemadmodum igitur ægrotantis palato amara censenti, quæ sano dulcia sunt, nemo sanus credit: ita infirmis carnalibus oculis contra sanatos mentis oculos de ipsa medicina interioris luminis judicantibus, nemo nisi insanus consentit. Nam & res hæc tanta est, ut infirmo visu non valeat comprehendi, & fidem nostram ita utilius est interim exerceri: ut per hæc videlicet quod contra visum carnis in hoc tam necessario Sacramento agitur, discamus visibilia transcendere, ad invisibilia festinare & tenere certius occulta, quæ numquam mentiens Veritas docuit, quam quæ coram nobis fallax oculus pandit.*

Hæc contra veteres novosque Sacramentarios impræsentiarum sufficiant ad utrumque illorum errorem convincendum & præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, nec-non panis & vini in idem Sacrum Corpus & Pretiosum Sanguinem Transsubstantiationem probandam. Sed huic Dissertationi finem prius non impono, quam Calvinistas nostrates convenerim.

ARTICULUS ULTIMUS.

AD FRATRES CALVINIANÆ SECESSIONIS ADHORTATIO.

VEritatem Catholicam, Dei verbo, & continua serie traditionis invicte probatam, omnium patrum, omniumque Ecclesiarum testimoniis confirmatam, Ministrorum vestrorum argumentis frustra impetitam, quousque rejicere pergetis? Quousque in tanta luce claudetis oculos ne ipsam videatis? Quousque cor occludetis, ne ipsam suscipiatis? *Redite quæso, Redite prævaricatores ad cor:* aut (ut mitiori nomine vos compellem) Redite, fratres amantissimi, tales enim vos opto in visceribus Christi Jesu, & sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ unitate, a qua infœliciter & absque causa segregati estis. * *Quare moriemini gratis? Non talis hæc disputatio est, quæ utrobique valeat leviter compensari. Non hic sicut in Scholis, pro victoria, aut sicut in Judiciis, pro quibuslibet terrenis commodis agitur: sed sicut coram Deo pro vita æterna atque cælesti disputatur: falsam etenim partem sempiterna mors devorat, veram autem vita æterna coronat. Quocirca justo examine vestra & nostra perpendite: si quid dignum contra nos habetis, afferte: si non habetis, adquiescite. Quare moriemini gratis?* Cur Catholicos Romanos, realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in Eucharistia credentes, & credendam esse docentes, damnatis, & Lutheranos hoc in dogmate nobiscum consentientes absolvitis? An doctrina de reali præsentia fundamentalis error est in nobis, & fundamentalis non est in Lutheranis? Aut si fundamentalis error non est, an separationis ratio legitima censeri debet? Concordiam & fraternitatem cum Lutheranis, & Bohemis, non obstante dissensione circa doctrinam de reali præsentia, vos iniisse Generalis vestræ Synodi *Sendomiriensis* in Polonia, 14. Aprilis, anno 1570. habitæ Acta testantur his verbis: „Quemadmodum nos, qui in præsenti Synodo nostram con-

Verba Guitmundi Archiepiscopi Aversani.

„ fessionem edidimus & Fratres numquam credidimus eos, qui Augustanam Confessionem amplectuntur, aliter quam pie & orthodoxe sentire de Deo & Sacra Trinitate, atque Incarnatione Filii Dei & Justificatione nostra, aliisque præcipuis capitibus Fidei nostræ: Ita etiam ii, qui Augustanam Confessionem sequuntur, professi sunt candide & sincere, se vicissim tam de nostrarum Ecclesiarum, quam de Fratrum Bohemicorum (quos quidam rerum ignari Waldenses vocant) Confessione de Deo & Sacra Triade, Incarnatione Filii Dei, Justificatione, & aliis primariis capitibus Fidei Christianæ, nil agnoscere, quod sit absonum ab orthodoxa veritate & puro verbo Dei. Ibique sancte invicem polliciti sumus, unanimiter secundum regulam verbi Dei nos defensuros Consensum hunc mutuum in vera & pura Christi Religione, contra Pontificios, contra Sectarios, contra denique omnes hostes Evangelii & veritatis. Deinde vero quantum ad infœlix illud dissidium de Cœna Domini attinet, convenimus in sententia verborum Domini nostri Jesu Christi, ut illa orthodoxe intellecta sunt, a Patribus ac imprimis ab Irenæo, qui duabus rebus, scilicet terrena & cœlesti, hoc Mysterium constare dixit. Neque elementa signave nuda & vacua illa esse afferimus, sed simul reipsa credentibus exhibere & præstare Fide quod significant. Denique ut expressius, clariusque loquamur, convenimus ut credamus & confiteamur, substantialem præsentiam Christi non significari dumtaxat, sed vere in Cœna eo vescentibus, repræsentari, distribui, & exhiberi Corpus & Sanguinem Domini, symbolis adjectis ipsi rei minime nudis secundum Sacramentorum naturam. Ne vero diversitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit præter Articulum qui est insertus nostræ Confessioni, mutuo consensu adscribere Articulum Confessionis Saxonicarum Ecclesiarum de Cœna Domini, ad Tridentinum Concilium anno Domini 1551. missæ: Quem etiam pium agnoscimus & recipimus... Ad hæc recipimus mutuo consensu, omni studio nostris Fratribus omnibus persuasuros, atque eos invitaturos ad hunc Christianum & unanimem consensum amplectendum, colendum & conservandum, illumque alendum & obsignandum, præcipue auditione verbi (frequentando tam hujus, quam alterius cujusque Confessionis cœtus) & Sacramentorum usu: observato tamen recto ordine & gradu tam disciplinæ, quam consuetudinis uniuscujusque Ecclesiæ „. Mutuus ille Consensus *Sendomiriensis* eodem anno 1570. die 20. Maii, Posnaniæ inter Lutheranos & Bohemos solemniter confirmatus est. Hunc recepere Confirmationem Superattendentes Confessionum, Augustanæ, Bohemicæ, & Helveticæ in Synodo Generali *Cracoviensi* anno 1573. die 29. Septembris. Iterumque illa stabilita fuere in Synodo Generali *Petricoviensi* anno 1578. diebus 1. 2. & 3. Junii, ab earumdem Confessionum Superattendentibus. In Synodo Generali *Wladislaviensi* anno 1583. die 30. Junii. In Synodo Generali *Toruniensi* anno 1585. Mense Augusto. Denique in altera *Toruniensi* anno 1595. die 21. Augusti.

Eamdem Reformatarum Pseudonominis Ecclesiarum cum Lutheranis concordiam & Communionem, non obstante contrarietate doctrinæ circa Eucharistiam, testantur Gallicani earumdem Ecclesiarum Ministri in sua ad *Duraum* Epistola, in qua & Decretum Synodi Nationalis *Carentonii* anni 1631. referunt. *Unum est* (inquiunt) *quod cætera concordes* (Lutheranos & Reformatos) *dirimit, modus quo Christi caro nobis in eo Mysterio communicatur. Res apud utrosque eadem, vel tantum ratio diversa. Tantulum dissidium fatemur quidem non esse nullius momenti: Tanti esse, ut tam necessariam orbi Christiano Fratrum gratiam, tam mirabiliter planeque divinitus cœuntem, abrumpere debeat, id vero est quod constantissime negamus. Neque nos soli sumus in ea sententia. Mitto Fratres Polonos, & plerasque omnes partium nostrarum Germanas, quos nemo nescit istam controversiam, de qua nos explicavimus nuncu(?) ei loco & habuisse antehac, & etiamnum habere. Mitto clarissimos utriusque partis Theologos, Saxonas, atque Brandeburgicos, quorum idem nuper fuisse istis de rebus judicium accepimus, cum eas Lipsiæ, (quo una cum suis Principibus venerant) amice inter se agitassent. Sed quod exteris minus fortasse cognitum, quodque bonis omnibus ac pacificæ ingeniis gratissimum fore confidimus; id vero hoc loco tacere non possumus, Ecclesias reformatas, quas Christus in hoc Gallicarum Regno habet plurimas, sic semper de his litibus judicasse, summque hoc judicium variis antehac argumentis, tum novissime in Synodo Generali, qua hic apud nos Carentonæ in Suburbano Parisiensi, anno 1631. habita est, disertissimo luculentissimoque Decreto testatas esse. Nam cum ex occasione cujusdam Civis Lugdunensis (cujus filiam ambibat adolescens nescio quis Germanus Augustanæ, ut loquuntur) Confessioni addictus, quæsitum esset quo loco habendi forent ii, quos Lutheranos vocant, Fratres qui istic convenerant ex omnibus Galliarum Provinciis, ab Ecclesiis missi, universi ita censuerant:* „ Quando Augustanæ Confessionis Ecclesiæ cum cæteris Reformatis in omnibus veræ Religionis Principiis, Articulisque fundamentalibus conveniunt, cultumque exercent purum ab omni idololatriæ & superstitionis labe, si qui sint illius Professionis homines, qui cum caritatis & lenitatis spiritu socios Ecclesiarum nostrarum cœtus frequentent, earumque Communionem expetant, iis sine ulla abjuratione prævia liberum esto ad Sanctam Christi Mensam nobiscum accedere, Matrimonia cum nostræ Confessionis fœminis contrahere, & infantes Baptismo tinguendos de more offerre, atque suscipere, dum nostris Synedriis in hoc ultimo casu sancte spondeant, se infantes quos de sacro lavacro susceperint, neque directe umquam, neque indirecte, adversus eam, quam nostræ Ecclesiæ credunt atque profitentur doctrinam sollicitaturos; sed ea dumtaxat Fidei capita edocturos, de quibus inter nostras ipsorumque Ecclesias convenit: *Non ignorantes multa esse, quæ a vitiligatoribus in hanc sententiam objici possint. Sed ea pleraque levissima sunt, neque allo modo cum gravissimis fidei ac caritatis Christianæ rationibus comparanda.* Apologeticum pro isto Decreta edidit *Dallæus* anno 1633. cui Ministri omnes Carentonici pariter subscripserunt. Qui sic habet cap. 7. *Dissidium nos inter & Fratres nostros, quos Lutheranos nuncupant, eatenus, pietati præjudicium nequaquam facit. Agnosco non magis posse nos credere quam concipere, quod volunt, Corpus Domini esse præsens realiter intra panem Eucharistiæ. Nihilominus, hæc quam tuentur opinio, hos intra manens terminos, nullum habet venenum. Non tollit Christo formaliter, directe & immediate, nec substantiam suam, nec proprietates suas. Hypothesis hæc nullo nos involvit, quod sit oppositum seu pietati, seu charitati, seu honori Dei, aut bono hominum. Ea propter Regni hujus Ecclesiæ, haud pridem in ultima earum Synodo Nationali Carentoni anno 1631. Decreto expresse sancito, Lutheranos, ut vocant, Communioni & Mensæ admittunt propriæ, hac non obstante opinione, & paucis aliis minoris adhuc momenti, particularibus, nec nobiscum communibus.* Hæc publica Sectæ vestræ Judicia, Fratres amantissimi, quæ vestri Schismatis damnandum convincunt flagitium. Enimvero si fides & doctrina de præsentia reali nullum habet venenum: si nulli nos involvit, quod sit oppositum, seu pietati, seu caritati, seu honori Dei, aut bono hominum; utique, propter præsentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia fidem, Romanam Ecclesiam, ut Evangelicæ doctrinæ temeratricem accusatis: impie ab ipsa separati estis, absque causa extra ejus communionem remanetis. Doctrina de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi, in Eucharistia, secundum vos *Nullum habet venenum, nulli nos involvit quod sit oppositum pietati, caritati, honori Dei, seu bono hominum.* Doctrina vestra realem & substantialem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in Eucharistia negans, non solum ab Ecclesia Romana, & cæteris ipsi conjunctis Ecclesiis, sed etiam a Græcis infœlici schismate ab ea divulsis, & ab omnibus Societatibus quæ Christiano nomine nominantur, Armenis, Syris, Cophtis, Nestorianis, Æthiopibus, Maronitis, Moscovitis, venenata, pestifera, hæretica censetur, & talis

talis

talis damnatur. Cum ergo Ecclesiæ universæ fidem & doctrinam de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia rejicitis ac damnatis, salutem vestram in discrimen evidens conjicitis, nec a schismate nefario vos purgare valetis. Si vero hanc doctrinam, quam in Lutheranis toleratis, cum Romana Ecclesia profiteri, & ad ejus redire communionem statuatis, nulli periculo salutem vestram exponitis; siquidem eam amplectimini doctrinam; quæ nullum habet venenum, quæ nulli vos involvit quod sit oppositum pietati, caritati, honori Dei, seu bono hominum.

Verum, obsecro, publica hæc Sectæ vestræ Judicia, quibus vestra Disciplina nititur, cum Fidei vestræ Confessionibus comparate. In Confessione *Helvetica* scriptum est: *Caro Christi corporaliter manducari non potest citra flagitium aut truculentiam. Improbamus itaque Canonem in Decretis Pontificum*, EGO BERENGARIUS. *Neque enim credidit vetustas pia, neque nos credimus, Corpus Christi manducari ore corporis corporaliter vel essentialiter*. In Confessione *Czengerina* scriptum est: *Sicut Papisticam Transubstantiationem ex verbo Dei negamus: ita pernegamus sarcophagiam corporalem & cruentam, hoc est, ore corporali naturale Christi Corpus ex Virgine natum sumi in Cœna. Et panem substantialiter & realiter, sine ulla Transubstantiatione, Corpus Christi esse; aut in panem Corpus Christi contra fidei & naturæ regulam includi: cum Symbolum & Scripturæ doceant Corpus Christi ascendisse in cœlum*. Et infra: *Eorum insaniam damnamus, qui asserunt sarcophagiam, id est, ore corporali sumi Corpus Christi naturale, sanguinolentum, sine ulla mutatione, & transubstantiatione. Nam ut impossibile est accidentia manere, & sumi sine subjecto, ut Papistæ nugantur, videri quidem accidentia panis, sed Corpus Christi in Missa sumi: Ita isti Creophagi, aut Sarcophagi delirant, dum somniant, panem quidem videri, & panem non mutari in corpus: tamen pane manducato Corpus Christi realiter & substantialiter ore corporali sumi: id quod contra fidei & naturæ regulam est*. Et mox: *Sola appellatione Transubstantiatores Papistæ a Sarcophagis Corporariis differunt; sed reipsa in re Sacramentaria per omnia conveniunt*. Catholicos, & Lutheranos, Confessiones vestræ pariter damnant, utrosque Capharnaitis adscribunt: utrisque flagitium & truculentiam imputant: Catholicos nugari, Lutheranos somniare, delirare, insanire, solaque appellatione a Transubstantiatoribus differre asserunt: contra fidei & naturæ regulam eorum doctrinam pugnare. Si ita est, Fratres, flagitiosos & truculentos ad communionem admittitis: Juratis fraternitatem non solum cum deliris, insanis, & flagitiosis, sed cum iis qui contra fidei naturæque Regulam peccant: Concordiam initis & colitis cum Sarcophagis, cum iis qui sola appellatione a Transubstantiatoribus Papistis differunt, quorum communionem execramini. Sed exponite nobis, obsecro, quomodo contra fidei naturæque regulam pugnet sententia quæ fatentibus Pastoribus vestris Carentonicis, in Apologia edita pro Decreto Nationalis Synodi, nullum venenum habet? Quomodo Sarcophagi, cruenti, flagitiosi, quorum doctrina non officit pietati, caritati, honori Dei aut bono hominum, judicibus vobis?

Ad adorationem Eucharistiæ ut grande crimen, utque idololatriam nobis objicitis, hincque vestram purgare conamini secessionem. Frustra sane & immerito. Non-ne enim Christum, ubicumque sit, adorandum Religio docet? Si igitur nullum venenum habet doctrina de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia: Si nihil officit pietati & honori Dei, fatentibus Carentonicis prætensæ Ecclesiæ Reformatæ Ministri: nec etiam pietati & honori Dei adversatur ullatenus adoratio Christi in Eucharistiæ Sacramento; immo illi prorsus consona est. Sane Lutherani fratres vestri Christum in Eucharistia innostre adorari docent, quia ibi realiter præsens est. Ita *Christophorus Scheiblerus* Lutheranus in libro cui titulus est: *Fides antiquorum Catholicorum de Eucharistia*: Ac *Lutherum* laudat dicentem, *Neque eos damnandos qui Sacramentum adorant, neque eos qui non adorant*. Atque ita concludit: *Apparet quod cum Christum adoramus vere nobis præsentem in Eucharistia, id fieri conformiter doctrinæ antiquorum Catholicorum, neque desuper cæteris partibus, id taxamus in Pontificiis*. Idem testantur Theologi *Wittembergenses* in Refutatione Consensus Orthodox. *Nobis*, inquiunt, *Lutherus de adoratione nihil scripsisse videtur, quod non per omnia verbo Dei consentaneum videatur. Expresse enim testatur, Adorationem Christi in Sacramento non esse orationem, sed reverentiam duntaxat & honorem, tum internum, tum externum, qui fiat intus in corde, & externus toto corpore, eumque a Christo neque mandatum, neque prohibitum affirmat...... Et hanc perpetuam vetustatis orthodoxæ doctrinam & sententiam fuisse, præter alia aperta testimonia Liturgiæ veteris confirmant, ex quibus manifestum est quanta reverentia & quanto honore, qui Luthero adoratio est, hoc Sacramentum ab illis tractatum sit*. Ad hanc sententiam proxime accedit *Petrus Martyr*, Locorum Communium classe 4. cap. 10. §. 50. *Se declarat*, inquit, *aliquando Christus & Deus externis signis, ut in Monte Sina, Isaia sub forma Regis in solio suo considentis, in Arca fœderis, aut in Sacramentis: Et ibi quoque adoratio impenditur. Sed, quemadmodum Augustinus admonebat, sistendum non esse gradum in carne, sed accedendum ad divinitatem, ita hic ego moneo, adorando, cum percipimus Eucharistiam, non esse consistendum in symbolis, sed adorandum in Spiritu & veritate Christum sedentem in cœlis ad dexteram Patris*. Si Deo & Christo exhibetur jure adoratio in symbolis aut coram symbolis, quibus se declarat, & præcipue in Sacramentis, teste *Petro Martyre*; multo magis in Eucharistia, in qua realiter & substantialiter præsens creditur. Cum ergo nullum sit venenum in doctrina de præsentia reali Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, fatentibus Carentonicis Ministris, & Nationali totius Prætensæ Reformationis Synodo; consequens est nullum esse venenum in ejus adoratione, modo non consistamus in symbolis. At in iis non consistimus, sed adoramus in spiritu & veritate Christum sedentem in cœlis ad dexteram Patris, & in Sacramento nihilominus realiter existentem. Mera igitur calumnia est, quam nobis Ministri vestri impingunt, nos idololatriæ reos esse, quod panem adoremus. Quomodo enim dicere possunt nos panem adorare, quem Eucharistia non agnoscimus? Audio vos clamantes, nos Sacramentum adorare, ut Synodus Tridentina docet. Verum Sacramenti nomine Christum intellexit Synodus, sub Sacramento vere præsentem. Et quamvis in adoratione species panis & vini a Corpore & Sanguine Christi non discernantur, sed Corpus & Sanguis Domini cum ipsis speciebus ut unum objectum attingantur: tamen adoratio non terminatur ad species; sed ad Corpus & Sanguinem Salvatoris nostri. In species tamen seu symbola sacra derivatur, ex adoratione sacro corpori & pretioso sanguini ipsis conjunctis impensa, congrua ac debita veneratio cultusque religiosus. Sicut cum Regem indutum veneramur, personam Regis, vestesque Regias ut unum objectum apprehendimus; & honor, quem exhibemus indutæ Majestati, ad vestes non terminatur, sed ad Sacram Personam: quamvis & in vestes ipsas Regium corpus tegentes gradus quidam honoris refundatur. Et sicut se ridendos propinarent velut insanos, qui debaccharentur in eos qui Regem indutum honorant, exprobrantes quod vestem Regiam pariter honorent; ita ridicule nobis idololatriam exprobratis propter adorationem Christi sub symbolis Eucharisticis. Et si insanus merito audiret, qui fugeret ex Aula perduellis, ne Regem honorare palliatum cogeretur, quem absque pallio honorandum agnosceret: judicate num sapienter ex Ecclesia fugeritis, & schisma feceritis, ac in eo perseveretis, ne adoretis Christum sub sacris symbolis, quem absque symbolis agnoscitis adorandum. Pergit Petrus Martyr: *Adoratio interna potest absque periculo adhiberi, neque externa sua natura est mala. Multi enim pie genuflectunt & adorant, illis verbis Evangelii auditis: Et Verbum caro factum est: Nec tamen ipsa verba dicenda sunt adorare, verum significata. Quod idem hic fieri quid prohibet, modo non adorentur symbola, sed quod per illa significatur?*

Por-

Porro symbolu per se spectata & seorsim, ut res u Corpore & Sanguine Christi distinctas, non adoramus ut Christum ipsum, quamvis ea cultu religioso ut signa sacra revereamur; sed Christum qui per illa significatur, & substantialiter, secundum fidem nostram, sub ipsis continetur, adoramus. Absque periculo igitur, immo pie Eucharistiam adoramus, cum interna, tum externa adoratione, judice *Petro Martyre*.

Vulits & Hussitas audita, quos ut majores vestros colitis, quos ut testes veritatis laudare soletis? *Quicumque non afficiuntur ad adorandum Corpus Christi in Sacramento, tales non sunt de vera & viva fide* (inquit Rokysana, *De Sacramentis cap.* 12.) Cur igitur contra Majorum vestrorum fidem & doctrinam a Christi Corpore in Sacramento adorando tum vehementer abhorretis? eorum judicium rescindentes, nos qui ad illud adorandum afficimur, velut idololatras calumniamini? Cur non animadvertitis vos a vestris testibus veritatis convinci *a vera & viva fide defecisse*? Quid *Joannem Wiclef* alterum ex Patriarchis vestris commemorem? Qui lib. 4. Dialogorum cap. 7. ait: *Nos ex fide Scripturæ evidentius, & devotius adoramus hanc Hostiam*. Si ex fide Scripturæ Eucharistia adoratur, judice *Wiclefo*, contra Scripturæ fidem, eodem judice, committitis, qui ipsam adorandam esse negatis.

Quæ tandem ratio est, ut Lutheranos ceu fratres complectamini, qui Christum in Eucharistia vel adorandum negant, vel adorationem eam esse indifferentem asserunt, ad quam compellendus nemo sit; nostram vero communionem respuatis; cum Majores vestri agnoverint, editisque publica Sectæ authoritate libris professi fuerint, Christum in Eucharistia adorandum, si reipsa præsens credatur, sententiamque Catholicorum, de adoratione Christi in Eucharistia, cum fide & doctrina de reali præsentia ipsius in hoc Sacramento melius cohærere, quam doctrinam Lutheranorum qui adorationem negant, realem Christi præsentiam credentes? *Admonitio de libro Concordiæ*, * ita de hac controversia loquitur: Cap. 12.

"Interrogantur [*Lutherani*] an Christus sit adorandus, tamquam in loco eo, in quo panis est corporaliter præsens. Hoc Papistæ fatentur, magis in hac parte ingenui quam isti Theologi qui soli volunt haberi & dici Lutherani. *Et paulo ante*: Si ibi [*in Eucharistia scilicet*] præsens est Christus suo corpore; necessario sequitur in pane, sive ad panem illum adorandum esse. *Item*: Si Christus in pane Eucharistico præsens esset corporaliter, necessario nos ad panem hunc conversos, oportet ipsi reverentiam & adorationem Deo debitam exhibere. Alligata est autem adoratio ad hanc naturam humanam assumptam a Filio Dei, ut ubicumque vel sensu nostro, vel verbo ipsius constat eum esse præsentem, eo dirigi adorationem & honorem Christi animo & corpore necesse sit; sicut dictum est: *Adorent eum omnes Angeli Dei*. Estque fabula impia, & in Christum contumeliosa, quod aliqui respondent, Christum adesse huic pani suo corpore, non ut in eo adoretur, sed ut in eo comedatur, neque jussisse ibi se adorari, sed edi. Sufficit enim universale Dei mandatum de adorando Christo, ad asserendum ei suum honorem. Si igitur constaret eum ibi præsentem esse corpore suo; tam non esset nobis expectandum speciale mandatum de reverentia & honore divino ipsi in hoc pane exhibendo, quam non expectabat, nec expectare debebat Thomas singulare mandatum de adorando Christo, quem videbat ob oculos suos stantem in conclavi, sed eo agnito, statim sui memor officii, procidens coram eo exclamat: *Dominus meus, & Deus meus*. In Regis aut Principis conspectum nemo sanus prodit, quin ad illum converso vultu, reverentiam ei debitam exhibeat. Quæ igitur fuerit impietas, si Christus tam proprie nobis assistat corporaliter, ut per manus Sacerdotum in ora nostra cum pane se deferri patiatur, non toto animo & corpore ad panem illum converso, divinos honores Christo præstare? Nec obstat, quod ibi non cernitur oculis. Si enim verbi ipsius testimonio constarat eum adesse ibi suo corpore, hoc magis ad credendum, & ibi adorandum ipsum nos obligaret, quam testimonium sensus nostri."

Si doctrina de reali præsentia & adoratione Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia ratio sufficiens non fuit vestræ ab Ecclesia discessionis, Viri reformati; nec ratio fuit sufficiens doctrina de Transsubstantiatione, quam cum Lutheranis impugnatis & damnatis, illam enimvero erroribus fundamentalibus annumerare non potestis: siquidem *Joannes Hus*, qui apud vos testis veritatis audit, Catholicam de Transsubstantiatione doctrinam retinuit ac propugnavit, in Tractatu *De Sacramento Corporis & Sanguinis*, c. 3. his verbis: "Dixi ulterius supra, quod Christus virtute propria & verbis propriis transubstantiat panem in corpus suum, juxta Canticum Ecclesiæ istud: *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit*. Verbum caro, id est, Filius Dei existens homo, efficit verbo per Transsubstantiationem, verum panem carnem, & merum, id est, vinum, fit per transsubstantiationem sanguis. Patet ista materia de Consecr. Dist. 11. per Sanctos, Ambrosium, Eusebium & per alios. Unde cantum supradictum approbatum ab Ecclesia, ab anno quo cœpi cantum discere, cantavi in Scholis & in Ecclesiis. Post legi in Officio & in Missis, & prædicavi in Sermonibus, & numquam prædicavi, quod in Sacramento Altaris manet substantia panis materialis, de quo me veritatis inimici mendaciter accusarunt."

Nec Lutherani Fratres vestri doctrinam de Transsubstantiatione fundamentalis erroris loco habent. Theologos Wittembergicos ea de controversia audiamus in Cap. 661.
Refutatione Orthodoxi Consensus, * *Hoc cum Luthero asserere non erubescimus, si opinio ex his duabus eligenda esset, malle nos præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus & accidentibus panis & vini cum Papistis credere, quam cum Zuinglianis & Calvinianis veram & realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi contra tam aperta verba testamenti Christi negare*. Et paulo ante referunt ex doctrina Lutheri: *Panem in Eucharistia manere, & Transsubstantiationem nullum Articulum Fidei, ideoque nemini imponendum esse, ut credat; cum neque ex Scriptura Sacra, neque ex verbis Testamenti Christi probari possit: Si quis autem, credat, non multum referre, modo nemini credendam imponatur*. Nec Lutherani itaque, nec Vos, qui ipsis communione juncti estis, Schisma jure potestis excusare ex Transsubstantiatione, quam Ecclesia Catholica Romana credit, & propugnat. Redite igitur in sinum Matris Ecclesiæ, redite. Præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia credite; panis & vini in idem sacrum Corpus & pretiosum Sanguinem, Transsubstantiationem agnoscite & tenete, Christum in Eucharistia nobiscum adorate; Christi Corpus per veræ fidei & communionis unitatem ipsi estote. *Ecce Sententiæ vestræ convicta est falsitas, Ecce fidei nostræ apparuit veritas. Quid adhuc contemnuntur & veritas, & caritas? Qui nos creavit, unus est Deus; qui nos redemit, unus est Christus; qui nos sociare debet, unus est Spiritus. Jam nomen Domini honoretur, & appareat vobis in jucunditate, ut cognoscatis fratres vestros in ipsius unitate*.

Verba S. Augustini ad Donatistas post Collationem.

JOANNIS DOMINICI MANSI

Nota.

Quamquam hoc de Eucharistia argumentum fuse tractavit P. Alexander, nihilque omisit eorum quæ afferri poterant ad veritatem dogmatis hujusce de corpore, & Sanguine Christi in Eucharistia comprehensa, demonstrandam; juvat tamen additamenta hic quædam afferre, illam potissimum probationem confirmantia, quæ ex vetustis ecclesiæ Liturgiis offert. P. Josephus Blanchinius vir doctissimus Oratorii S. Philippi Nerii de Urbe decus singulare vetus quoddam sacramentarium in præliminaribus ad IV. Tomum Anastasii Romæ excusum vulgavit, quod & dein Cl. Muratorius recudit in opere inscripto, *Vetus Liturgia Romana*; quod uterque vir doctus ad S. Leonem Magnum referendum illud multiplicibus argumentis evincit. In eo vero opere publicæ ecclesiæ Latinæ precationes a Sacerdotibus

dotibus dum Sacra operantur recitandæ describuntur, ex quo conficitur precationes illas publicam obtinere authoritatem, ut si quid in iis exprimitur dogmatis, hoc profecto catholicum esse, & ab Ecclesia admissum constet. Quid vero ibi de Eucharistia? *Sacrosancti Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi refectione vegetati &c. Corporis & Sanguinis sacrosancto pascis alimento*. Ita Sacerdos in quadam Liturgica precatione orat: *Plebs tua Domine, Sacramentis purificata cælestibus, quod sumit, intelligat* (ecquem alium nisi Christum?) *quod gustu delibat, moribus apprehendat*. An hæc merito dicerentur de pane? An de adumbratione tantum, & de figura corporis Christi? Immo ea hac precandi formula illa Lutheranorum hæresis rejicitur, quæ panem vinumque in Eucharistia superesse contendit. Ille enim qui degustatur moribus exprimendus est. Numquid panis imitatio suadetur? In missa III. Natalis Domini hæc leguntur: *Sancti Spiritus operante virtute Sacrificium jam nostrum corpus & sanguis est ipsius Sacerdotis*, nempe Christi. Alia item oratio missæ IX. ejusdem diei: *Præsenti Sacrificio Domine, tua generaliter exultet Ecclesia, quo infirmitatis ejus sunt assumptæ primitiæ*, (nempe caro) *ut divinæ particeps fieret ipsa potentiæ*.

Haud absimiles loquendi phrases recurrunt in Sacramentario, quod Gelasianum nec temere, appellant viri doctissimi apud Muratorium ibid. in præfat. ad idem Opusculum. Sed ibi multo frequentiores occurrunt quam in Leoniano, cum multo præ illo prolixius sit, & numero missarum crebrius. In missa Dom. I. Quadrag. *Cujus corpore communicamus & sanguine*. In missa pro consecrando Sacerdote, rogat episcopus: *Ut per obsequium plebis tuæ* (Dei Patris) *Corpus & sanguinem filii tui* (Jesu Christi) *immaculata benedictione transforment*. Quid transforment si idem qui prius panis supersit, & Christus præsens in Eucharistia haud statuatur? In precatione Dominicæ in quadragesima quartæ. *Nos, filii tui corporis & sanguinis pascis alimonio*. In canone actionis, nempe Liturgiæ: *Ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filii tui &c*. Et infra: *Ut quotquot ex altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus & sanguinem sumpserimus &c*. Precis formulam istam quisquis heterodoxus dum forte legit in nostris Liturgicis libris, non dubito quin statim velut ad blasphemiam exhorreat, credatque commentum esse in Liturgiam recens invectum postquam Paschasius Radbertus in suam illam opinionem, nescio qua facilitate persuadendi, orbem universum pertraxit. En tamen illam cernis expressam in Sacramentario Gelasiano annis trecentis supra ætatem Radberti vetustiori.

Gemina ferunt Missales libri, Gallicanus scilicet vetustissimus, & Gothicus Gallicanus, quorum de Eucharistia excerpta P. Alexander exhibet. Tom. VI. pag. 472. Cum vero adeo frequentibus his phrasibus infercti sint libri isti missales, recta inde consecutione inferas diu Paschasii ætatem dogma istud de præsentia Christi in universa Ecclesia jam obtinuisse.

Nec mihi oggeras liturgicos illos libros, quamvis originem a S. Leone & Gelasio duxisse admittantur, additita tamen subinde & intrusa continere multa, nec facili opera, quæ recentia, quæque vetustiora sunt distingui. Id enim quamvis de Gelasiano Sacramentario admittunt Eruditi; nemo tamen hoc usque in Leoniano deprehendit. Nec etiam si adjecta nonnulla concesserimus; pronum esset illis loquendi formulis suspicionem novitatis creare, cum frequentissime occurrant, ac nulla suadeat ratio cur tam sæpe ab aliena manu inserendæ fuerint.

Prodeat mihi nunc in medium Basnagius ad A. 33. num. 58. clamitetque ea veteris ecclesiæ sensu constare quidem consecratione panis & vini mutationis aliquid in panem vinumve inferri; sed panis vinique rem ipsam manere intactam, ut eum *pani & vino nihil detractum sit, novus tamen respectus utrique addatur*. Quomodo igitur si hæc admiserimus, non ineptiisset Ecclesia Romana sub S. Leone Magno, quæ in Liturgia nomine omnium Deum rogabat per Sacerdotem: ut quod gustu delibabat, moribus apprehenderet? Si panis manet, gustu panem delibat; ergo ne & panis moribus est? Insuper corpore Christi non pane se pasci, & sanguine potari non semel & iterum at frequentissime, at semper in ea ipsa Liturgia fideles per ministrum suum nunquam non agnoscunt & prædicant.

Profecto longe majorem vim habent ad persuadendum hæc quæ ex liturgiis ab Ecclesia probatis & admissis deprompsi, quam quæ Basnagius ex ambiguis nonnullis Patrum sententiis urget ad catholicum dogma evertendum. *Non ut communem panem, neque communem potum ista sumimus*, scribit S. Justinus in apologia, ergo, ait Basnagius, panis est qui sumitur, quamquam a communi *ex connotatione ad Christum* diversus. Non ita ego Justinum interpretor: panis consecratus specie quidem panis est; sed ex *transformatione* diversus. Ita mutationem istam panis communis in consecratum exponit sacramentarium Gelasianum. Quæ nam ista transformatio, si aliquid tantum addatur & vetera omnia maneant?

Urget insuper adversarius S. Irenæum lib. 4. cap. 34. docentem; *Jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans terrena & cælesti; sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia*. Duobus igitur, ait Basnagius, constat Eucharistia; *terrena*, nempe pane; & *cælesti*, nempe Christi corpore. Dum idem philosophatur heterodoxus, non satis animadvertisse visus est externas rerum species haud raro pro rebus ipsis accipi. Quidni igitur & panis inanis imago pro pane ipso ab Irenæo acciperetur? Flammæ illæ in summis singulorum apostolorum verticibus emicantes die Pentecostes inanes quædam erant imagines; nihilo tamen secius ignis appellantur a S. Cyrillo Hierosolymitano Catech. III. eodemque igne & Spiritu Sancto baptizatos tunc apostolos docet: *Spiritu Sancto & igne baptizavit apostolos Salvator*.

Hac veluti clavi facile reseratur mens Patrum quorumdam, panis nomen pro Eucharistia usurpantium. Nec nos pariter qui transmutationem panis in corpus Christi agnoscimus & defendimus, ab his loquendi phrasibus abstinere religiosum ducimus. *Panis Angelicus, panis hominum, panis cælicus* ingeminat Sacerdos in publica Liturgia.

Atqui Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. 3. haud ambigue loquutus perseverare in sacramento panem instituta inter chrisma & Eucharistiam comparatione recognoscit. En Cyrilli verba: *Quemadmodum panis Eucharistiæ... non est amplius panis communis, sed est Corpus Christi; Sic & sanctum hoc unguentum non est amplius unguentum postquam consecratum est, sed est Chrisma*. Ita Calvinista noster; cui nos reponimus institutam a Cyrillo comparationem inter Chrisma & Eucharistiam non quidem in omnibus, sed in nonnullis tantummodo intercedere, neque jam fuisse scriptoris mentem credo ut paria esse utrimque demonstraret; sed id tantummodo sibi proposuit ut quemadmodum usualis panis post consecrationem aliud evadit quam quod erat, ita & unguentum post consecrationem mutari. Id vero perinde valet etiam si consecratio in Eucharistia aliud plane efficiat quam patet in unguento.

Denique palmare Basnagio argumentum præbet S. Augustinus in epist. 146. qua ambigere visus est, num Christi corpus modo sanguine impleatur. Quærenti enim Consentio *Utrum nunc corpus Domini & ossa & sanguinem habeat; respondet Augustinus: Fides adsit & nulla quæstio remanebit, nisi forte de sanguine requirendum est, quia cum dixit, & palpate & videte quia Spiritus carnem & ossa non habet, non addit sanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addit dicere*. Ex his trahit argumentum Basnagius, ignorasse tunc Christianos dogma illud nostrum de conversione hostiæ in corpus & vini in sanguinem; nam, addit, *ex transubstantiationis fide uno verbo quæstionem solvisset Augustinus, adducto Eucharistiæ sacramento, in quo Christi corpus adesset & sanguis*. Viderit, rogo, Basnagius num suæ perinde ac nostræ causæ argutatione hac officiat. Docet ille panem, vinumque consecratos, communi cibo potuque, connotationem ad corpus & Sanguinem Christi; non quæ olim fuerunt corpus & sanguis, sed quæ nunc sunt superaddere. Cur igitur Augustinus hac inducta connotatione ad sanam do-

ctri-

ctinam Consentium non revocat? Explicet Basnagius implicatum a se nodum. Forte ille nullo negocio se extricaverit reponens; ideo solvere recusasse quæstionem Augustinum quod inanes illas quæstiunculas temneret, nec expedire fidelibus in vitiligationibus illis bonas horas impendere judicaret. Tantumdem & nos pariter pro tuendo catholico dogmate reponimus.

Reliqua Basnagii nihil moror, quæ nec ipse pariter heterodoxus satis per se valere arbitraretur, nec plane seorsum a cæteris illa proposuisset; seu roboris aliquid ad probandum habere judicasset. Neque enim si in privatis domibus laicorum servata sit olim Eucharistia; si dum mysteria sacra conficiebantur, secedere extra templum jubebantur catechumeni; si cum defunctorum cadaveribus una pariter & Eucharistia terræ a nonnullis est infossa; si denique serventem in ollam sacrum panem Stylita quidam monachus injecit, de quo Moschus in Prato Spir. cap. 29. ex his aliisque id generis non continuo recte inferas Christum in Eucharistia præsentem, nec agnovisse veteres, nec adorasse. Recta enim numinis colendi ratio non ab indocta & præpostera privatorum quorumdam religione, sed ab ipsa potius Ecclesia repetenda est. Si quid eorum, quæ superius ex Basnagio attigi probatum fuisse olim ab Ecclesia, demonstrari posset; tunc utique exempla illa absonæ religionis contra catholicum dogma aliquid evincerent. Vix enim credibile esset quod Ecclesia, quæ veræ ac religiosæ pietatis leges novit & servat, Christum Deum suum præsentem crederet in Eucharistia, simulque Eucharistiam vel terræ infoderet, cum ossibus mortuorum, vel in ollam ebulliendam injiceret. At privatorum indocta religio seu mavis superstitio; duo hæc facile inter se componet ut recte de Eucharistia credat; minus vero recte nisi dixerim impie Eucharistiam imprudens colat.

DISSERTATIO XIII.

De Baptismo infantium, contra Petrobusianos, in Waldensibus, Albigensibus, & Anabaptistis redivivos.

Baptizandos infantes Scriptura Sacra probat.

I. PEtrobusianorum hæresim duo Christi oracula simul comparata refellunt. Ait nempe Lucæ 18. *Sinite Pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium est enim Regnum Dei.* Et Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Parvuli ad Regnum Dei pervenire possunt: cujus aditus absque baptismo patet nemini. Infantes itaque baptizari necesse est ex Institutione & Mandato Christi. Secundo, Infantes Judæorum circumcidebantur ad originalis expiationem peccati, atque in populo Dei censerentur: Conveniens itaque fuit ut remedium a Christo in Lege gratiæ ad ejusdem peccati remissionem institutum ad parvulos etiam pertineret. Accedit, quod gratia secundi Adæ non minus patere debet quam primi Adæ peccatum: adeoque cum parvulis etiam communicari potest per baptismum: Siquidem in eosdem primi hominis peccatum propagatur. His argumentis ex Scriptura Sacta petitis Petrobusianorum hæresim quatit *Petrus Venerabilis* Abbas Cluniacensis lib. 1. Epistola 2. „ Quia, *inquit*, repellebantur parvuli, indigne tulit Jesus. Ut sinerentur parvuli venire ad se, & non prohiberentur, præcepit Jesus. Talium esse Regnum Cœlorum dixit Jesus. Complexabat eos Jesus. Imponebat manus suas super eos Jesus. Benedicebat eos Jesus. Numquid ultra innocentiam puerilem, non virili constantia, sed pertinaci malitia a Christo repellere audebitis? Numquid ab amplexante parvulos Christo, ab imponente super parvulos manus Christo, a benedicente parvulis Christo, invito ipso Christo, parvulos avelletis? *Ibidem.* „ Valde indecens & impium est, ut hoc negemus parvulis Christianorum, quod concedimus parvulis Judæorum. Scelestum plane est non tribuere hoc tempori gratiæ, quod datum est adhuc filiis iræ. Perversum est ea privilegia dare populo servitutis, quæ negantur filiis libertatis. Neque enim Lex Evangelio, Moyses Christo præponderare debuit, cum ille ut fidelis servus, hic, juxta Apostolum, ut unicus filius fuerit in domo. Vicem baptismi tenuisse Circumcisionem, omnibus notum est. Quod enim baptismus in Evangelio, hoc in Veteri Testamenti Circumcisio conferebat, nisi quod Regnum Cœlorum non statim circumcisis aperiebat. Mutatum est a Christo adveniente Sacramentum Sacramento, & ab Authore gratiæ jugum legis leviatum: ut sicut carnis pœna carnis culpam expiabat; sic absque carnis vulnere levis aquæ aspersio peccata purgaret. Adauctum est superna largitate collatum beneficium, ut sicut Circumcisione totus populus Judæorum, ita Christi Baptismate totus salvetur orbis terrarum. Unde quia non potuit umbra corpore, figura veritate aliquo modo excellentior apparere, necessario vos oportet confiteri, Christianorum parvulos salvari baptismate; cum fateamini Judæorum parvulos salvari Circumcisione. Et quia, secundum Apostolum: *Sine Fide*, vel in Circumcisione, vel in Baptismate, *impossibile est placere Deo*: Quoniam, juxta Psalmum 3. *Omnia opera ejus in fide*: Quia parvulus Judæorum salvari non potuit fide propria, salvatus est aliena. Et quia parvulus Christianorum salvari non potuit fide propria, salvatur quotidie aliena. Sacramento igitur Circumcisionis, & aliena fide salvabatur Judæus: Sacramento Baptismi & aliena fide salvatur per Christi gratiam Christianus.

Ibidem *Apostolus disputans de reatu primi Adæ mundum condemnante, & de justitia secundi Adæ mundum salvante, ait ad Romanos* 5. „ Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Et 1. *ad Corinth.* 15. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes vivificabuntur. *Quod si ita est, sicut per unius delictum omnes homines condemnati, ita & parvuli omnes condemnati. Et sicut per unius justitiam omnes homines justificati, ita & parvuli omnes justificati. Et sicut in Adam omnes homines moriuntur, ita parvuli omnes moriuntur. Et sicut in Christo omnes homines vivificantur, ita & parvuli omnes vivificantur. Hæreticum est ergo & impium excludere baptizatos parvulos a numero salvandorum. Hæreticum, quia contra rectam fidem: impium, quia contra pietatem.*

Baptizandos Infantes Traditio confirmat.

Eamdem Hæresim Traditio subruit: Patres enim omnes Catholicum dogma de baptizandis parvulis docuere. *S. Dionysius* Lib. *De Ecclesiastica Hierarchia* Cap. ultimo: „ Quod autem infantes quoque, qui ætatem nequeunt intelligere, divinæ Regenerationis, Sanctissimorumque divinæ Communionis Mysteriorum participes fiant, videtur [*ut inquis*] hominibus profanis, non immerito risu dignum, quod Pontifices eos erudiant, qui nequeunt audire, sanctasque traditiones non intelligentibus frustra tradant. Verum non oportet tuam Sanctam Prudentiam errantibus indignari: sed religiose ad eorum institutionem cum charitate rationem reddere, & objectiones eorum solvere. Atque illud insuper secundum Sacram Sanctionem addere, quomodo divina omnia nequaquam nostra intelligentia commensuranda sint: sed plurima quæ nos latent, causas habere Deo dignas, &c. Verumtamen hac de re id quoque dicimus, quod deiformes Præceptores nostri a prima Traditione acceptum nobis transcripserunt, &c.

III. *S. Irenæus* Lib. II. Cap. 39. de Christo loquens: *Omnes* (inquit) *venit per semetipsum salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, & pueros, & juvenes, & seniores.*

IV. *Origenes* Lib. V. in Cap. VI. Epistolæ ad Romanos: *Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum, vel quo tempore peccaverunt? Aut quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum de quo paulo ante di-*

ximus

ximus : Nullus mundus a sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram? *Et quia per Baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit intrare in Regnum Cælorum.*

V. *Tertullianus* lib. *De Baptismo*, cap. XVIII. differri quidem tantisper optat Baptismum parvulorum, sed extra periculum dumtaxat; & usum Ecclesiæ fuisse verba ejus probant ut promiscue Christianorum infantes baptizarentur. „ Itaque, *inquit*, pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi utilior est; præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri? Quia & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus: *Nolite illos prohibere ad me venire*. Veniant ergo, dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur: fiant Christiani cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in sæcularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur? Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Fidelium sane filios parvulos ab æterna salute non vult exclusos *Tertullianus*, quos *Designatos sanctitati, ac per hoc salvi*, ait lib. *De Anima*, c. 39. At neminem sine Baptismo salutem consequi asserit lib. *De Baptismo*, cap. 12. *Cum vero præscribitur nemini sine Baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam.*

VI. Pædobaptismum Africanæ Ecclesiæ traditionem fuisse, ex *S. Cypriano* constat Epist. LIX. ad *Fidum*, cui sic respondet: „ Quantum vero ad causam Infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem, quo nati sit, constitutos, baptizare non oportere, & considerandam esse Legem Circumcisionis antiquæ ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum non putares, longe aliud in Concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potius judicavimus nulli hominum nato misericordiam & gratiam Dei denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat. *Filius hominis non venit animas hominum perdere; sed salvare:* quantum in nobis, si fieri potest, nulla anima perdenda est. Quid enim ei deest, qui semel in utero Dei manibus formatus est? Nobis enim atque oculis nostris secundum dierum sæcularium cursum, accipere, qui nati sunt incrementum videtur: cæterum quæcumque a Deo fiunt, Dei factoris majestate & opere perfecta sunt. Esse denique apud omnes, sive infantes, sive majores natu unam divini muneris æqualitatem declarat nobis Divinæ Scripturæ fides. .... Deus ut personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecrationem æqualitate librata, præbeat patrem. *Et infra:* Nam quod in Judaica Circumcisione carnali octavus dies observabatur, Sacramentum est in umbra atque in imagine ante præmissum; sed veniente Christo veritate completum. Nam quia octavus dies, id est, post Sabbatum primus dies futurus erat, quo Dominus resurgeret, & nos vivificaret, & circumcisionem nobis spiritalem daret: hic dies octavus, id est, post Sabbatum primus & Dominicus præcessit in imagine, quæ imago cessavit superveniente postmodum veritate & data nobis spiritali Circumcisione. Quapropter neminem putamus a gratia consequenda impediendum esse ea lege quæ jam statuta est, nec spiritalem Circumcisionem impediri carnali Circumcisione debere: sed omnem omnino admittendum esse ad gratiam Christi: quando & Petrus in Actis Apostolorum loquatur & dicat: Dominus mihi dixit, Neminem hominum communem dicendum & immundum. Cæterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset; magis adultos & provectos, & majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam gravissimis delictoribus & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & a baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus, nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et idcirco, Frater Charissime, hæc fuit in Concilio nostra sententia, a Baptismo atque a gratia Dei qui omnibus misericors & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa universos observandum sit atque retinendum; magis circa infantes ipsos & recens natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra, ac de divina misericordia plus merentur, quod in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quam deprecantur.

VII. Orientalis Ecclesiæ traditionem eamdem fuisse constat ex *S. Gregorio Nazianzeno*, Oratione XL. *In sanctum baptisma, dicente :* „ Infans tibi est? Ne occasionem improbitas arripiat; ab infantia sanctificetur, ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur. *Et infra :* Quid de iis dices, qui adhuc tenera ætate sunt, nec aut damnum aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum urgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo & initiatione abscedere. Atque hujus rei ratio nobis est circumcisio die octavo peragi solita, quæ Baptismi figuram quodammodo gerebat, atque iis, qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur .... De reliquis ita censeo, ut triennio expectato, aut aliquanto breviori vel longiori temporis spatio (Nam tum & mystici quiddam audire & respondere possunt, ac si minus plene & exacte intelligunt, imbuuntur tamen & informantur) ita demum per magni Baptismi Sacramentum & animos & corpora sanctificent...... At propter inopinatos & repentinos periculorum impetus, quique nulla ope atque auxilio propulsari queant, lavacro communiri omnino conducibilius est.

VIII. Ejusdem traditionis testis est *S. Joannes Chrysostomus*, in Homilia *Ad Neophytos* dicens: „ Etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiant.

IX. Ejusdem testis est pro Ecclesia Occidentali S. Hieronymus *Dialogo* 3. Adversus Pelagianos *scribens :* „ Hoc unum dicam, aut novum vos debere Symbolum tradere, ut post Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, baptizetis infantes in Regnum Cœlorum: aut si unum & in parvulis & in magnis habetis baptisma, etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos in similitudinem prævaricationis Adam credatis.

Ejusdem testis est *S. Ambrosius*, Lib. *De Mysterio Paschæ* cap. 5. *Hæc illa est cœlestium mysteriorum gratia, hoc Paschæ donum, hæc optabilis anni festivitas. Hinc vitalis Lavacri sacra Ecclesia editi puerperio infantes, parvulorum simplicitate renati, balatu innocentis perstrepunt conscientiæ. Hinc casti patres, pudicæ etiam matres, novellam per fidem stirpem persequuntur innumeram.* Accedit *Paulinus*, in Vita *S. Ambrosii* commemorans, quomodo infantes e sacro fonte recentes illius animam in cœlos evolantem die Paschatis viderint.

XI. Ejusdem testis est *Siricius* Pontifex Maximus in Epistola ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum cap. 2. *Sicut ergo*, inquit, *Sacram Paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam: ita infantibus qui necdum loqui poterunt per ætatem, vel his quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda baptismatis, omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo & regnum perdat & vitam.*

XII. Ejusdem testis est Africana Ecclesia, Canone II. Synodi Africanæ anno 417. celebratæ; qui unus ex illis est, qui Milevitano Concilio vulgo tribuuntur. *Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab*

uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur : unde fit consequens ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vere, sed falso intelligatur, Anathema sit.

XIII. Testis est *Innocentius I.* In Epistola ad Concilium Milevitanum contra Pelagianos scribens : *Illud vero quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis absque baptismatis gratia, posse donari, perfatuum est ;* „ Nisi enim manducaverint Carnem Filii hominis, & biberint ejus Sanguinem, non habebunt vitam in semetipsis. *Qui autem hanc in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci ; fateantur necesse est nec regenerationis sacra fluenta prodesse. Verum ut superfluorum hominum prava doctrina celeri veritatis possit ratione discindi, proclamat Dominus in Evangelio dicens : Sinite infantes, & nolite eos prohibere venire ad me ; talium est enim Regnum Cælorum.*

XIV. Testis est *S. Augustinus* lib. 4. *De Baptismo* contra Donatistas, cap. 23. & 24. *Quid autem* (inquit) *valeat & quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio Sacramenti, sine qua tamen ille Latro non fuit, quin non ejus accipiendæ voluntas defuit ; sed non accipiendæ necessitas adfuit, difficile est dicere.... Sicut autem in Latrone, quia per necessitatem corporaliter defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter adfuit : sic & cum ipsa præsto est, si per necessitatem desit quod Latroni adfuit, perficitur salus. Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem, quod Latro potuit : Quin etiam flendo & vagiendo, cum in eis Mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt : & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. Et si quisquam in hac re authoritatem divinam quærat : Quamquam QUOD UNIVERSA TENET ECCLESIA, NEC CONCILIIS INSTITUTUM, SED SEMPER RETENTUM EST, NONNISI AUTHORITATE APOSTOLICA TRADITUM RECTISSIME CREDITUR, tamen veraciter conjicere possumus quid valeat in parvulis Baptismi Sacramentum, ex Circumcisione carnis, quam prior populus accepit, quam prius quam acciperet, justificatus est Abraham. Sicut Cornelius etiam dono Spiritus Sancti prius quam baptizaretur, ditatus est. Dicit tamen Apostolus de ipso Abraham ;* „ Signum accepit „ Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, qui jam „ corde crediderat, & deputatum illi erat ad justi„ tiam. *Cur ergo ei præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad justitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum multum valebat ? Quod in filio Moysi per Angelum manifestatum est, qui cum adhuc incircumcisus a matre ferretur, præsenti & evidenti periculo ut circumcideretur, exactum est ; & cum factum esset, depulsa est pernicies ... Et sicut in Isaac, qui octavo suæ nativitatis die circumcisus est, præcessit signaculum justitiæ fidei ; & quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa justitia, cujus signaculum in infante præcesserat ; ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conversio, cujus Mysterium præcessit in corpore. Et sicut in illo Latrone, quod ex Baptismi Sacramento defuerat, complevit Omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat, sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum alii pro eis respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt.* Ex quo *S. Augustini* loco diluitur argumentum illud Anabaptistarum : Mandatum est ut prius doceamus, postea baptizemus. Prius ergo docendi infantes, quam baptizandi : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Tunc igitur capaces erunt baptismi suscipiendi, cum capaces erunt doctrinæ fidei.

Idem confirmat *S. Augustinus* lib. 1. *De Peccatorum meritis & remissione* contra Pelagianos, *cap.* 26. Porro, „ *inquit*, quia parvulos baptizandos esse concedunt, qui „ contra authoritatem universæ Ecclesiæ, proculdu„ bio per Dominum & Apostolos traditam venire „ non possunt : concedant oportet, eos egere illis „ beneficiis Mediatoris, ut oblati per Sacramentum „ Charitatemque Fidelium, ac sic incorporati Chri„ sti corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo, „ ut in illo vivi, ut salvi, ut redempti, ut illumi„ nati fiant. Legatur & lib. 3. cap. 5. lib. 10. *De Genesi* cap. 23. *& Sermon. in Octavis Paschæ.*

XV. Ejusdem traditionis testis est Author Librorum De Vocatione Gentium. *Cap.* 16. *Lib.* 1. „ Re„ spice autem & ad universalem multitudinem par„ vulorum, in quibus excepto illo, quo in damna„ tione nascitur gens humana, delicto, nec præteri„ ta possunt merita, nec futura censeri. Omnes e„ nim de quibus nunc loquimur, ante ullum intel„ ligentiæ usum, ante liberum voluntatis arbitrium, „ alii ad æternam beatitudinem regenerati, alii ad „ perpetuam miseriam transeunt non renati.

XVI. Ejusdem traditionis testis est *S. Gregorius Magnus*, Epistola 17. lib. 1. ad Episcopos Italiæ data, qua ipsos monet ut Longobardorum infantulos, quos impius *Autharis* hæreticus Arianus ritu Catholico baptizari ultimo Paschate prohibuerat, Ecclesiæ concilient, imminente lethalis morbi periculo. „ Quoniam, *inquit*, nefandissimus Autharis in hac, „ quæ nuper expleta est, Paschali solemnitate, Lon„ gobardorum filios in Fide Catholica baptizari prohi„ buit ; pro qua culpa eum Divina Majestas extin„ xit, ut solemnitatem Paschalem ulterius non vi„ deret, vestram Fraternitatem decet cunctos per lo„ ca vestra Longobardos admonere, ut quia ubique „ gravis mortalitas imminet, eosdem filios suos in „ Ariana hæresi baptizatos, ad Catholicam Fidem „ concilient, quatenus super eos iram Domini omnipo„ tentis placent.

XVII. Eamdem fuisse Ecclesiæ Græcæ Traditionem rursus docent *Joannes Moschus in Prato spirituali*, cap. 165. Euchologia, & qui de Sacramentis & Ritibus sacris apud Græcos scripsere. Gallicanæ Ecclesiæ & Hispaniensis in eodem dogmate usque perpetuo consensionem confirmant *Gregorius Turonensis* lib. 8. *Historiæ Francorum*, cap. 4. referens *Childebertum*, *Guntramni* Regis filium, die Sancto Paschatis natum, sequentis proxime Pentecostes die baptismum suscepisse : Concilium Autisiodorense Canone 18. & Matisconense 2. Canone 3. Author libri De Divinis Officiis *Alcuino* adscripti : *S. Bernardus* Sermone 65. in Cantica, *Petrus Venerabilis* Cluniacensis Abbas, Epistola adversus Petrobusianos : Concilium Gerundense Canone 5. Bracarense 2. Canone 9. *S. Isidorus Hispalensis*, lib. 1. *De Officiis Ecclesiasticis* cap. 27. Anglicanæ morem ac doctrinam Ecclesiæ circa idem dogma exhibet Concilium Londinense anno 1237. Canone 3. Viennense Concilium Œcumenicum idem dogma Catholicum agnovit. Tridentinum denique Sessione 7. Canone 13. idem Christianis omnibus credendum lato Anathemate docuit : *Si quis dixerit, parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo, inter Fideles computandos non esse ; ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos ; aut præstare omitti eorum baptisma quam eos non actu proprio credentes, baptizari sola fide Ecclesiæ, Anathema sit.*

Anabaptistarum objectionibus respondetur.

Ad palmare Anabaptistarum argumentum, quo Infantes baptizari non debere colligunt, quia credere pro illa ætate non possunt, Respondeo, satis esse quod aliena fide credant, sicut aliena voluntate peccaverunt : ipsis ergo fides offerentium, & Sanctæ Ecclesiæ suffragatur, ut baptismum suscipere possint, quamvis fidem per se profiteri non possint. Ita respondet *S. Augustinus* l. 1. *De Peccatorum Meritis*, cap. 19. ubi hanc de parvulis objectionem sibi proponit : Dicet aliquis : *Quomodo ergo & ipsi vocantur in pænitentiam : Numquid tantillus potest aliquid pænitere ?* Sic autem respondet : *Si propterea pænitentes dicendi non sunt, quia sensum pænitendi nondum habent, nec Fideles di-*

cendi

vendi sunt quia similiter sensum credendi non habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur, cum per eorumdem verba gestantium diabolo & huic sæculo renuntiare monstrantur? Totum hoc in spe fit, vi Sacramenti, & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ. Et lib. 3. cap. 2. ita Pelagianos urget: Dicant itaque Christi justitia quid baptizatis parvulis prosit. Dicant omnino quod volunt; profecto enim si se Christianos esse meminerunt, aliquid prodesse non ambigunt. Quodlibet igitur prosit prodesse, sicut etiam ipsi asserunt, non credentibus non potest. Unde coguntur parvulos baptizatos in credentium numero deputare, & authoritati Sanctæ ubique Ecclesiæ consentire, quæ Fidelium nomine eos non censet indignos, quibus justitia Christi, etiam secundum istos, prodesse non nisi credentibus posset. Sicut ergo eorum per quos renascuntur, justitia Spiritus responsione trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt: Sic eorum, per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt.

Eodem modo respondet S. Bernardus Sermone 66. in Cantica. Quid, inquit, si infans pro se loqui non potest, pro quo vox sanguinis fratris sui, & cælis fratris clamat ad Deum de terra? Adstat & clamat nihilominus mater Ecclesia. Quid tamen infans? Non-ne & ipse videtur tibi inhiare quodammodo de fontibus Salvatoris, vociferari ad Deum, suisque vagitibus clamitare, Domine, vim patior, responde pro me? Flagitat auxilium gratiæ, quia vim patitur ab origine. Clamat innocentia miseri, clamat ignorantia parvuli, clamat addicti infirmitas. Ita ergo clamant hæc omnia, sanguis fratris, fides matris, destitutio miseri, & miseria destituti. Et clamatur ad Patrem. Porro Pater seipsum negare non potest, Pater est. Nemo mihi dicat, quia non habet fidem, cui mater impertit suam, involvens illi in Sacramento, quousque idoneus fiat proprio non tantum sensu, sed assensu evolutam puramque percipere. Numquid breve pallium, ut non possit ambos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Numquid minor fide Chananææ mulieris, quam constat & filiæ sufficere potuisse, & sibi? Ideo audivit: O mulier, magna est fides tua: Fiat tibi sicut petisti. Numquid minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demittentes animæ illi & corporis obtinuere salutem? Denique habes: Quorum fidem ut vidit, ait Paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et paulo post: Tolle grabatum tuum, & ambula. Qui hæc credit, facile huic persuadebitur, Ecclesiam merito præsumere non solum parvulis baptizatis in sua fide salutem; sed etiam interfectis pro Christo infantibus coronam martyrii. Quæ cum ita sint, nullum præjudicium sabstinebunt regenerati de eo quod dictum est, Sine fide impossibile est placere Deo: cum sine fide non sint qui in testimonium fidei Baptismi gratiam perceperunt.

Ita etiam Petrobusianis respondet Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis: Discite, inquit, parvulis nostris nullatenus fidem qua salventur, deesse: quia non possunt dici filii infideles, pro quibus intervenit Matris Ecclesiæ fides. Sed scio quia hoc deridetis, & aliena fide alium posse salvari, cum multa inter rusticos & imperitorum grege sabsannatione negatis. Ad quam vestram brutam & impiam hæresim refellendam, innumera mihi Doctorum Ecclesiasticorum testimonia suffragantur. Sed vestra authoritas & sapientia tanta est, ut eos coram producere non præsumam. Maxime cum didicerim, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Leonem, Gregorium, & cæteros, judicio majestatis vestræ esse damnatos.... Unde quia Sanctis Ecclesiæ Doctoribus fidem præbere dedignamini, ad purissimum rivulorum omnium fontem mihi est revertendum; & de Evangelicis, Apostolicis, & Propheticis dictis testimonia [si tamen vel illa suscipitis] sunt proferenda.... Reguli fides, non pro se, sed pro filio rogant auditur. Centurionis fides, non pro se, sed pro puero humiliter interveniens, non tantum auditur; sed & singulari laude effertur. Archisynagogi filia, non sua, sed patris fide resurgit. Dæmoniacus, non sua, sed patris fide curatur. Martha, quia credit, Dei gloriam, resurgente Lazaro, videt. Chananæa, non pro se, sed pro filia a dæmonio vexata orans audit: Fiat tibi sicut vis. Fide illorum qui attulerant, Christus Paralyticum non tantum curat, sed etiam peccata ei remittit. Unius [inquam] Fidelis fide tanta aliis Christus impertit: & totius Ecclesiæ fides baptizatis parvulis nihil valebit? Et quid est quod suprascripsi dixisse Dominum; Omnia Possibilia esse credenti? Si omnia certe aut credenti possibilia sunt: universo orbi pro parvulis baptizatis credenti & oranti impossibilia esse non possunt. Credit Regulus, & salvatur filius ejus: credit Martha, & suscitatur Lazarus: credit mundus, & salvatur parvulus: Credit pater, & surgit filia; credit Chananæa, & a dæmonio purgatur filia: Credit Ecclesia, & a peccatis purgatur anima. Credunt Paralytici delatores posse a Christo ejus curari corpus; & curatur ejus anima & corpus. Credunt quotidie parvulorum delatores pro eis: & dum perfunditur visibili baptismate corpus, mundantur a peccatis anima invisibili virtute Spiritus. Ibidem: Si Martyres fide propria absque baptismo salvantur: Cur parvuli baptismo absque propria fide non salvabuntur? Aut enim, secundum novam hæresim vestram, sine propria fide & baptismate nullus salvabitur: aut si propria fide absque baptismate aliquis salvatur: consequenter baptismate absque propria fide aliquis salvabitur. Paria quippe sunt nec præponderare sibi invicem possunt: quoniam & conjuncta eadem operantur: & disjuncta non dissimiliter prædicantur.

Fidem propriam ad baptismum suscipiendum necessariam colligebant Petrobusiani ex his Christi verbis: Euntes in orbem universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

Respondet Petrus Cluniacensis, Hæc verba de adultis intelligenda esse. Terrent (inquit) verba ista contumaces: non condemnant innocentes: feriunt iniquitatem, brutam non accusant ætatem: perimunt contemptores gratiæ, non condemnant simplicitatem naturæ. Hoc indicat verbum quod dicitur, Prædicate. Quomodo enim parvulis prædicandum est Evangelium, quod non intelligant, nuntiandum quod non percipiunt, intimandum quod non advertunt? &c.

Idem Venerabilis Abbas Argumentum ex Traditione & usu Ecclesiæ petitum præclare tractat, fortiterque urget. Itane (inquit) desipuere præterita sæcula, ut tot millibus parvulorum, per mille & eo amplius annos illusorium baptisma tribuerent; & a Christi temporibus usque ad vos, non veros ei Christianos sed phantasticos crearent? Siccine cæcatus est orbis terrarum, tantaque huc usque caligine involutus, ut ad aperiendos oculos suos, & ad tam diuturnam noctem illustrandam, post tot Patres, Martyres, Pontifices, & universarum Ecclesiarum Principes, vos tamdiu expectarit, & ad corrigendum longum errorem suum, PETRUM DE BRUIS ET HENRICUM ejus assectam, velut Apostolos novissimos elegerit? Itane usque ad novos sæculi reparatores mundus periit, & apud filios lucis & veritatis omnia in tenebris & falsitate gesta sunt; ut cum omnes nostræ ætatis vel memoria in infantia baptizati sint, & Christianum nomen assumpserint, ac congruo tempore in diversis Ecclesiæ gradibus prælati sint, nullus Episcoporum Episcopus; nullus Presbyter, nullus Diaconus, nullus clericus, nullus Monachus, nullus [ut sic loquar] ex tam innumerabili numero saltem Christianus fuerit. Nam qui Christi baptismate baptizatus non fuit, Christianus non fuit. Si Christianus non fuit, nec de Clero, nec de Populo, nec de Ecclesia esse potuit. Quod si ita est, quanta absurditas sequatur manifestum est. Cum enim tota Gallia, Hispania, Germania, Italia, ac universa Europa a trecentis vel quingentis fere annis, nullum nisi in infantia baptizatum habuerit, nullum Christianum habuit. Si nullum Christianum habuit, nec Ecclesiam habuit. Si Ecclesiam non habuit, nec Christum habuit. Si Christum non habuit, certum est quia periit.

PRÆSTA CHRISTE SALVATOR, ne peream quem lavisti a peccatis in sanguine tuo, quem Bapti-

ptismatis aqua renasci, tuoque cultui consecrari præstitisti. Gratias immortales tibi Domino meo & Deo meo rependo, ob tantum beneficium & cætera quibus secundum illud tua me singularis misericordia cumulavit. Auge fidem, auge spem, auge charitatem, quas in animum meum infudisti gratis. Da ut vita, moresque mei, Christiano & Religioso nomini ac professioni respondeant. Da ut in amore tuo perseverem; ut pacta & promissa in baptismo facta semper meminerim, fideliter solvam. Fac ne patientia diutius abutar tua, Redemptor Optime & Adorande, utque Te dignus tandem evadam; & æternam, cujus pignus in Baptismo, Te donante, accepi, consequar hereditatem. Amen.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
VOLUMINIS SEPTIMI
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ XI. ET XII. SÆCULUM CONTINENTIS.

A

B

C

in

O

P

Q

R

S

T

mis-

V

Y

Z

W

I N D E X
RERUM PRÆCIPUARUM
QUÆ IN NOTIS, ET ANIMADVERSIONIBUS CONTINENTUR.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

O

P

R

S

T

V

INDEX
NOTARUM
JOANNIS DOMINICI MANSI

Quæ in hoc Volumine continentur.

FINIS.

